UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In Cusquensi Collegio Sacræ Theologiæ Primarij Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis

**Peñafiel, Alonso**

**Lugduni, M.DC.LXXIIX.**

urn:nbn:de:hbz:466:1-95871

Visual Library

Th. 949a.
T. VIIII. 10.
4 III 12

R. P. ILDEPHONSI

# PEÑAFIEL

E SOCIETATE JESU,

QUONDAM IN CUSQUENSI COLLEGIO SACRÆ

Theologiæ Primarij Anteceſſoris ; nunc demum in hoc Limano
D. Pauli ejuſdem Theologiæ ordinarij Profeſſoris;

# THEOLOGIA

## SCHOLASTICA NATURALIS,

IN QUA AD LYDIUM DISPUTATIONIS LAPIDEM DEI
Optimi, Maximi Natura, Proprietates & Attributa; Entiumque naturalium
formalitates controvertuntur ac enodantur.

## EDITIO NOVA

*DUPLICI INDICE ORNATA:*

## TOMUS SECUNDUS.




LUGDUNI,
Sumpt. JOANNIS ANTONII HUGUETAN, & Soc.

*M. DC. LXXIIX.*
CUM APPROBATIONIBUS.

R. P. LEDESMA

# PENAFIEL

E SOCIETATE JESU,

QUONDAM IN CESAREUSI COLLEGIO SACRÆ

Theologiæ Primi Professoris; nunc decimi in hoc Limano

D. Pauli eadem Theologiæ cathedram Professoris.

# THEOLOGIA

SCHOLASTICA NATURALIS,

IN QUA AD LYDIUM DISPUTATIONIS EXEMPLUM OLI

Opum, Maxim Mauri, Propositos & Auctores, Sententiæque naturalium

Formularis controvertuntur ac explicantur.

## EDITIO NOVA

PRIMUM IN LUCEM EDITA.

## TOMUS SECUNDUS

LUGDUNI,

Sumptibus JOANNIS ANTONII HUGUETAN, & SOCIORUM.

CUM APPROBATIONIBUS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# INDEX

## Disputationum, Quæstionum, Sectionum, & Subsectionum.


### DISPVTATIO XIV.

*De Natura Existentiæ.*

#### QVÆSTIO I.

*Quid sit existentia?*

SECT. 1. SEntentia adversaria proponitur. pag. 1
SECT. 2. Nostra sententia proponitur. *ibid.*
SECT. 3. Conclusio ponitur. p. 2
SECT. VLT. Argumenta adversaria solvuntur. p. 3

#### QVÆSTIO II.

*Virum essentia actualis distinguatur ab existentia à parte rei?*

SECT. 1. SEntentia adversaria proponitur. p. 3
SUBSECT. 1. Sententia ponitur. p. 4
SECT. 2. Nostra sententia ponitur & probatur. *ibidem.*
SUBSECT. 2. Rationibus probatur nostra conclusio.
3. Amplius declarantur dicta. p. 7
4. Secunda principalis ratio ponitur. p. 10
5. Solutiones adversariorum refutantur. p. 12
6. Secunda pars nostræ impugnationis probatur. p. 19
7. Illa prima minor præcipua hujus secundi principalis argumenti efficacius probatur scilicet quod per existentiam distinguatur essentia actualis ab essentia possibili seu à possibilitate quo amplius confirmantur dicta. p. 23
8. in qua tertium principale Argumentum ponitur. p. 26
9. Quartum principale Argumentum ponitur. p. 28
10. Efficaciter probatur ab inconvenienti nostra conclusio. p. 30
SECT. VLT. Argumenta adversaria solvuntur. p. 34
SUBSECT. Argumenta secundæ sententiæ dissolvuntur. p. 36

#### QVÆSTIO III.

*Vtrum essentia actualis distinguatur per rationem ab existentia.*

SECT. 1. SEntentia adversaria proponitur. p. 38
2. Nostra sententia ponitur. *ibid.*
SECT. VLT. Argumenta adversaria solvuntur. p. 39

#### QVÆSTIO VLTIMA.

*An existentia sit necessaria omnino ad operandum.*

SECT. 1. SEntentiæ adversariorum proponuntur. p. 40
2. Nostra sententia ponitur. p. 41
3. Rationibus probatur conclusio. *ibid.*
SECT. VLT. Argumenta adversaria solvuntur. p. 43

### DISPVTATIO XV.

*De nominibus, natura & proprietatibus subsistentiæ & suppositalitatis.*

#### QUÆSTIO I.

*De significatione nominis subsistentiæ & suppositalitatis.* P. 51

#### QUÆSTIO II.

*Quid addat suppositum supra naturam.*

SECT. 1. SEntentia adversaria proponitur. p. 53
2. Nostra sententia probatur. *ibid.*
SECT. VLT. Argumenta adversaria solvuntur. p. 57

# Index Disputationum, Quæstionum,


QVÆSTIO III.

*Vtrùm positivum quod addit suppositum supra naturam sit modus vel res.* p. 65

Sect. 2. NOstra sententia proponitur & probatur. p. 66

Sect. Vlt. Argumenta adversaria proponuntur. p. 74

QVÆSTIO IV.

*Vtrùm natura suppositata per unam subsistentiam possit suppositari per alienam.*

Sect. 1. SEntentiæ adversariorum proponuntur. p. 74

2. Nostra sententia ponitur & probatur. *ibid.*

Sect. Vlt. Argumenta adversaria solvuntur. p. 83

QVÆSTIO V.

*Vtrùm suppositalitas entis composita, sit simplex, vel composita.*

Sect. 1. SEntentiæ adversariorum proponuntur. p. 85

2. Nostra sententia explicatur & probatur. *ibid.*

Sect. Vlt. Argumenta adversaria solvuntur. p. 96

QVÆSTIO VI.

*Vtrùm substantia possit existere divinitùs, sine omni subsistentia.*

Sect. 1. SEntentiæ adversariorum proponuntur. p. 96

2. Nostra sententia proponitur, & alia dubia ad subsistentiam continentia expediuntur. *ibid.*

Sect. Vlt. Argumenta adversaria solvuntur. p. 102

QVÆSTIO VLTIMA.

*Quis sit effectus suppositalitatis.*

Sect. 1. PRima sententia adversariorum proponitur. p. 102

2. Nostra sententia proponitur. p. 103

Sect. Vlt. Argumenta adversaria solvuntur. p. 112


## DISPVTATIO XVI.

*De natura & perfectionibus Angelorum.*


QVÆSTIO I.

*Vtrùm demonstretur possibilem esse Angelum & actualiter existere.*

Sect. 1. SEntentia adversaria ponitur p. 113

2. Nostra sententia ponitur. p. 114

Sect. Vlt. Argumenta adversaria solvuntur. p. 117

QVÆSTIO II.

*Vtrùm Angeli solo numero differant, aut necessariò sola specie.*

Sect. 1. SEntentia adversaria ponitur. p. 118

2. Sententia ponitur. *ibid.*

Subsect. 1. Secundum principale argumentum ponitur. p. 121

2. Secunda conclusio ponitur. p. 122

Sect. Vlt. Argumenta adversaria solvuntur. p. 124

QUÆSTIO III.

*De multis ad substantiam Angeli pertinentibus.* p. 124.

QUÆSTIO IV.

*De intellectu & voluntate Angelica.* p. 127

QVÆSTIO VLTIMA.

*De potentia productiva Angelorum.* p. 130


## DISPVTATIO XVII.

*De Deo Optimo, Maximo.*


QVÆSTIO I.

*Vtrùm demonstrari possit evidenti ratione Deum esse.*

Sect. 1. SEntentia adversaria ponitur. p. 134

2. Nostra sententia ponitur & probatur auctoritate. p. 135

Subsect. 1. Ampliùs confirmantur dicta ex aliis verbis ejusdem D. Pauli & contextu ipso & versionibus circa illum. p. 141

2. Objectio ex D. Paulo ponitur & dissolvitur. p. 143

3. Solutio Patris Gillij in verbis Christi Domini Joannis XVII. fundata diluitur ac refutatur. p. 147

4. Solutiones adversariorum refutantur. p. 154.

5. Aliis scripturæ verbis idem intentum confirmatur. p. 157

6. Auctoritate omnium hominum recte sentientium probatur veritas. p. 160

Sect. 1. Ratione naturali demonstratur hæc veritas. p. 162.


Subsect. 1.

# Sectionum, & Subsectionum.


SUBSECT. 1. Speciatim distinguendo duplex genus causæ oppugnatur processus in infinitum. p. 164
2. Processus in infinitum causarum per accidens subordinatarum evidenter ac manifestè repellitur. p. 166
3. Secundum principale argumentum ponitur. p. 171
4. Tertium argumentum principale ponitur. p. 175.
5. Quartum argumentum principale ponitur. 179
SECT. VLT. Argumenta adversaria solvuntur. p. 118

QVÆSTIO II.

*Vtrùm Deus sit summè & infinitè perfectus?* p. 183.
SUBSECT. 1. Rationibus demonstratur conclusio. p. 185

QVÆSTIO III.

*Vtrùm Deus sit infinitus?* p. 190
SUBSECT. 1. Rationibus demonstratur nostra conclusio. *ibid.*

QVÆSTIO IV.

*Vtrùm Deus sit spiritualis viveus, omnipotens, immensus*, &c.

SECT. 1. Conclusio ponitur. p. 196
SUBSEC. 1. Authoritate Sanctorum Patrum probatur hæc veritas. p. 197
2. Rationibus probatur nostra veritas. p. 199
SECT. 2. Secunda conclusio ponitur. p. 200
3. Conclusio ponitur. p. 201

QVÆSTIO V.

*Vtrùm Deus sit in spatiis imaginariis.*

SECT. 1. Sententiæ adversariorum ponuntur. p. 204
2. Nostra sententia ponitur. p. 205
SUBSECT. 1. Ampliùs hæc confirmatur, pagina 212.
2. Rationibus probatur nostra conclusio. p. 213.
3. Alias rationes pono. p. 215
4. Reliqua argumenta proponuntur ad nostram conclusionem roborandam. p. 219
SECT. VLT. Argumenta adversaria solvuntur. p. 221.


## DISPUTATIO XVII.

*De natura intellectus divini, ejusque intellectione.*

### QUÆSTIO I.

*Vtrum detur intellectualis cognitio in Deo scientifica, infinita?*


SECT. 1. Prima conclusio ponitur. pagina 224.
2. Secunda conclusio ponitur. *ibid.*
SECT. VLT. Tertia conclusio ponitur. p. 230


### QUÆSTIO II.

*Vtrùm Deus ultimò ac formaliter intellectione divina constituatur essentialiter.*


SECT. 1. Sententia adversaria proponitur. p. 231.
2. Nostra sententia ponitur & probatur. 232
SUBSECT. 1. Auctoritate probatur nostra conclusio. *ibidem.*
2. Authoritate D. Thomæ probatur nostra veritas. p. 235
3. Rationibus probatur nostra conclusio. p. 238.
4. Argumentum principale adversariorum retorquetur contra ipsos. p. 239
5. Tertium argumentum principale ponitur. p. 240
6. Quartum argumentum principale ponitur. p. 242
7. Solutio adversariorum impugnatur. p. 244
8. Vltimum argumentum principale ponitur. p. 269
SECT. 3. Ultima conclusio ponitur. p. 256
SECT. VLT. Argumenta adversaria solvuntur. p. 260


### QUÆSTIO VLTIMA.

*Vtrùm Deus constituatur per asseitatem, seu esse infinitum simpliciter per essentiam.*


SECT. 1. In qua sententia adversaria proponitur. p. 264
SUBSECT. 1. Authoritate D. Thomæ, & Aristotelis probatur eadem veritas. p. 269
2. Rationibus demonstratur eadem veritas. p. 269.
3. Solutio Patris Hurtado ponitur & refellitur. p. 271
4. Alia argumenta principalia ad probandam nostram veritatem proponuntur. p. 273.
SECT. VLT. Argumenta adversaria solvuntur. p. 274.


### DUBIUM APPENDIX.

*In quo consistat ratio vitæ Divinæ.*


SECT. 1. Sententia adversaria proponitur. p. 274.
2. Nostra sententia ponitur. p. 275
SUBSECT. 1. Modus loquendi Patris Arriaga refutatur. p. 276
2. Positivè & affirmativè conclusiones nostræ ponuntur. p. 279
3. Vltima conclusio ponitur. p. 280

# Index Disputationum, Quæstionum,

## DISPVTATIO XIX.

*De existentia, & perfectione divinæ voluntatis.*

### QVÆSTIO I.

*Vtrum detur in Deo voluntas.*


SECT. 1. Conclusio ponitur. p. 284
SUBSECT. 1. Orationibus demonstratur dari in Deo voluntatem. p. 285
SECT. 2. Ratio D. Thomæ explicatur ac defenditur. p. 287
SUBSECT. VLT. Aliquæ objectiones contra dictas rationes ponuntur & diluuntur. p. 289


### QVÆSTIO II.

*Vtrum detur in Deo libertas, & in quo consistat actus liber Dei.*


SECT. 1. Sententiæ adversariorum proponuntur. p. 289
2. Aliorum opiniones concedentium veram indifferentiam in Deo & constituentium eam in denominatione extrinseca ponuntur. p. 290
3. Quarta sententia ponitur & præcipuè mens Patris Vasquez elucidatur. p. 292
4. Sententia Patris Suares ponitur. p. 294
5. Vltima sententia ponitur. p. 295
6. Prima conclusio ponitur & probatur. p. 296
SUBSECT. VNIC. Rationibus demonstratur veritas. p. 299
SECT. 7. Nostra secunda conclusio ponitur. p. 301
SUBSECT. 1. Secundum Argumentum principale ponitur. p. 304
2. Tertium Argumentum principale ponitur. p. 306
3. Secunda pars majoris principalis probatur. p. 309
4. Reliquæ propositiones primi syllogismi demonstrantur & solutiones adversariorum refelluntur. p. 300
5. Adhuc probatur decretum efficax, quatenus tale non constitui per extrinsecam connotationem. p. 313
6. & 7. Argumentum principale ponitur. p. 316
8. Argumentum principale ponitur. p. 321
9. Argumentum principale ponitur. p. 322
10. Ex condonatione extrinseca peccati nostra veritas probatur. p. 326
11. Argumentum principale ponitur quo amplius confirmantur dicta. p. 332
12. Tertium Argumentum principale ponitur. p. 366
13. Vltimum principale argumentum ponitur. p. 337
14. Amplius supradicta efficaciter urgentur. p. 340
15. Ex libero in effici actu divinæ voluntatis oppugnatur sententia adversariorum. p. 341.
16. Ex variis incommodis hæc veritas propugnatur & oppugnatur sententia adversariorum. p. 347
SECT. 8. Sententia Thomistarum ponitur & oppugnatur. p. 350
SUBSEC. 1. Tertiò principaliter argumentor. p. 354
2. Ultimum argumentum principale ponitur. p. 356
SECT. 9. Sententia Patris Suarez, ut ab ipso explicatur, refellitur. p. 358
SUBSECT. 1. Aliquæ solutiones refutantur. p. 361
2. Ex refutatione aliarum solutionum confirmatur nostræ veritas. p. 362
3. Ex principiis Patris Suarez labefactatur ejus opinio & nostræ veritas confirmatur. p. 367
SUBSECT. VLT. Efficacius ac postremo oppugnatur sententia adversariorum. p. 374
SECT. 10. Cajetani sententia impugnatur. p. 378
SUBSECT. 1. Ex infinita perfectione divinæ essentiæ oppugnatur sententia Cajetani. p. 380
2. In qua amplius confirmantur dicta. p. 383
3. In qua tertium Argumentum principale ponitur contra adversarios. p. 388
4. Vltimum Argumentum principale ponitur. p. 390
SECT. VLT. Argumenta adversaria solvuntur. p. 392
SUBSECT. 1. Argumenta aliarum opinionum dissolvuntur. p. 394
2. Argumenta Cajetani solvuntur. p. 395


### QVÆSTIO III.

*Vtrum contingentia virtualis sufficiat ad actum liberum Dei.*


SECT. 1. Sententia adversaria proponitur. p. 397
2. Nostra sententia ponitur & probatur. p. 401
SUBSECT. 1. Dilucidatur supradicta doctrina & aliquæ objectiones & fallaciæ adversariorum refutantur & deteguntur. p. 405
2. Solutio adversariorum refutatur. p. 407


SUBSECT. 3.

3. Quædam objectio ponitur & diluitur. p.408.
Subsect. Vlt. Tertia Concluſio ponitur. p. 411.
Sect. Vlt. Argumenta adverſaria ſolvuntur. 414.
Subsect. 1. Argumenta Patris Alarcon ſolvuntur. p.416
2. Notanda quædam objectio contra noſtram ſententiam ponitur & diluitur. p.420.
Subsect. Vlt. Argumentum à priori contra nos poſitum ſectione prima diſſolvitur. p.423

QVÆSTIO VLTIMA.

*Vtrùm Deus concurrat cum cauſis ſecundis aliquid imprimendo illis prævium ad actionem illarum.*

Sect. 1. SEntentia adverſaria ponitur. p. 428
Subsect. 1. Rationibus probatur. p. 425
2. Aliqua certa notantur. p. 426
3. Prima conditio ad libertatem ponitur & pater Arriaga oppugnatur. *ibid.*
4. Secundum notabile ponitur. p. 432
5. Noſtra ſententia ponitur & probatur. p. 434
6. Solutiones adverſariorum oppugnantur. p. 437
7. Locis ſacræ Scripturæ probatur noſtra ſententia. p. 440
Sect. 2. Auctoritate ſanctorum Patrum probatur. p. 443
Subsect. 8. Auctoritate D. Thomæ probatur noſtra concluſio. p. 444
9. Scripturæ ſacræ teſtimoniis refellitur phyſica prædeterminatio. p. 449
Sect. Vlt. Rationibus probatur concluſio. p. 451
Subsect. 10. Secundum Argumentum ponitur. p. 455
11. Aliud Argumentum ponitur. p. 458
12. Solutio quorumdam recentiorum impugnatur. p. 468
13. Aliud Argumentum ponitur. p. 474
14. Aliud Argumentum ponitur. p. 480
15. Alio Argumento noſtra concluſio probatur. p. 482
16. Alio Argumento probatur noſtra concluſio. p. 484
17. Argumenta adverſariorum ponuntur & ſolvuntur. p. 486
18. Auctoritatibus ſacræ Scripturæ in contrarium poſitis fit ſatis. p. 487
19. Loca Auguſtini explicantur. p. 491
20. Divi Thomæ verba explicantur. p. 493
21. Modi loquendi communes explicantur. p. 496

## DISPVTATIO XX. & VLT.

*De Natura entis rationis.*

QVÆSTIO I.

*An ſit ens rationis, & quid ſit?*

Sect. 1. SEntentiæ adverſariorum. p. 1
2. Aliqua notantur. p. 2
3. Noſtra ſententia proponitur. *ibid.*
Subsect. 1. Secunda concluſio ponitur. p. 3
2. Vltima concluſio ponitur. p. 4
Sect. Vlt. Argumenta adverſariorum diſſolvuntur. p. 6

QVÆSTIO II.

*Vtrum privationes & denominationes extrinſecæ ſint entia rationis?*

Sect. 1. SEntentiæ adverſariorum proponuntur. p. 8
2. Noſtra ſententia proponitur. *ibid.*
3. Secunda concluſio ponitur. p. 12
Sect. Vlt. Argumenta adverſaria ſolvuntur. p. 14

QVÆSTIO III.

*Vtrum ens rationis ſit purum nihil.*

Sect. 1. ALiqua notantur. p. 15
2. Noſtra ſententia proponitur. p. 16
Sect. Vlt. Argumenta adverſaria ſolvuntur. p. 17

QVÆSTIO IV.

*Vtrum ens rationis, ſit prima, vel ſecunda intentio.* p. 17

QVÆSTIO V.

*Quotuplex ſit ens rationis.*

Sect. 1. SEntentiæ adverſariorum proponuntur. p. 19
2. Noſtra ſententia proponitur. *ibid.*

QVÆSTIO VI.

*Vtrum per omnem potentiam vitalem fiat ens rationis.*

Sect. 1. SEntentia adverſariorum proponitur. p. 23
2. Aliqua advertenda proponuntur. p. 24

Sect. 3.

# Index Disputationum, Quæstionum, &c.


SECT. 3. Nostra sententia ponitur. ibid.
SUBSECT. 1. Aliæ solutiones oppugnantur. p. 27.
2. Secundum Argumentum principale, & solutiones adversariorum diluuntur. p. 29
SECT. VLT. Argumenta dissolvuntur. p. 32


## QVÆSTIO VII.

*Per quam intellectus operationem fiat ens rationis.*


SECT. 1. SEntentiæ adversariæ ponuntur. p. 32
2. Nostra sententia ponitur & probatur. p. 33
SECT. VLT. Argumenta adversaria solvuntur. p. 36


## QVÆSTIO VIII.

*Vtrum Deus cognoscat ens rationis.*


SECT. 1. SEntentia adversaria ponitur. p. 37
2. Nostra sententia ponitur & probatur. p. 38
SUBSECT. 1. Aliæ solutiones refutantur. p. 40
2. Secundum Argumentum principale ponitur. p. 43
3. Tertium Argumentum principale ponitur. p. 45
4. Vltimum Argumentum principale ponitur. p. 48
SECT. 3. Secunda conclusio ponitur. p. 49
SECT. VLT. Argumenta adversariorum dissolvuntur. p. 51


## QVÆSTIO IX

*Vtrum Deus faciat ens rationis?*


SECT. 1. SEntentiæ adversariorum probantur. p. 53
2. Aliqua certa notantur. p. 54
3. Nostra sententia proponitur. p. 56
4. Rationibus nostra sententia probatur. p. 60
SUBSECT. 1. Tertio probatur principaliter. p. 66
2. Vltima ratio principaliter ponitur. p. 68
3. Secunda sententia ponitur. p. 70
SECT. VLT. Argumenta adversaria dissolvuntur. p. 72
SUBSECT. VLT. Aliæ solutiones, & responsiones refutantur. p. 75


## DISPUTATIO
### *De Principiis Metaphysicis alphabetico ordine dispositis.*


§. SCoti explicatio ponitur & refellitur. p. 92
§. Vltima ratio principalis ponitur. p. 97
§. Secunda pars explicationis Scoti refutatur. p. 99
§. Nostra sententia variis conclusionibus affirmativis declaratur. p. 104




# DISPVTATIO XIV.

# DE NATVRA EXISTENTIÆ.

## QVÆSTIO PRIMA.

*Quid sit Existentia?*

### SECTIO PRIMA.

*Sententia Aduersaria proponitur.*

1 PRIMA sententia asserit, existentiam vt sic, provt abstrahit à creata, & increata, sic esse definiendam: Existentia est ratio formalis per quam vnaquæque res constituitur extra causas in actu. Probatur 1. Quia res ex vi possibilitatis est intra causas: ergo ex vi existentiæ constituitur extra illas. Consequentia patet; quia oppositis oppositis rationibus constituuntur; sed possibilitas est opposita existentiæ, & constituit rem intra virtutem causarum: ergo existentia constituit rem extra causas.

2 Secundo, quia nihil aliud est rem existere, quam rem esse actualem; sed rem esse actualem est extrahi tam à possibilitate, quam à potentia suarum causarum: ergo existentia est ratio formalis per quam extrahitur res à potentia causarum.

### SECTIO II.

*Nostra Sententia proponitur.*

3 PRima conclusio; existentia vt sic, provt abstrahit à creata & increata, non est ratio formalis per quam res ponitur extra suas causas. Probatur sic; 1. Quia quidquid conuenit essentialiter Superiori, conuenit essentialiter omni contento sub illo; sed definitio illa existentiæ ab Aduersariis posita non competit omni contento sub existentia vt sic: ergo non est definitio essentialis existentiæ vt sic, provt abstrahit à creata, & increata: consequentia est manifesta; ideo enim hæc non est definitio essentialis animalis vt sic; est viuens intellectuale, quia non conuenit omni contento sub animali vt sic; videlicet equo, leoni, &c. Sed definitio supradicta non conuenit omni existentiæ contentæ sub existentia vt sic; ergo non competit existentiæ vt sic. Maior prima, & præcipua est euidens secundum illud principium, dici de omni, hoc est, quidquid conuenit realiter Superiori, conuenit omni contento sub illo; minor illa est euidens, quia existentia diuina, & increata continetur sub existentia vt sic; sed existentia diuina, & increata non est ratio extrahendi Deum à potentia causarum; quia quod nullas habet causas, sed est omnino independens, nullam potest habere rationem, per quam extrahatur à potentia causarum: ergo non omni contento sub existentia vt sic conuenit esse rationem formalem extrahendi à potentia causarum.

Declaratur amplius, quia quod non continetur intra causas, nullo modo potest extra illas poni beneficio existentiæ: sed Deus nullomodo continetur intra causas: ergo nullomodo potest extrahi à potentia illarum: ergo existentia Dei non constituit Deum extra causas, ac proinde existentia ipsius non conuenit extrahere Deum extra causas; vnde non conuenit talis definitio omni contento sub existentia vt sic. Minor sic probatur; quia id, quod potest contineri intra causas, est id quod habet causas sui esse, intra quarum virtutem possit contineri; sed Deus, vt iam dixi, nullas habet causas: ergo nullo modo potest contineri in virtute causarum. Deinde quia id, quod est extra causas, est extra illas per productionem existentiæ à tali causa, extra cuius potentiam & virtutem ponitur; sed Deus nullomodo producitur à causa aliqua: ergo Deus nullo modo est extra causas: vnde definitio extrahendi extra illas non conuenit existentiæ diuinæ contentæ sub existentia vt sic. 4

Secundo probatur; quia illa non est definitio recta Superioris, quæ adæquate convertitur cum vno inferiori illius, aut cum vno ex membris diuidentibus ipsum; sed illa definitio ab Aduersariis adducta convertitur adæquate cum existentia creata, quæ est vnum ex membris diuidentibus existentiam vt sic: ergo non est recta definitio existentiæ vt sic, pro vt est superior ad existentiam creatam & increatam. Maior patet ex Summulis: minor sic probatur. Nam hæc est vera conuersio; existentia creata facit rem esse extra causas, & id quod facit rem esse extra causas est existentia creata, quia diuina, vt patet ex supradictis, nullomodo potest extrahere Deum à potentialitate, & virtute causarum. 5

Secunda conclusio: existentia vt sic est ratio formalis per quam res constituitur in esse entis simpliciter; vel aliter est ratio formalis, per quam essentia constituitur in esse actuali simpliciter. 6

Hæc prima definitio explicatur, & probatur simul, quia res possibilis sine existentia non est ens simpliciter (, vt latissime probatum manet *dispur. præcedenti*, & ex dicendis *infra* amplius patebit:) 7

atqui dum existit constituitur in esse entis simpliciter : ergo existentia constituit rem in esse entis simpliciter ; in Deo autem, quia existentia, essentia, & possibilitas sunt idem omnino simplicissime ex vi talis identificationis, & simplicitatis, quæ reperitur inter essentiam, & existentiam Dei, Deus constituitur ens simpliciter ; ita vt existentia ipsa sit ratio formaliter constituendi Deum in tali esse, sicut sapientia diuina identificata cum essentia Dei simplicissime constituit Deum essentialiter sapientem : ergo existentia quidditatiue & simplicissime identificata cum essentia Dei constituet Deum essentialiter ens simpliciter, quia existentia Dei est prædicatum essentiale ipsius ; quod aliter evenit respectu creaturæ, cuius existentia non est prædicatum essentiale in ipsa, sed potius metaphysice dicitur prædicatum accidentale, & contingens; creatura enim potest existere & non existere, in qua saltem possibilitas (ratione cuius verificantur prædicata æternæ veritatis ab æterno, vt v. g. quando dicimus, homo essentialiter est animal rationale) separatur à parte rei ab existentia, quod econtra contingit in Deo, in quo nullo modo possunt separari possibilitas & existentia; nam in Deo idem sunt posse, & actu esse.

8 Secunda definitio explicatur ; quia ratio illa constituens rem in esse entis actualis præcise sumpta satis est ad veritatem huius loquutionis de secundo adiacente, essentia est : ergo illa ratio est vera existentia : consequentia est clara ; nam iuxta communem significationem & conceptionem hominum verbum, est, de secundo adiacente non absoluitur à tempore, sed significat actu esse in rerum natura, quod omnes intelligimus nomine existentiæ : seu per esse existentiæ.

9 Dices, de actuali essentia semper vere dici, est, non tamen formaliter ob actualitatem essentiæ, neque ob illud esse, quo in tali actualitate formaliter constituitur, sed quia nunquam res habet hoc esse absque existentia, tametsi distincta sit à tali esse, seu actualitate essentiæ.

10 Contra hanc autem responsionem probatur antecedens rationis factæ ; nam per hoc esse essentiæ actualis formaliter ac præcise sumptum talis essentia est ens in actu, & distinguitur ab ente in potentia : ergo ex vi illius esse talis essentia est ; recte enim infertur est ens actu : ergo est, quia esse ens actu non diminuit rationem entis, quam includit verbum *est* : vnde etiamsi demus hoc esse essentiæ actualis pendere ab vlteriori termino, seu actu tanquam à conditione necessaria vel ab aliquo huiusmodi, nihilominus tamen illud ipsum esse formaliter constituet ens actu, & distinguet illud ab ente in potentia. Ergo ex vi illius vere, & absolute dicitur res esse, sicut accidens ex vi sui esse dicitur ens actu, & absolute esse, quamuis illud esse requirat inhærentiam in subiecto, itaut sine illa naturaliter esse non possit.

11 Confirmatur : quia statim ac res est actualis, & actualiter existit, dicitur extrahi à possibilitate, sed quidquid extrahitur à possibilitate, est ens absolute: ergo ex vi existentiæ & actualitatis essentiæ res simpliciter est.

## Svbsectio. III.

*Conclusio ponitur.*

12 Existentia vt sic nec est accidens, nec substantia, nec modus, nec res, sed abstrahit ab his omnibus ; nam vt postea dicemus, existentia non distinguitur ab essentia, vnde vnaquæque existentia erit idem quod sua essentia ; sed essentia vt sic abstrahit ab accidentibus, & substantiis, à modis, & rebus: ergo existentia vt sic, quæ identificatur cum essentia vt sic, similiter abstrahit ab illis omnibus ; esse enim quod est existentia æque patet, ac ipsum ens, cum ens ab esse distinctum non sit ; vnde sicut ens non pertinet ad certum genus, sed transcendit omnia prædicamenta, ita & esse ; quare si essentia particularis fuerit modus, etiam existentia illius modus erit, & si essentia fuerit accidens, similiter erit accidens existentia ; si vero essentia fuerit substantia, substantia etiam erit existentia, seu actualitas eius, & minime erit accidens, quia per se incredibile est, existentiam substantiæ esse proprium accidens ; primo quia alias existentia non esset esse simpliciter, sed secundum quid; vnde & generatio, seu productio substantiæ non esset generatio, seu productio simpliciter, sed potius secundum quid, quia terminaretur ab quoddam accidens : generatio enim terminatur ad esse, id est, ad actualitatem existentiæ vt dicitur. 5. *physic. cap.* 1. & hoc aperte probat Augustinus. *to.* 5 *lib* 12. *de ciuit. Dei, cap.* 10. his verbis : Sicut ab eo, quod est sapare vocatur Sapientia, sic ab eo, quod est esse vocatur essentia ; itaque ex Augustino ab esse dicitur essentia ; sed essentia substantiæ non potest esse illius accidens. Ergo esse non est formaliter accidens ; sed esse est existere : ergo existere non est formaliter accidens ; sumit ergo sanctus Augustinus existentiam, & essentiam synonyme ; esse enim apud omnes est existere, vt ex Cicerone, & cæteris Doctoribus linguæ latinæ patet.

13 Sanctus etiam Thomas præcipue docuit, actualitate, seu existentia constitui rem in suo esse, & hoc esse illi esse substantiale, si res, cuius existentia est, substantia fuerit ; vnde. 1. *p. q.* 4. *art.* 1. *ad* 3. asserit, ipsum esse, seu existentiam esse perfectissimum omnium. Comparatur enim, inquit, ad omnia, vt actus, nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est ; vnde ipsum esse est actualitas omnium rerum ; hæc autem non possunt quadrare in accidens. Item 1. *p. q.* 4. *art.* 4. *ad* 3. *in corpore.* ait, esse, seu existentiam esse actualitatem omnis formæ ; non enim ait, bonitas, vel humanitas significatur in actu, nisi pro vt significamus eam esse ; ergo ex sancto Thoma ratio formalis actualitatis est ratio essendi simpliciter, sed per accidens non est res simpliciter actualis formaliter & extra nihil, præcipue si sit substantia creata ; quis enim vnquam dixit, hominem esse ens simpliciter, quia est albus, aut quia mouetur ; hæc enim prædicata quia sunt accidentalia, sunt prædicata secundum quid, sed prædicata secundum quid non dant esse simpliciter : ergo existentia quæ dat esse simpliciter homini non est accidens illius, sed potius essentia, & substantia eiusdem.

14 Præterea ; quia si existentia est accidens, aut est accidens commune, aut proprium ; non primum quia accidens commune potest abesse à subiecto sine ipsius corruptione ; sed existentiæ non potest abesse à substantia, sine substantia corruptione : ergo existentia substantiæ non est accidens commune ; neque etiam potest esse accidens proprium, quia proprium consequitur & resultat ex re iam existente, & ideo non per se primo fit per generationem, vel creationem. Deinde quia actus esse debet proportionatus potentiæ, essentia autem substantialis, præsertim iuxta hanc sententiam, est in potentia substantiali, vt per existentiam actuetur, non potest ergo existentia substantis esse accidens, sed actus substantialis eius.

Denique

Denique quia aliàs omnis res existens esset vnum per accidens, & non per se; quod est valde absurdum, & hæ rationes probant; etiam existentiam vniuscuiusque accidentis non posse esse rem alterius prædicamenti, sed existentiam; v. g. quantitatis participare eandem rationem quantitatis, cum habeat per se extensionem proportionatam quantitati, & per se pertineat ad complendum effectum formalem quantitatis, & idem est, seruata proportione, in qualitate; cuius effectus formalis est quale &c.

Et ideo qui melius sentiunt, etiam suppositâ distinctione essentiæ ab existentia, dicunt existentiam esse quendam actum, seu terminum essentiæ eiusdem rationis cum illa. Ita sumitur ex D. Thoma. *q. 5. de potentia, art. 4. ad 5.* Vnde absolute dicendum est existentiam substantiæ esse substantiam, & accidentis accidens, & modi modum, & rei rem &c. Existentiam autem essentiæ vt sic nec esse accidens, nec substantiam, sed abstrahere ab omnibus his; vt in conclusione asseritur.

## SECTIO VLTIMA.

*Argumenta aduersaria solvuntur.*

AD primum distinguo antecedens, ex vi possibilitatis creatæ, concedo; ex vi possibilitatis diuinæ, & vt sic, nego; vt patet ex dictis in probatione primæ conclusionis, vnde econtra solum existentia creata est ratio constituens rem extra causas, quare definitio existentiæ vt sic non est recta, si ponatur illa particula in ipsa.

Ad secundum, patet ex iam dictis.

# QVÆSTIO II.

*Vtrum essentia actualis distinguatur ab existentia à parte rei?*

## SECTIO I.

*Sententia aduersaria proponitur.*

1 PRima sententia asserit existentiam creatam distingui ab essentia actuali ex natura rei, & ante omnem operationem intellectus, hanc sententiam defendit Henrichus, P. Albertinus, *tom. 2. corollariorum, in prædicamento subst. disp. 2. q. 1.* P. Fonseca *1. tom. met. lib. 4. cap. 2. q. 4. §. 5.* P. Molina *1. p. 6. art. 3. & q. 3. art. 4. disp. 2.*

2 Probatur primo authoritate Sancti Hylarij, & Seuerini Boëtij, quorum primus *6. de Trinit.* affirmat in Deo non esse accidens, sed subsistentem veritatem; in creaturis vero esse accidens: sed accidens distinguitur à parte rei ab eo, cuius est accidens: ergo existentia à parte rei distinguitur ab essentia creata: Sanctus vero Boëtius. *lib. de hebdomadis, cap. 5.* ait, in his quæ sunt, aliud est id quod est, aliud vero ipsum esse; quibus verbis inter essentiam, & existentiam realem constituit distinctionem.

Secundo probatur hæc sententia authoritate D. Thomæ. *1. p. q. 6. art. 3. ad 2.* vbi sic ait: Dicendum, quod licet vnum quodque sit bonum, in quantum habet esse, tamen essentia rei creatæ non est ipsum esse: *& ad 3.* Bonitas rei creatæ non est ipsi eius essentia, sed aliquid superadditum, vel ipsum esse eius, vel aliqua perfectio superaddita: Quibus verbis insinuat Angelicus Doctor, essentiam creaturæ ab eius esse, seu ab eius existentia ex natura rei distingui; quia quidquid superadditur alteri, distinguitur ab ipso; sed Angelicus Doctor asserit, existentiam creatam superaddi essentiæ: ergo existentia creata ex D. Thoma distinguitur ab essentia. Deinde *tract. de ente, & essentia, cap. 1. & cap. 5.* loquendo de substantiis immaterialibus, hæc ait: Huius ergo substantiæ quantumvis sint formæ sine materia, non tamen in eis est omnimoda simplicitas, nec sunt actus puri, sed habent permixtionem potentiæ, & hoc sic patet: quidquid non est de intellectu essentiæ, vel quidditatis, hoc est adveniens extra & faciens compositionem cum essentia, quia nulla essentia sine his, quæ sunt partes essentiæ, intelligi potest sine hoc quod aliquid intelligatur deesse seu facto, possum enim intelligere quod est homo, vel phœnix, & tamen ignorare, an esse habeant in rerum natura: ergo patet quod aliud est esse ab essentia, vel quidditate: sic D. Thomas, vbi probat existentiam in re distinqui ab essentia.

Tertio probatur authoritate sacræ Scripturæ; nam 3
*Exodi. 3 cap. vers. 14.* secundum versionem vulgatam habetur: Ego sum qui sum; sic dices filiis Israel, qui est, misit me ad vos. Et iuxta Caldaicam, & Sanctæ Spagnini translationem; Ero qui ero; sic dices Filiis Israël qui erit, misit me ad vos.

Ex quo loco sic argumentor; ut Deus tam Moysi quam filiis Israël attestaretur se esse, qui Moysem 4
mitteret, nullum aliud efficacius signum tradidit, quam identitatem essentiæ cum sua existentia, vt ostendunt verba adducta ex sacra pagina: ergo in creatis essentia cum existentia non identificatur realiter: patet consequentia; quia si etiam in creatis daretur identitas inter essentiam, & existentiam, nullum esset signum à Deo exhibitum vt ipsum cognoscerent Filii Israel, neque vlla causa existeret, cur Deus sibi existentiam inter omnia entia appropriaret, distinguitur ergo in creatis essentia secundum rem ab existentia.

Quarto, ratione sic probatur; quæ ita se habent in- 5
ter se, vt vnum ab altero secundum rem possit separari secundum rem, etiam distinguuntur; sed in creatis essentia, & existentia ita se habent: ergo distinguuntur. Probatur minor, illa separantur realiter, quorum vno corrupto, non corrumpitur alterum; sed corrupta existentia, non corrumpitur essentia: ergo separantur realiter. Probatur minor; essentiæ rerum sunt necessariæ ab æterno; sed illud, quod est necessarium corrumpi non potest: ergo essentiæ rerum non possunt corrumpi. Ex alia parte existentia, quia contingens est, potest destrui: ergo corrupta existentia non corrumpitur essentia.

Cofirmatur primo; impossibile est rem aliquam 6
intelligi sub opposito illius, cum quo est idem realiter, sicut homo intelligi non potest sub opposito rationalis; sed essentia entis creati intelligitur sub non esse quod est oppositum esse existentiæ: ergo essentia creata non est idem realiter cum existentia.

Confirmatur secundo, idem semper conuenit sibi 7
ipsi; sed de essentia interdum verum est dicere, quod existat, & interdum quod non existat: ergo essentia non est à parte rei sua existentia. Probatur maior, quia omnis propositio essentialis est propositio æternæ veritatis, & absolutè vera, sive extrema existant, sive non; sed si essentia creata esset realiter idem cum sua existentia, propositio affirmans identitatem illam, esset essentialis, & minimum identica: ergo esset æternæ veritatis: ergo non posset esse interdum vera & interdum falsa. Minor probatur: quia olim de Adamo seu de eius essentia verum fuit dicere, illam existere, & modo falsum: ergo.

Si respondeas cum Gabriele, & Durando, semper 8

esse verum dicere, de essentia actuali, quod existat, & semper verum de essentia in potentia, quod non existat, Adamique essentiam olim fuisse actualem & modo in potentia.

9 Sed contra: quia vel per essentiam in potentia intelligis id, quod est in potentia passiva ad esse essentiæ materiam, scilicet primam, quæ est in potentia, vt aduentu formæ recipiat esse essentiale rosæ, v. g. vel intelligis integram essentiam, de qua tota dum est in virtute suarum causarum, verum est dicere, quod sit potens ad existendum, sed non existat? si primum, insolutum relinquis argumentum, quia materia non est essentia rosæ, sed pars solum eius; si secundum, è contra est quia eadem numero essentia est illa, quæ virtute continetur in suis causis, & illa, quæ postea existit extra ipsas; sed existentia nequit affirmari de illa, quando virtute continetur in suis causis: ergo non est idem realiter cum sua essentia.

10 Quinto sic argumentor; existentia non est de conceptu essentiali, & quidditativo essentiæ creatæ, alias essentia creata concipi non posset absque existentia, nec existentia contingenter conueniret creaturis & beneficio voluntatis liberæ Dei; sed necessario sicut earum essentia: ergo distinguuntur aliquomodo à parte rei; sed non ut non ens bente, nec solum ratione: ergo distinguuntur ut ens à modo, vel ut una formalitas ab alia: prima minor sic probatur; quia ea, quæ veram, realem & actualem entis rationem participant, invicem distingui nequeunt, ut ens à non ente, quia hoc solum pacto distinguuntur ens, & eius contradictorium; sed essentia actualis, de qua solummodo controvertimus, & existentia veram, & realem actualem rationem entis participant: ergo distinguuntur tanquam non ens ab ente; secunda pars minoris sic probatur: distinctio rationis vel est distinctio excludentis ab excluso, vel includentis ab incluso: sed neutro modo distinguuntur essentia, & existentia: ergo; non primum, quia essentia actualis includit existentiam, cum actuali ab actualitate dicatur: nec secundum; quia vel essentia includeret existentiam vel existentia essentiam; sed nec primum, nec secundum: ergo; non primum, quia potentia non includit actum in sua constitutione, per quem determinatur; sed existentia est actus determinans essentiam: ergo, nec secundum; quia potentia debet esse extra rationem actus.

11 Vltimo sic probatur: essentia Petri est eadem permanens heri, & hodie, atqui existentia non est permanens sed successiua: ergo existentia Petri non est idem ex natura rei, cum essentia Petri, quia repugnat eandem realitatem simul esse successivam & permanentem; Maior est certa; minor sic probatur. Petrum existere hodie, non est extitisse heri, quia existens Petrus heri, potest non existere hodie, poterat enim nocte præcedenti destrui; ergo existentia hodierna Petri non est existentia externa, quia si esset eadem existentia hodierna, & externa, redderet Petrum simul existentem hodie, & heri, imo & per totam æternitatem necessario.

### Svbsectio II.

*Sententia ponitur.*

12 Secunda sententia asserit existentiam distingui ab essentia actuali tanquam vnam rem ab alia re, ac proinde in toto rigore realiter: hanc sententiam defendit Caietanus *tract. de ente & essentia. q. 11. cap. 5.* similiter eam docet Ferra. Capreol. & cæteri Thomistæ, & probatur sic primo à Caietano: Omne esse irreceptum est infinitum simpliciter; sed nullum esse creaturæ est infinitum simpliciter: ergo nullum esse creaturæ est esse irreceptum: ergo omne esse creaturæ distinguitur ab essentia creaturæ secundum rem, quia omne quod recipitur, distingui debet ab eo à quo recipitur realiter. Minorem ait Caietanus esse per se notam. Maiorem ita probat; omne purum esse est esse infinitum simpliciter, quia ideo esse limitatur, quia non est purum; sed prædicamentis permixtum, à quibus si depuretur, erit infinitum simpliciter; sed omne esse irreceptum necessario esse debet purum, seu depuratum à permixtione aliorum prædicamentorum; erit ergo infinitum simpliciter.

Confirmatur: si albedo ponatur irrecepta seu irre- 13
ceptibilis in subiecto, erit infinita in genere albedinis: ergo & esse irreceptum in essentia erit infinitum in ratione essendi.

Confirmatur secundo, omnis limitatio opposita 14
infinito simpliciter, vel prouenit à differentia contrahente, vel à subiecto recipiente; sed existentia, seu esse creatum limitari nequit per differentiam contrahentem, cum sit vltima actualitas, limitabitur ergo à subiecto recipiente, essentia scilicet, à qua necessario secundum rem distinguetur.

Secundo principaliter sic probatur: quia omnis 15
potentia distinguitur realiter ab actu, cuius est potentia, sed essentia est potentia ad existendum, seu essendum, quæ sunt actus illius: ergo essentia distinguitur realiter ab existentia. Maior patet: quia nihil est in potentia, neque est potentia ad se ipsum recipiendum: ergo illud quod est potentia receptiua alterius, distinguitur realiter ab illo.

Tertio sic argumentor; Id quod conuenit naturæ specificæ absque omni causa effectiua, distinguitur realiter ab eo, quod conuenit illi per causam effectiuam; sed prædicata quidditatiua, seu essentia conuenit naturis specificis creatis absque omni causa effectiua, vt ostendit hæc propositio: Rosa est substantia corporea, quæ secluſa omni causalitate effectiua est uera (est enim propositio æternæ veritatis) existentia, seu esse conuenit illis, media aliqua causa effectiua, vt de se patet: ergo esse, & existentia distinguitur ab essentia creata.

Vltimo sic probatur: de ratione entis creati est compositio aliqua realis, alias ens creatum pertingere posset simplicitatem diuinam; sed nulla alia compositio conuenit illi, nisi compositio ex esse, & essentia: ergo omnis Creatura est composita ex essentia, & existentia, seu esse; atqui omnis compositio realis est distinctorum vnio: ergo existentia seu esse, & essentia in creatura distinguuntur realiter.

## SECTIO II.

*Nostra Sententia ponitur, & probatur.*

### Svbsectio I.

*Authoritate ostenditur Conclusio.*

Prima conclusio: esse actuale, seu existentia nullomodo distinguitur à parte rei ab essentia actuali creaturæ. Hæc sententia communiter defenditur à Doctoribus Societatis Iesus.

Probatur primo ex Aristotele qui *lib. 7. cap. 6. à principio vsque ad finem capitis*, non solum docet, sed etiam probat euidenter existentiam, seu esse non distingui à quidditate, seu essentia. Verba Aristotelis *in principio Capitis* hæc sunt: [Vtrum autem quidditas, & vnum quodque idem sint, an diuersa, expendendum

pendendum est; erit enim operæ pretium ad considerationem de substantia: nam & vnumquodque nihil aliud esse videtur, quam ipsiusmet substantia; quidditas autem substantia cuiusque esse dicitur.] & paulo infra [In his autem, quæ per se dicuntur; semper necesse est eadem esse, vt si quæ sint substantiæ, quibus aliæ substantiæ non sint, neque naturæ aliæ priores, quales nonnulli dicunt rationes esse; nam si aliud fuerit ipsum bonum, & boni esse; animalque, & animalis esse, atque etiam ens & entis esse: erunt illæ profecto aliæ substantiæ, & naturæ præter eas, quæ ponuntur, prioresque substantiæ si quidditas substantiæ est. Quod si abiunctæ sunt à se inuicem, aliarum quidem non erit scientia, aliæ vero non erunt entia. Abiunctas autem esse dico, si neque ipsi bono insit boni esse, neque huic esse bonū, scientia enim cuiusque cognitio quidditatis illius est, idque in bono, & cæteris eodem modo se habet. Quare si nec boni esse bonum est, nec esse entis erit ens, nec vnius esse vnum: similiter autem aut omnia suæ quidditates sunt, aut nihil. Itaque si neque entis esse ens est, neque aliorum vllum. Præterea cui non inest boni esse, id bonum non est. Necesse est igitur vnum esse ipsum bonum & boni esse, ipsumque honestum, & honesti esse, & omnino quæcumque non per aliud, sed per se dicuntur; hoc enim satis est, si detur etiam si formæ nullæ sint; magis autem fortasse, si formæ sint.

Simul etiam perspicuum est si tales sint ideæ, quales quidam esse inquiunt, non fore subiectum substantiam; has enim necesse est quidem substantias esse, de subiecto autem non dici; alioquin erunt participatæ.

Ex his rationibus patet, rem ipsam & eius quidditatem, seu esse vnum atque idem, non per accidens esse; & scire vnum quodque nihil esse aliud, quam eius quidditatem nosse. Itaque per expositionem necessario efficitur vt ambo vnum quiddam sint. Absurdum porro videtur, si quis vnicuique quidditati nomen imponat, erit enim præter illam alia quidditas equi. At vero quid prohibet etiam nunc quædam esse, quæ continuo sint suæ ipsorum quidditates, si quidditas substantia est? quinimo non solum vnum sunt, sed ratio eorum est eadem, vt ex dictis patet: neque enim per accidens vnum ipsum, ac vnius esse, vnum sunt. Præterea si aliud erit, in infinitum fiet progressio: hoc enim erit quidditas vnius, illud vero vnum ipsum: quare & in illis eadem erit ratio.

In iis igitur, quæ prima, & per se dicuntur; quidditatem, & rem ipsam vnum, atque idem esse, ex iis, quæ dicta sunt, perspicuum est: sophistarum vero redargutiones, quæ contra hanc sententiam afferri solent, qualis est illa, sint ne idem Socrates, & Socratis esse, non obscurum est eadem solutione dissolui. Nihil enim interest, ex quibus rem confirmes, & ex quibus ea, quæ contra obiiciuntur, diluas. Quo igitur pacto quidditas, & res, quæ idem sint, & quo pacto non idem, hactenus dictum esto.]

Ecce verba clarissima Aristotelis, vbi manifeste duabus demonstrationibus probat nostram veritatem, & refutat Aduersariorum sententiam. Prima continetur in parapho *in iis*, vsque ad illa verba, *neque huic esse bonum*, quæ sic efformatur. Quia si esse, seu existentia distingueretur ab essentia, & quidditate, quidditas & esse non vnum, sed duo entia essent, quia ea, quæ distinguuntur, non vnum, sed duo sunt, atqui hoc est summum absurdum (inquit Aristoteles) quia iam quidditas non esset quidditas; patet hoc: quia quidditas est primo, quod dat esse cuius quidditas est; ac proinde est id, quod magis intime, & necessario conuenit illi, sed si distingueretur ab esse seu rei cuius est quidditas, primum non daret esse, quia vnaquæque rei per seipsam habet esse, & non per aliud, quia ipsa est suum esse; vnde antequam adueniat id, quod distinguitur ab ipsa, iam per se habet esse: ergo res non habet esse per quidditatem, si distinguitur ab ipsa re, sed per id, quod non distinguitur ab ipsa: ergo quidditas erit quidditas, & non quidditas, & essentia erit, & non erit essentia; quod est summum absurdum; quia impossibile est idem simul esse, & non esse.

Confirmat Aristoteles eodem parrapho: quia sine quidditate non est res, sed si quidditas distingueretur à re, & ab esse, iam res sine quidditate haberet esse: ergo quidditas non distinguitur à re. Minor sic probatur. Quia id, quod distinguitur ab aliquo, habet esse distinctum ab illo; sed esse distinctum non habet esse ab illo, à quo distinguitur; ergo. Vrget amplius, quia inter rem, & essentiam, seu quidditatem non potest dari prioritas & posterioritas: quia prioritas, & posterioritas sunt oppositiones reales; sed inter essentiam & rem ipsam non potest dari oppositio, quia essentia constituit rem; vnum autem oppositum destruit aliud: ergo essentia sicut non destruit, sed potius dat esse, ita non potest esse oppositā rei, cuius est; quia iam esset, & non esset oppositā. Tandem quia de rebus datur scientia, sed si quidditas non esset res, vel esse illius, sed quid distinctum ab ipsa de rebus non daretur scientia: ergo quidditas non distinguitur à rebus. Minor patet: quia scientia agit de quidditate rerum, quia medium præcipuum, ad agendum de rebus est definitio earumdem, quæ quidditas rei est, quo medio demonstrat quidditatem esse omnino idem cum rebus; quia quidditas est id, quod primo constituit ipsam rem, & sine qua neque esse, neque intelligi potest res; atqui si distingueretur essentia, seu quidditas à re, esse posset, & intelligi sine re, & res sine quidditate: ergo si distinguitur, falsa erit cognitio illa; ac per consequens non erit scientia. Vnde concludit in illo parrapho Aristoteles illis verbis: [quod si abiunctæ sunt à se inuicem, aliarum quidem non erit scientia; aliæ vero non erunt entia; abiunctas autem esse dico si neque ipsi bono insit boni esse; neque huic esse bonum; scientia enim cuiusque cognitio quidditatis illius est, idque in bono, & cæteris eodem modo se habet.]

Secunda demonstratio ponitur ab Aristotele parrapho, Quare si nec boni, vsque ad illa verba: Si formæ sunt, quæ sic efformatur; quia si esse distinguitur ab essentia, & res à quidditate, sequetur euidenter rem esse nihil, & non rem; sed hoc est impossibile: ergo res, seu esse non distinguitur ab essentia. Sequela Maioris sic patet: quia vnumquodque per id distinguitur à nihilo, & non est nihilum, per quod habet maxime necessarium esse, & magis intimum esse, per se & non per aliud; sed quidditas est primū & magis intimum esse rei: ergo vt res non sit nihil, debet habere quidditatem per se ipsam, & non per aliud distinctum à seipsa; sed si quidditas, & essentia distinguitur à re, res non habebit quidditatem, & essentiam per seipsam, sed potius per aliud, v. g Ideo natura non est subsistens per se, sed per aliud, quia subsistentia per quam subsistit, non est ipsa natura; & ideo anima rationalis non intelligit per se, sed per aliud, quia intellectio per quam intelligit, non est ipsa entitas animæ; sed res habet primum esse, & intimum esse per quidditatem, & essentiam distinctam ab ipsa re: ergo non habet illud esse per se ipsam, sed per aliud; ac proinde non erit primum esse.

Vrget Aristoteles efficaciter, quia res immediate essentialiter opponitur nihilo, quia nihil est contradictorium rei, ac proinde immediate oppositum illi: eo quod contradictoria immediate opponantur; sed si quidditas distingueretur à re ipsa, res non opponeretur immediate nihilo quidditatiuo, & essentialiter, sed mediate hoc est mediante quidditate quia quidditas, & essetia per vos, quatenus distincta à re, est medium inter rem, & nihilum: ergo ne hæc absurda sequantur, dicendum est, quidditatem non distingui ab ipsa re, seu ab esse; & existentia. Vnde hæc verba profert Aristoteles [quare si nec boni esse bonum est, neque esse entis erit ens, nec vnius esse unum, similiter autem aut omnia suæ quidditates sunt, aut nihil. Itaque si neque entis esse ens est, neque aliorum vllum; & omnino quæcumque non per aliud, sed prima, & per se dicuntur.] Et paulo infra concludit: ex his rationibus patet rem ipsam, & eius quidditatem vnum, atque idem non per accidens esse. Itaque per expositionem necessario efficitur, vt ambo vnum quidem sint. [Quibus prolatis concludit Aristoteles magis conueniens esse quidditatem, & esse non distingui, neque vllum posse contra hoc inconueniens reperiri, quod his verbis docet [At vero quid prohibet etiam nunc quædam esse, quæ continuo sint suæ ipsorum quidditates, si quidditas substantia est, quinimo non solum vnum sunt, sed ratio eorum est eadem, vt ex dictis patet.]

Tandem concludit Aristoteles confirmando supradicta euidenti demonstratione de processu in infinitum, de quo in discursu huius quæstionis latissime à nobis agitur; videatur ibi. Vnde hic breuiter sic ponitur: quia si quidditas, & essentia distingueretur ab esse, & existentia rei, sine dubio daretur processus in infinitum inter essentias, & existentias; sed hic nullo modo conceditur; ergo non distinguitur essentia ab existentia, seu esse: sequela maioris sic probatur: quia ipsa existentia distinguitur ab essentia rei, essentialiter distinguitur ab alia existentia, & habet sua prædicata æternæ veritatis: ergo habet suam essentiã, sed per vos omnis essentia distinguitur ab existentia: ergo hæc essentia existentiæ distinguitur ab ipsa existentia. Tunc sic: illa existentia, quæ distinguitur ab hac secunda essentia etiam habet prædicata æternæ veritatis, & distinguitur essentialiter ab alio ante: ergo habet suam essentiam; Iterum illa tertia essentia debet distingui propter eandem rationem ab existentia, & sic procederetur in infinitum. Quem processum his verbis indicat Aristoteles: At vero quid prohibet, etiam nunc quædam esse, quæ continuo sint suæ ipsorum quidditates, si quidditas substantia est? quin imo non solum vnum sunt, sed ratio eorum est eadem, vt ex dictis patet: neque enim per accidens vnum ipsum, ac vnius esse vnum sunt. Præterea. Si aliud erit, in infinitum fiet progressio; hoc enim erit quidditas vnius, illud vero vnum ipsum; quare & in illis eadem erit ratio.]

Concludit Aristoteles omnes has rationes esse adeo euidentes, vt argumenta in oppositum ab aduersariis proposita, & proponenda, sint omnino sophismata, nugæ, & crepundia puerorum; quod his verbis docet Philosophus. In iis igitur, quæ prima, & per se dicuntur, quidditatem, & rem ipsam vnum, atque idem esse ex iis, quæ dicta sunt perspicuum est. Sophistarum vero redargutiones, quæ contrà hanc sententiam afferri solent, qualis est illa, sint ne idem Socrates, & Socratis esse, non obscurum est eadem solutione dissolui. Nihil enim interest, ex quibus rem confirmes, & ex quibus ea, quæ contra obiiciuntur, diluas Quo igitur pacto, quidditas, & res quæque idem sint, & quo pacto non idem, hactenus dictum esto.].

Secundò, ex Aristotele, qui 4. *Meth.tex.* 3. & 5. *Meth.tex.* 14. & 10. *Meth.tex.* 8. ait: ens adiunctum homini, nihil aliud significare, quam homo significat, vt vero intelligeremus loqui ipsum de ente existente, sic ait paulopost: [Ens vtique homo actu in essentia idem esse vtique ratum manet.] Vbi apertè ait, hominis actualitatem, & esse identificari cum essentia; sed existentia est actualitas, seu esse hominis: ergo essentia, & existentia in homine non distinguuntur à parte rei ex Philosopho.

Clarius vero loquitur Aristoteles 6. *lib. Meth.*, vbi sic ait: [o vsia hoc quidem ens si enim non hoc, iam igitur plura vtique; o vsia, & esse erunt; quod manifestum, impossibile quidem venit.] Sic Philosophus, vbi clarissime asserit, o vsiam, idest, essentiam; nam vt ait Diuus Thomas de ente, & essentia *cap.* 2. o vsia apud Græcos, idem est quod essentia apud nos; & idem asserit Boëtius *libro de duabus naturis*, idem esse, quod existere, seu esse & impossibile est, inquit Philosophus, essentiam, & existentiam, seu ens non esse idem; vbi ens, esse, & existere tanquam sinonyma docet esse; & simul asserit omnino identificati cum essentia.

Loco autem illius nominis ens, seu esse, est in Græco Verbum ..... quod apud omnes Græcæ linguæ Doctores significat idem, quod ex isto; & paulo post ait Philosophus: [ens vtique operans o vsia est in toto actu esse.] Quibus verbis explicat quod fuerit ens illud, quod dixerat esse o vsiam, id est, essentiam; ens enim operans actu, esse ait tale ens, de quo loquutus fuerat nomine o vsiæ, sed ens operans necessario est ens existens: ergo in sententia Philosophi essentia, & existentia, seu esse sunt idem.

Tertio probatur verbis clarissimis Diui Thomæ de ente, & essentia *capit.* 2. §. *non etiam*, vbi sic ait: [non enim potest dici quod essentia significet relationem, quæ est inter materiam, & formam, vel aliquid superadditum illis, quia hoc de necessitate esset accidens extraneum à re; nec per eam res cognosceretur; quæ omnia essentiæ conueniunt; per formam autem, quæ est actus materiæ, materia efficitur ens actu, & hoc aliquid; vnde illud, quod superuenit, non dat esse actu simpliciter materiæ, sed esse actuale; relinquitur ergo quod nomen essentiæ in substantiis compositis significat illud, quod est ex materia, & forma actualibus compositum; & huic positioni consonat verbum Boëtii in commento Prædicatorum, vbi docet quod o vsia significat compositum actuale:] quibus verbis clarissime asserit D. Thomas, essentiam hominis esse compositum actuale ex materia, & forma actualibus; atqui compositum actuale ex actualibus partibus est existens. Ergo essentia, & existentia hominis per Diuum Thomam sunt idem.

Confirmat hoc ipsum paulo post Diuus Thomas his verbis: [Huic etiam ratio concordat, quia esse substantiæ compositæ non est tantum formæ, nec tantum materiis, sed ipsius compositi; essentia autem est secundum quam res dicitur esse, vnde oportet, vt essentia, qua res denominatur ens, non tantum sit forma, nec tantum materia, sed vtrumque; quamvis eiusmodi esse, siue essentiæ sola forma sit causa.]

Quibus verbis Diuus Thomas, conuertit esse, & essentiam; sed esse est existentia; ergo existentia, ac essentia sunt idem conuertibiliter. Minor patet: nam esse est, quod deseruit propositionibus significantibus existentiam, & sic non valet: Adam est animal rationale: ergo Adam habet esse; Adam

est,

est, quia verbum *est*, absolute; & *esse* significant existentiam. Præterea, quia ait: essentiam esse ens, cuius causa est sola forma; atqui essentia ratione sui non habet causam, vt vos dicitis; ergo ratione existentiæ habet illam: ergo identificatur cum illa; quia si non identificaretur cum ipsa, non diceretur ratione alterius à se distincti habere causam, etiam si vniretur cum illo; aliàs verbum Diuinum ratione humanitatis, cui vnitur, diceretur habere causam.

22 Dices Aristotelem, & Diuum Thomam solum loquutos esse de rebus compositis, non autem de simplicibus.

23 Sed contra; quia Aristoteles clarius de intelligentiis, quam de rebus compositis loquitur, asserendo intelligentias non distingui à propriis existentiis; sed potius essentiam, & existentiam esse idem in illis. 8. *enim Metaphysicæ, textu* 16. sic ait: [Quæcumque nec sensibilem, nec intelligibilem materiam habent, seipsis sunt ens, & non per aliquid sibi additum; sed ens, & existentia idem sunt; & intelligentiæ nec sensibilem, nec intelligibilem materiam habent, sed sunt simplicissimæ entitates: ergo in intelligentiis idem, & essentia ipsarum. Vnde intelligentiæ non sunt, neque existunt per existentiam additam essentiæ suæ & ab ea re distinctam, atque diversam.

24 Præterea in abstractis à materia, idem est quidditas, & habens quidditatem, vt Aristoteles ait: 3. *de anima textu.* 9. Sed habens quidditatem est existens: ergo in rebus abstractis, & simplicibus existentia est idem quod essentia.

25 Amplius, si in intelligentiis esset compositio ex essentia, & existentia, vt volunt Thomistæ, esset in ipsis potentia; nam essentia habet potentiam ad existendum; sed Aristoteles omnem remouet potentiam ab intelligentiis; nam *libro* 9. *Metaphysicæ, textu* 17. ait: omne æternum carere potentia, & solum ibi excipit cælum; quod habet potentiam ad vbi, ratione cuius est mutabile, & variabile & 12. *Metaphysicæ, textu* 3. scribit: In intelligentiis nullam esse potentiam in sua substantia; cuius rei hanc rationem reddit, vtroque in loco; cum omnis, inquit, potentia sit contradictionis, si intelligentiæ haberent potentiam, possent esse, & non esse; quare, & motus cœlestis, & intelligentiarum, atque adeo ipsius mundi æternitas tolleretur.

## Svbsectio II.

### *Rationibus probatur nostra conclusio.*

26 PRobatur primo ratione, quia prædicata quidditatiua realia non distinguuntur à parte rei ab existentia reali, quæ immediate correspondet talibus prædicatis quidditatiuis; sed prædicata quidditatiua realia sunt vera, propria, & realis essentia, & existentia illis immediate correspondens, est existentia propria talis essentiæ: ergo essentia propria vera & realis non distinguitur à parte rei ab existentia propria.

27 Prima pars minoris est clara: Tum quia prædicata quidditatiua realia sunt primum, & intimum constitutiuum rei, sine quo nec esse, neque intelligi potest res; sed hæc est definitio essentiæ propriæ, & veræ: ergo definitio essentiæ conuenit prædicatis quidditatiuis, &c. Ergo illa sunt vera propria, & realis essentia. Tum etiam, quia ideo ens, substantia, viuens, sensibile, rationale sunt essentia hominis, quia sunt prædicata quidditatiua illius. Ergo prædicata quidditatiua illius rei sunt vera, propria, & realis essentia.

Secunda Pars non est minus euidens; quia illa est existentia propria alicuius, quæ immediatè actuat, & actuale reddit id, cuius est existentia; quia existentia est actus essendi simpliciter; sed essentia immediatè actualis redditur, & in esse actualis constituitur per existentiam, quæ illi immediate correspondet: ergo existentia correspondens essentiæ, & prædicatis quidditatiuis, est propria existentia essentiæ, & prædicatorum quidditatiuorum. 28

Maior præcipui syllogismi est euidens. Quia hæc sunt prædicata quidditatiua, quæ immediate correspondent existentiæ; ens vt sic, existentia vt sic, substantialis, vel accidentalis, & differentia essentialis existentiæ; sed hæc prædicata quidditatiua communia, & differentia specialis, per quam existentia distinguitur à subsistentia, & aliis, sunt idem cum existentia, & non distinguuntur ab illa, quæ eis immediate correspondet, & à quibus constituitur essentialiter, & quidditatiue existentia: ergo prædicata quidditatiua realia sunt idem, & non distinguuntur à Parte rei ab existentia reali, quæ correspondet immediate talibus prædicatis quidditatiuis. Minor hæc sic probatur: quia gradus Metaphysici communes, & particulares differentia metaphysica alicuius metaphysicis constituti, sunt idem à parte rei cum ipso, & non distinguuntur à parte rei vllo modo à constituto metaphysico per tales gradus. v. g ens, substantia, corpus, animal rationale, non distinguuntur à parte rei ab homine, sed sunt idem à parte rei cum illo; sed illa prædicata quidditatiua sunt gradus metaphysici, per quos constituitur existentia essentialiter: ergo prædicata quidditatiua realia, quibus immediate correspondet existentia, sunt idem realiter cum illa, & nullomodo à parte distinguuntur ab ipsa. 29

Tunc sic: in homine datur vera, & propria existentia, quæ immediate correspondet essentiæ hominis, & per quam constituitur existentia hominis quidditatiue in esse talis existentiæ distinctæ ab existentia arboris, &c. Sed essentia vt sic quidditatiuè constituens existentiam, vt iam probatum manet, est idem cum existentia vt sic, & non distinguitur ab illa, quæ ei immediate correspondet, & quæ constituitur ab essentia vt sic: ergo essentia hominis est idem à parte rei omnino cum existentia hominis, & non distinguetur ab existentia hominis. Consequentia hæc est euidens: quia quidquid conuenit superiori primo intentionaliter, conuenit omni contento sub illo, v. g. quia homo est animal rationale, essentialiter; Petrus etiam est essentialiter animal rationale; & quia homo est risibilis, Petrus est risibilis. Quæ veritas innititur illi euidentissimo principio Dialectico: Dici de omni; sed essentiæ vt sic conuenit esse idem realiter cum existentia propria, quam constituit immediate: ergo omni essentiæ conuenit esse idem cum existentia propria, quæ illi correspondet essentialiter, & quæ constituitur ab ipsa; sed essentia hominis est vera, & propria essentia, & existentia hominis vere, & realiter est existentia propria essentiæ hominis, & non alterius: ergo essentia hominis est idem realiter cum existentia hominis. 30

Declaratur à simili: ideo essentia albedinis non distinguitur ab ipsa albedine, & essentia quantitatis ab ipsa quantitate, & essentia Angeli ab Angelo nullomodo differt à parte rei, quia essentia illorum quidditative constituit illa, ac proinde per identitatem, quia cum constitutio essentialis sit omnium maxima, debet necessario esse per maximam omnium vnionem constitutiui cum constituto; sed maxima omnium vnio est per identitatem: ergo es- 31

sentia

sentia constituit rem, cuius est essentia per identitatem maximam cum ipsa; sed essentia hominis constituit existentiam propriam hominis quidditatiue, sicut essentia vt sic existentiam vt sic; ergo essentia hominis non distinguitur ab existentia hominis.

32 Vrgetur amplius, ens in homine & animal rationale in homine non distinguuntur à parte rei, sed sunt omnino idem, vt late supra demonstratum manet contra Scotum; sed ens in homine & esse in homine sunt idem à parte rei sine vlla distinctione: ergo esse in homine & animal rationale in homine non distinguuntur à parte rei; atqui esse in homine & existere in homine sunt idem à parte rei: ergo de primo ad vltimum existere in homine, & animal rationale in homine non distinguuntur, sed sunt idem à parte rei; sed animal rationale est essentia hominis: ergo essentia & existentia hominis nullomodo distinguuntur à parte rei: Minor prima est certa, quia esse, & ens ita sunt idem, vt sint synonyma, & solum distinguantur tanquam participium *sum*, *est fui*, & infinitivum illius; atqui participium verbi, & infinitum verbi nullo modo distinguuntur; sicut amans, & amare in amante formaliter sunt idem: ergo ens in homine & esse in homine sunt idem omnino, & nullomodo distinguuntur; vnde idem est dicere; Petrus est actu, ac dicere, Petrus est ens actu, & idem est, Petrus habet entitatem, ac dicere, Petrus habet esse. Minor illa secundi syllogismi est certa, vt patet ex argumentis Aduersariorum, vbi absolute convertunt ipsi esse cum existentia: ergo in eorum sententia esse, & existere sunt omnino idem; & ratio est, quia esse præcise sumptum satis est ad veritatem huius loquutionis de secundo adiacente, essentia est: ergo esse, absolute est existere; consequentia est clara: nam iuxta communem significationem, & conceptionem hominum verbum, est, de secundo adiacente non absolvitur à tempore, sed significat actu esse in rerum natura, quod omnes intelligimus nomine existentiæ seu per esse existentiæ.

33 Dices, in homine dari duplicem essentiam, aliam quæ dicitur essentia hominis, alia quæ dicitur essentia existentiæ hominis, quare essentia existentiæ hominis non distinguitur ab existentia; quia quidditative constituit existentiam; essentia autem hominis distinguitur à parte rei ab existentia hominis, & in hoc sensu controvertitur in hac quæstione; itaque existentia hominis duplicem essentiam actuat, videlicet essentiam propriam, & essentiam hominis.

34 Sed contra manifeste, quia vni actui non correspondet duplex potentia, sed vna: atqui essentia est potentia, & existentia actus: ergo vni existentiæ non correspondet duplex essentia actualis per illam, sed vnica essentia constitutiva propriæ existentiæ quidditatiue, ac proinde idem omnino cum illa, & minime distincta à parte rei ab ipsa, vt patet ex argumentis iam dictis. Maior huius syllogismi est certissima; nam intellectioni non correspondet duplex intellectus, nec vni volitioni duplex voluntas, sed vnica, quia intellectio est vnicus actus intellectus, & vna volitio est vnus actus voluntatis; item vni suppositalitati non correspondet duplex natura, sed vnica, quia suppositalitas est vnus actus naturæ, quæ tanquam potentiæ illi correspondet: ergo vni actui, vna potentia respondet, ratio à priori est, quia actus potentiæ est exercitium illius; atqui vnicum exercitium non petit duplex exercibilia, sed vnum: ergo vnus actus petit vnam potentiam, præsertim quia vna entitas non potest esse intrinsece in duplici subiecto, quod adeo verum est in sententia Thomistarum, cum quibus pugnamus, vt adhuc diuinitus non possit esse vnum accidens in duplici subiecto, & vna forma substantialis in duplici materia prima; sed existentia est actus intrinsecus essentiæ, & intrinsece afficiens ipsam: ergo existentia non potest habere duplicem essentiam in qua intrinsece sit, & quam intrinsecè actuet, & afficiat reddatque actualem, & actu existentem; alias sicut tu vni existentiæ ponis correspondentem duplicem essentiam, ego possem ponere duplicem naturam correspondentem vni suppositalitati, & duplicem voluntatem vni volitioni, &c. sed hoc est omnino falsum, quia vnica perfectio intrinseca, & vnus actus intrinsecus non potest actuare & perficere intrinsecè duplicem potentiam perfectibilem: ergo etiam est absurdum dicere, vnicam existentiam hominis actuare duplicem essentiam, vnam per identitatem, alteram per vnionem intrinsecam realem: ergo tantum datur vnica essentia, quæ actuetur per existentiam & constituat quidditative ipsam existentiam, ac proinde sit idem cum existentia, vt patet ex demonstratione nuper facta.

Secundo contra; quia non est maior ratio, quare vnam essentiam actuet existentia per identitatem & alteram per coniunctionem realem; nam existentia est actus naturalis, & vniformis, ac proinde eodem modo actuat & perficit propriam potentiam cui correspondet. 35

Deinde; quia si essentia existentiæ, quam constituit quidditative etiam si sit vera essentia æternæ veritatis, & existentia sit temporalis, & contingens, non distinguuntur inter se, etiam non distinguetur existentia hominis ab essentia hominis, etiam si essentia sit necessaria, æternæ veritatis, & existentia hominis sit contingens, quia non est maior ratio vnius, quam alterius, vt amplius patebit in retortione præcipui argumenti Aduersariorum *in fine huius quæstionis* pro hac nostra conclusione facienda, videatur, vbi evidenter demonstravimus, rationem præcipuam Aduersariorum nullius momenti esse, ex eo quod evidenter retorqueatur contra ipsos. 36

Vltimo contra; quia essentia ipsa hominis, quam asseris, distingui ab existentia hominis constituitur formalissime per ipsam existentiam hominis inesse entis simpliciter: ergo constituitur formalissime in esse essentiæ hominis; sed formalissimum constitutivum essentiæ hominis in esse essentiæ non distinguitur ab ipsa essentia hominis: ergo existentia hominus non distinguitur à parte rei ab ipsa essentia hominis: consequentia illa prima est evidens, quia idem sunt in homine formalissime essentia, & ens, quia ens quatenus tale est prædicatum quidditativum adæquate, & totaliter transcendens vltimas differentias hominis, ac proinde est primum, intimum, & omnino necessarium prædicatum hominis, sine quo nec esse, nec intelligi potest homo; sed huiusmodi prædicatum est essentia, & quidditas hominis: ergo ens in homine est ipsa formalissima essentia, & quidditas hominis, sed existentia constituit homine in esse entis formalissimem: ergo existentia constituit hominem, & essentiam hominis in formalissimo conceptu essentiæ, & quidditatis hominis. Minor illa est euidens in omnium sententia: ideo enim prædicata essentialia hominis non distinguuntur à parte rei ab ipsa essentia hominis, neque definitio obiectiua distinguitur à definiti essentia, v. g. animal rationale ab essentia hominis, quia prædicata quidditativa, & definitio obiectiva constituunt quidditative, & essentialiter essentiam definiti in esse essentiæ, & ratio evidens à priori 37

priori est, quia prædicata essentialia, & definitio obiectiva non componunt essentiam per vnionem realem, sed potius simplicissime per omnium maximam, & maxime intimam constitutionem, quæ per identitatem est, vt supra dixi: ergo constitutiua quidditatiua essentiæ in esse essentiæ formalissime non distinguuntur ab ipsa essentia vllo modo à parte rei, sed potius sunt formalissime omnino idem cum tali essentia.

38 Antecedens primum & principale est certissimum, quia illud, quod constituit aliquid in suo esse, constituit illud in esse entis, sed existentia cõstituit hominem in suo esse: ergo constituit hominem in esse entis formalissime. Maior est certissima ex supra dictis; nam esse, & ens idem sunt formalissime, & solum distinguntur quoad voces eo modo, quo ens, & entitas, sicut existens, & existere, quapropter sicut est euidens, quod illud, quod constituit hominẽ in suo existere, constituit ipsum in esse existentis, & sicut id, quod constituit hominem in suo viuere substantiali, constituit ipsum in esse viuentis substantialiter, ita similiter est euidens id, quod constituit hominem in suo esse, constituere ipsum in esse entis, ex quo sic argumentor.

39 Quia non potest res aliqua intrinsecè ac formaliter constitui in ratione entis realis, & actualis per aliquid distinctum ab ipsa re actuali; quia sicut res ipsa constituta per se ipsam est ens, quia essentia ipsius est esse ens, ex eo quod ens sit prædicatum trascendens, & quidditatiuum rei, ita per seipsam, & non per aliquid additum constituitur in esse entis; nam sicut homo, quia per seipsum est formaliter homo, ideo quidditatiue, & essentialiter est homo, ita etiam res per seipsam formaliter est ens, & non per aliquid distinctum à seipsa, quia quidditatiue est ens, imo magis quidditatiuè, vt ita loquar, quam homo, est rationalis, quia ens est prædicatum transcendens, & rationale non est transcendens in homine: ergo sicut homo non constituitur per aliquid distinctum à parte rei in esse hominis & rationalis, ita & à fortiori nõ constituetur in esse entis, & in suo esse absolute per aliquid distinctũ à seipso à parte rei.

40 Sed homo constituitur in suo esse absolute, ac proinde in esse entis absolute formalissime per existentiam propriam: ergo existentia propria non distinguitur à parte rei ab ipso homine, neque ab essentia illius, siquidem essentia, & quidditas hominis est ipse homo.

41 Dices, existentiam non constituere hominem in suo esse absolute, sed potius in esse actuali, ac proinde non constituere in esse entis absolute, sed solum in esse entis actualis, ac per consequens non constituere hominem in sua essentia, sed potius in formalitate distincta ab essentia: sed contra primo, quia ens, & esse simpliciter sunt idem, ac ens, & esse absolute; sed existentia constituit rem in esse entis simpliciter, vt in probatione secundæ minoris late probatur: ergo existentia constituit rem in esse entis, & esse absolute.

42 Contra 2. manifeste, quia essentia potest dupliciter sumi, aut quatenus est tantum possibilis, seu in statu possibilitatis, aut quatenus est actualis; si sumatur vt possibilis tantum, conuertitur cum ente & cum esse possibili; vnde sicut est essentia possibilis, ipsa est esse, & ens possibile, ita vt hæc tria ens, esse, possibile, & essentia possibilis sint synonyma; vnde nullo modo distinguuntur à parte rei, sed potius identificantur omnino; ergo quidquid constituit essentiam in esse entis, & esse possibili, constituit ipsam essentiam in esse essentiæ possibilis, & sic quia essentia per seipsam est formaliter essentia possibilis, per seipsam formaliter est ens, & esse possibile, ac per consequens sicut non potest constitui formaliter essentia possibilis in esse talis essentiæ per aliquid distinctum à se ex natura rei, ita ipsa essentia possibilis nullo modo potest constitui in ratione entis possibilis; & in esse possibili per aliquid distinctum à se ipsa formaliter à parte rei.

Si autem sumatur ut actualis, id est quatenus actu 43
est realis essentia, etiam conuertitur formalissime cum ente actu, & cum esse actu; quare synonyma sunt, ens absolute actu, esse absolute actu, & essentia absolute actu: Tunc sic: essentia actu, quia per se ipsam formalissime est essentia actu, non constituitur in esse essentiæ actualis per aliquid distinctum ab ipsa essentia; sed ipsa essentia actu, seu actualis est synonyme ens actu formalissime, & esse actu formalissime: ergo non per aliquid distinctum à seipsa à parte rei, est ens actu, & esse actu. Antecedens illud primum est certum; nam sicut se habent existens, existere, & existentia, sic se habent ens, esse, & essentia; nam sicut existens est participium *existo*, existentia est nomen deriuatum ab *existo*, & existere est infinitiuum verbi *existo*, ita similiter ens est participium verbi *sum*; & essentia est nomen deriuatum à verbo *sum*; & esse est infinitiuum illius verbi: ergo sicut se habent existens, existentia, & existere, sic se habent ens, essentia, & esse; sed existens, existentia, & existere idem omnino significant ex parte obiecti, ita vt sint synonyma; ergo similiter ens, esse, & essentia erunt synonyma, & significabunt idem omnino ex parte obiecti. Quod totum patet ex verbis D. Augustini *lib. 12. de ciuit. Dei, cap. 2.* vbi, tanquam synonymis vtitur esse, & essentia, ibi: [ cum enim Deus summa essentia sit, hoc est summe sit, & ideo immutabilis sit, rebus quas ex nihilo creauit, esse dedit; sed non summe esse sicut ipse est, & aliis dedit esse amplius, aliis minus, atque ita naturas essentiarum gradibus ordinauit, sicut enim ab eo, quod est sapere, vocatur sapientia, sic ab eo, quod est esse vocatur essentia nouo quidem nomine, quo vsi veteres non sunt latini sermonis Authores, sed iam nostris temporibus vsitato, ne deesset etiam linguæ nostræ quod Græci appellant o vsiam; hoc enim verbum è verbo expressum est, vt diceretur essentia, ac per hoc ei naturæ, quæ summa est qua faciente sunt quæcunque sunt contraria natura non est, nisi quæ non est, ei quippe quod est, non esse contrarium est, & propterea Deo idest summę essentiæ, & authori omnium, qualiumcumque essentiarum essentiæ nulla contraria est. ] sic ille; quibus aperte demonstrat, essentiam, & esse synonyme se habere, quia essentiam per esse explicat, vt patet ex illis verbis, cum enim Deus summa essentia sit, hoc est summe sit: ecce per summe esse summam essentiam explicat. Quod amplius patet ex illis verbis, sicut enim ab eo, quod est sapere vocatur sapientia, sic ab eo, quod est esse, vocatur essentia; quid clarius & euidentius ad nostram veritatem declarandam poterat excogitari? ergo in sententia D. Augustini esse, & essentia synonyma sunt; vnde esse actu, essentia actu, & ens actu similiter synonyma erunt, ac proinde idem omnino erunt in homine, v. g. esse actu, & essentia actu; quod etiam expressis verbis docuit D. Thomas, *q. 3. de potentia. art. 5. ad 2.* ibi: Ex hoc ipso quod quidditati esse tribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, quia antequam esse habeat, nihil est, nisi forte in intellectu creantis, vbi non est creatura, sed creatrix essentia. Sic Angelicus Doctor; vbi duo expresse docet, primum, quando creatur esse, creari etiam quidditatẽ, quia quidditas est ipsum esse, secundum quod dicit continetur illis verbis, quia antequam

tequam esse habeat, nihil est, ac si diceret, quidditatem non esse talem per aliquid distinctum ab ipso esse, quia quidditas nihil aliud est, ac esse; ac proinde antequam habeat esse, nihil est: ergo pro certissimo habendum est essentiam, quidditatem, esse, & ens actu esse synonyma, & omnino idem.

44 Consequentia illa prima est manifesta à paritate rationis, nam vbi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis; sed tota ratio formalis, propter quam essentia actualis non constituitur per aliquid distinctum à se formalissime in esse essentiæ actualis est, quia per se ipsam est formalissime talis; sed hæc eadem ratio formalis reperitur in esse actuali, & in ente actuali respectu ipsius essentiæ actualis, si quidem sicut per seipsam est essentia actualis, ita per seipsam est actu ens, & actuale esse: ergo datur idem effectus, vel quasi effectus formalis in hac constitutione, scilicet quod in esse entis actu, & in esse actu non constituatur essentia actualis per aliquid distinctum ab ipsa essentia actuali à parte rei.

45 Quod autem essentia actualis per se ipsam sit ens actu & esse actu ex dictis est manifestum, siquidem ens actu, & essentia actu sunt synonyma, atqui per id, quo constituitur vnum synonymum sine dubio constituitur aliud, nam per id, quo constituitur aliquid, constituitur idem ipsum, vnde per id, quo constituitur gladius, constituitur ensis, & eo modo, quo est Deus, est ens increatum, quare si gladius per seipsum est gladius, per se ipsum erit ensis; sed essentia actu, & ens actu sunt synonyma: ergo eo modo erit essentia actu talis, ac ens actu seu actuale esse; sed per seipsam res est essentia actualis: ergo per se ipsam res est ens actu, & esse actu sine aliquo addito ex natura rei ab ipso: v.g. homo est per se ipsum animal rationale actu; sed ens actu in homine quatenus est prædicatum quidditatiuum & transcendens est omnino idem cum animali rationali actu, vt patet ex supradictis contra Scotum: ergo homo per seipsum est ens actu animal rationale, ac proinde per seipsum, & non per aliquid distinctum à se erit ens actu, esse actu, esse animal rationale actu: ergo res nullo modo potest constitui in esse entis, & in esse actu per aliquid distinctum à seipsa.

46 Quod sic demonstro & declaro supradicta; nam omnis forma realiter distincta à potentia, quam actuat, componit cum illa vnum compositum, vnde talis actus potest dici causa formalis, vel respectu compositi vel respectu potentiæ, vel alterius quasi partis componentis, quin absque tali actu, vel forma esse non possit; respectu igitur compositi verissime dicitur talis actus formaliter, & intrinsece constituere, non tamen potest omnino condistingui ab illo, sed necessario includitur in eo, & distinguitur ab ipso, vt pars à toto, quia talis actus non potest esse tota entitas compositi, cum necessario includat aliam compartem, vel potentiam, cuius est actus; at vero si comparetur actus ad aliam rem vel potentiam cuius est actus, non potest intrinsece & formaliter constituere propriam entitatem eius, quia illa entitas non est composita, sed simplex, alioquin non esset altera pars componens, sed totum compositum, quod in reali compositione ex rebus distinctis prorsus repugnat, & etiam, quia alioqui constaret illa entitas, seu pars, quæ incipit actu ex illo actu, & aliqua alia re, de qua rursus inquiram an constituatur intrinsece, & formaliter per illum actum; nam si hoc affirmetur, procedemus vlterius in infinitum; si vero negetur, concluditur intentum, nimirum potentiam proprie componentem cum actu realiter distincto non posse intrinsecè & formaliter constitui per ipsũ actum, quocum componit, atque ita cum sit vltima resolutio ad prima, seu simplicissima componentia, necesse erit, vt illa entitas, quæ ad alteram comparatur, vt potentia ad actum non constituatur intrinsece, & formaliter per illum actum nimirum per aliam partem in suo esse intrinseco, videlicet in sua propria intrinseca entitate & esse, licet fortasse illam postulet, vt sit: sicut materia petit formam, sic existentia constituet vnum existens cum essentia, tamen respectu entitatis essentiæ nullo modo posset intrinsece illam constituere aut cõponere, quia vna ab alia condistinguitur, vt entitas simplex ab entitate simplici distinctione excludentis ab excluso, non autem distinctione includentis ab incluso, quia hoc modo non distinguitur potentia ab actu; sed effectus formalis actus ab ipso actu; atqui potentia, quæ actuatur ab actu, non est effectus formalis talis actus: ergo ille non constituit in sua entitate potentiam, quam actuat sicut forma rationalis non constituit materiam primam in entitate sua intrinseca, seu in esse intrinseco materiæ primæ; sicut suppositalitas non constituit naturam in esse intrinseco naturæ, nec in entitate intrinseca illius, licet constituat in esse subsistentis: ergo existentia si est actus distinctus ab essentia actuali, non cõstituet ipsa essentiã in esse intrinseco essentiæ, neque in esse entitariuo essentiæ, sed potius supponet iam essentiã constituta in suo esse actuali, & in sua entitate intrinseca actuali.

Sed esse actuale essentiæ, & esse ens actu in essen- 47
tia est ipsum existere essentiæ: ergo si supponitur existentia distincta ab essentia, erit essentia existens ante existentiam, ac proinde habebit essentia existentiam ante ipsam existentiam, quod est omnino falsum: ergo dicendum est, quod sicut essentia actualis per seipsam præciso quocunque alio distincto à se à parte rei habet entitatẽ realem, & esse reale actu, ita per seipsã existere actu sine aliquo alio addito distincto à se ipsa, quia vt supra vidimus, idem est in rebus omnino ens actu, esse actu, & existere actu.

## Svbsectio. III.

### *Amplius declarantur dicta.*

QVia in essentia hominis, v. g. non distinguitur 48
ab ipsa essentia à parte rei gradus superior, v.g. animal, & substantia si cum proportione sumantur; v.g. si animal actu, & substantia actu comparentur cum essentia hominis actu, quia si comparentur substantia possibilis, & animal possibile, cum actuali essentia hominis distinguentur sine dubio ab illa à parte rei, quia possibile, vt possibile, siue sit negatiuum, siue positiuum, separatur realiter ab essentia actuali, ac proinde distinguuntur realiter, econtra vero si animal possibile, & substantia possibilis comparentur cum essentia hominis possibili, non distinguuntur realiter, quia certissimum est apud nos, & apud Aduersarios cõtra Scotum, & Scotistas, gradus superiores metaphysicos, aut prædicata quidditatiua communia non distingui vllo modo à parte rei à prædicatis inferioribus & ab speciebus, & individuis constitutis per ipsa, sed ens reale actuale est prædicatũ cõmune trãscẽdẽs, & gradus metaphysicus, qui prædicatur quidditatiue de essẽtia hominis: ergo ens reale actuale nullo modo distinguitur à parte rei ab essẽtia hominis actuali; sicut neque ens possibile ab essẽtia hominis possibili; sed ens reale actuale est ipsa existentia, seu existere reale: ergo existentia, & existere reale nullo modo distinguuntur à parte rei ab ipsa essentia hominis actuali, & reali. Minor illa est euidens, quia sicut ens, & esse sunt synonyma, ita ens reale actuale & esse reale actuale sunt synonyma; sed esse reale actuale est synonymũ existẽtię realis, ac proinde est idẽ, quod existẽtia realis: ergo ẽs reale actuale

est

est idem, quod existentia realis; sed essentia realis actualis est idem sine vlla distinctione cum ente reali actuali, & existentia realis est idem sine vlla distinctione cum ente reali actuali similiter: ergo essentia actualis realis hominis est idem cum existentia reali hominis: patet consequentia, quia quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se; sed essentia realis actualis hominis, & existentia realis hominis sunt idem in tertio entis realis actualis, quod synonyme est idem quod esse reale actuale: ergo essentia actualis realis hominis & existentia realis hominis sunt idem inter se à parte rei sine vlla distinctione à parte rei: ergo essentia realis actualis à parte rei non constituitur in esse existentis realiter à parte rei per aliquid distinctum à se ipsa; sicut non constituitur in esse entis actualis realis, aut in esse actuali reali per aliquid distinctum à se ipsa.

49 Declaratur, & confirmatur; sicut ens vt sic est gradus superior respectu essentiæ hominis, ita actualitas vt sic est gradus superior respectu essētiæ actualis hominis: ergo totum concretum, ens actuale reale est gradus superior respectu essentiæ actualis dominii; vnde in prædicatione formali vere, & realiter prædicatur de essentia actuali hominis ens actuale vt sic, & sic hæc est vera propositio, essentia actualis hominis est ens actuale reale; sicut est vera hæc est substantia actualis realis, est viuens sensibile, actuale, reale, imo à fortiori quia ens actuale reale vt sic non solum est gradus superior respectu essentiæ actualis hominis, sicut substantia actualis, & animal actuale; sed etiam in sententia Thomistarum, cum quibus pugnamus prædicatum transcendens totam essentiam actualem hominis; sed omnis gradus superior identificatur omnino sine vlla distinctione à parte rei cum essentia hominis: ergo ens reale actuale identificatur omnino à parte rei cum essentia actuali reali hominis sine vlla distinctione à parte rei: Tunc sic ens reale actuale vt sic, & esse reale actuale vt sic sunt idem omnino sine vlla distinctione, vt patet ex supradictis: ergo esse actuale reale est idem omnino cum essentia actuali reali hominis: quod sic demonstratur, quia essentia realis hominis actualis opponitur contradictorie nihilo; sed nihilum non est, nec habet esse, quia est negatio esse: ergo essentia actualis est actu, & habet esse actu non per aliquid distinctum à se, sed per se ipsam immediate, quia vnum contradictorium non est tale respectu alterius per aliquid distinctum à se, quod mediet inter se, & suum contradictorium, alias vnum contradictorium cum altero, non opponeretur immediate, & maxime, sed essentia actualis hominis est immediatum contradictorium nihili ratione esse actualis, & quia actu est: ergo essentia actualis actu est & actu habet esse, non per aliquid distinctum à seipsa, sed per se ipsam immediate, & formaliter: sed esse actuale reale est existere actuale, & reale, synonyma enim sunt in sententia D. Thomæ *1.p q. 3. art. 4. in corpore*, vbi ait; esse, esse actualitatem omnis formæ; sed actualitas in sententia D. Thomæ, & Thomistarum & esse sunt idem quod existere: ergo existere est idem, quod essentia hominis; sicut essentia hominis, & ens actuale. & sic ait Angelicus Doctor. *1.p.q.3. art. 1. ad 3.* Ipsum esse perfectissimum, omnium; comparatur enim ad omnia vt actus; nihil enim habet actualitatem, nisi in quantum est, unde ipsum esse est actualitas omnium rerū, quod est existere earum; ecce quomodo synonyma sunt esse, & existere apud D. Thomam; quod etiam in vsu positum est apud linguæ latinæ Doctores, vt patet ex Tullio, qui synonyme vtitur verbo, *existo*, & verbo, *sum & fui*, vt *1. de diuinatione*; existit hoc loco quæstio subdifficilis, & *lib. 2. Officior.* atqui eo tempore tantæ discordiæ sequutæ sunt, vt & tyranni existerent, & optimates exterminarentur, id est tyranni haberent esse, & optimates destruerentur, ac proinde amitterent esse; vnde Laurentius Balla *lib. 5. Elegantior.* ait, existere significare idem, quod *sto, extosum, & supersum*; idem ergo omnino significant hæ voces, & ideo P. Franciscus Suarez *disp.31.met. sect.1. n. 2.* sic ait, suppono autem per esse nos intelligere existentiam actualem rerum, ne sit equivocatio in verbis, nec sit necessariū postea distinguere de esse essētię, existentiæ, aut substantiæ, aut veritatis propositionis.

Ergo de primo ad vltimum existentia hominis, 50
& essentia hominis non distinguuntur.

Iterum hoc ipsum sic demonstratur; quia per vos es- 51
sentia actualis, & existentia distinguuntur; interrogo à vobis an essentia actualis distinguatur ab existentia, sicut nihil ab aliquo, vel tanquam non ens ab ente, vel tandem vt ens reale positivum actuale ab alio ente reali positivo actuali? primum dici non potest à vobis, alias fateri cogeremini, hominem actualem esse essentialiter non ens, siquidem essentia eius, est non ens, & solum existentia ens positivum est; sed per vos homo non est essentialiter existens: ergo homo non potest esse essentialiter ens positivum reale; ex quo amplius sequitur contra vos, existentiam etiam hominis non esse positivam, sed potius negativam, & negationem; nam eo modo est existentia, quo est essentia alicuius; vnde sicut essentia mortis est negativa, ita etiam existentia eius; & sicut essentia tenebrarum, & cæcitatis sunt negationes; & non positivæ realitates, ita etiam existentiæ earundem sunt veræ negationes, & non entitates positivæ; quia existentia est accessorium, & essentia talis existentiæ est principale; sed accessorium sequitur principale, & proportionatur ita cum principali, vt non excedat principale in gradu vniuersalissimo essendi: ergo si essentia hominis esset negatio, existentia hominis non posset esse positiva; sicut si essentia accidentis est accidens, existentia ipsius non potest esse substantia, præcipue quia actus positivus non potest existere in negatione tanquam in primo fundamento; sicut substantia non potest esse in accidenti, & res non potest esse in modo: ergo existentia hominis suppositæ essentia negatiua ipsius, esset etiam negatiua, ac proinde homo totus esset negatio, quod est falsissimum: ergo dicendum est, essentiam hominis non distingui ab existentia eiusdem, tanquam nihil ab ente positivo: ergo dicendum est, existentiam, & essentiam in homine distingui tanquam duo entia realia positiva; rogo ergo quale ens sit illa essentia actualene; an possibile, non quidem possibile, quia loquimur de essentia prout actuali, & posita à parte rei: ergo est ens actuale: ergo prout distinguitur ab existentia est existens: patet consequentia; quia actuale & existens, vt iam diximus idem omnino sunt, & ad summum nominibus distinguuntur, vt gladius, & ensis, cum existentia ad nullum alium effectum deseruiat, nisi vt det actualitatem essendi: ergo si hanc habet essentia à se ex ipso lumine naturæ videtur superflua existentia.

Vrgetur; quia essentia actualis, & existentia aliter 52
distinguuntur, quam essentia, & existentia possibilis: ergo distinguuntur non vt duo entia possibilia: ergo vt actualia entia; ergo tam essentia, quàm existentia prout condistinctæ inter se, sunt actuales, & per actualitates suas seipsis distinguuntur: ergo negari nequit actualitas essentiæ identificata cum essentia; sed nihil aliud est hæc actualitas, quam existentia (sanè dum ego habeam actualitatem essentiæ, tolle tibi tuam existentiam, qua

non indigeo, vt absolute sim :) ergo existentia hominis, & essentia hominis actualis sunt omnino idem, & minime distinguuntur à parte rei.

53 Quod tandem sic vrgetur; nam essentia actualis provt præcisa, & distincta ab illa existentia, quam tu fingis, habet iam effectum formalem existendi: ergo non habet illum, neque existit ab illa existentia ficta à te sed à seipsa existet; consequentia patet ex terminis; antecedens probatur: essentia actualis est causa materialis verè recipiens ipsam existentiam, non minus quam materia prima est causa materialis formæ substantialis verè recipiens talem formam, & non minus, quam subiectum recipit albedinem, tum quia compositioni essentiæ, & existentiæ est per modum actus, & potentiæ, & omnis actus componens, aut saltem vnio illius causatur in genere causæ materialis à sua potentia, tum etiam quia existentia, siue sit res, siue modus, est tamen perfectio intrinseca essentiæ, à qua educitur, & fit dependenter: ergo essentia præsupponitur vt existens ad illam formalitatem: patet consequentia, quia nihil potest realiter causare intrinsece recipiendo in genere causæ materialis, quin existat; sed essentia causat existentiam recipiendo ipsam: ergo pro illo priori naturæ est existens, vide ea omnia, quæ in physicis de existentia materiæ diximus, probantes aduersus Thomistas, illam non esse à forma sed à materia ipsa; ex quibus euidenter sequitur, essentiam actualem à se esse ens actuale & existens, & non per aliquid distinctum à se ipsa, alias si essentia ante existentiam non esset actu ens, esset ens possibile tantum; sed ens possibile non potest actu causare recipiendo, vt latissime demonstrauimus in physicis *loco citato*, vnde materia possibilis & quæ actu non est in rerum natura, non potest actu recipere formam, nec componere cum illa actu compositum actuale: ergo si essentia vere recipit existentiam actu, & vere causat ipsam actu, quia existentia educitur actu ab essentia, essentia pro illo priori naturæ, pro quo causat existentiam, & pro quo nondum intelligitur existentia in actu, cum pro posteriori naturæ intelligatur illa, erit existens, & ens actu absolute: ergo esse existens non accipit ab ipsa existentia, si existentia distinguitur ab essentia.

54 Dices, hanc rationem labefactari in albedine distincta ab homine, nam homo v. g. vt condistinctus ab albedine, vel est albus, vel non; si est albus: ergo non eget albedine distincta à se; si non est albus: ergo iam non sunt duæ res, &c. ecce argumentum retortum contra nos.

55 Sed contra manifeste, quia homo vt recipiat albedinem habet sufficientem capacitatem quia supponitur ante albedinem in esse entis realis actualis, & habens esse actuale, & existere actu, in quibus formalitatibus nullo modo constituitur homo ab ipsa albedine, sed supponitur iam constitutus, etiamsi non supponatur albus: ergo potest recipere albedinem, vniri cum illa, & ab ea reddi albus, sed homo, vt condistinctus ab existentia, & vt supponitur illi per vos non est ens actu, nec habet esse actu, ac proinde necessario debet esse ens possibile tantum vt est modo Antichristus, & Adam, & fuerunt ab æterno res non existentes: ergo nequit illi realiter vniri existentia, aut formaliter illi communicari, & consequenter nec per vnionem sui cum homine illum reddere ens actu, aut existens, seu habens esse actu, ex eo quod ante existentiam nullam habet capacitatem actualem ad recipiendum, quia non entis nullæ sunt qualitates: ergo nihil potest fieri ens intrinsece, & formaliter, aut constitui formaliter existens per aliquid à se distinctum: ergo existentia dans esse intrinsece, & formalier, non potest realiter distingui à re existente.

## Subsectio. IV.

*Secunda principalis ratio ponitur.*

56 QVia essentia actualis distinguitur ab essentia possibili, vel à possibilitate essentiæ per suum ipsum esse positiuum & non distinctum à se; sed illud esse, per quod essentia actualis distinguitur ab essentia possibili, seu à possibilitate essentiæ est actualis existentia: ergo actualis existentia est ipsum esse essentiæ actualis sine aliqua distinctione ab ipsa. Maior satis supra probata manet, cum *tractatu de possibilitate*, constet possibilitatem, seu essentiam possibilem vt talem esse negationem; atqui vt ibidem probauimus, positiuum à negatione non potest distingui per aliud esse à se distinctum, quia si distingueretur positiuum à negatiuo per aliud esse, distinctum à se ipso, aut illud, per quod distingueretur, esset quid negatiuum, aut positiuum, non negatiuum, quia alias daretur processus in infinitum, quia etiam ab illa negatione per quam distinguitur formaliter, & realiter à possibilitate, deberet distingui vt quid positiuum; ergo per aliam negationem, & ab illa etiam per aliam, ac proinde in infinitum; ne igitur concedamus hoc absurdum, fatendum est certissime, & sine dubio positiuum non distingui à negatiuo per aliam negationem.

57 Alias præter absurdum dictum sequeretur euidens contradictio in adiecto, videlicet quod illa negatio, per quam positiuum distinguitur ab alia negatione, non sit negatio, sed positiuum, quia illa negatio esset negatio alterius negationis, & non positiui: ergo illa negatio non esset negatio, sed positiuum, quia negatio negationis affirmatio, & positiuum est; vnde nec non homo, non est negatio hominis, sed positiuus homo, quia est negatio negationis hominis: ergo velint, nolint aduersarii, fateri coguntur positiuum à negatiuo non distingui per negatiuum aliud à se, sed per seipsum.

58 Non positium, quia omne positiuum aut est relatio, aut quid absolutum; sed tale positiuum per quod vnu positiuum distinguitur à negatione, non esset relatio, neque absolutum distinctum à parte rei à primo positiuo, quod distinguitur à negatione: ergo illud non esset positiuum; de relatiuo sic probo; quia non esset relatio transcendentalis, nec prædicamentalis, primum patet iam ex supra latissime dictis in proœmialibus huius metaphysicæ, vbi probauimus, nihil positiuum posse dicere relationem transcendentalem ad negatiuum, ex eo quod res superioris ordinis nec specificietur à re inferioris ordinis, nec essentialiter ordinetur ad illam.

59 Deinde euidentius patet; quia si positiuum distingueretur à negatione per relationem transcendentalem, & essentialem ipsi positiuo, tale positiuum non distingueretur ab illa negatione per esse distinctum à se, sed potius per suu ipsum esse essentiale immediatè; quia relatio transcendentalis nullo modo distinguitur à parte rei à re, cuius est relatio, cum talis relatio sit adæquatè de essentia rei cuius est relatio, imo sit tota essentia rei, vt videre est in relatione transcendentali potentiæ, habitus, & actus ad obiectum; materiæ ad formam, & formæ ad materiam: ergo si positiuum distinguitur à negatiuo per relationem transcendentalem, ab illa distinguetur positiuum per suum ipsum esse immediatè, & non per aliud positiuum à se distinctum.

60 Quod autem non distinguatur positiuum actualis essentiæ à possibilitate seu essentia possibili per relationem

tionem prædicamentalem patet primo. Quia relatio prædicamentalis petit terminum actu existentem, & positiuum; atqui possibilitas, quæ est negatio, neque actu existit nec positiuè existit: ergo non potest terminare relationem prædicamentalem distinctionis essentiæ actualis ab ipsa. Secundo, quia si positivum posset dicere relationem prædicamentalem ad possibilitatem, vt per illam relationem distingueretur ab ea, daretur infinitum actu in vnoquoque positivo relationum completarum, scilicet diversitatis, & distinctionis, &c. quia in subiecto completo multiplicantur tot relationes completæ in omnium sententia, quot fuerint termini cópleti specie distincti; atqui infinitæ dantur actu possibilitates specie distinctæ, vt sunt possibilitates mixtorum, & elementorum omnium, & Angelorum possibilium, &c. quæ sunt termini relationum, quæ fundantur in positiuo: ergo in positiuo actu multiplicantur infinitæ relationes prædicamentales, si concedatur dari relationem prædicamentalem ad possibilitatem, quod est in vestra sententia omnino absurdum, siquidem infinitum in actu non solum naturaliter, & de facto, sed nec de possibili diuinitus, & per potentiam absolutam vultis concedere; igitur non est concedendum, dari relationem illam prædicamentalem, per quam distinguatur essentia actualis ab essentia possibili.

61 Item essentia actualis non potest distingui à possibilitate per aliquid positivum absolutum distinctum ab ipsa essentia actuali positiua, quia aut illud secundum positivum, per quod distinguitur essentia actualis à possibilitate distinguitur per aliud positivum distinctum à secundo positivo, vel non distinguitur, nisi per se ipsum; si distinguitur per aliud, de illo alio eadem redibit interrogatio, & sic procederetur in infinitum; si non distinguitur per aliud positivum, sed solum per seipsum, & hoc quia positivum est, & possibilitas negatio, etiam ipsa essentia distinguetur per se ipsum quatenus actualis est à possibilitate, siquidem essentia actualis etiam est positiua, & possibilitas est negatio; nam vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis; vnde superfluum erit illud secundum positivum fictum ab aduersariis, vt essentia actualis, quæ positiva est distinguatur à possibilitate seu ab essentia possibili.

62 Sed vt hoc argumentum sit euidens demonstratio, & ne opinionibus innitatur, supponamus possibilitatem esse quid positivum, in quo casu sic argumentor; vnaquæque entitas distincta ab alia siue essentialiter, siue realiter, aut indiuidualiter distinguitur ab illa in actu primo per suam differentiam, aut essentialem, aut individualem metaphysicam, verbi gratia Petrus distinguitur à Paulo per suam Petreitatem, quæ est differentia indiuidualis, & à Bucephalo distinguitur essentialiter per rationalitatem, quæ est differentia specifica metaphysica illius, & ratio à priori est quia differentia ideo est talis, quia facit differre vnum ab alio: sed facere differre est facere distingui vnum ab alio, vt ex terminis patet: ergo differentia siue sit indiuidualis, siue essentialis, facit differre, & distingui vnam rem ab alia, sed differentia, siue sit essentialis, siue indiuidualis, non distinguitur realiter à re, cuius est differentia in sententia Thomistarum contra Scotum, & ideo rationale non distinguitur ab homine: ergo vnaquæque res non distinguitur ab alia in actu primo entitatiue, & substantialiter per aliquid distinctum à seipsa, sed potius per suum ipsum esse positivum, sed essentia actualis positiva distinguitur à possibilitate, seu ab essentia in esse possibili formaliter in actu primo substantialiter & entitatiue: ergo non distinguitur ab illa, nec differt ab eadem entitatiue, & substantialiter per aliquid distinctum à sua entitate actuali, sed potius per se ipsam immediatè, & formaliter, & per suum ipsum esse formalissime sine aliquo medio inter essentiam actualem, & possibilitatem, seu essentiam possibilem ut possibilem formalissime.

Quod autem essentia actualis distinguatur realiter 63
à parte rei à possibilitate seu essentia possibili patet manifestè; imò & supponitur ad Aduersariis vt certum, quia possibilitas rerum, seu essentia vt possibilis formaliter fuit ab æterno, ac proinde est eo æterna Deo, & essentia actualis, quatenus actualis positiua non est ab æterno, sed in tempore: ergo ab æterno est possibilitas sine actuali essentia: ergo distinguuntur realiter, quia idem non potest esse sine se ipso à parte rei, alias idem separaretur à se ipso, ac per consequens distingueretur à se ipso, quia quæ separantur realiter, distinguuntur realiter, & sic idem esset & non esset ipsum simul, quod est omnino impossibile, vt patet ex illo principio, impossibile est idem simul esse, & non esse; Item quia ab æterno nulla essentia operata fuit actus liberos, vel virtuosos, aut peccaminosos, alias antequam homo produceretur à Deo, peccauisset, vel meruisset ab æterno, quod est delirium Pythagoreorum, asserentium animas propter peccata ante corpora facta detrudi in corpora, &c. sed nulla alia ratio huius potest dari, nisi quia essentia ab æterno non fuit actualis, sed solum possibilis, præcipuè in sententia Thomistarum asserentium ad operandum non requiri necessario existentiam, quapropter si essentia actualis esset ab æterno, operaretur ab æterno etiamsi non extitisset ab æterno, atqui essentia ab æterno nec fuit operata, nec potuit operari per vos actu: ergo signum evidens est, essentiam actualem ab æterno non fuisse, sed solum possibilem, & ideo non fuisse operatam ab æterno actu; sicut essentia Antichristi non potest operari actu; quia nunc essentia Antichristi non est actualis, sed futura, & possibilis solum: ergo essentia actualis, quæ non fuit ab æterno, & possibilitas eius, quæ actu fuit ab æterno, ab æterno sunt separatæ realiter: ergo distinguuntur realiter; sed per idem ipsum distinguitur in actu primo entitatiue, & substantialiter res, per quod substantialiter, & entitatiue constituitur vltimo, tanquam per differentiam; sed res non constituitur in suo esse per aliquod distinctum à suo esse à parte rei, sed per suum ipsum esse: ergo res non distinguitur ab alia per aliud esse distinctum à proprio esse, sed potius per suum ipsum proprium esse.

Sed essentia actualis positiva distinguitur à parte 64
rei à possibilitate, seu ab essentia vt possibili formaliter entitatiue, & substantialiter: ergo non distinguitur ab illa per aliquod esse distinctum à proprio esse essentiæ actualis, sed potius per suum ipsum esse & per se ipsam immediatè.

Minor prima & præcipua primi, & principalis 65
syllogismi sic demonstratur. Quia per illud distinguitur essentia actualis à possibilitate, seu ab essentia possibili vt possibili, per quod talis essentia actualis non est ipsa possibilitas, &c. seu est alia à possibilitate; atqui essentia actualis non est ipsa possibilitas, sed potius est alia à possibilitate per existentiam formaliter: ergo per existentiam formaliter distinguitur essentia actualis ab esse possibili, seu ab ipsa possibilitate essentiæ. Maior est certa, & ex terminis patet; quia idem est vnum distingui ab alio quam vnum esse aliud ab illo; vnde quia Petrus distinguitur à Paulo, est alius à Paulo.

66 Minor sic probatur, per illud essentia actualis non est pure possibilis, seu non est ipsa possibilitas, per quod constituitur in esse actuale positiuo; sed per existentiam constituitur formaliter in esse actuali positivo: ergo per existentiam distinguitur à possibilitate. Maior est certa, quia per illud constituitur aliquid in non esse alterius, & in esse distincto ab altero, per quod constituitur in esse opposito illi eo modo, quo oppositū est, sed per actualitatem essentiæ essentia constituitur in esse opposito aliquomodo respectu possibilitatis: ergo per actualitatem constituitur essentia actualis in esse non possibilis, seu vt clarius loquar per illud essentia actualis non est pure possibilis, seu possibilitas, per quod constituitur in esse actuali positivo. Minor, in qua est difficultas, sic demonstratur, quia existentia actualis positiva est ipsa actualitas positiva essentiæ; sed per actualitatem positiuam formalissime constituitur essentia actualis inesse actuali positivo; sicut per albedinem constituitur homo albus, & per rationalitatem constituitur homo rationalis, quia eo modo est effectus formalis, ac est causa formalis: ergo per existentiam positivam constituitur essentia actualis in esse actuali positiuo, sed esse actuale positivum est esse oppositum aliquomodo possibilitati, seu enti in potentia: ergo per existentiam constituitur in esse opposito enti in potentia, &c. Maior est certissima apud ipsos Aduersarios, quia apud ipsos, & apud omnes existentia est actus essentiæ, ac proinde actuat ipsam, & à potentialitate logica ad actualitatem reducit, ac per consequens à Thomistis actus entitativus vocatur, & ideo sicut negant materiam primam habere existentiam à se, ita negant materiam primam habere actum entitativum à se, quia actus, & existentia converuntur in eorum sententia, & secundum D. Thomam hoc est clarum, qui 1. *part. quæst.* 3. *art.* 4. *in corpore*, convertit esse, & actum essendi illis verbis: Non enim bonitas, vel humanitas significatur in actu nisi provt significamus eam esse & eadem 1. *part. quæst.* 4. *art.* 1. *ad* 3. sic ait: Ipsum esse, esse perfectissimum omnium, comparatur enim ad omnia vt actus, nihil enim habet actualitatem nisi inquantum est: vnde ipsum esse est actualitas omnium rerum; sed actualitas rerum in essendo seu esse est existentia secundum eumdem D. Thomam eadem 1. *part. quæst.* 5. vbi asserit tunc aliquid propriè esse in actu quando actu existit: ergo existentia secundum D. Thomam est actus, seu actualitas essendi, per quam essentia constituitur esse actualis, & inesse habentis esse actuale quod etiam amplius patet *ex tota* 1. *quæstione huius disputationis*, in qua agendo de definitione existentiæ docuimus apertissimè, existentiam esse actum formalissimum, seu formalissimam actualitatem, per quam essentia constituitur inesse actuali, quod adeo verum est, vt nullus hoc negotium possit in dubium revocare.

67 Dices, dari duplicem actualitatem, aliam quæ est actualitas essentiæ, per quam constituitur essentia inesse primario positiuo actuali, & hæc non distinguitur ab essentia, estque distinctivum primarium essentiæ, per quod distinguitur essentia à possibilitate, & de hoc rectè procedere inquiunt aduersarij argumentum; sed hæc non est existentia, sed quid distinctum ab ipsa, sicut essentia, cum qua identificatur. Alia est actualitas existentiæ, & hæc sicut non primario constituit essentiam in suo esse actuali, sic non primario distinguit essentiam à possibilitate, & de hac dicitur distingui ab ipsa essentia à parte rei; vnde in essentia, & datur existentia distincta ab essentia, & datur actualitas essentiæ indistincta ab essentia per quam distinguitur essentia in actu primo entitative, & substantialiter ab essentia possibili seu à possibilitate.

Sed contra manifeste 1. Quia actualitas essentiæ 68
est ipsa existentia, sive ipsa actualitas existentiæ: ergo non sunt duæ actualitates, sed vna indiuisibilis actualitas; sed illa actualitas essentiæ per vos omnino identificatur cum essentia actuali, & per ipsam distinguitur ab essentia possibili: ergo existentia seu actualitas existentiæ est idem omnino cum essentia actuali, ac proinde est omnino indistincta ab illa. Antecedens sic demonstratur. Quia existentia seu actualitas illa secunda est actualitas constituens essentiam rei extra causas in esse positiuæ entitatis ratione actionis positiuæ ortæ ab agente producente essentiam actualem, & ponente ipsam extra potentiam suæ causæ; sed per illam actualitatem primam, quam vocatis essentiæ, similiter extrahitur essentia extra causas, &c. Ergo actualitas illa existentiæ est ipsa actualitas essentiæ sine vlla distinctione inter ipsas. Maior, & minor sic demonstrantur; quia terminus actionis Dei producentis rem de nouo, & ad quem talis actio productiua terminatur, est formalitas constituens rem extra causas: sed tam actualitas essentiæ, quam existentia ipsa, seu actualitas existentiæ sunt terminus, ad quem tendit actio Dei productiua creaturæ: ergo tam actualitas existentiæ sunt terminus ad quem tendit formaliter actio Dei productiua creaturæ: ergo tam actualitas essentiæ, quam actualitas existentiæ constituunt essentiam formaliter extra causas. Maior sic probatur, quia omnipotentia Dei; seu Deus omnipotens est agens extrahens essentiam possibilem ab statu possibilitatis ad statum actualitatis extra causas, vere dando illis esse actuale de nouo, quod antea non habebat actu, sed tantum in potentia (quod tum fide catholica sanctum est secundum illud, *omnia per ipsum facta sunt*, *in principio creauit Deus cælum, & terram*; & secundum illud symboli, *Patrem omnipotentem creatorem cæli, & terræ*, tum ratione naturali evidente manifestum) ratio autem formalis extrahendi in genere causæ efficientis essentiam à potentia causarum extra illam est actio ipsa procedens ab omnipotentia Dei producenti, & extrahenti, &c. ergo ratio formalis formaliter extrahendi rem extra causas est terminus formalis illius actionis. Hæc consequentia patet, quia sicut est actio productiua termini, est etiam terminus formalis productus per talem actionem: v. g. albedo est ratio formaliter dealbandi in genere causæ formalis, quia est terminus productus per dealbationem, quæ est ratio formalis dealbandi in genere causæ efficientis, & amor est ratio formalis constitutiua amantis, quia producitur per amationem, seu actionem amatiuam, quæ est formalitas constituens amantem in genere causæ efficientis, seu vt melius loquar, à posteriori euidenter colligitur huius, vel illius naturæ esse terminum, qui per huius, vel illius naturæ, & conditionis actionem producitur; vnio enim necessario debet per vnitionem produci, quare quia fieri illius, seu actio, per quam producitur, vnitio est ipsa, quæ terminus talis actionis est, seu factum esse talis fieri sine dubio debet esse ratio formalis vniendi, seu ratio formalis constituens vnitum in genere causæ formalis, sicut gratia est forma sanctificans, quia producitur per actionem sanctificantem.

Sed actio fluens de nouo à Deo, emanansque ab 69
ipso, est ratio formalis, quæ in genere causæ efficientis essentia rei extrahitur à potentialitate causarum ad esse actuale illius, nam res quæ solum erat possibi-

lis

lis ab æterno, & solum in potentia causarum continebatur, imo de se nihil erat, fit de nouo aliquod, & actu habet esse, vt patet ex his verbis D. Thomæ *q. 3. de potentia, art. 5. ad. 2. ibid.* ex hoc ipso, quod quidditati esse tribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, quia antequam esse habeat, nihil est nisi forte in intellectu creantis, vbi non est creatura sed creatrix essentia: sic ille, quod aperte confirmat. *1. p. q. 5. art. 1.* his verbis; nam cum ens dicat aliquid proprie esse in actu, actus autem proprie ordinem habeat ad potentiam secundum hoc simpliciter dicitur aliquid ens, secundum quod primo discernitur ab eo quod est in potentia tantum, hæc autem discretio per actionem producentis Dei est, ita D. Thomas, & ratio est manifesta, quia solus Deus est ens actu ex se necessarium, habens sine vlla potentialitate summam actualitatem in essendo, omnia autem præter Deum solam potentialitatem essendi, seu possibilitatem ex se habent, vnde ad hoc vt acquirant, vt ita loquar, actualitatem essendi, seu actuale esse, necesse est, vt intercedat actio procedens ab actualissimo esse Dei, per quam Deus communicando creaturis esse actuale, faciat vt transeant à propria potentialitate, seu paupertate essendi ad opulentiam, divitias, & thesaurum actualis esse, ex vi liberalitatis immensæ Creatoris, in quo sensu explicat Chrysostomus illud Ioannis, & sine illo factum est nihil, quia sine effectione Dei nihil est actu, aut aliquod esse actuale reale in se habet; vnde rectè dicunt Sancti Patres, quidquid à Deo factum non est, vel Deum increatum esse, vel nihil esse actu Iustinus *in expositione fidei*, Cyrillus *lib. 1. in Ioannem, cap. 6.* Augustt. *lib. 1. de princ. cap. 6.* dilucidius autem, & elegantius *lib. 12. de ciuit. Dei, cap. 5. ibi.* Naturæ igitur omnes quoniam sunt, & ideo habent modum suum, speciem suam, & quandam secum pacem suam, profecto bonæ sunt, & cum ibi sunt, vbi esse per naturæ ordinem habent quantum acceperunt suum esse custodiunt, quo totum actu acceperunt: & quæ semper esse non acceperunt, quod antequam acciperent solum poterant accipere, quia nihil ex se possidebant: & paulò post: quæ cum ita sint, inquit, Deus, qui summè est, atque ob hoc ab illo facta est omnis essentia, quæ non summè est, quia neque illi æqualis esse deberet, quæ de nihilo facta esset actu, neque vllo modo esse posset, si ab illo facta non esset, nec vllorum vitiorum offensione vituperandus, & omnium naturarum consideratione laudandus est: Quibus omnibus manifestè demonstratur, Deum omnipotentem sua actione, & productione facere, vt essentia creaturæ transeat à pura potentialitate essendi ad actualitatem essendi, itaut omnem actualitatem, quam habet essentia accipiat à Deo, quia de se nihil est actu, sed solum posse esse actu.

70 Ergo terminus productus immediatè per illam actionem debet esse ratio formaliter extrahens essentiam rei à potentialitate causarum adesse actuale illius, vt patet ex illis verbis D. Augustini, quæ cum ita sint, Deus, qui summè est; atque ob hoc ab illo facta est omnis essentia quæ de nihilo facta est, neque vllo modo esse actu posset, si ab illo facta non esset.

71 Minor illa præcipua sic probatur; quia vt ex nuper dictis patet, creatura quatenus creatura nihil habet à se positivum actuale sine effectione, & influxu à Deo; atqui actualitas essentiæ, & actualitas existentiæ sunt rationes positivæ actuales, ac proinde non sunt pura possibilitas, quæ negatio & nihil dicitur à Patribus: ergo tam actualitas essentiæ, quam actualitas existentiæ sunt à Deo per influxum, ac dependent ab ipso per actionem productivam, ac per consequens verè fiunt, & producuntur à Deo per talem actionem & productionem, quod nihil aliud est, quam esse terminum formalem, seu factum esse formale talis actionis.

Vrgetur, ac declaratur: quia actualitas existentiæ 72
& actualitas essentiæ terminant vnam, & indivisibilem actionem; ergo sunt vna, & indivisibilis actualitas: patet consequentia, quia vna, & indivisibilis actio terminatur ad vnum & indivisibilem terminum; sed actualitas essentiæ, & actualitas existentiæ sunt terminus vnius indivisibilis actionis: ergo sunt vnus indivisibilis terminus productus per talem indivisibilem actionem; sed vnus terminus productus per vnam actionem est vna entitas facta per illam: ergo actualitas essentiæ, & existentia sunt vna, & indivisibilis entitas non indivisibilitate inter partes proprias, quia multoties existentia est materialis; sed indivisibilitate identitatis vnius actualitatis cum alia. Major est certa; tum quia actio sumit individuationem à termino; vnde si actio est vna & eadem entitas in esse actionis, etiam terminus debet esse vnus, alias terminus daret, quod non habet, scilicet vnitatem individuam actioni, quam non habet, quia est plures; tum etiam quia fieri habet mutuam proportionem cum facto esse, ac proinde pluralitas terminorum petit pluralitatem actionum: ergo à posteriori sequitur manifestè vnam, & individuam actionem habere pro termino vnam & eandem numero entitatem.

Vrgetur; quia actiones terminantur ad singularia, 73
vniuersale enim vt tale non producitur, ideoque Aristoteles ait in Metaphysica, actiones & generationes versari circa singularia; sed singularia non sunt, nisi à parte rei existentia: ergo illa actualitas essentiæ, quæ terminat actionem, erit singularis, quatenus distinguitur ab ipsa actualitate existentiæ; quia vt sic terminat illam actionem, cum prout sic, sit creatura actu de novo dependens à Deo, ac proinde debet produci à Deo; sed productio tribuit existentiam: ergo illa productio tribuit actualitati essentiæ existentiam, ac per consequens talis actualitas erit existens; de qua interrogo nunc, an provt distinguitur ab existentia sit existens per distinctam existentiam à se ipsa, vel non? si per distinctam; iterum inquiro an essentia quatenus distinguitur ab hac secunda existentia terminet actionem à Deo, vel non terminet: si non terminat provt sic, non erit creatura, sed potius erit essentia à se independens omnino à Deo, quia omne quod dependet, dependet per actionem Dei, quam terminat dependens; sed illa actualitas essentiæ, vt distinguitur ab existentia nullam terminat actionem Dei productivam: ergo actualis essentia creatura est independens à Deo: ergo homo essentialiter est increatus & independens. Patet consequentia, quia homo essentialiter est talis, qualis est essentia actualis illius, & ideo homo essentialiter est substantia, & animal rationale, quia hæc prædicata conveniunt essentiæ illius; sed etiam essentiæ actuali hominis provt distinguitur ab existentia convenit esse independentem, & increatam, seu improductam à Deo: ergo homo essentialiter est independens, increatus, & imparticipatus, & improductus, ac per consequens est à se negativè & non ab alio: ergo essentialiter homo est Deus; patet consequentia, quia Deus est ens improductum, independens, & imparticipatum, & tandem essentialiter est à se; sed essentia hominis, aut homo secundum essentiam est ens imparticipatum, & à se: ergo est Deus essentialiter; v. g. si aliquis diceret, equi essentiam esse animal rationale, sine dubio diceremus, equo convenire definitionem hominis essentialem; sed essentiæ hominis conveniunt prædicata essentialia Dei; ergo homo essentialiter est

Deus;

Deus; sed hoc est hæreticum: ergo nullo modo est dicendum actualem essentiam hominis esse improductam, sed potius esse productam, dependentem & participatam à Deo: ergo essentia hominis v. g. actualis provt distinguitur ab existentia terminat actionem Dei productivam: ergo terminat actionem Dei communicativam existentis: ergo actualitas essentiæ provt distinguitur ab existentia, est existens: ergo existentia non distinguitur ab actualitate essentiæ, sed potius est ipsa actualitas essentiæ.

74 Vrgetur, ex vi illius actionis, quæ terminatur ad essentiam quatenus secundum sententiam Adversariorum præsupponitur ad existentiam prioritate naturæ producitur aliquid à causa in ipsa essentia; sed produci aliquid à causa est illud causam extra se constituere, quia iam virtus causæ exiit in actionem, quia tunc non est causa in mero actu primo: ergo ex vi illius actionis essentia illa est extra causas: ergo est existens quatenus formaliter terminat illam actionem per quam producitur à causa: patet consequentia. Illud est existens formaliter, & loquor de ente creato, quod est extra suas causas formaliter; sed ex vi illius actionis, per quam producitur actualiter essentia illa est extra causas formaliter: ergo essentia illa ex vi illius actionis, per quam producitur actualiter, est existens formalissime: ergo actualitas illa essentiæ provt terminat illam actionem, est existentia ipsa.

75 Dices, quod illa actio non producit essentiam actualem, sed existentiam, quia existentia est terminus formalis quo producendi, vel est ratio sub qua, vel conditio sine qua non.

76 Sed contra primò, & sumo humanitatem Christi Domini, quæ in sententia Thomistica, quam impugnamus, non existit existentia creata, sed potius per existentiam Verbi increatam; tunc sic: ergo humanitas Christi Domini est terminus, qui, productus; patet consequentia: Implicat produci aliquem terminum, qui, absque eo quod producatur terminus formalis, quo; sed non producitur terminus formalis quo, respectu humanitatis Christi Domini: ergo humanitas Christi Domini non producitur tanquam terminus qui. Maior in eo videri est evidens; ideo enim homo non potest producere Angelum, quia non potest producere terminum formalem illius, & ratio est evidens, quia implicat quod aliqua potentia versetur circa terminum materialem, & qui sine termino formali illius, & sic implicat quod potentia visiva versetur circa aliquod obiectum quod non sit lucidum, & visibile; sicut etiam implicat quod omnipotentia versetur actualiter circa chimæram, & existentiam chimæræ, quia non datur ratio formalis, producendi chimæram, scilicet existentia possibilis sub ratione possibilis, seu existentia producibilis realiter.

77 Sed in humanitate Christi Domini non datur existentia producibilis ab omnipotentia divina: ergo neque datur terminus formalis quo omnipotentiæ. Maior est sententia, quam impugnamus: minor est evidens, suppositis eisdem principijs contrarijs, quia existentia humanitatis Christi Domini est existentia increata Verbi divini; sed existentia Verbi divini non est producibilis ab omnipotentia: ergo in humanitate Christi Domini non datur existentia producibilis ab omnipotentia. Maior est sententia Adversariorum, minor est de fide; consequentia infertur manifestè; quæ ita probatur syllogismo posito in *Ferio*: nulla existentia improducibilis ad extra per creationem, aut productionem dependentiæ, & causalitatis est terminus formalis quo omnipotentiæ; sed existentia humanitatis Christi Domini est existentia improducibilis, &c. Ergo existentia humanitatis Christi Domini non est terminus formalis omnipotentiæ; sed nulla potentia potest versari vbi non datur sua ratio formalis: ergo omnipotentia non versatur circa humanitatem Christi Domini: ergo humanitas Christi Domini est improducta, & independens ab omnipotentia, quod est hæreticum.

78 Confirmatur; ideo potentia generativa hominis non potest versari circa animam rationalem, quia existentia animæ rationalis non est terminus formalis generabilis: sed existentia humanitatis Christi Domini nec est terminus producibilis ab omnipotentia, neque generabilis: ergo nec potentia generativa, nec productiva possunt versari circa humanitatem Christi Domini, quatenus sub existentia increata: ergo humanitas Christi Domini non est terminus productus per omnipotentiam: ergo est independens actualiter à Deo, quod est aperte contra fidem: ergo vt hoc non dicatur, dicendum est, quod humanitas Christi Domini est terminus actualiter productus; sed non est producta formaliter ratione existentiæ, neque subsistentiæ Verbi divini: ergo producta ratione sui, & in se, quia illa actio aliquid producit actualiter; implicat enim quod detur aliqua actio actualiter, quin detur actualiter productum per illam; sed circa humanitatem Christi Domini datur actio omnipotentiæ actualiter: ergo datur aliquid actualiter productum in illa, quod actu sit in humanitate: sed non est existentia Verbi: ergo est ipsa actualitas essentiæ humanitatis, quia non datur, nisi duplex actualitas in rebus, alia actualitas existentiæ, alia actualitas essentiæ; sed actualitas existentiæ non producitur in humanitate: ergo producitur actualitas essentiæ per illam actionem: ergo actualitas essentiæ humanitatis provt distincta ab existentia Verbi divini est actualiter existens: consequentia patet; illud est actualiter existens, quod actualiter est extra causas ratione alicuius actionis producentis; sed actualitas essentiæ humanitatis Christi Domini quatenus actualiter terminat actionem omnipotentiæ est actualiter extra causas ratione illius productionis, quam terminat: ergo est actualiter & formaliter existens: consequentia patet, quia esse extra causas est existere, est enim poni in actu opposito potentiæ tam activæ, quam passivæ, & quam obiectivæ, seu logicæ; res enim ita ens extra causas non est in potentia alicuius causæ, quia iam non habet meram non repugnantiam vt sit, nec sit purè possibilis cum iam sit actu, nec habet meram aptitudinem vt producatur, cum habeat actu produci. Denique illa formalis extractio è causis est actualitas, quia actu extrahit, quod antea non habebat, nisi posse extrahi; denique habet esse actu producta, & terminare actionem, cum antea non haberet, nisi posse illam terminare: ergo actualitas humanitatis Christi Domini provt terminat actionem illam, est existens.

79 Dices, non esse extra causas illam actualem essentiam ac proinde non esse existentem.

80 Sed contra; quia illa humanitas Christi Domini est creata actu, & facta à Deo atque dependens: ergo est extra causas. Antecedens est certum, quia creatio est productio entis ex nihilo, ratione cuius iam est facta illa humanitas actu, quæ prius erat nihil, vt asserit D. Anselmus *in Monolog. cap.* 8. loquens vniversim de omnibus creaturis his verbis: Hoc igitur modo non inconvenienter intelligi potest, si dicatur creatrix essentia universa fecisse de nihilo, sive quod universa per illa facta sunt de nihilo, id est quæ prius nihil erant nunc sunt aliquid, quæ actu non fuerant; sic Anselmus, quibus consonant verba Aristotelis 9. *Met. cap.* 3. *ibi*: Non entibus non attribuitur ipsum moveri, sed alias quasdam prædicationes vt intelligibilia,

gibilia, & desiderabilia. Non entium enim quædam potentia sunt, non autem sunt quoniam endelequia actu non sunt; vbi Aristoteles absolute asserit, entia antequam actu sint, actu existant, & producantur, non esse, sed nihil esse; quod asseruit D. Thomas *3.p.q.* 10. *art.3.in corpore, ibi*: Dupliciter dicitur aliquid ens, vno modo simpliciter, quia scilicet est ens actu, alio modo secundum quid quia est ens in potentia. Itaque antequam res producatur non est absolute, & per productionem, est facta res, quæ prius erat nihil; cum autem productio causæ terminatur ad rem quia talis productio est fluxus seu emanatio à causa, ratione illius intelligitur actualis egressus, extractio & emanatio effectus à causa, aut transitus à virtute, & potentialitate causæ ad actualitatem extra illam; vnde iam affectus intelligitur esse in se, & non in virtute causæ; nam productio est effectiua, aut practica communicatio causæ, aut operatiua alicuius esse actualis, quod prodeat in lucem, & quasi eruatur à sinu, vel virtute causæ ad esse in se; vnde propter illam productionem traditur à causa effectui quoddam esse actu, per quod plus intelligitur in illo conceptu formali habere quã posse produci, aut non repugnare ad existendum, seu posse existere beneficio causæ: atqui pure non repugnare, existere; aut posse produci est continere in virtute productiua causæ: ergo per actu produci est extra continentiam causæ esse, cui potentiæ respondet productio ipsa tanquam fieri actuale; cum autem omni fieri actuali debeat correspondere factũ esse actuale, sequitur manifeste ex parte humanitatis Christi correspondere actum essendi, non solum contentum in potentia causæ, sed etiam extra causas; omnis enim res, cum primum intelligitur producta à sua causa intelligitur habere aliquod esse quod ab æterno non habuit ratione cuius est extra nihil, ac proinde extra possibilitatẽ puram: ergo etiam extra potentiam causæ, quia esse in pura possibilitate propria, & esse pure intra causam, & pure contineri in potentia, seu in virtute causæ, sibi mutuo correspondent; vnde sicut possibilitati effectus, quæ est quasi potentia passiua correspondet potentia actiua causæ, ita etiam contineri in pura possibilitate correspondet contineri in pura potentia causæ: ergo extrahi extra possibilitatem propriam seu egredi à possibilitate propria, correspondet extrahi à potentia causæ, & egredi à virtute causæ ad esse actuale proprium; & ratio est euidens quia impossibile est, quod detur egressus formalis à causa in effectu intrinsecè afficiens effectum quin ipse effectus denominetur & constituatur formaliter egrediens à virtute causæ, sicut impossibile est, quod productio afficiat effectum, & non constituat illum intrinsece in esse producti.

81 Sed creatio, & actio Dei terminata ad humanitatẽ Christi Domini est vera actio ac proinde verus fluxus, & vera emanatio à virtute Dei, seu à potẽtia ipsius: ergo est verus egressus à virtute Dei, & ab omnipotentia illius; sed hæc actio seu productio afficit intrinsece & constituit humanitatem, secundum denominationem in concreto similem illi, quam habet ipsa actio in abstracto, scilicet egressus emanationis, & fluxus à potentia, & virtute Dei: ergo humanitas Christi Domini constituitur ab ipsa formaliter egrediens, emanans, fluens, & exiens à virtute, & potentia Dei; hæc enim omnia sunt synonyma: ergo humanitas Christi Domini quatenus terminat productionem, & creationem Dei est extra causam, quia impossibile est quod aliquid egrediatur à causa, quin sit extra causã; sicut impossibile est, quod humanitas Christi egressa fuerit ex vtero Virginis, quin sit extra vterum illius, & impossibile est, vt fructus fluat ab arbore, quin sit extra arborem, & riuus manet à fonte, quin sit extra fontem; nam egressus, fluxus, & emanatio sunt transitus ab vno ad aliud; sed humanitas Christi Domini ratione actionis & productionis diuinæ fluit, emanat, & egreditur à potentia Dei: ergo est extra potentiam Dei, extra virtutem Dei, ac tandem humanitas est extra causam sui, quia virtus & potentia Dei est causa humanitatis Christi; sed esse extra causam est existere: ergo actualitas essentiæ Christi, quæ terminat productionem Dei est existentia, per quam existit ipsa essentia: ergo existentia, & actualitas essentiæ sunt idem omnino sine distinctione.

Vrgetur; quia impossibile est, quod creatio termi- 82
nata ad humanitatem prius natura quã vniatur Verbo impediatur, ne re ipsa suum habeat terminum, qui est existentia; quod in vniuersum in omni mutatione, vel actione, seu in omni fieri verum est, quia actio, seu fieri dicit essentialem habitudinem ad terminum, non aptitudinalem vt sic dicam, sed actualem, id est quatenus actu sit: ergo implicat contradictionem, quod ipsum fieri in rerum natura ponatur, & quod impediatur terminus iuxta gradum, & latitudinem talis fieri; vnde si fieri est momentaneum, & simul totum, necessario habet integrum terminum; & declaratur in præsenti: nam si ordine naturæ antecessit creatio animæ in fieri, quidnam factum est, aut quidnam consequuta est illa anima per tale fieri? & idem est de humanitate; nam si ipsa humanitas terminat fieri; quod factum esse acquirit per illud? certè non potest acquirere aliud, nisi esse extra causas, ac proinde existere.

Dices, nihil in re esse consequutum, nisi quod ten- 83
debat ad existendum, nisi impediretur.

Sed contra manifestè, quidnam quæso est tendere 84
ad existendum, aut quid esse potest talis tendentia, nisi ipsa existentia prout in fieri, tendere enim ad calorem nihil aliud est, quam habere calorem in fieri; & idem est in omnibus aliis tendentis; sicut ergo impossibile est esse actualem calefactionem, seu tendentiam ad calorem, quin resultet aliquis calor, ita impossibile est intelligere tendentiam ad existendũ per veram creationem in fieri quin per tale fieri aliqua existentia facta intelligatur in humanitate; si ergo creatio, vel productio in fieri ordine naturæ antecedit in humanitate ad vnionem hypostaticam, & ad assumptionem, & illa non potuit impediri per assumptionem illam à suo intrinseco termino, necesse est, vt secundum eundem naturæ ordinem in facto esse antecesserit; sed talis terminus est existentia: ergo ordine naturæ antecedit existentia in humanitate Christi; sed antecedit per vos actualitas essentiæ: ergo talis actualitas essentiæ est ipsa existentia.

Vrgetur ac declaratur amplius; nam Angelus bo- 85
nus, vel malus virtute naturali intuitive videt humanitatem Christi, & totam actualem entitatem eius: ergo videt intuitive id quo illa humanitas intrinsece, & formaliter constituitur in esse talis entitatis actualis; fieri enim non potest nec intelligi, vt aliquis intuitive videat album vt album, & non videat albedinem ipsam; sed Angelus virtute naturali non poterat intueri verbum, vel diuinitatem vnitam humanitati: ergo signum euidens est, humanitatem non constitui in esse actuali terminante visionem intuitiuam Angeli naturalem per vnionem hypostaticam, nec per rem increatam, sed potius per actualitatem propriam distinctã ab existentia Verbi; sed hæc actualitas necessario est existentia, & per vos hæc actualitas est actualitas essentiæ, ergo actualitas essẽtiæ, & actualitas existẽtiæ sunt idẽ; quod autẽ talis actualitas sit actualitas existentiæ, patet manifeste ex principiis omnium

Thomistarum, cum quibus pugnamus, asserunt enim illi visionem intuitivam necessario & essentialiter terminari ad existentiam; atqui illa actualitas essentiæ humanitatis Christi terminat visionem intuitivã naturalem Angeli: ergo talis actualitas est actualitas existentiæ: ergo actualitas existentiæ, & actualitas essentiæ humanitatis Christi sunt idem realiter, & non distinguuntur.

86 Vrgetur amplius ex eodem mysterio, quia humanitas Christi in ratione subsistentis constituitur per ipsam subsistentiam increatam, quam dæmon intueri non potest; fit vt ipse non possit illam intueri, & clare videre in ratione subsistentis: ergo si per existentiam divinam constitueretur in esse actualis entitatis, non posset illam sub hac ratione clare intueri, non visa ipsa existentia divina quod est euidenter falsum. Tunc sic; ipsa humanitas Christi videtur ab Angelo vt actualis: ergo illa actualitas, quam vocatis essentiæ erit actualitas naturalis, ex eo quod attingitur à naturali cognitione, sed attingitur à naturali cognitione, quæ intuitio est: ergo est obiectum illa actualitas naturalis intuitionis, sed obiectum naturalis intuitionis est existentia: ergo illa actualitas essentiæ est simul actualitas existentiæ.

87 Dices, Angelum illum falli in cognitione.

88 Sed contra manifeste, quia omne quod est naturale, vere sine fallacia cognoscitur ab Angelo, & quod est naturale necessarium, & non liberum, intuitiue attingitur vere ab Angelo, imo in probabilissima opinione quidquid est naturale inferius Angelo, non solum intuitiue videtur ab illo, sed etiam comprehensiue: sed humanitas Christi Domini est entitas necessaria naturalis inferior Angelo secundum prædicata essentialia humanitatis: ergo Angelus comprehendit vere sine fallacia humanitatem illam, & minimum intuitiue vere videt illam naturaliter, non viso Verbo, neque vnione hypostatica: ergo humanitas secundum esse actuale, quod habet distinctum à Verbo terminat visionem intuitiuam Angeli; est enim obiectum illius, omne namque obiectum terminat cognitionem cuius est obiectum: ergo si illud esse actuale humanitatis Christi distinctum ab esse Verbi, est actuale esse essentiæ: ergo actuale esse essentiæ intuitur ab Angelo, sed id quod videtur ab Angelo intuitiue, est existentia: ergo existentia est idem à parte rei, quod esse actuale essentiæ.

89 Secundo contra, quia humanitas Christi Domini pro vt terminat creationem Dei, & pro vt distinguitur à Verbo, & quatenus habet esse actuale essentiæ, videtur à Deo intuitiue, sed visio diuina intuitiua non potest falli, etiam si falleretur visio intuitiua Angeli: ergo talis essentia actualis est obiectum veræ cognitionis intuitiuæ ratione talis actualitatis, sed obiectum veræ cognitionis intuitiuæ est existentia: ergo talis actualitas humanitatis Christi est vera actualitas existentiæ, præcipue quia quando idem est obiectum visionis intuitiuæ, & veræ productionis terminus non potest non esse existentia; sed essentia actualis humanitatis Christi simul est obiectum intuitionis, & terminus productus secundum actuale esse à diuina omnipotentia: ergo talis essentia actualis, vt actualis erit existens, quia est extra causas, nam si ex hoc quod res intelligitur actu esse in rerum natura emanans à propria causa ex vi actionis non intelligitur actu existens, quæro quid illi addat existentia postea adueniens? certe non potest illi tribuere, vt actu sit, hoc enim aperte supponitur ex vi prioris conceptus; tribuet ergo quod hoc, vel illo modo sit, at vero hoc iam non pertinet ad rationem existendi absolute, sed ad terminationem quandam, & modificationem ipsius existentiæ; vnde hoc potius pertinet ad rationem subsistentiæ, vel inhærentiæ. Quod si quis contendat hunc modum determinantem, vt ita dicã, entitatem actualem, vt sic, vel aliter sit vocari existentiam, & non illud ipsum esse quo constituitur res in esse entitatis actualis: de significatione vocis potius, quam de re contendit, & contra communem modũ concipiendi non solum sapientum, sed etiam omnium hominũ, vtitur nominibus, quamuis enim quantitas v. g. in Sacramento Eucharistiæ mutet modum existendi, nullus tamen dicet mutare ipsam existentiã, quæ eadem est in quantitate siue inhæreat, siue à subiecto separetur, & existat per se.

Ex quibus manifeste patet, fieri nullo modo posse, 90
vt aliquid terminando actionem, seu fluxũ ab agente sit ens actu, aut actualis entitas quin in suo conceptu formali & intrinseco includat existentiam, ita vt nec per abstractionem præcisiuam mentis possit vnum ab altero secerni, manente vero conceptu vtriusque, quod manifeste patet ex vniuersalissimo illo principio; impossibile nimirum esse concipere effectum aliquem formaliter constitutum per aliquam formã intrinsecam, quin in illo includatur intrinsece talis forma; quapropter impossibile est, concepto albo non concipi albedinẽ inclusam in illo, quia omnis forma, vel actus quasi formalis est de intrinseca constitutione effectus, quia concurrit ad illum intrinsece & perse ipsum, illum constituendo, præbendo ipsi propriam entitatem, & formalitatem; sed vt ex dictis patet, entitas actualis terminans actionem, seu productionem actualem, per quam producitur, formaliter constituitur in esse entitatis actualis per existentiam: ergo nullo modo potest concipi entitas actualis vt sic, quin in illa intrinsece includatur existentia.

Dices, essentiam creatam intrinsece constitui in es- 91
se entitatis actualis, non per existentiam ipsam, sed per ordinem ad existendum.

Sed contra, quia hoc repugnat veræ, ac propriæ 92
rationi existentiæ, à nobis explicatæ, & ab aduersarijs admissæ, quia essentia secundum se, vt dicitur esse ab æterno in potentia, & virtute suæ causæ, est capax existentiæ ab ipso nunc æternitatis secundum potentiam obiectiuam, & possibilitatem, & per extrinsecã denominationem à potentia suæ causæ, quia ab æterno vnaquæque res potest à Deo produci, vt patet ex dictis in physicis, & nihilominus ab æterno nulla creatura est entitas actualis simpliciter: ergo entitas actualis non constituitur in esse talis per potentiam, habitudinem & capacitatem ad existendum.

Dices, capacitatem, quam habet res ab æterno ad 93
existendum, esse remotam, non autem proximam, ac proinde non constitui in esse actualis per illam.

Sed contra manifeste; quia res ab æterno, vt dixi 94
tam proxime creabilis est, ac nunc, respectu omnipotentiæ diuinæ, nam sicut Pater æternus in ipso nunc æternitatis produxit Verbũ diuinum, ita similiter potuit ab æterno producere omnem, & quamcũque entitatem creatam permanentem, quia causa ad hoc, vt producat effectum, non petit prioritatem durationis; sed naturæ, vt videre est in sole, qui simul ac est solum prioritate naturæ, producit lucem: ergo Deus, qui infinite efficacior est in operando potuit producere ab æterno quamcunque creaturam, sine indigentia alicuius dispositionis, ac perconsequens sine retardatione alicuius contrarij, quia infinitum agens creans ex eo quod ex nihilo producit, nulla dispositione indiget, nec ab aliquo contrario potest retardari, quia nulla est proportio pugnæ, aut resistentiæ finiti ad infinitũ ergo omnis creatura permanens non solũ est in potentia remota ad existendũ ab æterno: sed etiam in potentia proxima, & nihilominus non est ab æterno actualis simpliciter: ergo entitas actualis non constituit in esse talis per capacitatem ad existendum, siue proximam siue remotam.

Contra

95 Contra 2. Nam vel hæc capitas proxima; quam petunt aduersarij, est obiectiua tantum, & sic non est extra latitudinem entis in potentia, nec est realitas actu, producta ac proinde non est actualis absolute; vel est capacitas subiectiua fundata in aliqua entitate actuali, iam producta, & sic necesse est, vt illa entitas, in qua fundatur, habeat aliquod esse intrinsecum nouum, & productum, quod necesse est ex vi productionis, vt sit esse existentiæ, cum ex vi productionis sit esse actuale fluens, manans, & egrediens à causis, & extra illas, vt supra probaui: ergo talis entitas non constituitur per capacitatem existentiæ, sed intrinsece per existentiam ipsam, quia sola illa est actualitas simpliciter.

96 Imo potius si res iam habet hoc esse actualis entitatis non intelligitur quomodo sit in potentia, vel capacitate, vt vlterius terminetur per existentiam, sed recte intelligitur esse in potentia, vt terminetur per inhærentiam, vel per subsistentiam, nam vt recte asserunt D. Augustinus. *lib. 1. de Genes. ad litt.* Anselmus *in prosolog.* Damascenus. *lib. 3. cap. 3.* Subsistentia est modus existentiæ.

97 Vnde etiam obiter intelligitur, essentiam non vere neque proprie comparari ad existentiam per modum subiecti, vel potentiæ receptiuæ, quia in subiecto, vel potentia recipiente, necesse est præintelligi actualitatem, vt possit alium actum suscipere; ipsi vero existentiæ nulla actualitas, seu actualis entitas supponitur, sed per illam intime, & formaliter constituitur; & eadem ratione obiter colligitur, essentiam non comparari ad existentiam per modum principij effectiui, neque per propriam actionem, neque per naturalem resultantiam, quia in omni principio effectivo supponi debet aliquod actuale esse, vt ab illo possit aliquid fieri, vel manare; quod enim actualiter nihil est nullo modo potest aliquid deficere, at vero essentia vt præintelligitur existentiæ non est actualis entitas, sed in potentia tantum, nihil ergo potest efficere, nisi prius per ipsam existentiam constituatur in esse actualis entitatis: ergo impossibile est, vt sit principium efficiens ipsam existentiam: tunc sic, humanitas Christi Domini provt distinguitur à Verbo, & provt dicit actualitatem essentiæ terminat actionem Dei, quæ fluxus est ab agente, & egressus à virtute causæ: ergo ex vi illius talis actualitas essentiæ egreditur ex virtute causarum: ergo est extra causas: ergo est actualitas existentiæ.

## Svbsectio. V.

### *Solutiones Aduersariorum refutantur.*

98 Respondent aliqui essentiam rei actualem neque actu produci, neque actu extrahi à potentialitate causarum, ac proinde actualem essentiam provt distinguitur ab existentia esse improductam, increatam, & independentem, ac per consequens non esse in tempore actualem essentiam, sed ab æterno; dum autem opponitur: ergo essentia illa non est creatura, sed Deus; respondent, essentiam actualem esse creaturam, non quia ipsa essentia creetur, sed quia creatur existentia ipsius; ponunt exemplum in Deo, qui dicitur Deus, & non creatura, quia habet existentiam increatam; vnde si per impossibile Deus haberet existentiam creatam, non esset Deus sed creatura.

99 Sed contra manifeste; nam hæc solutio plura continet intolerabilia; nam ex illa manifeste sequitur, humanitatem Christi Domini esse Deum, & minimum actu non esse creaturam: primum sic patet, quia humanitas Christi actu habet existentiam increatam, quia existit existentia Verbi: ergo si id, quod habet existentiam increatam & divinam est Deus, sine dubio humanitas Christi Domini non erit creatura, sed Deus; secundum sic patet: quia humanitas Christi non est creata, neque secundum actualem essentiam, neque secundum actualem existentiam: ergo de facto humanitas Christi Domini non est creatura, neque natura creata, sed hoc est hæreticum, cuius oppositum definitum est in Concilio Ephesino 1. & Calcedonensi. *præsertim actione 5. in 2. fidei definitione,* & in 6. Synodo generali *actione 11. & 13.* & in Synodo 5. *præsertim actione 1. & collat. 8. can. 8.* & Lateranensi sub Martino 1. *consultat. 5. à Canon. 4. vsque ad 9.* & in Lateranensi sub Innocentio 111. quod habetur in capite *Firmiter de summa Trinitate, & fide catholica,* & in Florent. *in literis vnionis,* & in Toletano. 4. 5. & 11. & in Hispalensi. 11. *cap.* 13. vbi plura Scripturæ testimonia congeruntur & optime ex Leone Papa *epist. 10. ad Flauianum,* & recipitur tãquam dogma fidei in edicto Iustiniani Imperatoris; in quibus omnibus Concilijs anathematizatur hæresis asserens in Christo Domino, dari solum vnam naturam, & hanc increatam, ac proinde definitur in Christo Domino post incarnationem duas permansisse naturas integras, & inconfusas, divinam videlicet, & humanam, increatam, & creatam, ratione cuius dicitur Christus *in Symbolo Athanasij* æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, quia secundum humanitatem est creatura: popter quod dicebat ipse *Pater maior me est*; & in cruce loquens cum Patre dicebat, *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti.* Vbi fatetur Patrem esse Deum sui, quod non potest intelligi, nisi Christus sit creatura secundum aliquid sui, quia Deus est talis respectu creaturæ, sed non est creatura secundum divinitatem: ergo est creatura secundum humanitatem, ratione cuius dicebat Paulus *1. ad Corint. 3.* omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus vero Dei; nam Christus Dei esse dicitur; quia Deus in suum honorem ipsum fecit Christum, & humanitatem eius vtpote creaturam creauit, vt Paulus ait ad *Hebræ. 3.* & Petrus. *1. Canonica cap. 3.* quibus alludit illudit illud Christi *Ioann. 20.* Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; supra quæ ait Rupertus. *lib. 14 in Ioan.* Deus meus est, inquit, quia creaturam eius, id est humanitatem assumpsit; Deus autem illorum est, quia non aliud, quam homines sunt, & Cyrillus. *lib. 12. in Ioan. cap. 51.* vbi eadem verba tractans inter alia inquit; quamvis Dei secundum naturam sit filius, Deum tamen suum nuncupavit, vt quemadmodum nos ad supernaturalem dignitatem per ipsam ascendimus; sic & ipse quoniam homo factus est, Deum nostrum in Deum suum habeat; quia secundum humanitatem creatura est: ergo secundum fidem catholicam humanitas Christi Domini est creata à Deo, quia creatura Dei, & nihilominus habet existentiam divinam: ergo falsum est dicere quod res dicatur creatura, vel Deus propter existentiam creatam, vel divinam, quia diuina existentia non mutat essentiã creaturæ, sed potius relinquit humanitatem in esse essentiæ creatæ: ergo essentialiter est creatura ab actuali essẽtia, quando actualis essentia producitur, & creatur à Deo. Vnde è contra si essentia ipsa actualis sit improducta, increata, & imparticipata, & independens, erit sine dubio Deus essentialiter, neq; ab hac denominatione esẽtiali potest extrahi per solam existentiã distinctam à tali essentia.

Exemplis demonstratur hoc: nam in sententia Thomistarum existentia, quã habet Petrus, & haberet humanitas Christi, si non assumeretur à Verbo, esset accidens, vel modus & ratione talis accidens, vel modi non denominatur Petrus accidens, aut modus, sed potius essentialiter, & absolute denominatur 100

substantia realis eo quod essentia actualis est substantia realis; item si humanitas Petri vniretur equinæ existentiæ, & subsistentiæ, aut lapidi, aut Angelo essentialiter, & absolutè non diceretur equus, Angelus, aut lapis, sed potius diceretur essentialiter homo tale compositum, quia essentia illius esset essentia hominis: ergo essentialis denominatio humanitatis non mutatur propter existentiam alienam, neque propter existentiam propriam modalem, & accidentalem; vnde humanitas Christi in præsenti non dicitur Deus sed creatura, & de possibili non diceretur accidens; aut modus, licet de facto existentia illius sit Deus, & de possibili existentia illius esset accidens, & modus; sed per vos actualis essentia humanitatis Christi quatenus distinguitur à propria existentia, quam non habet non terminat creationem, aut productionem divinam, neque ipsa in se potest terminare illam, quia ex se, & in se est improducta, increata, independens, & imparticipata: ergo humanitas Christi Domini licet de possibili haberet existentiam creatam, quia illa distingueretur ab humanitate, & esset accessorius, seu secundarius conceptus illius, non denominaretur creatura, & de facto, quia neque in se, neque in existentia, quam habet, est creatura, nullo modo poterit denominari talis, sed potius debet denominari essentialiter & existentialiter Deus, vnde Christus Dominus nullomodo erit minor Patre secundum humanitatem, sed in totum erit æqualis Patri; quæ omnia sunt absurda hæretica.

101 Præsertim, quia eo modo est existentia debita essentiæ quo est essentia actualis; vnde quia Deus essentialiter est independens, existentia illius est independens, & increata, & quia tenebræ habent essentiam negativam, existentia illis proportionata est negativa; sicut quia arbor habet essentiam positivam naturalem, existentia illius est positiva naturalis, neque potest esse negativa, aut supernaturalis, & propter eandem rationem, quia essentia vnionis hypostaticæ, gratiæ, & visionis beatificæ est supernaturalis, existentia est etiam supernaturalis; sed essentia humanitatis actualis est increata, imparticipata, & independens: ergo existentia illi debita est imparticipata, increata, independens; ergo humanitas nullo modo potest dici creatura in vestra sententia, neque ratione actualitatis essentiæ, neque ratione actualitatis existentiæ: ergo absolutè est Deus, quod est hæreticum, vt patet ex dictis: ergo si humanitas Christi Domini est creatura, non solum erit producta secundum existentiam, sed etiam à fortiori secundum actualitatem essentiæ; itavt terminet intrinsecè, & afficiatur intrinsecè, ac constituatur ab actione, & productione divina in eo esse concretivè, quod habet in abstracto ipsa actio Dei, & sic debet constitui producta, creata, & dependens, sed actio, & productio Dei est etiam fluxus emanatio; & egressus à causa & à virtute causæ: ergò ex vi talis actionis essentia actualis humanitatis fluit ab omnipotentia veluti à sua causa, emanat ab illa, & egreditur ab eadem; sed quidquid egreditur ab aliquo, est extra illud, à quo egreditur vt patet ex exemplis supra adductis: ergo actualis essetia humanitatis est extra causas ex vi actionis, qua producitur.

102 Confirmatur, quia Beata Virgo est vera Mater Christi secundum fidem, vt definitum est *in Concilio Ephes. & Chalcedon. & in sexta Synodo. actione* 4. & 11. secundum illud *Ioannis* 2. Et erat Mater Iesu ibi; & *Lucæ* 1. Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me: ergo Beata Virgo fuit vera causa physica humanitatis Christi producendo ipsam humanitatem, media enim generatione ex Virgine Matre ab Abraham, & David descendit; & ideo dicitur filius David, filius Abraham; vnde *Isaiæ* 11. dicitur. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: sicut ergo flos verè producitur ab arbore, ita Christus à Virgine secundum humanitatem, vt notarunt Hieronymus ibi, & Leo Papa *serm.* 4. *de Nativitate.* Ambros. *lib. de benedict. Patriarch. cap.* 4. *& lib.* 2. *de Spiritu Sancto cap.* 5. Augustinus. *serm.* 3. *de tempore.* Chrysost. *in Psalm.* 22. Origenes. *homil.* 12. *in Lebyt.* Tertul. *lib.* 5. *contra Marcionem. cap.* 8. *& lib. contra Iudæos. cap.* 9. Rupertus Abbas. *lib.* 2. *in Isaiam, cap.* 6. *& lib.* 11. *de vict. Verbi. cap.* 28. *&* 52. atque eandem vim habet hoc testimonium, etiamsi per virgam Christum intelligamus, vt intellexit Clemens Alexand. *lib.* 1. *Pedag. cap.* 9. & Chrysost *hom.* 30. *in Math.* Origen. *homil.* 9. *in Numeros.* Hylarius *Psalm.* 2. circa illa verba, *Reges eos in virga ferrea*, Ambrosius *serm.* 54. & Cyrill. *in Isaiam*; eandem inquam, vim habet, quia Christus non fuit de radice Iesu, nisi mediante Virgine, quod aperte docet Scriptura, nam *ad Galath.* 4. Christus hoc sensu dicitur factus ex muliere; & ad *Roman.* 1. dicitur factus ex semine David secundum carnem, & *Lucæ* 1. quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei; vocabitur, inquit, non falsa appellatione, sed vera, & non solum post nativitatem ex vtero, sed in ipsamet conceptione in vtero, de qua Angelus loquebatur, rationem reddens, quare Spiritus Sancti virtute esset efficienda, quia nimirum Christus producendus, & concipiendus erat à Virgine, vt notauit Cyrill. Alexandr. *lib. de Incarnat. Christi*, *& lib. de fide ad Reginas*, citans Athanasium *lib. de Incarnat.* & hoc etiam confirmat locus *Isaiæ, cap.* 7. Ecce Virgo concipier, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel; quod est interpretatum nobiscum Deus; vnde Gregorius *lib.* 9. *registri. epist.* 61. Eadem, inquit, Virgo, & ancilla Domini dicitur, & mater, ancilla enim Domini, quia Verbum ante sæcula, Vnigenitus æqualis est Patri, Mater vero quia in eius viscеribus ex Sancto Spiritu eiusque carne factus est homo, quia non prius in vtero Virginis caro concepta, & producta est, & postmodum divinitùs venit in carnes, sed statim Verbum factum est caro; & eodem modo loquuntur omnes alij antiqui Patres, ratione cuius canit Ecclesia in officio parvo Beatæ Virginis: genuisti, qui te fecit, & in æternum permanes Virgo: & passim in orationibus festivitatum Beatæ Virginis nominat eam Dei genitricem, hoc est generantem Deū, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem; arqui generatio est vera productio, & vera causalitas: ergo B Virgo verè produxit, & causavit aliquid actu in humanitate Christi Domini; sed non est in humanitate Christi Domini actualitas existentiæ per vos, quæ possit produci à Virgine, quia existentia humanitatis est existentia divina Verbi, ac proinde est improducibilis à B. Virgine: ergo quod productum est in humanitate Christi, est actualitas essentiæ illius: ergo actualitas essentiæ ex vi talis actionis est extra causas: ergo est existens: ergo ipsa actualitas essentiæ erit actualitas existentiæ, vnde ex vi huius argumenti dicendum est, humanitatem Christi non existere existentia Verbi; sed potius existentia propria, quæ simul sit existentia & actualitas essentiæ, alias gravissimum inconveniens sequeretur contra vos, quia si humanitas Christi existit per increatam existentiam, sequitur, vnionem Incarnationis factam esse immediatè in aliquo essentiali, quod est omnino falsum, & aperte damnatum à fide catholica; sequela patet, quia esse existentiæ in Deo est esse absolutum & essentiale, vt cū D. Thoma 3. *p q* 17. *art.* 2. *ad* 3. docent omnes Thomistæ, ex quo vlterius sequitur, hanc vnionem factam esse in natura, quia compositio in esse, & essentia est compositio vnius naturæ existentis &c.

Dicunt

103 Dicunt Adversarij B. Virginem non produxisse humanitatem, quia non est causa efficiens, sed solum esse causam materialem.

104 Sed contra hanc solutionem 1. insurgunt omnia quæ posuimus *lib. de generat. quæst. vtrum fœmina concurrat actiue?* vbi late probauimus; B. Virginem verè actiuè concurrisse ad productionem humanitatis Christi. Deinde 2. quia non potest negari articulus de fide, humanitatem Christi Domini factam fuisse cooperante Spiritu sancto, vera productione; atqui cooperatio vnius non potest dari sine operatione alterius, quia cooperatio est coexistentia duorum operantium, vnde quando dicimus, Deum concurrere cum creaturis necessario involuimus operationem creaturæ, quare sicut non potest ex vi vnius existentis dici coexistentia, nisi duo existant simul, sicut non possumus dicere, commotionem, nisi duorum motionem, & compassionem nisi duorum passionem, & ideo aiebat Paulus & si compatimur, & conglorificemur; ita similiter, non potest cooperatio Spiritus sancti vere intelligi sine operatione alterius simul cum ipso circa Christum vt hominem, sed non est alius, qui possit cooperari cum Spiritu sancto humanitatem Christi; nisi Beata Virgo: ergo B. Virgo vere cooperata est humanitatem ea proprietate, qua Spiritus sanctus operatus est eandem Christi humanitatem, nam eadem phrasi & modo loquendi significatur æque operatio Spiritus sancti, & B. Virginis; sed operatio Spiritus sancti non est impropria, neque materialis, sed propriissima: ergo similiter operatio Virginis circa humanitatem est propriissima operatio, alias eodem nomine cooperationis absolute non significaretur productio Virginis & Spiritus sancti, sicut v. g. si nulla creatura vere produceret & causaret actiue, nullo modo posset dici, Deum concurrere cum creaturis, sed solum diceretur, Deus producit, sicut in proprietate, aut cum illa non potest dici, Philippum quartum conregnare, sed solum dicitur proprie regnare, quia non est alius qui vere regat, & gubernet potestate suprema, & regia cum Philippo quarto: ergo si absolute verificatur secundum fidem nostram Spiritum Sanctum cooperatum fuisse humanitatem Christi cum B. Virgine: ergo B. Virgo vere operata est simul cum Spiritu sancto humanitatem Christi: ergo in humanitate Christi, vt distinguitur illa ab existentia Verbi ex vi talis operationis Virginis positum aliquid est extra causas, sed non est in humanitate Christi aliquid quod possit poni extra causas à Virgine, nisi essentia actualis humanitatis: ergo illa est extra causas, ita vt actio Virginis sit constitutio in genere causæ efficientis illius essentiæ extra causas, & actualitas illa terminans actionem sit constitutio in genere causæ formalis illius essentiæ extra causas, quia vt supra probauimus, terminus actionis extrahentis extra causas est extractio formalis, sed extractio formalis vel actualitas extrahens est existentia formaliter creata: ergo actualitas essentiæ est ipsa actualitas existentiæ.

105 Dices B. Virginem ideo dici causam, matrem, & generantem, non quia produxerit humanitatem, sed quia physice attigerit vnionem hypostaticam.

106 Sed contra manifestè; quia articulus de fide non dependet ab opinione; atqui opinio est, & minus probabilis B. Virginem physice attigisse vnionem hypostaticam, & quod Virgo sit vera mater Dei, & quod generet Christum, concipiat & pariat ipsum, est articulus de fide certissimus: ergo nullo modo potest dici, B. Virginem ideo esse genitricem Christi, matrem eius, cooperantem cum Spiritu Sancto, quod produxerit physice vnionem hypostaticam, cum hoc tantum sit probabile, & illud certissimum; imo probabilius est B. Virginem non produxisse physice talem vnionem, vt late tractat P. Franciscus Suares. *tom. 1. in. 3. p. disp. 10. sect. 1. à §. de ipsa autem Virgine, vsque ad §. dixi semper, exclusive.*

Declaratur hoc, quia v. g. articulus de fide, 107
quod in Christo detur vnio hypostatica, non dependet ab opinione probabili, videlicet, quod talis vnio distinguatur, vel non distinguatur ab humanitate, vnde male assereret, qui doceret, ideo dari vnionem hypostaticam in humanitate Christi, quia vnio hypostatica nihil est distinctum ab humanitate, & Verbo, quia hæc est opinio, illa veritas de fide, illa certissima, infallibilis, quæ non potest subesse falso, hæc forte falsa sententia; ergo similiter non potest dici, ideo B. Virginem esse Matrem Dei, quia produxit physice vnionem hypostaticam, cum illud sit certissimum, & infallibile, hoc vero fallibile.

Deinde, quia demus B. Virginem nullo modo 108
actiue concurrisse ad humanitatem Christi, nihilominus non potest negari, concepisse Christum secundum humanitatem, & aliquomodo causasse humanitatem, quia maternitas fundatur in causalitate, quia est relatio siue realis, siue rationis causæ ad effectum, vnde saltem erit causa materialis humanitatis Christi: quod nullus vnquam negare ausus est: ergo aliquid causauit quomodocumque in humanitate Christi: sed id, quod causatum est de novo per vos nó potest esse existentia Verbi diuini: ergo est actualitas essentiæ humanitatis; sed id, quod causatum est, eo modo, quo causatum est emanat à causa, & egreditur ab illa: ergo actualitas essentiæ humanitatis egressa est à causa ex vi causalitatis Beatæ Virginis: ergo est extra causas; sed id, quod est extra causas est existens: ergo actualitas essentiæ humanitatis vt distinguitur ab existentia Verbi est existens per se ipsam formaliter: ergo actualitas essentiæ est ipsa existentia sine distinctione à parte rei.

Tandem, quia licet Virgo sanctissima non pro- 109
duxerit humanitatem in genere causæ efficientis, nihilominus Spiritus sanctus produxit humanitatem, & ideo dicitur cooperante Spiritu Sancto, conceptam fuisse humanitatem, in qua cooperatione, & productione suppleuit Spiritus sanctus, & tota Trinitas concursum viri, vt late probo *libris de generat. quæst. vtrum mas concurrat actiue ad generationem substantialem fœtus*: atqui licet fœmina concurrat passiue in sententia D. Thomæ, & Thomistarum, vir medio semine, concurrit actiue ad substantialem generationem per veram actionem, ac veram productionem, & efficientiam: ergo Spiritus sanctus totaque Trinitas per omnipotentiam vere, & proprie in genere causæ efficientis produxit (non existentiam Verbi, quia existentia Verbi, & Verbum diuinũ neque producitur in genere causæ efficientis, neque vllo modo producitur ab Spiritu Sancto, neque à tota Trinitate, sed solum Verbum diuinum quatenus tale, & quatenus secunda persona est, generatur à Patre) humanitatem Christi Domini, sed non secundum existentiam propriam, neque secundum actualitatem existentiæ: ergo secundum actualitatem essentiæ: ergo actualitas essentiæ producta est à Deo: ergo ex vi talis productionis in genere causæ efficientis posita est extra causas, vnde in genere causæ formalis ex vi termini talis productionis ponitur extra causas, sed terminus talis productionis est actualitas illa essentiæ: ergo actualitas illa essentiæ est formalis constitutio extra causas: ergo non distinguitur ab existentia, sed est ipsa existentia formalissime.

110 Vt Aduersatii fugiant hanc rationem, & superiores, asserunt, ideo dici humanitatem productam, creatam, & participatam à Deo, quia producitur vnio illa hypostatica, cui vnitur, ac proinde dicunt, incarnationem non esse actionem mere vnitiuam, sed productiuam etiam humanitatis, non in se, sed in Verbo; fundatur hæc opinio in verbis illis Leonis Papæ *epist.* 11. *ad Iulianum, ibi.* Natura nostra non sic assumpta est vt prius creata, post assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur.

111 Sed hæc solutio duplicem sensum potest habere, primum, humanitatem v. g. minime in se, id est secundum propriam actualitatem humanitatis produci à Deo, sed solum produci vnionem hypostaticam, ex cuius productione redundet denominatio productæ in ipsa humanitate; alius potest esse sensus, videlicet quod non solum producatur vnio per Incarnationem tanquam per vnam indiuisibilem actionem, sed etiam ipsa humanitas simul cum vnione, ita vt illa particula non in se non neget, vere produci humanitatem, dum tamen simul producatur cum vnione, sed solum neget, seorsim produci illam ex vi cuiusdam actionis distinctæ ab ipsa productione vnionis, vterque autem sensus est falsus & secundus, etiam si in se falsus sit, non est contra nos, nec soluit nostrum argumentum, sed potius corroborat veritatem illius vt partebit ex dicendis; quod autem primus sensus sit falsus quoad primam partem, patet ex iam dictis; quia humanitas vt distinguitur ab vnione hypostatica, est creatura, & non Deus: ergo immediate creatur, dependet, & participatur à Deo: ergo non solum producitur secundum vnionem; quod amplius demonstrant supradicta. Secunda pars illius primi sensus patet manifeste; Nam si esset verum quod ex vnione alicuius producta, & creata redundaret denominatio productæ, & creatæ, sequeretur manifeste, Verbum diuinum vnitum vere, & realiter humanitati esse creaturam, dependere, & fieri, nam etiam Verbum diuinum est, ad quod pertinet tanquam ad extremum vnitum ipsa vnio non minus ac pertinet ad humanitatem; sed hoc est falsum: ergo falsum est dicere, humanitatem dici creatam, & productam, ex eo solum quod vnio ipsius sit producta, & creata.

112 Sequela sic probatur, Quia vbi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis, sed tota ratio formalis propter quam per vos humanitas dicitur producta & creata, est quia vnio, per quam vnitur Verbo, est producta, creata & dependens; sed ipsa vnio humanitatis ad Verbum est etiam vnio Verbi ad humanitatem, quia est nexus vtriusque, per quem non solum vnitur humanitas Verbo, sed etiam Verbum humanitati constituendo Christum intrinsecè: ergo datur in Verbo eadem ratio formalis, vt sit productum & creatum, sicut in humanitate: ergo dabitur eadem denominatio in Verbo, ac in humanitate, & sic ex hac vestra solutione sequitur hæresis manifesta scilicet quod Verbum diuinum sit creatura.

113 Dices, talem denominationem non refundi in Verbum diuinum; quia Verbum diuinum est incapax talis denominationis.

114 Sed contra manifeste: ideo Verbum diuinum est incapax illius, quia licet vnio illa, per quam vnitur, dependeat, sit creatura, & producatur, Verbum diuinum in se nullo modo producitur per causam, dependet & creatur in suo esse; sed etiam humanitas in suo esse, & in se non producitur per vos, non dependet, neque creatur, etiam si producatur, creetur, & dependeat vnio illius: ergo supposita vestra sententia incapax est humanitas, sicut Verbum recipiendi talem denominationem ab vnione; vnde nullo modo denominabitur creatura; nec creata, si in se nullo modo creatur, neque producitur etiam si producatur vnio; quare si non obstante incapacitate ad productionem, & independentia humanitatis à Deo in se ipso denominatur creata propter vnionem creatam; similiter Verbum denominabitur creatum, &c. quia non est maior ratio vnius, quam alterius.

Secundo contra, quia ex hoc sequeretur, ho- 115
minem producentem vnionem inter animam rationalem, & corpus, quando generat filium, non solum producere totum illud compositum, sed etiam animam rationalem filij, & materiam primam, a fortiori quam humanitas denominetur producta propter vnionem hypostaticam, quia vnio hypostatica non est essentialis, nec essentialiter complet humanitatem, & vnio inter materiam, & formam est essentialis, & essentialiter complet vtrumque extremum, vnde ex vi talis vnionis constituitur vna essentia completa; & ex vi vnionis hypostaticæ constituitur Christus in esse suppositi; sed falsissimum est dicere, hominem generantem, & producentem filium producere animam rationalem, & materiam primam, quia anima rationalis, &c. à solo Deo per veram, & rigorosam creationem producitur, quam nec per potentiam Dei absolutam potest attingere creatura adhuc vt instrumentum in vestra sententia: ergo ex sola productione vnionis alicuius, si alias extremum vnitum per illam non producitur in se, non refunditur denominatio producti, creati, &c. sed humanitas in se non est producta, neque creata aut dependens: ergo ex eo quod vnio ipsius sit creatura producta, & dependens, non ideo denominabitur creata, & producta; sed secundum fidem humanitas Christi est creatura: ergo non solum producitur in vnione, sed etiam in se ipsa, & in propria actualitate essentiæ: ergo actualitas essentiæ est ipsa actualitas existentiæ.

Contra tertio, quia etiam vnio non potest produci 116
in vestra sententia, quia in vnione illa & datur existentia, & datur actualis essentia, sed existentia vnionis nó potest produci, quia existentia vnionis est existentia Verbi per vos, nam vt asseritis, humanitas, & vnio hypostatica existunt non propria existentia, sed existentia Verbi, & existentia Verbi est improducibilis de nouo in tempore per causam. Item essentia actualis vnionis sicut essentia actualis humanitatis, quia est omnino necessaria, & æternæ veritatis est improducta à se, & independens: ergo non producitur de novo, ac proinde nihil vnionis producitur: ergo ratione illius non potest dici creatura dependens producta, & participata, quia si ratione vnionis diceretur talis, à fortiori diceretur producta, & dependens vnio, quia propter quod vnum quodque tale, & illud magis, sed hoc non est rerum, vt probatum manet: ergo neque illud: vnde è contra si essentia vnionis producitur in tempore de nouo, sine eo quod producatur eius existentia, quia per te est existentia Verbi: ergo essentia vnionis sola, & non eius existentia distincta de nouo ponitur extra causas, ergo essentia etiam vt condistincta ab existentia vere efficitur, & fit ens actuale, quod est esse existens: ergo prout condistincta ab existentia exiitit extra causas: ergo id non habet formaliter ab existentia, sed à seipsa, quod si id verum est in essentia vnionis, verum etiam erit in reliquis essentiis.

Præcipue, quia multi ex aduersariis non admit- 117
tunt vllam entitatem vnionis distinctam ab humanitate, & Verbo, sicut nullo modo concedere volunt

inter

inter materiam primam, & formam substantialem formalitatem vnionis distinctam ab eisdem, dicunt enim, ea esse vnita solum dicere humanitatem prout in Verbo, quod nullam dicit entitatem distinctam ab vtroque: ergo secundum hos nihil producitur in Christo, siquidem neque producitur humanitas neque Verbum diuinum, ac proinde neque vnio hypostatica potest produci, quia est idem quod humanitas improducta, & quod Verbum diuinum improductum; sed non potest negari, quod producatur aliquid: ergo producitur ipsa humanitas secundum actualitatem essentiæ: ergo actualitas essentiæ est actualitas existentiæ.

## Svbsectio. VI.

*Secunda pars nostræ impugnationis probatur.*

118 PRimo ex D. Thoma qui ait. 3. *p. q.* 4. *art.* 2. vbi inquit, illud, quod assumitur, debere præintelligi assumptioni; sicut quod mouetur localiter, præintelligitur motui: ergo humanitas Christi, quæ assumitur, præsupponitur assumptioni, ac proinde actio, per quam producitur humanitas præsupposita, debet præsupponi Incarnationi, quæ est actio, per quã assumitur & per quam producitur vnio hypostatica; sed quidquid præsupponitur alteri realiter, distinguitur ab illo, cui præsupponitur: ergo actio productiua humanitatis distinguitur ab Incarnatione: ergo non sunt vna, & indiuisibilis actio. Confirmat amplius D. Thomas hoc *ibidem. q. 6. art.* 3. vbi ait, animam Christi eodem modo, & eodem genere actionis esse creatam, quo aliæ animæ rationales, & ita etiam indicat, quamuis eodem instanti fuerit creata & assumpta, prius tamen natura, & diuersa actione fuisse creatam, & *eadem quæst. art.* 4. *ad* 3. dicit, carnem prius naturæ vniri animæ, quam Verbo, vnione personali; vnde sentit conceptionem humanitatis esse priorem, & distinctam actionem ab vnione & vnitione humanitatis ad Verbum, quod in illa quæstione sæpius repetit; idem sentit *in* 3. *dist.* 5. *q.* 3. *art.* 1. *ad* 2. ergo in sententia D. Thomæ non potest dici per vnam & indiuisibilem actionem produci humanitatem, & vnionem ad Verbum.

119 Ratione sic demonstratur; quia actio naturalis & supernaturalis distinguuntur realiter; sed creatio & productio animæ rationalis Christi, & humanitatis est actio naturalis eiusdem ordinis, & rationis cum creatione alterius animæ & cum productione alterius humanitatis, & vnitio, Incarnatio, seu productio vnionis hypostaticæ est actio quoad substantiam supernaturalis, quia terminus productus per illam est vnio supernaturalis quoad substantiam; ideo enim productio gratiæ habitualis, & productio charitatis, luminis gloriæ & visionis Beatificæ est supernaturalis intrinsecè quoad substantiam, quia terminus productus per illam est supernaturalis intrinsece; si igitur vnio hypostatica quæ producitur per incarnationem est supernaturalis intrinsece, ipsa similiter Incarnatio erit intrinsece supernaturalis: ergo illæ actiones distinguuntur realiter.

120 Secundò, quia creatio animæ assumptæ est productio ex nihilo, incarnatio vero, vel vnitio humanitatis ad Verbum est mutatio, vel actio ex præsupposito subiecto: ergo sunt distinctæ actiones. Vrgetur; nam licet verum sit, vnam, & eandem esse actionem, qua accidens fit & vnitur subiecto, tamen sicut in accidente in facto esse distinguimus entitatem accidentis ab actuali inhærentia, ita necesse est, vt in ipsa actione distinguamus illam actionem, vt tendit ad entitatem, vel ad vnionem accidentis; quia actio nihil aliud est, quam fieri vt est ab agente ipsius rei; sed similiter in humanitate, & anima rationali distinguitur entitas illarum à subsistentia eis debita, & ideo separantur ab illa, & ab vnione hypostatica, quæ de facto datur in illis: ergo fieri earum, & actiones distinguuntur.

Tum etiam, quia ut certum est, non potest intelligi Verbum terminare animam, vt erat ab æterno in potentia; sed vt est aliquid iam factum: ergo alia actio est, per quam anima fit, & alia per quam vnitur, vt terminetur à Verbo, & idem proportionaliter est de tota humanitate. Prima vero, & Secunda consequentia probantur; quia per illam creationem fit aliquod esse in ipsa anima, & non fit esse essentiæ, vt condistinguitur ab esse existentiæ, quia vt sic non est esse nouum, sed æternum, quia reuera tantum esse in potentia est, seu possibile: est ergo esse existentiæ creatum, cum per creationem fiat; quod manet in ipsa anima Verbo vnita; non enim potest perdere per assumptionem illud esse, quod per creationem habuit, alias non possent creatio, & assumptio simul esse in eodem subiecto, & in eodem instanti, quod est falsum: ergo falsum est dicere, per vnam & eamdem indiuisibilem actionem produci humanitatem, & ipsam vnionem, per quam vnitur Verbo. 121

Sed supponamus hoc esse verum, nihilominus non infringit nostram rationem supra positam, sed potius confirmat tertiam, & vltimam partem nostræ oppugnationis, quia ex eo quod humanitas producatur simul cum vnione per vnam actionem non desinit vere produci in se ipsa, idest secundum actualitatem essentiæ: ergo actualitas essentiæ humanitatis est terminus formalis productionis simul cum vnione: ergo talis actualitas est id, per quod formaliter essentia humanitatis ponitur extra causas; sicut actio, per quam producitur talis actualitas est ratio in genere causæ efficientis extrahendi humanitatem extra causas; sed actualitas ponens rem extra causas formaliter est actualitas existentiæ: ergo actualitas essentiæ est ipsa actualitas existentiæ: ergo solutio hæc in secundo sensu explicata non infringit nostram veritatem sed potius confirmat illam. 122

Confirmatur amplius hoc; quia huic actualitati essentiæ humanitatis, & cuiuscunque essentiæ conueniunt sine dubio omnia prædicata, & conditiones, quæ attribuuntur existentiæ, imo illa omnia, propter quæ aduersarii omnes existimant, existentiam distingui ab essentia à parte rei: ergo talis actualitas essentiæ est vera existentia. Antecedens sic probatur. Primo enim hæc actualitas essentiæ non est æterna, sed temporalis, nam vt demonstratum manet *disp. de possibilitate, & supra in hac quæstione*, creaturæ ab æterno nullum esse actuale positiuum habuerunt; sed esse actuale essentiæ est quid positiuum actuale à parte rei: ergo tale esse actuale essentiæ est temporale, & non æternum; nam licet essentia dicatur ab æterno, & propositiones essentiales dicantur æternæ veritatis, & verificentur similiter ab æterno, nihilominus nec essentia dicitur ab æterno ratione alicuius actualis entitatis positiuæ, nec propter aliquam formalitatem positiuam actualem habent suam veritatem tales propositiones, cum vere ab æterno talis essentia nullam huiusmodi actualitatem habeat secundum nostram fidem catholicam, vt *ibidem* declarauimus, sed solum ratione possibilitatis propriæ essentiæ, quæ petit vt animal, quando producitur, coniungatur cum rationali si producendus est homo, & sic de reliquis dicitur vera hæc propositio, homo est animal rationale, quod per hanc propositionem conditionalem explicat Pater Suarez 123

si homo producendus est, necessario producendus est animal rationale, neque adhuc diuinitus potest aliter produci; sicut equus, si producendus est, necessario est producendus, vt animal inhibile, & Angelus necessario si creetur, creandus est substantia spiritualis completa intellectualis, quia hoc petit possibilitas æterna illorum. Itaque ratione possibilitatis, quæ ab æterno datur, verificantur propositiones æternæ veritatis, & non ratione alicuius actualitatis positiuæ, quæ ab æterno sit: ergo actualitas illa positiua essentiæ conuenit esse temporalem, & non æternam, quæ est prima conditio existentiæ.

124 Secundo, huic esse actuali essentiæ, siue huic actualitati conuenit contingenter esse, ac proinde ipsa actualitas conuenit essentiæ contingenter omnino, & minime necessario, quandoquidem prius quam fieret, ac produceretur creatura à Deo, illud esse actuale essentiæ non habebat, ipsumque habuit media libera ac spontanea voluntate Dei, imo postquam essentia habuit hanc actualitatem suam, potest illa priuari, si Deo libuerit, quæ sunt omnes conditiones existentiæ: ergo actualitati essentiæ conueniunt duæ proprietates præcipue existentiæ. Tertia proprietas est vt res ratione existentiæ possit actu recipere aliquid terminari actu ab aliquo actu operari aliquid in tempore quod ab æterno non poterat, sed humanitas Christi ratione actualitatis essentiæ potest nunc terminari actu à Verbo diuino, & de facto terminata fuit per vnionem hypostaticam, quæ humanitas ab æterno non poterat posita in statu possibilitatis terminari à Verbo, alias Verbum diuinum nunc posset hypostatice vniri creaturis possibilibus quæ nunquam producendæ sunt à Deo quod est falsissimum; nam res in statu puræ possibilitatis, nullo modo potest actu suppositari suppositalitate aliena, sicut neque potest res possibilis in statu puræ possibilitatis, habere propriam subsistentiam: ergo si humanitas Christi ratione propriæ actualitatis essentiæ supponitur, signum euidens est talem actualitatem esse actualitatem existentiæ. Item ratione talis actualitatis, humanitas Christi actu operatur cognitiones & volitiones proprias, quæ sunt veræ operationes, & recipit ipsas in anima sicut in se ipsam recipit vnionem hypostaticam: ergo humanitas Christi recipit & operatur actu ratione actualitatis essentiæ: ergo actualitas essentiæ est vera & propria existentia; tandem quia ipsa existentia est actualitas ipsius essentiæ, & non alterius rei distinctæ ab essentia, per existentiam enim vt *quæstione superiori* vidimus, essentia constituitur actualis, & ens actu, cum ex se essentia creaturæ non sit actualis, sicut essentia Dei: ergo sola existentia datur, quæ possit esse actualis, sicut essentia Dei, & non debet dari duplex actualitas distincta, vna quæ sit existentia, alia quæ dicatur actualitas essentiæ; siquidem omne quod potest fieri per actualitatem essentiæ, necessario fit per existentiam, frustra enim fiunt per plura quæ possunt fieri per pauciora, nec sunt multiplicandæ entitates sine vrgente necessitate, sed existentia ipsa est actualitas simpliciter essentiæ: ergo non est multiplicanda alia actualitas essentiæ, distincta ab existentia, quapropter destructa quacumque alia re præter existentiam, manet essentia in esse actualis simpliciter constituta, quod vt probetur efficaciter.

Sumo naturam humanam Christi Domini, quæ
125 est prior prioritate naturæ vnione hypostatica, sed pro illo priori pro quo concipitur sola entitas naturæ humanæ natura humana est ens actuale extra nihil & non in potentia: ergo pro illo priori ita habet actualitatem vt simul habeat existentiam, ita vt eadem formalitas actualitatis sit existentia & actualitas essentiæ. Maior est certa, quia sicut essentia prioritate naturæ antecedit suppositalitatem propriam, ita prioritate naturæ antecedit vnionem ad suppositalitatem alienam, & ratio est quia vnio hypostatica educitur & fit dependenter ab ipsa humanitate: ergo humanitas illa est causa materialis talis vnionis: ergo est prior natura, quia omnis causa est prior natura suo effectu.

Probatur minor pro illo priori, natura humana 126
est producta in tempore, & non solum habet esse quod habuit ab æterno, nec est intra nihil, aut intra potentiam, nec mere in statu possibilitatis; quia in illo instanti reali est existens, & implicat quod eadem res in eodem stanti reali sit in statu possibilitatis & existentiæ: ergo pro illo priori natura humana Christi Domini est aliquid reale actuale de nouo productum à Deo: ergo non est actualis extra nihil, & extra possibilatem ratione Verbi diuini; patet vltima consequetia, quia omne quod pro aliquo priori pro quo præcedit aliquam formam vel quasi formá non potest habere illud esse cum quo præsupponitur ab ipsa forma ad quam præsupponitur, sed natura humana Christi Domini præsuponitur actualis extra nihil & extra possibilitatem ad ipsum Verbum & ad existentiam ipsius, seu actualitatem eiusdem Verbi Diuini terminantis & assumentis illam: ergo non potest habere actualitatem & existentiam ab ipso Verbo diuino terminante & assumente illam. Maior meo videri est euidens lumine naturæ, ideo enim paries quatenus præsupponitur ad albedinem, non potest habere esse ab illa, quia esse quod habet effectus à causa non præsupponitur causam, & è contra album non potest præcedere albedinem, quia album habet esse ab illa; item natura humana Christi Domini non præsupponitur subsistens pro illo priori assumptionis, quia subsistens est per subsistentiam Verbi diuini terminantis naturam humanam, & ideo euidenter colligimus quod natura humana, non constituitur in esse entis à persona Verbi diuini, neque habet esse substantiæ ab illa vt terminante ipsam naturam, quia pro illo priori terminationis natura humana est ens & subsistantia; ratio autem illius est euidens, quia nihil potest esse prius sua essentia, sed omnis forma vel quasi forma est essentia constituti vel concreti: ergo constitutum vel concretum non potest esse prius forma constituente ipsum.

Dices quod neque humanitas, neque alia essentia 127
pro illo priori pro quo antecedit existentiam, est entitas actualis, sed tantum entitas realis physica, & quod per existentiam fit entitas actualis physica, & ratio est, quia possibilitas dicit duplicem negationem vnam essentiæ & alteram existentiæ, atque adeo per productionem essentiæ formaliter destruitur negatio essentiæ; non autem existentiæ, & per consequens essentia non est entitas actualis, neque intra causas, neque extra illas.

Sed hæc solutio plura habet difficilia, & nescio 128
an cohæreant cum dictis Authoris illam præbentis, quia ipse asserit quod possibile dicit negationem puram existentiæ contra Patrem Herize, & ideo asserit negationē illam necessario debere esse in aliquo subiecto, quod subiectum non potest esse nisi essentia rei: ergo possibile non dicit negationem essentiæ rei. Paret consequentia, quia vel illa negatio essentiæ esset priuatio & sic necessario deberet supponere aliquod positiuum, de quo vlterius quærimus, vtrum illud sit essentia vel existentia, quia non est excogitabile aliud, quod possit esse illud positiuum, sed non posset esse illud positiuum existentia: ergo essentia: ergo possibile solum dicit negationem

existen

existentiæ. Tunc sic : quando producitur res, verbi gratia natura humana Christi Domini, & pro quo antecedit vnionem hypostaticam, vel præcedit illam prioritate naturæ producitur existentia, quæ opponitur illi negationi, vel illa negatio essentiæ non est priuatio, & sic habemus intentum, scilicet quod non supponat subiectum, & per consequens quod omne illud quod dicit possibile est negatio, & nullo modo dicit aliquid positiuum quod negant aduersarij qui præbent hanc solutionem.

129 Sed impugnatur solutio secundum omnes suas partes, & imprimis impugnatur illud quod asserit, scilicet quod entitas illa non est actualis formaliter quod ita impugno : illud est actuale formaliter quod distinguitur ab aliqua potentia vt tali : sed illa essentia pro vt terminat actionem productiuam distinguitur ab aliqua potentia vt tali : ergo illa essentia in quantum terminat actionem productiuam est entitas actualis. Maior meo videri est euidens, vt late supra probaui ; minor etiam est euidens, quia essentia quatenus terminat actionem creatiuam actualem, non est in potentia logica & obiectiua : ergo essentia quatenus terminat actionem creatiuam actualem distinguitur ab aliqua potentia vt tali. Antecedens est euidens, quia essentia in potentia est ens secundum quod actualiter improducta & comparatione existentiæ est nihil, & negatio & est potentia remota illius vt loquitur Auctor huius solutionis ; sed essentia quatenus terminat actualem productionem est ens simpliciter, & nullo modo negatio est actualiter producta dependens & contingens : ergo distinguitur ab essentia in potentia : ergo est actualis entitas.

130 Confirmatur primo, omne illud quod est exercitium alicuius potentiæ in quantum talis, est actus : sed essentia actualiter producta est exercitium alicuius potentiæ : ergo est actus. Maior est euidens, ideo enim visio est actus, quia est exercitium potentiæ visiuæ. Probatur minor, essentia actualiter producta est exercitium omnipotentiæ diuinæ, sed omnipotentia diuina est potentia : ergo essentia actualiter producta est exercitium alicuius potentiæ : ergo est actus.

131 Confirmatur secundo, omne illud quod correspondet alicui possibilitati est actus ; sed essentia actualiter producta correspondet possibilitati essentiæ : ergo est actus. Maior meo videri est euidens, quia possibilitas vt talis præcipuè in sententia contraria est potentia, & quidquid correspondet alicui potentiæ vt tali est actus : ergo omne illud quod correspondet alicui possibilitati est actus. Probatur minor præcipua, non solum existentia est possibilis antequam producatur, sed etiam essentia, sed omni possibilitati correspondet aliqua actualitas : ergo possibilitati essentiæ correspondet actualitas essentiæ, sed tunc correspondet quando datur essentia actualiter producta : ergo essentia actualiter producta correspondet suæ possibilitati : ergo est actualis.

132 Confirmatur tertio, vel essentia actualiter producta habet cõnexionem prædicatorum essentialium solum possibiliter mere, vel etiam actualiter ; sed non mere possibiliter, quia illud quod est mere possibile non est actualiter productum, aliàs Deus ab æterno produxisset res possibiles, quod est absurdũ in nostra fide : ergo habet cõnexionẽ actualẽ prædicatorũ essentialiũ : ergo est entitas actualis. Ex quo manifeste impugnatur altera pars ciusdẽ solutionis, quia illa essẽtia actualiter producta ex vi illius actionis, non est in potẽtia causæ : ergo est extra causas. Patet cõsequentia, illud est extra causas quod non est intra illas, & in potẽtia causæ : sed illa essentia ex vi illius actionis non est in potẽtia causæ : ergo est extra causas. Maior meo videri est euidens : ideo enim nunc essentia Antichristi est in potentia causæ, quia non est extra causas ex vi alicuius actionis ; ergo à contrario sensu omne illud quod non est in potentia causæ est extra causas, præcipuè quia vi illius actionis, quæ terminatur ad essentiã in quantũ secundũ aduersarios præsupponitur ad existentiam prioritate naturæ, producitur aliquid à causa : sed produci aliquid à causa est illud causã extra se constituere, quia iã virtus causæ exiit in actionẽ, quia tũc nõ est causa in mero actu primo : ergo ex vi illius actionis essentia illa est extra causas : ergo est existens quatenus formaliter terminat illam actionẽ per quã producitur à causa. Patet cõsequentia, illud est existens formaliter, (& loquor de ente creato,) quod est extra causas formaliter, sed ex vi illius actionis per quam producitur actualiter essentia illa est extra causas formaliter : ergo essentia illa ex vi illius actionis per quam producitur actualiter est existens formaliter.

Vltimo sic vrgeo aduersarium, & impugno totam 133
hanc solutionem, quia ideo essentia actualiter producta non est entitas actualis per vos, quia est potentia respectu existentiæ : sed hæc ratio non obstat : ergo essentia actualiter producta est entitas actualis. Probatur minor, licet aliquid sit potentia respectu alicuius actus potest esse actus si correspondeat alteri potentiæ, sed essentia actualiter producta correspondet alicui potentiæ : ergo est actus. Maior meo videri est euidens, quia licet animus rationalis sit potentia respectu subsistentiæ & respectu suarum potentiarum, nihilominus quia respondet alicui potentiæ scilicet materiæ primæ & possibilitati, quæ est potentia obiectiua est actus. Probatur minor, essentia realiter actualiter producta correspondet potentiæ obiectiuæ, & distinguitur ab illa, quia non est in potentia mera, neque est potentia mere obiectiua & possibilis : ergo essentia actualiter producta correspondet alicui potentiæ & distinguitur ab illa : ergo est actus.

Respondent aliqui Thomistæ hunc effectum scili- 134
cet rem constituere extra causas esse effectum formalem formæ, & requirere existentiam vt terminum & vt conditionem, ita Cabrera 1. *tom. in 3. part. q. 2. art. 2. disp. 35. n. 48* quam sequuntur plures Moderni *in manuscriptis*.

Sed contra ; quia habere formam est tantum pro- 135
prium rerum materialium substantialium ; sed esse extra causas est proprium omnis rei existentis : ergo hoc quod est esse extra causas non prouenit à forma. Maior est euidẽs, quia Angelus non habet formã : ergo non omne illud quod est extra causas habet formam.

Et si dicas quod essentia rei est forma, sed contra : 136
ergo res formaliter est extra causas per suã essentiam. Patet consequentia, per vos res formaliter est extra causas per formam, sed per vos essentia rei est forma : ergo res est formaliter extra causas per suam essentiam, quod nos intendimus.

Contra secundo, quia ipsa forma potest esse possi- 137
bilis vel existens : ergo vel existens se ipsa, vel per aliquid distinctum ab ipsa forma : sed non per aliquid distinctum ab ipsa forma, alias dabitur processus in infinitum : ergo per se ipsam : ergo existentia rei non distinguitur ab ipsa essentia & entitate rei.

Dices essentiam pro illo priori esse extra causas in 138
fieri non vero in facto esse, & existentiam constituere rem extra causas in facto esse.

Sed contra : essentia distinguitur ab actione per quã 139
producitur, sed actio est fieri rei extra causas : ergo essentia non est fieri extra causas. Maior constat ex dictis *in Physicis* : minor etiam est euidens, quia actio est fieri rei. Consequentia probatur, essentia per vos est extra causas non in fieri : ergo in facto esse. Maior est solutio quam impugnamus ; probatur minor, illud est extra causas in fieri, quod est actio : atqui essentia non est actio, sed terminus productus per actionem : ergo essentia non est extra causas in fieri.

## Svbsectio VII.

*Illa prima minor præcipua huius secundi principalis argumenti efficacius probatur, scilicet quod per existentiam distinguatur essentia actualis ab essentia possibili, seu à possibilitate, quo amplius confirmantur dicta.*

140 QVia per illud distinguitur essentia actualis ab essentia possibili, siue à possibilitate per quod constituitur essentia in esse entis simpliciter, sed per existentiam est huiusmodi: ergo essentia actualis per existentiam distinguitur à possibilitate seu ab essentia possibili.

141 Maior est expressa sententia Diui Thomæ 1. *parte, quæst.* 5. *art.* 1. *ad primum*, vbi sic ait: Secundum hoc aliquid dicitur simpliciter ens secundum quod primo decernitur ab eo quod est in potentia tantum, vbi Angelicus Doctor expresse asserit rationem essendi ens simpliciter esse rationem, qua essentia rei distinguitur ab ente in potentia; ratio autem euidenter hoc conuincit, quia possibilitas est ens tantum secundum quid & minime ens simpliciter, vt optime docuit ipse Diuus Thomas 3. *parte quæst.* 10. *art.* 2. *in corpore, ibi*: Dupliciter dicitur aliquid ens vno modo simpliciter, qua scilicet est ens actu: alio modo secundum quid, quia est ens in potentia, quod explicans Caietanus, sic ait. Quæ sunt in potentia non sunt, & sicut excluduntur à numero entium, ita excluduntur à numero omnium, sed per illud distinguitur aliquid ab alio per quod non est illud formaliter & realiter à quo distinguitur, atqui essentia actualis in quantum talis & in quantum non est ens secundum quid, sed ens simpliciter constituitur in non esse possibilis purè quod non est ens simpliciter sed secundum quid, (vt diximus:) ergo per illud distinguitur essentia actualis à possibili purè per quod constituitur inesse entis simpliciter. Minor sic probatur ex eodem Diuo Thoma *ibidem* his verbis: Nostram sententiam proferentis, nam cum ens dicat aliquid proprie esse in actu: actus autem propriè ordinen habeat ad potentiam, secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens secundum quod primo discernitur ab eo quod est in potentia tantum: hoc autem est esse substantiale rei vniuscuiusque; vnde per suum esse substantiale dicitur vnumquodque ens simpliciter; vbi Beatus Thomas duo asserit. Primum ens propriè esse, quod est in actu: alterum omne ens simpliciter constitui in esse talis per suum esse substantiale quod est ipsa actualitas. Itaque actualitas in sententia Diui Thomæ & esse substantiale alicuius rei sunt idem formaliter, atqui in sententia Diui Thomæ idem sunt actu esse, seu esse & existere: ergo in sententia Diui Thomæ essentia cõstituitur in esse entis simpliciter per existentiam. Minor hæc sic probatur ex eodem Diuo Thoma; *prima parte, quæst.* 4. *art.* 1. *ad secundum*. vbi sic ait: ipsum est esse perfectissimum omnium, comparatur enim ad omnia vt actus, nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est, vnde ipsum esse est actualitas omnium rerum quod est existere, quid clarius? quod etiam patet clarissime in sententia Diui Augustini *tom.* 5. *libro* 12. *de ciuitate Dei, capite* 10. his verbis. Sicut ab eo quod est sapere vocatur sapientia, itaque ex Augustino essentia dicitur ab esse & esse est existere, vt ipse Augustinus ait: *libro* 8. *Enchyrid.* vbi sic ait. Essentia ab esse & esse ac existere ita sumuntur vt sint prorsus idem & non plura distincta: sumit ergo Sanct. Augustin. existentiam & esse simpliciter synonime, quod etiam apud omnes eodem modo sumitur, vt patet ex Cicerone *epist.* 15. *ibi*: Erit qui intercedat, deinde alius existet, qui impediat: ergo sũt sinonyma esse & existere, vt exponit Calepinus verbo *existo*, cuius sinonyma ponit *appareo, prodeo, exorior*, Hispane *estar, ser, aparecer*. Ergo res per existentiam est ens simpliciter.

142 Item quia inter possibile & actuale existens nullum datur medium, vt probatum manet supra: atqui possibile est ens secundum quid, & minimè est ens simpliciter vt his verbis docet Aristoteles 9. *metaphi. cap.* 3. Non entium enim quædam potentia sunt, non autem sunt quoniam endelechiam (id est) actu non sunt. Vbi Aristotelis inter non entia constituit ea, quæ cum possint existere non existunt, & ratio ob quam dicit ea non entia, & non esse est quia actu non sunt, id est actu non existunt; vt docet expresse Diuus Thomas 1. *part. quæst.* 5. *art.* 1. *ad primum*. Et sanctus Anselmus *in Monologio, cap.* 8. *supra adductus*, deinde quia sicut qui potest currere non currit simpliciter, & qui in potentia videt Deum seu possibiliter non videt ipsum simpliciter, sed secundum quid cum illo addito id est in potentia; aliàs videns Deum non videret eum simpliciter ipsum simul, cum simul habeat potentiam ad vtrumque, imò qui est in hac vita mortali esset beatus simul & damnatus simul simpliciter, quia habet potentiam ad vtrumque: item quia ipsa existentia in potentia vel possibilis, licet habeat essentiam existentiæ possibilis, & retineat conceptus quidditatiuos quibus in suo esse constituitur, v.g. existentia Pauli, & distinguitur tam ab essentiis aliarum rerum, quam ab existentiis earundem, nihilominus non est simpliciter existentia: ergo similiter essentia & ens in potentia seu possibile non est simpliciter ens, quia non est maior ratio huius quam aliorum, cum sint æqualia in eadem ratione formali potentialitatis.

143 Quod autem existentia in potentia non sit talis simpliciter; patet ex fide catholica, ex qua certum est nullam rem præter Deum ab æterno existere aut habere existentiam simpliciter, & nihilominus constat ab æterno dari creaturas possibiles, quas possit Deus creare in tempore, & eis tribuere existentiam quia habent potentiam ad existendum. Præterea quia si ab æterno Paulus habuit essentiam & existentiam simpliciter ex eo quod sit possibilis existere, & sit in potentia ad existendum sine dubio à se, & independenter à Deo erit ens simpliciter & simpliciter existens, quia independenter à Deo, ac proinde à se habet possibilitatem ad existendum; ac proinde absolute erit Deus, & non creatura, quæ sunt absurda & hæretica pronuntiata: ergo existentia possibilis non est simpliciter talis vsque dum producatur & fiat extra causas, sicut v. g. Petrus potest esse Rex, & habet potentiam ad regnandum, & Ioannes potest habere lumen gloriæ ad videndum Deum, & sic potest videre ipsum, imo tu qui nunc non es summus Pontifex potes eligi in summum Pontificem & gubernare Ecclesiam totam, & ex eo solum quod actu non es electus neque es actu Rex non diceris simpliciter beatus, simpliciter Rex, simpliciter Pontifex, tandem quia etiam habet potentiam vt hæreses proferas & hæreticus sis & comburaris, & nihilominus non potes dici nunc hæreticus simpliciter, nec combustus, quia sola potentia sine actu producto illius non dicitur simpliciter talis: ergo existentia solum in potentia, ac proinde solum possibilis non potest dici actu simpliciter existentia, dum non sit producta à Deo actu: ergo similiter etiam ens non est tale simpliciter ex eo solum quod sit in potentia vsque dum producatur & existat.

144 Tunc sic ens, quod actu existit & ex eo quod actu existat, est ens simpliciter: ergo per existentiam constituitur in esse entis simpliciter. Hæc prima propositio

sic

sic demonstratur, quia de Petro aliquando verificatur esse ens simpliciter, sed non verificatur de Petro in potentia seu possibili, nec de Petro futuro: ergo de Petro actu existente: ergo per existentiam constituitur res in esse entis simpliciter, ac proinde id quod actu existit, est ens simpliciter ex eo præcise quod existat: deinde vnio se ipsa secluſa existentia distincta se est ratio vniendi simpliciter & denominat simpliciter vnitum, quia entitas seu formalitas, distincta ab vnione non pertinet ad essentiam vnionis nec vniti; item amor & odium se ipsis dicunt fundamentum simpliciter oppositionis, quæ est relatio actualis: hoc autem habent de nouo essentiæ: ergo hæ vt distinctæ ab aliis existentiis sunt entia essentialiter transmutata ex potentialitate sui ad actualitatem sui distinctam ab actualitate existentiæ, nec est sicut calidum quod tale dicitur à calore, quia subiectum non habet denominationem calidi à sua quidditate intrinseca, sed potius habet illam extra essentiam, nec calor constituit subiectum in suo esse, sed accidentarie perficit illud; amor autem quidditatiue transmutatur, sicut existentia ipsa ab esse secundum quid ad esse simpliciter, ita vt per ipsam existentiam, & ex vi conceptionis existentiæ tribuatur ei esse simpliciter quod antea non habebat; vnde ipsa existentia constituit simpliciter ens quod ante illam erat tantum ens secundum quid.

145 Declaratur, & vrgetur amplius, quia supponamus dari materiam primam Antichristi actu existentem, item formam seu animam rationalem ipsius actu existentem, & vltimam dispositionem materiæ primæ ad vnionem cum anima rationali, & quod vnio non producatur à Deo hoc supposito, non potest dici Antichristus est simpliciter, & nihilominus existit materia vltimo disposita, similiter existit anima rationalis, itè est actu possibilis vnio ratione cuius potest existere, & solum quia illa vnio actu non existit, non denominat partes vnitas simpliciter, quas sine dubio denominaret tales ex eo solum quod actu existeret inter materiam, & formam: ergo quia illa vnio actu non existit actu simpliciter non vnit, ac proinde propter eandem causam simpliciter non est vnio; nam si simpliciter esset talis, simpliciter vniret, & simpliciter constitueret effectum proprium formalem primarium, quia forma simpliciter talis in aliquo subiecto capaci effectus formalis necessario tribuit illum: sed per vos vnio quæ est in potentia in materia vltimo disposita, est vnio simpliciter in materia: ergo simpliciter vnit materiam; ac proinde simpliciter constituet actu Antichristum: sed hoc est falsum: ergo euidenter sequitur vnionem in potentia non esse vnionem simpliciter; statim autem quo produceretur talis vnio, & existeret in materia vltimo disposita, esset simpliciter vnio, & simpliciter vniret materiam cum forma, & Antichristus simpliciter esset, & simpliciter viueret: ergo existentia vnionis constituit ipsam in esse vnionis simpliciter, & existentia Antichristi constituit ipsum in esse Antichristi simpliciter.

146 Confirmatur, quia vel existentia, & essentia sunt duo entia distincta simpliciter, vel vnum tantum; si hoc secundum dicatur, essentia constituetur in esse entis simpliciter per existentiam vt non distinctam à se, & non econtra; quia existentia est actualitas simpliciter ac per consequens ens simpliciter; si vero duo entia simpliciter: ergo sunt duæ rationes existentes; vnde essentia ex se ipsa erit existentia ac proinde essentia, quatenus distinguitur ab existentia, erit existens, quia nihil est ens simpliciter nisi actu existens, sed essentia vt præcisa ab existentia est ens simpliciter: ergo superfluit existentia illa distincta ab essentia.

Vrgetur amplius, quia prædicata quæ conueniunt 147
rei in potentia seu possibiliter, non conueniunt simpliciter, sed secundum quid, sed essentia hominis antequam existat conuenit homini in potentia tantum: ergo illi conuenit secundum quid, & non absolute, post existentiam autem conuenit illi simpliciter essentia hominis: ergo existentia constituit hominem in esse hominis simpliciter, sed homo vt homo, est ens: ergo ens vt ens constituitur in esse simpliciter per existentiam.

Dices ens simpliciter vsurpari pro ente in potentia vt opponitur chymæræ, ens enim nominaliter 148
sumptum significat res abstractas ab existentia; participialiter autem significat easdem existentes siue entia actu.

Sed contra manifestè, quia Diuus Thomas & 149
Arist. vt patet *ex locis supra citatis* ex negatione entis participialiter inferunt ens nominaliter non esse simpliciter ens, sed ens secundum quid, & in potentia tantum; imo Anselmus vocat id quod non est ens participialiter nihil, *in monologio, cap.* 8. his verbis. Hoc igitur modo non inconuenienter intelligi potest si dicitur creatrix essentia vniuersa fecisse de nihilo, siue quod vniuersa per illa facta sunt de nihilo, id est quæ prius nihil erant, nunc sunt aliquid, vbi ex negatione entis existentis seu participialis infert Anselmus negationem entis simpliciter, asserendo ea quæ actu non sunt nihil esse, ac proinde posse creari faciendo quod actu sint, quæ antea nihil erant, tribuendo per productionem actualem existentiam per quam reddantur entia simpliciter, quæ antea non erant talia, etiam si essent entia in potentia; vel ergo Arist. D. Thomas & Ansel. inferunt de omni enti simpliciter etiam nominaliter, & sic habeo intentum; aut inferunt negationem entis simpliciter participialiter tantum: hoc autem est ridiculum, quia redderet hunc sensum ens non existens, non est ens simpliciter (id est existens) quia non est existens: igitur quia non est ens in actu existens & participiale, inferunt negationem entis simpliciter, & absolute.

Præcipue, quia vt ens differat à chymæra non 150
est opus vt sit ens simpliciter, sed sufficit esse secundum quid, & in potentia, sic Arist. *q. metaphysicæ*, distinxit inter non entia, vnum non ens, ab alio non ente; quia alterum potest, alterum vero non potest existere; nam chymæra est repugnantia, & impossibilitas, seu impotentia ad existendum, & ens possibile est potentia non repugnantia, & aptitudo intrinseca vt sit, potentia autem & impotentia, aptitudo & ineptitudo, repugnantia & non repugnantia ad existendum opponuntur: ergo ad absolutam oppositionem cum chymæra non requiritur ens simpliciter sed in potentia.

Dices ens simpliciter impositum esse ad declaran- 151
dum ens tam actuale quam possibile, sicut hominem ad viuum, & ad mortuum, bene (vt aduertit. Hurt.) etiam hæc vox Deus absolute, & simpliciter potuit imponi ad significanda idola, si præcise attenditur potentia pro libito imponendi voces, vnde multa argumenta infringentur reuocatione controuersiarum ad nominum impositiones, nam & Deus potuit significari hac voce *creatura*, & creatura potuit significari hac voce *Deus*, sicut idolum hac voce *Trinitas*, at sumpta voce absolute vt capitur à Philosophis, vt opponitur voci secundum quid, non potuit homo pictus dici homo simpliciter, nec ens possibile absolute ac simpliciter ens, quia pictus, &

possibile sunt addita diminuentia, quæ significant idē quod secundum quid, quod opponitur significato huius vocis simpliciter: ne tamen significationi hæreamus, sed difficultati, dico intra significatum huius vocis & similium ens in potentia, ens in actu esse valde analogum, & ens in actu ita differre in conceptu significato ab ente in potentia, vt solum ens in actu iure sit ens & alterum non ens, & ab vtroque non posse abstrahi vnum conceptum entis proprij magis quam ab homine picto & viuo, quia homo possibilis sub illa ratione est negatio, & homo actualis sub illa ratione est positiuus, sed à positiuo & negatiuo minus potest abstrahi conceptus hominis vel entis quam à picto & viuo: ergo; quemadmodum enim hominem absolute intelligimus principium discurrendi, & quia pictus homo caret hoc principio vere, ideo non est nisi secundum quid homo, ita cum existentia sit ratio entis absolute, & quia ens in potentia caret ea existentia exercita, ideo est ens secundum quid; nam ipsa carentia existentiæ est non ens simpliciter; vnde multi Doctores asserunt obiecta scientiæ simplicis intelligentiæ excludi à numero entium: at obiecta illa sunt ipsæ rerum possibilium essentiæ: quia illa scientia non terminatur ad negationes existentiarum, imo ad has terminatur, vt ipsi inquiunt scientia visionis, quia negatio pertinet ad effectus existentes, quia supponit voluntatem efficacem Dei de non producendo obiecto, quam voluntatem sequitur scientia visionis, itaque certissimum iudico rem simpliciter constitui in esse talis per existentiam, sine qua res non est simpliciter talis, sed secundum quid.

152 Quod sic patet, quia implicat eidem voluntati odium & amorem conuenire simul simpliciter respectu eiusdem obiecti, sicut intellectui implicat simul convenire assensum, & dissensum, affirmationem, & negationem simpliciter respectu eiusdem obiecti, v. g. non potest idem intellectus simul affirmare & negare de Deo, quod sit trinus & vnus simpliciter, atque eidem voluntati simul conueniunt in potentia seu possibiles amor & odium: affirmatio, & negatio intellectui possibiles: ergo odium & amor; affirmatio & negatio in potentia seu possibiles non sunt simpliciter; sed si existerent affirmatio & negatio essent simpliciter tales: ergo per existentiam constituitur res in esse simpliciter, & sic non possunt eidem intellectui simul respectu eiusdem obiecti conuenire affirmatio & negatio actualiter existentes. Minor prima est certa, quia omnia possibilia secundum possibilitates sunt simul & non successiue qua à se sunt possibiles; vnde ab æterno omnia sunt possibilia; item affirmatio & negatio possibiles possibiliter conueniunt intellectui, vnde possibilitas talis conuenientiæ etiam actu est possibilis, quia in potentia intellectus continentur nunc virtualiter affirmatio, & negatio: maior est certissima ex summulis, quia duæ propositiones contradictoriæ non possunt simpliciter eidem respectu eiusdem conuenire; sed affirmatio & negatio existentes sunt duæ propositiones contradictoriæ: ergo affirmatio & negatio existentes & simpliciter tales non possunt simul conuenire eidem intellectui.

153 Dices affirmationem & negationem in oppositione pendere ab existentia qua carent, dum sunt in potentia: opponi enim sonat actum: sed contra, quia existentia non est ratio formalis in tua sententia ob quam actus opponuntur, tota enim oppositio consistit formaliter in affirmatione & negatione; existentia autem non est affirmatio nec negatio: ergo antequam habeant existentiam habent totam essentiam oppositionis & oppositionem totam, sed oppositio in potentia est per te simpliciter oppositio: ergo illi actus, vt sunt in potentia, opponuntur, vel non sunt simpliciter actus: vnde si sunt simpliciter actus, simpliciter opponentur ante existentiam, quia adueniente existentia non aduenit aliquod spectans ad essentiam oppositionis simpliciter, nec fit de nouo ens aut oppositio simpliciter & repugnantia: ergo ante existentiam erat tota oppositio simpliciter: imo idem dici potest in tua sententia de actione & vnione: & sic ab æterno erant vnitæ partes, quia illæ ab æterno sunt simpliciter partes, & earum vnio ab æterno est simpliciter vnio, cuius essentia est vnire, sicut essentia hominis esse animal: ergo partes ab æterno sunt vnitæ simpliciter, quia ab æterno est vnire simpliciter, quia vnio est vnire, & ab æterno est vnio simpliciter: vnde totus homo simpliciter est ab æterno & simpliciter viuit, quia vita eius simpliciter datur ab æterno, quia datur ab æterno viuere simpliciter, quia datur essentia viuere ab æterno: sed hæc sunt summa absurda, quia quando homo moritur in tempore, etiamsi ab æterno sit possibilis homo, ac per consequens sit possibilis vita hominis, & vnio inter partes illius, nihilominus quia actu destruitur vnio inter partes illius, & actu non habet vitam, dicimus hominem non esse simpliciter, nec simpliciter viuere, neque absolute habere partes vnitas, alias viueret & non viueret simpliciter simul, haberet & non haberet simpliciter partes vnitas: igitur esse aliquid in potentia & non in actu non est simpliciter esse tale; sed esse actu est per existentiam: ergo per existentiam constituitur res in esse simpliciter, qua ablata manet in esse tantum secundum quid.

## Subsectio VIII.

*In qua tertium principale argumentum ponitur.*

154 QVia si essentia creata à parte rei distingueretur ab existentia, essentia compararetur à parte rei ad suam existentiam, vel vt potentia passiua ad actum realem; vel vt subiectum ad actum modalem, per quem perficeretur: atqui neutro modo comparari potest essentia ad suam existentiam: ergo essentia à parte rei non distinguitur à sua existentia: maior admittitur necessario ab aduersariis, quia posita illa distinctione ex necessitate inter illa extrema, intervenire deberet aliqua habitudo inter ipsa, cum non se haberent disparatæ: atqui non alia habitudo potest dari quam habitudo modi ad subiectum vel actus reali ad potentiam, quia esset in ordine ad perficiendam essentiam, conferendo illi suæ actualitatis exercitium, constituendo ipsam per aduentum existentiæ supra essentiam in esse actualis simpliciter in genere causæ formalis: ergo existentia est actus essentiæ, sed omnis actus adæquate diuiditur in modalem & realem: ergo existentia est actus vel modalis, vel realis respectu essentiæ, si distinguitur ab ipsa à parte rei, patet hoc, quia omne quod aduenit alicui actuando illud cui aduenit, est actus illius: sed existentia aduenit essentiæ actuando essentiam perficiendo ipsam, & constituendo illam formaliter in esse actualis: ergo est actus essentiæ, ideo enim anima rationalis est actus materiæ primæ, quia aduenit illi actuando illam & perficiendo ipsam, actus enim & perfectio sunt idem sinonyme vt late probauimus supra *quæstion. vtrum inter materiam*

*veriam & formam detur duplex vnio*: Sed existentia perficit essentiam, & actuat illam adueniendo ipsi: ergo est actus illius: ergo essentia se habet respectu existentiæ vt potentia actuabilis per illam.

155 Minor prima ita ostenditur, quia siue essentia comparetur ad existentiam tanquam potentia passiua ad actum realem, vel tanquam subiectum ad actum modalem ex se, vt extremum distinctum ab illa existentia, deberet esse ens in actu simpliciter vt est extremum compositionis realis, causæque materialis realis, de cuius ratione est vt non causet nisi cum actu est ens simpliciter extractum à mera sui possibilitate ad actualitatem realem oppositam potentiæ obiectiuæ logicæ: atqui repugnat esse ens simpliciter actu, vt *supra* late probauimus, nisi per actualem inclusionem existentiæ, quia sola illa est ratio formalis ponendi rem extra causas, constituendique illam in esse entis simpliciter, conferendique actualitatem realem oppositam mere illius possibilitati: ergo repugnat comparari à parte rei essentiam ad existentiam, tanquam potentiam passiuam ad suum actum realem, vel tanquam subiectum ad suum modum à quo perficiatur. Patet consequentia, primo quia essentia à sua entitate per quam constituitur potentia vel subiectum existentiæ, causans ipsam extremumque distinctionis à parte rei respectu existentiæ habet omnem actualitatem, & perfectionem, quam posset recipere ab existentia distincta realiter à se: ergo superfluit existentia illa ex natura rei distincta ab ipsa essentia. Secundo, quia implicat effectum formalem primarium alicuius formæ antecedere ipsam formam, & esse priorem ipsa forma, nam implicat quod effectus sit prior sua causa, quia causa est prior suo effectu, & effectus est posterior illa, sed implicat quod simul idem sit prius, & posterius respectu eiusdem, alias idem esset, & non esset simul, quia prius non est posterius, sed potius opponitur posteriori: ergo implicat quod effectus antecedat suam causam in eo esse, in quo constituitur ab illa, sed si essentia præcederet existentiam in esse entis simpliciter actualis, ac proinde in esse subiecti aut causæ materialis respectu existentiæ, præcederet effectus formalis suam causam formalem; nam ens actuale simpliciter est effectus formalis existentiæ, quia vt vidimus *subsectione superiori*, existentia constituit rem in esse entis actualis simpliciter; ergo.

156 Dices præter habitudinem actus ad potentiam, & modi ad subiectum esse aliam habitudinem, videlicet formalitatis ad rem cuius formalitas est.

Verum hæc sententia innititur opinioni Scotistarum asserentium dari tales formalitates ex natura rei distinctas à rebus, quæ opinio supra à nobis late explosa manet, nisi forte per formalitatem intelligas speciem aliquam modi iuxta sententiam Albertini distinguentis modos in modos proprios rerum, & in modos qui solum sint formalitates rerum: modos proprios vocat intensionem qualitatis v. g. modos vero qui sint formalitates præsentiam localem, sed partitiò hæc modorum potius confusio est quam declaratio, exploditurque à præsenti materia per argumentum nuper factum.

157 Aliter alij respondent docendo essentiam esse extremum distinctionis ex natura rei ab existentia non per actualitatem existentiæ, sed per actualitatem essentiæ quam vocant actualitatem entis nominalis.

158 Sed in primis aduersus hanc solutionem opponi possunt argumenta omnia, quibus supra probauimus actualitatem essentiæ & existentiæ non distingui inter se, sed potius se habere vt sinonyma. Deinde possunt etiam opponi omnes rationes quibus *tractatu de possibilitate*, refutauimus, in essentia creata dari actualitatem positiuam ab æterno distinctam ab actualitate existentiæ; nam rogo an illa actualitas essentiæ conueniat essentiæ ex se & sine productione à Deo, an vero per productionem Dei, & hoc ab æterno vel in tempore? si ex se, ergo essentia creatura à se est ens simpliciter actuale positiuum, ac proinde erit Deus, & non cratura, quod est falsissimum; si per productionem ab æterno: ergo Deus aliquid ab æterno condidit, quod est contra fidem docentem in principio creasse Deum cœlum, & terram; si in tempore: ergo essentia non distinguitur à propria existentia. Patet consequentia, quia actualitas conueniens essentiæ in tempore per productionem non distinguitur ab ipsa existentia, sed per vos essentia non distinguitur ab actualitate producta in tempore: ergo essentia, & existentia non distinguuntur à parte rei. Maior illa inde probatur, quia essentia per te ratione illius actualitatis constituitur formaliter extremum reale realiter distinctum ab omni alia realitate, quæ non sit ipsa: ergo non potest distingui ab ipsa actualitate, quia vel distingueretur vt ens reale actuale à modo, vel vt ab ente reali actuali simpliciter, vel vt non ens ab ente reali, vel ab ente modali: aliud enim distinctionis genus inter extrema à parte rei reperiri non potest, vt suppono *ex disputatione de distinctione supra facta*, sed illa essentia non distinguitur ab actualitate illa, vt non ens ab ente, alias essentiæ rerum etiam dum actu sunt per id quod extrahuntur, essent simpliciter non entia; imo neque actualitas illa posset ipsas afficere, quia intelligi non potest quo pacto res, vel modus aliquis realis possit afficere quod non est ens, perficiendo ipsum vt potentiam vel subiectum; ideo enim lux non potest afficere vacuum quod est extra cælum, constituendo ipsum in esse luminosi, quia lux est formalitas positiua, & vacum illud est negatio: ergo positiua formalitas non potest afficere negationem.

Nec item distingui potest vt ens reale actuale ab 159
ente reali vel modali, quia vt iam diximus, vt constituatur extremum distinctionis debet esse ens actualiter simpliciter: ergo per aliquam actualitatem simpliciter debet constitui in tali esse quam intrinsece habeat, & à qua secundum rem non distinguatur, alias ipsum argumentum formari posset de essentia, & hac actualitate, inquirendo quo pacto inter se distinguantur, sicque abiretur in infinitum: restat igitur vt actualitas illa quam habet essentia in tempore per productionem ex natura rei non distinguatur ab ipsa essentia. Deinde probo minorem, scilicet actualitatem illam esse illam existentiam, tum à munere existentiæ quia existentia, vt sæpe iam dixi, est actualitas constituens rem extra causas, sed per illam actualitatem præcise indistinctam ab essentia, & quam habet per productionem in tempore, extrahitur essentia extra causas, est enim iam ens simpliciter distinctum à se ipsa in statu possibilitatis: præterea, quia creaturæ secundum illam rationem terminant productionem actualem, secundum quam in statu possibilitatis denominantur factibiles & producibiles ab omni potentia; sed factibiles, & producibiles ab omni potentia denominantur in statu possibilitatis non ratione negationis præcise & solum, sed ratione existentiæ quam connotant: ergo actualitas illa non distinguitur re ab existentia. Patet consequentia, quia essentia ratione illius constituitur terminus productionis in tempore.

Confirmatur, quia neque existentia ab essentia, 160
neque essentia ab existentia potest vllo modo separari: ergo non distinguntur ex natura rei; quod autem essentia non possit separari ab existentia probatur,

quia separari nequit existentia ab essentia, ita vt sine illa manere possit, vt satis constat; quia existentia est modus essentiæ, sed modus rei non potest separari à re cuius est modus, manendo in suo esse, alias esset modus, & non modus, modus quia sic supponimus, non modus quia esset res cum maneat separatus ille conceptus ab alio quocumque, neque essentia potest separari ab existentia, quia destructa existentia, destruitur essentia, hoc est in rebus non manet; nam si aliquomodo manere diceretur, maxime quia ab æterno sunt veræ & immutabiles enunciationes de ipsa essentia, vt quia homo sit animal rationale; hoc autem non satis est vt dicatur essentia manere actu, destructa existentia, sicut neque vt ante existentiam ab æterno actu fuisse dicatur, vtriusque enim eadem est ratio; porro autem essentiam rei creatæ non fuisse ab æterno extra primam causam actu, patet, quia aut illa ab æterno conseruaretur à Deo aut à nullo penderet, sed increata esset, si esset increata, esset ipse Deus, vnde essentia creaturæ Deus esset, quod est hæreticum; si autem à Deo penderet, & conseruaretur, sequeretur aliquid ab æterno extra Deum fuisse à Deo productum & conseruatum, quinimo necessario à Deo ita emanasse, sicut filius æternus à Patre, quæ sunt absurda, ea vero solum ratione dicuntur essentiæ rerum æternæ, non quia actu sint, sed quia ab æterno non implicant contradictionem vt sint, & ita sunt obiectum diuinæ omnipotentiæ; hæc autem possibilitas, & non implicatio contradictionis necessaria est, & prior nostro modo intelligendi omni actu voluntatis, & intellectus Diuini, vt patet ex dictis supra. Deinde quia nulla entitas potest esse actu, nisi existat; nam existere aut idem est quod actu esse ens, aut necessario reciprocantur inter se, actus enim entis est existere; ergo nulla essentia potest actu esse nisi existat, existere autem non potest sine existentia, nulla igitur potest assignari distinctio inter essentiam actu & existentiam, siquidem essentia actualis est existens, & ita existentiam habet, ac proinde neque vlla compositio realis excogitari potest.

## Svbsectio. IX.

*Quartum principale argumentum ponitur.*

161 QVarto sic argumentor ab impugnatione præcipui fundamenti contrariorum, ideo essentia, & existentia distinguntur realiter, quia possunt separari eo quod essentia est indifferens ad existendum, vel non existendum, sed hæc ratio nullius momenti est, ergo, &c. Probatur minor, si hæc ratio subsisteret, ipsa essentia existentiæ hominis, provt distinguitur ab essentia ipsa hominis (vt patet ex dictis in prima ratione pro nostra conclusione) distingueretur à parte rei ab ipsa existentia quam essentialiter constituit. Deinde ipsa existentia in quantum distinguitur ab essentia rei, distingueretur à parte rei ab ipso exercitio existentiæ, & de illo exercitio idem probaretur, & sic procederetur in infinitum, sed hoc est absurdum quoad vtramque partem: ergo, &c.

Maior quoad primam partem sic demonstratur,
162 quia ideo essentia hominis distinguitur ab ipsa existentia hominis per vos, quia est indifferens ad existendum, & non existendum, ac proinde separatur ab existentia, & hæc indifferentia, & hæc separatio conueniunt essentiæ hominis, quia illa quatenus vera essentia est, est æternæ veritatis omnino necessaria, ac proinde à se, & immutabilis, ac inuariabilis simpliciter, & absolute adhuc diuinitùs in prædicatis essentialibus, in quo distinguitur vera, & propria essentia, quæ quidditas dicitur ab exercitio, & actualitate existentiæ, quæ contingens est ex eo quod producatur à Deo libere, & pro libito diuino tribuatur creaturæ, nam ita conceditur existentia essentiæ creatæ, vt si Deus voluisset non concessisset illam, cum autem id, quod contingenter conuenit, & producitur à Deo libere in tempore, non exiterit ab æterno, & essentia fuerit ab æterno, inde euenit, vt essentia ab æterno fuerit separata ab existentia, & indifferens ad existendum, & non existendum.

Tum sic, prædicata essentialia, quæ quidditative, & 163
essentialiter constituunt existentiam hominis (quatenus distinguitur ab essentia ipsius hominis) sunt vera, & propria quidditas, & essentia: ergo sunt ita æternæ veritatis, vt sint omnino necessaria à se, & immutabilia, ac inuariabilia adhuc per potentiam Dei absolutam, ergo ab æterno sunt eo modo quo sunt ab æterno prædicata quidditativa hominis, & essentia ipsius, ergo sunt separata ab ipsa existentia, ac proinde sunt indifferentia ad existendum, & non existendum vel ad constituendum, & non constituendum existentiam. Patet consequentia, quia ea quæ ita se habent, vt quando datur non datur aliud, separantur realiter, atqui quidditas, seu prædicata essentialia existentiæ ab æterno fuerunt, quia sunt æternæ veritatis, &c. & existentia quæ de nouo producitur nunc non fuit ab æterno, quia Deus nihil ab æterno produxit, sed in tempore; ergo prædicata essentialia existentiæ separantur à parte rei ab ipsa existentia; ergo illa prædicata essentialia distinguntur à parte rei ab ipsa existentia, quam essentialiter constituunt, sed hoc est contra vos, qui asseritis prædicata essentialia non distingui à parte rei à re ipsa, quam constituunt, vt patet ex dictis supra in prima ratione meæ conclusionis, & ideo asseritis ens, substantiam, corpus, viuens, animal, rationale nullomodo distingui à parte rei ab homine, quod adeo verum est, vt etiam refutetis Scotum docentem prædicata vniuersalia distingui ex natura rei ab indiuiduo, quod constituunt, si autem prædicata essentialia, quibus essentialiter constituitur existentia quatenus distinguitur ab essentia hominis, verbi gratia, ens, existentia vt sic substantialis, vel accidentalis separarentur ab æterno ab ipsa existentia, quam constituunt, non solum distinguerentur prædicata quidditatiua communia à re, quam constituunt ex natura rei formaliter, vt inquit Scotus, cum identitate reali, sed potius sine vlla identitate distinguerentur à parte rei ab illa, vnde vi nostri argumenti concederetis nunc magis quam concedit Scotus, ac proinde vobismetipsis contradiceretis. Ergo dicendum est prædicata quidditatiua existentiæ non distingui ex natura rei ab ipsa existentia, ac proinde illa prædicata quidditativa, quatenus sunt positiua actualia prædicata non dari ab æterno, neque separari ab ipsa existentia, quam constituunt essentialiter solumque esse ab æterno possibilia, & secundum possibilitatem separari ab existentia actuali, non à possibilitate existentiæ, neque ab existentia possibili, quia ab illa non distinguitur ipsa essentia possibilis, itaque attendum est essentiam possibilem non distingui ab existentia possibili, & essentiam actualem non distingui à parte rei ab existentia actuali, etiam si sit vera essentia actualis.

Ergo similiter essentia ipsa hominis actualis non 164
distinguetur à proptia existentia, etiam si sit vera essentia, quia sicut essentia possibilis hominis non separatur ab existentia possibili hominis, ita essentia actualis hominis non separatur ab existentia actuali ipsius, neque est indifferens ad illam, & ad negationem illius, sed potius est omnino determinata essentia actualis, ad ipsam existentiam, quia per existentiam constituitur in esse actualis identicè, & simplicissime quatenus identificatur cum existentia.

Vrge

165 Vrgetur, ac declaratur amplius, quia quicumque modus vel entitas à parte rei provt distincta ab alia, verbi gratia, vbi figura, & actio habent propria prædicata essentialia, quæ in ratione essentiæ, & quidditatis sunt tam propria, & quidditas sicut prædicata essentialia hominis & Angeli sunt vera & propria quidditas, & essentia hominis & Angeli, vnde sicut prædicatis essentialibus hominis formantur propositiones æternæ veritatis omnino necessariæ, immutabiles, & inuariabiles, ita similiter de prædicatis essentialibus actionis, vbi & figuræ formantur propositiones æternæ veritatis, omnino immutabiles, & inuariabiles, quæ absolute abstrahunt à tempore, quare sicut hæc, propositio est æternæ veritatis &c. homo est ens, homo est animal rationale, ita similiter hæ propositiones sunt æternæ veritatis &c. vbi est ens, actio est fluxus ab agente, vbi est determinatio rei ad locum, quare, quod vbi, figura & actio sint modi imperfectiores homine, non tollit quin habeant veram & propriam quidditatem & essentiam, sicut homo habet illam; atqui essentia hominis nullo modo distinguitur ab homine: ergo essentia vbi actionis, & figuræ nullo modo distinguetur ab ipsis; & ratio est, quia nihil est magis intimum, magis necessarium, magis idem, magis indistinctum ab aliquo, quam essentia per quam constituitur illud ex eo quod essentialiter & quidditatiue constituat ipsum: vnde siue essentia dicatur omnino necessaria, siue æternæ veritatis, siue immutabilis & inuariabilis, nullo modo debet distingui, sed omnino debet identificari cum re cuius est essentia, quod Thomistæ cum Diuo Thoma contra Scotistas asserunt vt vidimus *supra* agentes de distinctione ex natura rei, quod adeo verum est hoc, vt non solum affirment Thomistæ, totam essentiam non distingui à re cuius est essentia: sed neque vnum quodque prædicatum essentiale, & ideo docent sicut animal rationale non distinguitur à parte rei ab homine, ita similiter ens aut substantiam, viuens aut animal diuisim nullo modo distingui à parte rei ab homine, quod etiam contingit in modis & in accidentibus quæ nullo modo distinguntur à propriis essentiis & prædicatis essentialibus, siue diuisim sumptis, siue collectim, ex eo quod prædicata essentialia sint siue illa prædicata essentialia sint æternæ veritatis siue non, ex quo manifeste colligitur talia prædicata essentialia nunquam separari ab entitatibus quas constituunt quidditatiuæ, si cum proportione sumantur, vnde si prædicata illa sumantur vt actualia, non separantur ab Actuali re quam constituunt; si autem sumantur vt possibilia, nullo etiam modo separantur à re possibili, cuius prædicata possibilia sunt.

166 Tunc sic, siue existentia hominis, v.g. sit res, siue modus distinctus à parte rei ab essentia hominis, vere datur à parte rei & proprie existit sine fictione; ergo habet vera & propria prædicata essentialia, quæ nullo modo separantur & distinguuntur à re quam constituunt essentialiter, videlicet ab existentia ipsa, quia vbi datur eadem ratio formalis, datur idem effectus formalis, sed in essentia, seu prædicatis essentialibus existentiæ datur eadem ratio formalis, quæ datur in essentia hominis, vt identificetur cum ipso homine sine vlla distinctione: ergo dabitur in prædicatis essentialibus existentiæ similis effectus identificationis cum existentia quam constituunt. Minor illa est manifesta, quia tota ratio formalis propter quam essentia hominis (sit vel non sit æternæ veritatis) non distinguitur ab ipso homine, est quia est vera quidditas & essentia illius, sed etiam prædicata essentialia existentiæ sunt vera quidditas, & essentia existentiæ: ergo datur eadem ratio formalis identificationis: &c. ergo male colligitis essentiam hominis distingui ab existentia propria, quia essentia hominis est æternæ veritatis, & omnino necessaria; siquidem etiam essentia existentiæ, & prædicata metaphysica essentialia illius sùt æternæ veritatis per vos, & omnino necessaria, & nihilominus non distinguntur neque separantur ab existentia quam constituunt, alias prædicata metaphysica rei distinguerentur ab ea re quam constituunt: vnde animal rationale distingueretur ab homine; ne ergo hæc absurda sequantur, dicendum est nullam essentiam actualem distingui à parte rei ab existentia propria, ac proinde non separari illam ab hac: solumque distingui ab existentia, & separari ab illa essentiam possibilem, in qua fundatur prædicata æternæ veritatis, & de qua dicitur esse à se omnino necessariam, immutabilem ac inuariabilem, iraque essentia actualis nullo modo differt ab existentia licet essentia possibilis distinguatur ab existentia actuali; quia autem Aduersarij non distinguunt hos terminos equiuocatione laborant in suis argumentis, & reponsionibus vt patet ex dictis, vt autem tenebras has aduersariorum expelleremus lucem distinctionis supradictæ in medium protulimus, qua satis illustrata ac probata manet, illa prima pars maioris illius syllogismi.

Secunda pars sic demonstratur; quia existentia 167
panis v. g. potest esse & non esse actualiter: ergo distinguitur existentia ab eius actualitate & exercitio. Probatur antecedens, existentia panis ante consecrationem est actualiter existens; sed post consecrationem non est actualiter existens, potest tamen existere, si Deus reproducat iterum panem vt potest: ergo existentia potest esse & non esse actualiter: Maior est certissima in nostra fide, supponitur enim necessario materiam ad consecrationem; minor etiam est de fide, vt optime probat eximius Noster Doctor. *tom. 3. in tertiam partem disput. 49. sect. 2. & 3.* Consequentia infertur manifeste, quia in tantum substantia panis desinit esse, in quantum nõ est actualiter eius existentia. Confirmatur, illud quod est indifferens ad esse actualiter, & ad non esse actualiter distinguitur realiter ab esse actualiter: sed existentia panis est indifferens ad esse actualiter, & ad non esse actualiter: ergo existentia panis distinguitur ab esse actu: ergo etiam in illo modo existentiæ erit distinctio ex natura rei inter ipsum & idem ipsum: hoc est inter ipsius essentiam, & suum actuale esse, quod est impossibile, alias fieret idem argumentum de esse existentiæ illius modi & eius essentia, & sic procedetur in infinitum; si igitur in ipsa existentia intelligi potest quod interdum sit & interdum non sit sine distinctione ex natura rei, cur non idem intelligitur in essentia actuali cuiuscumque rei, & ipsius existentia, vt non distinguantur inter se.

Respondet Caietanus *quæst. 1. de ente & essentia,* 168
negando existere esse indifferens ad esse & non esse, quia nihil est indifferens ad aliqua duo, quorum alterum sibi determinat & est sibi essentiale &c. sed esse est de essentia existere: ergo existere non potest esse indifferens ad esse & non esse, quia res non potest esse indifferens ad esse essentiæ, & ad non esse essentiæ, quia esse essentiæ est de intellectu & ratione essentiæ.

Sed hanc solutionm Caietani omnes Doctores 169
reijciunt & merito, quia est euidenter falsa, existentia enim panis est vere & actualiter ante consecrationem, & post consecrationem non est actualiter, & existentia rosæ in hyeme non est à parte rei, in vere autem est à parte rei: ergo existentia potest esse actualiter & non esse: ergo est indifferens ad esse & non esse. Respondet vlterius Caietanus, quod ideo

existen

existentia rosæ in hyeme non est, quia essentia rosæ quæ ab æterno habet sua prædicata quidditatiua, nondum ad actum essendi peruenit, & non ideo quia existere sit indifferens ad esse & non esse: sed contra, quia hæc secunda responsio Caietani est tam improbabilis sicut prima, quia ipsa existentia rosæ in hyeme tantum erat in potentia: ergo non erat actu. Antecedens est euidens, quia in hyeme erat potentia in Deo ad producendam existentiam rosæ, & non produxit tunc: sed omne illud quod potest Deus producere, & non producit, dum non producit est tantum in potentia: ergo existentia rosæ in hyeme, est tantum in potentia.

170 Confirmatur, quia existentia rosæ in vere extrahit rosam extra causas actualiter: ergo hoc quod est extrahere rosam extra causas actualiter separatur ab essentia existentiæ: ergo essentia existentiæ potest esse sub negatione extrahendi rem extra causas actualiter: ergo essentia existentiæ est indifferens ad esse actualiter, & non esse actualiter: ergo distinguitur ab esse actualiter, de quo esse actualiter redit idem argumentum vsque in infinitum, videlicet vtrum distinguatur à sua essentia, quia essentia illius potest esse, & non esse actualiter, & sic erit indifferens ad esse, & non esse actualiter vsque in infinitum.

171 Respondet Albertinus quod ideo essentia rosæ distinguitur à parte rei ab existentia, quia est indifferens ad existere tanquam ad modum realem vel rem absolute de nouo aduenientem essentiæ; at vero existentia quamuis secundum esse ipsius conceptum sit indifferens ad esse in actu exercito, quia tamen existentia non existit per aliam existentiam, potest non esse sibimet ratio existendi, sicut quantitas se ipsa est extensa, & actio se ipsa fit: ideo ipsum exercitium existentiæ non distinguitur ab ipsa essentia existentiæ, & sic cessat ratio paritatis; quod si dicas quid igitur additur de nouo existentiæ in potentia, cum fit in actu exercito? respondet nihil de nouo addi in ratione existentiæ: sed illamet quæ erat in potentia obiectiua fit in actu, & extra causas ad quod sufficit actio agentis, quæ est modus quidem realis per quam actionem existentiæ extrahitur extra causam suam, & fit existens formaliter, sic Albertinus.

172 Sed hæc responsio semper difficilis mihi visa est ne amplius dicam: primo quia est manifesta petitio principij, nos enim ex indifferentia quam habet existentia ad essendum, & non essendum actualiter intendimus probare, quod exercitium existendi actuale non est ipsa existentia secundum essentiam, quia potest dari existentia secundum prædicata essentialia sine illo exercitio cum ab æterno detur illa sine hoc, & sicut ipse probat quod ideo essentia distinguitur ab existentia, quia potest dari essentia sine existentia, ita etiam nos probamus ipsam essentiam existentiæ distingui ab ipso exercitio actuali existentiæ, quia essentia seu prædicata quidditatiua possunt esse sine actuali exercitio existendi: ergo quando ipse respondet quod non distinguitur petit manifeste principium.

173 Deinde argumentum de separatione nihil probat, quia nos etiam dicimus quod ipsa essentia rei est ratio formalis existendi, quia si posset separari ab exercitio existendi, essentia non distingueretur ab existentia. Exempla autem quæ adfert Albertinus non veniunt ad rem; imo potius sunt contra illum, ideo enim colligimus actionem esse rationem formalem agendi quia implicat dari actionem quin actualiter agat: vnde si posset dari actio quin actualiter ageret, colligeremus euidenter quod nō esset ratio agēdi, vel quod necessario requireret aliquid distinctum à se ipsa vt actualiter ageret, & ideo colligimus euidenter quod quantitas distinguitur ab actuali extensione locali, quia potest dari quantitas actualiter quin extendat & extendatur actualiter localiter, vt patet euidenter in venerabili Eucharistiæ Sacramento, in quo datur quantitas actualiter, quin actualiter extendat, & ideo probauimus in physicis materiam & formam distingui ab actuali exercitio vniendi, quia possunt esse extrema quin actualiter vniantur; è contra vero euidenter colligimus vnionem actualem esse rationem formalem vniendi, quia non potest esse sine exercitio vnionis, quam rationem ait ipse Albertinus *tom. 2. disput. 4. de prædicam. substantiæ, quæst 3. n. primo* esse euidentem, quia implicat dari actualiter vnionem quin actualiter vniat, quia est modus & ratio formalis vniendi: sed secundum Albertinum existentia est modus & ratio formalis extrahendi rem extra causas: ergo non potest dari existentia quin actualiter extrahat rem extra causas: sed ab æterno fuit existentia seu essentia existentiæ, aut prædicata essentialia illius, vt ipse asserit: ergo ab æterno extrahit rem extra causas: ergo ab æterno res extitit extra causas quod est hæreticum; siquidem nihil extitit nisi per productionem Dei, & Deus nihil produxit ab æterno; sed in tempore. In principio enim fecit Deus &c. vel si abæterno existentia, quæ tunc fuit non extraxit rem extra causas in actu exercito: ergo non est ratio formalis extrahendi rem extra causas, neque est ipsum exercitium existendi: ergo essentia existentiæ distinguitur ab actu formali extrahendi rem extra causas. Vnde si aliquid valet tum argumentum contra nos negantes essentiam hominis distingui ab existentia hominis, etiam valebit contra te negantem prædicata essentialia existentiæ distingui ab ipso exercitio existendi; è contra vero si contra te non vrget hoc argumentū ad hominem, minus vrgebit contra nos tuum, quia contra nos non est ad hominem, & præterea possumus adhibere ad soluendum tuum argumentum ipsam solutionem qua nostrum argumentum soluere intendas.

Declaratur amplius hoc secundum Albertinum 174
de essentia existentiæ est exercitium existendi, sed ab æterno fuit coniuncta essentia cum existentia: ergo ab æterno fuit essentia existens. Patet consequentia (quia minor est sententia Albertini) implicat quod aliqua forma sit vnita subiecto capaci effectus formalis, quin ex ipsa forma vnita subiecto & ipso subiecto non resultet effectus formalis illius, quia talis effectus est totum compositum ex forma & subiecto, & vnione, sed totum compositum est idem quod materia, forma & vnio quæ ibi dantur: ergo necessatio datur ibi effectus formalis, quia ab æterno fuit vnita existentia essentiæ, quæ est subiectum capax affectus formalis existentiæ: ergo ab æterno resultauit effectus formalis existentiæ: maior est euidens, implicat enim quod albedo sit vnita parieti quin resultet effectus formalis illius scilicet album, quia subiectum est capax, tunc sic effectus formalis existentiæ est existens; sed ab æterno existentia fuit vnita essentiæ quæ est capax illius effectus formalis: ergo ab æterno fuit essentia existens.

Dices ex Albertino quod existentia vt constituat 175
essentiam existentem requirit vt conditionem actionem agentis, quia licet detur aliqua forma in aliquo subiecto, nihilominus vt præbeat suum effectum formalem, necessario requirit aliquas conditiones, & sic in lapide si poneretur gratia conferret illi suum effectum formalem, ita similiter etiam si existentia sit ab æterno secundum suum esse essentiale, non facit rem existentem quia deest actio, aduenientem

niente autem actione in tempore facit rem existentem.

176 Sed ante impugnationem adverto duo, Primum quod conditiones ad aliquam formam possunt esse in duplici ratione, aliæ sunt antecedentes ipsam formam quæ necessario requiruntur vt forma sit ita vt si non detur talis conditio non possit dari ipsa forma ad eum modum quod Doctores communiter dicunt intellectionem esse conditionem necessariam vt sit volitio, & nos asserimus approximationem esse necessariam conditionem vt sit actio agentis, ita vt sine illis conditionibus non possit dari forma; at vero si aliqua conditio licet sit necessaria ex natura rei, nihilominus si datur forma in subiecto necessario dabitur effectus formalis & compositum ex ipso subiecto & forma, v.g. etiam si dispositiones organorum, & alia accidentia sint necessariæ ad formam hominis, nihilominus si forma rationalis detur in materia componet hominem, & hoc in formis absolutis omnes Doctores concedunt, & Albertinus etiã cõcedit in relatiuis in quibus hoc negotium difficilius est, nam cũ *in prædicamẽto ad aliquid, quæst. 6. sect. 1.* asserat relationem distingui à suo fundamento, id probat quia si non distingueretur non existente termino referretur fundamentum ad terminum, quia totum esse relationis est, & consistit in actuali exercitio referendi, & *disput 4 prædicamenti substantiæ, quæst. 3. n. 70.* asserit quod licet doctrina de connotatis extrinsecis possit admitti in relatione, & figura, nihilominus in vnione non debet admitti. Aliæ sunt conditiones necessariæ antecedentes ipsam formã quæ nullo modo sunt necessariæ vt forma causet suum effectum formalem primariũ: sed solũ requiruntur ad operationes exercendas vt est subsistentia in natura, aut solũ ad perfectionẽ ipsius, rei vel ad connaturalẽ consistentiã illius, quibus omnibus ablatis si per possibile aut impossibile detur forma in subiecto necessario componet suũ effectũ formalem.

177 Aduerto secundo quod quando quærimus vtrũ essentia, & existentia distinguantur, quæstio procedit de omni ente creato tam absoluto quam respectiuo modali, & reali, quibus positis sic argumentor.

178 Posita forma in aliquo subiecto necessario debet præstare suum effectum formalem deficiente quacumque conditione, dum tamen detur id quod est essentiale ipsi formæ: sed ab æterno datur tota essentia existentiæ in essentia: ergo debet dari effectus existentiæ: maior est sententia Albertini, vt constat ex locis allegatis de relatione, & vnione, & patet ex notabili, vel dicant aduersarij quo alio argumento esset conuincendus qui diceret quod in Eucharistia non esset homo Christus Dominus, quia deficit illi extensio quæ est conditio necessaria? certe nullo alio nisi quia in Eucharistia est animus rationalis vnitus materiæ primæ, quia implicat quod detur forma in subiecto, & quod non detur effectus formalis formæ, vel si in nostro casu aliquis diceret quod licet detur existentia Christi Domini, nihilominus non existebat, quia vt illa existẽtia faciat existere hominem necessario requirit actionem generatiuam, productã ab alio homine; certe qui ita deliraret non esset conuincendus aliunde nisi, quia datur tota essentia, & existentia in Christo Domino quod sufficit vt existat; vel si aliquis dicat quod animus rationalis in corpore sit de primo concepto, non faceret hominem quia deficiunt illi aliquæ conditiones necessariæ ad ratiocinandum, is conuinceretur, quia implicat quod detur forma hominis in materia sublunari, & quod non detur homo quia datur tota essentia hominis; quod autem homo primo conceptus sit homo est certum in nostra fide, quia est capax peccati originalis, quod est proprium peccatum hominis: ergo vt firmissimum asserendum est quod quoties datur aliqua forma in aliquo subiecto, necessario debet dari compositum quia est effectus formalis illius formæ, & ratio huius est euidens, quia essentia compositi nihil aliud est quam omnes partes vnitæ inter se, & quoties datur tota essentia rei est ipsa res: minor etiam est sententia Albertini, quia ipse ponit essentiam, & existentiam secundum totum esse reale, & essentiale illarum ab æterno: ergo est effectus formalis illarum scilicet Petrus existens quo quid absurdius in nostra fide.

Declaratur hoc totum, quia impossibile est quod 179
deficiat conditio ad aliquod quando non deficit conditio ad id totum quod est idem cum ipso, v. g. impossibile est vt deficiat conditio ad hoc vt sit homo, si non deficit conditio ad hoc vt sit animal rationale, quia homo, & animal rationale sunt idem alias deficeret, & non deficeret simul conditio ad idem ipsum quod est impossibile, quia impossibile est idem simul esse, & non esse, sed in vestra sententia (si consequenter loquamini) non deficit conditio ab æterno ad id quod est idem quod effectus formalis existentię: ergo non potest deficere conditio ad ipsum effectum formalem existentiæ: minor est euidens, quia totum compositum ex essentia tanquam ex subiecto, & ex existentia tanquam ex forma actu est idem quod effectus formalis existentiæ: sed ab æterno non deficit conditio ad hoc vt sit totum compositum ex essentia, & existentia: ergo ab æterno non deficit conditio vt detur id quod est idem quod effectus formalis existentiæ. Maior illa est certa, quia nihil aliud est effectus formalis alicuius formæ quam concretum constitutum per illam formam, sed totum compositum ex essentia tanquam ex materiali, & ex existentia tanquam ex formali media vnione inter illas est concretum constitutum ab existentia: ergo totum compositum ex essentia tanquam ex subiecto materiali, & existentia tanquam ex forma est effectus formalis existentiæ. Exemplo clarissimo demonstratur, quia album ideo est effectus formalis albedinis, quia est concretum & compositum ex pariete tanquam ex subiecto materiali, & ex albidine tanquam ex forma vnitis inter se, & ideo homo est effectus formalis animæ rationalis quia est concretum & compositum ex materia prima & ex anima rationali: ergo concretum & compositum ex essentia tanquam ex subiecto materiali, & existentia tanquam ex ratione formali erit idem quod effectus formalis existentiæ.

Minor illa sic demonstratur, quia totum composi- 180
tum ex aliqua materia & forma vnitis nullomodo distinguitur à parte rei ab ipsa materia forma & vnione simul, sed potius est idem ac ipse, ita vt sit verum dicere materia, forma, & vnio sunt totum compositum & concretum à tali materia & forma, vel ex illis: sed ab æterno non deficit conditio vt sit essentia quæ est materia vel quasi materia, & existentia quæ est forma vel quasi forma, & simul vnio essentiæ cum existentia: ergo ab æterno non deficit conditio vt sit totum compositum & concretum ex essentia & existentia simul vnitis: ergo euidenter colligitur ex tota hac demonstratione (suppositia vestra sententia asserente actionem deficere ab æterno, & nihilominus dari ab æterno essentiam existentiam & vnionem inter ipsas) actionem deficientem nullomodo esse conditionem necessariam ad effectum formalem existentiæ, alias etiam esset conditio necessaria ad essentiam, existentiam, & vnionem inter ipsas, quæ sunt idem quod effectus formalis existentiæ, ac proinde non darentur ab æterno essentia, existentia, & vnio inter ipsas: sed deficiente ab æterno actione Dei dantur essentia, existentia

& vnio inter ipsas: ergo non est conditio necessaria ad illas: ergo neque est conditio necessaria ad essentiam existentem, quæ est idem quod effectus formalis existentiæ, v. g. si actio Dei non esset conditio necessaria ad disgregatiuũ visus non esset conditio necessaria ad album, sicut si actio Dei non esset conditio necessaria ad corpus, animam rationalem & vnionem inter ipsa etiã non esset necessaria ad hominem, qui est idem cum illis: sed per vos essentia, existentia, & vnio earum est idem quod effectus formalis existentiæ, & actio Dei non est conditio necessaria ad essentiam, existentiam, & vnionem: ergo non est conditio necessaria ad essentiam existentem se ad effectum formalem existentiæ.

181 Secundo impugnatur eadem solutio euidenter: ideo per vos ab æterno non extitit res, & existit in tempore quia in tempore datur actio agentis; sed etiam ab æterno fuit actio agentis: ergo ab æterno fuit res existens v. g. Angelus Michael. Maior est solutio quam impugnamus: minor probatur manifeste, quia ab æterno fuit essentia, & existentia actionis propter eandem rationem, qua id probant aduersarij in essentia & existentia hominis, quia quæstio, vt constat ex notabili, procedit de omni essentia, & existentia creata, & de actione est verum dicere quod est ens reale, & quod habet essentiam necessariam æternæ veritatis, & reliqua argumenta Albertini: ergo ab æterno fuit actio: ergo & res existens. Patet consequentia, quoties datur aliqua forma in aliquo subiecto cum omnibus conditionibus necessario datur effectus formalis; sed ab æterno fuit existentia in subiecto cum omnibus conditionibus: ergo ab æterno fuit effectus existentiæ quod est res existens.

182 Dices quod deficit illi aliqua conditio scilicet tempus, quia ab æterno nulla res creata potest existere.

183 Sed contra primo, quia etiam ab æterno debuit esse tempus secundum essentiam, & existentiam propter eandem rationem, quia est ens reale, & omne ens reale per vos fuit ab æterno secundum esse essentiæ, & existentiæ. Contra secundo: ergo in hoc tempore non solum dantur Angeli producti; sed etiam omnes qui à Doctoribus dicuntur possibiles, & posse produci à Deo, hodie, hac hora &c. Patet consequentia, quia ideo non fuerunt ab æterno existentes, quia deficiebat conditio temporis: sed nunc non deficit: ergo nunc sunt existentes omnes Angeli possibiles qui à Doctoribus dicuntur posse existere; quod est falsissimum, & eodem modo impugnantur omnes solutiones quæ possunt dari, videlicet quod deficiat vnio inter essentiam, & existentiam, & relatio prædicamentalis inter illas, quia etiam illa vnio vel relatio fuerunt ab æterno, quia sunt entia reali secundum essentiam, & existentiam: ergo nihil deficit ad hoc vt res existat ab æterno. Præterea qui respondet quod Deus solum produxit vnionem inter essentiam, & existentiam eodem modo sunt impugnandi, quia etiam illa vnio fuit ab æterno, & actio producens illam vnionem fuit ab æterno: ergo deinde quid absurdius potest excogitari quam dicere quod Deus in productione Angeli eodem modo se habet sicu homo in productione alterius hominis qui solum producit vnionem, imo si aduertatur secundum hanc sententiam Deus minus facit quam homo, quia homo in mea sententia producit essentiam, & existentiam vnionis, & secundum aduersarios neque producit essentiam neque existentiam vnionis; sed solum coniungit essentiam vnionis cum existentia vnionis; vnde solum facit modum vnionis, & non vnionem ipsam eo modo quo facit homo. Deinde, quia multi ex aduersariis negant in vnione dari vnionem distinctam quæ vniat essentiam, & existentiam ipsius vnionis ne detur processus in infinitum: ergo in hac sententia nihil producit Deus, siquidem neque producit essentiam vnionis, neque existentiam illius: ergo nihil est quod producat Deus.

Imo etiamsi concedant aduersarij dari vnionem distinctam inter essentiam, & existentiam vnionis; iterum redit idem argumentum, quia Deus non producit illam secundam vnionem, quia neque producit essentiam, neque existentiam illius propter rationes dictas: ergo nullo modo producit illam vnionem: ergo nihil producit Deus: ergo minus facit quam homo; neque potest recurri ad tertiam vnionem, quia idem argumentum currit de tertia, ac de secunda, & prima. 184

Nec valet dicere, quod licet dentur essentia, & existentia vnitæ inter se, nihilominus non existit res, quia non datur actus diuinæ voluntatis, quo vult illa existere. Non, inquam, valet; quia non potest facere, quod detur forma in materia, & quod non detur effectus; sicut si daretur forma hominis in materia hominis, necessario daretur homo; (& pone casum in quo per possibile, aut impossibile Deus esset agens naturæ, vt posuit illum Aristoteles) etiamsi non daretur actus voluntatis diuinæ secundum sanam Theologiam; quia ille solum requiritur quasi antecedenter, vt ponatur forma in materia; posita autem non potest facere Deus quod non sit homo; sicut posito peccato in homine, etiam si detur actus displicentiæ, non ideo homo non est peccator, sed ab æterno dantur essentia, & existentia vnitæ inter se: ergo illis suppositis necessario sequitur quod sit res existens; sicut ex eo quod ab æterno detur generatio Verbi diuini, etiamsi pro illo priori generationis non concipiatur actus paternæ voluntatis, nihilominus datur Verbum æternum, quia hæc omnia, quæ sunt essentialia illius, dantur: ergo etiamsi non detur actus voluntatis diuinæ, si ab æterno omnia sunt essentialia rei existentis, necessario dabitur res existens in eo; quod sequitur manifeste ex contraria sententia; & quod res necessario existit independenter à libera voluntate Dei, sicut existit Verbum æternum, quod est aperta hæresis; ex quo etiam sequitur quod homo necessario esset beatus, quia datur necessario vilio beata, propter eandem rationem. Prætermitto alia absurda, quæ sequitur ex prædicta sententia, quæ lumine naturæ sunt nota. 185

## Svbsectio. X.

### *Efficaciter probatur ab inconuenienti nostra Conclusio.*

Si essentia Angeli v. g. distingueretur ab eius existentia, Angelus non crearetur à Deo, sed potius educeretur, aut generaretur; & idem est de anima rationali; sed hoc est maximum absurdum, tam in Philosophia quam in fide nostra: ergo essentia, & existentia non distinguuntur in Angelo. Maior sic probatur, quia Deus non producit essentiam Angeli, quia per vos est increata, æterna, & à se, & sic ab æterno datur essentia Angeli, (quæ non daretur si produceretur à Deo, in tempore, quia quidquid producitur à Deo, in tempore producitur, ac proinde ab æterno non datur). Vnde solum Deus producit existentiam Angeli; ac proinde solum hoc concretum Angelus existens; sed existentia Angeli quatenus est modus, vel entitas omnino dependens ab essentia tanquam à subiecto materiali, non 186

non creatur, quia non fit ex nihilo, sed potius educitur ex ipsa essentia tanquam ex subiecto præsupposito; Item vnio inter essentiam, & existentiam, non creatur, sed potius fit ex præsuppositio subiecto, (vt late probauimus *libris de Cælo*, vbi demonstraui vnionem substantialem non posse creari:) ergo totum Concretum Angelus existens non creatur, sed potius educitur, & generatur. Explicatur hoc exemplo manifesto; Ideo Concretum hoc, equus, vel ignis non creatur, sed potius generatur, & educitur; quia Vnio, & formalitas illius educitur, & non creatur, scilicet forma ignis, & anima equi, & vniones earum, etiamsi materia eorum non educatur, aut generetur; sed formalitas concreti Angeli existentis non creatur, sed educitur; & idem est de vnione existentiæ respectu essentiæ Angeli: ergo totum concretum Angelus existens non creatur, sed educitur, & generatur. Videantur reliqua à me posita *in physicis, Disput. de materia prima, quæst. Vtrum materia habeat existentiam à se, vel à forma*; Vbi hoc argumentum late proposui; cui sciens, & prudens supersedeo, ne actum agamus.

186 Quod autem inconueniens sit in Philosophia, & in fide catholica asserere, Angelum, & Animam rationalem non creari, sed educi, aut generari, patet manifeste ex iis omnibus, quæ late adducimus *libris de Anima*, vbi data opera demonstrauimus animam rationalem esse creatam ex nihilo. Item *ex capite, Firmiter de summa Trinitate, & Fide catholica, in principio*, Vbi decernitur, Angelos esse creatos ex nihilo, *ibi*: [Ab initio Temporis de nihilo condidit creaturam spiritualem, Angelicam videlicet]. Quid clarius?

187 Aliter probatur nostra Conclusio, quia in accidenti essentia non distinguitur ab existentia: ergo neque in substantia. Consequentia est cuidens à paritate rationis, quia non est maior ratio vnius, quam alterius. Probatur antecedens, si existentia accidentis est res diuersa ab essentia; quærendum est, an talis res sit substantia, vel accidens? Non substantia, vt patet; ergo accidens: ergo similiter ipsum inexistit; aut igitur seipso, aut per existentiam à se distinctam? si se ipso, cur non idem de primo accidente dictum est. Si per aliam existentiam, idem rursus de illa quæri potest; atque hoc pacto res procederet in infinitum.

188 Declaratur: vel ex essentia, & existentia fit vnum ens per se, vel vnum ens per accidens? Non vnum ens per se; quia ex duobus actibus non fit vnum ens per se; sed essentia est actus, & existentia est actus: ergo ex essentia, & existentia non fit vnum ens per se; hac enim maxime ratione pugnant ipsi contra eos, qui ponunt multas formas substantiales in vno composito.

189 Sin autem ex ipsa existentia & essentia componatur vnum ens per accidens, & non resultet vnum ens per se, cum res existens sit terminus generationis, generatio substantialis terminaretur ad ens per accidens, ac proinde ad plura simpliciter, & non ad vnum simpliciter, quod est expresse contra Aristotelem.

190 Deinde sequitur maius absurdum, quod omnis homo simpliciter sumptus quatenus talis sit ens per accidens. Patet hoc; quia homo simpliciter talis est homo existens; quia homo possibilis est secundum quid talis, existentia enim tribuit esse simpliciter; atqui homo existens quatenus componitur ex essentia, & existentia hominis, est ens per accidens: ergo præterea: si existentia re differt ab essentia, erunt duo termini per se primi ipsius generationis, cum generatio terminetur ad rem existentem, quod nequaquam fieri potest; vnitas enim numerabilis cuiuslibet motus pendet ex vnitate numerali termini ad quem. Probatur antecedens: nam terminus generationis est forma; vnde Aristoteles formam sæpe vocat generationis terminum, & finem, cuius gratia est. Item existentia, etiam est terminus generationis, quia generatio definitur, est mutatio de non esse ad esse, generari est fieri, fieri autem per se terminatur ad esse, quare si esse secundum rem differret à forma & essentia illius, duo essent termini per se generationis.

Vltimo vrgetur contra eos qui asserunt existen- 191
tiam distingui ab essentia vt rem à re, & vt actum absolute realem à potentia reali; quia si existentia ita distingueretur ab essentia, existentia posset existere & permanere sine sua essentia, saltem diuinitus; sed hoc implicat contradictionem: ergo implicat contradictionem quod existentia distinguatur ab essentia vt res à re: maior est certa, in hoc enim distinguitur res à modo, quod modus adhuc diuinitus non potest esse separatus à re cuius est modus, res autem potest etiamsi debilissima sit, quid enim debilius potest excogitari quam quantitas, albedo & reliqua accidentia, quæ ex eo solum quod res sunt & non modi separatur in Eucharistia diuinitus à substantia panis, cuius accidentia sunt, sed per vos existentia est res absolute ac simpliciter distincta ab essentia: ergo saltem diuinitus potest separata existere ab essentia: minor illa prima sic demonstratur, quia implicat contradictionē essentiā simul esse essentiam, & nō essentiam; sed si existentia esset separata ab essentia, essentia esset essētia simul, & nō essentia: ergo implicat contradictionē quod existētia separata existat ab essētia: minor hæc sic demōstratur: & imprimis esset essentia, vt supponimus: deinde nō esset essentia, quia essentia est id, quod adeo est necessarium, intimum, & vltimum constitutiuum rei, vt sine illa res nullo modo possit aut esse aut concipi, adhuc diuinitus: v. g. ideo animal rationale est essentia hominis, quia homo neque esse neque intelligi aut concipi possit sine animali rationali, & essentia Dei est Deitas, quia sine Deitate nullo modo potest cōcipi aut esse Deus, quod adeo verum est vt nulla alia definitio possit tribui essentiæ vt essentiæ, imo si aliam inuenerunt Aduersarij, dicant nobis & assignēt, quam certè assignare non poterunt; siquidem hanc solam à nobis traditam cognouit Metaphysica.

Sed per vos existentia posset esse separata ab essen- 192
tia conseruari, concipi, & intelligi sine essentia, quia quidquid separatum existit ab alio conseruatur, est, & intelligitur sine illo: ergo illi essentiæ non conueniret definitio essentiæ: ergo non esset essentia, si posset existentia existere separata ab essentia.

Vrgeo amplius: ergo modo de facto quando cor- 193
rumpitur essentia, non ideo præcise corrumpitur, quia corrūpitur eius existentia (per te enim potest corrūpi existentia diuinitus quin essentia corrumpatur) ergo vltra existentiā corrūpitur de facto ipsa essentia; ergo hæc non habet præcise esse ens actuale, quod habeat existentiam distinctam, sed etiam à se ipsa intrinsece, efficienter vero ab actione, qua producitur, ideoque poterit esse ens actuale sine existentia distincta, ergo & existens sine existentia distincta; quia nihil aliud est ens existens quam ens actuale productum in rerum natura.

Præterea si existentia potest conseruari sine essen- 194
tia & non producta essentia: ergo quando producitur essentia & ponitur existentia, sola essentia de nouo producitur & de nouo fit ens actuale, sed non intrinsece per existentiam, quia hæc non est de nouo

producta : ergo per se ipsam formaliter terminat tunc actionem productiuam : ergo essentia provt condistincta ab existentia superaddita habet esse actuale in rerum natura. Patet consequentia, quia illud habet esse actuale in rerum natura quod est de nouo à parte rei ; nec potest dici tunc produci de nouo vnionem, quia in ipsa vnione habet locum hoc argumentum quomodo scilicet ipsa essentia vnionis producatur, quod si concedatur semel essentiam vnionis per se ipsam solam terminare actionem productiuam, & consequenter per se ipsam solam intrinsece esse extra causas & existere, idem dicendum erit de reliquis essentiis.

195 Dices posse separari essentiam ab hac numero existentia & ab illa & ab omnibus diuisiue, non vero ab aliqua sub disiunctione, & ab omnibus collectiue & hoc sufficere ad eas distinguendas sicut ob similem separabilitatem distinguitur vbicatio & duratio à re vbicata, & durante, ex hac vero separabilitate non sequuntur absurda quæ supra inferebantur.

196 Sed contra primo manifeste, quia ex hoc sequitur essentiam ab æterno esse coniunctam cum aliqua existentia sub disiunctione, quia per vos essentia non potest collectim separari ab omni existentia, quando vere datur essentia, sed ab æterno vere per vos fuit essentia : ergo ab æterno fuit cum aliqua existentia : ergo ab æterno existebat essentia hominis v. g. sed non existebat media productione Dei, quia Deus nihil ab æterno produxit sed in tempore : ergo à se ipsa existebat essentia : ergo existebat vt Deus sine vlla causa : ergo est Deus quæcumque essentia ; sed hoc est hæreticum : ergo falsissima est solutio aduersariorum.

197 Secundo contra, quia essentia est res absoluta ac simpliciter, item existentia est res absoluta ac simpliciter & non modus : ergo essentia non solum diuisiue sed etiam collectiue potest separari ab omni existentia, & existentia ab omni essentia vt videre est in accidentibus Eucharistiæ, quæ non solum diuisiue, sed etiam collectiue separantur ab omni substantia quia sunt res & non modi, etiam si sint res imperfectissimæ.

198 Tertio contra, quia adhuc manet tota difficultas vt optime notauit Arriaga. Rogo enim an quoties mutatur existentia mutentur actiones productiuæ essentiæ an non ? si non mutantur : ergo manet conseruatio eadem essentiæ variatis existentiis : ergo essentia vt condistincta ab existentia terminat actionem productiuam distinctam quæ ponitur extra causas : ergo etiam vt condistincta ab existentia existit. Si vero mutantur productiones circa essentiam : ergo quia non manet eadem numero essentia actualis modo quæ antea, quod est contra suppositum. Sequela patet, non secundum mea principia sed secundum principia Thomistarum, cum quibus pugnamus, quia si essentia actualis est eadem modo quæ antea, vt quid debet variari actio terminata ad ipsam essentiam cum habeat nunc eundem terminum quem antea?

199 Et si dicas illam actionem variari eo quod terminetur ad existentiam quæ mutatur & variatur.

200 Sed contra, quia id repugnat, cum enim in vestra sententia existentia educatur ex potentia essentiæ, sit necessario vt actio qua producitur existentia debeat dependere ab essentia & causari ab ipsa tanquam à subiecto eductionis, si autem ex alia parte ea actio sit eadem cum ea qua ipsa essentia producitur, sequetur rursus essentiam esse causam actionis primo productiuæ sui ipsius, & consequenter esse causam sui, quod neque à te neque ab alio conceditur, sed ab omnibus negatur. Deinde quia licet posset per eandem actionem produci essentia & existentia adhuc illa actio habebit duos terminos vere productos extra causas & habentes entitates actuales distinctas, & consequenter quilibet provt condistinctus ab alio existet vt supra asserebamus ; vnde non est necesse vt ambo per vnam actionem producantur : præsertim quando vnus terminus permanens est, alius successiuus ; nam si concedatur duas res vere produci, & duas res verè de nouo esse in rerum natura, nulla res poterit proprie creari vt supra diximus.

## Sectio Vltima.

### *Argumenta aduersaria soluuntur.*

AD loca sancti Hilarij, & Boëtij, respondeo locutos fuisse hos Doctores de distinctione reali inter essentiam actualem & subsistentiam creatam quam nos fatemur distingui à parte rei. Hilarius vero dum existentiam creatam vocat accidens, non intelligit existentiam esse accidens physicum, sed solum metaphysicum, comparatum quidem non cum essentia actuali ; sed cum essentia possibili, quia tali essentiæ vt possibili conceptæ accidit existentia actualis etiam si non accidat essentiæ actuali ; quia identificatur cũ cum ipsa adhuc per rationẽ vt *quæst. sequenti* dicetur, vel si vis respondeo eodẽ modo ad diuum Hilarium in hac locutione ac responsum est ad Boëtium Seuerinum, dicendo diuum Hilarium locutum fuisse nomine esse non de existentia, sed de subsistentia, vt patet *ex toto contextu lib. 6. de Trinitate*, vbi sæpe subsistere vocat esse Diuus Hilarius. 201

Ad loca diui Thomæ facilis ab aliquibus exhibetur responsio respondendo Angelicum Doctorem oppositum nostræ sententiæ docuisse, ab ipsoque recedendum esse necessario in hoc negotio, neque posse in omnibus præcipue philosophicis rebus vestigiis tanti Doctoris insisti. 202

Verum in re graui non est tam facile & clare recedendum à diuo Thoma, sed potius aliqua quærenda est verborum eius explicatio. Vnde multum probo authores illos qui Angelicum Doctorem quoties 203
esse distinguit ab essentia in creatis volunt intelligendũ non de esse existentiæ, sed de esse subsistentiæ quod ex natura rei distinguitur ab essentiis rerum præsertim *libro contra Gentes, cap. 52. & 53.* vbi probans ex instituto in creatis compositionẽ ex natura, essentia & esse, per esse intelligit ibi subsistentiam vt patet ex iis verbis quæ ab ipso Angelico doctore proferũtur *cap. 52. citato* [illud igitur quod est subsistens (per suam essentiam) non potest esse nisi vnum tantum ; ostensum est autem quod Deus est suum esse subsistens, nihil igitur præter ipsum potest esse suum esse] (hoc est) subsistens. Eodem modo loquitur de esse personali & subsistentiæ *tertia parte, quæst. 17. art. 2.* vbi conuertit esse cum subsistere, & meo videri *prima parte, quæst. 6. art. 3. ad 2.* qui est locus adductus contra nos ab aduersarijs, eodem modo loquitur, ac proinde eodem modo explicandus est.

Alij Doctores aliam explicationem vniuersalio- 204
rem tribuunt huic loco & aliis diui Thomæ dicentes ; quotiescumque asserit existentiam distingui realiter ab essentia locutum fuisse non de essentia actuali, sed de essentia possibili ; & ratio est manifesta, quia diuus Thomas ideo asserit existentiam distingui à parte rei ab essentia, quia essentia est omnino necessaria à se fundans propositiones æternæ veritatis : atqui essentia actualis quatenus actualis nullo modo est necessaria à se, sed potius est contingens & li-

bere

bere producta, ac proinde potest esse & non esse; sicut ipsa existentia; neque in hac fundantur propositiones æternæ veritatis; sed in essentia in potentia seu possibili vt patet ex supra adductis pro nostra sententia, & hæc est à se & necessaria omnino omni genere necessitatis, vt à nobis probatur, & ostenditur *tractatu de possibilitate*; ergo euidenter sequitur quando diuus Thomas asserit existentiam distingui à parte rei ab essentia non loqui ipsum de existentia comparata cum essentia actuali; sed potius comparata cum essentia possibili, de qua nos etiam libenter fatemur distingui ab existentia actuali à parte rei & separari ab illa, siquidem ab æterno datur essentia possibilis & non datur ab æterno existentia actualis, & hæc sufficiunt de mente diui Thomæ, nisi velis dicere voluisse diuum Thomam existentiam distingui ab essentia actuali per maiorem, & minorem exprassionem, hoc est per rationem.

105 Ad locum sacræ Scripturæ deductum *ex 3. libro Exodi* 14. optime respondet P. Hurtado his verbis: Fateor me non percipere, quid ex hoc testimonio à Patribus inferant. Aloysius Legionensis opinatur nomine, qui est, non intelligi existentiam, sed veracitatem & fidelitatem qua Deus stat promissis vt eo signo seniores populi intelligerent à Deo Moysem missum, quia ipsi expectabant vt Deus staret promissis quod illorum labores levabat spe: est ergo sensus: dic populo illum, quem ipsi sperabant vt fidelem in promissis tibi dedisse hoc signum, quod erat illis notum ignotum aliis, qui non sciebant vtrum Hæbrei expectarent Deum: aliud autem signum erat adeo notum vt per illud non posset credi Moysi, id enim quiuis è foro posset dicere hispane, *no eran buenas sennas*, sic ille; dico ergo eo testimonio euinci non hoc quod Legionensis colligit quia singulare est, vt ipse fatetur, sed Deum esse per essentiam existentem, quia est existens non ab alio sed à se ratione cuius repugnat illi maxime esse in potentia logica ad existendum; vnde in Deo nullomodo distinguitur possibilitas ab existentia, & posse esse ab ipso esse, quia idem est in diuinis esse ac posse, vt sæpe repetitur in Concilio Niceno, imo arbitror nec posse concipi Deum nisi vt existentem, quod discrimen habet Deus, tametsi existentia & essentia actualis creatæ sint idem; quia tam essentiæ quam existentiæ possunt esse & non esse; quia existunt dependenter à libera Dei voluntate, & concipiuntur sub conceptu omnino necessario sine existentia, non tamen propterea essentia actualis distinguitur ab ipsa existentia actuali, ita Hilarius ait non posse non esse id quod est ipsum esse: Glossa interlinearis qui sunt (inquit) propriè immutabiliter. Lyrana significatur scilicet necessitas & æternitas, & immutabilitas &c. vbi creaturas ait à Deo discriminari, quia ipsæ sunt vertibiles in nihil; Hyeronimus *in epistol. ad Marcel.* ait, quia incommutabilis est quia ille tantum est, qui non nouit fuisse, & cætera comparatione illius vere non sunt: item *in cap. 3. ad Ephesios* id explicat, quia Deus nullius beneficio est; cætera sunt beneficio Dei eaque propter nomen commune sibi retinuit, quia substantiam habet à se, cætera ab illo, item Ambrosius *epist.* 93. exponit quia in ipso non est. Est & non est, sed solum est. Hæc proposui vt cernatur sensum esse de essentia Dei à se & incommutabili, non vero de distinctione à nobis tradita inter essentiam & existentiam.

206 Ex quibus manifeste patet nullius momenti esse argumentationem aduersariorum fundatam in suprà dictis verbis; nam nullius momenti erat signum identitatis inter essentiam & existentiam actualem ad ostendendum Deum esse qui mittebat Moysem, sicut v. g. nullius momenti est ad ostendendam magnitudinem Dei quod idendividuatio divina identificetur cum prædicatis superioribus, quia talis identificatio non denotat in Deo infinitatem ipsius, ac proinde potest conuenire creaturis, vt à nobis asseritur: ergo aliud signum excellentius & proprium Dei in omnium sententia debebat tribui Filiis Israël, quod non posset conuenire creaturis, vt ipsi reciperent Moysem tanquam legatum Dei ac infiniti Regis, hoc autem non poterat esse aliud quam habere existentiam à se ipso sine aliqua causa, quod adeo proprium & excellentissimum prædicatum Dei est, vt nulli creaturæ possit aliquomodo conuenire, cum sit infinitudo per essentiam quæ solius Dei propria est, & implicat conuenire creaturæ: ergo hoc signum potius quam illud aduersariorum tradidit Moyses ad ostendendam magnitudinem, & excellentiam Dei mittentis ipsum: ergo ex loco Exodi nihil colligitur in fauorem aduersariorum.

Ad quartum quod est prima ratio respondeo concedendo maiorem, & distinguendo minorem, essentia actualis & existentia, nego minorem: essentia possibilis, & existentia actualis, concedo minorem, & de his asserimus distingui à parte rei: ad probationem minoris concedo maiorem, & distinguo minorem quoad secundam partem non corrumpitur essentia; possibilis concedo; non corrumpitur essentia actualis, nego: ad probationem minoris distinguo maiorem; essentiæ possibiles seu possibilitates earum concedo maiorem; essentiæ actuales nego maiorem: ad confirmationem primam eodem modo respondeo concedendo maiorem & distinguendo minorem, essentia entis creati possibilis, aut possibilitas essentiæ concedo minorem; essentia actualis, nego minorē. 207

Ad secundam confirmationem concedo maiorem; & ad minorem, dico essentiam actualem interdum existere & interdum non existere, non ita vt essentia perseveret destructa existentia, nam statim ac non existit essentia actualis destruitur ipsa; vnde sicut de ipsa existentia est verum dicere quod aliquando existat, aliquando non existat; ita similiter est verum de essentia actuali quod existat & aliquando non existat: sed non ita vt non existente essentia actuali detur ipsa essentia actualis, quia hoc est falsum; quia destruitur ipsa cum existentia; de essentia autem possibili est verum dicere vt existat, & non existat perseuerante eadem essentia possibili sub existentia & sub negatione existentiæ, & sic dicimus essentiam possibilem distingui à parte rei ab existentia actuali, quibus manet soluta tota ratio Aduersariorū à §. *confirmatur secundum*, vsque ad quintum argumentum excluſiue. 208

Ad quintum argumentum distinguo antecedens, non est de conceptu essentiali & quidditatiuo essentiæ actualis, nego antecedens; non est de conceptu quidditatiuo essentiæ possibilis, concedo antecedens; vnde concedimus, etiam essentiam actualem creatam concipi non posse absque existentia, licet essentia possibilis possit concipi sine existentia actuali: vnde asserimus existentiam actualem sicut & essentiam actualem contingenter conuenire creaturis possibilibus, vnde negandum est absolute essentiam actualem esse necessariam simpliciter; verum tamen est quod essentia possibilis & secundum possibilitatem sit necessaria omnino, vt late à nobis probatur *tractatu de possibilitate rerum.* 209

Ad vltimum argumentum optime respondet Pater Hurtado retorquendo illud contra ipsos aduersarios, nam esse heri vnionem simpliciter & vnire non est esse vnionem & vnire hodie: ergo esse vnionem simpliciter heri & hodie est successiuum; sed hæc est essentia vnionis: ergo vnionis essentia est successiua, 210

quod est falsum : ecce retorquetur tuum argumentum contra te ; vnde quidquid responderis huic, respondebo tibi: Respondeo igitur ad tuũ argumentum negando minorem,ad probationem distinguo antecedens, existere heri,& hodie secundum conceptum in recto positũ non est idem,nego antecedens, secundũ tempora extrinsece connotata concedo; & nego consequentiam, sicut me coexistere Petro , & Paulo non est idem , non ex parte mei , sed ex parte connotati , quia præter meam existentiam connotantur existentiæ Petri , & Pauli , sed ex parte intrinseca idem est connotare , & coexistere Petro , & Paulo quia est eadem existentia connotans vtrumque , & coexistens vtrique, ita me existere heri , & hodie distinguntur ex parte heri & hodie,non tamen ex parte existentiæ quod patet in Deo , cuius existere heri sumatur ex parte heri non est existere hodie, similiter sumptum ex parte hodie , quia si non produceret diem hodiernum non existeret hodie quia est idem ac coexistere hodie.

211 Dices , quia Deus ita existit per æternitatem indiuisibilem vt non possit non existere; at idem contingeret creaturæ semel existenti si eius existentia est indiuisibilis, quia simul haberet rationem existendi per totam æternitatem , & existere heri esset extrinseca denominatio.

212 Verum in essentia simpliciter , & vnire simpliciter confici potest idem argumentum , quia si vnio semel est vnio simpliciter habet omne requisitum a d essendum , & habendam existentiam æternam , respondeo ergo existere heri in Deo & nobis esse denominationem partim intrinsecam, & partim extrinsecam , sicut coexistere Deum rebus , & me , Petro ; discrimen autem illud probat Deum esse ens necessario , nos autem contingenter ; & quamuis nostra existentia est abstracta & independens à tempore , non tamen est independens à libera voluntate Dei , quæ illam potest destruere hodie , ei destruendo idem esse quod ei dederat heri per solam cessationem conseruationis , sicut potuit eam non producere heri.

## Svbsectio.

### *Argumenta secundæ sententiæ dissoluuntur.*

213 Ante solutionem primi argumenti Caietani quod maximam continet confusionem , & equiuocationem aduerto esse irreceptum posse dupliciter intelligi , vel irreceptum ab alio vel in alio: irreceptum ab alio est idem quod improductum , & imparticipatum , ab alio independens & à se: irreceptum in alio est illud quod non est in alio tanquam in subiecto , quo posito. Respondeo ad illud argumentum primum distinguendo maiorem. Omne esse irreceptum simpliciter & in omni genere causæ est infinitum,concedo maiorem : irreceptum in vno genere scilicet in genere causæ materialis & in alio scilicet in genere causæ efficientis receptum , nego maiorem : deinde ad probationem maioris distinguo, omne esse purum est esse infinitum simpliciter , nisi sit purum vt non sit permixtum potentialitati ad non essendum, & potentialitati ad recipiendum,concedo; omne esse purum id est non compositum ex essentia tanquam ex potentia receptiua & existentia tanquam ex actu realiter distincto ab illa,nego ; quia quamuis creatura quantum ad hanc rationem vocari possit esse purum, non tamen erit tale absolute ac simpliciter, quia eo præcise quod creatura sit ens secundum, necessario debet esse admixta potentialitati ad non essendum & potentialitati compositionis respectu inhærentiæ vel subsistentiæ , in quo distinguitur , à Deo , qui nullam habet potentialitatem ad non essendum , neque potentialitatem ad componendum cum subsistentia, quare etiamsi careat creatura potentialitate compositionis,non potest dici pura simpliciter , quia habet alias potentialitates quas non habet Deus , ratione cuius purissima entitas dicitur ipsa , quare causalis illa neganda est , ideo ens creatum esse ens limitatum , quia prædicamentis permixtum , est enim falsa illa si vt proprie causalis sumatur , cum potius ens creatum ideo natum sit prædicamentis permiscери,quia esse limitatum est ex se ea solum ratione qua ab alio est,eo enim ipso quod ab alio ens dicitur immersum esse imperfectionibus & potentialitatibus.

Item in sententia probabili etiam à posteriori po- 214
test negari creaturam ideo esse admixtam prædicamentis quia est limitata,cum Deus in prædicamento existat vt à multis probabilitater defenditur : deinde ens artificiale & ens per accidens omnino limitata sunt , & nihilominus non ponuntur in prædicamento : ergo quod ponatur vel non ponatur in prædicamento : non est signum euidens à posteriori illimitationis , vel limitationis &c.

Ad primam confirmationem nego antecedens vt 215
constat ex dictis.

Ad secundam confirmationem respondetur limi- 216
tationem entis creati & posse esse physicam , & posse esse metaphysicam. Physica desumitur à causis physicis,& præsertim à prima efficiente & ab vltimo fine à quo omne esse creatum dependet qui est Deus, vnde causat creaturam primo efficienter, secundo finaliter , vltimo quia est vltimus finis illius.

Metaphysica vero sumitur tum à limitatione propriæ naturæ & subsistentiæ,quatenus distinguntur inter se à parte rei ; tum à differentiis metaphysicis quæ vt dixi *in logica* desumuntur à tota rei entitate secundum quod ab aliis distinguitur , quare esse creatum licet non sit esse receptum in alio tanquam in subiecto , quia tamen est receptum ab alio participatum & causatum à Deo est esse omnino limitatum physice, quia eo ipso non est à se physice quæ est maxima limitatio vt *libris physicorum* docuimus *tractu de infinito* , metaphysice vero determinabitur, seu limitabitur per differentiam propriam metaphysicam;cum enim esse illud comparatione naturæ aut essentiæ specificæ cuius est , concipiatur vt actus, sit vt esse seu existentia naturarum secundum speciem distinctarum concipiamus vt essentialiter inter se distinctas,atque adeo conuenientes in communi aliqua ratione generica extrahendi rem extra causas differentesque aut distinctas in rationibus extrahendi hanc potius quam illam essentiam specie distinctam , neque obest existentiam vltimam esse actualitatem, quia vt iam dixi non est vltima actualitas comparatione potentiæ essentiæ seu naturæ; sed solum comparatione potentiæ logicæ , & obiectiuæ : tandem si Caietanus instet pertinaciter asserendo eo ipso quod aliqua entitas sit irrecepta in aliquo subiecto debere esse infinitam, manifeste conuincendus est his manifestis exemplis ; nam essentia Angeli quatenus distinguitur ab existentia in nullo subiecto recipitur, & nihilominus non est essentia infinita sed finita , & limitata ; item essentia materiæ primæ in nullo subiecto recipitur, quia ipsa est primum subiectum , & nihilominus nullo modo est infinita, sed potius finita imperfectissima , & vt ita dicam limitatissima : ergo similiter ex eo quod aliqua existentia seu esse non recipiatur in aliquo subiecto, ac proinde sit esse irreceptum in genere causæ materialis non potest dici esse infinitum,alias quia essentia esset irrecepta in genere

nere causæ materialis diceretur infinita in ratione essentiæ, quod nullus audebit dicere; quare ex sola irreceptione in genere causæ efficientis, vt supra explicui, optime colligitur infinitudo simpliciter quæ nulli creaturæ conuenit.

218 Ad secundum principale argumentum concedo maiorem & distinguo minorem: essentia possibilis concedo: essentia actualis nego.

219 Ad tertium concedo maiorem & distinguo minorem. Prædicata quidditatiua actualia nego minorem, prædicata quidditatiua potentialia concedo minorem, in quibus fundatur illa propositio æternæ veritatis & non fundatur in actualibus prædicatis, vt patet ex dictis *tract. de possibilitate.*

220 Ad vltimum argumentum concedo maiorem & nego minorem, quia creaturæ licet non conueniat compositio ex esse & essentia conuenit cõpositio ex natura & substantia distinctis ex natura rei, vt patet in Angelis & in omni substãtia creata, si autem substantia fuerit completa corporea conuenit illi compositio ex partibus essentialibus & integralibus: tandem si substantia est pura spiritualis admittit compositionem substantiæ & accidentium realium, per quas omnes compositiones distinguntur creaturæ à Deo.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum essentia actualis distinguatur per rationem ab existentia.*

### SECTIO I.

*Sententia aduersaria proponitur.*

1 PRIMA sententia docet essentiam actualem & existentiam distingui per rationem inter se distinctione excludentis ab excluso, itavt sint duæ formalitates, quarum vna non includitur in alia, eo modo quo se habent animal & rationale: hæc est sententia valde communis inter Doctores excludentes distinctionem realem inter essentiam & existentiam. Pro hac citatur Pater Suarez *disput. 31. metaphysicæ, sect. 6. num. 16.* vbi sic inquit. Nullus est Theologorum qui distinctionem rationis inter essentiam & existentiam non admittat.

2 Probatur primo, ideo existentia Dei non potest distingui ab eius essentia, quia Deus est à se, & ideo non præbet ansam intellectui vt concipiat essentiam Dei sine existentia, sed essentia creaturæ non est à se: ergo potest concipi sine existentia.

3 Secundo, existentia concipitur vt prædicatum contingens respectu essentiæ; sed illud quod concipitur vt prædicatum contingens respectu essentiæ alterius, saltem per rationem distinguitur ab illo cui contingit: ergo essentia & existentia distinguntur.

4 Tertio in Christo supponimus de fide esse duas naturas, & quærimus an sint duæ existentiæ: ergo signum est quod essentia & existentia saltem per rationem sunt duæ formalitates distinctæ.

5 Quarto isti termini essentia & existentia non sunt sinonymi: sed si essentia & existentia non distinguerentur per rationem, essent termini sinonymi: ergo essentia & existentia distinguntur per rationem.

6 Vltimo, si essentia & exiltentia non distingueretur per rationem, existentia esset de conceptu essentiæ creatæ: sed hoc implicat: ergo distinguntur per rationem. Probatur minor, existentia solum est de conceptu essentiali Dei: ergo non est de conceptu essentiali creaturæ.

### SECTIO II.

*Nostra sententia ponitur.*

7 PRima conclusio: essentia non distinguitur per rationem ab existentia distinctione excludentis ab excluso, atque adeo essentia rei non potest præscindi ab existentia. Hanc conclusionem expresè docet Pater Suarez *tom. 3. in 3. partem, disputat. 49. sect. 4. §. 2.* principaliter, vbi sic inquit. [ Actualitas existentiæ est ita intima rei provt est vera, realis & actualis entitas, vt nullo modo discerni possint tanquam actus & potentia respectiua, quia separata existentia etiam per intellectum solum intelligitur manere potentia obiectiua; nam si intelligitur manere aliquid actu, ens illud est existens. ] sed clarius & melius loquitur idem eximius Doctor, *tom. 1. in tertiam partem, disputat. 36. sect. 1. §. ex ratione verò*, vbi ita expresè ponit meam conclusionem vt dubitari non possit, imo illam probat ratione quam euidentem existimo in hac re eamque postea subiiciam, in hoc igitur loco sic inquit. [ Ex ratione verò existentiæ sic explicata colligitur primo fieri non posse vt aliquid sit ens in actu, seu quod concipiatur tanquam actualis entitas qui in suo conceptu formaliter includat existentiam, itavt nec per abstractionem præcisiuam intellectus possit vnum ab altero separari manente conceptu vtriusque. ] Ecce asserit expresè meam conclusionem; neque est sibi contrarius eximius Doctor citatus supra pro prima sententia, quia ibi non dicit distingui essentiam ab existentia mutuo; sed solum distingui per rationẽ quod stat cum mutua inclusione vtriusque, quod declarat ipse Doctor *in metaphysica disput. citata sect. 13. num item 13.* vbi asserit quod compositio ex essentia & existentia est ad modum compositionis substantiæ; substantia autem ab ente in sententia eximij Doctoris solum distinguitur penes explicitum & implicitum, probatur sic.

8 Tunc aliqua non distinguntur per rationem modo dicto in conclusione, quando ita se habent vt vnum non possit concipi sine alio: sed essentia realis non potest concipi sine existentia: ergo essentia realis non distinguitur ab existentia adæquate distinctione excludentis ab excluso. Probatur minor, implicat concipi aliquem effectum vel quasi effectũ formalem non concepta forma vel quasi forma constituente illum, sed existentia est forma vel quasi forma constituens essentiam realem, actualem: ergo implicat concipi essentia realis actualis non concepta existentia: maior est euidens, quia non potest concipi album constitutum in ratione albi, quin in illo conceptu includatur albedo, quia forma est de essentia effectus formalis, sed res non potest concipi sine sua essentia, quia essentia est id sine quo res neque esse neque intelligi potest: ergo. Minor autem præcipua est sententia omnium Doctorum cum quibus nunc pugnamus, quia vt constat ex *quæstione superiori*, res constituitur in ratione entis realis, per existentiam; quod sic patet, quia existentia realis est esse reale actuale, & esse reale actuale est ens reale actuale, vt patet *quæstione superiori*, vbi latè probauimus ens, esse, & essentiam, esse sinonyma: sed essentia realis actualis constituitur in suo esse per rationem entis realis actualis, quod est primum prædica-

tum

tum essentiale transcendens vltimas differentias essentiæ actualis realis, particularis: ergo talis essentia realis actualis constituitur essentialiter per esse actuale reale: sed esse actuale reale est existentia: ergo per existentiam constituitur talis essentia actualis in suo esse reali.

9 Confirmatur, id per quod aliquid distinguitur essentialiter à suo contrario vel contradictorio, est ita essentiale illi vt non possit concipi sine illo per quod distinguitur, sed entitas & essentia actualis distinguitur ab esse in potentia, quod est quasi contrarium illius secundum statum, & à nihilo quod est contradictorium ipsius per existentiam, vt constat ex dictis *quæstione superiori*: ergo implicat concipi essentiam actualem non concepta existentia.

10 Et si aliquis dicat quod essentia actualis constituitur in esse talis per capacitatem & ordinem ad existentiam. Præterquamquod id optimè impugnat idem eximius noster Doctor, & dicit quod qui ita loquuntur decepti sunt. Aduertant quod etiam Thomistæ ita respondent; quod entitas actualis constituitur in esse talis per ordinem ad existentiam, & quod entitas actualis est existens virtualiter, fundamentaliter & in actu primo, seu in actu signato, & sicut Thomistæ impugnantur, quia illa entitas actualis præcisa quacumque formalitate est existens, quia est extra nihilum, & non est in potentia, ita similiter impugnatur hæc responsio.

11 Quia vel illa essentia actualis quatenus concipitur secundum rationem suam essentialem, concipitur extra nihilum, & non in potentia, & sic necessario concipitur vt existens, quia concipitur conceptus formalis existentiæ vel non concipitur extra nihilum: sed in potentia, etsi concipitur vt possibilis, & per consequens vt distincta ab existentia realiter, & vt non ens ab ente, quia inter hæc non datur medium, & sic necessario debet concipi, vel vt actualis & existens, vel vt possibilis & in potentia, sed non concipitur vt possibilis: ergo non concipitur vt existens, ergo non potest concipi entitas realis actualis quin concipiatur vt existens.

12 Vrgetur, quia si existentia per rationem distingueretur ab essentia actuali, ita vt essent duæ formalitates; in ipsamet existentia vt distincta ab essentia actuali deberent distingui aliæ duæ formalitates, scilicet essentia, existentia & ipsa existentia, ac proinde procederetur in infinitum, nam actualis essentiæ formalitas vt distincta à quavis alia est ens simpliciter oppositum enti in potentia: ergo vt sic concepta habet rationem entis simpliciter, quia effectus formalis non apprehenditur sine ratione formali, sed illa ratio est existentia: ergo. Vnde hoc argumentum quod vrget Thomistas, vrget nunc Aduersarios.

13 Tandem quia sicut se habet essentia possibilis respectu esse & existentiæ possibilis, ita se habet essentia actualis respectu existentiæ actualis, & exercitæ, sed essentia possibilis adhuc per rationem non distinguitur ab existentia possibili: ergo neque essentia actualis distinguitur ab existentia actuali. Minor sic probatur, quia essentia vt sic est sinonymum entis vt sic, vnde ens vt sic, & essentia vt sic solum quoad voces differunt: ergo ens possibile & essentia possibilis idem omnino sunt, & solum per voces differunt, sed ens possibile & esse possibile sunt omnino idem adhuc per rationem, ergo essentia possibilis, & esse possibile sunt omnino idem adhuc per rationem; sed esse possibile & existentia possibilis sunt omnino idem adhuc per rationem, ergo adhuc per rationem essentia possibilis & existentia possibilis sunt omnino idem. Patet consequentia, quia quæ sunt eadem vni tertio, eo modo quo sunt eadem, illi sunt eadem inter se, sed essentia possibilis & existentia possibilis per rationem sunt idem in ente possibili adhuc per rationem: ergo adhuc per rationem essentia possibilis & existentia possibilis sunt idem inter se.

Secunda conclusio: existentia, & entitas actualis 14
seu essentia realis actualis sunt idem formalissimus conceptus; hæc conclusio patet ex supradictis, quia entitas actualis realis est id quo res distinguitur à nihilo, & ab ente possibili: sed existentia, est id quo res distinguitur à nihilo: ergo existentia formalissimè est entitas actualis, & realis, quam etiam conclusionem probant omnia argumenta nuper posita superiori conclusione.

Vltima conclusio, si existentia vt sic comparetur 15
cum essentiis particularibus, distinguitur ab illis distinctione includentis ab incluso, quia existentia vt sic est idem quod ens vt sic, sed ens vt sic distinguitur à particularibus entibus, seu essentiis tanquam prædicatum commune inclusum in ipsis, ac proinde ab ipsis vt includentibus illud: ergo eodem modo distinguitur existentia vt sic à particularibus essentiis, quia omnes essentiæ particulares includunt existentiam sicut includunt ens, existentia autem non includit essentias particulares, sicut neque ens illas includit, & sic intelligo sententiam eximij nostri Doctoris quando asserit existentiam distingui ab essentia per rationem, loquitur enim de existentia vt sic comparata cum essentiis particularibus, à quibus per rationem distinguitur existentia modo dicto per maiorem, & minorem expressionem, sicut ratio communis transcendens à rationibus particularibus, quas transcendit.

---

## SECTIO Vltima.

### *Argumenta aduersaria soluuntur.*

AD primum nego maiorem, quia non ideo, sed 16
quia est ens reale actuale solum, & ex eo quod sit à se, habet omnino necessariam existentiam, quæ nullo modo potest destrui, in quo distinguitur à creatura.

Ad quartum distinguo maiorem. Concipitur vt 17
prædicatum tantum contingens respectu essentiæ possibilis, concedo; respectu essentiæ actualis, nego maiorem.

Ad tertium concedo antecedens, quantum ad pri- 18
mam partem, & distinguo quantum ad secundam, quia in re non sit de essentia entis, nego antecedens; quia aliqui intendunt malè & falsò, concedo antecedens. Ex quo non sequitur quod existentia non sit idem quod ens reale & actuale, vnde resoluit Pater Suarez esse impossibile quod humanitas Christi Domini non habeat propriam existentiam, quia est de conceptu essentiali omnis entis realis & actualis.

Ad quartum distinguo maiorem, essentia particu- 19
laris concedo maiorem, essentia vt sic nego maiorem, vt constat ex tertia conclusione.

Ad vltimum concedo maiorem, & nego mino- 20
rem; & ad probationem illius distinguo antecedens, si illud esse de essentia sumatur pro eodem quod est habere illum conceptum à se concedo antecedens; si vero sumatur pro conceptu constituente rem essentialiter nego antecedens, vt patet ex dictis.

QVÆSTIO

# QVÆSTIO VLTIMA.

*An existentia sit necessaria omnino ad operandum.*

## SECTIO I.

*Sententiæ Aduersariorum proponuntur.*

1 PRIMA sententia est Thomistarum asserentium existentiam non esse necessariam ad operandum vllo modo, v. g. neque vt conditionem sine qua non, neque vt rationem formalem.

2 Probatur primo. Quia essentia habet suam actualitatem, distinctam ab existentia: ergo bene potest essentia vt sic actualis operari sine existentia. Consequentia patet, quia tota ratio propter quam ab aduersariis requiritur existentia, est vt essentia sit ens in actu ad operandum; iudicant enim ipsi nullam dari actualitatem præter existentiam, ratione cuius ens operatiuum constituatur in actu ad operandum, cum ens in potentia non possit actu operari, sed essentia ipsa entis operatiui habet suam actualitatem essentiæ distinctam ab existentia: ergo ad operandum ens operatiuum non indiget existentia. Minor hæc sic probatur, quæ etiam erit probatio antecedentis primi, nam antequam essentia habeat existentiam actu habet suam veritatem essentialem, quia hæc est vera propositio ab æterno homo actu essentialiter est animal rationale: propositiones enim æternæ veritatis immutabiles sunt, sed nihil potest esse actuale nisi ab actualitate quam habet, sicut nihil est album nisi ab albedine: sed homo actu essentialiter sine existentia est animal rationale: ergo homo habet actualitatem essentiæ sine existentia.

3 Secundo sic probatur, quia Sacramenta physicè concurrunt ad productionem gratiæ: sed quando actu producunt gratiam non existunt actu: ergo existentia non est necessaria ad operandum. Minor sic probatur, quia gratia producitur in instanti in quo desinunt esse Sacramenta, & quando non sunt: sed in tali instanti non possunt existere sacramenta: ergo quando actu producitur gratia non existunt Sacramenta. Hæc minor sic probatur, quia ens successiuum non potest esse totum in instanti, sed Sacramenta sunt entia successiua secundum formam: ergo Sacramenta non possunt existere eo instanti quo producitur gratia.

4 Tertio sic probatur, quia dispositiones producunt formam geniti eo instanti quo ipsæ iam non sunt; sed perierunt cum forma corrupti: ergo agens ad producendum non indiget existentia.

5 Secunda sententia asserit existentiam non quomodocumque esse necessariam à parte rei ad operandum, sed esse rationem formalem agendi. Hanc sententiam supponit vt certam Pater Hurtado *in Physicis, disput.* 8. *sect.* 5. §. 105. His verbis. Qui negant existentiam ab essentia distingui necessario fatentur existentiam esse virtutem & rationem agendi; qui vero eas distingunt asserunt essentiam esse virtutem actiuam, existentiam vero conditionem sine qua non: sic ille, cum autem ipse Pater Hurt. asserat in metaphysica existentiam neque ratione, neque realiter distingui ab essentia, necessario illi fatendum est existentiam esse virtutem, & rationem agendi. Hanc eandem sententiam docet Pater Suarez *tom.* 2. *Metaphysicæ, disp.* 31. *sect.* 10. *num.* 12. his verbis. Dico secundo, existentia materiæ, & idem proportionaliter est de forma, in re ipsa est id per quod materia causat in suo genere, secundum autem modum significandi apprehenditur vt conditio necessaria, seu vt modus constituens rem in statu sufficienti ad causandum; vbi à parte rei inquit esse rationem formalem causandi, licet per intellectum concipiatur existentia vt conditio, & non vt ratio formalis. Probat Pater Suarez his verbis.

6 Quia sufficienter constat ex dictis de identitate existentiæ, & actualis essentiæ; materia enim non causat nisi per entitatem actualem suæ essentiæ, nam secundum eam est in potentia ad formam, & in ea recipit illam, sed in re essentia actualis materiæ non differt ab existentia illius: ergo realiter recipit formam in existentia sua, seu in se ipsa existente vt existens est.

7 Confirmatur, & declaratur quia neutra ex his causis exercet suum munus, seu causalitatem, nisi in quantum est ens actu, provt scilicet ens actu distinguitur ab ente in potentia obiectiua, sed huiusmodi actus formaliter & intrinsecè constituitur per esse existentiæ, vt supra probatum est: ergo vtraque ex his causis causat actum provt constituta per esse actualis existentiæ, illa autem constitutio est per omnimodam identitatem in re, vt ostendimus: ergo causat in quantum est essentia & existentia.

8 Dices materiam non causare in quantum est ens actu, sed potius in quantum est ens in potentia.

9 Respondetur inquit Suarez, in his vocibus, esse magnam equiuocationem, tum à potentia receptiua ad obiectiuam, tum habente simpliciter, seu complete ad ens secundum quid seu partiale; materia igitur causat quatenus est in potentia receptiua formæ, & consequenter causat quatenus formam materialem continet aliquomodo, scilicet in potentia passiua, & ideo dici potest etiam esse ens simpliciter, & incompletum non in actu, sed in potentia; at vero non causat quatenus habet esse materiæ; quod est esse partiale, & secundum quid, hoc est in potentia, sed in actu, & ita non causat provt in suo gradu est ens in potentia obiectiua, sed vt in actu, & hoc modo esse ens in actu, id est extra causas, & extra nihil, & essentia in potentia receptiua alterius actus non sunt oppositæ; sed potius per se subordinata, non enim potest potentia esse in proxima aptitudine, seu in statu in quo apta sit ad recipiendum suum actum, nisi ipsamet aliquid habeat actuale entitatis, cum potentia ipsa realis ens reale, & extra causas esse debeat, quæ omnia clara sunt.

10 Vltimo confirmatur, nam causa debet esse proportionata effectui & causalitati suæ, sed causalitas materiæ, vel formæ eo modo quo ab ea progreditur est aliquid existens extra causas, & terminatur ad rem provt est aliquid extra causas vt supra ostensum est: ergo etiam ipsa causat vt existens est: ergo causat quatenus in re est sua existentia.

## SECTIO II.

*Nostra sententia ponitur.*

11 PRima conclusio actualitas existentiæ est ita necessaria ad operandum actu, vt nullomodo possit causa actu operari sine actuali existentia. Hæc

est communis sententia inter Doctores Societatis.

12 Probatur primo authoritate Aristotelis *lib. 2. Physicorum, c. 3. text. 24.* Vbi sic ait. [ Præter autem omnes quæ propriè, & quæ ex accidenti dicuntur causæ aliæ sunt, quæ quid possint, aliæ quod agant dicuntur, vtæ dificationis domus ædificator, aut quis ædificat ędificator: idem vero & in his quorũ causæ actu causæ dicuntur cum sunt quod in his, quæ exposita sunt vt in hac statua, aut omnino signo, aut ære, aut omnino materia actu esse atque in accidentibus eodem modo ] sic ille, vbi Philosophus clarissimè nostram tuetur sententiam; ipse enim in hoc textu diuidit causam in causam actu operantem, & operantem in potentia, & tribuens conditiones vniuscuiusque causæ agendo de causa in potentia nullam aliam conditionem tribuit nisi quod possit operari, agens autem de causa actu operante, ait illam esse debere actu; quod patet ex illis verbis [aut quis ædificat ædificator: idem vero & in his quorum causæ actu causæ dicuntur cum sunt] sed esse absolute ac simpliciter actu est actualis existentia, vt patet ex late dictis *q. 2. huius disp.* Quia esse simpliciter non prędicatur de rebus quæ actu non existunt, & sic licet veræ enuncietur de Petro possibili aut futuro, & pręterito quod possit esse, nihilominus nullo modo potest dici cum veritate quod absolute sit, & ideo hæ sunt falsæ propositiones Adam & Antichristus sunt, & ratio est quia esse, & existere reciprocantur, sed Adam & Antichristus non existunt: ergo Adam & Antichristus non sunt, quæ veritas ipsa luce clarior & euidentior est, sed Aristoteles *in loco supra citato*, ait in hoc distingui causam actu operantem à causa potentiali, seu in potentia producente quod causa actu operans absolutè sit dum operatur: ergo absolutè sentit Aristoteles causam actu operantem debere necessario existere: itaut nullo modo possit operari actu si actu non existat.

13 Quod confirmat idem Aristoteles paulo post adductus à Diuo Thoma *lect. 6.* his verbis [ interest autem tantum, & insuper omnia aut potentia aut actu, causæ enim actu & singulares, & ea quorum sunt causæ simul sunt & non sunt vt hic, qui medetur cum hoc, qui sanatur, & hic qui ædificat cum hoc quod ædificatur, sed quæ sunt potentia non semper, non enim semel domus, & ædificator corrumpuntur. ] Vbi aperte Aristoteles asserit causam actu operantem debere actu esse quando producit, quod patet quia ipse Philosophus ait causam actu operantem debere esse simpliciter hoc est simpliciter existere dum producitur effectus, sed dum producitur effectus producit causa, & est actu operans: ergo sentit Aristoteles sine dubio causam actu operantem actu debere existere dum operatur semper, & necessario quod negat de causis in potentia illis verbis. [Sed quæ sunt potentia non.] Vrgetur amplius ex ipso Aristotele *eodem cap. text. 37.* vbi omnia inquit, id est causarum genera, de quibus ibi agit aut agentia id est actu causantia, aut quæ possint agere hoc autem differunt quod quæ efficiunt, & singula atque ea quorum sunt causæ simul sunt. Vbi vult Aristoteles intereunte causa effectum perire, & effectu existente dum primo fit causam simul existere, at instans & tempus immediate præcedens non sunt simul ex tua sententia: ergo causa non existens illo instanti non est simul cum suo effectu, quod est contra Aristotelem. Quibus verbis Aristotelis magnam vim addit Diuus Thomas super *lib. 2. Physicorum lect. 6. §. determinat. 3.* explicans mentem Philosophi his verbis. [ Primum est quod inter causas in actu & causas in potentia est ista differentia, quod causæ operantes in actu simul sunt, & non sunt cum eis quorum causæ sunt in actu: ita tamen quod accipiantur causæ singulares, id est propriæ, sicut hic medicans simul est, & non est cum hoc qui fit sanus, & hic ædificans cum hoc quod ædificatur, si vero non acciperentur causæ propriæ licet acciperentur in actu, non esset verum quod dicitur non enim ædificans est & non est simul, cũ hoc quod ædificatur; potest enim esse quod ædificãs est in actu, sed tamen hoc ædificium non ædificatur, sed aliud, sed si accipiamus ædificantem hoc ædificium, & hoc ædificium secundum quod est inædificari necesse est, quod posito vno ponatur, & alterum, & remoto vno remoueatur & alterum; hoc autem non accidit semper in causis, quæ sunt in potentia; non enim simul corrumpitur domus & qui ædificabit ipsam; vnde habetur quod sicut agentia inferiora quæ sunt causa rerum quantum adsunt, fieri oportet simul esse cum his quæ sunt quandiu fiunt: ita agens diuinum quod est causa existendi in actu simul est, cum esse rei in actu, vnde subtracta diuina actione à rebus, res in nihilum deciderent sicut remota præsentia solis lumen in aëre deficeret. ] Sic ille, quibus verbis Diuus Thomas explicans mentem Aristotelis in hoc loco asserit, necessario debere existere, & esse in actu simul effectum actu productum, & causam actu producentem, ita vt si causa actu non existat non possit effectus actu produci; ac per consequens nec causa actu producere.

Nec valet dicere Aristotelem & Diuum Thomam solum requirere existentiam virtualem, & 14
non formalem in causa, hoc est non in esse entis, sed in esse causæ.

Sed contra, quia hæc solutio manifeste pugnat cum Aristotele, & Diuo Thoma, ipsi enim ex cau- 15
salitate inferunt existentiam causæ inesse entis formaliter, & ex non existentia causæ non existentiam effectus, id est ex virtuali existentia, quæ est existentia effectus inferunt existentiam formalem, id est causæ, & ex negatione existentiæ inesse entis arguunt negationem inesse causæ.

Declaratur hoc amplius, quia existentia virtua- 16
lis causæ per vos est ipsa existentia formalis effectus & causalitatis per quam producitur effectus; sed Aristoteles & Diuus Thomas asserunt existentiam causæ & existentiam causalitatis, & existentiam effectus debere esse simul: ergo non loquuntur de existentia virtuali causæ. Patet hæc consequentia, quia ad simultatem requiritur distinctio eorum in eo genere quo sunt simul, sed in sententia Philosophi, & Diui Thomæ existentia causæ & existentia effectus, & causalitatis sunt simul realiter: ergo distinguuntur realiter tales existentiæ in sententia horum authorum, sed vt iam dixi existentia virtualis causæ & causalitatis, & effectus non distinguuntur à parte rei: ergo non sunt simul à parte rei: ergo solum sunt simul in sententias Aristotelis & D. Thomæ secundum ea existentias, quæ inter se realiter distinguntur, sed solum existentia formalis causæ, & existentia formalis causalitatis & effectus distinguuntur à parte rei: ergo solum secundum existentias formales debent esse simul in sententia Philosophi: ergo in sententia eiusdem existentia dum actu operatur, debet esse formalis & non virtualis.

Deinde quia vt bene ait Hurt. Hæc solutio princi- 17
pium perit, nam existentia formalis, & inesse entis est propriè existentia causæ, & existentia virtualis & in esse causæ est existentia causalitatis, sin minus ipse explicet terminos; at in controuersiam adducitur

quo

quo pacto sit causalitas; & effectus actu sine actuali existentia causæ: ergo petitur principium; quod autem ea quæ sunt simul à parte rei debeant distingui patet clarissimè; quia simultas est duorum, vel plurium conuenientia in vnum, itave si simultas sit in loco sit conuenientia duorum existentium in eodem loco, & simultas in tempore est coexistentia duorum; & conuenientia duorum in eadem duratione, & ideo ridiculum esset dicere Petrum, & eũdem Petrum esse simul in eodem tempore, idem enim secum ipso non potest esse simul, quare simultas necessario & euidenter pluralitates petit.

## SECTIO III.

### *Rationibus probatur conclusio.*

16 PRimo si causa potest operari illo instanti quo non existit, etiam poterit operari causa quæ nunquam existitit, & quæ extitura est, sed causa quæ extitura est, & nondum extitit non potest operari: ergo neque causa quæ non existit etiamsi extiterit immediate ante. Probatur maior, ideo causa quæ nondum extitit non potest operari quia absolute non est ens eo instanti quo non existit, sed causa quæ extitit eo instanti quo non existit absolute non est ens: ergo non poterit operari: maior est ratio à priori. Quare res quæ non existit non potest operari, vel assignent aliam Aduersarij. Minor est euidens, quia res eo instanti quo non existit solum est possibilis, & tantum potest habere denominationem extrinsecam ab existentia præterita quæ tunc nihil est, sicut res futura est possibilis, & habet etiam denominationem extrinsecam ab existentia futura; sed res possibilis absolute non est ens: ergo res quæ non existit licet extiterit non poterit operari.

17 Dices quod tũc causa licet non sit in ratione entis, est tamen in ratione causæ; sed contra primo: ergo causa non solum in illo primo instanti in quo non est potest operari: sed etiam in aliis instantibus sequentibus; patet consequentia, vt operetur causa sufficit vt existat in ratione causæ, sed in aliis instantibus existit in ratione causæ: ergo in illis poterit operari. Maior est certa, probatur minor, existere causam in ratione causæ est quod existat eius effectus, sed effectus causæ non solum existit in illo instanti, sed etiam in sequentibus: ergo etiam in sequentibus existit causa in ratione causæ: ergo operatur: ergo poterit conseruare effectum: ergo lucerna non existens poterit conseruare lucẽ; quod est contra experientiam; ideo enim non conseruat, quia tunc non existit in ratione entis, & ideo non existit in ratione causæ. Contra secundo: ergo etiam res quæ nondum fuit, poterit operari & loquor de re in vltimo sui non esse: ideo res corrupta potest operari quando non est, quia eius existentia est contigua cum existentia effectus: sed existentia rei nondum existentis est etiam contigua cum existentia effectus: ergo etiam poterit operari illum effectum. Maior est aduersariorum sententia: minor est euidens, & demus quod ignis v.g. non sit in hoc instanti, & sit in hoc instanti calor productus ab illo, & ignis sit in tempore immediate sequenti, inter existentias caloris & ignis, non mediat instans, nec tempus aliquod: ergo sunt contiguæ existentiæ causæ, & effectus: ergo poterit causa operari, quandoquidem datur eadem ratio; nam quod duo corpora contiguentur per vnam partem, vel per per aliam non impediunt operationem: ergo similiter quod causa & effectus contiguentur per initium, vel finem causæ eadem erit ratio, & sequetur eadem operatio.

Confirmatur, si causa efficiens iam corrupta po- 18
test physice causare: ergo & homo mortuus potest videre in eo instanti in quo non est. Probatur consequentia, homo est causa actiua sui visus, sed causa per vos potest operari in eo instanti in quo non est: ergo homo poterit operari in eo instanti in quo non est, & per consequens videre quod est ridiculum.

Ex quo infert Hurt. absurdum magnum in Theo- 19
logia quod mortuus in gratia possit condemnari, sed hoc est absurdum: ergo illud ex quo sequitur. Probatur maior: si quis repente moriatur habens perfectam libertatem ad peccandum: ergo in instanti quando non est potest producere actum peccaminosum. Probatur consequentia, quia causa actu non existens per se potest operari: ergo illa causa libera tunc poterit operari aliquid contra legem diuinam: ergo poterit peccare, quia peccare est operari libere contra legem diuinam; supponamus ergo; quod homo ille vsque ad mortem esset in gratia: ergo homo discedens in gratia condemnabitur, quod est contra fidem. Probatur consequentia; anima illius hominis per peccatum amisit gratiam, sed anima adulti sine gratia post mortem necessario condemnabitur: ergo anima illa condemnabitur: ergo homo discedens in gratia poterit condemnari.

Dices vt detur peccatum necessario requiri quod 20
voluntas operetur per appetitum, appetitus autem cum sit potentia vitalis includit pœnitentiam actuam & passiuam; potentia autem positiua non potest operari quando non est, atque adeo appetitus non potest operari dum non est.

Sed contra primo, ideo non potest operari po- 21
tentia passiua cum non existit quia est causa realis & Physica: ergo similiter non potest operari quando non est; antecedens est certum, vel dicant aduersarij quare materialis causa non potest operari dum non existit; nõ enim minus dependet actio ab agente quã passio à patiente: ergo si passio non potest esse à patiẽte quod non existit, neque actio ab agente quod non existit, & ratio est manifesta quia omnis actus secundus simpliciter præsupponit actum primum simpliciter, aliàs actus secundus simpliciter acciperet esse simpliciter ab actu primo secundum quid, & ab actu qui non est simpliciter, ac proinde non habet esse simpliciter, sed hoc est falsum quia nemo dat quod non habet, sed actus primus secundum quid non habet esse simpliciter: ergo non potest causare esse simpliciter effectus, vnde vt causet tale esse debet esse actus primus simpliciter, itaque actus secundus simpliciter præsupponit actum primum simpliciter, sed actio & effectus existens est actus secundus simpliciter: ergo supponit actum primum existentem, quia existentia constituit rem in esse entis simpliciter, vt patet ex iam dictis *supra*, nam essentia mere possibilis qualis est essentia rei non existens absolute non est ens simpliciter, ac proinde nec actus secundus, nec primus simpliciter, quia tam actus secundus quam actus primus simpliciter sunt entia simpliciter.

Contra secundo: ergo materia prima corrupta 22
poterit esse causa materialis formæ, quod est absurdum, quodque negant aduersarij: ergo, &c. Probatur prima consequentia efficaciter, vt aliqua causa operetur sufficit quod existat in ratione causæ, sed tunc materia prima existit in ratione causæ, imo existit formaliter in se ipsa materia prima: ergo potest esse causa; probatur minor. Tunc propriè, & formaliter existit materia prima quando datur existentia illius: sed tunc datur existentia illius: ergo existit propriè. Maior

est certa, probatur minor, existentia materiæ in sententia aduersariorum est sola existentia formæ v. g. rationalis: sed tunc daretur existentia formæ rationalis: ergo tunc daretur existentia materiæ: ergo tunc materia haberet propriam existentiam, & sic causaret formam.

23 Deinde sequeretur quod si aqua calefieret ab igne, qui esset agens fortius, quam esset aqua in resistentia, nunquam posset aqua reduci ad pristinam frigiditatem etiam amoto igne, sed hoc est contra ipsam experientiam: ergo agens non existens non potest operari. Probatur sequela, quando datur eadem causa idem debet dari effectus, sed tunc datur eadem causa respectu aquæ qui est ignis: ergo debet dari idem effectus in aqua, scilicet idem calor.

24 Vltimo vrgetur, quia existentia causæ vt talis est distincta realiter ab existentia effectus: ergo existentia effectus non est existentia causæ. Antecedens est manifestum primo, quia essentia, & existentia, vt late supra probauimus, non distinguntur realiter, sed essentia causæ distinguitur realiter ab essentia effectus: ergo existentia causæ, & existentia effectus distinguuntur realiter. Secundo sumo Deum quatenus est causa rerum existentia Dei est Deus, & ideo à se & independens: sed omnis existentia effectus est creatura & dependens essentialiter à Deo: ergo existentia causæ vt talis non est existentia effectus. Maior est euidens, quia si existentia Dei vt est causa non esset independens, Deus vt est causa esset creatura quod absurdissimum est: minor etiam est euidens: ergo existentia Dei quatenus est causa est distincta ab existentia effectus, & ratio generalis tam in Deo quam in aliis causis creatis est, quia existentia causæ potest separari ab existentia effectus: ergo etiamsi existat effectus dum tamen non existat causa per propriam existentiam absolute non existet causa: ergo absolute non erit ens: ergo absolute non poterit producere. Patet vltima consequentia, illud quod absolute non est ens, non potest producere absolute physicè & realiter: sed causa non existens absolute non est ens: ergo non poterit producere absolute, physicè & realiter.

25 Secundo principaliter, quia causalitas & effectus accipiunt esse & existentiam à causa actu: ergo causa debet esse & existere simpliciter: antecedens est euidens, quia effectus producitur à causa, & causalitas emanat ab ipsa cum dependeat ab eadem causa, sed id quod producitur & emanat ab aliquo accipit esse ab illo: ergo effectus, & causalitas accipiunt esse à causa: consequentia prima sic probatur, quia si causa non haberet esse simpliciter, & actu existeret, non posset tribuere esse causalitati & effectui, ac per consequens causalitas, & effectus non possent accipere esse & existere à causa: ergo ad hoc vt causalitas, & effectus accipiant esse, & existere à causa, debet causa actu esse, & existere: sequela antecedentis sic probatur ex illo axiomate ab omnibus recepto, nemo dat quod non habet aliquomodo in actu: ergo si causa realis actu non habet esse, & existere, non potest dare esse, & existere causalitati, & effectui, ac per consequens, nec causalitas & effectus possunt accipere esse, & existere à causa.

26 Dices causam habere virtualem existentiam, licet non habeat formalem, quod sufficit ad hoc vt causa tribuat existentiam effectui, v. g. Sol tribuit esse auro, non ex eo quod contineat esse auri formaliter, sed solum virtualiter.

27 Sed contra primo, quia hic loquimur de causa principali effectus, atqui omnis causa principalis continet entitatem effectus, non solum virtualiter, sed vel formaliter, vel eminenter, ita vt si fuerit causa vniuoca contineat formaliter illam; si autem fuerit causa æquiuoca, contineat eminenter, atqui causa, quæ actu non existit, non continet, nec eminenter, nec formaliter existentiam, & esse simpliciter causalitaris, & effectus: ergo non potest actu tribuere esse simpliciter & actualem existentiam vt actu causa principalis effectui, & causalitati: ergo nullo modo est causa illorum actu; quod autē omnis causa principalis contineat vel eminenter, vel formaliter esse quod tribuit effectui, patet euidenter ex Philosophia, quia omnis causa principalis, aut est vniuoca, aut æquiuoca, aut eminenter, vel formaliter continens effectum.

Probatur nunc, quod causa, quæ actu non exi- 27
stit non possit continere esse, & existentiam effectus, aut formaliter, aut eminenter; de continentia formali euidens est & ab aduersariis asseritur, & ideo dicunt ipsi tunc causam non formaliter existere, sed virtualiter de continentia eminentiali patet euidentius, quia id continet eminenter aliud, quod perfectiori modo, quam in se est continet illud, sed causa illa quæ actu non existit formaliter non potest perfectiori modo continere existentiam formalem, quam in se est, quia melior modus continendi existentiam est existendo formaliter, & ideo Deo concedimus existentiam formalem esse de essentia ipsius Dei, ita vt nullo modo possit esse sine existentia formali, quod adeo verum est vt si per impossibile Deus desineret existere formaliter, licet existeret virtualiter non esset Deus, sed desineret esse talis. Vnde ex absentia existentiæ formalis, licet daretur existentia virtualis, vt vos dicitis, desineret Deus habere omnem suam perfectionem, quod etiam patet in omnibus rebus distinctis à Deo; nam Angelus, quia perfectior est omni ente corporeo, ita haberet existentiam formalem naturaliter, vt sine illa non possit naturaliter esse, nec possit illa naturaliter, & sine miraculo priuari: ergo modus continendi existentiam formalem & formaliter illam est perfectior modus continendi existentiam virtualem: ergo existentia formalis non potest eminentiori modo contineri in existentia virtuali, quæ à vobis fingitur, quia in eo casu existentia virtualis esset perfectior existentia formali; ratio autem à priori est, quia creatura dum existit virtualiter & non formaliter in se absolute non existit; sed solum dicitur existere virtualiter, quia causalitas illius aut effectus existit, vnde talis causa considerata secundum se, & in se, & quatenus distinguitur à causalitate & effectu, solum est in statu puræ possibilitatis, qui status infert negatiuam existentiam, sed in negatiua existentia non continetur eminenter positiua, & formalis existentia cum hæc ex se sit perfectior illa, positiuum enim in omnium sententia perfectius est negatiuo: ex quibus euidenter colligitur in causa virtualiter existenti non posse contineri eminenter effectus, & causalitas continentes formalem existentiam.

Confirmatur, quia id quod non est entitas positiua 28
non potest tribuere esse positiuum effectui, sed causa virtualiter existens non habet esse positiuum cum solum sit in statu puræ possibilitatis, qui negatiua ratio est, vt patet ex dictis *tract. de possibil.* ergo causa virtualiter existens non potest producere effectum positiuum actu, & formaliter existentem, nec communicare esse positiuum illi, quod habet, ac proinde nec poterit esse principium, à quo emanet positiua illa causalitas.

Vrgetur, & declaratur amplius, quia aduersarij 29
interrogati, quare causa, quæ actu non existat formaliter

maliter possit operari effectum actu existentem, præcipuè cum existentia causæ debeat antecedere existentiam effectus.

30 Respondent dicendo sufficere vt præcedat existentia virtualis causæ, quæ nihil aliud esse aiunt, nisi causalitatem ipsius causæ, ego autem sic vrgeo eos, & non loquor de effectu, sed solum de ipsa causalitate, seu actione; nam ipsa causalitas, seu actio quæ virtualis existentia causæ vocatur ab aduersariis est positiua entitas actu, & formaliter existens; item est effectus; vt quo ipsius causæ, quia dimanat ab ipsa causa, & esse qualecumque, quod habet accipit ab ipsa, & ante illam causalitatem, nec formaliter nec virtualiter existit causa formaliter vt ipsi aduersarij asserunt, virtualiter quia tota virtualis existentia est ipsa causalitas, quare ante causalitatem non existit virtualiter sicut ante existentiam formalem, nullo modo potest existere formaliter; sed id quod nullo modo existit, nec formaliter, nec virtualiter, & id quod nullo modo est positiua entitas nec virtualiter, nec formaliter potest esse principiú, à quo accipiat esse entitas actu existens, nec potest esse causa, à qua dimanet entitas absolute positiua, vt patet ex illo principio supra allato, nemo dat quod non habet, nec cómunicat aliquod alicui effectui id esse quod nullo modo continet: ergo causa, quæ actu non existit, non potest esse principium à quo emanet causalitas illius, quæ positiua ratio, & formaliter existens est, ac proinde causa, quæ actu non existit formaliter, nullo modo poterit existere virtualiter, quia si existeret virtualiter deberet esse per causalitatem dimanantem à causa, quæ actu non existit, nam in sententia aduersariorum virtualis existentia nihil aliud est, nisi causalitas ipsius causæ, sed talis causalitas non potest dimanare à causa non existente actu formaliter, dum actu & formaliter non existit: ergo dum causa actu & formaliter non existit, non poterit existere virtualiter, ex quo euidenter sequetur nullum posse effectum producere talem causam; nam omnis effectus, vt quod producitur necessario per causalitatem, tanquam per rationem formalem producendi illud; item quia effectus non potest produci à causa nisi virtualiter aut formaliter existat talis causa, sed causa provt sic nec formaliter, nec virtualiter existit: ergo non potest producere effectum.

31 Secundo contra illam solutionem aduersariorum sic argumentor, quia falsum est fundamentum cui innititur contrariorum solutio; nam existere virtualiter, in proprietate nihil aliud est, quam existere, seu contineri in virtute; à virtute enim in qua aliquid continetur virtualiter existere dicitur; sicut enim calor dicitur virtualiter existere in pipere, quia in pipere datur virtus in qua continetur talis calor, & idem est de calore respectu lucis in qua dicitur calor existere virtualiter, quia lux est virtus in qua continetur calor. Item virtualiter dicitur aliquid existere quando existit virtus illius, verbi gratia, sol dicitur virtualiter existere in visceribus terræ, licèt ipse sol secundum suam entitatem non existat ibi, quia in viscéribus terræ ad producenda metalla existunt lux, & reliquæ influentiæ, quæ sunt virtutes solis; item licèt homo moriatur, & non existat formaliter, dicitur virtualiter existere in matrice fœminæ, quia existit semen ibi decisum ab homine, quæ est virtus seminalis ipsius ad generandum filium, sed actio, & causalitas agentis, nec est virtus in qua continetur causa ipsa, nec est virtus decisa ab ipsa causa, sed est actus secundus, qui debet necessario prouenire ab actu primo, seu virtute: ergo ex eo quod talis causalitas existat, non potest dici proprie existere virtualiter ipsa causa.

Secundo principaliter sic argumentor, quia actio 32
seu causalitas agẽtis, est modus agentis, & modus termini; sed modus, non potest omnino separari à re cuius est modus: ergo causalitas, seu actio non potest omnimoda separatè separari ab agente: maior est euidens ex ipsisque terminis patet; minor autem est clarissima, quia in hoc distinguitur modus à re, quod res potest separari ab alia, saltem diuinitus, vt videre est in accidentibus Eucharistiæ, quæ diuinitus separantur à substantia panis etiamsi naturaliter non possint separari ab illa propter mutuam connectionem cum illa substantia: ergo modus, qui essentialiter distinguitur à rebus debet necessario habere respectu illarum aliquam inseparabilitatẽ etiam diuinitus. Consequentia autem illa euidens est, quibus præmissis sic argumentor: Si causalitas & actio existerent actu formaliter, non existente actu formaliter causæ separarentur omnimodè à re, cuiusmodi sunt, & sic essent modi, & non modi causæ; essent modi, quia iam supponimus, non essent modi, quia separarentur omnimodè, à re cuius sunt modi, sed non possunt omnino separari, vt probauimus: ergo non existente actu formaliter causa non possunt existere actu causalitas, & actio causæ. Maior illa, quoad primam partem sic probatur, quia separatio duplex tantum datur; alia intrinseca, alia extrinseca; intrinseca separatio est, quando id quod debebat intrinsece esse in aliquo, est extra illud realiter, verbi gratia, si conseruata substantia panis existerent extra illam causaliter accidentia illius, quæ naturaliter deberent intrinsece inhærere ipsi; hæc autem separatiò non potest conuenire actioni seu causalitati respectu causæ, non quia absolutè non sit separata causalitas à causa, sed quia nunquam debebat existere intrinsece causalitas in agente; si autem loquamur secundum sententiam aduersariorum, hæc etiam separatio conuenit causalitati respectu causæ, & agentis, nam ipsi asserunt debere esse intrinsece in agente & non in passo si agens actu existeret; at non existente tali agente est extra illud agens realiter, quia existit realiter talis causalitas: ergo separatur intrinsece ab agente; separatio autem extrinseca est quia res diuiditur ab alia penes locum, itavt ambæ rationes non existant in eodem loco, sed existente causalitate, & non existente causa non existunt causa, & causalitas in eodem loco: ergo separantur extrinsece realiter. Deinde, alia separatio datur, quæ maxima omnium separationum est, verbi gratia, separatio in duratione, & quæ per destructionem vnius dicitur, scilicet quando destructo vno extremo, & alterum manet; sed hæc etiam separatio conuenit causalitati, vel actioni respectu agentis, & causæ, nam destructa causa asserunt aduersarij manere causalitatem illius: ergo omnis separatio realis conuenit causalitati respectu causæ intrinseca scilicet, & omnium maxima, itavt omnibus modis separetur causalitas ab agente: ergo nullo modo potest esse causalitas modus agentis, quia si illa esset modus haberet aliquã inseparationem respectu causæ, nam si esset modus extrinsecus haberet inseparationem extrinsecam; itavt in eodem loco essent causalitas, & causa ratione cuius ego assero nec per potentiam Dei absolutam posse agere causam vbi non est, & si esset modus intrinsecus haberet inseparationem intrinsecam; & ideo nec per potentiim Dei absolutam potest subsistentia in mea sententia existere extra substantiam, quia subsistentia est modus intrinsecus substantiæ, imo si aliquomodo haberet rationem

modi, deberet necessario saltem habere omnium maximam inseparationem, oppositam separationi maximæ, ita vt non existeret causalitas existente causa; cum vero nullam habeat inseparationem, sed omnibus modis, vt iam dixi separetur realiter à causa, sequitur necessario vt nulla ratione sit modus causæ, atqui sine dubio in sententia aduersariorum, imo in omnium sententia, causalitas, seu actio agentis est modus illius: ergo non potest maxime separari ad illo, itavt existat causalitas non existente causa, quia aliàs nullum daretur indicium ad distinguendum modum à rebus; hæc enim argumentatio adeo certa & euidēs mihi videtur, vt mihi persuadeam nullo modo posse apprehendi quomodo existat agendo agens, quod non existit in se, quia existere agens supra existentiam addit actum, sed tunc nulla est existentia: ergo supra illam nulla potest addi actio.

33 Confirmatur hoc argumentum ex Mendosa, quia actio est actus secundus agentis: ergo oritur ab actu primo, quia omnis actus secundus oritur à primo: ergo tunc debet esse actus primus, à quo oriatur, nam si non est actus non est actus primus: sed in instanti quo vere dicitur nunc non est causa non est actus primus, à quo oriatur secundus: ergo in eo instanti non oritur actio à causa.

34 Dices tunc esse causam non in actu sed in potentia.

35 Contra, non est in actu: ergo simpliciter non est actus primus: probo consequentiam, quia actus simpliciter est per existentiam sine qua nihil est actu, sed in potentia tantum; sed actio actu existens est simpliciter actus secundus: ergo oritur ab actu primo simpliciter; nam illa actualitas simpliciter actionis oriri debet physicè ab ente simpliciter, non à simpliciter non ente, quale est non existens, quo pacto datur physicè existentia & entitas simpliciter?

36 Dices actum secundum oriri à primo existente prius non tamen existente tunc.

37 Contra: ergo quia tunc est actus secundus à pura potentia logica, siue non repugnantia, quia tunc causa non est in actu existendi, sed in potentia tantum, & vt in potentia operatur: ergo ens in actu fit physice à non ente in actu, quod qua ratione capiant ipsi viderint, ac poterit vnusquisque pro suo arbitratu asserere rem antequam existat, saltem immediate antequam existat operari, respondereque poterit quod ipsi in hos quadrat sapiens Aristotelis sententia, *primo Physicorum, capite 5. textu 6.* ostendere vero ea inquit, qua manifesta sunt per ea, quæ non sunt manifesta hominis est profecto, qui nequit id, quod est per se notum, & id quod non est per se notum discurrere: cum ergo hæc sententia sit per se nota, non potest nisi ex terminorum apperhensione probari.

38 Vrgetur amplius, quia id quod non est intellectiuum non potest elicere illectionem, & quod non est volitiuum non potest elicere volitionem, sicut quod non est substantia non potest propria virtute producere illam: ergo à fortiori quod non est, non potest producere id quod est, & quod non est positiuum, non potest producere id quod entitatem positiuam habet, quia maior distantia, & improportio datur inter id quod non est, & id quod est, & id quod est positiuum, & non est positiuum, quam inter non intellectiuum, & intellectionem inter non volitiuum, & volitionem, quia id quod non est intellectiuum, aut volitiuum potest esse accidens, vel substantia ratione cuius potest habere aliquam conuenientiam realem in ratione entitatis, vnitatis, veritatis, & bonitatis, quæ sunt prædicata communia, quæ de non intellectiuo, & intellectione possunt prædicari, at vero id quod non est, & non est positiuum nullo modo potest conuenire in aliqua ratione superiori, cum eo quod est positiuum, ac proinde nullam potest habere proportionem cum illo, sicut potest habere non intellectiuum, & intellectio, sed causa, quæ actu non existit simpliciter non est ens positiuum; imò nec est, & causalitas, & effectus, qui actu existunt, sunt simpliciter entia positiua: ergo causa quæ actu non existit, non potest actu elicere actionem, nec producere effectum.

Tertio principaliter sic probatur; quia actio est 39
relatio transcendentalis, quæ petit terminum actu existentem; nam secundo, est relatio transcendentalis, alia, quæ petit terminum solum in potentia, vt est intellectio, & habitus seu potentia; relatio materiæ primæ ad formam, relatio formæ ad materiam, alia autem est relatio transcendentalis, quæ petit terminum actu existentem, sine quo vt sic non potest dari talis relatio, verbi gratia, vnio substantialis, vel accidentalis est relatio transcendentalis, quæ petit terminos, quos vnit actu existentes, & idem est de relatione transcendentali, quæ datur in præsentia, seu vbi respectu rei præsentis, sed actio est relatio transcendentalis, non primi generis, sed secundi: ergo petit terminum ad quem refertur, vel ad quem ordinatur actu existentē. Minor, & consequentia sic probatur, quia terminus productus per actionem & terminus ad quem refertur ipsa actio petit necessario actu existere, si actu existat actio, quod adeo verum est, vt etiam nec per potentiam Dei absolutam possit actu existere actio, non existendo actu terminus illius, actio enim non producit in potentia terminum, sed actu producit existentem: ergo actio, quæ est relatio transcendentalis petit terminum ad quem ordinatur actu existentem.

Sed etiam agens seu causa est terminus ad quem 40
ordinatur, & quem essentialiter respicit actio: ergo debet necessario actu, & formaliter existere quando actu, & formaliter existit actio: hæc minor probatur, quia actio est dependentia essentialiter, à causa, sed dependentia, quæ essentialiter talis est, est ordo, seu relatio transcendentalis, & essentialiter habens pro termino id à quo dependet: ergo actio seu causalitas habet pro termino causam efficientem, seu agentem: ergo actio; maior sic probatur, quia actio, seu causalitas, non est res faciens, neque res facta, seu terminus causalitatis effectiue, neque sunt illæ duæ res simul sumptæ, neque denominatio orta, ex coëxistentia illarum, sed est aliquid aliud medium inter illas, hoc autem nihil aliud excogitari potest, nisi dependentia effectus à causa efficiente vel agente: ergo actio, seu causalitas est dependentia ab agente: probatur minor, quia sine hac dependentia impossibile est intelligere in vna istarum rerum rationem effectus, & in alia ratione causæ agentis; posita autem hac dependentia, & præcisa omni alia re, aut modo reali necessario res dependens est effecta, & illa à qua dependet est actu agens: ergo actio nihil aliud est essentialiter, quam dependentia ab agente.

Et confirmatur, nam omnis effectus pendet à sua 41
causa per causalitatem ipsius causæ: ergo effectus causæ efficientis dependet ab illa per causalitatem efficientis, sed causalitas huius causæ non est aliud, quam actio, vt in physicis ostensum est: ergo actio essentialiter est dependentia ab agente.

Dices dependentia oritur ex actione; ideo enim 42
effectus

effectus pendet quia fit: ergo non potest actio esse ipsa dependentia, sed aliquid prius illa.

43 Sed contra, quia falsum est dicere dependentiam oriri ex actione, potius dicendum est esse ipsammet actionem, vnde illa causalis non est reducenda ad efficientem causam, sed potius ad formalem, id est, cum dicitur dependere quia fit, non est sensus quia dependentia manat ab actione, sed quia per ipsam actionem constituitur ratio agentis, minor illa præcipua sic probatur, quia illa, quæ essentialiter est dependentia ab aliquo terminatur in illo à quo est dependentia, sed id in quo terminatur aliquid est terminus illius: ergo actio, quæ dependentia est ab agente, terminatur in ipso: ergo agens est terminus illius essentialiter. Deinde, quia actio, quæ dependentia est nullo modo potest concipi nec esse sine agente, sicut nullo modo potest esse, nec concipi sine termino producto per illam, & sine effectu, qui dependet ab agente, sed quia illa relatio transcendentalis dependentiæ non potest concipi sine termino producto, dicitur terminari ad talem terminum essentialiter, habereque illum pro termino essentialiter: sed similiter talis dependentia non potest concipi, nec esse sine agente: ergo agens est terminus talis relationis dependentiæ.

44 Præterea, quia dependentia non est ad se; sed ad aliud, dependentia enim non est respectu sui, & ideo necessario depẽdentia in sua definitione includit duo distincta à se, scilicet & id quod depẽdet, & id à quo dependet; vnde in communi omnium sententia non est ita absoluta entitas dependentia, vt præscindat ab ordine ad aliud, sed id quod non est in ordine ad se, sed in ordine ad aliud essentialiter est relatio ad illud, vt patet ex definitione relationis, videlicet, (cuius totum suum esse est ad aliud), ita vt illud in ordine ad quod est sit terminus essentialis illius, eo pacto vt si vnum solum fuerit, in ordine ad quod sit, habeat vnum solum terminum talis relatio transcendentalis, si autem duo habeat duos terminos, verbi gratia, relatio materiæ primæ cæli in sententia multorum respiciat solum vnum terminum, verbi gratia, illam formam cælestem, & relatio transcendentalis illius formæ respicit vnum terminum, scilicet illam materiam primam cælestem, relatio autem transcendentalis, quæ est vnio substantialis inter materiam cælestem, & formam cælestem, respicit duos terminos, scilicet materiam & formam. quas vnit: ergo dependentia, quæ actio est cum essentialiter sit in ordine ad agens, & ad terminum productum, necessario debet esse relatio transcendentalis, tam ad terminum productum, quam ad agens.

45 Confirmatur, quia actio vt actio, dicit egressum, vel progressionem ab agente: ergo actio, vt actio, seu causalitas non potest concipi sine respectu ad agens: ergo signum est intrinsece dicere respectum ad agens: præterea actio, vt actio denominat agens actu tale denominatione reali, orta ex ipsis rebus, & non propter realem vnionem ad ipsum agens, vt infra ostendemus, quia alias non esset illa denominatio extrinseca, sed intrinseca: ergo saltem propter habitudinem realem actionis ad agens, denique quia iam supra ostendimus actionem dependere ab agente essentialiter certum est, & non per aliam dependentiam à se distinctam, alias procederetur in infinita; nam ad dependentiam daretur alia dependentia, & ad vnam rationem formalem daretur alia: ergo per seipsam intrinsece depender, sed non potest tam intrinseca dependentia consistere sine reali habitudine actionis ad agens: ergo includitur hic respectus transcendentalis in essentiali respectu actionis, vt sic in ordine ad agens.

Confirmatur tota hæc ratio principalis, quia actio 46
est ratio fundandi, vel ratio formalis media qua resultat in effectu relatio prædicamentalis secundi generis ad causam efficientem, seu agentem talis effectus, sed omnis relatio prædicamentalis perit terminum actu existentem: ergo causa efficiens, quæ est terminus relationis talis effectus debet actu existere quando media actione seu causalitate resultat talis relatio prædicamentalis in effectu, alias non resultaret illa relatio, quia relatio prædicamentalis non resultat nisi positis termino, & fundamento illius, atque illa relatio prædicamentalis effectus ad causam tunc resultat in effectu, quando producitur effectus à causa, & tunc producitur effectus à causa quando actu, & formaliter existit actio, seu causalitas agentis: ergo tunc causa actu existit, ita vt si non actu existeret, nec daretur relatio effectus ad causam, nec causalitas agentis ad producendum effectum.

Vrgetur amplius ac declaratur, quia aliquando 47
datur actio causæ efficientis, hoc est quando causa operatur actu non existeret, daretur relatio sine suo termino, vel terminus relationis non distingueretur à subiecto relationis, sed implicat dari relationem prædicamentalem, de qua loquimur, sine suo termino. vt probatum est in logica: ergo causa non existens non potest actu operari. Probatur maior. Tunc datur relatio prædicamentalis causæ & effectus quando existit effectus productus & causa in ratione causæ; sed tunc illa omnia dantur: ergo datur relatio sine suo termino. Maior est certissima, quia etiamsi detur causa, si non datur in ratione causæ, non est terminus relationis effectus, vt verbi gratia, quando Pater meus erat antequam me produceret, non erat subiectum relationis, quia non existebat in ratione causæ: minor est sententia aduersariorum; probatur consequentia, vel relatio effectus ad causam terminaretur ad entitatem causæ formaliter vel reduplicatiue, vel ad entitatem causæ materialiter & specificatiue: sed si terminaretur ad entitatem causæ materialiter & specificatiue, relatio existeret sine termino: ergo si causa non existens posset operari, daretur relatio sine termino, vel terminus relationis non distingueretur à fundamento seu subiecto ipsius relationis: maior procedit à sufficiente enumeratione terminorum, quos potest habere relatio. Probatur minor quantum ad priorem partem: entitas causæ in ratione causæ est ipse effectus secundum aduersarios, ita vt non distinguatur ab ipso effectu: sed relatio effectus terminatur ad entitatem causæ in ratione causæ: ergo terminaretur ad entitatem ipsius effectus, sed entitas effectus non distinguitur à subiecto illius relationis: ergo iam terminus & subiectum relationis non distinguerentur. Probatur eadem minor quantum ad posteriorem partem, tunc non existit entitas causæ specificatiue: ergo si relatio effectus terminaretur ad entitatem causæ, specificatiuè sumpta daretur relatio sine termino.

Dices relationem esse modum termini, atque 48
ideo non solum requirere causam existentem in ratione causæ, sed etiam in ratione entis.

Sed contra, actio est modus causæ: ergo etiã requirit 49
causam existentem in ratione entis: antecedens est euidens & conceditur ab aduersariis, & ratio est manifesta, nam ille est modus qui ita est determinatio vnius rei, vt adhuc de potẽtia Dei absoluta non possit esse sine subiecto determinante, sed ita se habet

actio

actio quæ per se ipsam determinat agens & non est indifferens, vt potius sit actio huius agentis quam alterius : ergo actio est modus causæ : ergo non potest existere quando non existit causa : ergo causa non potest operari quando non est. Patet consequentia, causa non potest operari quando non potest esse actio ; sed actio non potest esse quando non existit agens & causa : ergo de primo ad vltimum causa non potest operari quando non existit, & si semel ponatur, quod modus potest existere aliquo instanti sine re quam modificat, etiam poterit esse per multum temporis, & sic causa quocumque tempore quo non existit, poterit operari, quandoquidem habet virtutem eandem, vel potius eodem modo causaret virtute, ac in primo instanti in quo non est : quod quis non videt esse absurdum.

50 Deinde quia relatio effectus ad causam est relatio mutua : ergo quando resultat relatio effectus ad causam in effectu, resultat etiam relatio causæ ad effectum in causa : sed relatio realis non potest resultare in causa actu, nisi causa actu existat, relatio enim est modus intrinsecus causæ, aut est idem cum ipsa causa, sed modus intrinsecus rei, non potest actu existere, si non existat res cuius est modus, alias modus intrinsecus separaretur à re cuius est maxima omnium separatione, & sic esset modus realis, & non modus realis : ergo quando resultat relatio causæ ad effectum, ipsa causa in qua resultat, debet actu existere : sed tunc resultat, quando actu datur actio productiua effectus : ergo tunc causa actu existit necessario quando actu datur causalitas ipsius, & quando causa actu producit effectus, itavt nullo modo possit causa actu producere, & agere, quin actu existat.

51 4. Principaliter, sic probatur, quia omne prædicatum accidentale siue Metaphysice, siue physice tale, si actu verificatur de subiecto, debet necessario supponere in tali subiecto actualem existentiam, idest subiectum, de quo prædicatur vere actu aliquod prædicatum accidentale, debet actu existere dum verificatur tale prædicatum, de ipso ; sed quando producitur effectus, verificatur actu de causa efficiente prædicatum aliquod accidentale Metaphysicum : ergo quando actu producitur effectus, causa efficiens actu, & formaliter existit : maior propositio est euidens quam sub aliis terminis vniuersa schola philosophorum admittit, sub his nimirum, quod omnis propositio de secundo adiacente supponit veritatem propositionis de primo adiacente, & ideo hæc est vera propositio : Petrus est beatus : ergo est. Petrus est miser : ergo est. Petrus est infirmus, seu sanus : ergo est ; id est, Petrus habet miseriam, & beatitudinem, salutem, & infirmitatem : ergo existit Petrus dum habet illa accidentia, & dum talia prædicata accidentalia, actu de illo verificantur ; Petrus enim est, id est existit, est propositio de primo adiacente. Petrus autem est miser, seu beatus est propositio de secundo adjacente, & ideo Petrus est miser, seu beatus, verificatur de Petro, quando verificatur de illo quod existat actu & formaliter, quomodo enim beatus, infirmus, aut miser potest esse Petrus qui non est, & qui non existit : quam doctrinam etiam recipiunt vniuersi Iurisperiti dum illud axioma celeberrimum apud ipsos proferunt videlicet, non entis nullæ sunt qualitates, id est illud, quod non est, nullum accidens potest habere ; omne enim accidens sub nomine qualitatis comprehendunt ; minor illa prima sic probatur, causa efficiens & actu operans, est actu producens, efficiens, seu agens effectum, hæ enim propositiones sunt de secundo adiacente, seu de prædicato accidentali Metaphysico : sed quando actu producitur effectus, verificantur hæ propositiones de causa efficiente ; vt de se euidenter patet ; nam secundum euidentissimum axioma Metaphysicum, quidquid producitur, non à se, sed ab alio producitur ; hoc est aliud distinctum ab effectu producit illud, cum autem non sit aliud quod producat effectum, nisi causa efficiens, seu agens, euidentissime sequitur quod dum producitur effectus causa efficiens producat illum, hoc est sit producens agés, &c. illius : ergo quando producitur effectus verificatur de causa efficiente prædicatum aliquod accidentale Metaphysicum, seu propositio de secundo adiacente : maior hæc patet euidenter, quia actio seu agere, & agens esse, producere, vel producens esse sunt prædicata de prædicamento actionis : sed prædicamentum actionis est prædicamentum accidentale physicum in multorum sententia, qui asserunt omnem actionem esse verum, & reale physicum accidens, & ad minus est accidentale Metaphysicum ; inter prædicamenta enim solum primum est substantia ; reliqua autem ex quibus vnum est prædicamentum actionis, dicuntur prædicamenta accidentalia ; ratio autem euidens est, quia id vocatur Metaphysice accidens, quod non est de essentia subiecti, licet identificetur cum illo vel sit prædicatum substantiale à parte rei, & ideo licet relatio, & duratio identificetur cum substantia Metaphysice vocantur prædicamenta accidentis, quia non constituunt primario, & per se, nec sunt de essentia rei, sed actio non est de essentia, agentis ; actio enim supponit causam efficientem iam constituram in suo esse essentiali, acceditque ad ipsam, supponendo essentiam illius ; imo potest abesse & adesse agenti præter ipsius corruptionem : ergo est accidens prædicamentale seu metaphysicum. Hanc veritatem hac demonstratione probatam Cicero *libro* 1. *Tusculanar. quæst.* vt verissimam omnibus Philosophis ac Dialecticis proponit ; ibi enim auditorem aut discipulum dialogo quodam eloquentissimo cogit conuincitque fateri, de nullo posse verificari prædicatum accidentale, nisi illud existat & actu sit ; probat enim nullum mortuum posse cum veritate dici miserum, quia miseria, ex eo quod accidens sit, necessario supponat existentiam & esse, quo sine dubio conuincitur etiam omne & quodcumque prædicatum accidentale, quale est operari & agere debere, supponere existentiam subiecti cui conuenit ; verba enim Ciceronis sic se habent : Si ergo (inquit) apud inferos miseri non sunt, nec sunt quidem apud inferos vlli, A, ita prorsus existimo, M, vbi ergo sunt ij quos miseros dicis ? aut quem locum incolunt ? si enim sunt nusquam, esse non possunt. A, ego vero nusquam esse illos puto M. Igitur nec esse quidem, A, prorsus isto modo, & tamen miseros ob idipsum quidem, quia nullibi sunt M, iam malint Ceberum metuere quam ista tam inconsiderate dicere, A, qui tandem ? M. quem esse negas eundem esse dicis. Vbi est acumen tuum ? cum enim miserum esse dicis, tum eum, qui non sit dicis esse, A. non sum ita hebes, vt ista dicam, M, quid dicis igitur ? A, miserum esse verbi causa Marcum Crassum, qui illas fortunas morte dimiserit miserum Gneium Pompeium, qui tanta gloria sit orbatus, omnes denique miseros, qui hac luce careant, M. eodem reuolueris, sint enim oportet si miseri sunt, tu autem modo negabas eos esse qui mortui essent, si igitur non sunt, nihil possunt esse, ita nec

miseri

miseri quidem sunt A. non dico fortasse etiam quod sentio, nam istud ipsum non esse cum fueris miserrimum puta, M, quid miserius quam omnino nunquam fuisse? ita qui nondum nati sunt, quia non sunt miseri iam sunt, & nos ipsi si post mortem miseri futuri sumus, miseri fuimus antequam nati, ego autem non commemini antequam sum natus me miserum fuisse, tu si meliori memoria es velim scire ecquid de te recordere. A, ita iocaris, quasi ego dicam eos esse miseros, qui nati non sunt & non eos miseros qui mortui sunt, M, esse: ergo eos dicis, A. imo quia non sunt cum fuerint eos miseros esse voco. M, pugnantia te loqui non vides? quid enim tam pugnat quam non modo Miserum, sed omnino quiquam esse qui non sit A, quoniam me verbo præmis post hac non ita dicam miseros esse, sed tantum miseros ob id ipsum, quia non sunt M. non dicis igitur misere est Marcus Crassus sed tantum miser Marcus Crassus, A, ita plane. M, quasi non necesse sit quidquid isto modo pronuncies id aut esse aut non esse, an tu dialecticis imbutus quidem es? in primis enim hoc traditur omne pronunciatum quid: ergo est pronunciatum quod aut verum aut falsum esse dicitur, cum igitur dicis miser Marcus Crassus aut hoc dicis miser est Marcus Crassus, vt possit iudicari verum id falsum ne sit aut nihil dicis omnino. A, age iam concedo non esse miseros qui mortui sunt, quoniam extorsisti vt faterer qui omnino non essent eos ne miseros quidem esse posse: sic Cicero, cuius verba adduxi, non propter illius authoritatem, nec vt illa meam conclusionem firmarent; sed propter acumen ingenij quo conuincit nostram veritatem fateri, & propter vim rationis qua demonstrat nostrum intentum sola mutata materia.

48 Confirmatur amplius, quia in instanti initiatiuo antequam res existat non potest physice causare: ergo neque in vltimo terminatiuo postquam extitit etiam non est. Patet consequentia quia sicut vltimum instans est terminus durationis præcedentis similiter & primum, quia tota duratio causæ clauditur duobus illis instantibus; item causam extitisse est extrinseca denominatio in illo instanti. Similiter est in instanti initiatiuo quia sicut in vno fuit ita & in altero erit, & postquam fuit nullam virtutem reliquit magis quam antequam esset; fuisse enim nihil est actu magis quam fore, & si exemplum sumitur de contiguitate corporum parum refert duo corpora ex hac vel illa parte contiguari: ergo parum etiam refert existentias causæ & effectus contiguari vel ex parte initij vel ex parte finis.

49 Confirmatur, quia vel existentia est conditio necessaria ad operandum vel est ratio formalis operandi: sed res non potest operari sine conditione aut sine ratione formali operandi: ergo non potest sine existentia operari: maior conclusione sequenti probabitur, vbi dicemus existentiam secundum nostram sententiam esse conditionem operandi necessariam maxime intrinsecam respectu causæ efficientis, quod sic patet: quia id quod constituit aliquid in esse producentis debet esse ratio propria producentis qualis non est existentia, quia autem ipsa licet non sit propria producentis, est necessaria vt producens non sit pure possibile, sed actuale & actualitas in producente est conditio necessaria ad producendum, dicimus esse seu existere quod est actualitas esse necessarium ad producendum quod sic patet, quia magis intrinseca est existentia realis existenti & producenti actualiter quam apprehensio respectu volentis & quam approximatio localis respectu caloris calefacientis: sed approximatio & apprehensio sunt conditiones necessariæ sine quibus producens non potest operari actu: ergo à fortiori sine existentia non poterit actu producere agens. Maior illa est euidens, quia existentia est ipsum prædicatum entis: sed ens quatenus ens est prædicatum essentiale producentis & prædicatum essentiale est omnium maxime intrinsecum, ac proinde magis intrinsecum quam approximatio respectu caloris, & quam apprehensio respectu volentis: ergo existentia est magis intrinseca respectu producentis quam approximatio & apprehensio.

Vrgetur potentia vitalis (sicut neque potentia 50
non vitalis) non potest recipere actum vitalem sine existentia per vos: ergo à fortiori non potest producere actum vitalem sine existentia actuali; consequentia patet, quia in actibus vitalibus essentialior est, vt ita dicam, & perfectior influxus actiuus, quam passiuus; vnde absolutè inconsequentes dicendi sunt nonnulli, qui asserunt influxum passiuum non posse suppleri in actibus vitalibus, posse tamen influxum actiuum. Deinde etiam inconsequentes sunt nonnulli vniuersaliter, dum aiunt accidentia corrupti perire, quia perit forma, à qua sustentabantur, & aiunt formam geniti physice effici à talibus accidentibus iam corruptis; rogo ergo cur forma corrupti in eo instanti non valeat causare accidentia, cum hæc iam corrupta valeant causare formam geniti, aut sicut ad primum exigitur actualis existentia, cur non exigetur, & ad secundum.

Secunda conclusio: existentia non est virtus, seu ratio formalis operandi in actu primo, quia solum est conditio sine qua non potest operari agens, hæc sententia sic probatur.

Primo ex Aristotele *libro secundo, physicorum,* 51
*textu* 4. vbi ait existentiam, esse id sine quo non operatur agens, quo modo loquendi solet Aristoteles vsurpare ad appellandam conditionem agentis, & ideo *lib.* 4. *Physicorum*, eisdem pene verbis nominat approximationem agentis; atqui approximatio in sententia Aristotelis, & omnium Philosophorum est conditio solum, sine qua non: ergo etiam in sententia ipsius Aristotelis existentia agentis est solum conditio ad operandum, sed vbi clarius loquitur Aristoteles est 2. *Metaph.* vbi sic ait, ignis igitur, non vt existit, sed quatenus calidus operari solet, existens enim hocque requisitum ad agere necesse est cogitari, sic ille: vbi clarissimè vt ait D. Thom. supra hunc locum, Philosophus, asserit existentiam non esse rationem formalem operandi, sed conditionem solum 3. *etiam Metaph.* comparat existentiam agentis, figuræ mallei, & cerræ ad eliciendas operationes artificiales, sed figura in his instrumentis, vt patet ex Aristotele *tract. de prædicamentis*, collocante figuram in prædicamento qualitatis, non est accidens actiuum, nec operatiuum, sed solum conditio ad operandum: ergo ex ipso Aristotele existentia est conditio ad operandum, & non ratio formalis operatiua, ex D. Thom. etiam patet clarissimè, omnibus suæ doctrinæ locis quibus agit de existentia, vbi illam conditionem ad operandum semper appellat.

Diuus autem Anselmus *in Monol. cap.* 4. sic ait: 52
Sine virtute ad operandum nullo modo potest oriri operatio, & productio; sine existentia autem operantis non elicitur ipsa productio, quia operatio

oritur tanquam à principio à virtute existentia autem requisitum est ad illam. Quid clarius? vbi S. Anselmus, ait virtutem operandi esse principium elicitiuum actionis, existentiam vero esse requisitum ad illam: ergo ipse sentit existentiam solum esse conditionem, & non virtutem operandi, aliàs non distingueret, nec discriminaret virtutem operandi ab existentia nominibus principij, & requisiti.

53 Probatur ratione primo hæc conclusio, quia existentia, & essentia actualis principij operatiui, & vt clarius loquar, virtus operatiua, & existentia illius, licet actualiter formaliter à parte rei, non distinguantur, distinguuntur tamen virtualiter à parte rei: ergo bene potest existentia actualis illius virtutis esse conditio necessaria ad operandum, & non ratio formalis operandi in actu primo, licet virtus sit principium operandi formaliter: antecedens sic probatur, quia illæ formalitates, de quibus prædicata contradictoria verificantur, scilicet affirmatiuum, & negatiuum, si habent identitatem formalem inter se à parte rei, ex vi verificationis talium prædicatorum, distinguntur virtualiter à parte rei, vt latissime demonstratum manet *disputatione de ente vt sic*, vbi probauimus rationem entis vt sic, & differentiam distingui virtualiter, quo probauimus præcisionem entis vt sic à suis differentiis; sed de virtute operatiua, & existentia illius verificantur prædicata contradictoria, scilicet affirmatiuum, & negatiuum: ergo virtus operatiua, & existentia illius distinguntur à parte rei; hæc minor sic probatur, quia materia prima existens assimilatur virtuti existenti secundum existentiam realiter, & non assimilatur ipsi virtuti, quatenus virtus operatiua est, & eodem modo se habent respectu virtutis operatiuæ albedo, figura, vnio, & alia huiusmodi, quæ omnia conueniunt à parte rei, cum virtute operatiua in ratione existendi, quia illa omnia entia sunt extra causas, & vere existunt, sicut existit virtus operatiua, verbi gratia intellectus, & tamen non conueniunt secundum rationem operandi Albedo enim, figura, materia prima & relatio, ac vnio non sunt principia operatiua, nec vllam operationem eliciunt, sicut intellectus, voluntas, & alia id genus; vnde hæc prædicata duo, vnio conuenit cum intellectu in ratione existendi, & non conuenit cum intellectu in ratione operandi: ex quibus vnum est negatiuum, & alterum positiuum, verificantur realiter in albedine, respectu virtutis operatiuæ & existentiæ illius: ergo virtus operatiua quatenus talis, & quatenus est principium elicitiuum operationum, & existentia illius seu esse illius extra causas distinguntur virtualiter, & verificantur de illis duo prædicata contradictoria, quorum vnum est affirmatiuum, & alterum negatiuum.

54 Consequentia prima & præcipua sic probatur, quia tota ratio, quare in sententia aduersariorum existentia est ratio formalis operandi; est quia non habet distinctionem à parte rei, sed potius identificatur cum virtute operandi, sed licet non distinguantur formaliter à parte rei, distinguuntur tamen virtualiter, & æquiualenter realiter, quæ distinctio sufficit, vt ea quæ prædicarentur de existentia, & virtute operandi si distinguerentur formaliter possint prædicari propter hanc distinctionem virtualem: ergo propter ipsam potest bene prædicari de illis, scilicet de virtute operandi, quod sit principium formale operationis, & de existentia illius quod sit conditio ad operandum: hæc consequentia sic patet, quia sine dubio, vt ait P. Suarez, si haberent distinctionem à parte rei, hæ duæ formalitates vt habent distinctionem rationis, sicut per rationem propter illam distinctionem de existentia dicitur quod sit conditio de virtute quod sit principium formale operandi, ita similiter à parte rei de existentia prædicaretur quod sit conditio, & de virtute verificaretur, quod sit principium formale operandi, sed vt probatum iam manet, inter illas duas formalitates datur distinctio à parte rei virtualis, quæ æquiualeat formali: ergo propter illam distinctionem verificabitur à parte rei de existentia, quod sit conditio ad operandum, & non ratio formalis operandi, & de virtute quod sit principium operationis; minor illa sic probatur, quia intellectus diuinus, & voluntas diuina non distinguntur formaliter à parte rei, sed solum virtualiter & propter talem distinctionem virtualem prædicantur de intellectu, & voluntate diuinis prædicata, quæ prædicarentur, propter distinctionem formalem à parte rei de eisdem, verbi gratia, de intellectu diuino prædicatur quod producat, vt quo Verbum connotando relationem paternitatis in Patre, & non producat à parte rei Spiritum sanctum; de voluntate vero diuina prædicatur è contra, quod non producat à parte rei Verbum vt quo, sed Spiritum sanctum: ergo iam distinctio virtualis est sufficiens vt verificentur de aliquibus formalitatibus prædicata quædam ita opposita vt in aliis ad sui veritatem requirant necessario distinctionem formalem à parte rei. Vnde ad huiusmodi verificationem, & prædicationem, distinctio virtualis à parte rei sufficit sine formali, quia illa huic æquialet.

Confirmatur tota hæc nostra ratio: quia licèt 55
detur identitas formalis à parte rei inter aliquas formalitates, potest esse vna conditio sine qua non ad producendum; & altera ratio formalis producendi in sententia aduersariorum: ergo non est firma ratio illorum ad asserendum existentiam non esse conditionem, sed rationem formalem producendi ex eo solum quod existentia identificetur à parte rei formaliter cum virtute operandi. Patet hæc consequentia, quia si per vos, ideo solum existentia non est conditio, sed ratio formalis producendi, quia identificatur cum virtute operandi; & ex alio capite per vos etiam in aliquibus formalitatibus potest dari ratio identificationis, quæ non tollat vt vna ex illis sit conditio, & altera ratio formalis producendi. Ergo ratio vestra non est firma, neque causalis talis vera; quia vniuersalis, cui æqualet, verbi gratia, omne quod identificatur cum ratione formali producendi, non est conditio, sed ratio formalis, est falsa, vt patet ex nuper dicendis in probatione antecedentis.

Antecedens, in quo est tota difficulta, sic probatur. Quia relatio diuina paternitatis identificatur realiter, & formaliter cum intellectu, & voluntate diuinis, & cum omnipotentia; & nihilominus per vos intellectus, & voluntas sunt virtutes formales, seu rationes producendi ad intra, & omnipotentia est ratio formalis producendi ad extra. Et relatio non est ratio, seu virtus producendi, sed solum conditio sine qua non; ergo licet detur identitas formalis inter duas formalitates à parte rei, bene poterit vna esse conditio producendi, & alia ratio formalis, propter solam distinctionem virtualem æquialentem distinctioni formali.

Secundo principaliter sic argumentor. Quia il- 56
lud prædicatum, quod est commune operatiuis, &

& non operatiuis, non potest esse ratio formalis operandi; quando existit in operatiuis; sed existentia est prædicatum commune, & ita commune, vt sit vniuocum operatiuis, & non operatiuis: ergo dum in operatiuis datur existentia, non potest esse ratio formalis operandi in illis. Minor sic probatur: quia ideo subsistentia non est ratio formalis operandi in operatiuis, quia est prædicatum commune operatiuis, & non operatiuis. Item quantitas, quæ reperitur in igne, & in homine, non est ratio formalis operandi in illis, quæ sunt principia operatiua, quia est communis rebus operatiuis, & non operatiuis. Ratio autem à priori est, quia quando aliqua est ratio formalis operandi, vbicumque est, constituit principium in esse formaliter operatiui; & ex alio capite, illa ratio, quæ est communis operatiuis, & non operatiuis, reperitur in non operatiuis sine eo quod constituat talia entia non operatiua in esse operatiuorum; alias non dicerentur non operatiua, sed potius operatiua: ergo prædicatum commune operatiuis, & non operatiuis non potest esse ratio formalis operandi dum existit in operatiuis, quia si dum existit in operatiuis, esset ratio formaliter operandi secundum se, & ex sua essentia esset talis; quia formæ non aduenit sua essentia, & ratio formalis à subiectis, nec emendicat illam ab ipsis. sed potius forma constituit subiectum, in quo est, & tribuit illi rationem formalem, quam in se continet. Vnde ex se habent omnes formæ suam rationem formalem; sed quæcumque forma, quæ ex se est talis, & essentialiter habet suam rationem formalem, potest communicare illam cuicumque subiecto; in quo connaturaliter est, sicut quia albedo ex se talis est, quodcumque subiectum, in quo existit, siue sit homo, siue, leo, siue arbor, constituit in esse albi & disgregatiui visus. Vnde si detur aliqua forma connaturaliter in aliquo subiecto, & illud constituat in esse formali talis formæ, euidens est talem formam non habere illam rationem formalem, verbi gratia, quia albedo existit in equo connaturaliter, & non constituit illum in esse intelligentis, euidenter colligitur albedinem non esse intellectum, nec rationem formalem intelligendi, ac per consequens, neque dum existit in principio intellectiuo, vt est homo esse rationem formalem intelligendi; è contra vero intellectum in homine existentem esse rationem formalem intelligendi, quia in quocunque subiecto existat, constituit illud intelligens, quare siue Deus sit, siue Angelus, siue homo, siue anima rationalis separata, quæ tam magnam diuersitatem inter se habent, constituuntur in esse intelligentium per intellectum. Minor prima & præcipua, sic probatur, quia existentia aut est ratio formalis entis, aut sequitur ipsum ens, tanquam attributum illius. Primum supra probaui, secundum asserunt multi ex aduersariis: sed ens, & id, quod sequitur ad ens est commune vniuocum operatiuis, & non operatiuis: ergo existentia est prædicatum commune operatiuis, & non operatiuis.

37 Confirmatur, ideo veritas, bonitas, & vnitas non sunt rationes formales operandi, quia sunt prædicata communia vniuoca operatiuis, & non operatiuis, sequuntur enim rationem entis quæ est ratio communis vniuoca respectu operatiuorum, & non operatiuorum, sed existentia est ratio communis operatiuis, & non operatiuis: ergo non est ratio formalis operandi, & è contra in homine intellectus, & voluntas sunt rationes formales operandi, quia sequuntur gradum, seu prædicatum, quod est principium operandi: ergo quando aliqua formalitas, seu proprietas sequitur aliquod prædicatum, quod de se non est operatiuum, non potest esse ratio formalis operandi; cum ergo existentia, aut sit ipsa essentia, aut actus essentiæ conuertibilis cum ipsa, debet esse ita communis vt essentia; sed essentia vt sic est communis operatiuis, & non operatiuis: ergo existentia etiam est commnnis illis: ergo non est ratio formalis, &c.

Confirmatur, quia existentia actualis quatenus existentia solum respicit omnipotentiam, à qua producatur, & non respicit aliquam operationem correspondentem illi: ergo non est ratio formalis operandi. Patet consequentia, quia quando aliqua ratio est ratio formalis operandi de se vt distinguitur à quacunque alia siue formaliter à parte rei, siue virtualiter solum respicit operationem sibi proportionatam, cuius sit principium, verbi gratia, intellectus, vt distinguitur à voluntate potentia visiua, auditiua & cæteris potentiis respicit intellectionem, vt propriam operationem sibi proportionatam, cuius sit principium, & gradus ratiocinandi, vt distinguitnr à gradu animalis viuentis, &c. virtualiter à parte rei respicit ratiocinationem tanquam propriam operationem, sibi correspondentem, vt principio elicitiuo illius, quæ operatio distinguitur ab omnibus aliis operationibus elicitis à cæteris gradibus, & in diuinis licèt intellectus, & voluntas, iustitia, misericordia, & omnipotentia non distinguantur formaliter à parte rei, nihilominus quatenus distinguntur virtualiter, respiciunt proprias productiones siue ad intra, siue ad extra sibi proportionatas, tanquam principiis illarum, & hoc non propter aliam rationem nisi solum, quia quatenus distinguntur virtualiter, sunt rationes formales operandi: ergo quando aliqua ratio de se est ratio formalis operandi de se vt distinguitur à quacunque alia, siue formaliter à parte rei, siue virtualiter, solum respicit operationem sibi proportionatam: sed existentia, quatenus distinguitur virtualiter ab essentia non respicit aliquam operationem correspondentem sibi tanquam principio elicitiuo illius: ergo non est ratio formalis operandi, primum antecedens quoad primam partem in qua est difficultas sic probatur, quia verbi gratia in Angelo, solum datur triplex operatio, prima est intellectio, & hæc non correspondet existentiæ, sed intellectui, tanquam principio elicitiuo illius, secunda est volitio, & hæc correspondet potius voluntati, quam existentiæ; alia datur, quæ est motus localis, & hæc correspondet gradui viuentis & potentiæ motiuæ; vnde non existentiæ, & idem est in homine vbi intellectio, volitio, & omnis sensatio, risus, & cæteræ operationes correspondent risibilitati, sensibus, intellectui, & voluntati, & ex gradibus, viuenti, animali, & rationalitati, & minime existentiæ quatenus existentia est, imo si existentiæ, vt existentia est, corresponderet aliqua operatio, gradui entis vt sic, vel essentiæ vt sic corresponderet illa, ac proinde gradus entis vt sic esset operatiuus; vnde in omni subiecto vbi est gradus entis vt sic, & existentia daretur ratio operandi, quod est falsum, cum multa entia actu existentia, vt materia prima, non sint operatiua: ergo nulla est operatio, quæ correspondeat existentiæ, & quam respiciat illa, vt principium elicitiuum talis operationis.

## SECTIO VLTIMA.

### *Argumenta aduersaria soluuntur.*

58 AD primum Argumentum nego antecedens, vt patet ex dictis, *præcedenti, quæstione*; ad probationem illius concedo essentiam antequam existat habere suam veritatem essentialem, sed non esse illam, quam aduersarij asserunt, quia non est verum dicere ab æterno, homo actu essentialiter est animal rationale; solum vere dicitur, homo ab æterno est animal rationale; vnde illa particula actu non debet poni, si verificanda sit propositio, ex hac autem propositione, quam nos concedimus ablata particula actu, solum sequitur dari ab æterno possibilitatem sine existentia, quæ solet dici non repugnantia ad existendum, & ratione huius dicitur ab æterno homo est animal rationale, cuius sensus est, non repugnat hominem produci animal rationale, aut existere tale aliter, vt Pater Suarez asserit, si homo producendus est, necessario producetur, vt animal rationale, & in hoc solo sensu verificantur propositiones æternæ veritatis, quare falsum est dicere, quod aduersarij asserunt actu est animal rationale, alias actu ab æterno esset homo cum solum fuerit impotentia, quod est aperte, contra sacram Scripturam dicentem: *in principio creauit Deus cœlum, & terram.*

Ad secundum Argum. respondeo Sacramẽta conferre gratiam in instanti, in quo non extrinsece, sed intrinsece perficiuntur ac consummantur, quamquam enim sacramenta extrinsece fieri incipiant per vltimum non esse ablutionis, vel prolationis verborum, &c. consummantur tamen in vno instanti in quo fit aliquid indiuisibile positiuum, & reale, quo intrinsece complentur Sacramenta, & in eodem instanti gratia confertur: singula sic explico, primum quidem ex Philosophia constat, dari in omni motu successiuo, quando peruenitur ad terminum eius, aliquam mutationem instantaneam, qua consummatur terminus illius motus, quia per illam mutationem acquiritur in illo instanti aliquid indiuisibile, quod in toto anteriori tempore non erat acquisitum, vt verbi gratia, in intentione acquiritur terminus caloris vt duo, vel tria, & sic de aliis, & ideo licet illud instans dicatur primum non esse motus quatenus ens successiuum est, tamen est primum esse termini consummati, & perfecti, & ideo vocatur vltimum mutuatum esse motus, quocirca idem videre licet, in materiis, & formis Sacramentorum; nam materiæ illæ, quæ consistunt in vsu permotum localem, vel contactum aliquem perficiuntur vt ablutio, vel vnctio, intelligi autem potest contactum sufficientem perfici, aut fieri in aliquo instanti terminante motum præcedentem, quia terminus licet extrinsecus sit motui præcedenti, est tamen intrinsecus contactui, qui aliquid reale est & intrinsecum Sacramento. Similiter forma Sacramenti est oratio aliqua quatenus reddit integrum, & perfectum sensum, qui sensus in aliquo instanti intrinsece consummatur per aliquem sonum, qui in eo instanti additur, & realiter existit, tanquam realis terminus soni præcedentis, cuius signum est, quia in eo instanti, ita consummatur oratio, vt in eo multiplicentur seu efficiantur species in auditu: ergo durat in illo instanti aliquid rei pertinens ad complementum verborum, seu orationis.

Secundo hoc declaratur, quia necesse est signare 59
aliquod instans, in quo sit verum dicere Sacramentum esse, quia inconueniens videtur rem aliquam realiter fieri, & nunquam de illa affirmari posse, quod existat; Sacramentum autem realiter fit, & quandiu fit, si aliquid illius supereſt faciendum, nondum existere dicitur, quia nondum tota eius essentia facta est in quo differt à motu, & tempore, & huiusmodi entibus successiuis, quæ tunc existere dicuntur, quando aliquid eorum factum est, & aliquid supereſt faciendum: ergo oportet vt Sacramentum dicatur esse saltem in illo instanti in quo perficitur, quanquam post illud instans vltra futurum non sit Sacramentum, neque aliquid illius restet efficiendum, quia in eo instanti perficitur, & consummatur tota significatio Sacramenti: ergo necesse est, vt in eo instanti fiat, & sit aliquid intrinsecum Sacramenti, quia si nihil illius esset, nulla ratione dici posset tunc existere Sacramentum,

Dices, si tunc existit Sacramentum cum an- 60
tea non esset: ergo tunc incipit esse Sacramentum; ergo incipit per primum sui esse: ergo non est ens successiuum, nam repugnat entia successiua fieri per primum sui esse, nam quod ita fit totum simul fit; vnde etiam sequitur, quod ante illud instans Sacramentum non fiebat, rursus immediate post illud instans, non erit Sacramentum, vt dictum est: ergo si tunc est Sacramentum definit esse per vltimum sui esse, quod etiam repugnat rebus successiuis, vt constat ex communi sententia Philosophorum, propter hæc aliqui renuunt concedere in illo instanti Sacramentum existere, etiam si aliquis realis terminus existat, qui cum sit indiuisibilis, & ideo sufficiat, vt in eo instanti fiat gratia actione indiuisibili, non tamen sufficit, vt dicatur existere Sacramentum, quia nihil illius faciendum supereſt, sicut etiam quamuis in termino motus aliqua mutatio indiuisibilis superaddatur, tori motui præcedenti, non tamen dicitur in eo instanti esse motus quia nihil amplius supereſt faciendum, & hæc est natura entis successiui, vt tantum esse dicatur quando aliquid eius factum est, & aliquid faciendum supereſt; verius tamen est quod asseruimus, quia non oportet vt in omnibus Sacramentum imitetur entia successiua; nam sicut in hoc non seruat similitudinem cum illis, quod illa dicuntur esse dum fiunt, & aliquid ex eis supereſt faciendum; Sacramentum autem minime, ita è contrario non oportet vt in eo seruet similitudinem, quia sicut illa non sunt in suo termino; ita etiam Sacramentum tunc non sit quin potius, quia in illo est dissimile, debet etiam esse in hoc, quia oportet vt in aliquo instanti dicatur iam existere; cum ergo hoc non verificetur in intermediis instantibus, debet saltem verificari in illo instanti in quo Sacramentum perficitur, & consummatur, nam ex his differentiis inter Sacramentum & alia entia successiua colligimus Sacramentum requirere quidem successionem, non tamen in sola illa consistere, sed in ea vt intrinsece terminata, vsque ad tale instans, in quo est intrinsece perficitur, aut sensus verborum, aut contactus ex parte materiæ necessarius: aut denique tota significatio Sacramenti erit: ergo Sacramentum signum quodam, quod successiue fit, intrinsecè terminatur, in quo termino habet perfectam significationem suam, & ideo in eo esse dicitur, quia signum tunc est quando, significat, atque

huius

huius rei exemplum esse potest oratio, vel propositio, quæ ante instans in quo consúmatur, sensus eius non potest dici esse, quia nondum significat verum, vel falsum, in illo vero instanti propriè dicitur esse, quia tunc habet veram significationem, obiectioni autem sic respondeo; in illo instanti incipere esse, Sacramentum per primum sui esse in esse perfecto, quamuis secundum esse imperfectum antea fiat, sicut calor vt octo incipit esse per primum sui esse, quia tunc terminatur, & perficitur, licet ante fieret quoad latitudinem caloris per alterationem successiuam: vnde quod ita incipit per primum sui esse, non oportet, vt simul incipiat, sed quod in instanti absoluatur, ac terminetur, neque oportet vt diximus in hoc esse simile Sacramentum aliis entibus successiuis, quæ non requirunt determinatam perfectionem, & veluti intrinsecam consummationem, sed solam successionem, atque idem respondendum est ad alteram partem de definitione Sacramenti, concedo enim illud idem instans, quod est primum esse Sacramenti perfecti, esse vltimum esse Sacramenti, quod nullum est inconueniens.

61 Dices si Sacramentum in solo vltimo instanti confert gratiam: ergo non totum Sacramentum facit illam: sed solum aliquid indiuisibile Sacramenti, quod in illo vltimo instanti requiri existit.

Respondeo simpliciter negando consequentiã, quia licet Sacramentum solum efficiat per illum vltimum terminum suum, tamen simpliciter totum Sacramentum confert effectum, quia ille terminus non efficit nisi in virtute, seu ratione totius formæ; item quia quod fit per partem, vel per aliquid, quatenus est complementum alterius simpliciter, fit ab ipso toto, sicut homo videre dicitur licet non per omnes sui partes, sed per oculum tantum videat, & peccare dicitur totus homo, licet tantum per potentiam peccet, & globus perfectus tangit planum, & impellit illud, quamuis solum per indiuisibile tangat, & impetum imprimat, adde, quod in Sacramento, licet in ratione mutationis, seu successionis illud per quod fit actio sit quid indiuisibile, tamen considerando rem ipsam semper est res aliqua diuisibilis, vt aqua sonus, vel similia; in forma autem respondeo principali argumento concedendo maiorem & distinguendo minorem, non actu existunt secundum esse imperfectum concedo, secundum esse perfectum nego, ad probationem illius eodem modo respondetur, & similiter ad alteram probationem, vt patet ex dictis.

62 Ad tertium de dispositionibus patet ex supra dictis in probatione nostræ conclusionis, non loqui consequenter Authores earum duarum opinionum, & ad vnam sententiam in intelligibilem in Philosophia adducitur alia non magis probanda, in qua eadem est omnino difficultas.

63 Ad primũ Argumentum secundæ sententiæ concedo materiam non causare, nisi per entitatẽ actualẽ suæ essentiæ, cum hac tamen distinctione, vt essentia sit ratio formalis causandi actualitas, seu existentia conditio intrinseca ad causandum, & recipiendum, quia licet essentia, & existentia non distinguantur formaliter à parte rei, distinguuntur tamen virtualiter realiter, quæ distinctio sufficit ad hoc, vt existentia sit conditio, & ratio formalis, essentia.

64 Ad confirmationem respondemus admittendo maiorem eadem distinctione, ita vt ratio talis entis sit ratio formalis operandi, & actualitas conditio.

65 Ad confirmationem vltimam concedo maiorem, & minorem, & distinguo primum consequens: ergo etiam ipsa causat vt existens: ita vt existentia sit conditio concedo, & ipsa virtus causæ ratio formalis, ita vt existentia sit ratio formalis operandi nego.

# DISPVTATIO XV.

## DE NOMINIBVS, NATVRA, & proprietatibus Subsistentiæ, & Suppositalitatis.

## QVÆSTIO PRIMA.

*De significatione nominis Subsistentiæ, & Suppositalitatis.*

VAriæ sunt significationes subsistentiæ, 1 maximaque varietas reperitur inter DD. dum subsistentiæ nomine vtuntur, nam primo Athanasius Arrianorum malleus eius significationem nimium videtur extendere, comprehendendo quamcumque entitatem singularem etiam accidentis, quando ait: tres subsistentiæ orbis solaris, radius & lux, insuper tres subsistentiæ subiectum ignis, & vrens, & lucens, quod latissimè prosequitur *tom. 2. in qq.* quarum prima est *quid est Deus, quæst.* 4. nisi velis, vt ait, P. Ruiz exponere vnum, & idem corpus esse triplex suppositum sola ratione distinctum, quatenus in eo recipiuntur tria accidentia, siue realiter, siue ratione distincta: Verumtamen hæc acceptio subsistentiæ nunquam à Theologis vsurpatur, non solum quia peregrina, & inaudita est, sed potissimum, quoniam Athanasius ibi non veram, & existentem similitudinem Trinitatis, sed distantissimam illius vmbram conatur ostendere.

Secundo sumitur apud PP. Græcos, subsistere 2 pro consistere, & subsistentia pro consistentia, nam Greg. Nicenus *Oratione cathequetica, cap. 1. ad finem*, Dei Verbum, inquit, eo quidem quod per se consistit, distinctum est, ac diuisum ab illo ex quo habet, quod consistit, similiter loquitur *in cap. 4. sub initio, & lib. de Trinit. & Aduentu Domini contra Iudæos, non procul à principio.* Subsistentiæ nomen pro consistentia sumit: idem Nicenus, *oratione Cathequetica, cap. 3. sub initio*, & Iustinus, *quæst. 17. ad Orthodoxos*, sed hæc acceptio eodem modo ampla videtur, ac prima, quia consistentia non solum substantiis, sed etiam accidentibus conuenit.

Tertio, significat subsistentia apud Aristotelem 3 ipsum actum existendi, quamuis apud antiquos latinos, vix, aut nunquam in hac significatione reperiatur, sed in hac significatione Athanasius & Nicenus vtuntur verbo subsistendi, ad significandum, Deum existere non ab alio, sed à seipso, atque immutabiliter, vt constat ex ipso contextu Niceni, qui est optimus commentarius illius verbi; posset etiam aliquem mouere quod Gregorius Nicenus, *oratione Cathequetica, sub initio*, ait, Verbum, & Spiritus Dei essentialiter existunt, subsistunt, & consistunt; hæc autem significatio maximè communis est ad denotandas substantias, quæ non educuntur de potentia materiæ, sicut enim subsistere secundum locum dicitur terra propria virtute exi-

stens circa centrum, reliqua vero inexistunt in illa, sic secundum existentiam dicuntur subsistere, quæ non innituntur aliis, sed potius alia sunt in ipsis; iuxta quam significationem subsistentia in abstracto formaliter significat existentiam actualem rei habentis esse sine concursu causæ materialis subsistentis, quæ subsistentia non potest distingui ab ipsa entitate rei extra causas posita, neque potest illi conuenire per aliquod superadditum, neque per terminum substantialem, qui dicitur personalitas; ratio est, quia hunc modum existentiæ solum habent illa, quæ fiunt per creationem, & conseruantur per actionem quæ correspondet creationi, quæ quidem res prius habent existentiam per solum concursum causæ efficientis, quam habeant terminum, qui est personalitas: ergo non habent actum existendi sine concursu subiecti, neque independentiam à subiecto per personalitatem, quæ sequitur ex natura, sed potius personalitas ex illa sequitur quia habet entitatem, & existentiam sine concursu causæ materialis substinentis.

4 Quarto modo sumitur subsistentia pro substantia, quomodo Hilarius *in libris de Synodis*, de PP. Antiocheni Concilij loquens vsus est, idcirco inquit tres substantias esse dixerunt subsistentium personas, per substantias edocentes non substantiam Patris, & Filij, & Spiritus sancti diuersitate dissimilis essentiæ separantes. Ex quibus constat Hylarium vocem *subsistentiam*, qua PP. Græci illius Concilij vsi sunt, nomine latino *substantia* vertisse, & ideo tres in Deo substantias concessisse, docet etiam, vt bene adnotat P. Vasquez D. Thomas 1. *part. q.* 29. *art.* 2. *in corpore*, & *ad secundum*, his verbis, (ad secundum dicendum, quod sicut nos dicimus in diuinis pluraliter tres personas, & tres subsistentias, ita Græci dicunt tres hypostases; sed quia nomen subsistentia, quod secundum proprietatem significationis respondet hypostasi æquiuocatur apud nos, cum quandoque significet substantiam, & essentiam, quandoque hypostasim, ne possit esse erroris occasio maluerunt pro hypostasi transferre subsistentiam, quam substantiam,) nomen latinum substantia respondere subsistentiæ, vel hypostasi: Græco eodem modo docet Aug. 1 *de Trinit. cap.* 6. Vbi scandalum non fuerit nullum esse incommodum tres substantias in Deo latine concedere, nam 4. *de Trinit. cap.* 9. & *lib.* 6. *cap.* 3. 4. & 5. & *lib.* 7. *cap.* 4. 5. & 6. affirmat apud Græcos tres concedi in Deo substantias, & Ioannes Papa *lib. de duabus naturis contra Eutichetem*, in hunc sensum capi posse nomen *substantia*; fatetur his verbis. Vno lumine illustramur simul, & tribus, tribus quidem secundum vniuscuiusque proprietatem, siue substantiam, sicut placet aliquibus dicere, siue subsistentiam, & personam; nihil enim pro vocabulorum diuersitate dissidendum est, cum ad eundem sensum nominum diuersitas prouocet, & intellectum. Demum Boëtius *lib. illo de duabus naturis*, tria inquit esse nomina Græca οὐσία, quod essentiam latine ipse interpretatur, *visio sis*, quam subsistentiam latine reddit, & ait vnam esse solum in Deo, id est, vnam substantiam & essentiam. Tertium denique *hypostasis*, quod latine vertit substantiam, & ita definit personam rationalis naturæ individuam substantiam, ac si pro substantia subsistentiam intelligeret, & ideo eam rursus definit hoc modo rationalis naturæ individua subsistentia, quo nomine subsistentia frequentius vtitur pro supposito, seu hypostasi; ex quibus manifestum est si vim vocis, & primariam significationem illius attendamus, idem esse latini substantiam, & subsistentiam, & ita tres posse in Deo concedi substantias sicut hypostases, & subsistentias, verum vsu Ecclesiastico nomen *substantia*, ita est accomodatum, vt solam essentiam seu formam denotet, atque adeo non possent in Deo concedi tres substantiæ, quare Iustinianus Imperator, & ipse Græcus *in edicto fidei*, *ad Ioan. Pap. II. columna* 9. *est autem in* 1. *volumine Conciliorum* inquit, omnes SS. PP. consonanter nos docent aliud esse naturam seu substantiam, & formam, & aliud subsistentiam siue personam, id est hoc specialius, illud generalius, cui consonant verba Iustini martyris *quæst.* 17. *ad Ortodoxos* [diuinarum (inquit) consistentiarum vnum substantia est indiuiduum, sed tres est diuiduum] itaque tres consistentiæ propriis nominibus sunt tres, ac quam consistentiam vocamus Patrem, non iam eandem vocamus filium, sed aliam: Trinitatem enim nominum dicimus esse Trinitatis consistentiarum, non vnitatis earum, itaque vnus est Deus, vno & indiuiduo substantiæ, sed tres personæ diuisione consistentiarum; eandem veritatem docet *sequenti quæst.* 18. & *q.* 129. *ad Ortodoxos*, & *in expositione fidei de coessentiali Trinitate, propius ad principium, quam ad medium.* Hylarius *vltra librum de Synodis*, *lib.* 2. *de Trinitate columna* 2. & *iterum, atque iterum post medium libri*, & *lib.* 6. *inter principium*, & *medium*, & *lib.* 7. *col.* 4. & 5. Idem docet atque S. Maximus *toto fere libello de duabus Iesu Christi naturis, qui habetur apud Damascenum post librum de duabus Christi voluntatibus* Ambrosius, *lib.* 1. *de fide ad Gratianum, cap* 9. *prope medium*, id confirmat his verbis: si de nomine substantiæ, aut naturæ diuinæ voluerint dicere, facile reuincuntur, quia & vsiam græce & latine substantiam frequenter Scriptura memorabit, & Petrus vult nos, vt legimus, diuinæ consortes fieri naturæ, ad idem probandum, instaurat plura testimonia Scripturæ *lib.* 3. *de fide cap.* 9. *fere per totum*, quale est illud *Ps.* 138. substantia mea in inferioribus terræ, quod probat intelligendum esse de substantia diuinitatis, quæ per animam rationalem post mortem descendit ad inferos; præterea confirmat verbis *Ier.* 9. Non acceperunt vocem substantiæ, à volatilibus vsque ad iumenta expauerunt, & defecerunt, quod eodem sensu 70. legunt; non audierunt vocem substantiæ, vbi licet Hyeronimus substantiam dicat, non pro vsia id est pro essentia, sed pro diuitiis accipi; Amb. tamen accipit pro essentia diuina; peculiariter autem Epiphan. *hæresi* 73. *prope medium*, essentiæ inquit nomen, nudo modo in veteri ac nouo testamento non habetur; sensus autem, & significatio eius vbique habetur dum dicitur substantia.

Quinto significat subsistentia, non solum substantiam quomodocumque, sed personam id est integram, & in se vltimo terminatam substantiali termino, quæ propterea non possunt vniri aliis substantialiter, qui est frequentior vsus huius vocis, & solum verificatur, vt dixi in personis, & suppositis integris, iuxta quam significationem subsistentia in abstracto nihil aliud est, quam vltima forma rei, sic existentis, & terminus substantialis naturæ, quæ in natura intellectuali est personalitas, & in hoc sensu definitur *in Concil. Niceno*, dum dicitur: Si quis negauerit vnam diuinitatem in tribus subsistentiis existentem anathema sit, & *in Concilio Toletano*, 11. *in confess. fidei*, definitur vnam tantum in Deo esse substantiam tribus subsistentiis constantem *sect.* 2. eodem modo loquitur Nicenum Concilium vbi hæc habent PP. Niceni: vna est diuinitas sanctæ Trinitatis, quæ in tribus subsistentiis perfectis, & æqualibus consideratur, hoc est in tribus personis,

Concilium

Concilium item Ephesinum primum *tom. 5. cap. 1. anathematismo* 4. Si quis, inquit, eas voces, quæ ab Apostolicis, & euangelicis scriptis de Christo dicuntur duabus personis, hoc est subsistentiis distribuit, &c. Atque eodem modo loquitur frequenter, idem Concilium *in profes. fidei*, Calcedonense Concilium *actione 5. in secunda fidei confessione, quæ est in fine actionis*. In vnam, inquit, subsistentiam concurrente, licet alia translatio legat in vna coëunte persona, *in 6. Synodo, quæ est Constantinopolitana 3. actione 4. Agato Papa in epist. 2. quæ est instructio legatorum columna 2.* dicit Trinitatem subsistentiarum siue personarum, & sæpè repetit subsistentias pro personis *in eadem 6 Synodo*, Sophronius Patriarcha *act. 11. epist. professionis fidei column. 2. 3. & 4.* tres subsistentias repetit; *3. quoque verbo, & act. 17. in defin. fidei, propius ad finem, quam ad medium*; decernit iterum, atque iterum vnam personam, & subsistentiam Christi Domini, *5. Synodus generalis, quæ est Constantinopolitana 2. in confession. seu collatione 8. Can. 1.* anathematisat eum, qui non confitetur vnam Deitatem in tribus subsistentiis siue personis, *& eadem collatione 8. canone 5. & 8.* decernit non esse duas personas, siue subsistentias, sed vnam personã, & subsistentiam Christi Domini *Conc Nic. 2. quia est generale 7. act. 3. in confess. fidei Tharasij* frequenter dicit tres subsistentias, *& longe inferius in exemplari literarũ Theodori Patriarchæ Hyerosolim. sub initium* tres hypostases, siue subsistentiæ prædicantur, & damnat Sabelianos, quoniam Deum contrahebant in vnam hypostasim. Aug. *lib. 5. de Trin. cap. 8. in fin.* plerique, inquit nostri, id est Catholici, qui Græco tractant eloquio dicere consueuerunt, *miam vsiam*, tres hypostases, quod est latine vnam essentiam tres subsistentias, & continuo *in cap 9* subiungit, sed quia nostra loquendi consuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur, cum dicimus essentiam quod intelligitur, cum dicimus substantiam, non audemus dicere vnam essentiam tres substantias, vnde *lib. 7. cap. 6. in principio*, idem confirmat. Paulinus Thessalonicen. semper vtebatur illis verbis tribus subsistentiis, & personis, & vnã essentia, clarissime autem Rusticus *in disp. contra Acephalos, inter principium, & medium*, ait subsistentia interdum personam significat, nonnunquam vero substantiam, in sancta enim Synodo Ephesin. vtrumque monstratur.

6 Vltimo propriissime sumitur subsistentia, vt *in vltima quæst.* constabit pro ratione formali existendi per se abstrahendo à personalitate, de quo agitur latissime loco citato.

7 Supposita litas autem idem est latine quod Græcè hypostasis, hypostasis autem variis modis sumitur, primo enim significat essentiam, vt apud Athanas. *oratione 5. contra Arrianos, paulo post principium*, quemadmodum, inquit, vnum principium, & pro eo principio vnus Deus, ita plane, ac reuera vna est essentia, & hypostasis, quæ dicit: ego sum, qui sum, & non duplex. Nec duo sint principia; iterum ipse Atha. *epist. ad Episcopos Africanos non procul a te medium*, scribit Nicen. PP. Scripturas spirare, ac redolere loquente ipso Deo, tum *in libris Exodi*: Ego sum, qui Sum: tum per Ierem. quis est in substantia eius, *& paulo post*, & si stetissent in hypostasi mea, & audissent verba mea; hypostasis autem essentia est, neque aliud significatum habet nisi hoc ipsum quod est, quod Ierem. Hyparxim nominauit, dicens, non audisti vocem Hyparxeos, nam & hypostasis & vsia, id ipsum est quod Hyparxis. Budæus autem, *in commentariis linguæ Græcæ* notat Hyparxim parum ab hypostasi distare, quod ad rem præsentem attinet in eisdem verbis Ierem. essentiam, & hypostasim idẽ esse supposuit Epiphanius *hæresi 69. fol. pen.* dicens, substantia & essentia idem est ratione hypostasisque, consistit enim Dominus in substantia sua, & hoc splendor gloriæ & caracter substantiæ ipsius, & Hieron. *Ierem. 23. vers. 18. & 22.* refert 70. & Theodosionem Interpretatos esse verbum Hæbraïcum substantiam, siue subsistentiam, August. *lib. 5. de Trinit. cap. 8. propè finem*, ait essentiam dico, quæ Græcè vsia dicitur, quam vsitatius substantiam vocamus, dicunt quidem, & illi hypostasim, sed nescio quid volunt, inter esse, inter vsiam, & hypostasim, *& lib. 7. cap. 4. initio* dictum est à nostris Græcis vna essentia tres substantiæ, a Latinis autem vna essentia, vel substantia tres personæ, quia non aliter in latino sermone essentia quam substantia solet intelligi, eodem modo vtitur vocabulo hypostasis Hieronymus *epist. 57. ad Damas. in medio*; tota, inquit sæcularium literatum schola nihil aliud hypostasim, nisi vsiam nouit, vnde post pauca infert quisquis tria esse, hoc est tres esse hypostases, id est vsias dicit, sub nomine pietatis tres naturas conatur asserere; *& paulo inferius* taceantur tres hypostases, si placet, & vna teneatur, atque iterum venenum sub melle latet, transfigurauit se Angelus Satanæ in Angelum lucis. Mag. *in 1. dist. 26. cap. 1.* conatur excusare Hieron. & rectè quidem quantum ad sententiam de re ipsa, & dogmate fidei, falso tamen ait Hieronymum minimè negasse dicendas esse tres hypostases, & hoc nomine vtendum esse *lib. Papa in fragmento epist. ad Athanas. quæ in recentioribus Conciliorum editionibus est epist. 10. & inter opera Athanas. ponitur post expositionem fidei*, Athanas. ait, Trinitatẽ esse sub vna hypostasi, non enim dispertitur Filius, aut Spiritus sanctus à patria hypostasi, quæ implet cœlum & terram; est igitur, vt dixi Trinitas in vna hypostasi non diuisa, sed per essentiam vna: sic ille, nam *in codice Græco Latino Athan.* legitur hypostasis; quoties interpres vertit substantia, quam ex contextu manifestum est accipi pro natura substantiali, & communi tribus personis Concilium Sardisense qua parte Catholicum & approbatum est *epist. Synodali 3. inter medium & finem*, vbi Latini codices legunt nos hanc habemus Catholicam, & Apostolicam traditionem, & fidem atque confessionem vnam esse subsistantiam Patris & Filij, & Spiritus sancti: in Græco, & apud Theodorerum, *lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ, cap 8. propius ad medium, quam ad finem*, ita legitur, quod vna sit hypostasis, sed idem Concil. *ibidem* exponit vnam esse hypostasim; si hypostasis accipiatur pro essentia, vt hæretici solebant accipere; secunda etiam acceptio hypostasis, seu suppositalitas sumitur apud aliquos, pro substantia, vt apud Boëtium *lib. de duabus naturis inter principium & medium*, ideo hypostases inquit Græci indiuiduas substantias vocauerunt, quoniam cæteris subsunt, & quibusdam, quasi accidentibus suppositæ subiectæque sunt, neque propterea nomen hypostasis per Metaphoram, vel attributionem aut analogiam dicitur de substantiis, inquit liberius, sed propriè, & immediate illis conuenit nomen propter impositionem, & communem consensum Philosophorum: tertio sumitur acceptio hypostasis, pro subsistentia, quomodocunque, & non quatenus suppositalitatem significat, vt probatur ex Athanas. *serm. in Euangel. de sanctissima Deipara*, vbi sic ait, hypostasis sua interpretatione designat id quod subsistit: Hieron. etiã supra vocitatus sic ait: hypostases significant subsistentias, Theodoret, *in breuiario liberati in cap. vlt. additionum, quod incipit; quid est natura*, ita exponit subsistentia, & hypostasis in nul-

lo

lo significatorum differunt, nisi nomine; subsistentia enim hypostasis est, sed natura quidem & substantia generale quoddam; subsistentia vero atque hypostatis quoddam proprium significant; Boëtius hoc etiam ipsum expressit, *lib. de duabus naturis, multo propius ad medium quam ad principium*, vbi de Deo sic loquitur, est hypostasis id est, subsistentia, subsistit enim nullo indigens: vnde dicimus vnam esse vsiam, vel vsiosim id est essentiam, vel subsistentiam Deitatis.

8 Quarto sumitur pro termino substantiali vltimo terminante, & complente naturam substantialem, de quo nobis agendum est *vltima quæst. latissimè*, & licet verum sit, quod vocabulum hypostasis ex prima nominis impositione, atque etymologia subsistendi fuisse latum, & indifferens, vt ex acceptionibus supra positis patet, & etiam quia vt in hac quarta dicimus, sumatur etiam pro quocunque supposito, & suppositalitate siue sit in natura intellectuali, vel in sensibili: verumtamen communis vsus, non modo latinorum, sed etiam græcorum PP. restringit vocabulum, vt solum modo suppositа substantiarum intelligentium appellentur hypostases, cuius rationem reddit Boëtius, *lib. de duabus naturis, propius ad medium, quam ad principium*, dicens, quare autem de irrationalibus animalibus, Græcus hypostasim non dicat, sicut nos de eisdem nomen substantiæ prædicamus: hæc est ratio, quoniam nomen ex hoc meliori applicatum est, quod ipsum S. Thomas *in præsenti q. 29. art. 2. ad 1.* ait ratione suæ excellentiæ, quod idem ab omnibus scholasticis recipitur, vnde propria significatio hypostasis est idem quod persona, seu personalitas vt ait D. Hieronymus *in expositione symboli ad Damasum, tom. 9. epist. 19.* his verbis, non enim nomina tantummodo, sed etiam nominū proprietates, id est personas, vel vt Græci exprimunt hypostases: Boëtius *lib. de duabus naturis*, cum dixisset persona est rationalis natura indiuidua substantia, continuo subiungit, nos hac definitione eam, quam Græci hypostasim dicunt terminauimus, hoc est definiuimus, itaque apud Boëtium eadem est definitio hypostasis, & personæ seu personalitatis, & *paulo inferius*, peritior (inquit) Græcia sermonum hypostasim vocat indiuiduam personam, *& post pauca*, substantias intelligentes particulariter subsistentes hypostases appellarunt in Concilio Florentino, *sessione 19.* Marco tacite approbante Concilium dicit tres sunt hypostases, & personæ reinuicem differentes. Chrysostomus *homil. 5. de incomprehensibili Dei natura colum. 2.* indifferenter vtitur his nominibus, dicens personam siue hypostasim, aliam esse Filij quam Patris, de quo post pauca subdit, prima illa, & ingenita hypostasi, siue persona, confirmat idem Cyrillus Alexandrinus, *libro secundo thesauri capite 3.* in qua acceptione ita omnes scholastici, & PP. Theologi vnanimiter persistunt, vt nullo modo possit hoc tempore de hac veritate dubitare.

9 Vltima tandem, & vt bene adnotat P. Didacus Ruiz peregrina, & apud cæteros omnes DD. nunquam audita est acceptio nominis hypostasis ita restricta vt eam tantum personam significet, qua subsistit posterius origine, quasi sub principio producente, iuxta quam acceptionem P. non est hypostasis, sed tantum Verbum, & Spiritus sanctus, ait enim Atha. *serm. in Euangelium, de Sanctissima Deipara*, postquam semel à Patre prodidit hypostatis est substantia est statum indissolubilem ex quo genitum est possidens; nam hypostasis sua interpretatione designat id quod subsistit, hoc est quasi secundo ordine consistit, siquidem Pater quatenus est author Geniti, Filium vt genitum sub se habet. Confirmat autem obseruans propositionem, *hypo*, valere idem quod præpositio apud *Ioan. 1.* cum dicitur. Verbum erat apud Deum, sed hæc acceptio aperte opponitur Cyrillo Alexandrino, *lib. 5. thesauri capite tertio.* vbi sic ait, vt hypostasim, quæ generat, & quæ generatur diuina Scriptura notionibus distingueret Patris, & Filij nominibus vsa est, *& lib. 12. thesauri, capite 15. sub initium* docet Filium esse alium hypostatice à Patre, vbi D. Cyrillus aperte asserit, non solum Filium, & Spiritum sanctum sed etiam Patrem esse vere hypostasim; cui consonat Chrysostomus *homil. 5. de incomprehensibili Dei natura, columna secunda*, vbi loquens de Patre sic ait, prima illa, & ingenita hypostasi siue persona, sed clarissime August. *lib. 7. de Trinitate cap. 6. in principio*, hanc veritatem confirmat his verbis: Quamquam, & illi videlicet Græci si vellent, sicut dicunt tres substantias, tres hypostases, possent dicere hoc est tres personas, tria prosopa, illud autem maluerunt.

Nomen persona, vt inquit Boëtius, *lib. de duabus* 10 *naturis*, dictum est à personando, circumflexa penultima, quod si acuatur antepenultima, aperrissime à sono dicta videbitur, idcirco autem à sono, quia concauitate ipsa maior necesse est volvatur sonus, inde etiam larua, & facies confícta persona dicitur, & Græcè prosopon, & in vtraque lingua nomen ducitur à verbo personare, quod est clarius, aut vehementius sonare, propterea quod os personæ cooperimento tectum vndique vnaque tantum vocis emittendæ via apertum magis canorum sonum emitteret, id adnotauit Boëtius nuper citatus, & clarius apud Gellium Bassus, ipse autem Boëtius plenum initium, & personæ etymologiam inquirens sic prosequitur; nomen personæ videri aliunde traductum, ex his scilicet personis, quæ in Comediis Tragædiisque, eos quorum interest homines repræsentabant, quod vero persona prius significauerit faciem, vt supra dixi supponunt sine dubio Patres Concilij Niceni, *lib. 2.* dicentes, cum personam audimus, ne suspicemur, quod est diuinum habere humanam effigiem, expers est enim compositionis atque figuræ, vt in principio disputationum, tu ipse sicut & nos, confessus est, nam & cœlum & terram personam habere testantur, quemadmodum, & ipse Dominus in Euangeliis ad Scribas, & Phariseos loquens aiebat hypocritæ faciem siue personam cæli, & terræ dijudicare nostis, & quæ sequuntur, quicquid enim per se subsistit, quatenus per se subsistit, proprie natura personam, siue faciem, siue figuram habere dicitur; quoniam autem Concilium Nicenum verbis relatis mentionem fecerit Euangelij eodem Euangelio, hanc acceptionem confirmare corroborandamque operæ pretium duxi, quia quod *Marci 12.* dicitur. Neque vides in faciem *Matth. 22.* dicitur non respicis personam, ac denique quod Græce prosopon significet, nunc faciem nunc vero personam dedit occasionem multis antiquioribus codicibus, vt *2. Corinth. 1. versu 11.* legerent: ex multarum personis facierum, cum vera lectio dicat, ex multorum personis inde etiam factum est, vt proprietates personales appellentur Caracteres, & personæ dicantur per illas figuras: hæc etiam loquutio ansam præbuit misertime erandi vallæ, qui his verbis, *lib. 7. Elegantiarum* impudens reprehendit Boëtium quod indiuiduum intellectuale personam nuncupauerit, persona non magis est in homine quam in bruto, quod si de Deo dicenda est, non magis significabit substantiam, quam qualitatem quia tam in Deo quam in homine nomen significat qualitatem alicuius substantiæ,

stantiæ, qua vna differt ab alia; vnde quas in Deo Theologi personas ponunt eas esse tres qualitates, verumtamen vt bene ait P. Ruiz periculosa fuit & errori proxima Vallæ temeritas; nam communis vsus Conciliorum, & PP. hæc nomina Prosopon & persona refert non ad solam qualitatem, sed ad substantiam, nec ampliat vt irrationalibus tribuatur; sed restringit ad solas substantias rationales, vt patet; deinde quia in Scripturis passim legimus non esse Deum acceptatorem personarum, vt *Actor* 10. *& ad Rom.* 2. *& ad Ephes.* 6. *& aliis in locis*, vbi persona significat ipsum humanum suppositum, sicut etiam quando prohibetur nobis acceptio personarum, vt *Iacob.* 2. *& Deut.* 1. clarius autem pro singulari homine ponitur persona *Iudicum* 11. quando Iephte misit nuntios, qui ex persona sua dicerent, &c. Deinde Cicero sæpissime vtitur nomine personæ ad significandum hominem particularem, vt patet ex infinitis locis, qui reperiuntur in thesauro Ciceronis & Nisolio, & in Iure ciuili eodem modo accipitur, vt constat *ex lege Imperator. Antoni. ff. de pactis*, quod etiam docet Bartol. *in lege, sed & hac in principio, ff. de procur. & in instit. de adoptionibus*, §. *cum autem impubes, & lege* 7. *codice de incest. & in & l. feriali codi. de impub. & aliis substit. & specialiter l. excepta, l. patri. ff. de minorib. & leg.* 1. *ff. de statu hominum, & titulo per quas personas, &c.* deinde falsissimum est quod ait Valla, dum ait personas quas Theologi ponunt in Deo esse tres qualitates, hæreticum enim est tribuere propriam qualitatem Deo, propria enim qualitas verum accidens reale est, accidens autem reale creatura, & non Deus est, sed in Deo quicquid est, Deus est, vt patet ex fide Catholica; ergo in Deo non est vera qualitas. Deinde quia tres personas vocant Theologi in Deo tria suppositа realiter inter se distincta, Patrem nimirum, Filium, & Spiritum Sanctum; atqui Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non sunt tres qualitates: ergo falso asseritur ab hoc grammatico tres personas à Theologis positas esse tres qualitates; sed quid mirum cum iste insanus è sutrina prosiliens, vt ait Hurt. vltra crepidas procacitatem, & ignorantiam patefecerit.

Vltimo sumitur persona propriissime pro supposito intellectuali, vt patet ex his quæ dicemus. 11
*In vltima quæst. huius disputationis*, quid autem significet essentia; quid natura, tum in disputationibus supra positis, tum in physicis latissime dictum manet.

## QVÆSTIO II.

*Quid addat suppositum supra naturam.*

### SECTIO I.

*Aduersaria sententia ponitur.*

PRIMA sententia est Scoti *dist.* 1. *art.* 6. *& dist.* 6. *q.* 1. suppositum supra naturam addere negationem duplicis dependentiæ, actualis scilicet, & aptitudinalis dependentiæ ad aliquod suppositum; Humanitas enim Christi, suppositum non est solum, quia substantialiter est vnita Verbo, & ab illo dependet: addit etiam necessariam esse negationem aptitudinalis dependentiæ propter animam rationalem, quæ non solum dum corpori vnita est non est suppositum, quia actu est in supposito; verũ etiam dum est separata suppositum nõ est quia apta est dependere à supposito, seu potiùs illud componere, probatur primò ex Aristotele 7. *met. tex.* 21. vbi ait, quidditatem esse idem cum re, cuius est quidditas, *& tex.* 19. quidditatem in his ossibus, & carnibus esse Socratem, & suppositum supra naturam non addit aliquid positiuum, cum ex Philosopho quidditas, & natura idem sint quod Socratis suppositum 1

Secundo suppositum debet intelligi constitutum, ante quemcumque modum, & passionem naturæ; omnis enim proprietas adueniens naturæ est propria suppositi: ergo ratio suppositi debet intelligi ante quemcumque modum & entitatem naturæ superadditam, sed non posset intelligi, si esset ratio positiua subsistentia, cum omnis ratio positiua adueniens naturæ supponat existentiam: ergo. 2

Tertio subsistentia humana non est conuersa in substantiam Verbi, sed si fuisset positiua, fuisset conuersa in subsistentiam Verbi; ergo non est positiua; maior est certa in fide: minor probatur, ideo substantia panis dicitur conuersa in corpus Christi, quia desinit esse ex vi præsentiæ corporis Christi, sed similiter ex vi præsentiæ hypostaticæ Verbi desineret esse subsistentia humana si esset positiua: ergo. 3

Vltimo non possunt recte intelligi incarnationis mysterium, & ea quæ de illo Patres docent, posito illo positiuo, inde enim fieret illud positiuum esse neque assumptum, neque assumptibile à Verbo, atque ita non assumpsisset Verbum, omnem rem, quam in natura humana plantauit, quod est expresse contra Damascenum *lib.* 3. *c.* 6. sequitur deinde humanitatem Christi carere aliqua perfectione maxime connaturali homini quod est inconueniens. 4

Secunda sententia, quæ parum verbis scilicet tantum videtur distare ab hac Scoti est Durandi, asserentis nihil addere realiter suppositum supra naturam, ac per consequens sola ratione distingui hominem, & humanitatem vt concretum, & abstractum, & probatur. 5

Homo idem est, quod suppositum humanum: sed homo non continet aliquid præter materiam, formam & vnionem: ergo suppositum humanum non continet amplius; vnde ille modus subsistentiæ fictitius est, quia in definitione hominis non includitur. 6

### SECTIO II.

*Nostra sententia probatur.*

PRima conclusio: subsistentia seu suppositalitas non est negatio sed positiuum additum supra naturam. Hæc sententia est communis inter Doctores Catholicos, & probatur sic primo authoritate, & decreto secundi Concilij Constantinopolitani, seu 5. *synod. generalis, can.* 4. *ibi.* Nestoriani Deum, Verbum, & Iesum Christum vocantes & hominem separatum Christum, & Filium nominantes, & duas personas manifeste dicentes, & Conc. Ephe. *can.* 3. *ibi*: si quis in Christo vno diuidit subsi-

stentias post vnitatem, sola societate conjungens eas quæ secundum dignitatem est, hominem, non humanitatem Verbum assumpsisse anathema sit: quibus decretis damnata est hæresis Nestorij & Anastasij, eius præsbyteri, & Theodori Nopsuetani asserentium in Christo duas esse personas Verbumque diuinum assumpsisse, non solum humanitatem, sed hominem etiam, hoc est personam creatam, & assumendo personam consumpsisse naturam, has enim omnium hæreses damnauerunt hæc celeberrima sub anathemate Concilia, sed hæc decreta Conciliorum non bene subsisterent, si persona vel suppositum supra naturam adderet solam negationem, & non positiuum, nec legitime possent exponi hæ locutiones, si in homine præter naturam humanam non est aliquid reale, quod compleat rationem personæ, quod impeditis in Christi humanitate per vnionem Verbi supplente Verbo in illa natura personalitatem humanam, vt communis Patrum, & Theologorum consensus persuadet: ergo falsum est assertum Scoti; minor patet, quia si verum esset, addi solum negationem vnionis supra naturam; solum dicerent Concilia vt Scotus Verbum assumendo humanitatem impediuisse, seu abstulisse negationem vnionis, vel cum dicunt non assumpsisse, solum dicerent, non assumpsisse naturam, quæ miserit sine vnione, & iuxta hanc sententiam Scoti, habent hunc sensum illa verba; Verbum sibi vniuit humanitatem, non relinquens eam sine vnione ad se, quod est summe ridiculum; quapropter: ô admirabilem definitionem, exclamat Pater Hurtado, & quidem valde indigebat Ecclesia Dei, vt 320. Patres in Concilium cogerentur vt definirent Verbum assumpsisse naturam humanam, illam sibi vniens non relinquens inuenitam! ac si in Hispania totius regni status cogerentur ad deliberandum de summa totius Regni, ac postea sancirent hominem sedentem, non stare, & quiescentem non currere: quæ sunt, vt dicitur hispane *Verdades de Pedro Grullo*, quis non arbitraretur eos homines esse nugaces, neque hic sensus quæstionis incidit in hæreticorum mentes, sed illi adstruebant Verbum diuinum facta vnione esse duas personas, non autem humanitatem asserebant; facta vnione esse vnitam, & non vnitam, neque Ecclesia eos damnat ob hanc secundam propositionem, sed quia admissa vnione, admittunt in Christo duas personas, assumpsisseque Verbum diuinum hominem, seu suppositum creatum. Sancti vero Patres aiunt eos miserrime errasse, quia non distinguunt naturam à supposito positiue, at illi recte distinguebant vnionem ab eius priuatione; aliud ergo hæretici volunt, quod Ecclesia damnat, ô quanto iure hæretici Concilia irriderent, si aduersus eorum insanias definiret humanitatem ita esse vnitam Verbo, vt manserit vnita, ideest, quod non manserit non vnita; neque opus est alio argumento, contra Durandum & Scotum, nisi ex eorum sententiis multas definitiones Ecclesiæ, quibus vniuersus nititur Christianissimus, reddi ineptas, ridiculas, atque nugaces, vt redduntur explicatione Scoti, vt asserunt Pater Suarez, *in metaph.* P. Valen. 4. *Tomo.*

7 Secundo probatur: sic omnis proprietas, & exercitium entitatis positiuæ, dicit perfectionem positiuam: sed subsistentia est proprietas, & exercitium substantiæ: ergo dicit perfectionem positiuam: vnde adæquate non est solum negatio, vnionis, & dependentiæ: maior est euidens discurrenti per omnia attributa & proprietates cuiuscumque gradus; nam incipiendo in ente, attributa entis in sententia Scoti, etiam vnitas adæquate dicunt positiuam rationem, vel rationem entis in nostra sententia dicunt inadæquate saltem perfectionem entis; sed demus, quod attributa entis adæquate sunt negationes, hoc est quia nullum positiuum potest dari æquale respectu entis, quod potest dari respectu substantiæ, cum substantia non sit positiuum vt sic, sed inferius respectu illius, & in inferiori, verbi gratia, in accidenti; datur proprietas positiua, verbi gratia, inhærentia; Deus dicit omnia attributa positiua in sententia Scoti, vel inadæquate in omnium sententia; Angeli habent proprietates positiuas, verbi gratia, summam agilitatem, intellectum non discursiuum quoad naturalia, de quibus postea tractabitur, si detur locus, corpus habet pro proprietate quantitatem, grauitatem, vel leuitatem, quæ in omnium sententia positiua entia sunt & realiter distincta, vt patet ex separatione à substantia panis; viuens autem habet potentiam motiuam, generatiuam & nutritiuam animal sensus externos, & internos; & appetitum, homo admirabilitatem, risibilitatem & equus hinnibilitatem.

Ex quibus omnibus colligo in omni gradu, & ordine entis dari attributa, quæ non sint absolute & adæquate negationes, & in sententia Scoti absolute, & adæquate positiua, loquendo autem de proprietatibus rigorosis, omnes sunt absolute entia positiua: ergo etiam in gradu entis per se, & substantiæ, vt sic, subsistentia, quæ non est attributum, sed proprietas eius debet esse positiua, & minime negatiua, & ratio à priori huius graduationis est, quia proprietas, & exercitium adæquatum alicuius naturale debet commensurari cum perfectione essentiæ, quia essentia est radix, & mensura proprietatum, vnde gradum perfectionis essentiæ sequuntur proprietates illius, & ideo intellectus Angeli, est perfectior intellectu hominis, & sic est sine discursu, & scientia Angeli est comprehensiua, & in hac perfectione excedit scientiam hominis, risibilitas & capacitas disciplinæ excedunt hinnibilitatem, & rugibilitatem, sed essentia substantiæ, & cuiuscumque gradus includit primario, & principalius perfectionem positiuam: ergo proprietas, & exercitium adæquatum substantiæ naturale, quæ naturaliter sequitur perfectionem illius, vti mensuræ propriæ, à qua accipit essentiam, & perfectionem totam, debet esse ratio positiua, & ad minus non adæquate negatiua, & si non assentiuntur huic discursui, reddant rationem Aduersarij, quare omnis proprietas, & passio dicant adæquatam rationem positiuam, & in sententia Scoti, omnia etiam attributa; nullam enim reddent certissime aliam, si attenta mente indagatione ponderauerint ordinem, & proportionem naturalem rerum inter mensuram, & mensurabile, inter essentiam, & proprietatem, inter actum primum quidditatum, & passionale: ergo si subsistentia est proprietas substantiæ cópletæ, debet esse positiua adæquate, & quod verius est, non debet esse adæquate negatiua; minor præcipua sic demonstratur, quia nihil aliud est proprium seu proprietas, nisi quod conuenit omni soli, & semper & conuersim prædicatur: sed suppositalitas conuenit sine dubio omni substantiæ completæ, soli substantiæ completæ, & semper,

semper, ita necessario; solum hæc lex per miraculum possit alterari, vt est in mysterio Incarnationis, vbi licet destructa fuerit suppositalitas creata ne hæc lex omnino, aut omnino in irritum caderet; ipsum Verbum diuinum suppleuit rationem suppositi, & personæ creatæ, & conuersim prædicatur, nam hoc est verum: est suppositum, ergo substantia omnino completa; & è conuerso: ergo conuenit ei omnis adæquata definitio proprietatis.

8 Dices non esse proprietatem quia est negatio. Mira solutio? Respondeo noscatur subiectum, seu responsio admirabilis petitio principij.

9 Contra, omnis gradus entis inferior entis, vt sic, siue sit accidens reale, siue Deus, siue Angelus, siue viuens corporaliter, siue non viuens habet non solum negationem propriam, quia illa sola non sufficit ad exercendam perfectionem essentiæ positiuæ, nec ad distinguendam, & constituendam à posteriori essentiam, cum proportione mẽsuræ, & mensurabilis naturalis, sed etiam positiuam proprietatem: ergo imperfectissimo gradu entis, & inferiori sub ente, vt sic non solum debet concedi negatio, seu aliqua proprietas positiua, vt tanquam per secundariam perfectionem primaria essentialis perfectio exerceatur, quia non est maior ratio, quare omnibus concedatur hoc, & non concedatur substantiæ perfectissimæ inter omnes gradus, vt sunt accidens, & modus: ergo est quid positiuum, & non negatiuum subsistentia, quæ proprietas substantiæ est, & vt talis concedi debet.

10 Confirmatur, id per quod constituitur substantia in ratione maximæ substantiæ, & vt melius loquar, per quod completur; est perfectio ipsius substantiæ positiua, alias per illud non compleretur in ratione maximæ substantiæ, sed per suppositalitatem completur substantia in esse maximæ substantiæ, & perfectissimæ substantiæ; cum per illam compleatur, & constituatur in ratione primæ substantiæ, quæ ab Aristotele, & communi Doctorum vocatur maxima, & perfectissima substantia, ergo subsistentia est perfectio positiua, quia nemo dat, quod non habet, nec potest reddere perfectum, quod non est perfectio, sicut album non albedo, ergo non est negatio adæquate quia illa vt sic, non est absolute perfectio, quæ habet suppositum in quantum suppositum præcipue, quia in quocumque genere complementum, vt in genere accidentis inhærentia in quantitate punctum, vel superficies, in qualitate indiuisibile intentionis sunt positiua entia intra latitudinem illius generis: ergo subsistentia, quæ est complementum substantiæ debet esse positiua entitas substantialis, & non adæquata negatio, quia hæc propria non est intra genus substantiæ.

11 Tertio, quia quod habeat negationem vnionis natura, vel communicationis, vt ipsi loquuntur, secundum aptitudinem ex modo positiuo oriri deber, quo ex se ita possit esse, vt repugnet alieno supposito communicari quatenus cum tali modo positiuo est, nam si negatio vnionis aptitudinalis non oriretur ex modo aliquo contrario, sequeretur naturam creatam numquam esse in proprio supposito, siquidem numquam haberet negationem vnionis secundum aptitudinem, nam quando natura est per se, licet actu non vniatur alieno supposito, potest tamen eadem numero natura; secluso modo peculiari vniri, ergo secundum se secluso alio modo positiuo, nunquam habet negationem vnionis secundum aptitudinem, ac proinde numquam est in proprio supposito, etiam quando est per se, quod est absurdum posse autem vniri seu communicari, patet, quia potest augeri vnitis aliis partibus, &c. vt igitur dicamus naturam illam, quando per se est; esse completam in ratione suppositi, & habere negationem communicationis, tam actualis, quam aptitudinalis, ita vt non possit alteri communicari, vt ita dicam; asserere debemus, tunc habere modum aliquem positiuum cum quo incommunicabilis sit, licet secundum se, sine illo modo communicari posset, & sit in proxima aptitudine, adhuc quando est cum negatione vnionis, quia negatio hoc non impedit, vt est in cæteris potentiis, & ita fatendum est, negationem vnionis, seu communicationis, non conuenire naturæ secundum se; nisi ratione alicuius modi, qui sit contrarius vnioni, seu vt ipsi dicunt communicationi actuali, & communicationi secundum aptitudinem.

Vltimo metaphysice, & denuo, sic probatur; 12
suppositalitas, seu subsistentia est ratio formalis existendi per se, & necessaria omnino, vt conseruetur, & duret in rerum natura substantia, quæ suppositum dicitur: ergo negatio vnionis, vel dependentiæ non potest esse suppositalitas: antecedens euidens est, quia in omnium sententia, illa est definitio suppositalitatis vel ad minus æquiualet illi, vel per illud indicatur finis illius. Consequentia sic probatur, primo ex prima parte, quia existere per se est conceptus positiuus, v.g. sicut posse existere per se in actu primo, est conceptus positiuus, quia est ipsa essentia substantiæ, sic similiter existere per se in actu secundo, cum sit primarium, & per se exercitium illius actus primi, debet esse entitas positiua & non negatio, vt videre est in omni primario exercitio actus primi positiui, v. g. in inhærentia respectu accidentis, actione respectu agentis, tam immanenter, quam transeunter, & tandem in omni genere causæ, vt videre est in receptione materiæ, & in formatione formæ, & hoc propter naturalem correspondentiam, & proportionem inter actum primum positiuum, & inter actum secundum primarium illius: ergo pura negatio dependentiæ seu vnionis, non potest esse ratio formalis existendi per se, vnde nec subsistentia, vel suppositalitas, quæ est exercitium primarium, & per se substantiæ, qui est actus primus positiuus.

Idem probatur secunda parte antecedentis, 13
quia impossibile est adhuc diuinitus, quod per vtrumque contradictorium formaliter, vel vt clarius loquar, ab vno contradictorio idem omnino effectus, vel quasi effectus sequatur, qui ab alio fit, ac fluit: sed per vnionem & dependentiam ad alienum suppositum, v.g. ad Verbum diuinum conseruatur in rerum natura humanitas, & persistit ac existit per se vere; ergo impossibile est quod negatione dependentiæ, vel vnionis adhuc diuinitus cõseruetur, & duret humanitas, v.g. quia ens per se est ratio constituendi substantiam in esse substantiæ, impossibile est adhuc diuinitus, vt contradictorium illius, nempe negatio entis per se constituat substantiam, siue in primario effectu, siue in secundario, distinguendo illam ab accidenti, & quia actio conseruatiua Dei, & actio productiua dat esse termino producto, & conseruato, impossibile est adhuc diuinitus, vt quod fiebat per illas actiones fiat præcisè per contradictoria illarum.

Clarius in Philosophia, quia apprehensio est 14
conditio necessaria, vel ratio formalis ad hoc

vt voluntas operetur circa finem, adhuc diuinitus non poterit voluntas operari per præcisum contradictorium apprehensionis, & ratio euidens à priori est, quia sicut contradictoria nullam dicunt conuenientiam, nec æquiualentiam in esse vnius respectu alterius, sed summam, maximam, & immediatam repugnantiam, ac oppositionem in essendo, ita etiam in operando, & in effectibus, vel quasi effectibus debet esse eadem oppositio, sine aliqua conuenientia, & æquiualentia; ita vt vnum contradictorium non possit supplere munus alterius: ergo si dependentia & vnio in genere terminatiuo à Deo, vt ab alieno supposito est ratio formalis conseruandi, & persistendi, cum de facto conseruetur, & persistat in rerum natura humanitas Christi, itavt in hoc suppleat, quod deberet facere suppositalitas creata: ergo illa suppositalitas cuius munus supplet, & cuius loco subrogatur vnio ad Verbum diuinum, non solum naturaliter, sed nec per potentiam Dei absolutam poterit esse negatio vnionis, & dependentiæ ab alieno supposito, quia per vnum, contradictorium non potest suppleri munus alterius contradictorij, quare si suppletur per vnionem, & dependentiam positiuam, quæ est modus positiuus substantialis munus suppositalitatis, talis suppositalitas creata non erit contradictorium illius vnionis seu dependẽtiæ, sed potius erit modus positiuus formaliter, v.g. materia prima persistit, & conseruatur in rerum natura, per vnionẽ ad formam substantialem & accidens per vnionem ad subiectum, quæ nec per potentiam Dei absolutam possunt conseruari ex vi præcisi, & solum contradictorij vnionis ad materiam primam, & ad subiectum, sed potius in omnium sententia sine aliqua tergiuersatione accidens conseruatur ex vi actionis positiuæ; vnde loco inhærentiæ subrogatur actio perfectior, quæ modus positiuus est, qui ex eo quod talis est, potest supplere inhærentiam accidentis ad subiectum; vnde si accidenti tollatur inhærentia, & ingrediatur loco illius precisa negatio inhærentiæ destruetur absque dubio accidens illud: ergo tantum abest quod per vnum contradictorium conseruetur id quod conseruatur per aliud, vt potius destruatur ex vi illius precisè: ergo si subsistentia est necessaria, vt res in suo esse conseruetur, & non destruatur, & hoc ipsum fit per vnionem, & dependentiam à suppositio alieno diuinitus, euidenter colligitur suppositalitatem non esse contradictorium vnionis, & dependentiæ, hoc est negationem illarum, quia nec per potentiam Dei absolutam vt dixi vnum contradictorium potest facere quod alterum faciebat: ergo sine dubio sicut vnio, & dependentia, à suppositio est entitas positiua modalis, etiam suppositalitas cuius loco subrogatur erit entitas positiua modalis.

15 Tandem sic argumentor metaphysice; quia negatio, quæ immediate fundatur in aliqua entitate, non potest tolli adhuc diuinitus, nisi destructa tali entitate positiua, in qua fundabatur: tum sic, per te suppositalitas nihil aliud est quam negatio immediate fundata in natura completa, v.g. hominis, vel Angeli: ergo nullo modo potest tolli talis negatio, nec per potentiam Dei absolutam, nisi destructa entitate, in qua immediate fundatur, sed Deus potest tollere suppositalitatem creatam non destruendo naturam completam creatam: ergo signum euidens est talem suppositalitatem non esse negationem immediate fundatam in natura completa: illa prima pars syllogismi sic probatur, quia negatio identitatis quæ est in entitate creata, immediate fundatur in ipsa entitate, non potest tolli ab ipsa, ac destrui, nisi destructa entitate, in qua immediate fundatur, & quia irrationalitas seu negatio rationalitatis fundatur immediate in entitate brutalitatis, non potest destrui talis negatio, quin destruatur ipsa brutalitas. Et quia negatio corporeitatis fundatur immediatè in spiritualitate animæ, & Angeli, non potest destrui vllo modo talis negatio corporeitatis, nisi destructis entitatibus Angeli, & animæ, in quibus immediate fundabatur talis negatio, & ratio à priori est, quia sicut talis negatio non conseruatur, nisi solum conseruata entitate, ita non potest destrui illa, nisi destructa solum entitate, in qua immediate fundatur, propter connectionem essentialem inter vtramque repertam: ergo negatio, quæ immediate fundatur in aliqua entitate, non potest destrui nisi destructa entitate in qua immediate fundatur. Illa secunda minor sic probatur, quia in sententia Scoti vna natura creata potest suppositari per aliam, in quo casu sine dubio concedit Scotus naturam suppositatam non habere propriam suppositalitatem, vt contingit in mysterio Incarnationis, & nihilominus in illo casu remanet integra, & completa natura suppositata, nec destruitur per suppositalitatem alterius suppositi, sed potius completur in esse suppositi per illam suppositalitatem: ergo euidenter sequitur suppositalitatem, quæ deficit in tali natura suppositata non esse negationem immediate fundatam in natura, sed potius positiuum modum, aut entitatem, quæ expellitur ab alia suppositalitate.

Dices naturam illam suppositatam impediri 16
à suppositio alieno ne illam consequatur negatio.

Sed contra, quia suppositum illud non potest 17
impedire talem negationem, quia negatio non resultat ab eo, quod imitatur influxum physicum, sed solum ea, quæ per influxum physicum resultant, potest Deus impedire ne resultent per substractionem sui concursus: ergo.

At hæc Deus non potest efficere, vt res quæ 18
est existens à parte rei, non sit vna, & distincta ab omni alia quæ non est idem cum ipsa: ergo nec poterit impedire negationem illam actualis dependentiæ, si ex se consequatur naturam, cum non sit hæc minus intrinseca negatio quam illa quam superaddit vnitas supra ens.

Dices dupliciter posse tolli negationem à subiecto 1. per destructionem ipsius, in quo immediate fundatur negatio, vt si destrueretur aër, sine dubio destruerentur tenebræ, & si destrueretur materia, sine dubio destrueretur negatio formæ, quod etiam contingeret in cæcitate si destrueretur entitas oculi. 2. modo potest destrui negatio per introductionem contradictorij in subiectum vbi fundabatur negatio, vt quando destruuntur tenebræ per introductionem luminis in aëre, & quando corrumpitur cæcitas per inductionem miraculosam visus in oculum, & hoc posteriori modo destruitur negatio dependentiæ in natura seu per introductionem vnionis ad suppositum alienum, quæ dependentia ad illud est, vti per contradictorium proprium.

Sed contra primo, quia negatio non potest 19
destrui per introductionem contradictorij in subiectum talis negationis, aliàs talis negatio non negatio, sed priuatio esset, negatio enim in suo esse essentiali constituitur distincto essentialiter

liter à privatione, per connotationem essentialem ad subiectum ineptum, & incapax formæ contradictoriæ talis negationis, & è contra priuatio talis est, quia est in subiecto apto nato recipiendi formam oppositam, vt ipsa luce clarius est: ergo vera negatio distincta à priuatione non potest destrui, aut expelli à proprio subiecto, per introductionem formæ positiuæ oppositæ, cum subiectum talis negationis, cum sit ineptum, & incapax formæ oppositæ non possit recipere talem formam, cum quando deficit potentia passiua ad talem formam, necessario etiam debeat deficere potentia actiua, quæ possit introducere illam in tali subiecto, & ideo absolute impossibile est, vt introducatur forma positiua opposita in subiectum negationis propriæ, v.g. quia Angelus dicit propriam negationem corporeitatis, nullo modo potest destrui talis negatio in Angelo per introductionem corporeitatis in ipsum, & quia creatura dicit negationem propriam diuinitatis, haud quaquam potest destrui talis negatio per introductionem diuinitatis in esse creatum, sed suppositalitas in sententia Scoti est propriissima negatio naturalis vnionis ad suppositum alienum, cum naturaliter non possit vniri ad illud; sed solum per potentiam Dei absolutam: ergo non potest vllo modo destrui talis negatio vnionis per formam oppositam introductam in subiectum illius negationis.

20 Secundo contra, & supponamus talem negationem vnionis non propriam negationem esse, sed potius priuationem, in eo enim casu certissimum esset nullo modo posse naturam humanam Petri vniri vnione hypostatica ad suppositum Ioannis, ita vt terminus formalis talis vnionis futurus esset suppositalitas Ioannis, quia nullo modo potest assumi natura ad negationem aliquam, vti esset suppositalitas illa Ioannis; negatio enim vt sic non potest esse formalis terminus vnionis realis, vt per se notum est, quia assumptio naturæ extrinsecæ ad propriam personalitatem non est sine reali, & positiua vnione naturæ assumptæ ad personalitatem, sed intelligi non potest vnionem positiuam, & realem terminari ad negationem, quia vnio realis positiua extremorum positiuorum realium vinculum esse debet, & ratio euidens à priori est quia positiuum comparatum cum negatione est perfectum, seu bonum, sicut ens reale comparatum cum ente rationis est bonum, & perfectum; sed bonum ex D. Dionys. est ex integra causa; malum autem ex quocunque defectu, ideo enim homo non est, nec vocatur spiritualis, quia non est talis ex integra causa, licet aliqua illius causa sit spiritualis, scilicet anima; sed vtrumque extremum, seu terminus est causa integra vnionis: ergo vt talis vnio sit bona hoc est positiua, vtrumque extremum debet esse positiuum; ita vt si aliquod extremum sit negatiuum, non possit esse vnio positiua, sicut, v.g. vnio inter ens reale & ens rationis non potest esse realis, hoc est bona in illo genere, quia solum vnum extremum non est reale, sed rationis, & ideo in omnium sententia ratum, ac firmum est entis realis ad ens rationis non posse dari vnionem realem: efficacius hoc vrgetur, vnio cæcitatis ad oculum, tenebrarum ad aërem privationis formæ substantialis ad materiam primam, non est positiua, sed negatiua, quia solum vnum extremum est negatiuum, ex quo euidenter sequitur quod vnio positiua necessario, & essentialiter petat omnes terminos positiuos, sed vnio hypostatica naturæ Petri ad suppositum Ioannis est vnio positiua, vt est vnio hypostatica naturæ humanæ ad suppositum diuinum, quod nullus vnquam catholicorum potest negare: ergo suppositum Ioannis, vel suppositas illius est terminus positiuus & non negatio.

Dices talem vnionem non esse positiuam, sed 21
negatiuam inter naturam Petri, & suppositum Ioannis.

Sed contra euidenter: ergo suppositalitas Pe- 22
tri est entitas positiua, patet hæc consequentia, quia quando vnum contradictorium est negatio, alterum contradictorium debet esse positiuum seu affirmatiuum, quia contradictoria oppositio, quia est immediata, & maxima debet esse sine aliqua conuenientia inter opposita, & sic nec potest esse inter secundam negationem, quæ conueniunt in ratione negationis vt sic, nec inter duo entia positiua, quæ conueniunt etiam maxime in ratione entitatis positiuæ vt sic, sed necessario debet intercedere inter duo extrema, quorum vnum sit positiuum, & alterum negatiuum quod expresse asseruit Aristoteles (recipiturque ab omni schola tam Theologorum, quam Philosophorum) definiens contradictoriam oppositionem sic est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem: vbi extrema oppositionis contradictoriæ sunt affirmatio, & negatio, vt euidenter manifestetur, opposita contradictoriè ita debere esse, vt vnum necessario sit positiuum, & alterum negatio ipsius, sed suppositalitas est contradictorium vnionis, seu dependentiæ ad alterum suppositum, & per te vnio hypostatica quæ est contradictorium suppositalitatis, est negatio seu vnio negatiuæ: ergo suppositalitas, quæ contradictorium illius est, erit sine dubio entitas positiua, quod sic vrgetur, quia per te suppositalitas est negatio vnionis seu dependentiæ naturæ Petri ad suppositum Ioannis, v. g. & per te etiam talis vnio, seu dependentia est etiam vnio negatiua, seu negatio: ergo de primo ad vltimum suppositalitas est negatio negationis: ergo est affirmatio seu positiua entitas, quia duæ negationes affirmant, & ideo communiter dicitur, negationem negationis esse affirmationem, quapropter inter Dialecticos idem est terminum affectum duplici negatione, ac terminum affirmatiuum. Et ideo hi termini æquiualent, vt patet ex terminis æquipollentibus, nonnullus, aliquis.

Tertio contra, quia illa vnio ad suppositum, 23
quæ hypostatica dicitur in casu in quo suppositum Petri terminaret naturam Ioannis esset vnio ad suppositum, & non ad suppositum, videlicet naturæ Petri ad suppositum Ioannis esset ad suppositum vt supponimus, cum concedat Scotus posse naturam Petri suppositari per suppositum Ioannis, non esset ad suppositum, quia per illam vnionem per quam destruitur suppositalitas Petri, etiam necessario destrueretur suppositum, & suppositalitas Ioannis, quia non est maior ratio, quare per talem vnionem destruatur suppositalitas naturæ Petri quam suppositalitas naturæ Ioannis; natura enim Petri ante vnionem erat suppositum, similiter erat suppositum natura Ioannis, & per vnionem vtrumque vnitur; cur igitur illa vnio abstulit à natura Petri rationem suppositi, & non à natura Ioannis, quia per te de essentia suppositi est negatio vnionis ad aliud suppositum: sed per illam vnionem suppositum Petri alij supposito Ioannis vnitur: ergo per illam

vnionem, sicut tanquam per contradictorium destruitur suppositum Petri, & non est iam suppositum, sic similiter suppositum Petri dic Ioannis destruetur per eãdem vnionem similiter, tanquam per contradictorium proprium, & non erit iam amplius suppositum, vnde illa vnio erit ad non suppositum, vnde si ex alio capite est ad suppositum, vt concedunt Aduersarij, eadem vnio erit ad suppositum & non ad suppositum simul: sed impossibile est quod idem sit, & non sit simul: ergo impossibile est quod talis vnio sit ad suppositum, & non ad suppositum, sed hoc impossibile sequitur ex eo quod Scotus affirmet suppositalitatem esse negationem: ergo ne hæc inconuenientia impossibilia, & absurda contradicentia ipsi Scoto sequantur, dicendum est suppositalitatem esse entitatem positiuam.

24 Primo Theologice sic argumentor, quia si negatio dependentiæ constitueret suppositum entitatem illam in qua datur talis negatio dependentiæ sequeretur dari in diuinis non solum tres personæ, sed etiam infinitæ personæ: sed hoc est hæreticum, & contra fidem: ergo suppositalitas non est negatio dependentiæ. Maior illa sic probatur, quia infinitæ perfectiones, vt v.g. omnipotentia, sapientia, iustitia, &c. quatenus existunt realiter in Deo, & sunt realiter Deus, sunt realiter, & à parte rei substantia, quia in Deo nullum verum reale accidens potest dari: sed istæ infinitæ perfectiones, & vnaquæque illarum, quatenus in sententia Scoti ex natura rei distinguntur tam inter se, quam ab essentia diuina, & tam ab hac quam à relationibus non sunt substantia creata: ergo non sunt substantia dependens, sed potius substantia omnino independens: quia vnaquæque ex his perfectionibus, vt omnipotentia, verbi gratia, distinguuntur ab omni creatura, & ab omni ente participato, & secundo, quatenus creatura est & secundum rationem proprijssimam creaturæ, & entis participati: atqui ens participatum, & creatura, quatenus ens participatum est, & secundum proprijssimam rationem creaturæ dicit dependentiam ab alio: ergo omnipotentia diuina, quæ dicit negationem constitutiui proprij, creaturæ, & proprijssime rationis entis participati, siquidem vere, & realiter non est creatura, nec habet rationem entis participati habebit negationem dependentiæ, quæ proprijssima ratio constitutiua creaturæ est: ergo omnipotentia quatenus distinguitur ex natura rei ab ipsa diuinitate, relationibus & perfectionibus est suppositum diuinum, quia suppositum nihil aliud est quam substantia cum suppositalitate: atqui omnipotentia diuina quatenus distinguitur ab illis perfectionibus est substantia cum suppositalitate, quia est substantia cum negatione dependentiæ: ergo est suppositũ, & cum eadẽ ratio sit de cæteris perfectionibus infinitis diuinis, cum vnaquæque provt distinguitur ab alia & ab ipsa diuinitate sit substantia habens suppositalitatem, quæ est negatio dependentiæ, vnaquæque ex illis, & omnes infinitæ perfectiones erunt infinita suppositа distincta inter se ex natura rei: sed in Deo quicquid est suppositum, est persona: ergo in Deo dantur infinitæ personæ distinctæ inter se ex natura rei.

25 Dices omnipotentiam quatenus attributum ex natura rei distinctum non esse formaliter substantiam, ac proinde non esse suppositum, licet habeat negationem dependentiæ.

Sed contra primo, quia ex hoc sequitur negationem dependentiæ non esse suppositalitatem, quia suppositalitas solum conuenit substantiæ, vt constituat illam in esse suppositi: sed per te negatio dependentiæ conuenit non substantiæ formaliter, & existendo in aliquo, tanquam in connaturali subiecto non constituit illud suppositum: ergo negatio dependentiæ non est suppositalitas, quia si esset suppositalitas, necessario constitueret subiectum in quo est suppositum, quia est ratio formalis constituendi illud in esse talis, sicut impossibile est vt intellectio existat in homine, & non cõstituat illud in esse intelligentis, & lux existens in Sole non potest non constituere illum luminosum, cum luminosum nihil aliud sit, quam subiectum recipiens lucem & lux receptа in illo. 26

Secundo contra, quia nullo modo potest negari, quin natura diuina quatenus ex natura rei distinguitur à relationibus sit substantia, sicut quæcunque natura creata substantia est: atqui natura diuina provt sic distincta nullam habet dependentiam ab alio, sed potius illius negationem tam aptitudinalem, quam actualem, quia non magis dependet natura à relatione, quam hæc ab illa: ergo si est substantia, & habet talem negationem provt distincta à relationibus provt sic distincta, erit suppositum, & persona; vnde vna persona diuina erit communis tribus diuinis personis, quod est hæreticum. Item dabuntur quatuor personæ, quod etiam aperte contra fidem est: ergo ne hæc tam monstruosa absurda sequantur, dicendum est negationem dependentiæ non esse suppositalitatem. 27

Secundo Theologice sic argumentor: Suppositum, seu persona provt distinguitur ratione à natura diuina, & à parte rei virtualiter non constituitur negatione: sed positiuo conceptu ratione nostra naturæ superaddito, qui in Patre realiter distinguetur à Filio, & est ratio cõstituendi Patrem in esse Patris, & in esse principij productiui filij, quod negationi nullo modo potest conuenire: ergo ratio suppositi vt sic non consistit in negatione: vnde ergo colligit Scotus suppositum creatum negatione constitui cum includat conceptum suppositi vt sic, qui conceptus non consistit in negatione: cedo ergo mihi rationem suppositi communem Deo, & creaturis repertam in creaturis, sicut reperitur ratio substantiæ. 28

Dices suppositum vt sic non esse commune Deo & creaturis. 29

Sed mirum est hoc in Scotica schola admittentes conceptus vniuoce communes Deo, & creaturis, sicut ergo esse ens substantiam, iustitiam, sapientiam, &c. conueniunt vniuoce Deo, & creaturis, quia conueniunt eis, & intram rationem, cur non conuenit esse suppositum intrinsece vniuoce Deo, & creaturis, siquidẽ prædicatur intrinsece suppositum de Deo, & creaturis, præcipue cum vtrique attribuantur actiones, & denominationes ratione suppositorum, cur etiam non habebunt rationem communem suppositi, cui similes attribuuntur effectus, qui non ratione naturæ, sed suppositi solent tribui, præcipue quia definitio Boëtij de supposito communis est Deo, & creaturis; Angelus enim & Deus sunt substantiæ completæ individuæ intellectualis naturæ; sed minime rebus conuenientibus in esse, & in definito vlla datur definitio communis, vt videre est in æquiuocis: ergo persona 30

sona creata & increata conueniunt in ratione suppositi vt sic vniuoce : ergo persona creata non est negatio, alias nulla daretur conuenientia vniuoca inter personam creatam, & increatam, quia conceptui positiuo, & negationi, sicut nullus conuenit conceptus communis, ita inter illos nulla intercedit conuenientia vniuoca, quia ens & non ens in nullo conueniunt physice.

31 Vrgetur, quia persona creata est participatio increatæ personæ : sed illa est positiua, & conceptus positiuus, cum ex se non includat infinitatem de se est participabilis in Deo, vt viuens intellectuale substantia vt sic : ergo creata persona participat rationem positiuæ personæ à Deo, atq; adeo positiua persona erit, cũ neq; in ratione personæ, neq; in ratione positiuæ personæ infinitudo, aut aliquod prædicatum incompatibile cum creatura includatur, non in ratione personæ, cum creatura participet verã rationem personæ, nec in ratione positiuæ, quia perfectior ratio positiua est prædicatorum essentialium, vt substantiæ intellectuales liberæ, quam positiua ratio personæ, cum in Deo sit illa ratio positiua essentialis perfectio simpliciter simplex, & in omni genere, & ratio positiua personæ, verbi gratia, paternitatis, quia oppositionem cum alia habet, non sit perfectio simpliciter simplex, sed perfectio secundum quid, & nihilominus illa maior perfectio positiua essentialis participatur à creatura, verbi gratia, ab Angelo, qui est positiua entitas substantialis essentialiter intellectiua, & libera : ergo à fortiori poterit participare, & de facto participabit rationem positiuæ personæ à Deo, (& sic nihil infinitatis includet ratio positiuæ personæ) quia ipsa persona increata participabilis positiua est, sicut quia vnitas creata est participatio vnitatis increatæ, & illa dicit conceptum negatiuum, hæc etiam, quod adeo verum est, vt nullus sit conceptus participabilis à Deo positiuus, qui participetur à creatura negatiue, tum etiam à fortiori, quia diuina est per se subsistens essentialiter absolute, vel cui essentialiter debetur subsistentia non distincta à parte rei ab ipsa natura, & nihilominus secundum rationem ei addi potest aliquid positiuum, quod sit suppositalitas, vel personalitas, quodque relatiuum esse oportet propter perfectionem Dei, in quo nihil absolutum potest esse omnino incõmunicabile, in creatura vero natura non est per se essentialiterq; subsistens actualiter cum in Christo assumi potuerit sine propria subsistentia : ergo multo magis poterit ei addi aliquid positiuum, quod realiter subsistat, quod licet absolutum sit, tamen realiter incommunicabile propter suam imperfectionem, & ita constituat suppositum terminando vltimo naturam & vt ipsi asserunt constituendo rem vltimo incommunicabiliter subsistentem; nam si natura diuina cum sit maxime independens, & actus purissimus habet positiuam personalitatem virtualiter, & ratione à se distinctam, & in sententia Scoti ex natura rei, cum qua personam constituit, & complere intelligitur ad productiones in Trinitate immanentes, & ad transeuntes, cur vt bene interrogat Hurtado eodem modo non ratiocinantur Duran. & Scotus in naturis creatis potentialitatem habentibus, aut cur volunt naturã creatam paucioribus egere quam diuinam, cum potius hæc propter summam actualitatem pancioribus egeat, quia dum creatura, indiget pluribus constitutiuis realiter distinctis, Deus sua vnica simplicissima, ac indiuidua entitate perfectissime, ac infinite constituitur, & quod creaturæ mille præstant instrumentis, Deus conficit sine vllo.

Secundo Theologice sic argumentor ex mysterio Incarnationis, quia si suppositum supra naturam addit solum negationem, sequuntur duo absurda in fide, primum quod Verbum diuinum ipsum vt sic non sit persona, & quod nec creatura sit persona, & sic Christus solum erit compositum ex natura humana, & diuina sine aliqua personalitate, quod est aperte hæreticum, secundum quod in Christo sunt duæ personæ & quod Verbum assumpsit personam creatam, quod etiam est manifesta hæresis. 32

Primum inconueniens sic probatur, quia in humana natura manet omnis res, & omnis modus realis, qui est increata persona, & tamen desinit esse persona solum, quia vnitur, aduenient enim vno contradictorio destruitur altetum; cum autem vnio sit contradictorium negationis vnionis, quæ personalitas est necessario adueniente tali vnione tanquam contradictorio personalitatis ex templo sine dubio debet destrui personalitas, quæ est alterum contradictorium vnionis, sed Verbum diuinum etiam vnitur humanitati vere, & realiter : ergo Verbum etiam non erit persona, etiam si nulla re; vel modo priuetur : hæc consequentia sic patet, quia vbi est eadem ratio formalis est idem effectus, &c. Sed ratio vnionis præcisa tollit in creatis rationem personæ, & hæc eadem numero vnio datur respectu Verbi, quæ est ratio formalis tollendi personam : ergo datur in Verbo idem effectus, vel quasi effectus scilicet ablatio personæ, verbi gratia, quia ex eo quod creatura habet perseitatem non est accidens, loquor de perseitate essentiali, vel quia creaturæ debetur subsistentia, non est accidens, similiter quia natura diuina habet subsistentiam, non est accidens, sed substantia, & sicut sapientia impedit ne in homine detur ignorantia illius, cuius sapientia est; sic in Deo ex vi sapientiæ infinitæ datur incapacitas ignorantiæ; clarius & manifestius exemplum, quia distinctio realis personæ creatæ ab alia facit talem personam incapacem identitatis realis cum illa persona à qua distinguitur realiter, sic distinctio personalis realis in Patre, verbi gratia, facit illum, in quantum talis persona est, incapacem identitatis realis, cum Filio à quo realiter distinguitur, secundum personalitatem, licet in essentia sint idem & vnus Deus : ergo si vnio præcisè & adæquate, in mysterio incarnationis impedit personalitatem creatam in natura humana, eadem numero vnio Incarnationis, quæ datur respectu Verbi diuini impedit personalitatem diuinam. 33

Dicunt humanitatem definere esse personam, non quia vnitur præcisè, sed quia vnitur dependendo à Verbo, cum tamen Verbum non dependeat ab humanitate. 34

Contra, quia in sententia Scoti humanitas non dependet à Verbo vllo modo in suo esse : ergo falsum dicitur : antecedens patet, quia illa humanitas ad existendum nihil vltra requirebat præter entitatem suam, vnde si vnione careret, nulla addita causalitate, aut realiter conseruaret suum esse, quia per solam negationem vnionis habet quicquid necessarium est ad subsistendum in suo esse, vt ipsi etiam fatentur : ergo non humanitas, sed compositum ex humanitate, & Verbo pendet à Verbo, & ad summum humanitas 35

nitas vt vnita, vt solet de anima rationali dici, vel potius vnio eius pendebit à Verbo ; sed hoc etiam suo modo potest dici de Verbo , vt vnito scilicet,hoc est de vnione Verbi, quod quantum ad illam formalem denominationem pendeat ab humanitate,fateor quidem hanc intercedere differentiam , quod vnio est aliquid in humanitate, non autem in Verbo : sed hoc quid refert, vt auferat denominationem personæ cum maxime illa vnio secundum Scotum solum sit,quædam relatio realis ; vt autem illa euasio tollatur, fingamus huiusmodi vnionem inter res creatas vt supra diximus , siue illa sit impossibilis siue possibilis, vt ipse Scotus credit, & affirmat, ponamus ergo Patrem terminare naturam Pauli : tunc,ergo cum vtrumque extremum sit creatum ex hac parte, nulla est ratio ob quam vnio potius sit aliquid positiuum. hoc est relatio realis in vno extremo, quam in alio , rursus tota entitas positiua , quæ antea erat in extremis, postea manet post vnionem ita in vno sicut in alio.

Deinde ex vi vnionis neutrum pendet ab alio in esse suo , & vtrumque ad inuicem pendet ab vnione,quæ ergo ratio afferri potest ob quam post talem vnionem potius censeatur manere persona Petri quam Pauli , aut cur non mutuo persona consumet personam,cum ab vtraque tollatur dependentia quoad vnionem, vnde non magis potest dici Petrus assumere naturam Pauli , quam è conuerso ; nec denique explicabile est qualis esset illa substantialis vnio, huc enim tendit tota vis huius rationis.

36 Secundum inconueniens sic probatur,quia natura assumpta à Deo retinet in Deo vtramque negationem dependentiæ , tam aptitudinalis quam actualis : ergo in Christo sunt duæ personæ si negationes sunt personalitates , quia ibi sunt duo conceptus personarum integri , atque distincti,scilicet entitas creata humanitatis,cum negatione dependentiæ,& entitas increata Verbi similiter independens. Secunda pars antecedentis sic patet, natura humana vnita Verbo actu,est actu independens à Verbo , quia natura humana habet omnes reales conceptus per quos si dimittatur , à Verbo subsisteret sine dependentia ab illo in ratione suppositi : ergo per eosdem est modo ab illo independens in ratione suppositi : antecedens datur ab aduersariis concedentibus humanitatem ex vi negationis vnionis præcise conseruari, & patet quia humanitas non pendet à negatione vnionis,quam habet à Verbo dimissa: consequentia probatur , quia illi conceptus reales quos humanitas haberet à Verbo dimissa tam efficaces essent ad illius conseruationem in Verbo quam extra illud.

37 Præterea , & supponamus humanitatem Petri iam existentis vniri Verbo : illa humanitas ante eam vnionem non dependebat à supposito humano , quia hoc addit per te negationem à qua nihil positiuum physicum potest dependere , sed anima, materia & vnio primo dependebant solo à Deo efficienter vnio illarum ab extremis vnitis tanquam à subiectis , tum adhæsionis tum inhæsionis , facta vero vnione ad Verbum conseruantur eædem causalitates, & non amittitur nisi negatio vnionis , à qua non pendet humanitas : ergo humanitas vnita Verbo est ab illo actu independens. Adde humanitatem non posse pendere à Verbo in ratione suppositi : ergo Verbum debet efficere in humanitate quod connaturale suppositum, sed à connaturali supposito non dependet humanitas,quia non dependet à negatione : ergo neque à Verbo , quod si connaturale suppositum esset principium à quo penderet humanitas, penderet quidem à Verbo supplente vices illius rei à qua pendet humanitas : ergo neque pendet à Verbo per vnionem ; vnde humanitas in Verbo seu in Deo , & vt clarius loquar in Christo assumpta per Verbum habet negationem actualis dependentiæ , quoad autem negationem aptitudinalis dependentiæ sic patet, quia si posset dependere, talis humanitas vel esset, propria subsistentia, vel ab aliena , sed non à propria , quia negatio est in vestra sententia non ab aliena , si negatio est propter eandem rationem , si positiua est , vt est personalitas diuina , similiter non potest ab illa dependere, quia suppositalitas diuina id munus exercet respectu humanitatis , quod exerceret propria suppositalitas , sed à propria non potest dependere : ergo nec à diuina.

Confirmatur tota hæc ratio,humanitas Christi 38
non est tam completa substantia sicut est persona Pauli,aut Ioannis; sed esset si suppositum creatum non adderet supra naturam positiuum : ergo addit illud ; maior est certissima , alias sicut ex Paulo & ex alia substantia completa non potest coalescere vnum ens per se , ex communi illo principio : ex duobus entibus in actu completis non fit vnum ens per se , ita similiter , neque ex humanitate , & persona Verbi posset coalescere vnum ens per se , quod est hæreticum & contra fidem; Christus enim qui resultat ex humanitate & Verbo secundum fidem catholicam, est vnum ens per se substantiale;minor vero probatur,quia substantia in genere substantiæ non completur per negationem, quia negatio vt negatio sicut nullam dicit perfectionem, nec importare potest complementum aliquid : atqui humanitas Christi nihil minus habet , quam persona Pauli ex sententia Scoti, nisi negationem: ergo si suppositum creatum non addit supra naturam positiuum non est minus substantia completa humanitas Christi quam persona Pauli.

## SECTIO VLTIMA.

*Argumenta aduersaria soluuntur.*

AD locum Arist. 1. Respondeo cum P. Hurt 39
Philosophum non cognouisse distinctionem suppositi à natura à parte rei,quæ neque nobis clare, & certe innotuisset, nisi mysterium Incarnationis intercessisset , vnde flocci pendenda est Arist. sententia in hoc casu. 2. dico Arist. loquutum fluisse de materia & forma cum propriis subsistentiis , ex quibus coalescit compositum suppositum , v. g. materia & anima Socratis cum suis subsistentiis constituunt hoc supplemétum Socratis,& hoc modo loquitur Philosophus, & sic verum erit quidditatem in his ossibus , & carnibus , & anima simul cum suis subsistentiis esse Socratem, nisi malis loquutum fuisse Aristotelem de quidditate ipsius Socratis tantum , vt constat ex ipsius verbis.

Ad secundum concedo antecedens pro propria- 40
tate reali,& modo in re distincto à natura excludendo relationem fundatam in substantia, & nego consequentiam , & probationem illius,vt patet ex supradictis, sed nota, quod duplex modus potest considerari, alius substantialis,alius accidentalis,

dentalis, si antecedens enim illius argumenti loquatur de modo positiuo substantiali falso asserit, & sic vt falsum illud antecedens negamus, quia non est verum dicere suppositum constitui ante omnem modum substantialem, imo subsequitur ad omnem modum substantialem; nam subsequitur ad actionem substantialem productiuam illius. Deinde subsequitur ad vnionem constitutiuam naturam suppositi, ac tandem sequitur ad terminum substantialem constituentem ipsum suppositum, tanquam constitutum ad constitutiuum, si autem loquatur antecedens illud de modo accidentali, verum est, vt iam explicuimus, & patet ex dictis.

41 Ad tertium concedo maiorem, & nego minorem: ad huius probationem nego maiorem, non enim ideo præcise substantia panis dicitur conuersa in Corpus Christi, quia ex vi præsentiæ Corporis Christi desinat, sed potius quia Corpus Christi in quod convertitur, terminat aliquam physicam mutationem seu actionem in se, ratione cuius existimatur terminus ad quem conuersionis, quia ex vi consecrationis reproducitur ibi ipsum Corpus Christi, vt asserit P. Suar. 3. *tom. 3. partis.* Deinde subsistentia creata non desiuit, vt desiuit substantia panis, cum ante naturæ assumptionem illa non extitisset, ac per consequens non fuit conuersa.

42 Ad vltimum respondeo cum P. Suar. non solum non esse inconueniens id quod intelligit Scotus esse tale verum potius esse necessarium ad explicandam veritatem mysterij Incarnationis, videlicet quod Verbum non assumpserit in humana natura aliquam positiuam rationem personæ, quæ modo sit, quia hoc necessario petitur à Conciliis, ex quo non sequitur illam naturam non esse perfectam in esse naturæ, sed quod sequitur est non esse personam, & ita intelligendus est Damascenus, dum ait Verbum assumpsisse quicquid ad veritatem humanæ naturæ pertinet, & ad formalem humanitatis constitutionem.

43 Ad futile argumentum Durandi respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, quia si illa natura non esset cum suppositalitate distincta ex natura rei ab ipsa, non esset homo; sed solum humanitas; vnde materia, forma & vnio sine modo positiuo ex natura rei distincto ab illis non potest cum veritate dici homo, sed humanitas; præterea sequeretur quod in Christo essent duæ personæ, quia si personalitas non distinguitur à natura non destructa natura non potest destrui personalitas, quia impossibile est idem esse simul, & non esse; vnde si in Christo datur personalitas diuina, & datur simul natura humana, & natura humana est idem quod personalitas humana: ergo datur etiam personalitas humana; sed personalitas humana, & diuina sunt duæ personalitates.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum positiuum quod addit suppositum supra naturam sit modus vel res.*

1 PRIMA sententia est Caiet. 3. *part. q. 4. art. 2.* & Ferrari. *cap. 4. contra Gent. cap. 43.* (eam sequitur P. Valentia *tom. 4. disp. 1. q. 4. pag. 2.*) asserens suppositalitatem non esse modum, sed rem hanc etiam sententiam tuetur P. Albert. *2. tom. Colo. disp. 3. q. 7. num. 13* eandem sequitur P. Hurt. *disp. 11. Mer. sect. 5.* Et probatur sic 1. ab hoc Authore, quia omnis modus naturæ est essentialis determinatio illius ad aliud, sed nullum suppositum creatum est essentialis determinatio naturæ ad aliud: ergo nullum suppositum creatum est modus naturæ: maior probatur tum inductione in omni modo præter subsistentiam, vnio enim determinat inuicem extrema, quorum est vnio ad compositum, & ad se ipsa, actio agens ad effectum, vel terminum, vbi corpus ad locum; tum etiam quia modus est ad tollendam indifferentiam vnius rei ad aliam, res enim determinata ex suo conceptu ad aliquid non indiget aliquo conceptu à se distincto, vt ad illud determinetur, vt albedo determinata ex se, vt possit dealbare in genere causæ formalis, non indiget aliquo superaddito ad hanc virtutem, esto indigeat vnione, vt actu dealbet, quia ex se non est determinata ad actum secundum dealbationis; minor vero ita probatur, quia vel suppositum determinat naturam, vt sit independens ab alio vel vt existat per se, & non in alio supposito, sed ad neutrum determinat, nec determinare potest: ergo non vt sit independens ab alio, tum quia independentia ab alio est negatio, seu conceptus negatiuus, sed nullus conceptus positiuus esse potest determinatio, seu modus ad aliquem conceptum negatiuum ob independentiam essentialem positiui à negatiuo: ergo præsuppositum non determinatur ad illam.

Deinde nec suppositum determinat naturam 2
vt habeat rationem essendi per se, & non in alio supposito, tum quia natura non habet indifferentiam ad varia supposita specie distincta, sed adstricta est de se ad suppositum proprium; indifferentia vero illius quantum ad indiuiduationem tolletur per vnionem ad hoc potius suppositum indiuiduum humanum, v. g. si fuerit natura humana quam ad aliud: ergo suppositum non determinat naturam vt habeat rationem essendi per se, & non in alio supposito. Tum etiam quia incommunicabilitas naturæ alteri vt supposito, non potest esse terminus ad quem determinat suppositum naturam, quia incommunicabilitas sicut & impenetrabilitas sunt conceptus negatiui, ortum habentes ex conceptibus positiuis suppositi creati, & quantitatis, vnde sicut quantitas non est modus quia illam consequatur impenetrabilitas, ita nec suppositum creatum, quia illud consequatur incommunicabilitas naturæ alteri vt supposito: ergo.

Secundo sic probatur, vt ait P. Hurtadus argu- 3
mento quidem non euidente, sed magnam facienti fidem; nam Verbum diuinum non potest supplere effectum modi, tum quia sicut forma substantialis, licet sit substantia, quia in conceptu formæ includit imperfectionem, non potest suppleri à Verbo, ita suppositum modale, licet habeat rationē communem suppositi, quia tamen habet communem imperfectionem modi non videtur posse suppleri.

Video responderi posse non posse à nobis di- 4
iudicari quanta conuenientia requiratur, vt possit supplex formalis effectus; nam etiam suppositum creatum, licet sit res, habet tamen communem imperfectionem complementi.

Sed maior; cum proportione ita comparantur 5
Verbum, & suppositum creatum, vt vtrumque sit terminus non modalis, sed realis, & vtrumque

vniatur vnione à se distincta, ita vt vnio respondeat vnioni, vel suppositum supposito.

Tertio sic probatur, **quia** subsistentia, seu suppositalitas creata distinguitur à parte rei à natura; sed non distinguitur vt modus à re: ergo vt res à re: consequentia est euidens in nostris principiis, nos enim inter extrema positiua à parte rei solas distinctiones rei à re, vel modi à re cognoscimus; maior etiam à nobis admittitur: minorem ita probat Albert. modus non habet aliam realitatem à realitate rei cuius est modus; vnde vt realitatem habeat, innititur ipsi rei, tanquam fundamento suæ realitatis, sed implicat subsistentiam inniti naturæ, cum natura potius illi innitatur: ergo subsistentia non est modus, sed potius erit res, cum habeat aliam realitatem à realitate naturæ.

6 Si respondeas substantiam vt quo constituere naturam per se, naturamque in illa innitti, subsistentiam vero vt quod innitti naturæ illique communicari.

7 Contra erit, quia nunquam ratio vt quo potest habere modum oppositum effectui formali quem præstat, non enim potest dici, quod existentia vt quo faciat existere, & vt quod non existat, & quod duratio faciat durare vt quo, & quod ipsa vt quod non duret, tum quia rationes formales seipsis sunt tales, tum etiam quia formæ dant effectus formales, commuuicando se ipsas: ergo non possunt habere in seipsis esse oppositum effectui formali, quem communicant; quare si subsistentia est ratio formalis vt quo, perfeitatis independentiæ naturæ in alio, ipsa non poterit vt quod habere modum oppositum existendi, innittendo scilicet in natura & per substentationem.

8 Quarto sic probatur, quia natura substantialis est imperfecta & limitata: ergo indiget substentante: ergo substentans debet esse aliquid realiter distinctum ab illa: antecedens, & prima consequentia communiter admittuntur. Secunda vero consequentia probatur, modus non potest habere rationem substentantis cum potius modus substentetur à re cuius est modus, & in illa innittatur: ergo debet dari aliqua realitas distincta, quæ non solum naturæ tribuat modum essendi per se, sicut tribuit subsistentia diuina naturæ diuinæ, sed etiam tribuat substentationem ipsi naturæ creatæ propter suam imperfectionem.

## SECTIO II.

*Nostra sententia proponitur, & probatur.*

9 Conclusio: suppositalitas non est res, sed modus: probatur primo, quia natura essentialiter completa substantialis in existentia habet potentialitatem, vt compleatur à suppositalitate in esse substantiæ, tanquam ab vltimo termino, & vltima actualitate in illa ratione: ergo suppositalitas est modus naturæ; antecedens sic probatur, quia in sententia P. Hurt. suppositalitas est vltimus terminus, & vltimum complementum naturæ in existentia, &c. & est distincta entitas à parte rei ab ipsa natura, vt patet ex mysterio incarnationis perficiensq; naturam in ratione suppositi, & actuans illam, suppositalitas enim actus est respectu naturæ, & ideo in sententia omnium DD. reducitur ad causam formalem, quæ necessario actus est: ergo natura est potentia respectu subsistentiæ, quia in his subiectis à quibus formæ, vel quasi formæ re ipsa distinguuntur, datur vera ratio potentiæ, & formæ sunt veri actus respectu talium subiectorum; vt videre est in forma cœli empyrei, & in intellectu respectu animæ; & sine controuersia in intellectione, & volitione respectu intellectus, & voluntatis: sed natura à parte rei distinguitur à suppositalitate, & est vnita illi, non vt actus alteri actui, quia duo actus nunquam vniuntur: ergo vt potentia actui, ita vt natura sit potentia; suppositalitas autem sit illius actus vltimus, quia vltimo complet, & terminat naturam, sin eo quod suppositalitas amplius terminabilis, & actuabilis sit, v.g. **ibi dicitur** vltima actualitas, & determinatio subiecti præsentis, quia est entitas ex natura rei distincta à subiecto, & ita determinat, & actuat intrinsece illud in ordine ad locum, & ipsa præsentia seu vbi amplius non sit actuabile, & determinabile: ergo similiter si suppositalitas est intrinsece in natura, & distinguitur in re ab ipsa, & est in ratione terminandi vltimum, ita à se formaliter vt in genere causæ formalis non habeat esse ab alio: ergo natura habet potentialitatem respectu illius, tanquam respectu vltimæ actualitatis, & determinationis à qua vltimo determinatur; & actuatur in illa ratione natura, quæ de se non est suppositum, sed est tale per participationem à suppositalitate distincta à se à parte rei, in quo distinguitur natura creata ab increata, quæ per relationem identificatam cum sua entitate est suppositum, & ita non habet aliam actualitatem vltimam distinctam à se, vt habet natura creata, quæ si vltimo debet actuari, necessario est vt talis actuatio fiat per suppositalitatem aliam in re ab ipsa, & vocatur vltima actualitas, quia correspondet potentialitati naturæ sine aliqua potentialitate ex parte ipsius, quia ipsa non est amplius actuabilis, sed tota actuatio in ratione suppositi terminatur & sistit vltimo in ipsa suppositalitate, cum habeat à se, & per se quod natura per participationem ab ipsa.

Consequentia præcipua, & prima sic probatur, 10
quia omnis vltima actualitas, & determinatio in aliquo genere est modus illius rei cuius actualitas & determinatio vltima est; sed suppositalitas in constitutione suppositi est vltima actualitas, & determinatio naturæ: ergo est modus naturæ. Maior est euidens, quia omne vltimũ alicuius rei est modus illius, quod adeo verum est, vt etiam Metaphysicæ loquendo, quia indiuiduatio est vltimum in constitutione essentiali, & terminus illius dicitur modus essentiæ; vnio autem quia est vltimum in illo genere, cum vnibilitas partium sistat vltimo in vnione est modus, actio est vltimum respectu potentiæ agentis, & sic est modus illius, & punctum vltimum indiuisibile, mirum quia tale est modus, & ratio à priori est, quia nulla res potest esse vltima actualitas, & vltima actualis affectio rei, cum omnis res respectu sui effectus formalis possit esse in potentialitate, saltem diuinitus vt videre est in quantitate Eucharistiæ, quæ actu non reddit panem quantum, sed tantum in potentia, & sic vt reddat panem quantum indiget alia actualitate vnionis ad panem, quæ vltima est, quia non est amplius actuabilis; ipsa autem res cum sit amplius actuabilis, non potest esse vltima actualitas, vltimum complementum, seu vltimus terminus rei, cum ab illa detur progressio ad aliud, & aliud propter indifferentiam cuiuscunque rei vt amplius, & amplius actuetur, ex eo quod res est; exemplis

exemplis manifestis ostenditur, materia enim prima est actuabilis per formam substantialem, v.g. per animam rationalem tanquam per actum essentialem ipsius, etiam est actuabilis per formas accidentales, v.g. per quantitatem, & quia quantitas etiam est res, est iterum actuabilis per qualitates, donec per figuram vltimo actuentur, tam quantitas quam qualitas in qua actuatione sistit, ac terminatur vltimo progressio omnium actuationum materiæ primæ, ita vt vltima actualitas illius ex parte suæ passionis scilicet quantitatis quiescat in figura, ratione cuius figura ipsa vltima actualitas dicitur, quia in ipsa finitur tota actuatio supradicta, figura nullo modo est vlterius actuabilis, & non ob aliam rationem, quia est modus, nam si vel non esset modus sed res, haberet indifferentiam, vt vlterius actuaretur, & sic non esset vltima actualitas, vt videre est in omni re, quæ vera realis entitas est, nam omnis res corporea aut est substantia, aut est quantitas, aut est qualitas, sed tam substantia, quam quantitas, & qualitas sunt vlterius actuabiles, quia substantia per quantitatem, quantitas per qualitatem, & vtraque per figuram actuatur, figura autem, quia modus est nõ est amplius actuabilis, & sic est vltima actualitas, quia modus est: ergo è contra rei, quia res, non potest competere ratio vltimæ actualitatis, tum quia res vt res est, cum non consistat in actualitate habet semper indifferentiam ad vlteriorem actuationem, quod è contra euenit in modo, cuius essentia consistit, in actualitate sine aliqua potentialitate, ratione cuius potest esse vltima actualitas, seu finis, & terminus actuationis rei, tum etiam quia quod alicui membro diuidenti aliquam rationem communem conuenit aliquod prædicatum propter rationem propriam, & differentiam particularem ipsius membri diuidentis, tale prædicatum nullo modo potest competere alteri opposito membro diuidenti rationem communem diuisi, sicut quia homini conuenit quatenus homo est libertas in operando, talis libertas non potest competere bruto, sed modo quia modus est, & quatenus actualitas est, competit non esse amplius actuabile, & ideo competit ei esse vltimum in actuatione: ergo hoc prædicatum scilicet esse vltimum in actuatione aliqua non potest competere rei, quatenus res est, si quidem est membrum oppositum respectu modi in diuisione entis vt sic, ens enim adæquate diuiditur in rem, & modum.

Deinde actuatio materiæ primæ per actum substantialem, scilicet per animam rationalem, non sistit in ipsa anima rationali, quia ipsa anima rationalis etiam iterum actuatur per alium actũ accidentalem, scilicet per voluntatem, & intellectum, & intellectus vlterius actuatur per intellectionem, intellectio autem actuatur per inhærentiam, tanquam per vltimum terminum, in qua tota actuatio illius ordinis sistit, & conquiescit, quæ certe non conquiesceret, nec sisteret si iterum inhærentia illa esset res, tum quia non esset maior ratio huius quam cæterarum rerum, tum quia haberet potentialitatem & indifferentiam propriam rerum ad vlteriorem actuationem: ergo res vt res non potest esse vltima actualitas in aliquo genere, nec vltimum complementum, seu terminus in illo ordine, & genere; quod sic demõstratur, quia substantiæ conuenit, vlterius actuari tam accidentaliter quam substantialiter; substantialiter per subsistentiam, accidentaliter per accidentia, sed non conuenit ei talis vlterius actuabilitas, quia substantia est, quia si quatenus substantia est conueniret ei solum talis actuabilitas nulli alteri, quæ non esset substantia conueniret, sicut quia homini vt sic, quia homo est conuenit esse rationale animal, nulli alteri quod non est homo conuenit esse rationale, sed non solum substantiæ, sed etiam quantitati & qualitati conuenit vlterius actuabilitas: ergo non connenit illi in quantum substantia est, sed potius quatenus conuenit in aliquo prædicato cum quantitate, & qualitate, quatenus distinguuntur ab omnibus modis, sed tale prædicatum in quo conueniunt, & per quod distinguuntur ab omuibus modis, ratione cuius conuenit substantiæ esse vlterius actuabilis, non est aliud nisi realitas: ergo substãtiæ quatenus res est, & vera realitas est vlterius actuabilis: ergo omnis res quatenus res est distincta à modo petit esse vlterius actuabilem: ergo nulla res quatenus res est, potest esse vltima actualitas & vltima determinatio, nec vltimum complementum, sed subsistentia est vltima actualitas naturæ substantialis, in qua sistit tota actuatio substantiæ, nam materia prima actuatur per formam, ex qua actuatione constituitur essentialiter natura completa, talis autẽ natura vlterius actuatur per suppositalitatem compositam, sicut natura Angelica simplex actuatur etiam per suppositalitatem simplicem spiritualem, tales autem suppositalitates, non sunt amplius actuabiles: ergo sunt vltima actualitas, vltima determinatio, & vltimum complementum naturæ substantialis: ergo euidenter sequitur talem suppositalitatem non esse rem, sed modum substantialem.

Dices, licet ex hac parte videatur probari suppositalitatem esse modum, nihilominus absolute non conuincere argumentationẽ factam suppositalitati conuenire entitatem modalem, quia non est determinatio ad alterum, omnis enim modus dererminatio ad alterum est. 11

Contra, quia adhæsio passiua creationis in termino creato est modus ipsius, sed illa adhæsio passiua non est determinatio ad aliud; ipsa enim actio creatiua, quatenus adhæret suo termino, vocatur adhæsio passiua, sic enim adhærendo ad nihil aliud determinat, non ad agens, quia ad agẽs determinatur per actionem, quatenus producit illud esse, non autem quatenus passiue adhæret: ergo falsum est dicere quod omnis modus est determinatio ad aliud, & sic bene poterit esse suppositalitas modus, sine eo quod sit determinatio ad aliud, quod autem talis adhæsio creationis sit modus, sic patet, quia ipsa entitas creationis est modus: ergo quæcunque denominatio ab illa est etiam modalis, modus enim non potest inducere rationem rei sub quacunque ratione, ratio autem euidens est, quia nihil aliud est modus nisi entitas tam debilis, & imperfecta, quæ sine re cuius entitas est, non potest per potentiam Dei absolutam separata conseruari, sed adhæsio passiua creationis in termino creato non potest diuinitus separata conseruari sine termino: ergo essentialiter est modus. 12

Item probatur hoc exẽplo generationis passiuæ, quæ passio vocatur, & constituit distinctum prædicamentum à generatione, quatenus, quatenus actio est, talis enim passio generationis, sine dubio entitas modalis est, quia identificatur cum generatione quæ vere modus est: atqui talis passio non est determinatio ad aliud: ergo bene potest esse modus aliquis sine determinatione ad aliud. 13

Dices, nec ratione posse distingui formalitates creationis, & passiuæ adhæsionis in illa.

14 Contra, quia illa quæ in communi separantur in indiuiduo possunt ratione separari, sed adhærere vt sic potest dari in formalitate nõ productiua & omnipotẽtia Dei est formalitas productiua sine adhærentia: ergo per intellectum poterit separare, producere, vt actio, & vt fluxus ab agente à passiua adhærentia in termino, quæ vt sic vocatur passio adhæsiua, sicut actio recepta in materia prima vocatur passio inhæsiua: ergo illa adhæsio passiua, & ipsa formalitas producendi, non sunt vna, sed duæ formalitates per intellectum.

Secundo contra euidenter probo non omnem modum debere esse determinationem ad alterum, quia figura, v. g. hominis, & figura circularis, quadrangularis, &c. item situs corporis sunt modi vere, & realiter; quod patet euidenter, quia figura hominis, figura circularis, quadrangularis, & triangularis sunt actuales affectiones quantitatis, & non possunt adhuc diuinitus sine quantitate conseruari, separate ab ipsa, hoc enim est euidentissimum indicium ab omnibus Metaphysicis acceptum, & à Theologis defensum, & conseruatum, ratione cuius distinguunt entitates modales à realibus, ideoque asserunt vnanimiter quantitatem in Eucharistia non esse modalem entitatem panis, sed realitatem veram, quia separata à pane conseruatur in Eucharistia: ergo figura hominis, quæ non potest separata consistere eo modo quo vnio, actio, & sessio à re cuius est figura, erit sine dubio modus, & nihilominus minime est determinatio ad aliud, ad quid enim determinatur homo per figuram exteriorem hominis: ergo falsum est dicere quod modus est determinatio ad alterum. Præterea situs sine dubio est modus, quia nihil aliud est quatenus distinguitur ab vbi, nisi dispositio partium, quæ per vbi erant in loco resultans ex vbi ratione, vt asserit ipse P. Hurt. sed illa dispositio non est ordinatio ad aliud, nam si aliud esset ad quod ordinaretur, esset locus; sed non est ordinatio ad locum, cum hoc sit munus vbi, seu præsentiæ à quo resultat situs: nam ad eundem terminum non possunt vbi & situs ordinari, quia iam superflueret, aut situs, aut vbi: ergo situs non ordinatur ad aliud, licet sit modus: ergo non omnis modus est ordinatio ad aliud, quod autem sit modus patet, quia vt ait P. Hurt. *in Physicis, disp.* 14. *sect.* 5. *in fine*. Situs resultat, vel dimanat ab vbi, sed vbi est modus sine dubio, vt ipse Hurt. *in Met.* asserit, *disp.* 2. *sect.* 6. quodque fatetur ab omni Schola Metaphysicorum, ideoque prædicamentum vbi dicitur ab omnibus prædicamentum modale, & à modo non potest resultare res, alias effectus esset perfectior sua causa: ergo situs, qui resultat à modo vbi, non est res, sed modus.

15 Deinde, quia æuum, vel duratio Angelica est modus Angeli: sed talis modus non est determinatio ad aliud, quia non est ad tempus, tempus enim vti successiuum, & diuisibile non potest esse mensura homogenea vbi, quia æuum est superioris ordinis respectu temporis; mensuratum enim non potest esse perfectius mensura, nec est determinatio ad æuum imaginarium, quia illud vt sic est ens rationis, solum enim datur spatium permanens supra cœlum, quod licet imaginarium vocetur, est tamen reale vacuum, tempus autem imaginarium, & æuum imaginarium sunt entia rationis: sed ens reale vti est æuum Angeli, non potest ordinari ad ens rationis: ergo æuum Angeli, quod est modus illius non est ordinatio ad alterum.

Præterea, omnis modus habet siue à parte ante, siue à parte post mutatum esse, quod est aut primum, aut vltimum indiuisibile, siue initiatiuum, siue terminatiuum, & in linea dantur primum, & vltimum indiuisibile, per quod tam à principio, quam à fine terminatur, sed tam mutatum esse, quam indiuisibile lineæ sunt modi, & non sunt determinationes ad aliud, sed solum termini rei: ergo falsum est dicere quod omnis modus est determinatio ad aliud, ratio autem à priori potest dari, quia omnis terminus rei eo quod vltimum illius est, debet esse modus rei conueniens illi, quatenus finita, & limitata res est omne enim finitum, & limitatum debet habere terminos quibus claudatur, sed inter res finitas, & limitatas, quædam sunt absolutæ, & quædam relatiuæ: ergo vnaquæque debet terminari, & habere terminos suæ naturæ proportionatos, ita vt res absoluta terminetur termino absoluto, vt ait Aristoteles *lib.* 3. *Physic. cap.* 8. *tex.* 74. his verbis, aliud præterea est tangere, aliud esse terminatum; illud enim ad aliud est, quod vero terminatum est non est ad aliud, & relatiua relatiuo, & ad aliud: atqui terminus absolutus non est ad aliud, & omnis terminus est modus: ergo datur modus absolutus, qui non sit ad aliud, quare nullo modo poterit assignari ratio, quæ cogat asserere nullos dari modos absolutos, cum concedantur à P. Hurt. modi relatiui.

Præterea, quia suppositalitas est determinatio non solum in existentia, vt ait ipse Hurt. sed etiam ad operandum, id est vt sit proxima potentia in homine ad operationes eliciendas, actiones enim suppositorum sunt, quia suppositum est quod vere operatur per potentias; vnde suppositalitas est ratio sine qua non potest operari potentia: sed potentia, & operatio sunt aliud à supposito, & à natura, & suppositalitas est determinatio naturæ ad operandum: ergo iam est determinatio, & complementum naturæ ad aliud: ergo ex hac parte potest esse modus. 16

Ratio autem euidens à priori nostræ veritatis est, quia natura habet potentialitatem, & indifferentiam ad essendum in hoc supposito proprio numero, & indiuiduo, & in alio proprio in infinitum, quia infinitæ suppositalitates numero distinctæ propriæ possunt vniri, & etiam est indifferens natura vt sit in alieno supposito, vt est humanitas Christi in Verbo diuino: ergo quando suppositatur, habet suppositalitatem per quam tollatur illa indifferentia, & exerceatur talis potentialitas: ergo talis suppositalitas se ipsa est determinatio illius naturæ, & non est indifferens ad illam, & ad aliam, vnde per se ipsam erit actualitas, seu actualis, & vltima affectio naturæ, vnde non erit res sed modus, quia omnis res habet indifferentiam, & potentialitatem, & sic per se ipsam non potest esse determinatio, quod ipse Hurt. aperte fatetur. Consequentia quoad primam partem sic patet, quia si suppositalitas illa se ipsa non esset determinatio, & per suam essentiam esset indifferens, vt determinaret per aliud, & sic per participationem ab alio determinaret: ergo egeret alia determinatione tollente indifferentiam illius, de qua iterum interrogaremus idem ipsum, & sic procederetur in infinitum, sed non est concedendus processus infinitus: ergo sistendum est in prima suppositalitate, quia non est maior ratio vnius quam alterius; vnde per suam essentiam erit determinatio. 17

Et

18 Et si dicas non dari indifferentiam in natura ad alienum suppositum, nisi diuinitus, seu in ordine ad potentiam diuinam, à qua non debet colligi essentia rerum.

19 Contra, quia ipse per P. Hurt. *lib. 6. sect. 6. illius disputationis*, ait ex potentia absoluta posse recte venari indifferentiam rei, & rationem modi, nam colligit vnionem esse modum, sic fortitur essentiam modi vnio vnius rei cum alia; nam cum duæ res, vel sint indifferentes ad vnionem, vel possint diuinitus esse sine illa; item cœlum empyreum habet indifferentiam ad hanc formam, vel aliam, sic ille, licet solum per potentiam Dei absolutam possit illi hæc numero forma à materia tolli: ergo bene venamur rationem modi in suppositalitate, & indifferentiam naturæ etiam in ordine ad potentiam absolutam, præcipue quia indifferentia naturæ ad hanc numero suppositalitatem propriam, vel ad aliam propriam etiam indiuidualiter distinctam probabilius vocatur naturalis, & solum extrinsece, & secundum quid supra naturam, vt est potentia materiæ ad formam iam amissam.

20 Deinde probatur hæc conclusio efficaciter omnibus argumentis, quibus vsi sumus *disp. 1. Met. quæst. vltima, concl. 2.* ad probandum secundam facilitatem habitus non esse modum, sed rem opposito modo tamen, quia hic debemus probare illis demonstrationibus, præcipue argumento primo eiusque confirmatione, vltimoque illius conclusionis suppositalitatem non esse rem, sed modum.

21 Tertio probatur principaliter, si quia suppositalitas non esset modus, sed res, non esset accidens, sed substantia simpliciter, & absolute realis, quia cum illa deberet esse complementum substantiæ in esse talis, & deberet constituere suppositum, quod est ens per se substantiale, necessario deberet esse substantia absolute, & simpliciter: tum sic, illa substantia non esset materia, quia non reciperet formam substantialem: ergo esset forma substantialis; patet consequentia, quia nihil aliud est forma substantialis, nisi actus substantialis, & perfectio substantialis vera: sed suppositalitas est actus substantialis veraque perfectio substantialis: ergo suppositalitas esset vera forma substantialis, maior est tuidens ex definitione Philosophi, qui sic definit formam substantialem: forma est actus vnum per se constituens cum materia, quod adeo verum est, vt etiam accidentia dicantur formæ accidentales, ex eo quod sunt actus accidentales, nam proprijssima ratio formæ in actuando consistit, quare sine dubio verum est formam substantialem esse actum: minor sic probatur, quia natura perficitur substantialiter per suppositalitatem, ac completur in sua vltima perfectione, sine dubio enim, si per possibile vel impossibile deficeret absolute, & omnino omnis suppositalitas, deficeret magna perfectio naturæ, & conditio maxime necessaria ad operandum; è contra vero natura dum est in supposito, est in vltima perfectione sibi debita, à qua maxime perficitur ac decoratur ipsa natura: sed omnis perfectio est actus vt constat ex ipso P. Hurtad. probante vnionem esse actum vtriusque partis, ac proinde debere subjectari in illis, quia est perfectio vtriusque: ergo forma, quæ perfectio est naturæ, est actus illius, præcipue quia omnis potentialitas, seu indifferentia debet actuari, & determinari per actum determinatum, & ideo materia prima quia potentialitas est, determinatur, & actuatur vere, & proprie per actum substantialem qui est forma, & potentiæ vitales vt intellectus & voluntas, quia potentialitates sunt, actuantur per actus intelligendi, & volendi, tanquam per veros actus proprios: sed natura substantialis non est actu per seipsam suppositalitas ipsius, siquidem diuinitus potest separari ab illa, & ex alio capite respicit talem suppositalitatem cum indifferentia ad aliam, & tanquam quid perfectibile ab illis: ergo tanquam potentia ad suum actum: ergo tãquam potentia suam formã substantialem, ita vt sint in eodem ordine, & primario se respiciant. Tum sic, hæc substantia, quæ actus est, & perfectio naturæ ex sua essentia est actus, & perfectio illius: ergo ex sua essentia est forma substantialis naturæ; patet hæc consequentia, quia eo modo est aliqua entitas forma, quo est perfectio, & actus: sed talis suppositalitas, quæ substantia realis est ex sua essentia, & ex prædicatis essentialibus propriis est perfectio & actus, ita vt non sit amplius perfectibilis, & actuabilis essentialiter, cum ex sua essentia petat vltimo aduenire naturæ, tanquam complementum ipsius: ergo ex sua essentia est forma essentialiterque talis debet appellari, quod autem ex sua essentia sit perfectio, & actus sic patet, quia ex sua essentia & prædicatis essentialibus propriis est instituta talis suppositalitas, ad suppositandam naturam complendam illam, & constituendam ipsam in vltima sua perfectione, & fine in supposito nimirum, finis enim constitutionis naturæ est suppositum.

Deinde, quia hæc substantia realis de qua loquimur ex sua essentia est constitutiuum suppositi: sed suppositum est constitutum perfectum omnibusque numeris absolutum: ergo suppositalitas vt constitutivum est, debet esse perfectior, quia perfectum est effectus formalis perfectionis, sicut animatum effectus formalis animæ, & album effectus formalis albedinis: atqui effectus formalis debet esse sicut est forma: ergo suppositum quod est effectus formalis perfectus debet esse à forma, quæ perfectio sit: sed forma constituens suppositum est suppositalitas: ergo forma quæ constituit perfectum est illa, suppositum enim perfectum est vt diximus: ergo talis substantia realis, quæ suppositalitas dicitur ex sua essentia, & essentialiter perfectio est: ergo essentialiter actus est; ac proinde essentialiter erit forma, præcipue quia non habet aliud munus ex sua essentia talis substantia, præter constituere suppositum, perficere, seu actuare naturam, & si aliud habet, ostendant aduersarij, quod nullo modo ostendent; cum autem constituere suppositum perficere naturam & actuare illam sit munus perfectionis & actus, & actus sit forma suppositalitas, cuius munus hoc est, erit forma actus, & perfectio: atqui tale munus non conuenit suppositalitati accidentaliter, & secundario, sed primaria institutione, & ex vi essentiæ ipsius suppositalitatis: ergo suppositalitas est essentialiter forma substantialis: sed forma omnis essentialiter substantialis petit potentiam passiuam essentialiter substantialem primario, & per se respicientem talem actum, seu formam: ergo natura quæ respicit suppositalitatem primario, & per se essentialiter respicit illam tanquam potentia passiua essentialis suum actum

essentialem, sed ex actu essentiali, & ex potentia passiua essentiali resultat totum essentiale, ideo enim ex materia prima, & ex anima rationali resultat totum essentiale, quia anima rationalis est actus essentialis materiæ primæ, & materia prima est potentia essentialis talis actus: ergo ex vnione naturæ, & suppositalitatis resultat quoddam totum essentialiter substantiale: ergo tam suppositalitas, quam natura, sunt partes essentiales illius totius, eo enim modo sunt partes, quo est totum: sed compositum ex suppositalitate, & natura est totum essentiale: ergo suppositalitas, & natura sunt partes essentiales: ergo sunt partes essentialiter incompletæ: ergo compositum ex anima rationali, & corpore non est homo completus essentialiter, nec est tota essentia hominis, quia id cui deficit aliqua pars essentialis non est essentialiter complete tale: sed composito ex materia, & anima rationali deficit alia pars essentialis, scilicet forma essentialis, cum qua componebat vnum totum essentialiter: ergo illa non est essentialiter homo completus, sicut sola anima non est tota essentia hominis completa, quia deficit alia pars essentialis hominis cum qua essentialiter componit ipsum hominem, ex quo maximum absurdum in fide sequitur, nimirum quod Christus non sit homo essentialiter completus. Patet hoc quia in Christo Domino tantum est humanitas, sed humanitas non est totum essentialiter completum, quod vocatur homo, seu completum essentialiter compositum humanum, cum deficiat illi alia pars essentialis realis, quæ de facto in nobis qui sumus veri, & essentialiter completi homines, componit essentialiter hominem: hoc autem absurdum sine dubio maximum est in fide, asserente Christum Dominum habere essentiam hominis completissimam, & nihil pertinens ad essentialem constitutionem hominis in ipso deficere; hoc enim definitum est in Concilio Ephesino œcumenico contra hæreticos, asserentes in Christo Domino non dari animam rationalem, ex eo quod diuinitas, vt ipsi Fanatici delyrantes somniabant, loco animæ rationalis constitueret cum materia totum compositum hominis, huius enim hæresis pœnitus, & funditus labefactandæ causa sacrosancta illa œcumenica Synodus legitime in Spiritu sancto congregata, ac diuino numinis instinctu afflata decreuit in Christo Domino omnes partes essentiales ad hominis essentialem constitutionem necessarias existere sine dubio; alias, vt ait ipsum Concilium, assertor humani generis non redemisset totum hominem essentialem, nec sanaret totum infirmum, sed solam partem illius, in quo certe maxima iniuria irrogaretur Christo Domino, siquidem sequeretur ex tali iniqua assertione, nec perfecte, nec complete Redemptoris, ac diuini medici munus impleuisse. Tum sic illa substantia realis, quæ essentialis pars hominis est, quæque à vobis falso suppositalitas dicitur, deficit in Christo Domino: ergo deficit aliqua pars essentialiter pertinens ad constitutionem hominis, quod est aperte contra Concilium, ne igitur his angustiis concludaris, ne itidem in hæc absurda incidas, obsecro te amice, vt suppositalitatem potius modum quam rem fatearis.

22 Dices suppositalitatem non esse de essentia hominis, quia licet ipsa essentialiter ordinetur ad naturam; natura tamen non essentialiter ordinatur ad illam, ac proinde licet illa substantia ex vi suæ essentiæ, & primaria institutione sit actus perficiens naturam, & ideo primario, & essentialiter respiciat illam; natura tamen non respicit primario, & essentialiter vt perfectibilis essentialiter, ac per consequens vt potentia passiua talem actum substantialem essentialem, quia bene potest quædam perfectio essentialiter respicere primario, per se, & essentialiter aliquod subiectum, & nihilominus tale subiectum non necessario respicit primario, & essentialiter quantum est ex se talem perfectionem, sed potius secundario, & tanquam quid extra essentiam eius: exemplum potest poni aptissimum ad hanc materiam explicandam in risibilitate, in intellectu, & voluntate, ac cæteris potentiis accidentalibus; risibilitas enim ex sua essentia primario, & per se essentialiter est perfectio, & actus hominis, quia per ordinem transcendentalem, & essentialem respicit hominem perficiendum per illam, & ideo in omnium sententia ordo per quem respicit accidens substantiam, tanquam perfectio eius, est essentialis accidenti, & nihilominus substantia non respicit essentialiter, & primario accidens: ergo similiter licet illa substantia, quæ suppositalitas est, respiciat primario, & essentialiter naturam, bene poterit natura non primario, & essentialiter, sed secundario respicere talem suppositalitatem; ex quo sequitur necessario suppositalitatem non esse partem essentialem hominis, atque adeo in Christo nullam deficere partem, quæ ad essentialem constitutionem hominis pertinet.

Sed contra, quia quando perfectio, & perfectibile, potentia, & actus sunt in eodem ordine, impossibile est quod actus respiciat essentialiter potentiam, & potentia non respiciat essentialiter, & primario talem actum, tanquam terminum primarium, & essentialiter specificatiuum ordinis, seu relationis transcendentalis existentis in tali potentia: sed illa suppositalitas supposito quod est substantia realis, & actus essentialis naturæ est in eodem ordine omnino, ac est ipsa natura perfectibilis per talem actum: ergo talis natura primario per se, & essentialiter respicit talem actum substantialem, tanquam perfectionem essentialiter illam perficientem. 23

Maior sic patet, quia ideo materia prima respicit primario, & essentialiter, tanquam proprium, & essentialem actum specificatiuum suæ relationis transcendentalis, formam substantialem, verbi gratia, animam equi, vel animam rationalem, quia anima equi, & quæcunque forma substantialis, quæ actus est talis materiæ, est in eodem ordine primario, ac est materia prima; nam si materia prima est in ordine substantiæ realis absolute, etiam forma substantialis est substantia realis absolute primario, & per se; è contra vero ipsa materia prima non respicit primario per se & essentialiter accidens tanquam actum primarium & essentialem, quia accidens non est in eodem ordine primario, ac materia prima; nam materia prima est in ordine primario, scilicet ordine substantiæ, & accidens est in ordine secundario, scilicet in ordine accidentali, qui secundarius ordo est, accidens enim est secundarium ens, & sic vocatur entis ens, ac ens per attributionem ad primarium in sententia Aduersariorum, & cum eo 24

modo

modo debeat respicere potentia actum, quo est ipse actus, & actus accidentalis sit secundarius actus, & non primarius, quia est in secundario ordine, & non in primario, quo est potentia materiæ, inde euenit necessario, quod materia non respiciat primario per se, & essentialiter ipsum accidens: ergo quando perfectio, & perfectibile, potentia, & actus sunt in eodem ordine primario, & per se essentialiter se adinuicem debent respicere primario, ita vt si actus respiciat primario potentiam, & potentia etiam debeat respicere primario talem actum sine aliqua tergiuersatione & exceptione.

25 Minor illa sic probatur, quia natura est in ordine primario entis, scilicet in ordine substantiæ, & intra ordinem substantiæ in primaria ratione, scilicet in esse rei, & non in ratione modi substantialis: atqui suppositalitas illa ex suppositione, quod est substantia realis, est in ordine substantiæ, & intra illum ordinem in ratione superiori, scilicet in ratione rei, & non modi, & natura est potentia respectu illius, vt ex supra dictis patet, & suppositalitas illa est actus ipsius: ergo talis actus, & potentia sunt in eodem ordine, & sic necessario sequitur consequentia prima vt adinuicem respiciantur primario, & per se ex illo euidenti axiomate, quod omnipotentiæ correspondeat, actus & omni actui correspondeat potentia cum proportione, & ordine inter ipsa, itavt si actus sit primario talis, potentia illum primario respiciat: sed illa substantia realis, quæ suppositalitas dicitur, est actus ex sua essentia, & natura, & non est actus secundarius, quia est in primario, ordine, scilicet ordine substantiæ, & intra ordinem substantiæ, non in secundaria ratione, scilicet in ratione modi, sed in perfectissima ratione rei substantialis: ergo illi debet correspondere aliqua potentia primario per se, & essentialiter: sed hæc non est alia nisi natura, cum natura sit perfectibilis per talem actum; perfectibile enim potentia est: ergo natura est potentia primario per se, & essentialiter ordinata ad suppositalitatem: ergo suppositalitas vnitur per se vt constituat vnum per se essentiale cum natura, quia ex actu essentiali, & potentia essentiali vnum per se essentiale debet resultare, vt videre est in toto resultãte ex corpore, & animo rationali, quod totum per se essentiale est, quia corpus, & anima rationalis, ex quibus coalescit, sunt actus, & potentia essentialis; ex quo necessario sequitur, quod tam natura, quam suppositalitas sint rationes essentialiter incompletæ; ex quo maximum absurdum colligitur, nimirum, quod Verbum diuinum non potuerit supplere effectum suppositalitatis; nam certissimum est Deum non posse supplere effectum primarium causæ formalis, seu actus essentialiter incompleti, sicut effectum primarium animæ rationalis, vt inconfesso est apud omnes; sed suppositalitas est forma, seu actus essentialiter incompletus: ergo Verbum diuinum non potuit supponere naturam creatam & constituere suppositum, quia suppositum est effectus formalis suppositalitatis; atqui fide sanctum est Verbum diuinum supposuisse naturam humanam, suppleuisseque, ac supplere de facto effectum primarium suppositalitatis creatæ: ergo signum euidens est talem suppositalitatem creatã, cuius loco sufficitur Verbum, non esse formam, nec actum essentialiter incompletum, ac per consequens non esse rem, sed modum.

26 Dices etiam si suppositalitas sit modus sequi naturam essentialiter, ac primario respicere talem suppositalitatem, cum suppositalitas sit actus ex sua essentia naturæ; & ideo debere naturam essentialiter respicere illam; ex quo colligetur naturam esse essentialiter incompletam, & suppositalitatem similiter, & cætera absurda sine dubio euentur.

Contra, quia si suppositalitas est modus aduenies naturæ, supponet sine dubio naturam iam constitutam in esse naturæ: ergo suppositalitas non potest esse actus essentialis naturæ; nam si esset illi essentialis, esset hoc ex eo quod constitueret essentialiter illam in suo esse essentiali; atqui non constituit illam, sed supponit illam constitutam: ergo non potest esse actus essentialis ipsius, quia modus qui non constituit essentialiter rem, non potest esse essentialis rei, nam ideo vnio substantialis inter materiam, & formam, non est essentialis materiæ, nec formæ, quia non constituit illas in suo esse, est tamen essentialis composito, quia constituit illud essentialiter in suo esse: vnde certissimum est modum non esse essentialem alicui in primo modo essentialitatis, nisi constituat illud essentialiter: atqui suppositalitas, qui modus est non constituit essentialiter naturam in esse naturæ: ergo non est essentialis hoc primo modo naturæ. 27

Alio secundo modo potest esse aliquis actus essentialis potentiæ, scilicet in quantum primario, & essentialiter respicit talem actum, vtrum illo constituat vnum per se essentiale, eo modo quo dicitur animam rationalem esse actum essentialem materiæ, non enim ita dicitur, quia constituat essentialiter illam, sed quia per ordinem essentialem, & transcendentalem constituentem essentialiter ipsam materiam primario, & per se respicitur talis actus ab ipsa, sed neque hoc modo potest dici suppositalitas, si est modus essentialis naturæ: ergo nullo modo essentialis est illi, si modus est, quod aliter euenire et si esset actus realis substantialis; hæc minor sic demonstratur, quia ad hoc vt aliquis actus primario, & per se essentialiter respiciatur, ab aliqua potentia, necessario est quod talis actus sit in eodem ordine, & primaria ratione, ac est potentia vt supra diximus, & exemplis demonstrauimus: sed modus substantialis, & natura substantialis, licet sint in ordine substantiæ vt sic, nihilominus non sunt in primaria ratione illius ordinis ambo, quia natura est in ordine substantiæ, & in ratione realitatis absolutæ, quæ est primaria ratio illius ordinis, in qua sunt Deus, Angeli, homines, tanquam primariæ rationes substantiales: sed modus substantialis licet sit in ordine substantiæ, nihilominus non est in primaria ratione illius ordinis, quia non est res, sed modus; modus enim comparatus cum re, cuius modus est secundaria entitas, dicitur & vocatur etiam entis ens, ac proinde modus substantialis non absolute vocatur substantia, sed cum addito, videlicet secundaria, quarum denominationum veritas originem ducit ex imperfectione, ac infirma ratione, seu debilitate modi, quæ relucet maximè in hoc vt nec esse, nec conseruari, nec concipi possit sine subiecto: ergo talis natura non potest primario per se, & essentialiter respicere modum suppositalitatis, & sic hoc secundo modo non poterit esse essentialis illi. 28

Dices materiam primam primario & per se respicere vnionem essentialem, media qua vnitur animæ rationali, & nihilominus talis vnio est 29

modus;

modus: ergo licet suppositalitas sit modus, potest respici primario, & essentialiter à natura.

30 Sed contra, quia vnio non primario, & per se essentialiter respicitur à materia propter se existendo in ipsa, sed propter animam rationalem, quæ proprie primario, & per se respicitur à materia prima, quia primarius actus eius est; nam eodem ordine debet respici medium & finis, & sic eodem ordine respicitur à potentia actus, & obiectum, & eodem actu charitatis diligimus creaturas, & Deum; Deum propter se, creaturas autem non propter se, sed propter Deum, qui est finis earum, in qua ratione tendendi, licet per eundem ordinem tendat materia in vnionem, & in animam rationalem, primario tamen dicetur tendere in animam rationalem, & secundario in modum vnionis, quia modus est, sicut v.g. licet eodem actu charitatis diligamus Deum, & creaturas, primario Deum, secundario creaturas diligimus tali actu, & ideo compositio, quæ fit ex vnione, & ex materia prima, scilicet concretum illud resultans ex vnione, & materia prima, scilicet materia vnita, vt distincta à toto, non dicitur concretum essentiale, sed substantiale tantum, nec vnio dicitur actus essentialis materiæ primæ, & non propter aliam rationem, nisi quia est modus, imo licet primario respiciatur talis vnio, & dicatur essentialis respectu materiæ, nec erit talis propter se, sed propter formam, qui est actus formalis, & essentialis materiæ primæ, quia cum non possit respicere materia prima formam, nisi quatenus actum ipsius materiæ, & non possit esse actus materiæ, nisi vt vniatur illi, & informetur per illam, necesse est vt non solum respiciat formam, sed etiam vnionem, media qua formaliter perficitur à tali forma: sed non per se, ac propter se cum non sit perfectus actus, sed propter formam, quæ perfecti actus essentialis rationem induit, & ratio est, quia vnio est modus, ac per consequens secundaria ratio in ordine substantiæ, & sic non potest ex se, & propter se primario, & essentialiter respici; atqui suppositalitas est modus, ac per consequens est secundaria ratio in ordine substantiæ: ergo non potest primario, & per se essentialiter respici à potentia reali absoluta, & essentiali, quæ est in primaria ratione ordinis substatialis, quia quod est primarij in aliquo ordine, nō potest primario, & essentialiter respicere actum secundarium in illo ordine, vti est modus in ordine substantiæ; vnde suppositalitas, nec propter se, nec propter aliud potest respici essentialiter à natura, non propter se, quia vt dixi, est secundaria ratio in ordine substantiæ, quia est modus, nec propter aliud, quia non est ratio, nec medium formale alicuius actus primarij, & essentialis, qualis est vnio respectu formæ substantialis, quæ actus primarius essentialis est materiæ; suppositalitas enim non datur naturæ, vt per illam acquirat alium actum, sed potius vt per ipsam suppositalitatem terminetur, & compleatur ipsa natura, ac tandem in illa sistat actuatio ipsius, quare si debeat respici suppositalitas, necessario propter se respicienda est; sed propter se non potest primario, & essentialiter respici à natura; quia vt sæpe dixi, est modus, ac per consequens est actus secundarius in ordine substantiæ, & secundarius actus non potest primario respici, sed secundario ab illa re, quæ primaria est in aliquo ordine; vti est natura substantialis.

Ergo ex his omnibus euidenter sequetur suppositabilitatem non esse actum essentialem naturæ, quia non est primarius in ordine in quo est natura, quia non est res, sed modus; si autem esset res, sine dubio esset actus essentialis, quia primario, & essentialiter respiceretur à natura, vt patet ex supradictis, & sic ex suppositalitate, & natura componeretur quoddam totum per se essentiale, quod apertissime patet exemplo materiæ primæ, ipsa enim incompleta potentia est, & respicit, quatenus incompleta est tam subsistentiam suam, quam animam rationalem, & nihilominus animam rationalem respicit primario, & essentialiter tanquam actum essentialem ipsius; subsistentiam autem non respicit primario, & essentialiter, sed potius secundario, & nulla potest alia à priori ratio reddi huius discriminis, nisi naturæ vtriusque ratio, nam natura animæ rationalis est substantia realis, & actus primarius in ordine substantiæ, quia est res; subsistentia autem est modus, & ideo in ordine substantiæ est secundarius actus: ergo non mirum, quod primario respiciatur anima rationalis, & quod subsistētia respiciatur secundario, ac proinde quod anima rationalis sit actus essentialis, & subsistentia non sit actus essentialis materiæ: ergo si suppositalitas est actus substantialis realis absolute, & perfectio realiter perficiens naturam, sine dubio primarie, & essentialiter respicietur ab ipsa, & sic erit actus essentialis illius constituens cum natura quoddam totum essentiale per se, de quo interrogo an sit creatum, vel increatum, non increatum, vt de fide certum est, loquimur enim in Angelo, vel in homine: ergo est creatum; sed omne creatum est limitatum finitum, & vltimo terminatum; sed omne terminatum, finitum, & limitatum actuale debet esse ab actuali fine, limite, & termino: ergo illud compositum essentiale debet habere limitem, finem, ac terminum actualem; atqui talis terminus, & finis non est aut essentia, aut de essentia illius, quia terminus est extra essentiam rei, cuius terminus est, vt patet ex dictis *in Logica in lib. perierm.* Et constat ex illo Arist. terminus est intra quod omnia primi, & extra quod nihil est accipere primi: ergo terminus, finis, seu limes huius compositi essentialis ex natura, & suppositalitate debet esse absolute extra essentiam illius, ac per consequens nullo modo potest esse actus essentialis talis compositi: ergo non potest esse supradictus terminus finis, & limes, res, sed modus, quia si esset res, vt supradictum est, esset actus essentialis, quia ex ipso componeretur aliquod essentiale per se, de quo iterum interrogaremus, an esset limitatum, & terminatum, si terminatum: ergo per aliquem terminum distinctum à parte rei ab ipso, & extra essentiam ipsius, quia non est limitata, nec terminata res per se ipsam, nec per aliquid essentiale sibi, de quo termino interrogabo, an sit res an modus; si res, iterum redibit idem ipsum argumentum, & procedetur in infinitum, quem processum lumen ipsum naturale dictat esse vitandum: ergo est modus, sed terminus substantiæ realis, & compositi essentialiter substantialis, est suppositalitas: ergo suppositalitas est modus, & non res. 31

Vrgetur, quia si esset res vt ex supradictis patet, esset actus substantialis realis, & sic esset forma substantialis hominis, ex quo maximum absurdum sequeretur, nimirum quod in vno composito essentiale vti est homo, detur duplex forma substantialis totalis, quod nec ipsi aduersarij

aduersarij concedunt alias ex tali concessione eruentur necessario omnia absurda, quæ deducta fuerunt *in Physicis*, contra Scotum asserentem dari formam corporeitatis in composito substantiali, quæ maxima sunt.

32 Vltimo sic probatur, quia inhærentia accidentis ad subiectum est modus oppositus respectu suppositalitatis, & est quasi vltimus terminus, seu modus talis formæ secundum existentiam eius; accidens enim quamvis ex vi suæ existentiæ sit aptum, & propensum ad inhærendum, non tamen est actu inhærens ex vi solius existentiæ, sed indiget speciali modo inhærendi, qui est veluti vltimus terminus existentiæ ipsius; igitur oppositio quidem modo, tamen proportionabili, intelligendum est in substantiali natura, quod licet sit actualis entitas per existentiam suam, ex vi talis existentiæ præcise sumptæ, non est subsistēs, sed indiget modo per se essendi, quo vltimo terminatur existentia naturæ, vt in se sit sine dependentia ab aliquo substentante: ille ergo modus complet suppositum & habet rationem suppositalitatis.

## SECTIO VLTIMA.

### *Argumenta aduersaria soluuntur.*

33 AD primum argumentum nego maiorem, vt patet ex dictis latissime in probatione nostræ conclusionis, vbi varios modos ostendimus, qui non sunt determinationes ad aliud, sed absoluti: ad probationem illius maioris respondeo, à P. Hurtad. non numerari omnes modos, & sic non mirum, quod in tali numeratione non reperiat aliquem modum, qui non sit determinatio ad aliud: ad probationem minoris dico, suppositalitatem nihil aliud esse, quam vltimum terminum naturæ substantialis completæ, qui ex eo quod vltimus terminus sit, petit necessario vt sit modus & non res.

34 Ad secundum nego quod Verbum diuinum non possit supplere effectum modi, si talis modus sit terminus naturæ, & suppositalitatis illius, & ratio euidens à priori est, quia Verbum diuinum est suppositum formalissime includens formalissimam suppositalitatem, ratione cuius ipsum Verbum in esse suppositi constituitur, ipsa autem suppositalitas Verbi diuini est increata suppositalitas eminenter continens omnem suppositalitatem creatam ratione diuinitatis inclusæ transcendentaliter in ipsa suppositalitate, seu relatione personali, quæ etiam terminus vltimus diuinitatis dicitur: atqui omne quod continet eminenter aliud, potest supplere vices illius quod continet eminenter; ergo suppositalitas illa Verbi diuini poterit supplere effectum suppositalitatis creatæ, licet ipsa suppositalitas creata sit modus, ex alio autem capite cum Verbum diuinum, & suppositalitas ipsius non sit formaliter forma substantialis, non continebit eminenter formam substantialem, nec æquiualebit ipsi; sed potius repugnabit suppositalitati diuinæ esse formam substantialem formaliter, ac per consequens repugnabit etiam supplere effectum formæ substantialis; nam, vt certum est, apud omnes Theologos, suppositalitatem diuinam non posse exercere causalitatem aliquam intrinsecam sive materialem siue formalem, quia nec est materia, nec forma formaliter; at vero in sententia omnium potest supplere effectum subsistentiæ, quia subsistentia diuina est vere & formaliter talis, & terminare naturam non dicit imperfectionem ex parte terminantis, quam dicit, quæcunque vera informatio formæ, scilicet incomplementum essentiale, quia forma essentialiter est incompleta, ita vt incomplementum eius ita conuertatur cum forma, vt nullo modo possit concipi forma sine incomplemento essentiali, cum vero maxime repugnet incomplementum essentiale Deo; inde est quod Deo repugnet etiam ratio formæ essentialis, quod non contingit in termino, seu suppositalitate vt sic, & ideo omnes vnanimiter concedimus in Deo rationem suppositalitatis formaliter: ergo signum est rationem formæ vt sic formaliter sumptæ includere imperfectionem aliquam, ita conuertibilem cum ratione formæ, vt nullo modo possit adhuc in ratione præcisissima purificari à tali imperfectione, ratione cuius negatur ab omnibus catholicis Verbum diuinum posse esse formam, ac posse munus formæ exercere; posse tamen exercere munus terminandi, & suppositandi, quia terminare vt sic, & suppositare nullam perfectionem dicit, sed magnam imperfectionem; vnde licet terminus creatus sit modo, & terminet modaliter, non poterit Verbum diuinum, ablatis imperfectionibus modi terminare eminentiori modo humanitatem, in qua nulla implicatio potest reperiri.

Ad tertium argumentum concedo maiorem, & 35
nego minorem, ad eius probationem concedo ité
maiorem & nego minorem, quia subsistentia siue
sit res, siue sit modus inniti necessario debet in
natura, cum ab ipsa fluat efficienter media actio-
ne eductiua per modum emanationis, dicere enim
subsistentiam illam à Deo solum produci, nec
esse effectum alicuius causæ creatæ, existimo pa-
radoxum, & inane, vt postea probabitur; quare
si ab aliqua causa creata attingitur necessario, ab
illa fit per eductionem, atque adeo per innitentiam, & subsistentationem sui ipsius in alia, id
vero quod in ipsa minori dicitur, naturam scilicet
innitti subsistentia absolute negandum est, si in-
telligatur de propria innitentia, & subsistentatio-
ne, natura enim à subsistentia solum pendet, vt à
termino, & non vt à substentante, nec confuta-
tio responsionis facta ab Albertino, scilicet effe-
ctum formalem, quem confert forma præhaben-
dum à forma non solum vt quo sed etiã vt quod,
nihil vrget; forma enim confert esse formatum
materiæ, & tamen forma ipsa non est vt quod,
formata, item efficit ens completum secundum
speciem, & tamen ipsa non est completa vt quod,
sed simpliciter incompleta: non ergo in vniuer-
sum verum est, vt id quod forma alicui confert,
vt quo præbeat in se vt quod, sufficit enim vt
præbeat vt quo quantumvis considerata vt quod
talis ipsa non sit.

Ad quartum concedo maiorem & nego primam 36
& secundam consequentiam, quia neutra sequi-
tur ex limitatione naturæ; non prima, quia etiam
subsistentia creata quantumvis res sit, est finita &
limitata, est enim creatura; vel ergo de ratione
entis finiti, & limitati est vt indigeat substentan-
te, vel de ratione entis finiti, quæ sit natura, si
primum indiget: ergo ipsa subsistentia vlterioris
substentante, sicque in infinitum abeundum, si
vero secundum petis principium, vt de se patet,
ex quo fit, neque secundam consequentiam sub-
sistere (nittebat enim in prima) vtrum vero ex cõ-
ceptu naturæ finitæ colligatur subsistentia seu ex
terminus natura rei ab ipsa distinctus, dicã alibi.

## QVÆSTIO IV.

*Vtrum natura suppositata per vnam subsistentiam possit supponitari per alienam.*

### SECTIO I.

*Sententiæ Aduersariorum proponuntur.*

1 PRIMA sententia est P. Vasquez, asserentis naturam terminatam propria subsistentia esse simpliciter interminabilem, tam alia propria, quam aliena, siue creata siue increata, terminatam autem vna aliena esse amplius terminabilem per aliam alienam, verbi gratia, naturam humanam terminatam subsistentia aliena Verbi de potentia Dei absoluta esse adhuc terminabilem per alienam etiam subsistentiam Patris & Spiritus Sancti, hæc docuit P. Vasquez 1. *tom. in 3. part. disput. 29. cap. 2. & disput. 33. cap. etiam secundo*, primam partem sic probat.

2 Primo, natura terminata per vnam propriam subsistentiam, habet in se effectum propriæ subsistentiæ: non ergo potest, nec diuinitus terminari per aliam subsistentiam propriam; patet consequentia, quia repugnat eundem effectum à secundi causa adæquata produci: sed quælibet propria subsistentia est adæquata causa terminandi naturam, & constituendi illam in esse suppositi: ergo repugnat naturam terminatam propria subsistentia terminari per aliam propriam, quia iam idem suppositum quod est effectus à secundi subsistentia constitueretur.

3 Secundo natura terminata propria subsistentia est per se, terminata vero per alienam, est in alio: sed repugnat eandem naturam simul esse per se, & in alio ob apertam contradictionem: ergo secundam partem suæ sententiæ persuadet Vasquez ex solutione argumentorum contra ipsam.

4 Secunda sententia est P. Francisci Suarez, asserentis naturam terminatam propria subsistentia repugnare in eodem loco terminari per alienam; in diuerso autem loco non repugnare huiusmodi terminationem; hæc docet 1. *tom. 3. part. disp. 14. sect. 1.* hanc sententiam sic probat.

5 Primo, quia propria, & creata subsistentia solum est modus quidam intrinsecus per se existendi, hic autem modus habet formalem repugnantiam cum illo modo vnionis, quem habet natura assumpta in alieno supposito, & hoc eodem modo repugnat, quo eandem virgam esse simul curuam, & rectam, & idem accidens inhærere & existere per se sed hoc non potest diuinitus: ergo nec illud.

6 Secundo, quia SS. PP. & Concilia ex terminatione naturæ humanæ per Verbum colligunt absentiam subsistentiæ propriæ: sed hæc collectio non esset tam firma si natura terminata propria subsistentia, adhuc diuinitus posset terminare aliena: ergo. Minor sic probatur, quia cum hoc mysterium omnino sit supernaturale, & in eo tota ratio facta sit potentia facientis, si de potentia Dei absoluta fieri potuisset, vt humanitas assumeretur sine priuatione propriæ personalitatis, non esset ratio sufficiens ad negandum, ita factum esse, cum illud non repugnet alicui perfectioni Christi, vel huius vnionis.

7 Tertio sic probatur, subsistentia est terminus naturæ: ergo constituit naturam seorsim ab omni alio supposito, de ratione enim termini est, vt res terminata non extendatur vlterius, vel communicetur: ergo natura terminata propria subsistentia vlterius non poterit per aliam terminari.

### SECTIO II.

*Nostra sententia ponitur, & probatur.*

8 PRima conclusio, natura terminata propria subsistentia creata potest simul terminari diuinitus alia, & alia increata vt Patris, Filij, & Spiritus Sancti personalitatibus: hæc sententia licet communis sit inter Neothericos, nihilominus non communibus, sed propriis argumentis sic probatur.

Primo, non implicat contradictionem quod duæ formæ, vel quasi formæ eiusdem denominationis in communi vna increata, & imparticipata, & altera, vel aliæ creatæ, & participatæ, vna accidentalis, & alia diuina substantialis eminenter contentiua illius, sint simul respectu eiusdem exercendo suos effectus, vel quasi effectus formales: sed subsistentia diuina est quasi forma respectu humanitatis eminenter contentiua in suo conceptu adæquato subsistentiæ cuiuscumque creatæ, quæ etiam est quasi forma respectu humanitatis, & est eiusdem denominationis in ratione superiori, & commune subsistentiæ, & personalitati vt sic, (& in mea sententia creata suppositalitas habet conuenientiam vniuocam cum personalitate diuina, in qua adæquate eminenter continetur secundum totum suum esse conceptæ: ergo non implicat quod intrinsece terminent simul & afficiant eandem humanitatem, vt intrinsece constituant proprios effectus formales, duas nimirum personas, seu suppositas. Minor est communis sententia omnium Theologorum, & ita certa, vt nullo modo possit inter Theologos in dubium reuocari, quia subsistentia diuina, vt ait P. Suarez, ex mente D. Thom. & consensu vniuersali omnium PP. quasi in genere causæ formalis intrinsece constituet humanitatem suppositatam, non enim terminatur seu supponitatur humanitas à subsistentia Verbi in genere causæ efficientis præcise, tum quia hoc esset in genere causæ extrinsecæ, tum etiam quia iam non solum Verbum diuinum fuisset incarnatum, sed etiam Pater & Spiritus Sanctus, quia omnis operatio in genere causæ efficientis ad extra debet esse indiuisa à tota Trinitate; sed intrinsece terminando ipsam humanitatem, quasi forma & intime, ac infinite deificando illam, & ita euehendo ad altiorem gradum totam illam humanitatem Christi, vt & ipsa Deificata, & infinitata vocetur, illiusque actiones, ac operationes Theandricæ, ac Dei viriles appellentur, vt ex modo loquendi Sanctorum patet, Sophronius enim in illa Epistola, quæ habetur, *in 4 synodo, actione 11.* & Nazian. *orat 4. 2.* vbi dicunt Christum esse perfectum, non modo propter diuinitatem, sed etiam propter humanitatem diuinitate delibutam, idemque effectâ, quod id à quo vncta est, & vt audacter dicam, inquit Naz. *homotheon*, id est simul Deum, & *orat. 51.* dicit imaginem Dei, quæ est in homine fuisse deificatam in Christo, quod docet etiam Damas. *lib. 3. c. 29. & lib. 2. cap. 19.* ob personalem vnionem ait, & caro deificata, ac Deus, facta est, diuinitatisque cum Verbo socia dicitur. Vbi

nota

nota cum D. Thom. 3. *part. quæst.* 16. *artic.* 5. per illam loquutionem non significari mutationem humanitatis in Deum, seu humanitatem factam esse Deum; hæc enim hæresis antiqua erat; sed solum esse deificatam quasi per formam à subsistentia Verbi, id est vnitam intrinsece Verbo, ex vi cuius coniunctionis datur communicatio idiomatum inter Deum, & hominem, id est proprietatum, seu attributorum inter Deum, & hominem, mutua cum veritate prædicatio, itavt cum veritate dicatur Deus est homo, homo est Deus, Deus moritur & patitur, homo creat, & glorificat, quod explicans Greg. Nizenus, inquit humanitatem formalisatam esse diuinitate, penetratamque intime ab ipsa ad modum quo anima penetrat corpus, in quo aperte declarat S. Doctor subsistentiam diuinam terminare naturam humanam per modum cuiusdam infinitæ formæ sanctificantis ipsam, quod sonat Verbum illud formalisatam à diuinitate. Præterea ipsa subsistentia diuina ratione diuinitatis transcendentaliter imbibitæ in ipsa dicitur subsistentias creatas eminentiori, & excellentiori modo continere, ipsaque subsistentia creata dicitur participata à diuina.

9 Maior in qua est tota difficultas sic probatur, quia in Christo Domino per potentiam absolutam de facto datur increata forma, vel quasi forma sanctificans, sanctitas nimirum ipsa per essentiam increata, & imparticipata, quæ eminenter continet omnem sanctitatem, seu gratiam iustificantem creatam, & simul cum ipsa sunt respectu eiusdem humanitatis duæ aliæ gratiæ creatæ sanctificantes formaliter humanitatem, vna accidentalis, quæ est gratia habitualis, alia substantialis, vnio nimirum hypostatica; sed hæ omnes gratiæ, increata videlicet, & duæ aliæ creatæ sunt omnes formæ, vel quasi formæ humanitatis constituentes proprios effectus formales intra genus gratiæ, & sanctificationis simul sine aliquo impedimento vnius respectu alterius, quod impediat simultatem ipsarum ad sanctificandam, & deificandam humanitatem, & sunt eiusdem denominationis in ratione formæ iustificantis vt sic, omnes enim conueniunt in sanctificando, & iustificando humanitatem, licet vna sit increata, & aliæ creatæ, & ex creatis vna accidentalis, & alia substantialis, & ex eo quod sit forma, & sanctitas increata sanctificans infinitæ, & deificans humanitatem, non impedit quominus sit duplex sanctitas creata simul cum illa ad sanctificandam etiam ipsam humanitatem, & iustificandam intrinsece, imo ad hoc maximo concordiæ vinculo copulantur, quia nec vnio nec gratia substantialis confert perfectissimam illam sanctificationem, nisi terminetur ad increatum Verbum, & illud intime copulet humanitati, includit enim Deificationem quandam pene infinitam, ad quam necessarium Verbum diuinum, nec etiam persona Verbi infinitam sanctificationem confert humanitati, nisi intercedente gratia substantiali vnionis, cum qua hominem per se sanctum & naturalem Dei Filium constituit, ita vt Verbum sit quasi forma sanctificans humanitatem, quia Verbum est sanctitas ipsa per essentiam & per se, ac intime coniungitur ipsi; vnde Verbum ipsum est à quo habet hic homo, vt sit Filius Dei naturalis, item habet ab eodem infinitam dignitatem, ratione cuius habet meritum infinitum, eique debetur summa gratia, charitas, gloria & perfectissima latriæ adoratio; item vnio substantialis sanctificat formaliter, quia est ratio formalis vniendi sanctitatem increatam humanitati.

Præterea minime impeditur alia gratia creata imperfectior quidem forma sanctificans, gratia nimirum habitualis, quæ constituit illum hominem, minime quidem Filium adoptiuum, quia est filius naturalis, non solum Patris, sed totius Trinitatis; sed sanctum habitualiter accidentaliter, hunc enim, & alios effectus habet gratia habitualis in Christo, nam licet haud fuerit necessaria in anima ipsius ad excludendum peccatum, quod nec fuit, nec potuit esse, sicut est necessaria homini lapso, nec etiam ad primam, seu primariam eius sanctificationem, sicut contigit in Angelis, vel in Adamo in ipso statu innocentiæ, cum Christus habuerit aliam priorem, & excellentiorem sanctificationem, nihilominus tamen vtilis ac necessaria fuit ad debitam illius animæ pulchritudinem, ac dispositionem ad connaturalem modum operandi, atque adeo ad perfectam omnibus modis participationem diuinitatis, consumatam iustificationem, & adæquatam vndequaque puritatem, ad hos enim effectus, tam necessaria fuit hæc gratia in anima sanctissima Christi, sicut in reliquorum hominum animabus, vt egregie docuit D. Thom. 3. *part. quæst.* 7. & ideo animam illam sanctissimam Saluatoris mirabiliter exornauit Deus hac pulcherrima gratiæ sanctificantis venustate, vt ait Propheta Rex. *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, & Actor. 10. dicitur, *vnxit illum Deus Spiritu Sancto, & virtute*, hac de causa dixit Atha. *serm.* 2. *contra Arrian.* ipse est, qui dat, & accipit Spiritum Sanctum, dat vt Verbum, accipit vt homo, ex eo quod ipse vt homo eam gratiam spiritus accepit, factum est vt nos illam ex plenitudine dimanantem acceperimus, ecce quomodo in humanitate Christi simul existunt gratia sanctificans substantialis creata, vnio scilicet hypostatica, gratia habitualis accidentalis, & gratia infinita, & increata diuinitatis in Verbo terminando naturam humanam eminentiori quidem, ac excellentiori modo continens vtriusque perfectionem gratiæ creatæ, & tamen omnes sunt formæ, vel quasi formæ eiusdem denominationis vt sic, sanctificandi nimirum ipsam humanitatem: ergo non implicat contradictionem, quo duæ formæ, vel quasi formæ eiusdem denominationis in communi, &c. Ex quo euidenter sequitur nullam implicare contradictionem, quod duæ subsistentiæ vna creata, & altera in creata eminenter contentiua creatæ, quæ sunt formæ, vel quasi formæ, afficiant, & terminent simul eandem humanitatem.

Secundo sic probatur, quia subsistentia increa- 10
ta, & creata non habent contradictoriam oppositionem inter se, imo nec contrariam, nec relativam: ergo possunt simul esse, afficere, ac terminare eandem naturam: hæc consequentia supposito antecedenti est euidens, quia Deus solum non potest vincere oppositionem contradictoriam, ponendo simul vtrumque extremum contradictorium in eodem subiecto, ac proinde definitur omnipotentia Dei, dum dicitur est potentia, quæ potest facere quicquid non implicat contradictionem: vnde, quia ponere duo extrema conuenientia vniuoce positiue simul, respectu eiusdem, quæ successiue possunt esse respectu illius, non in volunt contradictionem, licet naturaliter, repugnet, potest diuinitus executioni mandare, & ideo potest Deus ponere in eodem subiecto simul summum calorem cum summa frigiditate, summam albedinem cum summa nigredine, licet habeant oppositionem contrariam, quia illa oppositio

non est contradictoria inter illas : item Deus potest facere quod duo corpora simul sint in eodem loco , licet naturaliter non possent simul existere in eo, & quia nulla est contradictio, potest Deus absoluta potentia facere quod tres subsistentiæ diuinæ terminent simul eandem naturam, ac denique potest Deus facere quod gratia habitualis, & peccatum vt tale habituale sint simul in eadem anima , licet magnam habeant repugnantiam , & duæ præsentiæ diuersorum locorum possunt simul poni in eodem corpore solum , quia non opponuntur contradictorie ; sed duæ subsistentiæ , vna creata , & altera increata, vna propria & altera aliena , non habent contradictoriam oppositionem : ergo per potentiam Dei absolutam possunt terminare eandem naturam simul; antecedens sic euidenter conuincitur, quia tunc datur oppositio contradictoria inter aliqua extrema, quando datur maxima, & immediata repugnantia inter illa , & tunc datur maxima , & immediata repugnantia, quando talia extrema sunt eius rationis vt nulla detur conuenientia, nec analoga , nec vniuoca in ratione essentiali communi vtrisque , & ideo infallibiliter ex contradictoriis extremi , vnum debet esse negatiuum , & alterum positiuum , quapropter definitur contradictio , dicendo esse affirmationem, & negationem eiusdem de eodem , id est necessario debere versari inter affirmationem , & negationem, & inter extrema, quorum vnum necessario sit positiuum, alterum negatiuum immediate illius positiui , quia definitio contradictoriarum regulatur illo principio Metaphysicæ : impossibile est idē simul esse, & non esse; vel illo: quodlibet vel est, vel nō est, quod latissime probauimus *in Logica, tract. de principiis*, & ratio euidens à priori est , quia solum inter extrema dicta datur summa, maxima, & immediata repugnantia, quia ibi datur summa repugnantia, inter quæ nulla datur conuenientia, sed intra extrema, quorum vnum est negatiuum , & alterum positiuum nulla datur conuenientia , ens enim & non ens minime conueniunt; & è contra , si ambo extrema essent positiua , conuenirent in ratione positiua vt sic essentialiter, & si essent negatiua ambo conuenirent in ratione negationis vt sic essentialiter : ergo solum illa extrema , quorum alterum est positiuum , & vnum negatiuum, nullam habent conuenientiam , atque adeo habebunt maximam repugnantiam.

Deinde inter ea etiam datur immediata repugnantia , quia negativum contradictorium non removet seu negat alterum positiuū contradictorium , mediante alio , seu per aliud medium, sed per seipsum essentialiter , quia non homo ex vi suæ formalitatis negat hominem : ergo solum inter ea extrema quorum vnum est positivum, & alterum negativum , dabitur repugnantia immediata, & maxima; ac proinde dabitur oppositio contradictoria : sed subsistentia diuina est essentialiter positiua entitas, & subsistentia creata est adæquate , & essentialiter positiua , ita vt diuina in quantum subsistentia , & in quantum diuina est realiter , & essentialiter sit positiua , & subsistentia creata in quantum subsistentia , & in quantum creata sit realiter , & essentialiter positiua , positiuum enim transcendit vltimas differentias illarum , quod supra probauimus contra Scotum , asserentem suppositalitatem esse negationem. Vnde absolute, & simpliciter subsistentia creata , & increata conueniunt intrinsece , & essentialiter in ratione subsistentiæ positiuæ vt sic, quæ conuenientia siue sit vniuoca, vt in mea sententia, siue analoga vt in sententia Aduersariorum maxima vocatur , ex eo quod essentialis sit , ideſt ex eo quod sit conuenientia per prædicata essentialia vtriusque, & in ratione communi essentialiter participabili tam à diuina, quam à creata subsistentia ; item maxima vocatur per comparationem ad entitatiuam, & accidentalem conuenientiam : ergo cum ex vno capite, tales subsistentiæ sint ambæ positiuæ, ita vt in rationibus formalibus earum nihil includatur negationis , ratione cuius habeant maximam conuenientiam essentialem in ratione positiuæ personæ vt sic , quæ in sententia omnium inter contradictoria , nunquam reperitur , & ex alio capite suppositalitas diuina eminenter contineat suppositalitatem creatam, quod etiam minime potest conuenire vni contradictorio respectu alterius, vt v.g. homini respectu non hominis, & non Dei, respectu Dei necessario, & euidenter sequetur inter subsistentiam diuinam, & creatam, non dari oppositionem contradictoriam , ac proinde posse diuinitus reperiri simul terminando, & afficiendo eandem naturam, quia Deus solum duo extrema contradictorie opposita non potest coniungere in eodem subiecto , vel quasi subiecto , quapropter non potest Deus facere, quod eadem natura simul habeat subsistentiam propriā, & negationē eiusdem propriæ subsistentiæ , quod terminetur, & non terminetur diuina subsistentia , quod eadem anima habeat intellectum & carentiam illius , quia illa extrema cum sint eius conditionis , vt vnum sit positiuum , & alterum negatiuum , necessario dicunt contradictoriam oppositionem.

Dices quod licet diuina subsistētia nō sit contradictio subsistentiæ creatæ immediate , esse tamen mediate, quia subsistentia creata dicit negationem subsistentiæ increatæ, ac proinde non posse poni simul in eodem subiecto , vel quasi subiecto ; quod autem mediate dicant contradictionem patet, quia ad vnamquamque illarum sequitur negatio identitatis cum altera , & sic est verum dicere subsistentia creata non est increata , & è contra. 11

Sed contra hanc sic meo videri euidenter insurgo , quia ad hoc vt non possit Deus ponere duas formas , vel quasi formas simul respectu eiusdem subiecti, non sufficit huiusmodi mediata contradictio inter ipsas , sed necessaria est vt intercedat immediata inter eas in ordine ad subiectū, nam calor dicit negationē mediatam frigiditatis in summo, & formæ irrationali forma rationalis, & forma cadaueris formæ viventis , & peccatum habituale respectu gratiæ habitualis, quia vere & realiter summus calor non est frigiditas summa , sed forma rationalis nec est, nec potest esse forma irrationalis, & bruta ; & nihilominus ex eo quod non sint termini immediate se inuicem contradicentes, hoc est ex eo quod vnus terminus non sit negatio immediata alterius , cum sint formæ positiuæ, possunt simul esse per potentiam Dei absolutam in eodem subiecto : ergo licet subsistentia diuina & creata, dicant inter se mediatam illam ab aduersariis assignatam contradictionem cum non dicant immediatam, poterunt esse simul respectu eiusdem naturæ diuinitus; nam quid magis repugnans mediate, quam præsentia diuisibilis , & præsentia indiuisibilis; illa propria, quia est connaturalis Corpori Christi, sicut subsistentia propria cuicumque homini; ista aliena, quia est supernaturalis illi, & quia est quasi 12

quasi oppositæ indigentiæ Corpori, & nihilominus sunt simul in eodem Corpore Christi secundum fidem nostram, & possunt esse simul in diuersis locis, sed esse simul in eodem loco, quia verbi gratia, si Corpus Christi consecraretur in tanta materia panis, vt æquaret magnitudinem ipsius Corporis Christi, in sua extensione naturali, post talem enim consecrationem poterit idem Christus siue per adductionem specierum sacramentalium ad cœlum, siue per descensionem ipsius ad terram, vbi esset consecrata talis hostia penetrari cum illis accidentibus sacramentalibus in eodem loco, in quo casu Corpus Christi sacramentaliter esset sub speciebus panis, & in eodem loco Corpus Christi, cum præsentia circumscriptiua esset simul per supradictam penetrationem; vnde idem Corpus in eodem loco afficeretur duplici præsentia, vna diuisibili, & altera indiuisibili, licet magnam habeant naturalem repugnantiam tales præsentiæ, & licet vna diceret negationem alterius, quæ induceret contradictionem mediatam assignatam ab aduersariis, qua non obstante ex eo quod ambæ positiuæ essent, possent poni simul in eodem Corpore: ergo similiter duæ positiuæ subsistentiæ, ex eo quod positiuæ sunt, poterunt afficere simul eandem naturam diuinitus.

13 Deinde, quia inter illas positiuas rationes, quæ successiue possunt afficere idem subiectum, licet detur mediata oppositio contradictoria, quia tamen talis oppositio mediata non est in ordine ad simultatem, & existentiam simul respectu eiusdem subiecti, sed respectu identitatis inter se bene possunt diuinitus collocari in eodem subiecto simul, licet non possint identificari diuinitus adhuc inter se, quia expulsio, quæ est effectus contradictionis, debet esse in ordine ad id, ad quod est contradictio, & non in ordine ad quod minime est, vt patet ex exemplis supra positis; nam quia albedo dicit mediatam contradictionem respectu nigredinis, ne identificentur, nunquam poterunt identificari adhuc diuinitus, & ideo nunquam albedo poterit esse nigredo, quia vero albedo non dicit mediatam contradictionem essentialem cum nigredine respectu simultatis in eodem subiecto, bene potest simul cum nigredine poni in eodem subiecto, & ratio euidens est, quia in ordine ad idem subiectum, sola immediata contradictio est quæ non potest vinci à Deo, vt est illa quæ reperitur inter negationem, & positiuam formam; vnde si immediata contradictio non datur inter duas rationes formales, alia non potest dari quæ impediat, quo minus per potentiam Dei absolutam possint esse simul in eodem subiecto; sed subsistentia diuina non dicit contradictionem immediatam cum subsistentia creata, licet dicat mediatam, quæ ab aduersariis assignatur in ordine ad identitatem: ergo licet Deus non possit facere sua potentia absoluta, vt subsistentia diuina sit subsistentia creata, & quod identificentur inter se, nihilominus bene poterit facere, quia duæ formæ ex quibus vna supplet vicem alterius, & continet eminenter aliam, & successiue terminant eandem naturam, bene poterunt simul per potentiam Dei absolutam terminare, & afficere eandem naturam.

14 Dices, licet subsistentia creata non sit contradictio subsistentiæ increatæ, nihilominus ex simultanea terminatione illarum respectu eiusdem naturæ sequi euidentem contradictionem, ac proinde adhuc diuinitus non posse terminare illam.

Contra, quia ex duabus formis, vel quasi formis non sequitur nisi secundus effectus, vel quasi effectus formalis; omne enim quod sequitur ad aliquam formam, est effectus formalis illius, sicut omne quod sequitur ad causam vt sic est effectus vt sic, sed omnis effectus causæ formalis, vel quasi causæ formalis, est dumtaxat duplex effectus, nimirum primarius, vel secundarius: ergo omne quod sequitur ad causam formalem, est duplex effectus formalis, vel quasi formalis: sed ex duobus illis effectibus primarij effectus duarum formarum, vel quasi formarum positiuarum, non dicunt inter se oppositionem contradictoriam, & sic bene possunt reperiri in eodem subiecto, nam eo modo sunt effectus primarij quo sunt formæ: sed formæ illæ sunt positiuæ adæquate: ergo effectus primarij illarum sunt positiui adæquati, verbi gratia, quia albedo, & nigredo sunt formæ positiuæ, etiam album, & nigrum sunt termini & effectus positiui; sed duo termini, seu extrema positiua, quia ambo positiua sunt, non possunt opponi contradictorie: ergo effectus primarij, positiui duarum formarum positiuarum, non poterunt opponi contradictorie, quia vt supra dixi, ex terminis contradictoriis nec ambo possunt esse positiui simul, nec ambo negatiui, sed necessario vnus debet esse positiuus, & alter negatiuus, sed duæ subsistentiæ, creata nimirum & increata sunt duæ rationes formales positiuæ adæquate: ergo constituta primaria, vel quasi effectus primarij illarum necessario deberent esse positiui, persona nimirum creata, & increata: ergo non haberent oppositionem contradictoriam propter rationem dictam. 15

Effectus autem secundarius contradictorius est respectu alterius formæ, verbi gratia, effectus primarius albedinis est album, effectus autem secundarius est negatio nigredinis in subiecto vbi est albedo, & sic nullo modo potest esse effectus secundarius formæ positiuæ vnius cum altera forma positiua, hic autem secundarius effectus non essentialiter & necessario sequitur ad formam, sed solum secundum leges naturæ, & ideo per potentiam Dei absolutam potest Deus facere, ne talis effectus secundarius sequatur in natura ipsa, fundatus secundum commune ac tritum axioma, quo communiter dicitur, Deum posse supplere effectum secundarium formarum, ideo potest tanquam vniuersalis dominus ob plenum dominium quod habet supra leges naturales dispensare in illis & facere, ne sequatur talis effectus secundarius: exemplo manifestissimo sic probatur: Deus potest facere, vt existente calore summo in aliquo corpore ne sequatur effectus secundarius talis caloris, qui est negatio, seu contradictio frigiditatis, ac proinde existente adhuc calore in summo potest Deus introducere frigiditatem in summo, & conseruare simul illas qualitates contrarias in eodem subiecto, & ratio huius dispensationis est à priori, quia calor in summo, & effectus secundarius ipsius, scilicet negatio frigiditatis, sunt rationes à parte rei distinctæ: sed omne quod distinguitur ab alio, etiamsi maximam habeat connectionem naturalem cum illo, potest per potentiam Dei absolutam separari ab eo, vt patet ex dictis supra de signis separationis: ergo talis effectus secundarius formæ positiuæ, potest diuinitus separari ab ipsa forma, ita vt existat forma sine tali effectu secundario, nec mirum quod diuinitus hoc possit fieri, cum naturaliter etiam contingat vt detur negatio sine forma, cuius effectus esset secundarius; nam in vno subiecto, 16

quod tepidum est, datur carentia frigiditatis in summo, quæ existente calore summo existeret, tanquam effectus secundarius illius, in quo casu evidenter sequitur separari inter se negationem & formam, cuius effectus secundarius est talis negatio, ac proinde necessario dicendum est talem negationem distingui à forma, cuius effectus secundarius est: ergo Deus potest separare causam illam formalem ab illo effectu formali, ita vt existente calore in summo non detur negatio frigiditatis in summo, & sic poterit Deus introducere simul cum calore summo frigiditatem in summo, quia contradictio seu negatio quæ impediebat talem introductionem per potentiam Dei absolutam, impeditur ne sequatur: eodem modo philosophandum est in secundo subsistentia, & concedendum posse à Deo suspendi effectus secundarios illarum, scilicet negationes ipsarum adinuicem, cum tales negationes distinguantur à parte rei ab illis subsistentiis, & solum sequantur ad illas lege naturali, in qua potest Deus dispensare ob plenum, ac supremum dominium, quo gaudet supra illam: ergo sine vlla tergiuersatione concedendum est diuinitus nullam se qui contradictionem ad simultaneam duarum subsistentiarum terminationem respectu eiusdem naturæ, quia vt iam supra dixi, omne quod sequitur ad aliquas formas, est effectus primarius, & secundarius, sed primarius vt supra probaui non est contradictio, & secundarius quicumque ille sit, licet in se sit contradictio, potest impediri à Deo, & per potentiam suam absolutam non sequi, & sic fatendum erit omnino bene posse diuinitus duplicem subsistentiam, creatam scilicet, & increata simul terminare eandem naturam, vt vis huius argumenti cogit, quod adeo vniuersale est vt funditus labefactet quamcumque solutionem aduersariorum, & quodcumque inconueniens excogitatum ab illis contra nostram sententiam; nam omne inconueniens, vt aliquomodo vrgeat nos, debet esse contradictio, cum pro omnipotentia Dei pugnemus: atqui talis contradictio, vt impediat terminationem duarum subsistentiarum simul debet sequi ex tali terminatione simultanea, quia si non sequitur erit disparata respectualis simultaneæ terminationis, ac per consequens nihil impediet illam; si autem sequatur, necessario debet esse aut effectus primarius aut secundarius, non vt effectus primarius, quia effectus primarij duarum subsistentiarum, cum non sint positiui non habent contradictionem inter se, si sequatur tanquam effectus secundarius non sequitur necessario, sed potest à Deo suspendi, vt nuper probauimus: ergo nullum inconueniens contradictionis necessario, sequitur impediens per potentiam Dei absolutam simultaneam terminationem duarum subsistentiarum creatæ videlicet, & increatæ respectu eiusdem naturæ.

17 Vltimo vagetur hæc ratio, quia tantum abest vt sint termini contradicentes duas suppositalitates respectu eiusdem naturæ, vt potius nullam oppositionem habeant inter se non relatiuam, quia Deus non dicit relationem ad creaturam, & si creatura dicat relationem ad Deum est relatio conuenientiæ, vel effectus ad causam, vt sanctitas creata dicit relationem ad sanctitatem increatam, quæ relatio non obest ad hoc vt simul sint in eodem subiecto Christi duæ illæ sanctitates vt supra vidimus nec habent contrariam oppositionē quia vnū contrarium non continet eminenter alterum, nec potest supplere vicem illius: atqui subsistentia diuina continet eminenter creatam, & potest supplere vicem illius: ergo nullam habent oppositionem: ergo ratio quare non sunt simul, est eadem quare non simul duæ formæ vel accidentales, vel substantiales in eodem subiecto, ne videlicet detur aliquod superfluum, vel alia huiusmodi fundata, in lege naturali; lex autem omnis naturalis dispensari potest à Deo; ex alio autem capite non daretur superfluum, tum quia maxima Dei perfectio est, vt communicabilis sit creaturæ secundum illam maximam similitudinem, quam habet in esse Trinitatis in hoc quod sicut ibi dantur in vna personalitate tres personalitates, ita similiter in vna essentia humana, nam esset personalitas propria, & possent esse aliæ duæ, videlicet Filij & Spiritus Sancti, quæ facerent tria suppositа, idest admirabilem Trinitatem personarum, in vnitate numerica naturæ quæ est maxima vnitatum: tum etiam quia vbi datur finis aliquis, superfluitas impeditur, sed in tali simultanea terminatione personalitatum daretur summus, ac perfectissimus finis, ostensio nimirum diuinæ sapientiæ, & omnipotentiæ, quibus scit, & potest diuina illa maiestas superare inconuenientia quæcunque & repugnantias naturæ viribus insuperabiles.

Tertio sic probatur principaliter, quia in probabiliori sententia, vt est P. Suarez, datur in diuina natura vna subsistentia absoluta & essentialis, cum aliis personalibus, & enti relatiuis, ita vt absoluta eminenter contineat relatiuas; sed quia tales subsistentiæ aliquomodo sunt diuersi ordinis, scilicet absoluti, & relatiui, nonobstante continentia eminentiali relatiuarum in absoluta, non se impediunt, nec confunduntur in eadem natura; sed potius perfectissime constituunt illam sine aliqua oppositione: ergo similiter licet in natura humana, vel Angelica detur subsistentia propria creata, non implicabit contradictionem dari subsistentiam increatam eminenter contentiuam creatæ simul respectu eiusdem naturæ humanæ, vel Angelicæ, cum sint diuersi ordinis infiniti, videlicet & finiti per potentiam Dei absolutam, sine oppositione, sine impedimento; ac tandem sine confusione aliqua, sed potius cum summa ac perfectissima excellentia, pulchritudine ac venustate naturæ humanæ, & cum mirabili diuinæ sapientiæ omnipotentiæ bonitatis ostensione. 18

Quarto sic probatur principaliter, quia nullum est inconueniens quod ab Aduersarijs ponitur impediens talem simultaneam terminationem duarum subsistentiarum, respectu eiusdem naturæ; inconueniens enim hoc est, videlicet naturam non posse esse per se, & in alio, quod sequeretur ex tali terminatione; hoc autem inconueniens nullum est, quia dupliciter potest sumi illud esse in alio. Primo pro eo quod est esse per inhærentiam in subiecto, & hoc est proprie esse in alio, cum sit inniti, & substentari ab alio subiecto inhæsionis, & hoc modo in casu nostro minime esset illa natura in alio, sed potius esset per se perfectissime, dupliciter id est existere, & subsistere propria, & increata subsistentia; subsistere enim per subsistentiam, licet sit increata illa, & supernaturalis, non tollit quin sit subsistere, & quod sit ens per se, & existat per se: ergo similiter existere per sistereque, per duplicem subsistentiam non tollit quin sit existere, & subsistere per se, sicut v.g. quia quod afficitur vna albedine, est album, & disgregatiuum visus affici 19

secundi

secundi albedine non tollit esse album, & disgregatiuum visus.

Efficacius exemplum; in Christo Domino affici sanctitate habituali, est esse sanctum, & iustum, & nihilominus ex eo quod Christus iterum sanctificetur sanctitate increata Verbi, non desinit esse sanctum per gratiam habitualem, imo potius per vtramque sanctitatem perfectissime sanctus redditur, sine eo quod vna destruat aliam vt supra probauimus: ergo pari modo si per subsistentiam propriam, quia subsistentia ex natura humana constituitur ens per se, ac per consequens subsistens per aduentum subsistentiæ increatæ non tolletur à natura ratio entis per se subsistentis, sed potius perfectissime supernaturaliter dupliciter erit ens per se; tum per propriam, tum per increatam subsistentiam, alio modo est esse in alio, id est suppositari per suppositalitatem alterius, & hoc modo existere in alio minime opponitur modo existendi per se, imo vt clarius dicam, potius est existere per se perfectissime, & supernaturaliter, & increata subsistentia, quam existere in alio, itaque existere per propriam subsistentiam, & increatam non est existere per se, & in alio proprie, sed potius est subsistere, & existere per se bis, ac bifariam, perfecto scilicet, & perfectiori modo, quid autem inconuenientis reperiatur in his modis subsistendi per se naturaliter, & supernaturaliter per potentiam Dei absolutam non invenio, & cum clare videam infinitatem omnipotentiæ hoc sibi suo iure petentis huic potius tribuo quod suum est, dum ipsius partes ago sine damno alterius cuiuscumque, quia si ius pronunciat meliorem esse conditionem possidentis: quid dicendum erit in rebus euidentibus, quando in dubiis fauet possidenti hoc pronunciatum.

20 Vrgetur cum Patre Hurtado, quia humanitas in proprio supposito, non existit per se magis quam in alieno: ergo esse in proprio, & alieno non habent oppositionem, quam cuiuitas cum rectitudine, generatio cum creatione, vt ait Suarez. Probatur antecedens, esse per se vel est naturam esse independentem per suum conceptum, vel dicit vnionem substantialem excludentem esse per accidens, vel dicit esse per suppositum sibi cõnaturale cui innitatur, & à quo fulciatur: sed idẽ habet per vnionem ad Verbum: ergo. Probatur maior, quia si humanitas per suum conceptum est independens, item in Verbo erit independens, cum ibidem retineat proprium conceptum, quia conceptui humanitatis nullam maiorem dependentiam addit Verbum quam suppositum creatum, quia eius vices supplet, & quia humanitas iisdem actionibus creatur in Verbo, quibus in supposito connaturali, sed humanitas terminata proprio suppositio est indépendens se ipsa, & per se: ergo & terminata Verbo, vel cum proprio supposito, non est per se independens; item illa vnio est substantialis, & per se, & excludit vnionem per accidens: præterea si humanitas est per se, quia habet proprium suppositum cui innitatur, ita habet Verbum cui innitatur: ergo humanitas eodem modo est in alieno supposito, quo in proprio.

21 Confirmatur, suppositum Verbi supplet vices suppositi creati: ergo quicquid præstabat creatum, præstat & Verbum: sed creatum præstabat naturam per se in tua sententia: ergo idem præstat Verbum; nam à subsistentia Verbi dicitur subsistens, subsistens autem est esse per se: ergo humanitas in Verbo est per se: ergo eo modo, quo in suo supposito: respondet Suarez, quod suppositum naturale est modus constituens naturam per se, & independentem: ergo illi affert actualem negationem ad aliud suppositum; vnde licet illi modi sint positiui, tamen vnus essentialiter petit negationem alterius.

Sed contra, quia nos non negamus ad subsi- 22
stentiam creatam sequi negationem alterius subsistentiæ siue creatæ, siue increatæ, vt ex supra dictis patet, negamus tamen quamcumque negationem sequutam ad subsistentiam propriam esse essentialem illi, duplex enim negatio petitur à subsistentia propria; alia est qua distinguitur subsistentia propria ab increata formaliter in sententia Patris Suarez, & hæc negatio dicitur negatio essentialis respectu subsistentiæ propriæ, quia est qua formaliter distinguitur essentialiter, à subsistentia increata, & qua negatur subsistentiam creatam posse identificari cum diuina, & quia immediate fundatur in essentia subsistentiæ propriæ, & exigitur in illa ex vi prædicatorum essentialium, ita vt in vltimis differentiis ipsorum prædicatorum intime imbibatur, eaque intrinsece transcendat, ratione cuius ab aliquibus, licet non certe, probabiliter tamen solet dici identificari cum ipsa essentia rei, communis autem sententia DD. licet non concedat identificari vocat ire optimo essentialem negationem propter ratio nes supra dictas, quæ negatio, quia proprie neg atio est, non potest tolli ab essentia, & entitate in qua fundatur per introductionem contradictorij, quia subiectum illius negationis non est capax contradictorij talis negationis. Vnde si tollenda est talis negatio, debet esse destruendo fundamentum illius, quare conseruato illo adhuc de potentia Dei absoluta, non potest tolli talis negatio, quod adeo verum est, vt à nullo etiam amente, aliquando fuerit in dubium reuocatum, quis enim poterit dicere potentiam Dei absolutam posse fieri, vt subsistentia propria creata non distinguatur à subsistentia increata, & quod identificetur cum illa, ac per consequens admittat contradictorium talis distinctionis, scilicet identitatem cum Deo, alia autem negatio datur in subsistentia propria, quæ non fundatur immediate in ipsa subsistentia propria, ex se, & propter se solam, & in ordine ad se solam: sed tamen in ordine ad naturam, tum etiam in ordine ad alteram subsistentiam, ne sit simul cum illa in eadem natura, hoc est, est negatio negans non identitatem cum subsistentia propria, sed potius consortium alterius interminando naturam, & hæc negatio non est essentialis sed naturalis, & non est proprie negatio sed priuatio, quod non sit essentialis sic probatur.

Primo, quia ex vi definitionis subsistentiæ pro- 23
priæ non datur aliquod prædicatum quod exigat in ipsa subsistentia negationem consortij alterius, quia neque tale prædicatum existens in subsistentia propria est commune omnibus subsistentiis, tam creatis quam increatis, neque est proprium subsistentiæ propriæ: ergo nullum prædicatum est in subsistentia propria, ratione cuius petatur talis negatio, ac proinde debeat denominari illa essentialis: antecedens sic probatur, quia si talis negatio sequeretur ad prædicatum commune omnibus subsistentiis tam creatis, quam increatis, quæcumque subsistentia siue creata, siue increata haberet negationem consortij cum altera, quia quicquid conuenit superiori, conuenit omni contento sub illo: atqui subsistentia increata, verbi gratia, Patris æterni, non exigit negationem

simultatis

simultatis cum altera, sed potius petit consortium duarum, scilicet Patris, & Spiritus Sancti, & Filij: ergo signum euidens est negationem consortij alterius subsistentiæ peti à ratione communi subsistentiæ vt sic: item nec à prædicato proprio subsistentiæ propriæ, quia subsistentia propria in quantum propria, solum petit, vt dimanet à natura cuius subsistentia est, & quod non conueniat alteri; hæ enim sunt rationes constituentes subsistentiam propriam in esse propriæ, quod sic probatur, quia etiamsi haberet consortium cum altera, non desineret dimanare à principiis intrinsecis naturæ, nec desineret non conuenire alteris naturis, ac proinde non desineret esse propria, verbi gratia, quia vt probabitur, eadem natura potest affici duplici subsistentia propria, in quo casu simultas duarum subsistentiarum non destrueret esse proprium vniuscuiusque, nec faceret quod vnaquæque non esset propria naturæ; sicut verbi gratia, si per potentiam Dei absolutam idem homo afficeretur duplici risibilitate, talis simultas non faceret, vt vnaquæque risibilitas desineret esse propria passio hominis, siquidem vnaquæque adhuc in consortio alterius conueniret soli, & non multis, ac conuersim prædicaretur de homine: ergo similiter ex eo quod vna subsistentia propria sit cum alia, non impedit quo minus sit propria naturæ.

24 Dices consortium alterius proprie non tollere, quod vnaquæque subsistentia sit propria naturæ; consortium autem alterius alienæ tollere, ac impedire proprietatem illius, ac per consequens negationem consortij alterius, non esse respectu propriæ, sed alienæ.

25 Sed contra, quia negatio consortij alterius nõ solum dicit respectu alienæ, sed etiã respectu alterius propriæ, & ideo tantum repugnat natura & negatur dari duplicem subsistentiam propriam in vna natura, ac vnam propriam, & aliam alienam, & sic tam miraculosum esse affici duplici subsistentia propria, ac propria & aliena, quæ repugnantia est tantum ex vi negationis, sequutæ ad subsistentiam propriam: ergo falso dicitur negationem sequutam ad subsistentiam non esse respectu consortij alterius propriæ: sed solum alienæ. Deinde quia si per potentiam Dei absolutam idem homo afficeretur propria risibilitate, & inhibilitate equi, nullo modo desineret esse propria passio risibilitas ex consortio alienæ passionis, scilicet inhibilitatis, & sic etiam diuinitus afficeretur idem intellectus scientia scilicet acquisita propriis actibus, & simul lumine gloriæ, & scientia infusa non desineret in eo casu scientia propriis actibus acquisita, esse propria hominis ex consortio supernaturalium qualitatum, quæ ex eo quod de foris veniunt, alienæ possunt vocari: ergo similiter, subsistentia propria afficiens naturam, nullo modo desinet esse propria solum propter consortium alienæ: ergo ex vi subsistentiæ propriæ non sequitur negatio consortij alterius: ergo talis negatio non est essentialis.

26 Secundo probatur hoc ipsum, quia negatio essentialis debet esse non in ordine ad aliquod, quod non pertinet ad essentiam illius, destruendo illam, vel alio, modo: sed illa negatio de qua loquimur est in ordine ad consortium alterius, vel in ordine ad simultatem illius, quæ non destruit subsistentiam propriam, vt probauimus: ergo non est essentialis.

27 Tertio, quia in omni forma positiua datur huiusmodi negatio consortij alterius cum ipsa, verbi gratia, in vna quantitate respectu alterius eiusdem speciei cum ipsa respectu eiusdem subiecti; item in vna qualitate respectu alterius in vna actione, in vna duratione, in vna præsentia, & in vna forma substantiali respectu eiusdem materiæ, quia vnaquæque ex his formis, seu entitatibus positiuis petit negationem consortij alterius, ne sint simul in eodem subiecto & nihilominus in omnibus his non est essentialis illa negatio, nec est proprie negatio, sed priuatio; ergo similiter negatio quæ sequitur ad subsistentiam propriam respectu consortij alterius, non erit essentialis illi sed tantum naturalis, quia non est maior ratio in hac negatione proprie subsistentiæ, vt sit essentialis, quam in cæterarum formarum positiuarum negationibus, quod autem in omnibus illis formis negationes non sint essentiales, patet, quia potest Deus per potentiam absolutam ponendo duas formas simul, quæ dicunt talem negationem inter se, ac conseruando entitates ipsarum, destruere tales negationes: ergo tales negationes, non sunt essentiales, quia negatio essentialis non potest destrui, nisi destructa entitate in qua fundatur illa; ex quo etiam colligitur quia talis negatio non sit proprie negatio sed priuatio, quia illa est priuatio, & non negatio quæ destruitur per introductionem sui contradictorij, sed negatio consortij in vna forma destruitur per introductionem simultatis & consortij, quod est contradictorium talis negationis: ergo talis negatio non est proprie negatio sed priuatio. Deinde, quia quando priuatio destruitur per introductionem contradictorij, signum euidens est subiectum talis negationis esse aptum, & capax recipiendi contradictorium illius, nam bene valet ab actu ad potentiam recipit: ergo potest recipere: ergo tali negationi competit definitio priuationis, quia est carentia in subiecto apto nato habere oppositam formam, quod aliter euenit in propria negatione, cum sit carentia in subiecto inepto: ergo talis negatio simultatis in omnibus formis positiuis non est propria negatio sed priuatio: sed subsistentia propria est forma, vel quasi forma positiua: ergo carentia consortij alterius, quæ sequitur ad ipsam, non est essentialis negatio, sed potius propria priuatio: sed propria priuatio tollitur per introductionem contradictorij illius: ergo illa carentia, quæ est in subsistentia propria potest tolli per consortium, & simultatem alterius, in terminando eandem naturam saltem diuinitus: ergo saltem per potentiam Dei absolutam possunt duæ subsistentiæ, de quibus loquimur supponitare, seu terminare eandem naturam.

Vltimo sic probatur principaliter, quia natura 28
terminata propria subsistentia, terminari potest per aliam propriam, item terminata per alienam increatam, per plures etiam alienas simul potest terminari: ergo & natura terminata propria subsistentia, poterit terminari per alienam increatam.

Dices naturam per propriam subsistentiam ter- 29
minari extensiue, & intensiue, per alienam vero solum intensiue.

Sed respõsio hæc est manifesta petitio principij, 30
vt ex aduersariis aduertit Suarez, §. 2. *Ergo ratio*, videntur ergo illi per Verba *intensiue & extensiue* intendisse solum subsistentiam propriam esse adæquatam perfectionem naturæ incompossibilé cum altera subsistentia, quod est eorum assertum, & contra illud nos modo pugnamus, at hæc repugnat quamlibet propriam subsistentiam esse actũ adæquatum naturæ secundum extensionem, & secundum

cundum intentionem, quia adæquatus actus tam secundum intensionem, quam extensionem alicuius virtutis est solum ille, qui simpliciter euacuat omnem indifferentiam illius, ita vt repugnet in illa inclinatio aliqua absoluta, vel sub conditione ad aliud, ideo enim quælibet forma non est actus adæquatus materiæ secundum extensionem, & intensionem, quia quamvis materia actuata vna forma præsertim nobiliori non appetat alteram absolute, appetit tamen illam sub conditione si ab illa priuetur, sed similiter natura actuata, & terminata vna propria subsistentia, saltem sub conditione appetit aliam propriam, alias habitudo naturæ ad propriam quamlibet subsistentiam, seu vt proprius loquar connectio ad illam non esset essentialis & congenita illi, siquidem ab illa separari posset: ergo.

31 Tertio sicut subsistentia propria est adæquatus terminus naturæ, ita vna præsentia localis circumscriptiua est adæquata præsentia corporis, quia sicut hæc per resultantiam naturalem terminat naturam, ita & essentia necessario consequitur Corpus omne, sed Corpori Christi sub vna præsentia locali conceditur diuinitus alia illi non propria Sacramentalis scilicet: ergo & naturæ terminatæ per propriam subsistentiam conferri potest alia subsistentia aliena, ac per consequens subsistentia propria non erit terminus absolute, ac simpliciter adæquatus, sed solum naturaliter, vel secundum leges naturæ, quæ sine dubio subduntur dominio, ac dispensationi diuinæ.

32 Vltimo respondent aduersarij dicentes naturam terminatam per proprium suppositum esse in se, quia est quasi sibi innittens; at vero terminatam per alienam esse in alio, quia ab illo sustentatur, & est illi extraneum, ex quo oritur subsistentiam propriam constituere naturam per se, & independentem ab alio supposito, alienam vero constituere eandem naturam in alio, seu in alieno supposito, & dependentem ab illo implicareque contradictionem vt eadem natura simul sit per se, & in alio dependens, & independens.

33 Sed contra primam partem obiectionis sic insurgo, quia natura non innittitur, & substentatur si proprie loquendum sit à propria subsistentia, sed potius subsistentia substentatur à natura illique innititur, & ratio euidens est, quia natura non educitur à subsistentia, sed potius subsistentia à natura, tanquam modus ipsius: ergo subsistentia dependet à natura à priori simpliciter, & absolute, in fieri esse, & conseruari intrinsece: ergo subsistentia substentatur à natura potius quam natura ab illa. Deinde, quamvis natura innitteretur proprio supposito, ab illoque substétaretur, inde non sequeretur illam in se esse, tum quia suppositum non est ipsum esse naturæ, sed ex natura rei ab illa distinguitur: ergo natura in illo innittens non in se, sed in alio à se nitteretur.

34 Tum etiam, quia naturam innitti proprio supposito non est recipi in illo, sed solum terminari ab illo, sed natura terminata per suppositum alienum non recipitur in illo, vt patet in Verbo, sed solum terminatur: ergo non magis innitteretur proprio supposito natura, quam alieno.

35 Contra secundam partem obiectionis, ita argumentor, quia natura terminata per alienum suppositum, non pendet proprie & à priori ab illo, cum munus tam alienæ, quam proprie subsistentiæ, imo & exercitium illius supponat naturam iam existentem, est enim subsistentia propria actus naturæ; sed omnis actus non pendens à ratione, sed in re talis supponit potentiam, cuius est actus: ergo subsistentia, siue propria, siue aliena supponit naturam: ergo hæc ab illa pendere non potest proprie, & à priori, atque adeo non erit minus independens à priori in supposito alieno, quam in proprio.

Secundo contra, quia vel habet aliquam dependentiam natura à subsistentia connaturali, an non; si habet: ergo non tam innittitur sibi quam supposito, à quo pendet; vnde non erit independens per se, sed per suppositum, imo per se erit dependens à supposito; sicut ergo ex se subsistit, licet vere à supposito pendeat, & illi innittatur, cur non subsistet per se in Verbo licet ab illo dependeat, & illi innittatur, aut quid obest perfectati pendere ab alieno magis quam à proprio supposito, & sicut suppositum proprium naturam reddit subsistentem, quia vnitur illi vt personalitas, cur id non efficit Verbum cum illi vniatur in ratione formali personæ, si autem humanitas non pendet à supposito connaturali, cur à Verbo pendebit, atque ita quicquid natura à naturali supposito habebit à Verbo; ergo Verbum & suppositum creatum non habent modos oppositos, quis enim dicet opponi in eadem domo corruenti duplex fulcimentum, seu firmamentum, vnum perfectius altero intra rationem fulcimenti; non enim vllo modo opponerentur, v.g. fulcimentum ex lateribus compactum, minime opponeretur fulcimento ex marmore coagmentato, sed potius perfecte, & perfectius firmiter, & firmius domum ruentem fulcirent, ac labantem substentarent, vel quis dicet opponi, in corpore beatifico illuminari simul diuinitus luce naturali corporea solis, & luce supernaturali corporea etiam, vt in mea sententia est lux corporum Beatificorum, non enim opponerentur certe, sed perfecte, & perfectius tales luces. 36

Secunda conclusio: natura terminata propria subsistentia non potest terminari aliena creata, humana vel Angelica Hæc est cómunis sentétia, & supposito quod subsistentia creata sit modus, est sine dubio euidens hæc sententia, quia modus rei adhuc per potentiam Dei absolutam non potest separari à re cuius est modus, vt late probatum manet *quæst. vltima proœmiali, conclus. 2.* sed si subsistentia Angeli, v. g. terminaret naturam humanam, esset modus illius, quia subsistentia illius naturæ est modus quam terminat, afficit & cui tribuit suum effectum formalem & adhæret; atqui tunc diuinitus adhæreret humanitati: ergo esset modus, sed p. oterat item non terminare naturam humanam, imo hoc naturaliter si Deus suspenderet miraculum terminationis: ergo separaretur iam ab humanitate, vt nunc manet separata in Angelo: ergo iam modus rei posset separari à re cuius est modus, vnde esset, & non esset modus rei. 37

Secundo quia tota essentia modi consistit in vltima actualitate sine aliqua potentialitate respectu sui effectus primarij, sed substantia Angeli nunc non tribuit suum effectum formalem humanitati, quod potest diuinitus per vos: ergo iam haberet potentialitatem ad illum, vnde esset modus, & non modus quod implicat contradictionem. 38

Tertio sic probatur, quia modus per suam essentiam est actualis affectio illius quod afficit, & ideo nec per potentiam Dei absolutam potest conseruari sine eo quod actu afficiat id quod ex 39

se debet afficere: ergo si potest afficere humanitatem subsistentia Angeli per suum esse, & essentiam actu afficiet illam: ergo numquam potest non afficere illam, quia nunquam potest non habere suam essentiam; atqui si posset non afficere humanitatem quam in eo casu afficeret, posset non esse actualis afficientia humanitatis; atqui esse actualis afficientia humanitatis est essentia illius subsistentiæ, cum ex sua essentia sit actualis afficientia eius quod afficit, in quo consistit ratio modi, & per quam distinguitur modus à re: ergo posset non habere suam essentiam talis subsistentia; vnde talis essentia esset essentia, & non esset essentia; essentia, quia iam supponimus; non essentia, quia posset separari à re cuius essentia est, quod autem posset talis subsistentia Angeli non terminare humanitatem quã in eo casu terminaret; patet euidenter, quia terminaret per vos per potentiam Dei absolutam, & miraculoso modo: ergo naturaliter posset non terminare illam cum miraculum sit supra id quod naturaliter peritur. Deinde quia sicut modus duorum vt vnio non potest esse vnius, ita modus vnius, vt est subsistentia, non potest esse duorum.

40 Tertia conclusio: natura terminata per vnam alienam subsistentiam potest terminari per aliam & aliam simul increatam, verbi gratia, humanitas Christi terminata per suppositalitatem Verbi potest suppositari simul per suppositalitatem Patris, & Spiritus Sancti: hæc est communis Theologorum sententia, eam tenet Angelicus Doctor expresse 3. *part. quæst. 3. artic. 6. in corpore*, eam explicat, probatque optime Pater Suarez, *in commentario huius articuli*.

41 Probatur primo ratione D. Thom. *in corpore*, quia ex parte personarum diuinarum non est repugnantia, cum ab eiusdem naturæ consortio non se excludant necessario, nec etiam datur formalis repugnantia ex parte naturæ assumendæ, cum hæc assumptio non fiat iuxta conditionem, seu capacitatem naturalem illius, sed potius iuxta omnipotentiam facientis, & iuxta capacitatem obedientialem naturæ, quæ ad illa omnia potest obedire Creatori, ad quæ potest se extẽdere omnipotentia Dei: ergo nullo modo repugnat, vt natura terminata per vnam subsistentiam increatam terminetur simul per alias increatas.

42 Dices esse repugnantiam ex parte naturæ creatæ, quia finita est, (naturam autem diuinam propter infinitatem esse capacem, trium subsistentiarum,) ac proinde non habere potentiam obedientialem naturam creatam.

43 Sed contra, quia diuina essentia ex se, & ex natura sua tria suppositа postulat, hocque illi ex infinitate conuenit, similiter quod ita sit in illis, vt cum singulis eorum omnino idem sit cum perfectissima vnitate, & simplicitate, & ideo neutrum horum potest conuenire naturæ creatæ naturaliter, & vt conuenit diuinæ; nam si tres personæ assumerent eandem naturam creatam, neque illa natura esse posset idem adhuc diuinitus cum personis assumentibus, neque ille modus subsistendi esset illi connaturalis, sed per gratiam & omnipotentiam assumentis communicatus ipsa natura non repugnante, quia cum illa sit in potentia obedientiali, ad quamcumque personalitatem, & personæ diuinæ non habeant repugnantiam formalem, vt simul terminent eandem naturam, inde est, quod illæ suppositalitates, quæ successiue possunt conuenire illi simul, conueniant vt materia prima potest habere plures formas simul.

44 Secundo sic argumentor, quia si quid huic obstaret, maxime incommunicabilitas quam subsistentia confert naturæ, quam terminat, sed incommunicabilitas non obstat, primo quia incõmunicabilitas hæc non consequitur alienam subsistentiam, sed terminantem propriam naturam; consequitur enim illam, qua determinatio quædam naturalis seu connaturalis est, non qua obedientialis, quia sicut virtus Dei cui subditur est illimitata, ita & ipsa qua obedientialis quædam determinatio est, sed subsistentia aliena determinans naturam creatam determinat illam propter potentiam obedientialem, non propter connaturalem: ergo.

45 Secundo gratis incõmunicabilitatem illam consequi etiam subsistentiã alienam, adhuc incõmunicabilitas hæc non potest impedire ne virtute Dei natura terminata per illam subsistentiam sit iterũ assumptibilis, & terminabilis per alias alienas, quia incommunicabilis naturæ terminatæ est incõpossibilitas plurium terminorum simul in vna & eadem natura, sicut incommunicabilitas materiæ informatæ per vnam formam, est incompossibilitas simul plurium formarum in vna, & eadem materia: sed consequente materiam ex informatione vnius formæ incommunicabilitate ad alteram potest Deus efficere, vt supra probatum manet, vt altera forma eandem materiam simul informet, rationeque suæ informationis destruat talem negationem consortij, ac incommunicabilitatem: ergo similiter potest Deus facere vt natura terminata cum vna subsistentia simul terminetur per aliam, destruendo negationem consortij, ac incommunicabilitatem naturaliter sequutam.

46 Dices sequi ex determinatione naturæ per duplicem subsistentiam alienam, duo contradictoria simul vera, scilicet actualem, & non actualem terminationem alterius alienæ subsistentiæ, actualem ex mea positione, non actualem, quia incommunicabilitas illa consequitur necessario naturã terminatam, sed ipsa est actualis negatio naturæ alterius subsistentiæ præter illam, cum qua actu natura coniuncta est: ergo.

47 Sed contra, & respondeo negando illas contradictorias, quia incommunicabilitas illa licet naturaliter sequatur, potest per potentiam Dei absolutam non sequi, quia prima, & absoluta causa non subditur legibus naturæ, & aduerte hanc obiectionem eodem modo, & sub iisdem terminis opponi posse aduersus duarum formarum substantialium in eadem materia coëxistentiam.

Dices subsistentiam esse vltimum terminum naturæ, non vero formam substantialem.

48 Sed contra, quia quamuis subsistentia sit vltimus terminus, inde solum sit ipsam non posse terminari vlterius, non tamen naturam terminatam specificatiue, cum adhuc in illa maneat obedientialis indifferentia; exemplo manifestissimo hoc conuincitur, quia corpus præsens reduplicatiue vt præsens, vel præsentia ipsius in qua fit reduplicatio respectu huius loci, non potest affici alia præsentia indiuisibili, vt sit in alio loco, v.g. præsentia Corporis Christi circunscriptiua existentis in cœlo, nec ipse Christus, provt sic reduplicatiue præsens potest affici potentia indiuisibili ad existendum in hostia, nihilominus ipse Christus specificatiue, qui in cœlo præsens est per illam præsentiam afficitur præsentia indiuisibili, vt sit præsens in hostia: ergo similiter licet natura reduplicatiue terminata, vel terminus ipsius non possit vlterius terminari, bene tamen poterit ipsa natura specificatiue idem quæ terminatur tali termino terminari altero.

In

49 In quo casu licet plures personæ diuinæ assumerent eandem numero humanitatem, esset tamen vnus simpliciter homo, & plures personæ seu suppositа, vt patet ex multiplicatione nominis substantiui adiuncto nomine numerali, de qua egimus latissime *in perhiermeniis*, data opera, sic D. Thom. & pene omnes Theologi, & ratio est, quia terminus substantiuus essentialis, vt homo, verbi gratia, formaliter significat formam totius, seu naturam vt in habente illam, & ideo, vt simpliciter dicatur vnus homo, sufficit vnitas naturæ.

50 Declaratur, nam Christus absolute est vnus homo eiusdem speciei cum aliis hominibus propter vnitatem specificam naturæ, quamuis suppositalitas Christi Domini plusquam genere distinguatur à personalitatibus cæterorum hominum: ergo pari ratione tres personæ erunt vnus homo numero propter vnitatem numericam naturæ, etiamsi personalitates distinctæ sint, vt propter vnitatem numericam naturæ diuinæ est vnus numero Deus, licet tres sint personalitates distinctæ.

51 Vltima conclusio: bene potest diuinitus eadem numero natura terminari pluribus subsistentiis propriis: hæc est communis sententia, expresseque defenditur à Patre Suarez, & quia nullius est difficultatis operepretium duxi illam leui, vt ita dicam, Minerua ostendere.

52 Primo, quia eadem entitas bene potest pluribus modis eiusdem speciei simul diuinitus affici, vt ex supra dictis patet, & sic bene potest idem effectus pluribus actionib⁹ simul produci, & eadē materia prima pluribus vnionibus ad plures formas vniri, & idem corpus pluribus præsentiis affici, sed plures subsistētiæ propriæ sunt plures modi eiusdem speciei: ergo bene potest eadem natura diuinitus simul pluribus subsistentiis terminari.

53 Secundo, quia nulla datur implicatio contradictionis, quia suppositalitas, & vnio, vel quasi vnio illius continentur in virtute naturæ, quod vero simul esse non possint, prouenit ex eo quod natura repugnat superfluum, & non propter aliquam oppositionem illarum personalitatum. Deus autem potest dispensare in hac lege ordinaria, sicut dispēsaret quando poneret duo numero accidentia eiusdem speciei in eodem subiecto, duplicem formam substantialem in eadem materia prima, dicas contrarias qualitates simul in eodem subiecto, duas quantitates in eodem spatio, & in eodem corpore duas præsentias, quando vnum & idem Corpus est in loco, vt est de fide in Corpore Christi in cœlo existentis, & motus sursum, & deorsum simul in eodem mobili: ergo potest hoc quod est minus Deus facere per potentiam suam absolutam terminare, videlicet simul eandem naturam duplici subsistentia propria, in quo nulla oppositio, nulla repugnantia, nulla incompatibilitas datur. Dices cum Patre Vasquez, *disputat.* 25. naturam creatam non habere vim ex se, vt terminetur duplici subsistentia propria, alioquin applicato agente naturali, eam posset ipsum agens terminare duplici subsistentia: ergo nec de potentia absoluta habet eam vim.

54 Sed contra & nego consequentiam cum Patre Hurtado, quia potest per potentiam obedientialem passiuam: formoque argumentum idem contra eundem humanitatem non habere vim naturalem ad subsistentandam vnionem hypostaticam, nec Christi Corpus ad vbicationem Eucharistiæ, & simul in cœlo, dicit hoc esse per potentiam passiuam; bene ergo & poterit natura terminari à duplici subsistentia propria, & sicut humanitas, quæ est prima causa receptiua vnionis hypostaticæ, potest eleuari ad supernaturalem vnionem, cur & prima causa materialis non poterit eleuari ad recipiendam duplicem subsistentiam, & cur primæ causæ formales, scilicet duæ subsistentiæ non poterunt, cum tantum tribuant suum formalem effectum, vniendo se eidem naturæ, quem effectum recipit materia patiendo vnionem causa prima actiua, quia est Deus, non potest eleuari, quia nullius subijcitur imperio, secus creatæ causæ primæ in suo genere, quia licet primæ sint, sunt primæ creatæ, ac per consequens dependentes, & sub dominio increatæ causæ, quæ sicut potest annihilare illas, & sicut potuit producere ex nihilo, sic potest mille modis disponere de illis propter plenum, ac supremum dominium, quod habet supra illas, vt infinitis modis ad nutum suæ voluntatis, & quomodo voluerit de ipsis disponat, inter omnes autem modos dispositionis diuinæ, est eleuatio creaturæ ad superiorem statum: ergo bene potest causa prima creata materialis aut formalis eleuari ad id quod natura non potest iussu omnipotentiæ diuinæ.

## SECTIO VLTIMA.

### *Argumenta aduersaria soluuntur.*

AD primum primæ sententiæ respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam; ad probationem illius nego in vniuersum à duplici causa totali non posse eundem numero effectum prouenire, vt patet ex dictis in Physicis, vbi docuimus à duabus causis adæquatis efficientibus diuinitus posse eumdem numero effectum prouenire. Præterea in causis formalibus accidentalibus falsum est dicere non posse eundem numero effectum à duplici causa prouenire, quia plures scientiæ totales sunt causæ formales constitutiuæ sapientis, & nihilominus idem numero homo sapiens pluribus scientiis constituitur in esse vnius numero sapientis, & ideo idem numero Christus est vnus numero filius, & nihilominus afficitur pluribus filiationibus, seu, vt melius loquar, constituitur illis, scilicet filiatione increata Verbi, filiatione etiam substantali vnionis hypostaticæ respectu totius Trinitatis, & filiatione accidentali respectu B. Virginis, & licet hoc verum sit, concedo tamen in causis formalibus substantialibus intrinsecis, ob peculiarem illarum rationem, tum quia non causant, nisi seipsas exhibendo intrinsece: vnde effectus illarum non est alius ab illis exhibitis cum subiecto vnito illis, quare cum plurium causarum formalium entitates diuersæ sint, diuersos etiam secundum rem effectus formales præstare debent. Tum etiam quia cum causa formalis substantialis, sit præcipua ratio constitutiua effectus, ab illa debet sumi vnitas, vel multiplicitas effectus, ita vt si vna sit causa formalis; sit vnus, & idem effectus formalis, si autem multiplex sit causa formalis, multiplex debet esse etiam effectus formalis ab illis formis constitutus; vnde in eo casu in quo eadem natura terminaretur à duplici subsistentia, seu personalitate, cum effectus formalis illarum personalitatum non sit natura, sed persona resultan ex natura terminata per personalitatem & ex personalitate terminante naturam & tunc re- 55

sultaret duplex persona, non esset idem effectus formalis, sed duplex à duplici causa formali.

56 Ad secundum patet; ex dictis conclusio prima ratione quarta principali & sequentibus.

57 Ad primum secundæ sententiæ respondeo primo negando suppositum, quia supponit aduersarius in illo argumento naturam vnitam Verbo ab illo necessario pendere, quod non est necessarium, quia humanitas proprio supposito affecta habet omnia, à quibus pendet à priori, & à posteriori: ergo sic affecta licet vniatur Verbo ab illo, non pendebit: ergo talis vnio non repugnat cum supposito naturali, & cum subsistentia propria, sicut vnio animæ rationalis ad corpus non pugnat cum subsistentia ipsius animæ rationalis, quam conseruat adhuc vt vnita corpori, ex quo colligitur non habere cum supposito proprio eandem proportionem quam habet curvitas cum rectitudine, generatio cum creatione.

58 Dices naturam pendere à supposito. Distinguo, à supposito connaturali transeat, ab alieno cum habet simul naturale nego, quæ enim repuguantia ostenditur ex eo quod possit vniri humanitas Verbo sine dependentia ab illo, cum non sit de conceptu vnionis dependentia, vt patet in animo rationali vnito corpori. Dices, quia humanitas esset in Verbo, at recte potest res esse in alio, quin ab eo pendeat vt animus in corpore.

59 Deinde secundo respondeo non eodem modo opponi subsistentiam diuinam cum propria, sicut curuitas cum rectitudine, quia subsistentia propria continetur eminenter in diuina, & curuitas non continetur eminenter in rectitudine, neque contra. Deinde curuitas non potest supplere vicem rectitudinis, cum tamen diuina subsistentia possit supplere munus subsistentiæ creatæ; item quia curuitas in sententia probabilissima est priuatio rectitudinis, & non est forma nec figura positiua, suppositalitas autem diuina & creata sunt ambæ rationes positiuæ, si autem concedamus curuitatem, & rectitudinem esse modos positiuos, licet aliquomodo inter se opponantur, non implicabit eandem virgam esse rectam, & curuam simul, sicut non implicat in eodem Corpore Christi esse simul duplicem præsentiam, aliam diuisibilem & circunscriptiuam, alteram diuisibilem, & definitiuam: ergo eodem modo possunt esse curuitas, & rectitudo in eodem subiecto, & figura recta, & circularis. Verum est tales figuras in eodem loco non posse esse simul afficiendo idem subiectum: & ratio est, quia figura circularis est modus resultans ex positione partium in loco circulari, & figura recta in loco recto, vel superno, cũ autem modus rei non possit separari à re, cuius est modus, inde est quod figura circularis non resultet in loco recto, seu versus supernum, & etiam figura recta non possit resultare in loco circulari, vnde necessario petunt distincta loca, propter essentialem rationem modorum consistentem in inseparabilitate à re cuius est modus: hanc doctrinam tradidit P. Hurtado *in Physicis, disputat. 6. de loco, sect. 5.* vbi sic ait. [Aduertendum vbicationem materialem per quam tota quantitas ponitur penetrata in eodem loco, neque habere figuram neque situm, quia consistunt in distantia, & proportione, quam partes seruant inter se in ordine ad locum, vt patet in figura recta, & circulari: ponamus ergo vnam distare ab alia versus locum supernum, & aliam versus dextrum, ecce in primo casu figuram rectam, in secundo vero initium figuræ circularis; eo enim quod hæc vbicatio detur mobili per quam distet tantum ab vbicatione alterius partis versus hanc positionem facit circulum, aut lineam rectam, vt patet in domo, eo enim quod lapis supra lapidem ponatur fit paries, quod ex sola sumitur vbicatione.

Dices mutari vbicationem non mutata figura: 60
vt quando homo fertur sella gestatoria; sed id impossibile est in omni sententia, quia saltem figura spatio vbicationis, quia situs est partium dispositio resultans ex vbicatione quæ est fundamentum distantiæ partium: deinde semper mutatur figura, quia est talis dispositio corporis in ordine ad locum, & licet non mutetur distantia partium inter se, mutatur tamen totus ille modus qui essentialiter priori respondebat spatio, & datur alia vbicatio qua partes seruata eadem distantia inter se respondeant spatio diuerso, vt si Deus homini sedenti auferat sessionem, & pro illa subroget aliam nouam, vel sedens annihiletur & reproducatur, iterum sedens hic modos figuræ mutallet, vulgo tamen dicitur eandem retinere figuram, quia partes æque distant inter se; & vt melius explicaret Arist. hanc vulgarem conceptionem adhibuit prædicamentum *de situ*,] sic ille. Propter hanc autem rationem figura circularis non potest esse simul cum figura recta in eodem loco, quia figura circularis essentialiter est modus rei non absolute, & secundum se, sed in ordine ad locum circularem sphericum, seu rotundum distinctum tamen à loco recto, ratione cuius essentialiter figura circularis non potest esse in loco recto, nec figura recta in loco circulari, alias ordo transcendentalis, & essentialis vtriusque figuræ mutaretur manentibus eisdem figuris, quod est impossibile; subsistentia autem, cum respiciant res substantiales secundum se, & non in ordine ad locus, possunt simul esse in eodem subiecto, cum inter se nullam dicant oppositionem, etiamsi illud subiectum sit in vno loco solum.

Ad secundum respondeo cum P. Mendosa, quod 61
ipse P. Suarez viderit huius argumenti imbecillitatem, quid enim ad definitionem Ecclesiæ disquisitio de potentia Dei absoluta conducere potest vtilitatis; Christus enim in Scriptura vocatur absolute filius Dei, idemque vocatur filius hominis sine discrimine, & distinctione inter filium Dei, & filium hominis, & tantum exponitur distinctio inter naturas humanam, & diuinam & operationes vtriusque naturæ sine discrimine tribuuntur vni Christo Deo, & homini, ita vt homo dicatur creare mundum, & Deus mori, quia sine discrimine nullo modo dici posset, si personæ essent duæ; essent autem duæ si cum Verbo diuino retineretur suppositum humanum quod an sit idem si natura humana haberet duo suppositа creata infra dicetur, & supra dictum est, quod euidenter sic patet; nam in diuinis, licet detur vna natura, quia non dantur duæ personalitates, dantur duæ personæ, & quia tres personalitates tres personæ, & quia tres personæ distinctæ productiones vnius, non attribuuntur alteri, v.g. generatio non tribuitur Filio, id est Filius non generat ex eo quod Pater generet, nec Spiritus Sanctus spirat quia Pater & Filius spirant; vnde in productionibus propriis vniuscuiusque personæ, quia distinguitur à cæteris realiter, non datur communicatio idiomatum inter omnes, licet aliæ sunt actiones communes, scilicet à dextra, quæ de omnibus personis prædicantur, v. g. creatio, glorificatio, sanctificatio, &c. ergo similiter si daretur distinctio personarum in natura humana,

actio-

actio propria vnius personæ in illa natura non attribueretur alteri, sed quæcumque propria actio Dei communicatur homini, & prædicatur de illo, & sic dicitur hic homo creat, hic homo glorificat, hic homo est Filius æterni Patris, hic homo est infinitus & cæteræ prædicationes, quæ licet non sint actiones, sunt tamen propriæ Dei: item actiones propriæ hominis attribuuntur Deo, seu vt melius loquar, omnes prædicationes propriæ hominis, vt pati, vapulare, mori, ambulare, sudorem emittere, loqui, & exclamare, seu gemere: ergo signum euidens est in Christo Domino, non dari distinctionem personarum, ac per consequens nec personalitatum.

62 Item quia licet illud mysterium sit supernaturale, tamen retentio proprij suppositi esset nouum miraculum, & extraordinarium mysterio Incarnationis, quod non esse factum recte colligunt PP. dum nec scriptura illius meminit, nec necessitas cogit, imo quod magnam confusionem afferret mysteriis, ob quæ Deus naturam assumpsit humanam, itaque ex definitione Ecclesiæ, Christum esse; nam personam euidenter infertur non retineri in humanitate propriam subsistentiam; Ecclesia autem fuit mota ad eam definitionem ex modo quo homo dicitur Deus, & Deus homo, & operationes Dei tribuuntur homini, sine vllo discrimine. Ad vltimum constat ex dictis.

## QVÆSTIO V.

*Vtrum suppositalitas entis compositi sit simplex vel composita.*

### SECTIO I.

*Sententiæ aduersariorum proponuntur.*

1 PRIMA sententia asserit naturam depositam solum habere subsistentiam simplicem ex parte materiæ, ita vt totum compositum in completa subsistentia subsistat, ita P. Rub. *in Physicis, q. 4. tract. de subsistentia.* Vbi tenaciter id affirmat, quia formæ corporeæ nullam habent subsistentiam partialem.

2 Probatur primo hæc sententia, quia per se subsistere dicit existere sine dependentia à subiecto mediante inhærentia; sed forma materialis dependet inhærendo à materia: ergo non habet subsistentiam per se, & tamen totum compositum subsistit: ergo subsistit tantum subsistentia partiali materiæ.

3 Secundo, modus operandi sequitur modum essendi, sed forma materialis non operatur per se, sed dependenter à materia: ergo nec habet modum essendi per se.

4 Secunda sententia est P. Vasq. *tom. 1. in 3. part. disp. 125. cap. 4.* asserentis partes substantiales totius physici, subsistere per vnicam indiuisibilem subsistentiam, quæ non sit propria earum, sed totius, ita neque materiæ vt est in composito, nec formæ rationali correspondeat partialis subsistentia; hanc sententiam his verbis probat.

5 Primo quidem nihil est in toto composito, cui nomen subsistentiæ partialis conuenire possit: ergo antecedens patet, si enim antiquam significationem vocis subsistentiæ retineamus, quæ est etiam græcum nomen hypostasis, suppositum ipsum concrete denotabat, vt nihil est in composito, quod græce dici possit hypostasis partialis neque latine dici potest duo suppositа, vt personas partiales, quod hactenus nemo pronunciare ausus est: ergo recte nullus dicere potest esse duas subsistentias partiales.

Secundo, ex definitione subsistentiæ, quia per- 6
sona est natura rationalis incommunicabilis subsistantia aut existentia, vt ex mente Richardi Victorini & Seuerini Boëtij patet. Tunc sic, si capiatur pro hypostasi, aut supposito, quia de ratione illius est esse substantia incommunicabilis; ita vt terminata sit modo aliquo, quo reddatur incommunicabilis, quævis autem pars hominis est communicabilis, quinimo actu communicatur: ergo nulla illarum, vt est in toto, est subsistentia partialis; si autem sumatur pro complemento naturæ, debet subiectum in quo est esse incommunicabile, sed materia communicatur formæ, & forma materiæ: ergo nulla illarum, vt est in composito habet subsistentiam partialem.

### SECTIO II.

*Nostra sententia explicatur, & probatur.*

PRIMA conclusio: natura non solum subsi- 7
stit subsistentia inadæquata & incompleta materiæ; sed etiam subsistentia totali, completa, & adæquata toti composito: hæc sententia est communis sensus Theologorum & Philosophorum, & probatur sic.

Primo, quia totum compositum est substantia 8
completa, distincta realiter distinctione includentis ab incluso à materia prima: ergo in toto composito, non solum datur subsistentia materiæ, sed etiam subsistentia totalis, & adæquata immediate debita toti distincta, tanquam includens ab incluso, à subsistentia materiæ; antecedens patet ex ipsis terminis: consequentia sic probatur, quia subsistentia est complementum proprium adæquatum, & præportionatum substantiæ, tanquam exercitium, & terminus adæquate terminans, & exercens potentialitatem substantiæ: sed subsistentia materiæ non est adæquatum & proprium complementum exercitij, ac terminus adæquatus immediate totius compositi: ergo non solum datur subsistentia materiæ, sed alia completa distincta ab illa, & propria totius compositi; hæc minor sic probatur, quoad primam partem, illud quod competit alteri distincto ab aliquo non potest esse proprium illius; sed subsistentia materiæ competit ipsi quæ realiter distinguitur à composito: ergo non est propria totius compositi, quia quod est commune duobus non est proprium vnius ex illis, quod non sit adæquata composito; sic patet, quia illud quod est adæquatum, & æquale alicui parti, non potest esse adæquatum, & æquale toti, quæ cum totum sit maius sua parte, si esset æquale toti, & parti, idem adæquaretur, & esset æquale simul respectu maioris, & minoris: sed subsistentia materiæ adæquatur cum materia, & est æqualis illi, quæ est pars totius: ergo eadem subsistentia materiæ non potest adæquari cum toto, nec esse æqualis illi; hæc minor sic probatur, quia subsistentia tribuitur materiæ à natura in quantum substantia est, & primum subiectum formarum substantialium, sed materia prima adæquate, & totaliter est substantia, & primum subiectum.

Deinde nihil est in materia prima cui non adhæreat subsistentia illius reddendo illud subsistens, & existens per se; item nihil est in subsistentia, quod nō sit modus intrinsece materiæ primæ adhærens, & perficiens illam intrinsece, ita vt aliquid adhæreat materiæ in subsistentia, & aliquid non adhæreat, & ratio est, quia tota subsistentia adæquate, & totaliter est terminus & modus materiæ primæ, cum nec sit absolute solum propter se, nec propter aliud distinctum à materia prima; sed solum propter materiam primam perficiendam, & terminandam: ergo adæquate, & totaliter perfectio illius est, & materia adæquate, & totaliter perfectibile ipsius: ergo materia & subsistentia ipsius adæquantur inter se; vnde subsistentia materiæ est æqualis ipsi, quod autem non sit exercitium proprium totius sic patet, quia exercitium dependet in aliquo genere causæ propriæ, & præcipue subsistentia, vt exercitium dependet ab eo cuius exercitium est, in genere causæ efficientis, & materialis adhæsiue; sed subsistentia materiæ in nullo genere causæ dependet à toto composito: ergo non est exercitium illius, minor sic probatur, quia non in genere causæ efficientis, cum subsistentia materiæ sit prior natura composito; materia enim prima vt subsistens, constituit realiter compositum & vt subsistens vnitur formæ ad componendum totum, sed effectus causæ efficientis non habet effectus realiter prius natura, quam sua causa: ergo subsistentia materiæ non dependet à toto composito in genere causæ efficientis, nec in genere causæ subiectiuæ, aut materialis, quia subsistentia materiæ nec adhæret, nec inhæret composito, sed solum materiæ primæ: ergo in nullo genere causæ dependet subsistentia à toto composito: ergo non est adæquatum proprium complementum; & exercitium totius compositi; maior illa prima sic probatur, quia totum compositum quatenus distinguitur distinctione reali includentis ab incluso à materia prima est adæquate, & totaliter subiecto inhæsionis, & habet potentialitatem subsistendi per se, quia est substantia adæquate creata, sed subsistentia datur, vt exerceat potentialitatem illam subsistentiæ, ita vt nihil potentialitatis maneat sine complemento, & exercitio subsistendi per se: ergo subsistentia est adæquatum complementum proprium subsistentiæ completæ, & exercitium proprium illius. Patet hæc consequentia, illud est complementum, & exercitium proprium alicuius quod complet proprie & exercet capacitatem seu potentialitatem illius; sed subsistantia complet, & exercet capacitatem, seu potentialitatem substantiæ completæ: ergo suppositalitas, quæ substantiæ nomine appellatur, est exercitium, seu complementum proprium substantiæ completæ adæquatumque ipsi.

9 Dices subsistentiam non solum exercere capacitatem substantiæ completæ, sed etiam incompletæ, scilicet materiæ primæ, quia materia prima vere existit per se, ac subsistit, quod non potest esse sine subsistentia.

10 Sed contra, quia licet materia prima petat compleri, & exerceri per subsistentiam, nihilominus non petit compleri per propriam suppositalitatem, quæ in toto intellectuali personalitas dicitur, quod adeo verum est, vt etiam si anima rationalis sit vera, & perfecta subsistentia, perfectiorque materia prima, ac per consequens habeat subsistentiam, nihilominus non habet suppositalitatem seu personalitatem: ergo suppositalitas, seu personalitas est solum proprium complementum, seu exercitium potentialitatis, & capacitatis substantiæ completæ totalis.

Confirmatur, quia compositum quatenus compositum, & quatenus est ens completum, est propria, ac vera substantia, perfectiusque in esse substantiæ ipsa materia prima, & non habet suam perfectionem propter materiā primam tanquam propter finem, nec adæquate habet rationē substantiæ mediante materia prima; sed potius immediate habet illam ex vi prædicati essentialis substantiæ completæ identificati cum ipso: ergo subsistentia, seu suppositalitas, quæ debetur substantiæ, quatenus substantia completa est, non est subsistentia materiæ primæ. Patet consequentia, quia subsistentia materiæ, vt incompleta, & quæ datur prius natura materiæ quam composito vt talis est nec adæquate potest constituere compositum in esse subsistentis, nec adæquate potest terminare illud in esse substantiæ: ergo subsistentia materiæ primæ non est quæ datur à natura composito vt subsistat ac terminetur. Patet consequentia, quia natura non deficit in necessariis: sed si non tribueret composito, aliam subsistentiā completam præter subsistentiam materiæ primæ, deficeret in necessari ij: ergo. Hæc minor sic probatur, quia complementum & terminatio totius compositi, quatenus substantia completa, est necessaria ipsi composito; atqui tale complementum, & terminatio non esset adæquate, & sufficienter per solam subsistentiam materiæ: ergo si non aliam tribuit natura deficit sine dubio in necessaria terminatione, & complemento, quod autem subsistentia materiæ primæ adæquate non sufficiat ad terminandam, & complendam capacitatem totius compositi, sic patet, quia subsistentia materiæ est in sola parte essentiali, quæ materia est: ergo solum terminat & complet capacitatem materiæ: ergo non potest complere capacitatem totius adæquate; hæc consequentia sic probatur, quia ad hoc vt compleatur aliqua capacitas, & terminetur, debet complementum & terminus esse in tali capacitate, etsi adæquate debeat complere, debet adæquate esse terminus, & complementum essentiæ in tali capacitate, seu potentia, quia tale complementum & terminus complent, ac terminant in genere causæ formalis, vel quasi causæ formalis per exhibitionem sui, forma autem non causat, vel quasi causat, nisi in subiecto in quo est, sed subsistentia illa materiæ non est adæquate, & totaliter in toto composito, sed solum in materia prima, ac proinde inadæquate in eo, scilicet composito: ergo non potest adæquate complere, ac terminare totum compositum. Exemplo hoc probatur, verbi gratia forma, quæ est in vna parte vt est albedo in dentibus, non potest totum compositum album reddere, & anima rationalis si in solo brachio existat, non poterit constituere, & adæquate reddere animatum totum corpus, cum cæteræ partes illius non habeant albedinem habentes tamen capacitatem respectu albedinis: ergo similiter, si subsistentia materiæ solum est in materia, quæ est vna pars compositi, & non est in toto composito, non complebit intrinsece, ac terminabit totum compositum, sed solum materiam primam.

Dices, ex eo quod Albedo sit solum in corpore, licet non sit in omnibus partibus, totus homo redditur Albus, & licet intellectus solum sit in anima, quæ est pars compositi, totus homo dicitur intellectiuus: ergo similiter ex eo solum quod

quod subsistentia sit in materia prima, poterit complere, ac terminare totum compositum, ac reddere ipsum per se subsistens.

13 Sed contra, quia maximum discrimen datur inter accidentia, ac subsistentiam; accidentia enim si corporalia sunt, solum possunt existere in corporea, seu materiali parte, imo toti non debentur, nisi vt existentia in tali parte, quia solum illa pars est capax talium accidentium corporalium, si autem accidentia fuerint spiritualia, debentur solum toti vt existentia in anima, quia solum anima est subiectum capax recipiendi illa, quia omne quod recipitur ad modum recipientis debet recipi, itaque non debentur talia accidentia immediate toti adæquate, & simpliciter, sed mediis partibus, in quibus immediate recipiuntur, & sic non mirum quod existentia in sola parte denominet ac constituat totum, quia forma debet constituere secundum capacitatem, ac exigentiam propriæ naturæ: atqui subsistentia non solum debetur toti ratione materiæ, sed etiam ratione formæ, & ratione propriæ entitatis compositi; item subsistentia potest, quantum est de se existere non solum in materia, sed in forma: ergo licet accidentia solum existendo in vna parte, possint constituere totum, subsistentia tamen non poterit, nisi existendo in toto & in omnibus partibus adæquate, & totaliter complere capacitatem totius ac reddere ipsum subsistens: hæc consequentia sic patet, à paritate rationis ex exemplo supra posito, quia albedo potest existere in omnibus partibus corporis, & omnes partes illius sunt capaces Albedinis, existendo solum in vna parte, non constituit cæteras, ac totum corpus Album, cum non sit in toto corpore, ac in omnibus partibus eius, quæ habebant capacitatem recipiendi talem Albedinem; sed non solum materia prima, sed etiam omnes partes compositi, imo totum ipsum immediate per se habet capacitatem subsistentiæ, ac immediate ipsi, & omnibus suis partibus propter seipsas debetur subsistentia: ergo subsistentia non poterit reddere totum compositum subsistens, nec partes; minor hæc probabitur vltima conclusione latissime; nam substantiæ vt sic, quatenus substantia est immediate debetur subsistentia, vt distinguatur per illam tanquam per actum secundum ab accidenti, sed materia, forma, & compositum sunt substantiæ immediate ex se: ergo illis omnibus immediate, & ex se debetur subsistentia, & in ipsis datur capacitas, & potentia ad illam.

14 Secundo principaliter sic probatur, quia subsistentia totius est personalitas in toto intellectuali, & suppositalitas in lapide, & cæteris, & est perfectior realiter subsistentia materiæ, subsistentiaque materiæ non est suppositalitas, nec personalitas: ergo subsistentia materiæ non est per quam subsistit totum compositum. Prima pars sic probatur. Materia prima, ex vi suæ subsistentiæ, non est suppositum, nec persona, vt certum est apud omnes etiam aduersarios: ergo subsistentia materiæ non est suppositalitas, nec personalitas, quia forma naturalis statim ac est in subiecto proprio tribuit effectum suum formalem.

15 Prima pars sic probatur, quia illa forma quæ habet effectus formales perfectiores realiter, quã alia est perfectior realiter illa: sed suppositalitas & subsistentia totius perfectiores effectus formales habet quam subsistentia materiæ: ergo est perfectior materiæ subsistentia. Maior patet ex illo Euangelij, *Ex fructibus eorum, &c.* item ideo à posteriori colligimus gratiam sanctificantem esse perfectiorem Albedine, & animam rationalem forma lapidis, quia effectus formales illarum sunt perfectiores; & ratio est, quia præcipua perfectio effectus sumitur à forma, cum sit præcipua ratio constitutiua, essentialiter effectus formalis. Minor sic probatur, quia compositum totum est omnino independens ab alio, vel tanquam à subiecto inhæsionis, vel tanquam à forma informante illud, ita vt per se, in se, & ex se existat, & permaneat sine vnione, & dependentia à forma, quia ex se cum concursu Dei, & non ab alio creato ex vi suæ subsistentiæ sufficiens est vt perseueret, & existat, quod minime habet materia prima, quæ naturaliter non potest esse sine omni forma, quia nullum est agens naturale quod potest, vel possit separare eam ab omni forma: ergo habet compositum ex vi suæ subsistentiæ, vel vt clarius loquar, subsistentia in composito perfectiores effectus formales, quam subsistentia in materia prima, præcipue quia eo modo est exercitium, & complementum, seu terminus alicuius quo est entitas, cuius complementum, exercitium, & terminus est; sed materia prima habet pro cõplemento suam propriam subsistentiam, & est imperfectior essentialiter toto composito, habente pro complemento exercitio, & termino subsistentiam totalem, quæ suppositalitas dicitur: ergo suppositalitas, seu subsistentia totalis est imperfectior subsistentia materiæ. Maior sic probatur, ideo subsistentia diuina perfectior est Angelica, quia est quasi complementum diuinæ naturæ perfectioris Angelica, & Angelica est perfectior humana propter eandem rationem, & sic de cæteris: ergo complementum eo modo est in perfectione, quo est res quæ completur per illam.

Tertio sic probatur, quia compositum vt distinctum à materia prima habet omnes conditiones, ratione quarum datur materiæ subsistentia propria, quia si materia est subsistentia, totum est perfectior substantia, si materia est independens ab alio tanquam à subiecto inhæsionis, etiam compositum non inhæret, nec recipitur in subiecto aliquo, & præterea habet alias rationes perfectiores propter quas ei potius, immediatius & per se debeatur subsistentia quam materiæ primæ, vt ex dictis patet: ergo habet perfectiorem subsistentiam propriam. 16

Vltimo probatur principaliter, quia sequetur ex opposita sententia proprie, & in rigore solam materiam primam esse substantiam in huiusmodi materialibus compositis, & non formam & consequenter, nec compositum ex materia & forma: patet sequela, quia substantia est quæ habet esse substantiale, esse autem substantiale est illud quod natura sua aptum est terminari per subsistentiam, in quo ab accidenti distinguitur, quod per inhærentiam, vel adhærentiam solum terminatur; sed sola entitas materiæ primæ apta est terminari per subsistentiam, non autem compositum vt distinguitur à materia prima, nec forma materialis, cum hæc in sententia Patris Rubij terminetur tantum per inhærentiam ad subiectum, forma enim materialis in sententia huius Authoris vere & realiter inhæret in materia: ergo sola entitas materiæ est substantia, non autem entitas formæ, neque compositum vt distinctum à materia. 17

Dices existentiam formæ terminari, quasi mediate per subsistentiam materiæ, id est existentiam formæ in esse materiæ subsistenti, & non indigere iam alio subsistante. 18

Contra, quia hoc modo etiam existentia quantitatis terminatur per subsistentiam materiæ mediate, 19

diate, quia ineſt materiæ ſubſtentanti, & iam non indiget alio ſubſtentante.

20 Præterea, quia ratio eſſentialis accidentis, ve ſubſtantiæ non ſumitur à mediata, & remota ratione, ſed ab immediata, & proxima, ſed forma materialis & qui conuenit cum quantitate in inhærentia immediata, & in carentia ſubſiſtentiæ & in ſubſtantia mediata: ergo eſt accidens, ſicut quantitas.

21 Nec refert ſi dicatur indigere conſortio formæ, vt eſſe poſſit & in materia ſubſtentari, nam etiam forma materialis indiget conſortio quantitatis, ſine qua naturaliter, nec eſſe nec recipi poſſet in materia: ergo in hoc pares ſunt, imo vix poteſt aſſignari differentia inter formam ſubſtantialem materialem, & accidentalem, quia neutra confert formaliter per ſe ipſam, ſeu modum ſibi intrinſecum ad ſubſiſtentiam compoſiti, & vtraque confert materiæ aliquod eſſe actuale, ſeu formale in quo à materia pendet, vtraque in fieri, & in conſeruari; quæ ergo ratio vel differentia aſſignari poteſt, cur vna potius ſubſtantialis dicenda ſit quam altera, neque enim ſatis eſt dicere vnam habere entitatem ſubſtantialem, & aliam accidentalem; tum quia eſt petitio principij, hoc enim ipſum ventilatur, & negatur eſſe nimirum formam ſubſtantialem, & compoſitum ex illa eſſe ſubſtantiale; tum etiam, quia genus entitatis non poteſt aliunde ſumi aut declarari niſi ex ipſo eſſe, & modo eſſendi; ſi ergo in modo eſſendi conueniunt, quia vtraque æque pendet à materia vt ſubiecto, & non magis terminatur à ſubſiſtentia, vel ad illam confert vna entitas quam alia, non magis eſt ſubſtantialis entitas vna, quam altera.

22 Secunda concluſio: hæc ſubſiſtentia totalis componitur ex duplici ſubſiſtentia partiali, ſcilicet ex ſubſiſtentia materiæ, & ſubſiſtentia formæ.

23 Probatur hæc ſententia, quia materia prima habet ſuam partialem ſubſiſtentiam, quod nullus vnquam iure & ratione negavit, tum quia eſt primum ſubiectum; ac proinde eſt independens ab alio, tatione cuius ſine dubio illi debetur ſubſiſtentia, vel modus exiſtendi per ſe, & in ſe, tum etiam quia eſt terminus per ſe creationis, ſed omnis terminus per ſe creationis petit ſubſiſtentiam: ergo materia prima habet illam. Deinde anima etiam rationalis habet ſubſiſtentiam propriam, ſed talis materia, & talis anima rationalis vniuntur inter ſe ſecundum quod ſubſtantiæ, & eſſentiæ ſunt, ad componendum vnum per ſe: ergo ſicut ex vnione eſſentiæ materiæ, & formæ, ſeu animæ rationalis reſultat vna eſſentia totalis compoſita hominis; ita etiam ex vnione ſubſiſtentiæ materiæ, & ſubſiſtentiæ animæ rationalis reſultabit ſine dubio vna ſubſiſtentia completa totalis quæ ſuppoſitalitas dicitur, quæ quia reſultat ex duabus partialibus compoſita erit neceſſario ad conſtituendum ſuppoſitum etiam completum, & compoſitum hominis.

24 Dices cum P. Vaſquez ſtatum vnionis eſſe oppoſitum ſubſiſtentiæ, ac per conſequens neque materiam, neque animam rationalem ex eo quod vnitæ ſint inter ſe, habere ſubſiſtentias proprias, quæ debebantur illis ex ſua natura.

25 Sed contra primo, quia in ſtatu vnionis habent materia & anima rationalis omnes rationes formales propter quas eis debentur ſubſiſtentiæ propriæ: ergo in ſtatu vnionis habent has ſubſiſtentias, ac per conſequens ſtatus vnionis non erit oppoſitus illis; conſequentia ſic probatur, quia vbi datur ratio formalis alicuius rei, neceſſario datur res, quæ debetur tali rationi formali, ſed in ſtatu vnionis animæ rationalis cum corpore dantur, & concurrunt omnes rationes formales propter quas debentur materiæ, & formæ ſubſiſtentiæ propriæ partiales: ergo in ſtatu vnionis dantur ſubſiſtentiæ partiales. Maior ſic probatur, ideo in homine datur riſibilitas neceſſario, quia datur in homine rationalitas, quæ eſt ratio formalis propter quam debetur homini talis riſibilitas, & ideo in Angelo datur intellectus, quia datur in Angelo gradus intellectualis, ratione cuius debetur tali Angelo potentia intelligendi, quæ intellectus eſt, & quia homo habet quantitatem quæ eſt ratio occupandi locum, ideo neceſſario homo occupat locum, & ratio euidens à priori eſt, quia natura ex eo quod ſufficientiſſima eſt, & diues in ſuis operationibus, non deficit in neceſſariis, ſed maxime neceſſarium eſt, vt poſita ratione formali ſequatur effectus illius, qui eſt debitus ad talem rationem formalem: ergo natura non deficit in ſoluendo hoc debito, ſed potius neceſſario facit, vt ſtatim ac datur aliqua ratio formalis detur id quod debetur propter talem rationem formalem.

Primum antecedens ſic patet, quia prima ratio formalis propter quam debetur ſubſiſtentia alicui eſt ex eo quod ſit ens ſubſtantiale reale, vt latiſſime probabitur vltima concluſione, ſed ſtatus vnionis, non deſtruit in materia & in anima rationali rationem ſubſtantiæ realis abſolute, ſed potius perficit illam, nam materia prima, & anima rationalis per vnionem adinuicem perficiuntur in ratione ſubſtantiæ realis, nam media tali vnione conſequuntur ſuum vltimum finem, ſcilicet conſtitutionem compoſiti; quare ſtatus vnionis non deſtruit eſſe ſubſtantiale earum: ergo in ſtatu vnionis anima rationalis, & materia ſunt ſubſtantiæ reales abſolute: ergo in tali ſtatu conſeruatur, & exiſtit prima ratio formalis propter quam debetur rei ſubſiſtentia. 26

Secunda ratio ſeu ratio formalis propter quam debetur alicui entitati ſubſiſtentia, eſt independentia à ſubiecto inhæſionis; ideo enim accidens non habet ſubſiſtentiam, quia dependet à ſubiecto inhærendo illi, ſed adhuc in ſtatu coniunctionis, & vnionis datur independentia in anima rationali à ſubiecto inhæſionis, ſimiliter in materia prima, quia tam anima rationalis, quam materia prima adhuc vt vnitæ, & quatenus ſunt in ſtatu vnionis, independent à ſubiecto inhæſionis: ergo in ſtatu vnionis datur in anima rationali, & in materia prima ratio formalis propter quam eis debetur ſubſiſtentia. 27

Confirmatur, ac declaratur, quia ſubſiſtentia eſt modus exiſtendi independenter ab alio: ergo talis modus non repugnabit in ſtatu in quo non repugnat exiſtentia independens ab alio, ſed in ſtatu vnionis non repugnat exiſtentia independens: ergo non repugnat ſubſiſtentia in eo ſtatu. Conſequentia hæc prima videtur manifeſta, quia proprietas comitatur eſſentiam; ſed in compoſito per te partes habent exiſtentiam independentem ab alio: ergo & ſubſiſtentiam, maxime ſi per illam conſtituuntur partes independentes formaliter. 28

Tertia conditio ſeu ratio propter quam debetur alicui ſubſiſtentia eſt, quia eſt terminus per ſe creationis, ſed in ſtatu vnionis materia, & anima rationalis ſunt terminus per ſe creationis cum producantur ex nihilo, & non ex præſuppoſito ſubiecto: ergo in ſtatu vnionis datur in eis vltima 29

vltima ratio formalis propter quam debetur alicui entitati subsistentia.

30 Secundo sic argumentor contra illam solutionem, quia subsistentia est perfectio debita animæ rationali naturaliter, & sic naturaliter in sententia aduersariorum habet illam in statu separationis; item est debita materiæ primæ: sed perfectio naturaliter debita aliquibus perfectius conuenit illis in statu magis connaturali ipsis, quam in statu præternaturali: ergo subsistentia perfectius datur in anima rationali, & materia prima in statu vnionis, quam in statu separationis; patet hæc consequentia, quia status vnionis est magis connaturalis animæ rationali, & materiæ primæ quam status separationis, qui non vocatur connaturalis, sed præternaturalis, sed perfectio debita alicui perfectius existit in aliquo subiecto, quando est in statu naturali, quam in statu præternaturali: ergo subsistentia, quæ est perfectio debita materiæ primæ, & animæ rationali perfectius dabitur in illis in statu vnionis, quam in statu separationis, vel alio.

31 Tertio sic argumentor, quia natura non potest pugnare secum, nec vna perfectio naturalis pugnat cum altera naturali; sed subsistentia est perfectio debita animæ rationali ab ipsa natura, & vnio substantialis est etiam perfectio debita illi: ergo subsistentia, & vnio non pugnant inter se, alias natura tribuendo subsistentiam pugnaret secum quatenus tribuit vnionem; item quia licet anima informet corpus non substentatur à corpore, nec ab illo dependet: ergo quamvis informet illud existet in se, ac per se ratione suæ independentiæ. Vnde non opponuntur, quia vnio illa informatiua longe distincta est ab vnione hypostatica, vt per se constat: ergo non est necesse vt includat naturalem, & formalem repugnantiam cum subsistentia quam inducit vnio hypostatica.

32 Vltimo sic argumentor contra ipsam, quia id quod non pugnat cum actu primo alicuius perfectionis, non potest pugnare cum actu secundo ipsius; sed vnio animæ rationalis ad materiam primam, & materiæ primæ ad animam rationalem, non pugnat cum actu primo subsistentiæ earum: ergo non pugnat cum ipsa subsistentia, quæ est actus secundus: maior est euidens, quia actus voluntatis non pugnat cum intellectu, non potest pugnare cum intellectione, & quia calefactio non pugnat cum luce, non pugnat cum illuminatione, sed calefactio non aliam ob causam non pugnat cum illuminatione, nisi quia non pugnat cum actu primo ipsius: ergo id quod non pugnat cum actu primo non pugnat cum actu secundo; loquor enim de actu secundo semper comitante actū primū, quia non ignoro aliquem actum secundum posse pugnare cum alio actu secundo, non pugnando cum actu primo talis actus secundi, v.g. odium Dei pugnat cum amore Dei, qui est actus secundus voluntatis, & nihilominus non pugnat cum voluntate, quæ est actus primus illius, ratio huius est, quia datur duplex actus primus, alius indifferens ad duos actus secundos oppositos, qui actus secundi non sunt permanentes, nec semper comitantur actum primum, alias duo opposita permanerent simul in eodem subiecto, & in hoc casu bene potest esse aliquod oppositum actui secundo, sine oppositione cum actu primo, alius autem actus primus datur, qui non est indifferens ad oppositos actus secundos, sed determinatus ad vnum actum secundum adæquate exercentem potentialitatem talis actus primi, comitantemque semper ipsum actum primum, vt est essentia respectu proprietatis, & in hoc casu dicimus nihil dari intrinsece in tali actu primo, oppositum actui secundo illius, quin opponatur actui primo, in quo vt sine aliqua tergiuersatione procedamus, sic efformo meum argumentum, nihil opponitur, & pugnat cum actu secundo, siue mediate, siue immediate, quod non pugnet cum actu primo, v.g. nihil pugnat cum proprietate alicuius essentiæ, quod non pugnet cum essentia talis proprietatis, ita vt si non pugnet cum essentia siue mediate, siue immediate, non potest pugnare cum proprietate, sed vnio substantialis non pugnat cum essentia materiæ primæ, & animæ rationalis, quatenus substantiæ sunt, & est intrinsece in ipsa materia prima, & anima rationali: ergo non potest talis vnio pugnare cum subsistentia ipsarum, quæ est proprietas materiæ primæ & animæ rationalis, quatenus substantiæ sunt.

Secundo principaliter sic argumentor, quia anima rationalis fit per creationem prius natura quam vniatur corpori; sed tamen in eo instanti in quo vnitur ipsi: ergo manet subsistens dum vnitur corpori, & infirmat ipsum: antecedens est certum & posterior consequentia euidens, quia anima rationalis in eodem instanti temporis quo creatur informat corpus, si ergo in illo instanti creatur subsistens simul habet subsistentiam cum informatione, quia non potest in eodem instanti temporis prius natura recipere illam, & illa priuari propter vnionem, quia totum est in eodem instanti reali, hoc enim inuoluit contradictionem scilicet habere subsistentiam, & non habere illam in eodem instanti; vnde si tunc sunt simul in eodem instanti, erunt postea etiam simul, quia nunquam repugnant; prior consequentia patet, quia vt ait D. Th. 1. *part.* creari est proprium subsistentium, & hoc nullo modo potest naturaliter reuocari. 33

Confirmatur hoc, cum P. Hurt. ex ipsa ratione creationis, quæ est productio entis ex nihilo, id est ex nulla causa intrinseca, sed subsistentia est modus existendi independenter à causa intrinseca: ergo materia prima, & anima rationalis, quæ fiunt per creationem, ac per consequens ex nulla causa intrinseca habebunt suam subsistentiam. 34

Pater Vasquez admisit independentiam materiæ, & animæ rationalis ex vi suæ creationis, quibus tribuit subsistentiam in potentia; eam vero negat in actuali compositione: contra quem sic argumentor, subsistentia ex natura sua conuenit materiæ primæ, quia est independens à forma, & est modus sequutus ex ea existentia, quia est modus existendi per se, id est independenter à subiecto: ergo eandem retinet cum forma, probatur consequentia, quia illa aptitudo ex natura rei est reducibilis in actum; nulla enim est potentia naturalis ad rem naturaliter impossibilem, sed si materia sub forma, non retineret propriam subsistentiam, nunquam posset reduci in actu illa potentia ex natura rei: ergo vel habet actualem subsistentiam vel caret aptitudine ad illam: probatur minor, quia ex natura rei nunquam potest carere omni forma materia. 35

Dices ex suppositione quod careat, illam habebit. 36

Sed contra, quia id, quod sequitur ex suppositione impossibili est simpliciter impossibile, sed illa suppositio est impossibilis naturaliter: ergo & materiam habere subsistentiam est simpliciter 37

naturaliter impossibile : ergo non habet potentiam naturalem ad illam ; quod vero materia habeat aptitudinem ad subsistentiam, patet quia tam terminus creationis est materia prima quam anima rationalis : si ergo separetur ab omni forma resultaret in illa proprie ille modus sicut in anima quia esset independens, & non esset in composito, quæ duæ rationes sunt adæquata causa subsistendi.

38 Vrgetur amplius, quia quælibet pars aquæ, verbi gratia, habet propriam subsistentiam partialem distinctam à subsistentia alterius partis : ergo & quævis pars essentialis propriam habet subsistentiam partialem. Consequentia probatur, tum quia magis dissimiles sunt partes essentiales inter se, quam integrales, atque adeo difficilius est compleri tales partes eadem indiuisibili subsistentia ; Tum quia ambæ partes sunt in cõposito, neque videtur cur potius compositio tollat alteris subsistentiam, quam alteris : antecedens probatur, quia quælibet pars aquæ est completa substantia essentialiter in ratione substantiæ constantis ex partibus essentialibus ; Item nulla pars integralis aquæ dependet ab alia : ergo quælibet vt distincta ab alia propriam habet subsistentiam, quia hæc sequitur modum essendi per se.

39 Vltimo sic probatur principaliter nostra sententia ex mysterio Incarnationis, anima enim Christi, à principio creationis suæ, & toto suo tempore quo fuit vnita corpori, fuit vnita hypostatice Verbo diuino propria vnione immediate ex se independenti ab vnione ad corpus, quæ in illa mansit, etiam post separationem à corpore, & idem est de materia prima humanitatis : ergo vnio hypostatica animæ ad subsistentiam Verbi, & vnio informatiua eiusdem animæ ad corpus non habent inter se formalem repugnantiam : ergo nec propria subsistentia animæ habet illam cum actuali informatione ; imo colligimus certe animal habere subsistentiam in corpore, & corpus dum est vnitum animæ, quia Verbum vnitur illis immediate, quia immediate debetur subsistentia ; nam vnio hypostatica supplet vicem propriæ subsistentiæ, & illam impedit : ergo anima dum est vnita corpori habet propriam subsistentiam.

40 Vrgetur, & declaratur amplius hoc ipsum, quia Verbum diuinum duplici vnione distincta, hypostatica immediate vnitum est, & corpori, & animo, quæ etiam vniones distinguuntur ab vnione hypostatica ad totam humanitatem, siquidem dissoluta humanitate mansit vtriusque vnio ad Verbum, quæ nunquam fuit corrupta, sed in resurrectione illæ partes subsistentes in Verbo fuerunt vnitæ : ergo res subsistens, potest vniri. Confirmatur hoc vltimum, quia vel subsistentia est vna simplex existens in vtraque parte, vel diuisibilis, cuius vna pars sit in materia, alia in anima, si hoc secundum asseris meam amplecteris sententiam, primum autem asserere non potes, quia si substantia est modus, non potest identificari cum corpore, & spiritu, nec etiam si sit res absoluta, & non modus, quia subsistentia accommodatur ipsi existentiæ, ideoque vocatur modus existentiæ, sed existentia hominis est partim materialis, & partim spiritualis : ergo & subsistentia erit partim spiritualis, & partim materialis, atque non potest esse vna simplex.

41 Vltima conclusio : non solum materia prima, & anima rationalis, sed etiam formæ materiales habent modum subsistentiæ, & probatur sic primo.

Quia vbicunque datur essentia debet dari proprietas talis essentiæ ; sed in forma materiali, verbi gratia, in anima equi datur essentia substantiæ realis : ergo datur in anima equi, & in quacunque forma materiali proprietas talis essentiæ, quæ est subsistentia. Maior est euidens, quia essentia est actus primus ex quo naturaliter fluit proprietas ita necessario, vt nullo modo possit naturaliter non fluere, quod patet euidentissime in homine, in quo ex eo quod datur essentia propria, scilicet hominis, non potest non dari proprietas illius scilicet risibilitas, & idem est in equo, leone, & cæteris rebus, non propter aliam rationem, nisi propter connectionem necessariam actualem, quæ datur inter essentiam actualem, & proprietatem actualem, ratione cuius nec essentia potest actualiter conseruari sine passione, nec passio sine essentia, quis enim poterit dicere, Angelum sine intellectu, & voluntate, ignem sine calore summo, & luce, materiam primam sine quantitate posse aliquo modo conseruari, ex quibus euidenter colligitur, quod vbicumque datur essentia, detur proprietas talis essentiæ. 42

Minor illa prima sic probatur, quia cuicunque gradui entis, vt distinguitur ab aliis debetur aliqua proprietas, seu attributum, quia cum omnis gradus essentialis sit prima radix, debet aliqua ratio pullulare ex illa adæquate exercens totam capacitatem talis gradus, quæ ratio proprietas dicitur essentiæ, quod patet euidentissime discurrendo per omnes gradus essentiales prædicamenti, verbi gratia, substantiæ ; nam primus gradus essentialis est ens, qui habet tria attributa, scilicet bonitatem, veritatem, & vnitatem, gradus corporis habet pro proprietate, quantitatem, & figuram, gradus viuentis potentias, nutritiuam & generatiuam, gradus animalis sensus internus, & externus, & potentiam progressiuam : & tandem homo risibilitatem, leo rugibilitatem, equus inhibilitatem : atqui gradus substantiæ realis vt sic, quatenus distinguitur ab accidenti reali, vt sic est vere gradus essentialis : ergo debetur illi aliqua proprietas, seu attributum : sed non est alia proprietas nisi subsistantia, vt de se patet, quæ enim alia potest assignari præter illam ? certe nulla : deinde quia eo modo est proprietas, seu actus secundus, quo est essentia, seu actus primus : atqui essentia & actus primus substantiæ est ens per se, vt patet ex eius definitione : ergo proprietas illius est modus existendi per se ; sed modus existendi per se est subsistentia : ergo subsistentia est proprietas talis essentiæ, ac proinde vbicunque dabitur essentia substantiæ realis, & gradus substantialis absolute dabitur subsistentia ; sed in forma materiali, verbi gratia, anima equi datur ratio substantiæ realis : ergo necessario debet dari proprietas illius quæ est subsistentia. 43

Dices subsistentiam non esse proprietatem substantiæ, vt sic quatenus abstrahit à completa, & incompleta, sed solum substantiæ completæ, 44

Contra primo, quia anima rationalis sunt substantiæ incompletæ, & nihilominus competit subsistentia illis : ergo signum euidens est subsistentiam, non esse proprietatem solum substantiæ completæ. Deinde quia substantia realis vt sic, quatenus abstrahit à substantia completa, & incompleta reali est gradus essentialis, ac proinde actus primus, ac proinde debetur illi actus secundus & proprietas, vt distinguitur ab accidente reali vt sic abstrahente, ab accidente completo, & incompleto ; sed non est alia proprietas nisi subsisten- 45

subsistentia, nec potest alia assignari: ergo subsistentia debetur substantiæ vt sic, communi substantiæ completæ, & incompletæ; sed quicquid conuenit rationi superiori conuenit omni contento sub illa secundum illud principium, dici de omni: ergo competit substantiæ completæ, &
46 incompletæ subsistentia.

Dices verum esse quod substantiæ completæ, & incompletæ, quæ non dependent deberi subsistentiam, non autem substantiæ incompletæ, quæ de-
47 pendet à subiecto, vt est forma materialis.

Sed contra, & eodem modo vrgeo, quia substantia vt sic realis, quatenus substantia est abstrahens, à substantia completa & incompleta, dependenti & independenti, est gradus essentialis, & actus primus, sed omni gradui essentiali debetur aliqua proprietas, & aliquis actus secundus: ergo tali substantiæ debetur aliqua proprietas, per quam à posteriori distinguatur ab accidenti reali, sed propter rationes supra positas, non potest dari alia proprietas, nec actus secundus debitus substantiæ vt sic præter subsistentiam: ergo subsistentia debetur vt proprietas substantiæ vt sic: ergo debetur etiam omni substantiæ tam completæ, quam incompletæ, tam independenti, quam dependenti: ergo debetur etiam omni formæ materiali, quia forma materialis, licet dependens est substantia contenta sub substantia vt sic, cui debetur subsistentia, & ex eo quod sit dependens non definit esse substantia distincta ab accidenti, & sic necessario debebitur subsistentia secundum illud principium iam di-
48 ctum, dici de omni.

Vrgetur, quia forma materialis, quæ substantia realis est, licet dependeat à subiecto est ens per se: ergo petit modum existendi per se, quia modus existendi sequitur essentiam, sed modus existendi per se est substantia: ergo substantia
49 debetur formæ materiali etiamsi dependeat.

Deinde, quia inter inhærentiam, & subsistentiam non est medium, sed substantia dependens à subiecto, non potest habere inhærentiam: ergo debet habere subsistentiam; minor sic probatur, quia inhærentia debetur accidenti reali, quatenus accidens est, nam certissimum est in Philosophia omne accidens reale inhærere, sed forma substantialis etiamsi dependeat, non est accidens reale: ergo forma substantialis etiam si dependeat non habet inhærentiam: consequentia illa sic probatur, quia substantia illa habet suam essentiam, cui debetur aliquis modus existendi, quia sicut omni essentiæ competit existentia, omni essentiæ existenti competit etiam aliquis modus existendi, qui necessario debet esse, aut modus existendi inhærendo, quæ inhærentia est, aut modus existendi per se quæ substantia est, sed vt probatum est non dari medium inter hærentiam, & subsistentiam inter modum existendi inhærendo, & modum existendi per se, & illi substantiæ non potest conuenire modus inhærendi seu inhærentia: ergo conuenit illi subsistentia.
50

Secundo sic probatur hæc conclusio argumento ptimo primæ conclusionis, & vltimo ipsius con-
51 clusionis.

Tertio probatur, quia sequeretur ex opposita sententia, quod leo, verbi gratia, non sit suppositum completum, quia in tali leone non datur subsistentia formæ: ergo solum datur subsistentia materiæ: ergo in ratione suppositi constituitur solum per subsistentiam materiæ; sed talis subsistentia est incompleta vt supra probauimus, quia subsistentia sequitur essentiam, cum autem essentia materiæ primæ sit incompleta, subsistentia eius similiter debet esse incompleta, vnde per subsistentiam incompletã constituitur in ratione subsistentis; sed quicquid subsistentia incompleta constituitur, est incompletum suppositum, aut minime est suppositum; suppositum enim suppositalitate debet constare: atqui subsistentia incompleta non est suppositalitas: ergo leo constitutus per talem subsistentiam, non erit suppositum, aut si fuerit tale erit incompletum, & non completum, quia eo modo est constitutum, ac est constitutiuum; sed constitutiuum talis suppositi est incompleta subsistentia: ergo constitutum erit incomplete subsistens.

Confirmo hanc rationem, quia si subsistentia materiæ incompleta ex natura sua postulat 52
compleri: ergo absurdum esset, & præter naturæ ordinem, quod in omnibus rebus naturalibus præter hominem maneret sine complemento: sicut ergo essentia materiæ appetit complementum essentiæ, & existentiæ complementum existentiæ; ita etiam subsistentia materiæ complementum subsistentiæ; nam ad hoc etiam natura sua ordinatur: ergo sub omni forma, sub qua naturaliter manet, habet subsistentiæ complementum; sicut essentiæ, & existentiæ: arqui tale complementum debet esse subsistentia partialis ex parte formæ, sicut complementum essentiæ est essentia partialis formæ, & complementum existentiæ est existentia partialis ex parte formæ: ergo omnis forma habet suam subsistentiam, qua compleatur subsistentia materiæ.

Quarto sic argumentor, quia in vniuersum 53
modus rei compositæ, qui adæquate, & per se primo afficit totam illam rem vt sic necessario participat compositionem rei cuius est modus, quia non potest aliter intelligi, quod modus intime afficiat totam rem, & omnes partes eius, cum aliqua identitate reali, & sola distinctione modali; sed in præsenti subsistentia ita modificat existentiam totius naturæ, vt etiam modificet omnes partes eius: ergo cum illis simul sumptis identificatur, & ideo necesse est vt includat etiam plures partes, & compositionem inter illas; atqui tales partes debent esse subsistentiæ partiales non aliæ, nisi subsistentiæ materiæ & formæ: ergo materia, & forma exhibent suas subsistentias, vt ex illis resultet totalis subsistentia composita: ergo prius natura habent suas proprias subsistentias omnis materia, & omnis forma ex quibus resultat subsistentia illa totalis composita.

Dices talem subsistentiam totalem non esse 54
compositam sed simplicem.

Contra, quia vel illa simplex subsistentia est 55
tota in tota natura, & tota in qualibet parte, aut est tota in tota natura, & pars illius in parte naturæ, aut est tota in sola vna parte, primum dici non potest, quia subsistentia naturæ equinæ, verbi gratia, est subsistentia materialis: atqui talis modus essendi totius in toto, & totius in qualibet parte est proprius rei spiritualis, vt animæ rationalis Dei, & Angeli, & sic non potest competere talis subsistentia materiali, nec potest dici tertium, quia subsistentia totalis est modus immediate afficiens id quod adæquate constituit; sed constituit adæquate immediate totam naturam, & non aliquam partem: ergo talis subsistentia totalis non est in vna parte naturæ; sed in tota, sed non est ita in tota vt non sit in partibus scilicet materia & forma vnitis, quia totum non habet aliud esse, ac habent partes: ergo illa subsistentia est in tota, & in omnibus partibus: sed

non est modo spirituali, vt diximus: ergo est tota in tota, & pars in parte, scilicet in materia & in forma: ergo subsistentia illa totalis habet partem: ergo non est simplex, sed composita illa subsistentia.

56 Vltimo sic argumentor, quia sanguis Christi Domini fuit vnitus immediate, & proxime Verbo diuino per vnionem hypostaticam, sed si forma sanguinis non haberet subsistentiam partialem, non vniretur totus sanguis immediate Verbo diuino: ergo forma sanguinis habet subsistentiam partialem: maior est ita hoc tempore certa, vt contraria illi sententia non possit sine errore defendi, vt patet ex multis Scripturæ, & Conciliorum locis, in quibus nostra redemptio tribuitur sanguini Christi, tanquam condigno prætio, *ad Ephesios* 1. *ad Colossen.* 1. *ad Rom.* 3. Per fidem dicitur in sanguine ipsius, *ad Hebr.* 9. quanto magis sanguis Christi, 1. *Petri* 1. Non corruptibilibus auro, & argento, sed pretioso sanguine, &c. 1. *Ioannis* 1. Sanguis eius Iesu Christi filij emundat nos ab omni peccato, *& Apocalip.* 7. dicuntur, Sancti dealbasse stolas suas in sanguine Agni, *& Luc.* 22. ait Christus, hic est Calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur: sed non posset esse sanguis Christi nostræ redemptionis prætium condignum, nisi haberet infinitatem ex immediata, & intrinseca coniunctione, seu vnione cum Verbo: ergo talis sanguis, vnitus fuit illi, quod aperte asserit Concilium Ephesinum, *Can.* 5. dicens (Verbum æque, ac nos communicasse carni, & sanguini) *& in Epist. Cyrilli, cum Concil. Alexand.* & probatur in Ephes. *tom.* 1. *cap.* 14. dicitur, verum naturalemque Deum carnem, & sanguinem assumpsisse, & hæc omnia referuntur & confirmantur in 5. Synodo generali, *act.* 6. *longe à medio, & fin.* Concil. Calcedo *act.* 1. *pag.* 33. *ad finem*, refertur, & approbatur illa explicatio Cyrilli, Verbum caro factum est, id est carnem, & sanguinem sumpsit. & 6. Synodo *act.* 16. damnatur quidam hæreticus, qui dicebat carnem & sanguinem in cruce fuisse dimissa, vbi PP. omnes illius Concilij satis sentire indicant vtrumque fuisse eodem modo assumptum, quapropter *act.* 8. eius synodi habentur hæc verba in professione fidei cuiusdam Macarij factus est in assumptione carnis, & sanguinis, mansit tamen quod erat; verum est illum Macarium fuisse hæreticum, quia negabat duas in Christo voluntates, eius tamen professio in hoc solum reijcitur non in aliis, quod apertissime definitur à Clem. VI. *in extrauaganti, Vnigenitus, de pœnitentia, & remissione*, vbi dicit vnam guttam sanguinis Christi fuisse sufficiens pretium redemptionis nostræ propter vnionem ad Verbum, & loquitur aperte de vnione ipsius sanguinis, non corporis, ita vt pretium fuerit infinitum ex parte rei oblatæ, & non tantum ex dignitate offerentis; vnde in principio illius Extrauagantis præmittit Dei filium nostræ mortalitatis substantiam diuinitati suæ coniunxisse, vt haberet vnde hominem redimeret, & Deo satisfaceret, vbi per substantiam nostræ mortalitatis carnem, & sanguinem plane intelligit, ex quibus omnibus aperte probata manet nostra maior. Minor illa sic probatur, quia si forma sanguinis non haberet subsistentiam, non vniretur Verbum diuinum immediate formæ sanguinis, quod manifeste patet: nam eo modo vnita est natura, vel pars naturæ Verbo, quo vniretur subsistentiæ creatæ mediate vel immediate, si esset in proprio supposito; atqui forma sanguinis non vniretur immediate essendo in proprio supposito subsistentiæ propriæ creatæ, siquidem non haberet illam: ergo non vniretur immediate Verbo diuino, sed solum mediante materia, siquidem sola materia haberet subsistentiam propriam: ergo totus sanguis non vniretur immediate Verbo diuino. Patet consequentia, quia ad hoc vt totum vniatur immediate, debet vniri secundum omnes suas partes; atqui totus sanguis non vnitur secundum omnes suas partes immediate, siquidem non vnitur secundum formam immediate: ergo non vnitur totus sanguis immediate Verbo diuino; nam sicut v. g. si anima rationalis humanitatis Christi, non vniretur immediate Verbo diuino, sed solum materia prima humanitatis, certe sine dubio dicendum esset, totam humanitatem non esse immediate vnitam & similiter, quia albedo, quæ est forma constitutiua albi, non est vnita Verbo diuino immediate in humanitate Christi, humanitas, vt alba reduplicatiue non est immediate vnita Verbo diuino: ergo similiter si forma per quã constituitur sanguis in esse sanguinis in Christo non fuit immediate vni a Verbo diuino, sine dubio sanguis vt sanguis Christi non fuit immediate vnitus Verbo diuino vnione hypostatica; atqui vt probatum est, est erroneum dicere sanguinem Christi vnitum non esse immediate Verbo diuino: ergo dicendum est sine dubio non solum esse vnitam materiam sanguinis Verbo diuino, sed etiam formam illius substantialem, vt aperte asserit D. Th. 3. *part. q.* 5. sed id quod vnione hypostatica vnitur immediate Verbo diuino, debet immediate in se esse talis naturæ cui debeatur subsistentia propria, ita vt si non esset vnitum haberet illam, quia vnio hypostatica subrogatur loco subsistentiæ propriæ: ergo formæ sanguinis, quæ immediate vnitur vnione hypostatica, debetur subsistentia propria: sed forma sãguinis est forma materialis, & depẽdens à materia: ergo formæ materiali ex eo quod substantia est, licet depẽdeat, habebit subsistentiam propriã. 57

Dices nos supra asseruisse subsistentiam deberi animæ rationali propter independentiam à materia: ergo non consequenter dicimus nunc formam sanguinis licet dependentem habere subsistentiam quia substantia est.

Sed contra primo, quia tunc nos loquuti sumus de subsistentia perfectissima debita animæ rationali, & proportionata cum entitate ipsius; atqui entitas animæ realis ex eo quod spiritualis sit, est substantia omnimodo independens à materia: ergo subsistentia ipsius debet esse modus spiritualis perfectissimus, ac proinde omnimode independens à materia de qua sustentia si rationem interroges, quare tam perfectissima debeatur animæ rationali, sine dubio huic interrogationi respondebis tribuendo eandem rationem quam supra tradidimus, scilicet ideo subsistentiam propriam deberi animæ rationali, quia nimirum est independens à materia; atqui nunc loquimur de subsistentia imperfecta debita substantiæ imperfectæ corruptibili, & dependenti à materia, quæ licet dependẽs sit, nihilominus substãtia est, cuius proprietas debet esse subsistentia: ergo non mirum quod nũc dicamus formã materialem licet dependentem habere subsistentiam, siquidem hæc subsistentia cum sit imperfectior subsistentia animæ rationalis non petit tantam perfectionem, & independentiam sicut petit subsistentia animæ rationalis, quæ perfectissima est, ex quo euidenter colligitur non inconsequenter, sed cum maxima consequentia nos loquutos fuisse. 58

Secundo

59 Secundo contra sic argumentor, quia ad omnem independentiam substantiæ realis, sequitur proprietas illius, quæ est subsistentia, ita vt ad perfectissimam independentiam substantiæ realis, vti est animæ rationalis, Angeli, & Dei, qui minime pendent à materia sequatur perfectissima subsistentia, & ad imperfectam independentiam substantiæ realis, à tali materia sequatur imperfecta subsistentia; atqui forma materialis est substantia, & licet dependeat per eductionem à materia ratione vnionis, & informationis substantialis, nihilominus absolute independens est per inhærentiam ab illa, quia forma substantialis materialis licet vere, & substantialiter informet, & vniatur materiæ, minime tamen inhæret ipsi, quia inhærentia vera & propria est vnio proprie debita entitati accidentali, & est exercitium propriū, & quasi propria passio accidentis realis, & ideo dum definitur accidens solet dici, est ens quod potest inhærere in aliquo subiecto, ita vt inhærentia aptitudinalis sit de essentia accidentis realis, cum autem forma materialis, verbi gratia, anima Equi minime sit aut proprie accidens reale, sed propriissima substantia realis; inde necessario euenit vt non habeat inhærentiam realem in subiecto, nec dependeat per inhærentiam à materia prima: ergo absolute habet subsistentiam.

60 Vrgetur ac declaratur amplius, quia inhærentia opponitur subsistentiæ vt patet ex D. Thom. *1. part. quæst. 75. art. 1. & 2. & in 4. contra Gent. cap. 2.* & è contra subsistentia etiam opponitur inhærentiæ, ita vt cui debetur inhærentia, non debeatur subsistentia, nec debeatur inhærentia cui debetur subsistentia, & ratio euidens à priori est, quia accidens reale distinguitur, & opponitur substantiæ reali, & ideo hæc est vera propositio, accidens reale minime est substantia realis; sed potius est imperfectius realiter & essentialiter illa, sed inhærentia est debita accidenti reali, tanquam proprietas illius in tota sua latitudine, ita vt adinuicem conuertantur, & sic vere dicimus est accidens: ergo potest, & debet inhærere, debet vel potest inhærere: ergo est accidens: ergo debet opponi proprietati, & actui secundo debito necessarie substantiæ reali, quæ nihil aliud est nisi subsistentia, vt patet ex dictis. Tum sic, forma substantialis materialis est substantia realis, ratione cuius habet essentiam oppositam, & distinctam essentiæ accidentis realis: ergo non debet habere inhærentiam. Patet hoc manifeste, quia actus primus perfectior altero actu primo, & essentia opposita alteri essentiæ non debet habere proprietatem imperfectioris essentiæ, nec debet habere actum secundum, quem habet actus primus sibi oppositus: sed inhærentia est actus secundus, & proprietas accidentis realis, quod est imperfectius realiter, & essentialiter forma substantiali reali materiali, & quasi oppositum ipsius: ergo non debet habere inhærentiam forma substantialis materialis realis, sed potius oppositam proprietatem & perfectiorem ipsa inhærentia; atqui nulla alia est proprietas opposita, & perfectior essentialiter inhærentia, quam possit habere forma substantialis realis, ex eo quod substantia realis sit, nisi substantia: ergo forma materialis realis habet propriam subsistentiam, quia habet rationem formalem, à nobis supra petitam, scilicet independentiam per inhærentiam à subiecto, propter hanc solum cuicunque substantiæ reali debetur propria subsistentia, & propter hanc concessi supra materiæ primæ, animæ rationali, & toti composito subsistentiam; cum autem hæc eadem independentia per inhærentiam conueniat etiam omni formæ substantiali reali, si consequenter loquendum sit, necesse est, vt conueniat illi subsistentia propria, quia vbi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis, propter quam rationem non approbo sententiam Pater Suarez 2. *tomo Metaph. disput. 34. sect. 5. num. 42.* asserentis nullam formam substantialem corpoream habere subsistentiam, licet habeat modum quemdam ex natura rei distinctum ab ipsa forma completiuum subsistentiæ materiæ, & constitutiuum suppositalitatis compositi.

Contra quem sic insurgo, quia talis modus est 61
modus existendi per se, sed subsistentia est modus existendi per se: ergo talis modus est subsistentia. Maior sic probatur, quia talis modus est modus existendi, sed non est modus existendi inhærenter, vt nuper probauimus: ergo est modus existendi per se. Deinde, quia talis modus est ad existendum eo modo quo petit forma substantialis, sed forma substantialis, quia substantia realis est, petit existere per se: ergo talis modus, qui datur ad existendum, datur ad existendum per se; patet hoc, quia hic modus sequitur existentiam cuius est, & existentia sequitur essentiam: sed essentia formæ substantialis in quantum substantia est, est essentia entis per se: ergo existentia eius debet esse existentia per se, & talis modus debet esse modus existendi per se.

Secundo sic argumentor, quia talis modus hà- 62
bet omnes proprietates subsistentiæ: ergo est vera subsistentia: antecedens sic probatur, quia prima proprietas subsistentiæ est vt sit modus substantialis, sed talis modus etiam est substantialis: ergo est subsistentia. Secunda proprietas est, vt terminet substantiam realem independentem per inhærentiam à materia: atqui talis terminat formam, talis modus quæ est substantia realis, quæ non dependet per inhærentiam à materia, licet dependeat per vnionem, ac informationem substantialem ab illa: ergo habet secundam proprietatem subsistentiæ. Tertia & vltima proprietas subsistentiæ partialis propriæ est, vt sit constitutiua suppositalitatis, & vt componat subsistentiam completam: sed ille modus formæ substantialis complendo subsistentiam materiæ primæ constituit, ac componit subsistentiam completam equi, verbi gratia, vel alterius completi compositi substantialis, quæ vera, & propria suppositalitas est: ergo talis modus habet etiam hanc vltimam proprietatem subsistentiæ cum reliquis: ergo habet omnes proprietates illius: ergo habet propriam essentiam subsistentiæ, quia id quod habet omnes proprietates alicuius, habet etiam essentiam illius.

Dices cum Patre Suares supra citato, *num. 43.* 63
non esse necesse vt omne id ex quo aliquid componitur participet rationem, vel denominationem totius. Vt non quicquid componit lineam est linea, nec omne id quod componit hominem est homo, si pro parte loquamur; sic igitur non quicquid complet subsistentiam totius, est subsistentia etiam incompleta, sed est terminus quidam vel modus complens subsistentiam; itaque fatemur inquit Suarez subsistentiam integram naturæ omnino materialis componi ex partialibus modis materiæ & formæ; dicemus tamen modum materiæ esse partialem subsistentiam, non tamen modum formæ, quia modus materiæ est quasi primum fundamentum, seu basis totius subsistentialium rerum.

64 Sed contra, quia secundo datur compositio seu constitutio alia, quæ pertinet ad vniuersalem rationem substantiæ vt sic, altera autem quæ pertinet ad particulares rationes contentas sub tali ratione substantiæ, de prima constitutione, seu compositione certissimum est, quicquid sit de secunda esse quasi homogeneam, seu vt melius loquar eiusdē rationis, & denominationis in toto, & cōposito ac in partibus, ita vt ratio totalis composita sit eiusdem denominationis cum partibus. Patet hoc euidenter in omni constitutione ad substantiam vt sic pertinente, & primo incipiendo ab essentiali constitutione totius substantialis secundum essentialem rationem substantiæ, siue illa sit integralis, siue essentialis; integralis enim aliquomodo potest dici pertinens ad essentiam, quatenus comparatur cum compositione existentiali, & subsistentiali, quia hæ constitutiones absolute extra essentiam substantiæ solent vocari, cum fiant ex existentia, & subsistentia, quæ modi subitantiæ sunt, & non substantia, compositio autem integralis non fit ex modis substantiæ, sed ex ipsis partibus substantialibus, quæ substantiæ sunt realiter, & veræ, & sic ex essentiali ratione substantiæ fit, id est ex veris entitatibus, quæ vere, & realiter habent essentiam substantiæ, & in hoc sensu dicimus aliquo modo, & possumus dicere talem compositionem posse vocari essentialem, nam compositum integrale substantiale est eiusdem rationis, & denominationis cum suis partibus, & sic tota aqua est vera substantia, sicut & partes eius, nam pars aquæ vera, & realis substantia est; item in homine caput, & manus tam veræ, & reales substantiæ sunt, sicut totum corpus hominis. Quid enim dicam de compositione essentiali, qua componitur ex materia, & forma totum subitantiale, in qua sine dubio sumendo, vt debet sumi hic denominatio substantiæ, & ratio entis per se eiusdem denominationis est totum, ac sunt partes; nam si totum est vera, ac realis substantia, etiam materia & forma sunt vere, & realiter substantiæ: ergo in hac prima constitutione substantiæ compositum est eiusdem denominationis substantialis, ac sunt partes eius.

Secunda compositio datur intra rationem substantiæ materialis, quæ Metaphysice secundaria dicitur in illo genere, quia non est per ipsum gradum substantiæ, quatenus substantia est, sed per existentiam substantiæ, & in hac etiam compositione existentiali totum est eiusdem denominationis cum partibus in ratione existendi: nam si totum est vere realiter ac substantialiter existens, id est vere, & realiter extra causas, ita etiam partes siue essentiales, siue integrales, vere & realiter substantialiter sunt existentes, id est vere, & realiter sunt extra causas: ergo quæcumque compositio pertinens ad rationem substantiæ corporeæ vt sic, quatenus ad illam rationem pertinet, est talis naturæ, ac conditionis, vt totum resultans ex vi illius compositionis sit eiusdem rationis, & denominationis cum suis partibus: atqui ratio subsistentiæ, quatenus subsistentia est, non est proprietas alicuius rationis inferioris, contentæ sub substantia vt sic, quatenus particularis ratio est, v. g. vt est risibilitas respectu hominis, inhibilitas respectu equi, & rugibilitas respectu leonis; sed potius est proprietas substantiæ, ita vt substantiæ, quatenus substantia realis est formalissime, & adæquate conueniat, imo si conuenit inferioribus substantiæ, non conuenit illis propter rationes particulares ipsorum, sed potius propter rationem communem substantiæ, quam in se continent: ergo in compositione subsistentiæ totum compositum erit eiusdem rationis, & denominationis cum partibus, quia patet manifeste in subsistentia completa hominis, quæ subsistentia absolute dicitur sicut etiam subsistentia animæ rationalis, quæ est pars subsistentiæ absolute, & simpliciter subsistentia dicitur, sicut subsistentia etiam materiæ primæ, ex qua tanquam ex parte constat subsistentia propria, & absoluta dicitur, item subsistentia totalis aquæ, quatenus totum integrale est, dicitur proprie, ac simpliciter subsistentia, & eodem modo subsistentiæ dicuntur subsistentiæ partium ipsius aquæ, ex quibus tota subsistentia aquæ consurgit: sed subsistentia completa aquæ, & subsistentia completa leonis, quatenus leo totum essentiale est, & quatenus subsistentia illa totalis illius componitur ex subsistentia materiæ primæ, & ex modo animæ ipsius terminante animam leonis, est vera compositio subsistentiæ, non debita leoni secundum rationem differentialem ipsius, sed illi debitam secundum substantia est corporea in quo gradu continetur, vt in essentia: ergo talis subsistentia composita debet esse eiusdem rationis, & denominationis cum partibus, ita vt non solum ipsa totalis subsistentia sit vera subsistentia, taliterque vere appelletur, sed etiam subsistentia materiæ primæ, & subsistentia animæ illius vere, & proprie subsistentiæ appellentur, ratio autem huius duplex est; prima quia proprietas sequitur essentiam, sed essentia composita ex essentia formæ leonis, & ex essentia materiæ primæ illius, est ita eiusdem rationis, & denominationis cum partibus vt si tota vocatur vera essentia substantialis, etiam essentiæ partiales vocentur veræ essentiæ substantiales: ergo etiam compositio proprietatis illius essentiæ, quatenus substantia est, debet esse ita homogenea, vt sit eiusdem denominationis in illa tota proprietas composita, ac partes ex quibus constat, sed proprietas substantiæ compositæ leonis est subsistentia composita illius: ergo talis subsistentia debet esse ita homogenea, vt denominetur eodemmodo, ac partes illius, ita vt si tota sit vera subsistentia, etiam Partes veræ subsistentiæ vocentur.

Secunda ratio est, quia gradus metaphysicus 65
quem sequitur subsistentia, siue sit substantia vt sic, siue sit substantia corporea nullam habet heterogeneitatem in se, sed ita est indiuisibiliter substantia, vt quicquid est in illa sit vere substantia sine aliqua dissimilitudine: ergo subsistentia quæ sequitur illum gradum, ita erit homogenea in ratione subsistentiæ, vt quicquid sit in illa, & ex quo illa componitur sit vera subsistentia sine aliqua heterogeneitate, & dissimilitudine in ratione subsistentiæ: atqui subsistentia illa componitur ex modis materiæ primæ, & formæ leonis: ergo tales modi sunt veræ & propriæ subsistentiæ partiales.

Secundo sic argumentor, quia falsum est quod 66
asserit hic Author nimirum, non omnem partem componentem lineę esse lineam; nam in tua sententia linea componitur in infinitum ex partibus proportionalibus longitudinis, vel ex partibus aliquotis, homogeneis quidem cum tota linea: sed partes homogeneæ sunt eiusdem rationis, & denominationis cum toto: ergo partes illæ componentes lineam sunt lineæ, sicut quia partes tam proportionales, quam aliquotæ aquæ sunt vere aquæ, sicut totum compositum ex illis; verum tamen est quod aliquid terminet lineam,

&

& non sit linea, sed talis terminus non componit lineam, quia talis terminus non est pars illius, quia supponit iam totam lineam compositam, & completam, quia talis terminus est extremum illius lineæ: omne autem extremum terminans aliquid est extra essentiam rei, supponitque iam essentiam completam, & constitutam in suo esse, ratione cuius nec est eiusdem rationis, nec denominationis cum linea; esset autem eiusdem rationis, & denominationis si componeret entitatem lineæ; atqui modus formæ leonis, non terminat subsistentiam completam leonis, supponendo illius adæquatam compositionem, & constitutionem, sed potius per illum modum constituitur, & componitur subsistentia illa totalis in esse substantiæ: ergo modus ille est vera, & propria subsistentia.

Deinde secundum exemplum quo vtitur de homine, non est ad rem, quia talis compositio non pertinet ad gradum substantiæ vt sic, de cuius ratione vt supra probauimus, est vt habeat homogeneitatem, ac in partibus, sed potius pertinet ad speciem infimam contentam sub substantia, quæ propter suas differentias, & perfectiones petit heterogeneitatem in toto respectu partium, & sic est verum, quod materia prima licet componat hominem non sit homo, quod è contra euenit in compositione substantiæ vt sic, in qua certissimum est, vt quicquid componit substantiam vt vera pars sit vera substantia, sicut totum, sed compositio subsistentiæ pertinet ad substantiam compositam in quantum substantia est, & non ad hominem vt homo: ergo ita componitur subsistentia, vt sequatur proprietates substantiæ in homogeneitate, quia ad talem gradum substantiæ sequitur, & non ad rationem hominis: ergo non bene valet argumentum, à compositione hominis vt sit heterogenea, ad compositionem subsistentiæ, siquidem vt dixi talis compositio subsistentiæ non sequitur compositionem hominis, vt homo est in qua necessario petitur heterogeneitas, sed potius sequitur compositionem substantiæ, vt substantia est, in qua necessario requiritur, ac exigitur omnimoda homogeneitas, & similitudo inter totum, & partes.

67 Vltimo argumentor labefactando rationem ipsius; nam tota ratio quare subsistentia materiæ sit propria subsistentia, & subsistentia formæ materialis, non sit talis, est quia subsistentia materiæ est quasi primum fundamentum seu basis totius subsistentiæ talium rerum, & non innititur alteri, vt subiecto, quod minime habet subsistentia formæ materialis, cum non sit fundamentum, & basis totius subsistentiæ, sed potius innittatur tanquam in subiecto subsistentiæ materiæ; atqui si hæc ratio Patris Suarez, aliquid probaret, probaret etiam subsistentiam animæ rationalis, non esse propriam subsistentiam; nam subsistentia animæ rationalis non est primum fundamentum, seu basis totius substantiæ, vt est subsistentia materiæ primæ, & ex alio capite subsistentia animæ rationalis subiectatur in subsistentia materiæ primæ, vt ipse Pater Suarez, *num. 43.* affirmat, dicens subsistentiam animæ rationalis vniri tanquam actum in potentia subsistentiæ formæ, actus autem recipitur, & subiectatur in sua potentia tanquam in subiecto proprio, & sic anima rationalis licet sit spiritualis, & independens à materia, recipitur tamen tanquam in subiecto in ipsa, quia est actus substantialis & essentialis illius, sic similiter subsistentia animæ rationalis licet sit independens à subsistentia materiæ primæ, nihilominus subiectatur illa ex Patre Suarez, & recipitur, & nititur illi vt subiecto; vnde omnia, quæ ex vi medij, & argumenti Patris Suarez, concurrunt in modo formæ materialis; at hoc vt non sit proprie subsistentia concurrunt etiam, & reperiuntur in modo animæ rationalis, quare si illo argumento probatur subsistentiam formæ materialis non esse veram subsistentiam, probabitur etiam eodem argumento, eritque efficax illud ad demonstrandum subsistentiam animæ rationalis non esse veram subsistentiam: atqui nullo modo est efficax ad probandum id in anima rationali: ergo eodem modo non potest esse efficax ad probandum subsistentiam formæ materialis non esse proprie subsistentiam, quia non est maior ratio vnius, quam alterius, si recte medium argumenti P. Suarez ponderetur, & ratio cuidens est, quia cum subsistentia materiæ sequatur materiam, & materia sit primum fundamentum totius substantiæ, non mirum quod subsistentia ipsius sit primum fundamentum subsistentiæ totius; sed ex hoc non debet argui, dicendo: ergo subsistentia formæ non est proprie subsistentia, quia non est primum fundamentum totius; alias bene etiam argueretur: ergo subsistentia totalis, quæ suppositalitas dicitur, non esset vera subsistentia, quia non est fundamentum totius subsistentiæ, ratio enim subsistentiæ non eodem modo est, nec debet esse in omnibus subsistentibus; licet vere subsistant, in materia enim subsistentia illius habet veram rationem subsistentiæ materialis, quia est quasi potentia recipiens aliam subsistentiam, ac proinde quia est fundamentum, & quasi basis totius subsistentiæ; è contra vero subsistentia formæ est subsistentia formalis, & vera subsistentia, non propter eandem rationem; sed potus, quia complet vt actus subsistentiam materiæ actuando, & perficiendo illam, constituendoque, & componendo totalem subsistentiam, nam cum subsistentia formæ non sequatur materiam, sed formam, & forma non sit forma substantialis, quia sit fundamentum, vel basis substantiæ totius, hoc enim competit materiæ primæ, & non formæ, sed potius, quia vt actus substantialis complet, perficit, & actuat potentialitatem materiæ, & complendo illam componit substantiam totius, sic similiter subsistentia formalis, seu subsistentia formæ, quæ proprietas illius & exercitum talis formæ est, non debet esse subsistentia propriæ, propterea quod sit fundamentum totius subsistentiæ, quia hoc pertinet ad subsistentiam materialem, sed potius quia vt actus perficit, actuat, & complet subsistentiam materiæ, & complendo illam constituit subsistentiam adæquatam totius, nec ex eo quod subsistentia formæ innittatur, & subiectetur in altera desinit esse vera subsistentia, sicut forma materialis non desinit esse vera substantia ex eo quod innittatur substantiæ materiali, sic similiter modus eius, non desinit esse subsistentia, ex eo quod innittatur subsistentiæ materiæ, siquidem subsistentia, vt proprie subsistentia sequi debet necessario veræ & propriæ substantiæ relati, vti est forma materialis etiam si nittatur materiæ primæ, tanquam subiecto.

## SECTIO VLTIMA.

*Argumenta aduersaria soluuntur.*

68 AD primum argumentum concedo maiorem, & nego minorem, vt patet ex supra dictis latissime.

Ad secundum concedo maiorem & distinguo minorem, non operatur per se, id est separata concedo, non operatur per se, id est non influendo per se, aut vt substantia ratione cuius debetur illi subsistentia nego. Deinde distinguo secundam partem minoris, dependenter à materia per inhærentiam nego, per informationem substantialem concedo.

69 Ad primum secundæ sententiæ negatur antecedens, ad probationem illius negamus conuerti hypostasim, & subsistentiam, subsistentia enim latius patet quam hypostases, anima enim rationalis in sententia P. Vasquez subsistit separata, & tamen non habet personalitatem; vnde bene potest forma materialis habere subsistentiam partialem, licet non sit hypostasis partialis.

70 Ad vltimum ipsius dicimus subsistentiam esse complementum partium secundum se, cui non repugnat vnio compositi. Ad illud vero de incommunicabilitate postea latius dicetur, dum de effectibus formalibus suppositalitatis, & subsistentiæ dicemus.

## QVÆSTIO VI.

*Vtrum substantia possit existere diuinitus sine omni subsistentia.*

## SECTIO I.

*Sententiæ Aduersariorum proponuntur.*

1 PRima sententia negat naturam substantialem posse existere adhuc diuinitus sine omni subsistentia, ita P. Fonseca, & alij.

2 Probatur primo, quia quantitas non potest esse sine omni figura, & linea sine omni indiuisibili terminatiuo, licet possint esse absque hac, & illa figura, absque hoc vel illo termino: ergo licet natura possit esse absq; hac & illa suppositalitate non poterit esse absque omni adhuc diuinitus.

3 Secundo sic probatur sicut se habet inhærentia in accidenti, ita se habet subsistentia in substantia, sed ablata in accidenti inhærentia statim consurget in illo modus per se: ergo ablata in natura suppositalitate propria necessario succedet loco illius suppositalitas aliena.

4 Tertio sic probatur, quia si natura conseruaretur sine omni subsistentia, & suppositalitate, conseruaretur sine illa per actionem positiuam à Deo, sed hoc est impossibile: ergo impossibile est, vt conseruetur sine omni subsistentia, maior est euidens, quia omnis terminus creatus quomodocunque sit, si conseruatur, debet conseruari à Deo media sua actione, & medio influxu diuinæ omnipotentiæ: sed omnis influxus, & actio diuinæ omnipotentiæ est actio, & influxus positiuus: ergo si conseruaretur sine omni subsistentia diuinitus natura deberet conseruari media actione, & influxu positiuo. Minor illa prima sic probatur, quia omnis actio positiua tendens ad aliquem terminum debet habere aliquod specificatiuum positiuum, sine quo non potest illo modo esse talis actio; sed conseruatio illa ex vi cuius conseruaretur substantia, sine subsistentia nullum haberet specificatiuum formale positiuum, quia in illa natura solum datur entitas illius naturæ, quæ est quasi obiectum commune, & materiale respectu huius, & aliarum actionum; præter hanc autem entitatem solum datur respectu huius actionis vt proprium negatio quædam, quæ independentia à supposito dicitur, quæ vti negatio suppositalitatis non potest esse specificatiuum proprium actionis positiuæ: ergo talis actio positiua non posset terminari ad illum terminum, ac proinde non posset conseruari talis entitas cum negatione omnis subsistentiæ.

## SECTIO II.

*Nostra sententia proponitur, & alia dubia ad subsistentiam pertinentia expediuntur.*

PRima conclusio: bene potest esse, & conseruari per potentiam Dei absolutam, natura creata sine omni suppositalitate: hæc est communior hac tempestate, & probabilior sententia. 5

Probatur sic primo, quia omnis effectus secundarius formæ, vel quasi formæ potest suppleri à Deo in genere causæ efficientis per potentiam absolutam, sed conseruatio animæ à suppositalitate est effectus secundarius illius: ergo poterit suppleri à Deo in genere causæ efficientis per potentiam suam absolutam; maior sic patet, quia ideo potest Deus supplere effectum conseruationis substantiæ à quantitate sine ipsa quantitate per potentiam suam absolutam, quia est effectus secundarius illius; item in sententia aduersariorum potest conseruari materia prima sine omni forma substantiali per potentiam Dei absolutam, licet conseruatio illius naturaliter deberet esse effectus causæ formalis, & hoc quia est effectus secundarius. Deinde expulsio albedinis à subiecto, & expulsio frigiditatis vt octo, sunt effectus secundarij nigredinis, & caloris, & quia tales sunt possunt suppleri à Deo per potentiam Dei absolutam, quod adeo verum est, vt inter omnes catholicos Philosophos, tanquam certissimum, ac verissimum discrimen constituatur inter effectum primarium, ac secundarium formæ, vt ille nullo modo possit suppleri à Deo, hic vero sine dubio suppleatur ab ipso diuinitus: ergo Deus potest supplere quemcunque effectum secundarium formæ. 6

Minor præcipua sic probatur, quia ille est effectus secundarius alicuius formæ, qui consequitur ad primarium, & non est eiusdem denominationis cum forma, vt videre est in expulsione caloris respectu frigiditatis, & in conseruatione materiæ respectu formæ accidentis respectu substantiæ essentiæ respectu proprietatis, secundarius enim effectus vocatur, quia supponit primarium, primarius enim effectus cum includat essentialiter ipsam formam est eiusdem denominationis cum ipsa, ita vt effectus habeat denominationem in concreto, quam forma habet in abstracto, & sic album est effectus formalis albedinis, 7

nis, viuens, effectus formalis vitæ & frigidum effectus formalis frigiditatis, sanctum effectus formalis sanctitatis, & gratum effectus formalis primarius gratiæ, & hoc est vt diximus; tum quia sunt eiusdem denominationis cum formis, à quibus causantur; tum quia non supponunt alium effectum formalem: sed conseruatio naturæ à suppositalitate supponit suppositatam esse naturam, & exhibitam suppositalitatem naturæ vnitamque esse ipsi, & ideo hæc est vera propositio causalis, quia subsistentia vnitur naturæ conseruat illam; itaque subsistentia vnita naturæ est causa conseruationis ipsius, ita vt subsistentia vnita naturæ sit prior prioritate naturæ ipsa conseruatione, pro quo priori est verum dicere, subsistentia est vnita naturæ, & natura est vnita subsistentiæ: ergo pro priori naturæ, quo nondum intelligitur conseruatio, dantur, & intelliguntur subsistentia natura, & vnio earum simul: ergo intelligitur totum suppositum resultans ex vnione suppositalitatis, & natura; sed totum illud concretum est effectus primarius formalis suppositalitatis: ergo prius natura intelligitur effectus primarius suppositalitatis, quam conseruatio naturæ, media suppositalitate: ergo conseruatio est secundarius effectus, quia præsupponit primarium. Deinde, quia in primo instanti productionis datur perfectum suppositum, quia non fit per actionem successiuam, sed instantaneam, vt de se clarissime patet; suppositum autem diximus effectus primarius suppositalitatis: atqui in primo instanti productionis, nondum perfecta intelligitur conseruatio naturæ, quia conseruatio est permanentia, seu propagatio esse producti; atqui non datur propagatio, seu permanentia illius esse producti in instanti primo in quo de nouo habet esse, sed in duratione sequenti ad illud instans, quia sicut propagatio, seu extensio localis non intelligitur perfecta in primo loco, nisi extendatur entitas illa de primo loco ad secundum, & vlteriorem locum, sic similiter extensio, permanentia seu propagatio entitatiua non intelligitur in prima duratione qua de nouo producitur, nisi in sequenti ad quã extenditur entitas; itaque habere de nouo esse intelligitur in primo instanti, seu in prima duratione; habere autem conseruatum propagatum, seu conseruatum esse non intelligitur in prima duratione: sed in secunda sequenti, ita vt conseruatio sit simul cum secunda duratione, sed secunda duratio supponit primam durationem, & quicquid est in prima duratione: ergo conseruatio quæ est in secunda duratione, & simul cum illa præsupponet primam durationem, & quicquid est in prima duratione sine dubio: sed in prima duratione datur suppositum quod est effectus primarius suppositalitatis: ergo conseruatio supponit effectum primarium formalem illius: ergo conseruatio, quæ est effectus suppositalitatis erit effectus secundarius illius, cum effectus secundarius sit, qui præsupponit primarium.

Præterea conseruatio non est eiusdem denominationis cum suppositalitate, nec dicit eandem denominationem in concreto, quam dicit in abstracto suppositalitas, sed potius dicit diuersissimam denominationem in abstracto (conseruatio enim nomen abstractum est à conseruato, quod est concretum illius) ab ea quam dicit in abstracto ipsa suppositalitas: ergo non est effectus primarius, sed secundarius suppositalitatis. Tandem quia non est medium inter effectum primarium, & secundarium alicuius formæ, sed suppositum est effectus primarius suppositalitatis, quia in illud concurrunt omnia quæ requiruntur ad effectum primarium, cum non supponat alium effectum ante se, & sit eiusdem denominationis cum suppositalitate: atqui conseruatio naturæ non est suppositum: ergo talis conseruatio non est effectus primarius, sed secundarius.

Secundo principaliter sic argumentor, quia 8
natura actu non dependet essentialiter à suppositalitate: ergo potest natura saltem diuinitus existere, & esse sine omni suppositalitate. Patet consequentia, quia solum illa quæ sunt essentialia, non potest Deus supplere, ita vt omni etiam naturaliter maxime necessaria suppleat, vt videre est in exemplo supra posito, de materia prima, quæ sine vnione ad formam, & de quantitate Eucharistiæ, quæ sine vnione ad substantiam, licet sint modi maxime necessarij ad existendum, sine quibus non possunt conseruari naturaliter, conseruantur nihilominus & diuinitus supplente Deo per modum actionis positiuum illam conseruationem, seu dependentiam ab vnione, & inhærentia, & hoc non propter aliam rationem, nisi quia talis dependentia non est essentialis in materia prima respectu formæ, & in quantitate respectu substantiæ, sed dependentia quam habet natura à suppositalitate, non est essentialis respectu naturæ: ergo potest Deus supplere talem dependentiam per modum positiuum actionis; in genere causæ efficientis conseruantis illam, antecedens euidens est, quia licet natura dependeat intrinsece à suppositalitate, nihilominus non dependet ab illa tanquam à prædicato essentialiter constitutiuo illius in esse naturæ; sed tanquam ab aliqua ratione extra essentiam talis naturæ supponente talem naturam completam in suo essentiali: ergo talis dependentia non est essentialis naturæ. Patet hæc consequentia, quia ideo materia prima in vestra sententia licet intrinsece dependeat à forma substantiali actualiter, tamen essentialiter non dependet ab illa, quia forma non est prædicatum essentiale materiæ, aut pars essentialiter constitutiua illius, & in omnium sententia sine aliquo dubio aut tergiuersatione, licet forma materialis substantialis dependeat intrinsece à materia, & accidentia omnia intrinsece dependeant à substantia, nihilominus non dependent ab illis subiectis essentialiter, quia non sunt de essentia formæ, aut de essentia accidentium materia prima & substantia; sed de essentia naturæ non est suppositalitas: ergo dependentia à suppositalitate non est essentialis naturæ: ergo potest suppleri à Deo, vnde bene poterit esse, & conseruari natura sine omni suppositalitate.

Dices bene posse esse naturam sine hac, vel illa 9
suppositalitate, non tamen sine omni, sicut bene potest ipsa natura esse, & conseruari, sine hac vel illa dependentia à Deo, non tamen sine omni.

Contra, quia non depẽdet actu ita ab illo modo 10
positiuo suppositalitatis natura, sicut dependentia dependet à Deo, nam à Deo in genere causæ efficientis vocatur essentialis, ita vt nec per potentiã Dei absolutã possit existere natura sine dependentia à Deo, & sic creatura cum in suo conceptu primario dicat esse ens secundum, & participatum, si actu est, debet necessario habere actualem participationem, quia actu non potest esse à se, sed ab alio; vnde actualiter dicit dependentiam à Deo, si actu ens simpliciter est, idest ens existens, sicut si possibile, & ens secundum

quid dependentiam possibilem & secundum quid dicit, & ideo illa non potest suppleri, quia esset, & non esset actu creatura intrinsece, esset actu ens participatum actu, & non ens participatum actu, non esset actu participatum, quia non creatum actu, creatum enim actu, & participatum actu est effectus primarius creationis, & participationis, sed de essentia actualis primarij effectus formalis est actualis entitas, & essentia formæ, quia talis forma per suum ipsum esse constituit essentialiter effectum formalem primarium suum, verbi gratia, albedo constituit album, anima animatum sine essentia autem actuali actualiter non potest esse effectus: ergo sine sua forma actuali; sed forma actualis entis participati, & creati est participatio actualis creatio, seu dependentia à Deo: ergo ens actu participatum & creatum, seu actualis creatura non potest esse talis sine actuali participatione, creatione, & dependentia à Deo; vnde si esset sine illa non esset ens participatum, nec creatum, nec creatura actualis, & ex alio capite esset creatura vt supponimus: ergo esset creatura, & non creatura actu.

11 A supposito autem minime actu essentialiter dependet natura quia natura non est effectus primarius formalis intrinsecus suppositalitatis, ac proinde talis suppositalitas non est forma intrinsece, & essentialiter constitutiua naturæ vt naturæ, nec causa prima, & increata efficiens talem naturam, neque etiam est causalitas causæ primæ.

12 Præterea non est subiectum naturæ actu componens essentialiter illam: ergo non dependet ab illa essentialiter, ac proinde sicut potest tolli hæc, & illa suppositalitas, potest tolli omnis à natura existente tota essentia, & substantia illius, quia natura completa actualis essentialiter est actu, & actu est perfecta essentialiter sine modo illo suppositalitatis, qui tantum ad integritatem naturæ, & complementum illius integrale datus est ipsi.

13 Confirmatur, quia quod est prius essentialiter non dependet à posteriori essentialiter; sed natura est prior essentialiter suppositalitate cum suppositalitas ex eo quod essentialiter sit modus naturæ præsupponat essentialiter naturam, tum tanquam causam effectiuam essentialem, tum tanquam subiectum essentiale illius adhæsionis, ita vt nec per potentiam Dei absolutam possit hoc alterari: ergo natura nullo modo potest dependere essentialiter à suppositalitate, quia dependentia est posterioritas naturæ respectu illius in ordine ad quod datur dependentia; sed si prius essentialiter dependeret, essentialiter esset posterius; vnde non esset prius essentialiter, quia quod est prius respectu alicuius qua tale est non est posterius, & è contra: ergo prius vt prius essentialiter non potest essentialiter dependere à posteriori essentialiter, quia iam idem respectu eiusdem esset prius, & non prius essentialiter.

14 Vrgetur exemplis hoc, quia cõpositum dependet essentialiter ab anima rationali, non potest iterum anima rationalis dependere essentialiter à composito vt actu sit, & conseruetur ipsa anima rationalis, & quia materia prima est id à quo dependet essentialiter compositum in genere causæ intrinsecæ, non potest iterum materia prima dependere essentialiter in genere causæ intrinsecæ ab ipso composito, & quia omnis creatura dependet essentialiter in genere causæ efficientis à Deo, non potest iterum Deus dependere essentialiter à creatura in genere causæ efficientis; sed suppositalitas dependet essentialiter à natura, quia omnis modus essentialiter dependet à re cuius est modus: ergo iterum natura non dependet à suppositalitate.

15 Dices in vno genere dependere suppositalitatem à natura, & in alio dependere naturam à suppositalitate, scilicet in genere causæ formalis.

16 Contra, quia natura non dependet essentialiter in genere causæ formalis, nisi ab illa forma à qua essentialiter habet esse, & sine qua non esset completa essentialiter, & non ab ea à qua in nullo genere causæ formalis essentialiter habet esse, hoc est à qua non accipit esse essentialiter, omnis enim dependentia causæ est vt effectus accipiat esse ab illa, & illa det & influat esse eo modo, quo est causa in effectum, & sine influxu non datur depẽdentia à causa, quia influxus causæ in effectum, & dependentia effectus à causa; sed natura humana, verbi gratia, non accipit esse essentialiter à suppositalitate, nisi à forma rationali, quia forma non dat esse nisi dando suam entitatem, ita vt si forma non se dederit vt essentia effectus, & de essentia ipsius, nec poterit causare effectum vt forma essentialiter, nec effectus dependebit essentialiter à tali forma, vt videre est in anima rationali respectu hominis, in quantitate respectu ipsius, ab illa enim dependet essentialiter homo, ab hac non: ergo suppositalitas, quæ non est forma constitutiua essentialiter naturæ, dando se vt essentia ipsius, sicut forma rationalis est forma illius, sed potius est extra essentiam naturæ, & supponit illam completam essentialiter in suo esse constituto per materiam, formam rationalem & vnionem, & dando se ipsa suppositalitas, non dat gradum, nec prædicatum essentiale naturæ, ipsa enim habet omne prædicatum essentiale prius natura quam suppositalitatem habeat, imo sine suppositalitate humana creata est completa essentialiter talis natura in specie naturæ humanæ, vt videre est in Christi humanitate ideoque ab omnibus DD. suppositalitas iudicatur extra essentiam naturæ, ita vt non sit prædicatum essentiale illius, quod adeo verum est vt non solum dicendum sit hoc, atque ingenue fatendum in natura creata in qua distinguitur suppositalitas à natura à parte rei, sed etiam est firmiter asserendum in diuina essentia ac natura, de cuius essentia non sunt tres suppositalitates, seu relationes, quæ identificatæ cum diuina essentia constituunt tres personas realiter distinctas, alias illæ tres personæ essentialiter distinguerentur ratione propriæ suppositalitatis, quam vnaquæque haberet ad sui constitutionem distinctam ab aliis, si talis suppositalitas esset prædicatum essentiale naturæ diuinæ.

17 Vnde non potest influere essentialiter formaliter suppositalitas creata in naturam humanam, cum non ad constitutionem essentiæ naturæ, sed potius ad constitutionem suppositi vt tale, quod non est essentia naturæ, sed integritas illius ordinetur: ergo nullo modo potest natura essentialiter dependere à suppositalitate in aliquo genere causæ: ergo bene potest esse natura sine suppositalitate diuinitus, quia Deus solum non potest supplere causam, & causalitatem essentialem, & ideo non potest natura existere & esse adhuc diuinitus sine Deo influente vt causa, vt supra diximus, licet sine quacunque alia causa creata efficienti posset conseruari, quia in illo genere solus Deus est causa essentialis, item rerum modi non possunt conseruari vllo modo sine rebus, quia

res

res sunt causæ essentiales illorum. Præterea natura humana potest esse sine quacumque causa formali præter animam rationalem, quia sola illa est causa essentialis formalis, cum influat in essentiam ex eo quod dando seipsam dat aliquid essentiale constitutiuum: sed suppositalitas non dat aliquod prædicatum essentiale per exhibitionem sui, dum terminat naturam, cum supponat iam essentiam ante talem exhibitionem completam essentialiter, & constitutam in suo esse essentiali naturæ: ergo suppositalitas non influit in essentiam, sed in aliquid extra essentiam naturæ, non enim dat aliquid essentiale vt dixi, ac proinde non influit essentialiter in ipsam naturam: ergo natura non dependet essentialiter actu, adhuc reduplicatiue vt actu est à suppositalitate. Patet hæc consequentia, quia influxus ex parte causæ, vel quasi causæ in effectum est dependentia effectus, vel quasi effectus à causa, vel quasi causa, quia ipsummet influere causæ est dependere effectus ab ipsa, quia effectus non dependet à causa nisi per influxum causæ, sed influxus ille suppositalitatis in naturam non est essentialis, nec suppositalitas influit essentialiter in naturam, sicut anima rationalis influit in ipsam, & sicut Deus in genere causæ efficientis influit in eandem cuius influxus vocatur essentialis. Tum quia Deus totum esse essentiale actu, & totam entitatem quam habet natura, tribuit illi medio suo influxu, nihil enim est in natura, quod non sit creatum, & participatum, ac proinde quod non sit à Deo datum, & concessum; Tum etiam, quia ita influit Deus in creaturam, & ita creatura dependet à Deo, vt non possit vllo modo ab eo non dependere, cum vero suppositalitas nihil essentiale tribuat, & ex alio capite, hoc quod tribuit potest suppleri à Deo, ideo minime est influxus essentialis: ergo nec natura dependet essentialiter ab ipsa. Tandem, quidquid non implicat contradictionem vt tritum est axioma, & quicquid euidenter non probatur implicare illam, non est denegandum Deo omnipotenti, quia euidenter constat Deum esse omnipotentem, & euidenter constat Deum esse omnipotentem ex eo quod possit facere, & producere quicquid non implicat contradictionem: ergo si prudenter loquendum, & sentiendum sit, dum non constiterit euidenter, & clare de contradictione alicuius effectus, solum propter apparentes rationes, quæ non extrahuntur à ratione opinionis, non potest negari Deo affectio talis effectus: sed non potest euidenter probari implicare contradictionem, quod natura conseruetur sine omni suppositalitate, vt ex rationibus supra positis liquet, & ex solutione argumentorum patebit: ergo minime est denegandum omnipotentiæ Dei quod possit conseruare naturam sine omni subsistentia.

17 Secunda conclusio: causa effectiua subsistentiæ per emanationem est ipsa subsistentia cuius subsistentia est: hæc sententia est communis, illi maxime fauet D. Thom. 3. *part. quæst.* 16. *art.* 12. *in corpore, & ad primum*, vbi docet propriam, & creatam personalitatem naturæ Angelicæ cauſari ex principiis intrinsecis eiusdem naturæ, quod non videtur posse intelligi, nisi de causalitate per modum principij actiui, seu quasi actiui per naturalem quandam resultantiam, & emanationem, quod etiam asserit, *q.* 2. *eiusdem* 3. *partis. art.* 2. *ad primum*.

Ratione autem primo sic probatur, quia subsistentia est proprietas substantiæ vt sic, vt probatum supra latissime manet; sed omnis proprietas emanat, & fluit tanquam à principio actiuo à propria essentia: ergo subsistentia resultat per emanationem à substantia. Maior patet, quia omnis proprietas habet necessariam connectionem causæ, & effectus cum sua essentia: sed omne quod habet necessariam connectionem cum alio per modum effectus fluit ab eo cum quo habet talem connectionem: ergo omnis proprietas fluit ab essentia tanquam à principio actiuo, ideo enim risibilitas fluit ab essentia hominis & frigiditas, & humiditas ab aqua intellectus, & voluntas ab anima, quia sunt proprietates illarum essentiarum. Tum sic: ergo subsistentia, quæ est proprietas substantiæ, debet fluere necessario ab illa per emanationem, quia habet necessariam connectionem cum illa, nullo enim alio signo melius intelligimus hanc naturalem resultantiam, & emanationem vnius ex alio, quam ex naturali connectione, quæ est inter rem, & intrinsecum modum eius, seu inter essentiam, & proprietatem.

Dices eodem modo se habere inhærentiam respectu accidentis, sicut subsistentiam respectu substantiæ; sed actualis inhærentia accidentis non fluit ab accidenti: ergo similiter subsistentia non fluit à substantia. 18

Sed contra, quia non eodem modo se habet actualis inhærentia in accidenti, ac subsistentia respectu substantiæ, quia actualis inhærentia accidentis, vt bene aduertit P. Suarez, pendet à subiecto, & ideo non potest dimanare ab ipso accidente, nisi subiectum concurrat, si tamen fingamus accidens semel separatum, ita applicari subiecto, vt ablato impedimento extrinseco statim possit illud informare, tunc non videretur necessaria alia extrinseca efficientia, vt inhæreat, sicut in Eucharistia, quando ex hostia consecrata generatur vermis in instãti generationis, in quo materia supponitur accidentibus, vt intelligatur illa quantitas iterum vniri materiæ, solum opportet intelligere vt Deus suspendat illum peculiarem concursum, quo quantitatem separatam conseruabat, statim enim illa quantitas ex naturali aptitudine, & impetu suæ naturæ vnitur materiæ sibi sufficienter applicatæ, & ita potest retorqueri argumentum, quod cum subsistentia naturæ substantialis sit modus omnino absolutus & independens à subiecto, & alias sit intrinsecus, & naturalis, & ad eum natura intrinsecam habeat aptitudinem, & propensionem ablato impedimento ab illa naturaliter resultat; vnde falsum etiam est quod alij asserunt, dicentes non posse Deum tollere, & suspendere quodcumque obstaculum impediens naturalem resultantiam subsistentiæ propriæ à substantia quodcumque illud sit, v. g. vt erat vnio humanitatis ad Verbum. 19

Secundo sic probatur, quia ex parte naturæ sunt omnia principia sufficientia, vt ab ea actiue resultet sufficientia eius: ergo non est negandum quin inter illas talis actiua connectio intercedat; antecedens declaratur, quia vt supra diximus, essentia substantialis cum sua existentia ordine naturæ antecedit subsistentiam: ergo habet omnia necessaria vt ab illa possit resultare modus subsistentiæ. Patet consequentia, quia ipsa essentia est nobilior quam subsistentia, & per existentiam constituitur in statu in quo possit esse principium intrinsecum subsistentiæ per resultantiam saltem, & emanationem naturalem. Rursus videtur esse maxime proportionata, vt possit esse huiusmodi principium: Tum quia ex 20

nobilitate & perfectione eius prouenit talis existendi modus; vnde in virtute potest illum continere, tum etiam quia ad perfectionem rei spectat vt possit esse intrinsecum principium sui modi essendi, præsertim quando ille modus est omnino intrinsecus & connaturalis, & naturaliter inseparabilis ab ipsa re, atque hinc probata manet prima consequentia totius rationis: nam quando effectus, vel aliquis modus rei potest conuenienter reduci in causam secundam, non est soli primæ attribuendus, & similiter quando reuocari potest in internum principium, non est ad solam extrinsecam causam referendus, præcipue quando talis modus habet intrinsecam, & inseparabilem connectionem naturalem cum re cuius est modus, estque omnino absolutus independensque ab illa re cuius modus est; & ideo vt iam supra dixi non potest vnio accidentalis seu inhærentia fluere solum ab accidenti, quia cum forma accidentalis sit in subiecto, & ex subiecto propter imperfectionem ipsius accidentis, ratione cuius non potest prius natura creari, quã vniri, ac proinde exercitium illius, seu inhærentia ipsius eodem modo debet dependere & habere necessariam connectionem, non solum cum accidenti, sed etiam cum subiecto propter quam rationem, non potest forma accidentalis, seipsam actiue vnire subiecto, quia nec potest seipsam de potentia subiecti educere, nec ante vnionem etiam secundum naturæ ordinem habet esse existentiæ, vt possit esse principium efficiens suæ inhæsionis, & ex eadem radice est quod talis forma eadem actione, & ab eodem agente recipit inhæsionem, à quo recipit esse, sicut etiam qui existimant substantiam naturæ substantialis nihil aliud esse quam ipsam existentiam substantiæ recte, & consequenter dicunt subsistentiam non resultare à propria essentia, sed conferri tantum ab extrinseco agente, quia existentia non potest prouenire ab intrinseco, nec ante existentiam habet res vnde possit esse principium efficiens.

Vltima conclusio: subsistentia est requisita ex parte principij operandi, non ita vt sit principium efficiens partiale, cum natura ad talem operationem eliciendam, sed solum vt sit conditio necessaria tenens se ex parte naturæ; ita vt natura substantialis prius intelligatur affecta modo subsistentiæ, quam possit operari. Hæc sententia est communis inter peritiores Theologos & Philosophos.

21 Probatur sic primo ex Aristotele, dicente actiones sunt circa singularia, id est nec actio terminatur nisi ad singulare, nec oritur nisi à singulari: atqui singulare in sententia Aristotelis non distinguitur à subsistente, distinctio enim subsistentiæ à substantia media reuelatione diuina facta de mysterio Incarnationis, vbi separata fuit natura à suppositalitate, innotuit Ecclesiæ: ergo in sententia Aristotelis actio necessario debet oriri à subsistente, etsi completa fuerit substantia, quæ operatur à supposito, quod aperte patet ex verbo græco, quo vtitur Aristoteles; nam loco singularis vsus est Verbo significante primam substantiam: atqui prima substantia in sententia Aristotelis significat subsistentem, seu suppositum, vt patet ex ante prædicamentis, & ex prædicamento substantiæ, vbi aperte asserit primam substantiam esse idem quod suppositum, vt patet ex ratione quam subiungit postquam dixit, actiones & generationes omnes, &c. non enim inquit, hominem, nisi per accidens sanat, qui ne detur, sed Calliam aut Socratem, aut alium quempiam eorum, qui sic dicuntur, vbi aperte suppositum intellexit nomine rei singularis, seu primæ substantiæ, vel quia singulare absolute dictum significat ens completum, & singulare, prout in rerum natura existit, vel certe quia vt verisimile est, Aristoteles non cognouit distinctionem inter rem singularem, & suppositum.

Vrgetur hæc authoritas Aristotelis ex Damasceno *lib. 3. de fide, cap. 2. in principio*, vbi quatuor distinguit iuxta translationem Fabri, his verbis. [Aliud est actio, aliud actiuum & aliud agens.] Postea subiungit agens esse personam, ex quibus verbis ortum habuit commune illud axioma, actiones sunt suppositorum, quod verissimum est licet ab Aristotele non asseratur sub his formalissimis verbis, licet sub aliis æquiualentibus, vt iam diximus, id asseruerit; vnde in re, & secundum sensum æquiualet hoc dictum dicto Aristotelis, sed demus quod illud nullo modo protulerit Philosophus, an nihil affirmauimus, nisi ab Aristotele affirmatum, vt recte notauit Hurtado, præsertim cum tota schola præter Scoticam id libentissime admittat, vt principium, accedit ad hoc quod Ioannes ille nobilis, & celeberrimus Theologus Pontificius Concilio Florentino, *sess.* 28. ex eo principio confirmat essentiam diuinam non generare, sed Patrem generare, cuius verba, vt viri a Deo afflati Concilium suspexit, ac veneratum est, quæ hic authoritatis: ergo propono [porro, inquit, autem actiones iuxta omnem Philosophorum scholam suppositorum esse videntur, vt in hominum genere fieri videmus, quamuis enim hic homo, hoc est persona, vel suppositum generet, eius tamen substantia generationis eiusmodi principium est; quandoquidem actiones suppositorum, vt diximus sunt, quæ quidem substantia, vel essentia in homine cum sit humanitas humanæ generationis principium existit, quo homo generat hominem, ex quo colligit idem esse in diuiso, & oppositum sine ratione adstruitur, tum propter authoritatem Ioannis adducti, tum propter communem loquendi vsum Scholasticorum, Conciliorum, paginæ sacræ, affirmantium Deum mortuum, Deum surrexisse, Deum doluisse, Deum passiuum: ergo dicendum est actiones esse suppositorum, ita vt subsistentia, seu suppositalitas sit solum conditio necessaria ad operandum & non virtus immediate influens in operationes. Tum quia humanitas Christi operatur vt principium adæquatum humanarum actionum sine actiuo Verbi concursu: ergo & cæteræ humanitates sine concursu suppositi. Consequentia patet, quia sicut supposito diuino tribuuntur actiones humanæ sine concursu actiuo immediato, sed passiuo in illas, ex eo solum quod talis subsistentia diuina sit conditio ad operandum, sic similiter cæteris suppositis possunt attribui. Antecedens patet, quia sicut Verbum dicitur operari ita & pati, quia hæc propositio est de fide, Deus fuit mortuus, sed vere dicitur pati quin recipiat dolorem, Verbum enim est incapax receptionis materialis, aut subiectiue: ergo idem erit de actione, præcipue quia Verbum in genere causæ efficientis nullam habet actionem proprtiam, non communem toti Trinitati, iuxta Theologorum principium, omnes actiones Dei ad extra sunt communes toti Trinitati, quod euidens argumentum demonstrat, quia quicquid Deus efficit, est ad extra per omnipotentiam, quæ facultas est communis tribus personis,

personis, itidem & eius actiones : ergo suppositum in ratione suppositi nullum habet influxum actiuum in operationes suæ naturæ; tum denique, quia natura humana, v.g. per se, vel suas potentias habet sufficientem virtutem ad amandum, & cognoscendum : ergo non eget suppositi concursu : consequentia satis est clara; antecedens patet, quia omnes formalitates intellectionis, & amoris continentur sufficienter in potentiis sine suppositalitate, quibus verbis P. Hurt. aperte declarata, ac confirmata manet authoritas illius communis axiomatis, desumpti ex Damasceni verbis, quibus S. Doctor Damascenus aperte asseruit nostram sententiam.

23 Ratione sic probatur nostra conclusio; quia natura creata siue sit humana, siue sit Angelica, est diuinæ naturæ participatio, ex eo quod sit natura creata, ac per consequens natura dependens à Deo; sed natura diuina, ita petit ad operandum subsistentias diuinas, vt non possit sine illis operari siue ad intra, siue ad extra : vnde absurdissimum in fide est prædicari aliquam operationem de natura diuina in abstracto considerata, ac proinde damnantur in fide hæ propositiones diuinitas generat, diuinitas spirat, diuinitas sine vlla subsistentia creat, & producit mundum, & ideo solent theologi Trinitatem personarum in Deo dicere esse necessariam ad productionem; ita vt non possit vllo modo sine illa Trinitate operari diuina natura : ergo similiter natura creata, quæ est participatio, vt dixi naturæ increatæ, nullo modo poterit operari sine subsistentia.

24 Vrgetur hoc, & declaratur amplius; quia licet illa diuina natura sit infinita in esse principij operatiui ex se, & ex sua intrinseca perfectione, nihilominus non potest operari, sine subsistentia, tanquam conditione necessaria ad operandum : ergo à fortiori natura creata, quæ de se finita, limitata, ac imperfecta est, & quæ petit ad quamcunque rationem plures conditiones, nullo modo poterit operari tanquam sine subsistentia, tanquam conditione.

25 Dices cum Patre Vasquez eiusdem esse operari cuius est produci & esse, quare si aliquid est quod producitur & quod est, erit etiam quod operatur : atqui natura substantialis est id quod producitur, & quod est, prius enim prioritate naturæ producitur natura generatione quam terminetur, & anima rationalis creatione quam vniatur; id namque quod terminatur, & vnitur prius est productum, quam terminetur, & vniatur : ergo natura est id quod producitur, ac proinde etiam id quod est; erit igitur id quod operatur.

26 Sed contra primo, quia nó bene sequitur, nec est regula vtilis eiusdē esse operari cuius est produci; nam materia prima vere, & realiter producitur, & nihilominus nihil operatur, quia cum sit pura potentia, & nihil habeat actualitatis propter suam imperfectionem, nihil poterit operari, licet absolute possit produci; imò & producatur perfectissima operatione, quæ est creatio. Deinde quantitas, albedo, nigredo, varietas, & densitas, figura, & alia id genus infinita vere realiter, ac proprie producuntur, & nihilominus nihil possunt producere : ergo non valet bene eiusdem est operari cuius est produci, & ratio euidens à priori est, quia omnis creatura ex eo quod creatura sit, necessario debet esse ens participatum à Deo; ac proinde necessario debet produci proprie à Deo; itaque produci commune est omnibus creaturis, siue sint res, siue modi, atqui non omnis creatura est actiua, & operatiua, quia esse actiuum, & operatiuum est perfectio, quam non omnis creatura attingit, vt patet ex exemplis supra positis : ergo vniuersalior ratio est produci, quam producere; sed ex vniuersaliori ratione non potest affirmatiue argui ad inferiorem, & strictiorem rationem, & sic non valet bene, est ens : ergo animal; est animal : ergo homo; est animal : ergo currit; est animal : ergo respirat; nam multa animalia sunt, quæ non sunt homines, nec respirant, vt pisces, nec currunt, vt ostreæ : ergo si producere, & produci, se habent vt vniuersalior, & particularior ratio, ita vt ex parte produci se habeat vniuersalitas, & ex parte producere se habeat particularitas, non valebit argumentum affirmatiuum à produci ad producere, sicut non valet à substantia ad corpus : & à corpore ad hominem, propter maiorem vniuersalitatem illorum respectu horum.

Secundo contra, & concedo veram illam esse regulam illius, nempe esse operari, cuius est esse; atqui esse per se primo conuenit rei singulari vltimo completæ; nam vniuersalia non sunt nisi in singularibus, ac proinde esse proprie est singularis completi, seu suppositi, aut subsistentis, nam esse proprie conuenit ei quod est, solum autem suppositum est id quod est, & ideo illud proprie dicitur fieri, seu circa illud versari actio; sed eius etiam est operari cuius est esse, quia sicut actio est ad esse, ita est ab esse : sed suppositum est id quod proprie est, seu quod habet esse : ergo etiam actio per se primo tribuitur rei singulari, id est supposito. 27

Contra tertio sic argumentor, & vt magis elucescat mea solutio concedo falsitatem illius eiusdem, nimirum esse operari cuius est produci; item concedo naturam substantialem esse id quod producitur, & quod est, ac proinde concedo esse id, quod formaliter, & immediate operatur : ex quo nihil contra nos, nos enim non asserimus suppositalitatem seu subsistentiam esse immediatum principium influxiuum, sed solum conditionem sine qua non, quod non contradicit argumentum, quare vtrumque verificatur in nostra sententia, scilicet quod sola natura sit immediatum principium per se influens in actionem, quod etiam intendit aduersariorum discursus, ex quo non sequitur quod suppositalitas non sit conditio sine qua non operatur natura. 28

Secundo principaliter sic argumentor ratione, quia prius est quod res sit in suo esse completo, ac plane constituta, quam quod operetur : sed subsistentia pertinet ad complementum naturæ in suo esse substantiali : ergo prius esse debet natura terminata subsistentia, quam possit operari : ergo subsistentia non tantum concomitanter, & per accidens : sed potius antecedenter se habet ad operationem naturæ. 29

Declaratur, & vrgetur amplius, quia sicut esse substantiale agentis non comparatur per accidens ad actionem eius, ita complementum essendi substantiale omnino intrinsecum, ac connaturale non comparatur omnino per accidens ad actionem, sed est ordo per se requisitus, vt res prius in se sit subsistens, quam quod operetur, & hac ratione vt optime ait P. Suarez, asserimus subsistentiam requiri per se ex parte agentis, nam præcise ex parte actiones, vel termini proximi, seu formalis eius non erat adeo necessaria subsistentia formæ, seu naturæ, quæ est principium actionis, quia in ipsa natura est tota perfectio per se necessaria ad immediate eliciendā talem actionem, tamen ex parte agentis requirit talis natura proprium, & com- 30

pletum essendi modum vt sit constituta in statu accommodato ad operandum, & hoc modo dicimus subsistentiam per se requiri ex parte agentis, vt necessariam conditionem ad operandum, sicque dicere solent Theologi vt supra asserui, Trinitatem personarum in Deo per se non requiri ad creationem ex parte ipsius actionis, tamen ex parte Dei per se, & necessario supponi, quia pertinet ad personalem Dei constitutionem, & prius est, ac per se prærequisita vt Deus sit in se plene, ac perfecte substantialiter constitutus, quam vt ad extra operetur: vnde etiam si fingeremus Deum ab æterno aliquod creare, nihilominus intelligeremus internas origines, & constitutiones diuinarum personarum ordine naturæ antecedere creationem, quod si hoc verum est in Deo, in quo natura diuina est essentialiter subsistens, multo magis in creatura in qua subsistentia omnino est extra essentiam rei; atque hinc tandem constat, quo sensu operatio per se primo tribuatur supposito, quia natura vt natura ante subsistentiam non est constituta in statu completo, & proxime accommodato ad operandum, & ideo merito tribuitur actio supposito.

31 Confirmatur à simili de accidenti; nam forma accidentalis, ex natura rei loquimur, prius habet quod insit, quam quod ab illa manet aliqua actio, quia ille modus essendi est quasi intrinsecus terminus, & complementum talis formæ; item est optima, & sufficiens ratio, quia talis modus habet magis intimam connectionem naturalem cum tali forma, quam omnis actio, quæ ab illa potest dimanare: sed eodem modo comparatur subsistentia ad substantialem naturam; ergo.

## SECTIO VLTIMA.

*Argumenta aduersaria soluuntur.*

32 AD primum argumentum respondeo negando antecedens, quia si quantitas reducatur ad punctum, vt potest diuinitus, conseruabitur tunc sine omni figura, quod etiam concedunt aliqui probabiliter adhuc si non reducatur; tunc autem fundamentaliter tantum erit figurata quãtitas, & non formaliter, linea autem sine aliquo scrupulo dicitur posse conseruari sine omni puncto terminatiuo.

33 Ad secundum respondeo eodem modo posse esse & conseruari accidens sine omni inhærentia, sicut naturam sine omni suppositalitate.

34 Ad vltimum respondeo in eo solum requiri proportionem inter terminum & actionem, in quo specificatur actio à termino; cum autem in esse entis, & positiui, non specificetur actio à termino, vel ab obiecto formali, quia ratio entis, & positiui non est species actionis, sed prima, & vniuersalissima ratio, quæ in sententia D. Thom. non sumitur ab obiecto formali, vel à termino, sic licet ratio formalis obiectiua sit negatiua, dum tamen sit ratio positiua, cui coniungitur illa negatio in communiori sententia potest specificare actionem positiuam præcipue in sententia Aduersariorum.

35 Secundo in mea sententia probabilius respondeo, dari specificatiuum positiuum proprium illius actionis, nempe naturam conseruatam ex vi potentiæ obedientialis independenter ab omni modo, & termino, vel si melius velis, ipsam potentiam obedientialem, vt connotat independentiam illam, quatenus potest subdi Deo authori supernaturali in ordine ad effectum superantem omnia principia intrinseca naturæ, quæ potentia obedientialis positiua est, & distincta virtualiter à potentia naturali, per quam conseruatur mediante prima actione.

## QVÆSTIO VLTIMA.

*Quis sit effectus formalis suppositalitatis.*

## SECTIO I.

*Prima sententia Aduersariorum proponitur.*

PRIMA sententia asserit suppositalitatem vt sic habere pro effectu formali primario independentiam à priori à subiecto materiali: hæc sententia attribuitur à P. Hurtado Patri Suarez, sed immerito quidem, vt ex dicendis infra patebit: sed cuiuscumque illa sit, sic probatur. 1

Quia si natura non haberet suppositalitatem, dependeret à subiecto materiali; atqui ex vi suppositalitatis non dependet ab illo: ergo ex vi suppositalitatis formaliter datur independentia in natura: ergo effectus formalis suppositalitatis, est independentia à subiecto. 2

Confirmatur ac declaratur, quia si substantia non haberet subsistentiam, haberet sine dubio inhærentiam in subiecto: sed inhærentia est dependentia à subiecto: ergo si non daretur subsistentia, daretur dependentia à subiecto: ergo ex vi subsistentiæ non est inhærentia in substantia, nec dependentia à subiecto: ergo est independentia ab illo ex vi subsistentiæ: ergo talis independentia est effectus formalis illius. 3

Secundo sic probatur, quia entitas aliqua, aut debet esse in se aut in alio; si in se, habet subsistentiam, si in alio dependentiam ab illo, & ita est in se, & per se ex vi suæ subsistentiæ, vt nullo modo possit esse simul in alio propter oppositionem quæ reperitur inter modos essendi in se, & in alio: ergo ex vi subsistentiæ dicit independentiam natura ab alio, si quidem dicit negationem ex vi illius essendi in alio. 4

Secunda sententia est aliorum asserentium formalem effectum suppositalitatis esse reddere naturam independentem à subiecto, non quidem à priori vt præcedens opinio asseuerat, sed à posteriori, id est fundare negationem vnionis accidentariæ ad subiectum, non tamen recipiendo esse ab illo, sed dependendo solum tanquam ab eo sine quo non potest conseruari, non enim dicunt pugnare cum subsistentia terminatiua vnionem substantialem, admittunt enim in materia, & animo rationabili etiam dum vniuntur proprias subsistentias. Hæc sententia probatur. 5

Primo, quia subsistentia est complementum substantiæ in ratione formali substantiæ, sed propria hæc ratio est independentia à subiecto inhæsionis: ergo est complementum substantiæ in ratione entis per se & independentis. 6

Tertia sententia est eorum, qui asserunt effectum primarium suppositalitatis esse tollere indifferentiam naturæ ad alia suppositа. 7

Probatur,

8 Probatur, quia sicut se habeat præsentia ad corpus vbicatum, ita corpus vbicatum desinit habere indifferentiam ad alia loca: ergo similiter natura terminata per subsistentiam propriam desinit habere indifferentiam ad aliud suppositum.

## SECTIO VLTIMA.

*Nostra sententia proponitur.*

9 PRima conclusio: effectus formalis primarius subsistentiæ, & suppositalitatis non est reddere naturam in qua est, independentem à priori à subiecto materiali. Hæc sententia est communis, & probatur sic.

10 Primo, quia forma substantialis materialis habet veram subsistentiam, & nihilominus dependet à subiecto materiali à priori: ergo subsistentia non habet pro effectu primario independentiam à subiecto materiali. Prima pars antecedentis latissime probata manet supra. Secunda pars antecedentis certissima est in omni Philosophia, cum tales formæ educantur ex potentia materiæ; omne autem quod educitur dependet in esse fieri, & conseruari à re ex cuius potentia educitur. Consequentia est euidens, quia nulla forma potest esse sine suo effectu formali, vel cum opposito potius sui effectus formalis primarij: atqui subsistentia formæ materialis est sine independentia à materia; imo potius cum dependentia ab illa, quæ est opposita independentiæ: ergo independentia non est effectus formalis subsistentiæ.

11 Confirmatur hoc, quia suppositum equinum est effectus formalis suppositalitatis; atqui suppositum equinum dependet à subiecto materiali: ergo effectus formalis primarius suppositalitatis non dicit independentiam à priori à subiecto materiali. Maior est euidens, quia nihil est aliud effectus formalis primarius alicuius formæ, nisi concretum ex ipsa forma, & ex subiecto illius: atqui suppositum equinum est concretum ex suppositalitate & ex natura equi, quæ est subiectum suppositalitatis: ergo suppositum equinum est effectus formalis primarius suppositalitatis. Minor sic probatur, quia suppositum equinum dependet à priori à natura equina, quia natura equina est constitutiuum intrinsecum illius, cum ex tali natura & suppositalitate intrinsece componatur suppositum; atqui natura equina essentialiter, & à priori dependet à materia prima ipsius naturæ equinæ à qua essentialiter componitur tanquam à causa materiali & subiectiua: ergo de primo ad vltimum suppositum equinum dependet à subiecto materiali intrinsece à priori, quod adeo verum est, vt non solum in equo, sed etiam in homine verificatur hæc veritas; nam homo essentialiter dependet à materia sua, sicut dependet à sua anima rationali, quia sunt partes essentialiter compositiuæ illius; homo autem suppositum est: ergo suppositum compositum licet sit perfectum vt homo, & in perfecto gradu intellectualitatis constitutum, dependebit à subiecto materiali; vnde à fortiori suppositum imperfectum vt est equinum dependebit à subiecto materiali.

12 Secundo probatur, in entitate terminante ex natura sua creationem vt est materia prima, & & animus rationalis, quia entitas hæc per ipsam creationem constituitur formaliter independens à subiecto: ergo subsistentia resultans ex existentia illius entitatis non constituit illam independentem à subiecto. Patet consequentia, quia ante resultantiam subsistentiæ per solam terminationem creationis habet natura illam independentiam, quod ita ostendo: creatio ex natura sua solum est dependentia termini à principio effectiuo, & independentia à subiecto materiali: ergo constituit terminum suum dependentem à principio effectiuo, & independentem à principio passiuo: ergo independentia à subiecto non prouenit in materia prima, & in animo rationali à subsistentia.

13 Confirmatur, quia in hoc distiguitur creatio à generatione, quod generatio est dependentia, tam à principio effectiuo, quàm à principio passiuo, creatio vero cum sit productio rei ex nihilo, id est ex nullo præsuppositio subiecto, est solum dependentia à principio effectiuo, & independentia à principio passiuo: ergo simul constituendo terminum suum dependentem à principio effectiuo constituit independentem à principio passiuo.

14 Dices negationem dependentiæ à subiecto oriri à creatione efficienter, à suppositio autem eam oriri formaliter à creatione remote, à suppositio proxime: sed contra, quia vt bene ait P. Hurtado, creatio immediate, & se sola fundat negationem dependentiæ termini à subiecto: ergo ad hoc non exigitur suppositum. Probo antecedens, creatio est proxima ratio referendi terminum ad solum agens, ita vt illi soli repugnet suum terminum referre ad subiectum; & hanc negationē concipimus ex solo conceptu creationis: ergo sola ipsa immediate fundat negationem. Probo antecedens, creatio se sola immediate est independens vt quo à subiecto, ita vt ex solo suo conceptu pugnet cum subiecto in suo termino: ergo ipsa immediate terminum constituit independentem vt quod à subiecto: antecedens liquet ex definitione creationis, consequentiam probo, quia dependentia termini ab agente illum formaliter constituit dependentem ab agente, & dependentia illius à solo agente illum constituit formaliter dependentem à solo agente, & independentia à subiecto constituit terminum formaliter independentem à subiecto, & ratio euidens à priori est, quia actio, quæ dependentia est, non solum producit extra terminum; sed etiam adhæret intrinsece termino, & exhibet seipsam per modum formalitatis media adhærentia intrinseca illi: ergo non solum efficienter constituit terminum; sed etiam formaliter in ratione dependentis, siquidem non solum est ratio producendi efficienter terminum; sed etiam ratio, quasi formalisandi intrinsece illum. Tandem actio constituit terminum proxime dependentem: ergo creatio ex nihilo constituit terminum proxime independentem ab aliquo.

15 Tertio principaliter sic argumentor; quia substantia completa spiritualis ex vi rationis substantiæ, & quatenus ratio substantiæ est prior subsistentia, distinguiturque ab illa, habet formaliter, & essentialiter independentiam à subiecto materiali: ergo illam non habet à subsistentia. Patet hæc consequentia, quia illud prædicatum siue positiuum, siue negatiuum, quod habet aliquod prius in quantum prius est, ex vi suæ essentiæ, non potest illud habere seu recipere à posteriori, vt patet ex illo axiomate, scilicet quod est prius non dependet à posteriori, nec habet esse ab illo: antecedens sic probatur, quia substantia completa spiritualis ex vi gradus spi-

ritualis,

ritualis, dicit negationem compositionis materiæ, & formæ, quia substantia spiritualis completa ex vi spiritualitatis substantialis est simplex essentialiter, cum autem simplex vt simplex neget omnem compositionem, tam integralem, quam essentialem, necesse est vt substantia illa, quæ simplex est omnino, neget etiam compositionem, tam essentialem quam integralem: sed negatio compositionis est negatio dependentiæ à subiecto materiali, & negatio dependentiæ est independentia à subiecto materiali: ergo substantia completa spiritualis habet ex vi suæ essentiæ independentiam à materia; vnde minime habebit talem independentiam à subsistentia, quia si ex seipsa illum effectum habet, superuacaneus erit alius modus, vel res ex natura rei distincta vt illum conferat, sicut verbi gratia, quia homo ex vi suæ essentiæ habet negationem brutalitatis, non potest habere illam ex vi alicuius entitatis à sua essentia, ita vt talis negatio fundetur in entitate distincta ab existentia hominis, quod autem negatio compositionis sit negatio dependentiæ à materia patet sic, quia compositio est causalitas, seu influxus materiæ in compositum, tanquam in suum effectum: sed causalitas, & influxus alicuius causæ est dependentia effectus ab illa: ergo compositio est dependentia compositi à causa materiali: sed negatio, quæ datur in Angelo, quatenus spiritualis, & simplex entitas est, est negatio compositionis materialis: ergo est negatio dependentiæ à materia, ac per consequens erit independentia ab illa.

16 Confirmatur, quia Angelus non est forma informans materialis, & corruptibilis: sed forma assistens spiritualis, & simplex; atqui forma spiritualis & simplex non dependet à subiecto ex vi suæ essentiæ: ergo ex vi suæ essentiæ Angelus habet independentiam à subiecto: ergo non habet illam ex vi subsistentiæ, sicut ex vi subsistentiæ, non est forma assistens spiritualis, sed potius ex vi suæ essentiæ.

17 Vrgetur amplius, quia si Angelus ornaretur à Deo per possibile, vel impossibile, sine omni suppositalitate, talis natura Angelica esset independens ab omni subiecto: ergo independentiam à subiecto non habet Angelus à subsistentia, quia si talem independentiam haberet, ab illa non posset habere eam Angelus sine suppositalitate, effectus enim formalis primarius nullo modo potest esse sine forma, cuius effectus est, alias posset esse album sine albedine.

18 Dices, in eo casu naturam Angelicam esse independentem negatiue, non autem positiue, indigere autem suppositalitatem vt esset independens positiue.

Sed contra, quia independentia non est positiua formaliter; sed negatiua: ergo male asserunt aduersarij dicendo deficere independentiam positiuam, sicut male assereret aliquis qui diceret de cæco habere cæcitatem negatiuam, seu priuatiuam, deficere tamen illi positiuam cæcitatem: ergo si Angelus ex vi suæ entitatis quatenus distinguitur à subsistentia habet omnem negationem dependentiæ, quam potest habere: ergo habet omnem dependentiam quam habere potest, quia omnis independentia est negatio dependentiæ, ac proinde superflua erit suppositalitas ad tribuendam independentiam tali naturæ.

19 Deinde, & supponamus independentiam esse positiuam formalitatem, in eo casu haberet independentiam positiuam Angelus, quia haberet intrinsece sibi adhærentem creationem; atqui creatio est positiua independentia à subiecto: ergo haberet in eo casu independentiam positiuam sine suppositalitate.

Dices independentiam negatam ab aduersariis, 20
seu quam asserunt aduersarij, non esse respectu subiecti à quo componatur substantialia: sed respectu subiecti à quo sustentetur. Sed contra hanc obiectionem dicemus secunda conclusione, quæ est immediate contra secundam sententiam supra positam.

Secunda conclusio: independentia substantiæ 21
à subiecto à posteriori, non est effectus formalis primarius subsistentiæ.

Probatur sic primo, quia materia prima in sententia aduersariorum; imo in omnium sententia ex vi suæ essentiæ, quatenus distinguitur à propria subsistentia, est primum subiectum cõpositionis substantialis, ita vt ratio primi subiecti non conueniat illi ratione subsistentiæ; sed ex vi propriæ essentiæ; atqui primum subiectum quatenus primũ subiectum est, negat præsupponi aliud subiectum ante se, cui innittatur, & à quo sustentetur, alias esset primum, & non primum subiectum, primum quia sic supponitur ex definitione illius, non primum quia supponit aliud prius se: ergo negat ex vi suæ essentiæ præcisa subsistentia dependentiam à subiecto materiali. Patet hæc consequentia, quia dependentia alicuius à subiecto debet esse per sustentationem ab illo, præsuponendo illud à quo sustentetur; sed talis materia prima ex vi suæ essentiæ negat aliud subiectum ante se præsuppositum, & sustentationem ab eo: ergo negat dependentiam à subiecto: ergo dicit ex vi suæ essentiæ independentiam ab eo: ergo talem independentiam non accipit à subsistentia, quia subsistentia non est essentia materiæ primæ.

Confirmatur, quia anima rationalis ex eo quod 22
spiritualis substantia est, est omnino independens tam à priori, quam à posteriori à subiecto materiali, ita vt illam independentiam habeat ex vi gradus spiritualis substantialis; atqui gradus spiritualis substantialis est essentia, & de essentia animæ rationalis, ac per consequens prædicatum essentiale ipsius: ergo ex vi prædicatorum essentialium habet anima independentiam à posteriori à subiecto materiali: sed subsistentia animæ rationalis non est prædicatum essentiale illius: ergo independentiam à subiecto non accipit anima rationalis à subsistentia; item quia forma materialis substantialis vt supra dixi, dependet tam à priori quam à posteriori à subiecto materiali: sed illa forma materialis habet subsistentiam; ergo subsistentia non tribuit illi independentiam à subiecto, alias esset dependens, & independens ab eo.

Secundo probatur, quia natura Angelica ex vi 23
suæ essentiæ est substantia completa spiritualis: sed ex eo quod sit talis negat sustentari à subiecto materiali: ergo negat dependere ab illo: ergo ex vi suæ essentiæ, & non à subsistentia habet independentiã à posteriori à subiecto. Minor illa sic probatur, quia omne quod dependet à posteriori tanquam à sustentante ab aliquo subiecto, aut est forma incompleta substantialis materialis, aut est accidens reale: sed ex eo quod sit substantia talis Angelus negat esse accidens: ergo negat sustentari à subiecto: item ex eo quod sit spiritualis, & incorruptibilis, & ex eo quod sit substantia completa, negat esse formam materialem substantialem incompletam: sed ex eo quod neget esse formam materialem, & incompletam, negat dependentiam quam dicit talis forma respectu subiecti, sicut, verbi gratia, ex eo quod homo

homo neget brutalitatem equi, negat exercitium talis brutalitatis: ergo ex vi suæ essentiæ, & ex vi prædicatorum essentialium, negat Angelus dependentiam à posteriori à subiecto, quia cum spiritualitas substantialis completa sint prædicata essentialia naturæ Angelicæ, & ex vi spiritualitatis substantialis completæ, neget Angelus talem dependentiam, necessario negabit ex vi prædicatorum essentialium illam; vnde ex vi suæ essentiæ, & non à subsistentia habebit independentiam à posteriori à subiecto.

24 Confirmatur hoc totum ex P. Hurt. quia tota hæc independentia à posteriori, de qua loquimur, est negatio vnionis inhæsiuæ ad subiectum: sed Angeli natura immediate per suum conceptum solum fundat negationem huius vnionis: ergo independentiam à posteriori: probo minorem, Angelus per suum conceptum fundat immediate negationem accidentis, & formæ vnibilis subiecto: sed quod id fundat immediate fundat immediate negationem vnionis ad subiectum: ergo. Maior est certa, quia substantia suo conceptu quidditatiuo fundat immediatam distinctionem ab omni accidente, quam distinctionem habet Angeli natura, non à supposito, sed à sua essentia, vt homo seipso distinguitur à bruto: minor probatur, quia immediatum fundamentum negationis alicuius essentiæ, aut entis fundat immediate negationem omnium rerum essentialiter pendentium à tali ente, verbi gratia, lapis seipso fundat negationem rationalitatis, & ideo non eget alio fundamento positiuo distincto realiter ad negandum intellectum, voluntatem, & earum actus, quia negata radice per locum intrinsecum sequitur negatio omnium, quibus repugnat esse absque ea radice.

25 Dices, fundamentum immediate negans radicem negare omnia ab illa radice essentialiter pendentia, vt lapis negat, & rationalitatem, & omnes eius potentias, & actus: at Angeli natura non negat adæquate & immediate dependentiã à posteriori.

Contra, conceptus vnionis inhæsiue pendet
26 ab essentia accidentis vt à radice essentiali, non minus quam ratiocinatio à rationalitate. quia vnio accidentis est illius modus, & eo posterior essentialiter, ita vt nec per potentiam Dei absolutam possit non dependere ab accidenti cuius est modus; sed Angelus per suam essentiam immediate negat accidens, non minus quam lapis rationalitatem: ergo Angelus per suam naturam, tam adæquate negat vnionem accidentis, quam lapis ratiocinationem: ergo vt lapidi non adijcitur aliquis modus distinctus realiter ad negandam ratiocinationem; ita nec Angelo vnionem accidentariam: ergo formalis effectus suppositi non est ad negandam immediate eam vnionem, nec ad fundandam negationem illam à posteriori, sunt enim idem negatio eius vnionis, & independentia illa, vt sunt idem dependentia, & vnio inhæsiua, nec valet dicere, quod sicut anima non immediate, & per se, sicut recipit potentias, ita recipit actus: sed potius mediantibus potentiis actus, ita similiter non valet bene lapis immediate negat potentias: ergo immediate negat actus, non enim hoc valet, quia est contra euidentem experientiam, equus enim indiget ad videndum, calore, sanguine, spiritu vitali, specie, obiecto, & aliis, lapis enim ad non videndum non eget nisi seipso; item homo ad habendam charitatem per se infusam, indiget voluntate, & lapis ad negationem charitatis nullo alio præter seipsum, & ratio euidens est, quia ad perfectius esse propter suam excellentiam, & perfectionem (loquor in creatis) plura requiruntur requisita, quam ad imperfectiorem rationem, qualis est negatio. Item ad effectus positiuos requiri etiam immediata comprincipia; at vero ad negat onem sufficit negare vnum principium.

Tandem insurgo contra aduersarios, qui in suis 27
verbis committunt apertam repugnantiam; nam ex vna parte asserunt subsistentiam dare, & communicare naturæ tanquam effectum independentiam à posteriori, & ex alio capite dicunt hanc independentiam esse negationem vnionis inhæsiuæ ad subiectum, itavt talis negatio sit independentia à subiecto substentanti, repugnantia autem in hoc consistit, quod dicat hanc independentiam esse à posteriori cum sit à priori; vnde idem valet, ac dicere, independentiam istam esse à posteriori, assignantes independentiam à priori, quod autem talis independentia sit à priori sic patet, quia dependentia ab aliquo priori, & antecedenti, quale est subiectum inhæsionis est dependentia à priori, & ideo accidens dependet à priori à substantia, quia dependet à subiecto sustentante; imo forma materialis, licet sit substantialis, quia dependet à materia prima tanquam à subiecto sustentante, dependet à priori, & non à posteriori, & ratio euidens à priori huius est, quia omne quod dependet à subiecto sustentante, accipit esse ab illo per eductionem tanquam à causa materiali, vt videre est in omni forma accidentali respectu sui subiecti, & in omni forma substantiali materiali, respectu materiæ primæ, quæ omnes formæ educuntur ex potentia subiectorum, quia dependent in suo esse ab illis, eductio enim nihil aliud est quam dependentia in esse à subiecto: ergo quicquid dependet ab alio tanquam à subiecto substentante, dependet ab illo tanquam à causa materiali, ex qua educitur, & ex qua habet esse: sed huiusmodi dependentia est dependentia à priori: ergo dependentia ab aliquo tanquam à subiecto substentanti, non est dependentia à posteriori: sed necessario, & formaliter à priori: ergo oppositum immediatum huius dependentiæ, quæ est independentia à subiecto, tanquam à sustentante, non est independentia à posteriori, sed à priori, quia oppositorum eadem est disciplina, & ratio: ergo independentia, quam dicunt aduersarij esse effectum formalem subsistentiæ, est independentia à priori: quomodo ergo dicunt esse à posteriori? contradictionem igitur apertam committunt suis verbis, & vnum dicentes alterum assignant.

Tertia conclusio: effectus formalis suppositali- 28
tatis, seu subsistentiæ non est tollere indifferentiam, quam natura habet vt possit de potentia Dei absoluta terminari per aliena supposita: hæc conclusio sic probatur.

Primo, quia hæc indifferentia nihil aliud est 29
quam potentia quædam obedientialis, media qua eleuatur, vel potest eleuari creatura ad vnionem hypostaticam diuinæ suppositalitatis, vt contingit in humanitate Christi respectu suppositalitatis Verbi: sed hæc potentia obedientialis non tollitur in natura creata, nec potest tolli per suppositalitatem propriam: ergo effectus formalis suppositalitatis non est tollere indifferentiam naturæ ad aliena supposita. Maior euidens est, quia nihil aliud est indifferentia in actu primo alicuius entitatis, nisi potentia ad varia munera, seu exercitia obeunda, vt patet in voluntate, cu-

cuius indifferentia nihil aliud est, quam potentia ad varios actus prosequutionis, & odij eliciendos & in materia prima indifferentia eius ad formas, nihil aliud est, quam potentia illius ad diuersas & dissimiles formas accipiendas: sed potentia obedientialis est capacitas, seu aptitudo naturæ, vt media obedientia, & de ratione diuina possit terminari per diuersa supposita, vt sunt Patris, Filij & Spiritus Sancti: ergo indifferentia illa nihil aliud est, quam dicta potentia obedientialis. Minor præcipua sic probatur, quia potentia obedientialis, vt latissime probatum manet in Physicis, est idem quod entitas naturæ creatæ sine aliqua distinctione ab illa, siue reali, siue modali, siue formaliter ex natura rei: sed per subsistentiam aut suppositalitatem, non destruitur entitas naturæ creatæ, nec id quod cum ipsa omnino identificatur; imo manente natura nullo modo potest etiam dependentia absoluta destrui potentia obedientialis illa, quia idem non potest destrui manente, & conseruato eodem, quia idem separaretur à se ipso realiter secundum entitatem, ac per consequens idem erit, & non erit simul, quod est contra euidentissimum illud axioma minime diuinæ omnipotentiæ subiectum, impossibile est idem simul esse, & non esse: ergo indifferentia illa naturæ non tollitur per suppositalitatem. Vnde tollere indifferentiam illam non erit effectus formalis suppositalitatis.

30 Confirmatur, quia suppositalitas creata, & potentia obedientialis in ordine ad diuina supposita nullam habent inter se repugnantiam, & oppositionem: sed illa quæ minime opponuntur minime possunt sese destruere naturaliter: ergo subsistentia non tollit nec destruit indifferentiam illam quæ talis potentia obedientialis est. Minor illa sic probatur, quia destructio, seu expulsio vnius formalitatis respectu alterius, est effectus secundarius formarum oppositarum inter se, vt videre est in albedine respectu nigredinis, &c. sed potentia obedientialis, & suppositalitas naturalis nullam habent oppositionem inter se, nec repuguantiam: ergo vna non tollit aliam nec destruit illam.

31 Dices expulsionem vnius formalitatis respectu alterius, non solum esse propter oppositionem, sed propter superfluitatem, vt videre est in expulsione vnius formæ substantialis respectu alterius, & in incompatibilitate essendi duarum qualitatum omnino similium, vt sunt duæ albedines, vt vnum respectu eiusdem subiecti.

32 Sed contra & admitto, quod aduersarij optime asserunt, quo admisso sic argumentor, quia existente potentia obedientiali in natura, minime superfluit suppositalitas, & è contra, quia tunc datur superfluitas, quando id ad quod ordinatur vna forma, ordinatur & alia, id est quando ad eundem finem consequendum ex natura sua referuntur talis formæ, & quando illæ sunt eiusdem ordinis, & naturæ vt videre est in duabus quantitatibus, & in duabus albedinibus vt vnum, quæ eiusdem rationis, & naturæ sunt, & ad eundem finem ordinantur; nam veraque albedo intendit constituere disgregatiuum visus vt vnum, & vtraque quantitas reddere substantiam extensam in ordine ad locum, & quia finis, seu effectus, qui fit per duas potest sufficienter fieri per vnam necesse est vt altera superfluat, & ideo duo accidentia diuersæ rationis; quia ad diuersos fines ordinantur vt dulcedo, & albedo possunt in eodem saccari subiecto sine aliqua superfluitate existere: atqui suppositalitas est perfectio naturalis ad finem naturalem ordinata, & minime actiua, nec immediate influens in effectum, potentia autem obedientialis est immediate influxiua connotans, & intendens finem miraculosum, & supernaturalem, & formaliter sumpta minime naturalis dicitur, vt latissime à nobis disputatum manet in Philosophia, vbi data opera de hac potentia obedientiali egimus: ergo potentia obedientialis, & suppositalitas naturalis non sunt eiusdem ordinis: sed diuersi, nec ad eundem; sed ad diuersum finem ordinantur: ergo stante suppositalitate in natura, non superfluit potentia obedientialis in eadem: ergo nec ratione oppositionis, nec ratione superfluitatis suppositalitas potest tollere indifferentiam, seu potentiam obedientialem ex natura respectu diuinorum suppositorum, quod autem suppositalitas, & indifferentia obedientialis nullam dicant oppositionem inter se patet sic, primo quia non dicunt priuatiuam, cum ambæ formalitates sint positiuæ nec relatiuam, quia ambæ sunt absolutæ, nec contradictoriam, quia nec potentia obedientialis negat, quod suppositalitas affirmat, neque contra, cum ambæ sint affirmatiuæ entitates, nec tandem dicunt oppositionem contrariam, cum huiusmodi oppositio semper versetur inter duas qualitates, & neutra harum sit qualitas. Deinde hoc ipsum conuincunt rationes quas contra superfluitatem posuimus.

Vrgetur amplius, quia adhuc stante suppositalitate in natura, potest eadem natura obedientialiter terminari indifferenter per hoc, vel illud suppositum diuinum, vt late *in hoc eodem tractatu de subsistentia*, supra efficaciter probauimus: ergo indifferentia obedientialis, ad aliena supposita, non tollitur per suppositalitatem propriam, ac proinde tollere talem indifferentiam non erit effectus formalis primarius talis suppositalitatis.

Secundo principaliter sic argumentor, quia 33
connaturalis determinatio alicuius facultatis ad aliud supponit connaturalem indifferentiam in facultate ad illud, ad quod per talem formalitatem determinatur; sed in Angelo, vel in natura humana, lapide, &c. non est, connaturalis indifferentia, vt possit terminari per aliena supposita: ergo neque egent connaturali determinatione, ne possint terminari per aliena supposita; Maiorem esse certam ostendunt materia prima, quia materia prima naturalem indifferentiam habet ad quamlibet formam recipiendam, & animus rationalis ad hanc, vel illam materiam informandam, & corpus vt in hoc, vel illo loco sit præsens, fit vt vnio materiæ ad hanc formam & huius animi ad hanc materiam, & in corpore hæc præsentia ad hunc locum sint connaturales materiæ animi, & corporis determinationis.

Item eandem maiorem ostendit ratio à priori, 34
quia determinatio alicuius facultatis, & virtutis est eiusdem virtutis exercitium: ergo determinatio connaturalis, connaturale etiam facultatis, & virtutis exercitium erit.

Ad hæc ad id ad quod res natura sua non est 35
indifferens, non eget connaturali distincta ex natura rei determinatione, vt verbi gratia, quia lapis non est indifferens ex natura sua ad hoc vt sit spiritualis, vel corporeus, non eget determinatione connaturali ex natura rei distincta ad hoc vt non sit spiritualis: ergo omnis connaturalis determinatio, alicuius virtutis, & facultatis

tis supponit connaturalem indifferentiam in illa virtute, & facultate: minor vero inde patet, quia inter propriam suppositalitatem, & naturam est intrinseca, & naturalis connectio, suppositalitasque propria debetur naturæ debito connaturalitatis & creationis: ergo in natura humana non est connaturalis indifferentia ad suppositum alienum, verbi gratia, Angelicum, vel lapideum. Patet consequentia, non solum propter rationem supra positam, nimirum quod modus vnus naturæ non possit esse modus alterius, sed etiam propter has; quæ vim maximam inferunt etiam in casu, in quo supponitur suppositalitatem creatam non esse modum sed rem, & imprimis, quod non sit indifferentia ad suppositum lapideum sic patet, quia indifferentia naturæ humanæ non est indifferentia ad quodlibet suppositum, sed ad suppositum quod sit persona ex communi definitione personæ, scilicet persona est rationalis naturæ individua substantia: atqui lapideum suppositum, quod sit persona: ergo item neque esse potest indifferentia connaturalis in natura humana ad suppositum Angelicum; tum quia natura humana non est simplex: sed composita natura; subsistentia vero Angelica est simplex: ergo non est indifferentia connaturalis in natura humana, ad Angelicam subsistentiam; tum etiam, quia natura adæquate incorporea, & spiritualis ad suppositum adæquate etiam spirituale, & incorporeum est naturaliter solum determinata, vt patet in natura Angelica, quæ ex sua natura determinate ita petit suppositalitatem simplicem spiritualem, vt nullo modo possit naturaliter terminari per suppositalitatem corpoream; & è contra natura adæquate corporea, & materialis ad suppositum adæquate etiam corporeum, & materiale est solum naturaliter determinata, vt patet in natura lapidis; & equi: ergo natura non adæquate corporea, nec adæquate spiritualis, sed partim corporea, & partim spiritualis, non habebit indifferentiam ad suppositum, nec adæquate corporeum, nec adæquate spirituale, sed potius erit determinata ad suppositum partim corporeum; & partim spirituale ex natura sua: ergo non indiget determinatione à se distincta, vt est subsistentia, nec subsistentia potest tollere indifferentiam connaturalem ad aliena supposita, siquidem nulla talis indifferentia est in natura humana: item si natura Angelica equina, & humana essent ex se indifferentes ad propria, & ad aliena supposita, aliena suppositа non essent minus propria, quam propria, cum æque vtraque peteret ex se; sicut respectu materiæ primæ non potest vna forma substantialis esse magis propria, quam alia, quia ex natura sua indifferenter respicit omnes.

36 De suppositis vero diuinis clarius patet, ob summam, & infinitam distantiam inter illa, & naturas omnes creatas; item ob adductas rationes: maiori, & minori probata consequentia euidenter infertur, videlicet naturam humanam; imo neque vllam aliam creatam egere naturali determinatione, ne per aliena supposita determinari possit; ex quo ita iterum argumentor, effectus formalis suppositi proprij est connaturalis tam ipsi supposito, quam naturæ cuius suppositum est proprium: ergo effectus formalis suppositi non est determinatio naturæ, ne possit per aliena supposita terminari. Patet consequentia, cum natura ex se determinata sit, ne per illa possit terminari: non ergo eget supposito proptio ex natura rei ab ipsa distincto ad illum effectum communicandum. Præterea, & efficacius, quia eo modo & eiusdem ordinis debet esse determinatio, & indifferentia, quæ tollitur per determinationem; oppositа enim eiusdem ordinis debent esse secundum illud axioma oppositorum eadem est disciplina & ratio, ad hoc enim vt tollatur nigredo, non debet esse per aliquam qualitatem supernaturalem, sed per albedinem, & ad hoc vt tollatur cæcitas, non debet esse per intellectum, sed per visum: ergo si per suppositalitatem tollitur indifferentia tanquam per determinationem, talis indifferentia debet esse eiusdem ordinis naturalis, sicut est determinatio, verbi gratia, differentia specifica est determinatio substantialis naturalis indifferentia in genere, quæ tollitur per illam differentiam determinantem, est etiam substantialis naturalis in genere, & non accidentalis aut supernaturalis: sed indifferentia illa in ordine ad suppositа aliena, & diuina in natura humana est indifferentia obedientialis, & non naturalis, & suppositalitas est determinatio naturalis: ergo talis indifferentia non potest tolli per suppositalitatem, cum non sint eiusdem ordinis, quod autem illa indifferentia sit obedientialis, & non naturalis, sic demonstratur, quia est in ordine ad actum supernaturalem media eleuatione diuina, vt potentia, quæ datur in anima in ordine ad gratiam; nam talis indifferentia in natura est vt ipsa vniatur hypostatice suppositis diuinis; atqui vnio hypostatica, & suppositа diuina sunt actus supernaturales; & perfectiones infinitæ, quas non potest attingere capacitas naturæ humanæ, nisi media eleuatione, & medio concursu indebito omnino naturæ superanteque omnia principia intrinseca eiusdem naturæ, ac proinde omnino supernaturali concesso à Deo naturæ ex vi obedientiæ, & subiectionis ipsius: ergo talis indifferentia in natura est obedientialis, siquidem habet omnia prædicata essentialia capacitatis obedientialis, vt de se patet.

Confirmatur, ex natura rei non possunt duæ 37
formæ substantiales simul reperiri in vna, & eadem materia, neque vnum corpus in duplici loco; atqui suppositalitas creata propria, & suppositum alienum sunt duæ formæ, vel quasi formæ respectu eiusdem naturæ: ergo natura non potest terminari naturaliter duplici supposito: ergo non habet indifferentiam natura ad duo illa suppositа simul: ergo non eget aliquo determinante ad hoc vt tollatur indifferentia, quia quod non est, non potest tolli per aliud; nam quis poterit dicere hominem egere aliqua qualitate à se distincta, vt ei tollatur indifferentia ad habendas alas vel cornua, quia cum homo ex natura sua sit determinatus ad negationem illarum rerum, non habet indifferentiam ad illas, ac per consequens non eget determinante per quod tollatur talis indifferentia, quæ non est, addequod sicut ex vi vnius formæ determinatur materia ne habeat aliam, & nihilominus non dicimus esse effectum formalem primarium tollere indifferentiam à materia ne habeat duplicem formam: ergo similiter licet ex vi subsistentiæ determinetur natura non habeat aliam non debet dici, quod effectus formalis subsistentiæ propriæ sit tollere indifferentiam naturæ ad non habendam alienam, & sicut non potest dici quod vnio ad formam rationalem in materia sit tollere indifferentiam quam habet eadem ad recipiendum per potentiam Dei absolutam duas formas, tum quia hæc potentia est obedientialis, & vnio est determi

determinatio naturalis, tum quia adhuc stante vnione ad vnam formam potest per potentiam Dei absolutam esse simul alia: sic similiter stante suppositalitate non potest tolli indifferentia obedientialis, tum quia est obedientialis, & suppositalitas est perfectio naturalis; tum etiam quia potentia obedientialis identificatur; ratio autem a priori totius discursus est, quia sicut ipsa natura humana non habet potentiam naturalem, vt vniatur Verbo, vel alteri diuino supposito, ita neque habet determinationem naturalem, qua talis potentia limitetur, aut impediatur à suo exercitio, quærendus igitur est alius formalis effectus, à naturali supposito tributus, vnde oriatur negatio actualis vnionis ad alienum, vt patet in forma substantiali, vbicatione circunscriptiua, actione adæquata, nam informata materia vna forma, non potest naturaliter informari alia simul, & existente corpore Romæ circunscriptiue in sententia Thomistarum, adhuc per potétiam Dei absolutam non potest simul alibi circunscriptiue existere, in sententia P. Vasquez; terminus productus per vnam actionem adæquatam non potest per aliam adæquatam simul produci, & nihilominus effectus formalis formæ substantialis, non est reddere materiã incapacem alterius formæ de potentia absoluta, neque vbicationis circunscriptiuæ reddere corpus ineptum alteri circunscriptioni, sed quælibet ex his formis habet suum connaturalem effectum, ex quo oritur talis repugnantia: ergo idem debet dici de effectu formali suppositalitatis.

38 Vltima conclusio: suppositalitas vt sic est subsistentia completa vltimo terminans naturam & complens illam in esse substantiæ non solum vt sit, & conseruetur, sed etiam vt operari possit, per illam particulam subsistentia completa distinguitur suppositalitas à subsistentia animæ rationalis, & materiæ primæ, quæ quia incompletæ sunt, non sunt suppositalitates per illam particulam vltimo terminans naturam, & complens illam distinguitur suppositalitas à subsistentia increata completa communi, quæ secundum probabilem opinionem est absolutum prædicatum commune tribus personis, nam vt probat P. Suarez *tom. 1. in 3. partem, disp. 11. sect. 3. §. contraria sententia*, diuina natura sicut essentialiter ex vi perfectionis suæ absolutæ existit, ita etiam subsistit, neque emendicare potest vt ita dicam subsistentiam à personis, quia Deus quatenus distinguitur à persona, est ens infinitum substantiale completum; vnde infinite perfectum in ratione substantiæ: ergo includit omnem perfectionem substantiæ: arqui perfectio substantiæ est subsistentia, imo subsistere est perfectio simpliciter simplex, quæ necessario debet dari in Deo: ergo necessario debet dari in Deo subsistentia quædam absoluta, & communis distincta à suppositalitatibus diuinis virtualiter, & æquiualenter, quæ distinctio fundatur in hoc, quod subsistentia illa communis non est vltimum complementum, seu vltimus terminus; siquidem illa terminatur vltimo per suppositalitates relatiuas, relationes autem sunt suppositalitates, non solum quia sunt completæ subsistentiæ, sed etiam quia sunt vltimi termini, & vltimum complementum naturæ; vnde suppositalitates illæ diuinæ more nostro concipiendi, ita vltimo terminant naturam diuinam, vt amplius non sit terminabilis, & ita complent illam non modo in existentia, verum etiam in productione ad intra, vt ex natura diuina, & relatione constituatur principium productiuum ad intra, ita vt nec sola relatio sit principium, nec natura sola; illa quia non habet fœcunditatem productiuam; hæc quia non habet realem distinctionem à termino producto; vnde ex fœcunditate naturæ & distinctione relationis constituitur principium fœcundum, ad producendum terminum à se distinctum realiter: ergo recte ponitur illa particula vltimo terminans naturam &c. vt distinguatur suppositalitas à subsistentia completa increata, quæ licet vera ratio existendi per se sit, non tamen est suppositalitas, quia non est vltimus terminus, ex eo quod sit amplius terminabilis illa subsistentia per suppositalitates relatiuas, dicitur enim suppositalitas terminus naturæ in esse substantiæ, quia sicut constitutio essentiæ sistit, ac terminatur in indiuiduatione, seu singulariter, ita constitutio substantialis naturæ vltimo sistit, ac terminatur in suppositalitate, & sicut ex vi singularitatis non progreditur constitutio essentialis vltra, ita vt extra differentiam indiuidualem amplius extendatur constitutio essentialis, ratione cuius differentia illa indiuidualis vocatur terminus essentialis, & Metaphysicus, licet, si proprie loquamur, non est realis terminus, quia terminus realis in creatis realiter distinguitur à re terminata; nam terminus debet esse à parte rei extra essentiam eius, cuius terminus est, sic similiter, & à fortiori subsistentia dicitur terminus substantialis, quia est vltimum, & extremum constitutiuum substantiale naturæ intra quod est tota constitutio substantialis illius, & extra quod nihil datur constitutionis substantialis; nam vltra suppositalitatem minime progreditur talis constitutio, alias si vltra suppositalitatem progrederetur, daretur aliud constitutiuum afficiens. & actuans suppositalitatem. & naturam, v.g. quia vltra materiam, & formam progreditur constitutio substantialis, vsque ad suppositalitatem datur ipsa suppositalitas, quæ actuat & afficit materiam, & formam, & naturam, ita vt tam materia, forma, quam natura, licet natura adæquate & inadæquate materia & forma diuisim sint actuabiles, & perfectibiles per suppositalitatem: ergo si constitutio substantialis naturæ esset, & progrederetur vltra suppositalitatem, & extra illam, sine dubio daretur aliqua perfectio, seu constitutiuum quod actuaret suppositalitatem, & naturam, ita vt natura reduplicative vt suppositata afficeretur, actuaretur, ac perficeretur per tale constitutiuum substantiale, sed euidenter patet, ac liquido constat, nullum dari constitutiuum substantiale, quod adveniat, contrahat, afficiat, actuet, & perficiat suppositalitatem, nec naturam reduplicatiue vt suppositatam: ergo vltra suppositalitatem non extenditur nec extra illam progreditur constitutio substantialis naturæ, sed potius intra illam inclusiue, & per illam terminatur tota illa constitutio naturæ substantialis, ita vt in suppositalitate tota sistat ac finiatur, & sic proprie erit quasi finis, & terminus naturæ substantialiter constituræ, cum ei recte conueniat definitio Aristotelis, definientis proprie terminum in Metaphysica, dum ait: terminus est intra quod omnia primi, extra quod nihil est accipere primi.

Explicatur hoc amplius exemplo quantitatis, nam sicut vltimum indiuisibile lineæ, est vere terminus ipsius lineæ, quia vltra illud indiuisibile non amplius extenditur, & vltra progreditur constitutio lineæ; ita similiter suppositalitas erit vere terminus naturæ, quia in tali suppositalitate vltimo sistit, ac finitur, & extra illam nullo modo progreditur amplius constitutio naturæ, vocatur etiam vltimum complementum naturæ in esse existentis substantiæ, quia vt bene ait P. Suarez, quandiu existentia naturæ non est terminata per modum existendi in se & per se, adhuc est incompleta, & in statu quasi potentiali, & ideo vt sic non potest habere perfectum essendi statum debitum tali naturæ, ratione cuius possit

possit naturaliter conseruari & operari. Rursus si afficiatur modo existendi in aliquo, à quo sustentetur, & pendeat etiam, habet statum incompletum, quia est in alio à quo pendet, & ad compositionem alicuius completi entis ordinatur. Tunc igitur, existentia naturæ substantialis erit complete terminata, quando fuerit affecta modo existendi per se, qui habet propriam rationem suppositalitatis. Ideoque merito dicitur esse terminus, aut modus naturæ secundum esse existentiæ, quia secundum esse essentiæ iam natura est omnino completa, neque indiget alia determinatione, præsertim cum iam supponatur contracta vsque ad individuationem, & singularitatem, sic igitur concepta secundum esse essentiæ proxime, ac immediate indiget, vt modo concipiendi nostro loquamur existentia, qua fiat ens actu; postquam vero est essentia in actu, solum indiget modo existendi in se, ac per se: hic ergo est vltimus terminus naturæ secundum existentiam eius, in quo consistit vera ratio suppositalitatis, quia non sufficit vt sit ratio existendi per se, etiam si sit completa, ad hoc vt sit suppositalitas, alias subsistentia completa increata, si talis datur, suppositalitas, & personalitas esset, quod est falsissimum, illa enim subsistentia completa increata vera ratio completa existendi per se est, & quia non est vltimus terminus, sed potius sit communicabilis multis personis, non est suppositalitas.

39 In creatis autem reciproce dicuntur, imo in re idem omnino sunt, subsistentia completa & suppositalitas, ita vt nulla possit esse subsistentia completa in creatis, quin sit suppositalitas vel personalitas, quod sic probatur; nam in rebus creatis non potest esse natura substantialis completa singularis individua, & complete subsistens, & communicabilis multis personis, est enim hoc proprium naturæ infinitæ, & ratio est quia subsistentia creata sequitur naturam substantiæ creatæ, estque tali naturæ proportionata: ergo si natura individua incommunicabilis est, etiam eius subsistentia; imo ipsa subsistentia quodammodo est magis incommunicabilis, vt ex dictis & dicendis patebit: ergo natura vt subsistens complete ex eo quod create subsistat sine dubio incommunicabilis, & interminabilis est per aliam subsistentiam: ergo omnis prima substantia creata complete subsistens, est suppositum, & si intellectualis est, erit persona; & è contra, etiam omne suppositum creatum est prima substantia; nam est substantia completa singularis, ac per se subsistens: dicunt ergo hæc in concreto reciproce in creaturis, ac per consequens etiam in abstracto dicentur reciproce suppositalitas, & subsistentia completa.

40 Quod autem sint idem re constat, quia subsistentia creata ab intrinseco est incommunicabilis alicui personæ, & interminabilis per aliam subsistentiam, atque ita dum constituit rem completam singularem subsistentem constituit vltimo terminatam: ergo dum constituit primam substantiam, constituit etiam suppositum: sunt ergo idem in rebus creatis prima substantia complete subsistens, & suppositum subsistentia completa, & suppositalitas.

41 Dices, quamuis natura creata singularis sit naturaliter incommunicabilis personis, supernaturaliter tamen communicari potest, & in multis personis subsistere, suppositum autem creatum omnino incommunicabile est, & interminabile etiam de potentia absoluta: ergo saltem ob hanc causam non erunt omnino idem in creaturis prima substantia complete subsistens & suppositum.

Respondeo cum Patre Suarez negando consequentiam, quia etiam si vna natura creata assumeretur à pluribus personis, non assumeretur vt subsistens reduplicatiue, sed per assumptionem traheretur ad subsistendum; vnde argumentum solum probat in rebus creatis, ita distingui naturam & subsistens complete, sicut naturam & suppositum, idemque argumentum sumi posset ex sola incarnatione vnius personæ, cui natura humana quodammodo communicatur, cum illi vniatur, cui tamen non possit vniri substantia reduplicatiue vt subsistens, vel suppositum creatum. 42

Instabis iterum, sicut assumpta est natura sine personalitate, & subsistentia creata, ita posset etiam assumi natura cum subsistentia, & sine illa incommunicabilitate, quæ est de ratione suppositi: sic ergo natura assumpta esset subsistens, & consequenter prima substantia, & non esset suppositum, quia non esset incommunicabilis alicui supposito: ergo distinguuntur in creatura substantia complete subsistens, & suppositum plusquam ratione, esto sint naturaliter coniuncta. 43

Respondeo negando assumptum, quia prorsus est impossibile propter tria: primum quia subsistentia completa finita est terminus naturæ propter rationes iam supra positas; vnde debet esse vltimum constitutiuum naturæ in esse subsistentiæ, ac per consequens non potest esse contrahibile, seu actuabile terminabileque respectu alterius ac proinde necessario, licet natura specificatiue subsistens, possit terminari per aliam subsistentiam, non tamen reduplicatiue vt subsistens complete, sicut verbi gratia, licet materia prima informata, vna forma specificatiue possit per potentiam Dei absolutam informari aliis formis, reduplicatiue tamen vt informata vna forma non potest informari altera, nec per potentiam Dei absolutam, alias forma, & actus substantialis, supra quem cadit reduplicatio, posset actuari & informari, & sic esset actus, & potentia substantialis; vnde esset actus & non actus, potentia, & non potentia simul, quod est impossibile, sic similiter licet reduplicatiue nullo modo potest natura vt subsistens suppositari, quamuis specificatiue possit, alias subsistentia illa completa esset actuabilis, & terminabilis per aliam; vnde esset terminus, & non terminus, vltimum, & non vltimum simul, quæ sunt impossibilia. 44

Secundum est, quia subsistentia finita est incommunicabilis ex hoc præcisè quod est finita, & ex sua quasi essentiali, vel specifica ratione, fieri autem non potest vt talis subsistentia maneat in rerum natura quin sit finita & creata; imo fieri non potest, vt conseruetur in humanitate propria subsistentia, quin conseruetur in eadem specie, imo eadem numero, incommunicabilitas autem talis subsistentiæ, non est aliquod ei additum, sed est intrinseca, & essentialis limitatio eius, & ideo apertam contradictionem inuoluit, quod maneat talis subsistentia sine incommunicabilitate. 45

Tertia ratio quæ præcedentem magis declarat, est, quia duobus modis potest intelligi subsistentia realiter communicabili supposito vno per intimam identitatem, & quasi inclusionem in re, vel rebus, quibus commmunicatur, & hic modus communicationis repugnat omnino subsistentiæ creatæ, quia est contra limitationem eius, 46

estque hic modus proprius subsistentiæ divinæ absolutæ; nam vni correlatiue conuenire non potest respectu alterius propter oppositionem, alio modo potest intelligi communicatio per aliquem modum vnionis, & hoc modo omnis subsistentia completa, hoc ipso quod subsistentia est incommunicabilis alteri personæ, quia sic communicari involuit apertam contradictionem repugnantem ipsi rationi subsistentiæ, quæ includit necessario independentiam ab alio sustentante, seu subsistente; itaque incommunicabilitas personæ præter negationem communicationis per identitatem respectu rerum distinctarum solum excludit communicationem ad alterum, vt ad vltimum terminum existentiæ, qui terminus in rebus creatis censetur necessarius ad complementum existentiæ propter quod in eis dici solet hæc incommunicabilitas esse ad alterum vt ad terminum, quia hic terminus complere solet id quod proprie, ac per se existit, tanquam id quod simpliciter esse, & operari dicitur, & hoc est quia per talem terminum redditur incommunicabile prædicto modo, scilicet ipsum suppositum, quod in rebus creatis est compositum ex natura & modo illo, seu termino existentiæ, & in Deo proportionali modo secundum constitutionem simplicem seu rationis sine compositione, natura autem, quæ est in supposito, non fit ipsa incommunicabilis per talem modum, seu terminum existentiæ, vel saltem hoc non est de ratione suppositalitatis, ita essentialiter, vt natura terminata per talem suppositalitatem adhuc de potentia Dei absoluta non possit terminari per aliam diuinam, quia licet ipsa suppositalitas in se sit essentialiter interminabilis per aliam, non tamen hoc in eodem gradu essentialitatis communicat naturæ specificatiue suppositatæ, licet illud communicet supposito, quod est effectus formalis illius, & naturæ reduplicatiue vt suppositatæ, quæ vt sic reduplicatiue sumpta adhuc de potentia Dei absoluta non potest terminari per aliam suppositalitatem, licet verum sit quod natura specificatiue suppositata, id est quæ terminatur per suppositalitatem naturaliter non possit simul terminari per aliam: exemplo manifestissimo hoc demonstratur, anima rationalis, quia forma & actus essentialis vltimus est, est essentialiter inactuabilis, & ininformabilis adhuc de potentia Dei absoluta, quia nullo modo potest adhuc diuinitus informari, & actuari per aliam formam substantialem, alias esset simul forma, & materia prima actus substantialis, essentialis, & potentia essentialis substantialis, & sic esset materia, & non materia, forma, & non forma simul, & nihilominus hanc ininformabilitatem, & inactuabilitatem non communicat materiæ primæ specificatiue informatæ per ipsam in eodem gradu essentialitatis, quo ipsa forma est ininformabilis, cum certum sit, vt probauimus in Physicis materiam informatam anima rationali, posse simul de potentia Dei absoluta informari alia, imo & pluribus formis, licet in eodem gradu communicet talem inactuabilitatem, tum materiæ reduplicatiue, vt informatæ per animam rationalem, tum composito ex materia prima & anima rationali, quæ essentialiter inactuabilia sunt, ita vt nec per potentiam Dei absolutam possit homo, qui compositum est ex materia prima & anima rationali informari per aliquam formam, nec materia vt informata reduplicatiue anima rationali possit vllo modo informari per aliam, cum hoc tamen stat, quod materia specificatiue informata, per animam rationalem, non possit simul naturaliter actuari per aliam, quod exemplum aperte declarat id quod intendimus in suppositalitate.

His omnibus particulis definitionis suppositalitatis explicatis, quæ sunt, quasi differentiæ ipsius, breuiter explicanda est particula illa *subsistentia*, in qua continetur ratio communis, & quasi generica suppositalitatis, in qua conuenit suppositalitas cum omni subsistentia, tam creata quam increata, tam completa, quam incompleta; est igitur subsistentia vt sic, ratio formalis existendi per se, exercitium quæ substantiæ in quantum substantia est, itaque substantia potest dupliciter considerari; primo in actu primo; deinde in actu secundo; substantia autem in actu primo est gradus quidam entis, cui ex vi suæ essentiæ debetur existere in se, & per se opposito modo, respectu accidentis, cui ex vi suæ essentiæ debetur existere in alio, seu inhærere in illo, actus autem secundus substantiæ est ratio formaliter, & actualiter existendi per se; & hæc ratio dicimus esse subsistentiam, nam vt optime ait P. Suarez licet substantia sit ens per se, non est ens per se actualiter, & formaliter per suum ipsum esse essentiale, sed per modum quemdam substantialem ex natura rei distinctum in creaturis ab ipsa substantia creata, in diuinis autem solum distinguitur per maiorem expressionem intellectus, v. g. homo essentialiter est viuens sensibile, & nihilominus vita actualis, & formalis distinguitur ab ipso homine à parte rei, viuere enim actualiter est moueri à se; motus autem in creatura distinguitur ex natura rei ab illa, & sic vita actualis, & formalis distinguitur à parte rei ab ipso gradu essentiali viuendi; ratio autem à priori huius est, quia omne exercitium actuale distinguitur à parte rei in creaturis ab entitate reali creata, quia omnis res creata distinguitur à Deo in hoc, quod dicit potentialitatem respectu sui exercitij, propter imperfectionem creatæ entitatis realis, quod nullo modo habet Deus cum sit actus purissimus, & in vltima actualitate consistat, ratione cuius idem est in Deo, sine aliqua distinctione à parte rei posse esse & actualiter esse posse intelligere, posse amare, & actualiter intelligere, posse amare, & actualis amor: sed subsistere, & subsistentia quæ est ratio formalis existendi per se, est exercitium actuale gradus substantialis in quantum substantialis est: ergo distinguitur ex natura rei in creaturis ab ipso gradu substantiali, sicut actualiter viuere, & actualis amor, & actualis intellectio distinguuntur à gradibus essentialibus viuendi, intelligendi, & amandi, & sicut actualis inhærentia distinguitur ex natura rei à gradu accidentis. His ita explicatis. 48

Assero effectum formalem primarium suppositalitatis esse suppositum, hoc est concretum ex natura substantiali completa, & ex termino, seu complemento vltimo substantiali, quod aliter solet explicari dum dicitur suppositum est natura completa substantialis vltimo terminata & substantialiter completa. Hæc sententia est sine dubio vera. 49

Probatur sic primo Authoritate sumpta ex Theodoreto, *tract. de Trinitate quæ habetur 2. tom. Conciliorum post breuiarum liberati*, & in Ioanne Maxensio *ex fidei confessione quæ habetur 5. tom. Bibliothecæ Sacræ*, vbi explicant naturam terminatam per suppositalitatem esse suppositum; idem patet ex Concilio Ephesino, *cap. 4. can. 4.* & ex Concilio Constantinopol. *cap. 6. can. 2.* & ex quinta synodo *can. 1. & sequentibus*, & ex sexta Synodo,

Synodo, *actione quarta, in epistola Agatonis Papæ, & in quadam Synodica confessione, quæ vt ortodoxa approbatur actione 27. & in edicto fidei Iustiniani Imperatoris*, vbi sæpissime sumuntur pro eodem substantia integre subsistens, vltimo terminata; & suppositum, seu persona, sæpissime enim dicitur Christum esse substantiam vltimo subsistentem, siue personam, qua particula *sine*, manifeste indicat personam esse periphrasim substantiæ completæ vltimo terminatæ, idem colligitur ex Concilio Toletano 6. & 11. Hispalense secundo Bormascensi, & Arelatensi.

50 Non minus efficaciter probatur nostra conclusio ex vsu, & modo loquendi antiquorum PP. apud quos idem est omnino suppositum hypostatis, natura substantialis completa, & vltimo terminata per terminum substantialem, & ideo frequenter DD. Ecclesiæ explicant vocem *hypostasis*, seu suppositi, per naturam substantialem, vltimo terminatam, & vltimo completam, per subsistentiam, vt videre est apud Hieronymum, *Epistola ad Damasum, quæ habetur secundo, tom. Epistol. ex Augustin. lib. 5. de Trinit. cap. 8. & lib. 9. Septimo cap. 4. & 5. & lib. 8. cap. 4.* expresse etiam colligitur ex Basil. *Epistol. 43.* & Gregor. Nic. *lib. de diff rentia essen.ia & hypostaseos.* Damasceno *lib. 3. de fide, cap. 1. & 6.* Athanas, *in tract. de definitionibus*, Dyonsi. *cap. 1. de diuinis nominibus*, Iustin. *lib. de fidei recta confessione.* Præterea, in quinta Synodo *Can. 1.* sic dicitur, si quis non confitetur vnam Deitatem in tribus subsistentiis terminatam, siue personis adorandam anathema sit; vbi pro synonimo naturæ terminatæ dicit esse personam, siue vtitur nomine personæ, idem dicitur in 6. Synodo *actione 4.* & idem læpe repetitur, *actione 10. in Epistol. Episcop. & actione 11. in Epist. Sophrony.*

51 Ratione autem sic demonstratur hæc veritas, quæ adeo clara est, vt sola indigeat terminorum explicatione, supposita definitione suppositalitatis.

52 Quia effectus formalis alicuius formæ nihil aliud est in omnium Philosophorum sententia, nisi concretum ex tali forma, & ex subiecto, vel quasi subiecto illius, verbi gratia, effectus formalis animæ rationalis est compositum resultans ex ipsa anima rationali, & ex materia prima, quæ est subiectum talis animæ; item album est effectus formalis primarius albedinis, quia est concretum resultans ex albedine, & ex subiecto albedinis, & sic de cæteris omnibus effectibus primariis formarum sine aliqua tergiuersatione ac dubitatione; sed suppositum est concretum resultans ex suppositalitate tanquam ex forma & ex natura tanquam ex subiecto suppositalitatis, quapropter suppositæ multiplicantur non ad multiplicationem naturæ, quia materiale est; sed ad multiplicationem suppositalitatis, vt patet ex fide catholica, docente in Deo dari tres personas, seu suppositæ, vnum tamen Deum, quia non multiplicatur diuinitus; sed solum suppositalitates: ergo suppositum est effectus formalis primarius suppositalitatis, suppositum autem nihil aliud est, quam concretum resultans ex vltimo termino & complemento substantiali, & natura substantiali completa; ac proinde, vt supra dixi, communiter asseritur effectum formalem primarium suppositalitatis esse concretum, seu constitutum ex vltimo termino substantiali & natura completa, quod expresse asseruit Hugo Victorinus, & Richardus de S. Vict. *lib. 4. de Trinitate, cap. 12. & 20.* dicens suppositum esse naturam terminatam, & vltimo completam substantialiter, siue naturm in vltimo termino substantiali existentem.

Confirmatur hæc ratio, quia ille est effectus formalis alicuius formæ, de cuius essentia expresse, primario, & formaliter est forma: sed de essentia suppositi est suppositalitas primario, & formaliter, sicut de essentia calidi est calor, & de essentia Sancti, Sanctitas: ergo sicut sanctum, & calidum sunt effectus formales primarij sanctitatis, & caloris; ita suppositum est effectus formalis primarius suppositalitatis, hoc est natura substantialis, vltimo substantialiter terminata seu completa. 53

Secundo principaliter sic argumentor ratione, qua vtitur D. Thom. 1. *part. quæst. 29. artic. 3.* qua probat personam esse in Deo, quia persona est perfectissimum in qualibet natura; nam significat substantiam terminatam vltimo termino substantiali, ac propterea incommunicabilis, seu terminabilis amplius, sed diuina substantia, quæ perfecta, & intellectualis est necessario habere debet vltimum aliquem terminum substantialem: ergo habere potest rationem personæ ex qua ratione euidenter probatur idem esse formalissime naturam completam vltimoque terminatam substantialiter, ac personam seu suppositum; atqui in sententia D. Thom. suppositum seu persona sunt constituta primario, ac formaliter per suppositalitatem seu personalitatem: ergo natura vltimo terminata, & completa substantialiter est constitutum formale seu effectus formalis personalitatis seu suppositalitatis. 54

Suppositum sic definitum, diuiditur in intellectuale, & non intellectuale, illud primum vocatur persona, hoc secundum vocatur solum suppositum, quod nomine generico denominatur, vt distinguatur à perfecto quod persona dicitur, secundum communem sententiam Theologorum ex illa definitione Boëtij *in libris de duabus naturis.* Persona est rationalis naturæ individua substantia id est substantia prima talis naturæ, vt recte declarat D. Th. 1. *p. q. 29. art. 1. & 2.* si autem interroges, an formalis ratio personæ differat quidditatiue à ratione formali suppositi, quod non est persona, an vero tantum ex parte naturæ, quia alia est in natura intellectualis, alia vero secus; aliqui autem frequenter solent dici personam, & suppositum differre quasi materialiter ex parte naturæ, non vero formaliter in ratione, & modo incommunicabiliter subsistendi. 55

Sed ad nostram sententiam proferendam animum aduertere licet, suppositum sumi posse generaliter, & specialiter vt videre est in prædicamento qualitatis, dum agitur de dispositione, eodem enim nomine dispositionis & significatur genus ad habitum, & species opposita habitui, sic similiter in hoc casu nomen suppositum significat, & genus ad personam, & speciem oppositam personæ, & sic generaliter sumptum suppositum significat quid commune personis, & suppositis, quæ non sunt personæ, specialiter tamen modo dictum solum includit sub se suppositæ in naturis non intellectualibus, quæ non habent rationem personæ; vnde in præsenti dubio quæri potest, quomodo personalitas, distinguatur à ratione suppositi specialiter dicti, & à communi ratione suppositi. 56

Dico primo si persona comparetur cum suppositio vt sic, distinguitur formaliter in ratione 57

tanquam

subsistendi, tanquam particulare à communi, & tanquam dignissima species à communi genere, non quod propria ratio generis, & speciei in his reperiatur, sed proportionalis, quia intellectualis natura subsistentiam habet sibi proportionatam, & altioris rationis ab inferioribus naturis; vnde addit differentiam perfectam, per quam contrahit rationem suppositi, quasi genericam, & per quam distinguitur ab ipso genere, non solum materialiter, sed etiam formaliter

58 Dico primo rationem formalem personæ intrinsece, & quidditatiue distingui à ratione suppositi specialiter dicti, non modo ratione naturæ. Probatur sic, quia personalitas est vltimũ complementum, & vltimus terminus naturæ intellectualis; atqui talis terminus quatenus terminus, & quatenus vltimum complementum substantiale, aut est pure spirituale, vt in Angelis, aut compositum ex ratione spirituali, & materiali, vt in homine: ergo talis personalitas distinguitur quidditatiue, & formaliter in ratione personalitatis, & termini, & non solum ratione naturæ. Patet hæc consequentia, quia entitas dicens prædicatum spirituale intrinsece, & quidditatiue, distinguitur quidditatiue intrinsece, & essentialiter ab entitate, quæ tota est adæquate corporea, vt patet, nam Angelus, & homo distinguuntur intrinsece, & essentialiter secundum proprias naturas, à natura equi, vel leonis, ex eo quod Angelus, & homo includunt in propriis naturis prædicatum spirituale, adæquate, vel inadæquate, natura autem equi, vel leonis est adæquate corporea, sed omnis personalitas quatenus talis est, aut adæquate aut inadæquate est spiritualis, & omnis suppositalitas specialiter dicta, est adæquate corporea: ergo omnis personalitas, vt præcisa à natura distinguitur formaliter quidditatiue, & essentialiter ab omni suppositalitate.

59 Secundo probatur, quia personalitas est modus afficiens per suam intimam entitatem, dicensque relationem transcendentalem ad naturam intellectualem, & suppositalitas dicit ordinem transcendentalem ad naturam minime intellectualem: ergo personalitas, & suppositalitas distinguuntur inter se, per ordines illos transcendentales: atqui tales ordines distinguuntur essentialiter inter se, quia specificantur à distinctis terminis essentialiter distinctis, vti est natura intellectualis, & non intellectualis: item tales ordines, quia transcendentales sunt prædicata essentialia personalitatis, & suppositalitatis: ergo personalitas, & suppositalitas distinguuntur inter se essentialiter, & formaliter per prædicata essentialiter distincta, & constitutiua illarum.

## SECTIO VLTIMA.

*Argumenta aduersaria soluuntur.*

60 AD primum secundæ sententiæ respondeo quod si loquatur de natura Angelica negandam esse maiorem; nam etiam si natura Angelica non haberet suppositalitatem ex vi propriæ entitatis non dependeret à subiecto, ex eo quod spiritualis est, si autem loquatur de natura composita, negamus suppositum maioris, supponit enim naturam illam, ex eo quod affecta sit suppositalitate non dependere à materia prima, quod falsissimum est, quia adhuc licet afficiatur suppositalitate talis natura est composita essentialiter: atqui omne compositum dependet essentialiter à materia: ergo natura, etiam affecta suppositalitate dependet à subiecto, si autem loquatur aduersarium argumentum de natura incompleta in ordine ad subsistentiam, & non ad suppositalitatem & talis natura incompleta fuerit adæquate materialis, dependebit necessario à subiecto, si autem fuerit spiritualis, non à subsistentia, sed à sua entitate erit independens; vnde neque in vna entitate, neque in alia est effectus suppositalitatis independentia à subiecto in vna, quia ex vi suæ essentiæ habet talem independentiam in altera, quia etiam si habeat subsistentiam, non habet independentiam; vnde falsa est illa minor argumenti ac per consequens duæ illæ consequentiæ, vt falsæ negantur.

Ad confirmationem nego maiorem, quia in- 61
hærentia est modus accidentis: atqui modus vnius rei non potest nec per potentiam Dei absolutam conuenire alteri, vnde substantia etiam si non haberet subsistentiam, non posset habere inhærentiam.

Ad secundum argumentum concedo maiorem, 62
quoad primam partem, quoad secundam autem negatur per potentiam Dei absolutam; si autem loquatur de modo essendi in alio per inhærentiam concedimus totam maiorem, & nego consequentiam, si loquatur de prædicato essentiali ipsius subsistentiæ; independentia enim non est prædicatum essentiale subsistentiæ, nec reciprocatur cum ipsa subsistentia, vt patet ex supra dictis.

Ad primum secundæ sententiæ respondeo cum 63
Patre Hurt. per instantiam ad hominem, subsistentia est complementum substantiæ in ratione substãtiæ, sed substantia est formalissime indepẽdẽs à subiecto inhæsionis, à priori, & à posteriori; ergo subsistentia illam complet in eo genere: ergo est independentia substantiæ à subiecto inhæsionis non solum à posteriori, vt ipsi asserunt; sed etiam à priori vt ipsi negant; item intellectus, & cætera accidentia sunt complementum substantiæ in ratione substantiæ, nec sunt eius independentia.

Concedo igitur maiorem; item & minorem, 64
sumendo ens per se in recto pro ipso conceptu substantiæ, distinguo autem consequens, est complementum rei, vt independentis, secundum quod dicit in recto, concedo consequentiam, secundum quod dicit in obliquo nego. Dependens enim, & independens dicunt in recto entitates terminorum, & in obliquo dependentiam, & independentiam; subsistentia, & omnia accidentia perficiunt substantiam in recto, quin pertineant ad obliqua, vt enim substantia est independens à priori, quin subsistentia spectet ad eam independentiam, ita neque ad aliam, est tamen specialiter complementum substantiæ in ratione substantiæ, quia est complementum substantiale.

Ad argumentum vltimæ sententiæ negatur 65
maior, de qua, & de toto illo argumento latissime dictum est in probatione nostræ sententiæ.

DISPV

# DISPVTATIO XVI.

*De natura, & perfectionibus Angelorum.*

## QVÆSTIO I.

*Vtrum demonstretur possibilem esse Angelum, & actualiter existere?*

### SECTIO PRIMA.

*Sententia aduersaria ponitur.*

1 PRIMA sententia docet demonstratione à priori ostendi posse Angelos esse de facto; ita Bannez 1. *parte*, Zumel & pene omnes Thomistæ; P. Suarez *tomo* 2. *metaphys. disputat.* 55. *sect.* 2. *num.* 5. cum aliis, qui omnes conantur pro viribus D. Thomæ rationem, qua hoc loco Angelos esse probat, demonstrationem esse conuincere, efficacissimam pro materiæ capacitate vocat Suarez, *n.* 5. *ad finem.*

2 Probatur primo hæc sententia, quia vniuersum à Deo conditum debet vltimam suam perfectionem consequi, quæ in eo sita est, vt ad suum principium Deum scilicet, à quo prodiit, redeat, non autem redire potest, nisi principij sui in se similitudinem gerat in natura & esse, in quibus quandam habet perfectionem, vt & omnes effectus nunc maximè perfecti sunt, quando maximè agenti causæ assimilantur, est autem diuinus intellectus causa vniuersi: ergo necesse est vt in illo, ad eius perfectionem aliquæ intellectuales creaturæ sint, quales sunt Angeli.

3 Confirmatur, quia ad perfectionem vniuersi pertinuit, vt in eo esset gradus substantiarum immaterialium; quas Angelos dicimus: sed Deus condidit vniuersum perfectum: ergo sunt in eo huiusmodi substantiæ. Maior probatur; quoniam ad perfectionem effectus pertinet vt sit perfecte similis causæ: ergo ad perfectionem vniuersi spectat vt sit simile Deo quoad fieri possit; cum ergo Deus sit substantia immaterialis, & intellectualis ad perfectionem vniuersi spectat, vt sit simile Deo, vt in eo sint substantiæ immateriales, & intellectuales; ratione quarum sit simile Deo secundum hunc gradum; minor vero per se, & ex terminis videtur, aut vera aut valde verisimilis; tum quia à perfecta causa, & summe bona, quæ nulli inuidet, & potentissima, quæ à nemine impediri potest, non debuit effectus prodire, nisi perfectius; tum etiam quia Deus in condendo vniuerso intendit & communicationem suæ bonitatis, & suæ perfectionis manifestationem, ideoque condidit vniuersum ex variis rerum gradibus & ordinibus constans, quia nullus per se sufficiebat ad finem, quem in rerum conditione, & vniuersi perfectione Deus intendebat: ergo debuit vniuersum constare ex hoc ordine rerum, qui maxime ad perfectionem eius & ad finem prædictum conferre poterat.

4 Secundo sic probatur, Deus à sua bonitate tantum motus est ad mundi effectionem, cui eam communicauit secundum modum assimilationis ad ipsummet Deum; similitudo autem vnius inuenitur in altero, vel quantum ad esse naturæ, vel quantum ad cognitionem: ergo ad hoc vt similitudo Dei perfecte esset in rebus modis possibilibus, oportuit vt diuina voluntas rebus per similitudinem communicaretur, non solum in essendo, sed etiam in cognoscendo; cognoscere autem diuinam bonitatem sola intellectualis creatura potest: oportuit ergo hanc esse.

5 Vltimo sic probatur, quia Deus continet omnes creaturas simplici modo, absque vlla quantitatiua extensione: ergo ad perfectionem vniuersi oportuit; vt Deum hac etiam ratione illud imitaretur, essentque in illo creaturæ intellectuales, Angeli scilicet, qui cognitione continerent res absque vlla quantitatiua extensione.

6 Secunda sententia est eorum qui asserunt euidenter à posteriori ostendi posse Angelos esse, ita Lactantius *diuinarum institutionum, libro* 2. P. Molina 1. *p. art.* 2. P. Vasquez 1. *p. disput.* 178. *cap.* 1. *num.* 3. qui duo tantum hoc modo Angelos esse demonstrari posse aiunt: primo probatur hæc sententia à Peripateticis ratiocinatione illa satis vulgari ex cœli motu desumpta, qui cum neque ab ipso cælo sit, vtpote inanimi, nec à sola prima causa, cum alienum hoc ab eius maiestate & communi prouidentia videatur, nec à mortalium aliquo, vt patet ex terminis; superest igitur vt à substantia creata nobiliori creata sit: sed hæc non potest esse alia, nisi Angelus: ergo de facto Angelus datur.

7 Secundum argumentum est, quo vtuntur Vasquez & Molina; & in hunc modum efformatur, experimento constat, operationes esse aliquas, & effecta omnem nostram superantia facultatem; oracula item, quibus vel absentia, vel futura impossibilia scitu mortalibus; quæ omnia principia alicuius opexantis munera esse debent, non autem alicuius alterius, nisi Angeli: ergo dantur illi. Maior est nota, & minor patet, quia magicis carminibus euocatur principium horum effectuum operatiuum; certum autem est Deum incantationibus non trahi. Præterea sæpe talium effectuum principium in malum culpæ dirigit, & operatur illud, quod in Deum cadere non potest, cumque illa mira effecta humanas superent vires, reliquum est vt à præstantiori substantia sint, quam Angelum dicimus.

8 Confirmatur, quia sunt Energumeni, seu arreptitij, quos obsideri, & agi à virtutibus non informantibus, sed assistentibus cernimus; loquuntur mira, respondent interrogati quæ humana diligentia nequeunt sciri, commouentur, exagitantur citissime adeo, vt nulli esse dubium possit euenire illa omnia à superiori principio, superanteque vires humanas.

9 Nec ad primam confugere causam possumus, quasi ab illa tantum moueantur, quandoquidem causa illa mouens energumenos, & arreptitios multa proferat indigna Deo. Deinde cùm ab alio effici prædicta omnia queant, frustra in causam primam tantum hæc coniicimus, præsertim cum arreptitij medicamentis, & musica pro aliquo saltem breui temporis spatio interdum sanentur, non certe alia causa, nisi qua Dæmon torquere illos nequit; quod facit pranos illorum cómouendo humores, quibus si non vteretur, neq; eos vexare posset, nec multa miranda in eis operari. At si Deus solus ea efficeret humoribus corporum non egeret, ac proinde nec medicina, nec alio corporeo remedio eius effectus impediretur.

## SECTIO II.

*Nostra sententia ponitur.*

10 PRima conclusio : possibilitas Angeli euidenter demonstrari potest, sic omnes Theologi, & melioris notæ Philosophi ; hæc conclusio probatur primo argumento, quo vsi sumus *disput. 1. metaphys.* quæstione in qua agitur de subiecto illius.

11 Secundo sic probatur ; In anima rationali est inchoatus, & incompletus ordo immaterialium substantiarum : ergo possibile est talem ordinem compleri producendo substantias aliquas immateriales completas, quia quo perfectior est gradus perfectiorem statum ex sua natura petit, qui possibilis est illi, & sine vlla repugnantia potest produci à Deo, verbi gratia, quia gradus substantiæ est perfectus, & datur substantia incompleta, possibilis est substantia completa, in qua compleatur gradus substantiæ, qui in incompleta est inchoatus ; vnde qui concederet substantias incõpletas, & negaret completas, sine dubio contineretur tum petendo ab illo repugnantiam contradictionis, tum etiam ratione facta, quia perfectus gradus petit perfectum statum ; atqui substantia spiritualis est perfectus gradus entis : ergo perfectum statum petit sibi proportionatum sine vlla repugnantia ; sed quatenus existit in animo rationali est in statu imperfecto, vtpote incompleto : ergo sine vlla repugnantia potest constitui in statu completo, producendo substantiam completam spiritualem.

12 Declaratur amplius, quia gradus completus in Deo est participabilis à creatura, & de facto participatur ab homine, leone, lapide, &c. quæ sunt substantiæ completæ : ergo sine vlla repugnantia potest participari à perfectiori gradu, scilicet à substantia spirituali, quia quo substantia est perfectior, & similior Deo, eo petit maiorem perfectionem in existendo : atqui existentia entis completi perfectior est, quam incompleti : ergo substantia spiritualis, quæ perfectior est substantia corporea, petit existentiam perfectiorem, qualis est completa.

13 Confirmatur ex operatione intellectionis, & volitionis, hæc enim consequitur ad immaterialitatem substantiæ ; sicut autem anima rationalis substantia immaterialis incompleta est ; ita operatio intelligendi est in illa quasi inchoata, & imperfecta, & admixta inferioribus aliis operationibus, à quibus aliquomodo pendet, vel originem ducit : ergo non repugnabit dari substantiam creatam, in qua illa operatio intelligendi sit perfectior, & abstractior à consortio corporis, & veluti completa in ordine suo & adæquata eiusmodi substantiæ ; illa vero substantia, quæ talem habuerit operationem, necessario esse debet completa, & immaterialis. Theologica etiam ratione sic potest hæc veritas probari, datur supernaturalis operatio creata omnino spiritualis, & omnino independens à corporea re : ergo possibile est subiectum aliquod, & aliquod operans correspondens illi actioni omnino spirituale, & independens à corpore ; quod etiam sit completum ens : atqui hoc esset Angelus, vt ex terminis patet : ergo hic est possibilis, maior in Theologia est nota, quoniam datur visio beatifica, quæ omnino spiritualis est, nulla ratione pendens à re corporea : reliqua facile ostenduntur ; nam si accidens quod propter substantiam est maxime completum spirituale omnino esse potest ; poterit etiam esse substantia completa spiritualis omnino.

Præterea, operatio est suppositi ; ergo si datur 14
pure spiritualis operatio omnino independens à ratione corporea, suppositum respiciet & illi proportionatum, quod sit totaliter spirituale, & independens à re corporea : ergo tale suppositum erit possibile, quia ordo transcendentalis non respicit impossibilia.

Secunda conclusio à priori ostendi non potest 15
demonstratione philosophica vel metaphysica, esse de facto Angelos, seu immateriales substantias homine perfectiores, sic multi Theologi, & Philosophi, & probatur facile, quia actualis existentia Angeli non solum pendet ex possibilitate ipsius, sed etiam ex libera Dei voluntate, qua decreuerit illum condere ; vnde licet primum euidens sit, posterius naturæ lumine ostendi non potest : ergo nec Angelum de facto esse ; maior & prior pars minoris sunt euidentes ; consequentia legitima est ; posterior pars minoris probatur ; quia decretum liberum diuinæ voluntatis à priori ostendi non potest ; quia nulla est causa, vel motiuum, quod diuinam voluntatem necessitet ad tale decretum habendum : ergo nullo modo ostendi potest à priori habuisse Deum actum, seu decretum liberum, quo statuerit Angelum de facto producere.

Dices, demonstrationem, qua ostendi potest, 16
Angelum de facto existere, non esse à priori omnino, & simpliciter, sed supposito aliquo libero Dei effectu, scilicet vniuerso ab ipso Deo condito colligi ex motiuo, quo inductus est Deus ad productionem illius, & ex natura talis effectus ; ex attributis diuinis, & rationibus, quas ipse Deus obseruare debet, vt res, quas producere statuit, digne, atque vt ipsum decet, producat. Ex iis inquam omnibus colligi euidenter statuisse etiam Angelum de facto creare, fuisse autem hoc motiuum ipsius Dei manifestationem, laudem, & gloriam passim scriptura testatur, vniuersam vero naturam postulare absolutam sui, & integram, atque omnimodam perfectionem, qua si careret in sui conditione, aut permanentia, non esset iuxta id, quod suapte natura exigit ; vti non esset homo iuxta id, quod postulat eius natura, si crearetur absque manibus à Deo ; vnde nec factum fuisset vniuersum digne, & conuenienter secundum id, quod ipsius attributa postulant : quare vt iuxta id fiat, creari debet cum prædicta perfectione quæ consistit in hoc, vt nullus gradus essendi illi desit, deesset autem illi vnus, magnæ quidem perfectionis, si deficeret illi gradus substantiæ spiritualis puræ, qualis est Angelus, qui plusquam cætera omnia creata Deum manifestat & ad eiusdem laudem, & gloriam conducit.

Sed contra, nam perfectio vniuersi, quia ens 17
per accidens est, non debet ita accipi, ac si essentialiter postulet, vt perfectio eiusmodi sit adesse illi omnem essendi gradum ; quo pacto essentialis est homini perfectio rationalitatis, vt essentialiter perfectus in esse hominis existat ; alias diuersum esset essentialiter ex hoc vniuersum quocunq; illi gradu essendi detracto, vel deficiente : vnde fieret in prima sui conditione per quinque priores dies diuersum fuisse essentialiter ab eo, quod incepit esse die sexto, quandoquidem illis quinque prioribus deficit ei gradus rei compositæ ex corpore, & animo spirituali.

Nec

18 Nec valet dicere totum, quod quinque prioribus diebus fuit in ordine ad totum, quod futurum erat in sexto, fuisse; vnde extitisse tantum inchoatum perficiendum sexto die, quemadmodum non est diuersus essentialiter homo infans perficiendus in adolescentia.

Quoniam hinc sequitur vniuersum primis quinque diebus essentialiter non fuisse, sed inchoationem illius tantum; nam si gradus essendi aduenturus sexto die essentialis erat vniuerso, sine dubio ante aduentum talis gradus non erat essentialiter vniuersum; sicut quando solum adest corpus, essentialiter homo non est, quia perfectio animi homini essentialis deest; quod si quinque illis primis diebus idem vniuersum essentialiter erat, cum eo quod fuit sexto, manifeste perfectio sexto die adveniens, non est illi essentialis, sed accidentaria prorsus: non ergo essentialiter postulat vniuersum vt tale omnem gradum essendi intra ipsum contineri; neque natura sua omnem illum postulat orbis, nec si aliquis desit, erit contra essentiam vniuersi: quia cum sit ens per accidens, vt supra dixi, non habet determinatam naturam & essentiam, vt videre est in republica, exercitu, &c.

19 Dices postulare omnem gradum accidentarie, eo modo, quo postulat homo partes integrales, & proprias passiones, sine quibus si crearetur à Deo, imperfectus crearetur; nec secundum id, quod natura humana postulat, quare si vniuersum absque tot rerum gradibus, quot nunc habet factum fuisset adeo certe productum fuisset, non iuxta id, quod illius exigit natura.

20 Sed contrarium manifeste, quia infiniti possibiles sunt gradus distincti ab his, qui de facto dantur; quod ipsi aduersarij concedunt, & euidenti demonstratione patet à paritate rationis inter species, genera, & indiuidua; nulla enim maior ratio datur, cur intra eandem speciem detur infinita indiuidua possibilia, & intra genus infinitæ species possibiles, & intra substantiam infinita genera substantiarum, & non dentur infiniti gradus entium intra ens vt sic, & ratio à priori est, quia gradus entis sunt obiecta omnipotentiæ; quæ quia infinita in esse potentiæ est, petit infinitos gradus entis tanquam obiectum: ergo si vniuersum petit omnem gradum possibilem actu existentem cum ipso vniuerso; ex quo colligitis, dari actu Angelos si consequenter loquamini, dicendum est vobis actu dari infinitos gradus entium in vniuerso; quia per vos vniuersum petit omnes gradus essendi; sed omnes gradus essendi sunt infiniti: ergo petit infinitos gradus essendi; sed per vos infiniti gradus essendi sunt impossibiles quoad actualem existentiam, id est, est impossibile quod actu existant infinitæ: ergo per vos impossibile debet esse, vt actu existant omnes gradus essendi: ergo impossibile est omnino vt vniuersum petat ex natura sua omnem gradum essendi; imo ex vestra solutione sequetur, vniuersum ex natura sua petere gradum supernaturalem gratiæ, gloriæ, & vnionis hypostaticæ, quod etiamsi ab aduersariis concedatur, concedi tamen non potest; quia fieret naturale suapte natura petere, vt sibi debitum, quod est supernaturale; vnde non esset supra illius naturam, & consequenter non esset supernaturale; & sic gratia iam non esset gratia, quia iam esset debita alicui naturæ specificæ, vel genericæ; quanquam nulli esset indiuiduo debita; quia gratia est omnino indebita naturæ vt sic; probatur sequela illa præcipua, quia hoc vniuersum vt constat rebus naturalibus, non est completum, & perfectum in ratione vniuersi, nisi adiungatur illi gradus supernaturalis, & ex alio capite, si Deus creaturus est illud iuxta naturæ illius exigentiam, debet illud creare perfectum: ergo cum rebus supernaturalibus gratiæ, gloriæ, & reliquorum; ergo debetur talium rerum supernaturalium productio vniuersæ naturæ: ergo est debita gratia vniuersæ naturæ: ergo est debita illa alicui naturæ, vniuersi scilicet; at non secundum omnem creaturam, quæ in illo est: ergo secundum rationis capacem, quia hæc sola gratiæ capax est: ergo huic naturæ, quæ generica est, debetur gratia, ac proinde non est indebita naturæ, & indiuiduo: ergo nullo modo est gratia.

Dicetur deberi vniuerso, vt constanti naturali, & supernaturali rerum ordine, atque vt constat posteriori deberi gratiam, quod mirum non est, quandoquidem posita re supernaturali non est contra naturam gratiæ, vt hæc illi debeatur; sicut non est contra naturam gloriæ, quæ gratia consummata est, deberi homini suppositæ in illo gratia. 21

Sed contra, quia hic non est quæstio ex suppositione, id est posito quod vniuersum consideratur vt aggregatum ex omni entis gradu; nam in hoc sensu nulla poterat esse dubitatio; vnde si ex suppositione huius argumentum formatur, supponitur quod erat probandum. Vnde enim constat postulari à Deo, aut debere Deum si condere vult vniuersum aliquod, condere id, quod vniuersalissimum est, vt ita dicam, & non posse nisi agendo contra naturas rerum, condere vnum vniuersum; quod idcirco vniuersum sit, & ita dicatur, quia continet omnem gradum entis naturalis, &c. vnde vt aduersariorum responsio aliquid valeat, hoc modo argumentum formandum, est; hoc vniuersum vt in ratione vniuersi perfectum sit, postulat omnem gradum entis, quatenus naturale vniuersum omnibus numeris absolutum existit; sed ordo supernaturalium est entium gradus: ergo postulatur ad hoc vniuerso. 22

Contra quam consequentiam militant omnia de gratia posita, & præterea falsum est, vniuersum in ratione vniuersi omnem gradum entis postulare, sed tantum multos, & omnes necessarios, atque sufficientes in ordine ad finem condentis vniuersum; vnde distingui potest vniuersum in bonum, melius, & optimum, seu in absolutum, absolutius, & absolutissimum: ita vt hoc postremum omnem gradum entis possibilis contineat, verum vt dixi, nulla est ratio conuincens, deberi Deum hoc producere, si vniuersum efficere velit; nam illa, quæ afferri possunt de optimo à Deo in vnoquoque genere amando, idque necessitate quadam morali, & falsa sunt & in materia de prædestinatione à me late explosa manent: satis ergo erit, si Deus volens condere vniuersum, condat id, quod omnium rerum naturalium gradu constet, aut illis omnibus duntaxat, qui necessarij sunt ad finem, quem ipse conditor voluerit comparare, qua ratione imperfectum non erit tale vniuersum, etiamsi aliqui rerum gradus illi desint; vnde neque erit factum in statu naturæ ipsius aut repugnante, aut minus conueniente. 23

Alias fatendum necessario erit post Iudicij diem, aut non esse futurum vniuersum, aut imperfectum esse, in statuque ipsius naturæ repugnante, 24

repugnante, cum defuturus illi sit gradus omnium mixtorum inanimatorum, qui & magnus est, & multa & varia genera comprehendit; quoniam ad finem intentum à Deo non conducunt post illum diem præfata mixta; atque vt tunc ridicula esset argumentatio, qua quis putaret se ostendere mixta esse actu; quia vniuersum omnem gradum entium debet comprehendere, vt sit perfectum, & iuxta ipsius naturam; ita & nunc debile argumentum formabitur ad probandum esse Angelos actu ex vniuersi perfectione, atque natura; quoniam responsio ad manum est; vniuersum nimirum tantum ea omnia postulare, quæ necessaria sunt ad finem consequendum à suo conditore intentum; & quanquam huius scopus fuerit propria manifestatio, laus, & honor, cum hæc omnia sufficienter comparentur creato in vniuerso homine, à quo præfata possunt prouenire, non est cur ex conditoris fine necessario debeat deduci Angelorum creatio; quoniam etsi præstantius omnia dicta per angelicam naturam acquirantur à creatore, non tamen necessitate aliqua mouetur, aut debet præstantius creari; vnde ipsius libertati relinquitur locus, & consequenter deest iam vt necessarium principium ex duobus, quæ requiruntur ad demonstrationem, qua esse Angelos conuinci debet.

25 Confirmari hæc poterant ex ipso vniuerso vt nunc est, in quo non omnia elementa naturalem ipsis locum occupant, vt ipsi aduersarij docent; cum aqua infra terram discoopertam sit, quæ natura sua postulabat esse supra, ideoque tota terra sua etiam natura exigebat esse sub tota aqua; non tamen quod aliter contingat absolute imperfectum nunc esse vniuersum, eo quod ad finem intentum à conditore sic debeant elementa esse: ergo eadem ratione potuit eum finem sibi præscribere conditor, ad quem conduceret Angelos non esse, nimirum vt ostenderet liberam sibi esse illorum creationem, neque pendere ipsum, aut egere gloria & honore, quibus ab Angelis afficiendus esset, quod satis est vt ostendi non possit ex fine creatoris argumento desumpto, Angelos de facto esse licet possibiles esse euidenter demonstretur vt supra diximus. Nam causa efficiens ex sua natura petit assimilare effectum suum sibi, vnde quo effectus similior causæ, eo aptior est, vt ab illa possit produci; cum ergo Deus sit prima causa omnium, & ipse sit substantia spiritualis completa, possibilius quodammodo, & tali causæ magis consentaneum est, vt ab illa prodeant immateriales substantiæ completæ, quam materiales, & immateriales incompletæ.

26 Vnde quidam Philosophi opinati sunt, materiam primam propter suam imperfectionem, & dissimilitudinem, quam cum Deo habet, vtpote pura potentia cum puro actu, non esse à Deo, in quo quidem decepti sunt, in eo tamen quandam veritatem adumbrarunt, quod substantia creata quo actualior, & immaterialior, eo est Deo similior; & ideo conformior diuinæ virtuti, & ex hac parte quodammodo possibilior; si tamen in hoc potest esse magis, & minus; & idem argumentum sit ad probandum, possibilius esse producere Angelum, quam spiritualem substantiam incompletam, verbi gratia, animam rationalem; quia si illa, quæ minus perfecta est, potest esse immaterialis, multo magis poterit illa, quæ est perfectior.

27 Dices, id non inferri recte; quia substantia incompleta interdum simplicior est, quam completa, & ex hac parte potest esse immaterialior; nam etiam anima equi, licet materialis dicatur, quatenus pendet à materia, tamen re vera est minus materialis, quam equus; quia non constat intrinsece ex materia, sicut equus.

Respondetur hoc recte procedere, quando substantia incompleta comparatur ad completam, cuius est pars; nos autem non ita argumentamur; sed ex vna substantia incompleta talis ordinis, & perfectionis colligimus posse dari aliam in suo ordine completam, & quæ non sit pars alterius; in qua similis perfectio nobiliori modo inueniatur; atque hoc modo videtur ratiocinatio per se nota quia si illa perfectio non repugnat rei minus perfectæ, cur repugnabit ordini rerum perfectiorum? 28

## §.

### *Tertia Conclusio ponitur.*

Esse Angelos à posteriori non potest demonstrari philosophica demonstratione aut metaphysica, sic Pater Valentia, & probatur facile; nam si aliqua demonstratio à posteriori esse posset, de hac re maxime illa desumpta ex Magorum effectis & arreptitiorum experimento; at illa nullo modo est demonstratio: ergo. Maior est nota, minor probatur, quia omnia illa effecta possunt esse ab aliis causis secundis & de facto nonnulla interdum sunt: ergo non conuincunt esse Angelos, qui illa operentur. Probatur Antecedens; quia posse ab humanis animabus corpore solutis Dei permissu confirmant historiæ fide dignæ; exempli gratia in Iaponia nostro sæculo ita contigisse Patres Societatis Iesu scribunt; nam eati cuiusdam vita functi nurus ingressa corpus ita crudeliter vexavit diu, vt & miserationem excitaret omnium & admirationi fuerit ipsis. Præterea Samuelis animam se ab inferis euocasse credidit Pitonissa, & in Lucano Thessalia insignis saga Pompeij filij rogatu exitasse ab Orco putauit se occisi militis in prælio animam, & coegisse humanum cadauer ingredi, vt interrogatis respondere. 29

Quod si aliquis neget posse hominum defunctorum animas cantionibus cieri magicis, demonstrandum illi est vnde constet id esse impossibile; nam si huius idcirco possibilitatem negat, quod eiusmodi animæ perpetuis additæ suppliciis apud inferos nequeant inde huc vocare, & venire, perpendat ipsos etiam Dæmones eisdem cruciatibus manspatos esse, idque non obstare vt vocati veniant. 30

Et si responderit Dei permissu hoc contingere, superest vt ostendat idem permittere Deum non posse vita functorum animis, quod cum demonstrari non possit, fateri tenebitur, nullum esse illud à Magia petitum experimentum ad rem demonstrandam. 31

Vidit fortasse hoc Raphaël à Turre, *secunda secundæ, de magicis, & lamiis* disputans, & sic aliam excogitauit solutionem; ait enim mira, quæ perficiunt magi ab animabus istis fieri non posse; quoniam si cum proprium corpus informant, sic illud mouere, immutareue non possunt; qua ratione cum assistunt duntaxat alieno, sic agere valebunt. 32

Sed friget ratio, nam cum virtus vnita sit fortior seipsa disperſa, & pluribus intentus minor sit ad singula sensus; anima vero, dum formæ officium præstat, & pluribus intenta sit, & illius virtus 33

virtus per multa veluti dispergatur; contra vero cum tantum assistit, & mouere corpus studet, vni tantum vacet muneri; totaque quanta potest vis sit intenta illi, mirum non est, si ea possit efficere in corpore, quod vexat, quæ dum informat, nequit.

34 Vltima conclusio: neque demonstratione morali, quæ vera, & propria demonstratio sit, Angelos esse de facto potest ostendi, non enim tamen tota morali disciplina principium aliquod euidens est; vnde colligi demonstratiue queat esse de facto Angelos, illud enim, quo aliqui hoc euincere arbitrati sunt, nimirum tortores in quauis republica esse debere, qui nocentes puniant, esse autem rempublicam humanum genus, & nocentes in illo, quos necessum sit in alia torqueri vita; quando culpis contaminati protervi ex hac discedunt vita, non sunt vero alij, qui carnificum exercere officium possint, nisi Dæmones, qui Angeli sunt: ergo sunt Angeli.

35 Hoc inquam argumentum nec demonstratio est, nec esse potest; nam quemadmodum in præsenti vita hominis, homo tortor est; ita & in alia animæ anima potest esse diuinæ iustitiæ vindex; dixi vera, & propria demonstratione morali, Angelos esse ostendi non posse; nam in propria, & abusiua potest; est autem hæc quæcunque admodum probabilis ratio, vt est illa desumpta ex perfectione vniuersi à D. Thoma fabricata, propter quod illa vsi sumus nos libris de anima, ad probandum animam esse spiritualem, illa præterea, quæ deprompta est ex Magia, aliisque experimentis, quibus omnibus prudenter humanus intellectus permoueri potest ad assentiendum, Angelos esse.

## §.

### *Quid fide tenendum sit.*

36 Dicendum est sine dubitatione, Angelos de facto esse; quod ortodoxa fides aperte docet, innumera enim sunt diuinarum literarum testimonia, quibus Angelos existere traditur disertissime; nam præter verba *Psalmi* 103. ibi [qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem] quem locum explicat D. Paulus *ad Hebræos* 1. de Angelis, dum probat, illos esse inferiores filio Dei, quippe qui non vocantur à Deo filij, intellige pernaturalem generationem, sed ministri; vnde paulò post reuocantur spiritus administratorij; qua propter sensus verborum est, qui spiritus, quos condidisti Angelos & nuncios tuos facis ministrosque agiles, & efficaces in exequendis mandatis tuis instar flammæ vrentis, & volantis; sunt etiam alia id ipsum significantia, v.g. verba Psalmi octaui, [minuisti eum paulominus ab Angelis:] quæ interpretatur idem Paulus *ad Hebræos, cap.* 2. de iisdem spiritibus, in illis autem aperte asseritur, esse aliquas substantias hominis superiores, quales esse non possent nisi essent intellectuales. Præterea *Tobiæ cap.* 12. cum Raphaël dixisset, se esse vnum de septem Angelis, qui stant ante Deum, dixit, se cibo inuisibili vti, quo dicto ablatus est à conspectu Tobiæ; quibus verbis, & facto indicauit subtilitatem naturalem, propter quam eiusmodi substantiæ dicuntur spiritus; idem aperte docuit Christus Dominus *Math.* 22. respondens Saducæis illis verbis [in resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei,] & alibi, dum dixit, [Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui est in cœlis;] decernitur hæc veritas in septima Synodo *actione* 5. & in Concilio Lateranensi *capite Firmiter*, & reliqua tam vnanimi consensu, vt superfluum sit illa referre.

## SECTIO VLTIMA.

### *Argumenta aduersaria soluuntur.*

AD primum argumentum respondetur, satis 37
consequi omnia illa per vnam hominis naturam; hæc enim & ad suum principium, Deum nimirum, à quo prodit intellectus, & voluntatis actibus redit, & similitudinem exprimit in se, quia illius imago est secundum illud, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; de quo supra latissimè; atque vti Deus per intellectum, & voluntatem operatur; quo pacto veluti scopum, & vltimum finem recta collimat per suos actus, vt dixi; sunt autem formæ intra hominem, id est ideæ, per quas operatur homo; quemadmodum etiam in Deo sunt, item media intellectione res sunt in homine, vti & sunt in Deo proportionaliter, & quemadmodum Deus à sua bonitate motus est ad creandum vniuersum, quam bonitatem ipse Deus cognoscit, ita & homo diuinam bonitatem percipit, & ab ea motus operatur; quæ omnia satis sunt, vt vniuersum assimiletur Authori suo Deo, & perfectum sit ea perfectione, quæ respondere possit fini, quem Deus posset intendere; quamquam Angelos non creasset.

Ad confirmationem respondeo effectum à libera 38
causa procedentem similem esse debere suæ causæ, iuxta finem honestum à causa intentum, nec posse maiorem similitudinem stante causæ, & effectus conditione deduci; quamvis illa sit possibilis, constat autem Deum esse causam liberam vniuersi, & potuisse finem aliquem intendere in vniuersi effectione, qui optime compararetur, ea tantum similitudine ipsius vniuersi ad Deum, quæ inueniri potest absque Angelorum creatione; quod vt clarius pateat, aduertendum est, vniuersum vt ex metaphysica constat, & Philosophia ens per accidens esse à decreto diuino in sui existentia pendens, nihil Deo boni, aut vtilitatis intrinsece afferens, nullamque illi necessitatem imponens, qua teneatur seu constringatur, vt illud tot rebus constans pluribus, vel paucioribus constituat, aut conseruet; vnde quemadmodum omnino liberum fuit Deo statuere apud se vniuersi huius conditionem, & ipsam temporum initio eam exequi; ita omnino liberum fuit his, & non aliis rebus compositum efficere; atque ita faciendum fore à se decernere: quæ omnia cogunt ad asserendum, nullo modo posse rigorosissima demonstratione probari actu existere vniuersum; constat enim ex Dialectica *Post.* 1. demonstrationis vere, ac proprie principia necessaria prorsus esse debere aut simpliciter, aut ex suppositione; vnde communis demonstratorij syllogismi definitio constat illis particulis, necessariis, immediatis, &c. quod Aristoteles explicuit dicens [scire autem simpliciter, & non sophistico modo arbitramur vnumquodque, quando cognoscimus cognoscere per causam, & quoniam illius est causa, & quoniam non est contingens aliter euenire] quibus postremis verbis necessaria esse debere principia demonstrationis docuit, & quamquam verum sit non æqualem in omnibus necessitatem ad demonstrationem conficiendam postu-

lari, vti neque eandem certitudinem, & claritatem vt vera & propria demonstratio sit quemadmodum ipsemet admonet Aristoteles; nihilominus vera, & non adumbrata necessitas, certitudo, & euidentia in principiis demonstrationis exigitur, vt huius illa vera principia sint, alias vera, & propria demonstratio non erit ratiocinatio, vt ex illis constat, sed ad summum probabilis. & sane in præsenti de vera & propria demonstratione, qua esse Angelos conuinci possit mens, nobis est sermo non de apparenti aliqua ratione, aut probabili.

39 Neque satis erit respondere pro materiæ capacitate, omnia hæc accipienda esse; nam si sensus sit quoad gradus maioris, vel minoris necessitatis, claritatis, & certitudinis, facile id dabimus, verum ad rem non erit, si de ipsa demonstrationis natura, & conditione agamus, quasi materiæ aliquæ sint in quibus satis ad veram demonstrationem censeri debeat necessitas quædam veluti apparens; neque postulari propria, & vera possit, alias multorum fidei catholicæ mysteriorum congruentias, & rationes probabiles veras esse dicemus demonstrationes; cum ad illa confirmanda, & illustranda conuenientissimæ rationes excogitatæ sint iuxta capacitatem materiæ, præcipue cum vrgentiores reddere impossibile omnino videatur in hac vita mortalibus.

Ad secundum argumentum, & ad reliqua patet ex dictis.

40 Ad primum primæ sententiæ argumentum respondent grauissimi Doctores demonstrationem non esse, quoniam in primis non est euidens, cœlos inanimatos esse. Denique vt manifestum hoc sit euidens, non est ab innata sibi non mouere eos virtute, quæ illos suapte natura ferat in circularem motum, non propter se, sed propter vniuersum, vt dicunt communiter Philosophi de lapide ascendente sursum, ne detur vacuum, hic enim ipsa impellente lapidea natura sursum attollitur, non propter se, sed propter totius vniuersi bonum; quod vacuum non patitur; ne vero aliquis ad hanc impingat lapidem, & ex eo velit colligere cœli motum violentum fore, vti lapidis ille violentus est; ad hoc enim possemus respondere, illum motum non fore violentum, quia non est contra impetum naturæ vt est lapidis, qui est contra grauitatem; cœli enim nullam qualitatem haberent oppositam tali motui, sed potius qualitatem ingenitam omnino proportionatam illi; eo quod cœlum causa vniuersalis sit omnium influxuum sublunaribus conuenientium; aliud notius exemplum subiiciamus; fertur suapte natura in scrobem, aqua si terra decliuis, non vt scrobis impleat vacuum, quando permeante aëre nihil in scrobe vacui est, sed quod naturæ institutio sic postulat vt quoties elementa coirent in vnius vniuersi constructionem aqua inferiorem aëri locum sibi postulet; eadem affirmari posset ratione, cœlos in vniuersi structuram concurrentes, vti suapte natura postulant supremum omnibus occupare locum, ita & vendicare sibi ingenitum perpetuum motum, non in sui commodum, sed in totius vniuersi vtilitatem, cuius motus principium sit innata ipsis qualitas, vti motus aquæ ad locum inferiorem aëre, innata ipsi aquæ grauitas; cumque Aristoteles non demonstret cœlorum motum proxime à sola prima causa non procedere, nihil est quod nos cogat, & conuincat euidenter asserere. Angelos dari, qui cœlos moueant quamvis longe probabilius sit hoc munus demandatum fuisse intelligentiis, quod Patres Ecclesiæ docent, & scriptura insinuat; illud enim quod innuere videtur, & aliqui certum putant omnino futile est, videlicet indignum esse cœlos immediate à Deo moueri; nam qui hoc asserunt, videntur incidere in opinionem Philosophorum, docentium Deum non concurrere immediate cum causis secundis ad omnes illarum operationes, quod vti falsissimum, & periculosum in fide reiecimus in *Physicis, & tract. de Deo*, dum de concursu ipsius cum creaturis egimus. Cum autem verum sit, Deum immediate concurrere, nulla erit indecentia respectu ipsius in tali concursu. Neque in hoc quod Deus solus concurrat, potest aliquod inconueniens reperiri; cum Deus solus producat mures, angues, & alia id genus, quorum causam secundam non possumus assignare; certe enim cœlestes illos orbes immediate, & solum à Deo cieri, nullum arguit absurdum, & incommodum, vt ex ipsis terminis patet.

## QVÆSTIO II.

*Virum Angeli solo numero differant, aut necessario sola specie.*

### SECTIO I.

*Sententia aduersaria ponitur.*

PRIMA sententia docet omnino implicare posse creari duos Angelos eiusdem speciei; ita aliqui ex Thomistis, vt Herbeus *in 2. dist. 3. q. 2. art. 2.* & alij; sed præcipue Caietanus *in. 1. p.* D. Thom. *q. 50. art. 4.* & sæpe aliàs; latius *tract. 3. opuscul. & tract. 7. de ente, & essentia, cap. 4. q. 9.* attribuunt hi Authores D. Thomæ hanc sententiam, quia vtitur illis verbis, *Impossibile est*. Probatur 1. hæc sententia; quia sola materia est principium intrinsecum distinctionis numericæ; sed omnis Angelus possibilis caret materia; ergo nullus Angelus possibilis distinguitur solo numero ab alio. 1

Secundo sic probatur, quia essentia abstracta, & per se, ac absolute subsistens, non potest multiplicari numero, quia habet totam perfectionem suæ speciei: sed Angelus est forma abstracta, & per se subsistens: ergo. 2

### SECTIO II.

*Sententia ponitur.*

PRima conclusio: bene potest Deus producere plures Angelos numero solo diuersos eiusdem speciei, sine vlla implicatione contradictionis. 3

Probatur primo, quia Deus in vnaquaque perfectione, in qua est participabilis à creatura est infinitus, & quæcunque creatura in quacunque perfectione participata est finita, & limitata; sed rario indiuidui in vna specie Angeli, & ipsa species est perfectio contenta in Deo, & est participabilis à creatura: ergo est infinita, & infinitè participabilis: ergo vnusquisque Angelus limitate, & finite, & non adæquate participat illam perfectionem contentam in Deo, vnde Deus excedit in infinitum participabilitate vnamquamque creaturam participantem: ergo supposita participatione

Gabrielis

Gabrielis Angeli, tam in genere entis, & in genere substantiæ spiritualis completæ, quam in ratione indiuidui; manet Deus amplius & amplius, participabilis ininfinitum, ac proinde dabuntur possibiles non solum in ratione entis, & substantiæ spiritualis, sed etiam in ratione indiuidui intra speciem Gabrielis infinitæ participationes, ac per consequens infinita dabuntur possibilia indiuidua speciei Gabrielis, quæ possint participare perfectionem indiuiduam talis speciei.

4 Confirmatur, & declaratur amplius; quia ideo intra idem genus possunt multiplicari plures species Angelorum, quia talis perfectio continetur in Deo, & quatenus talis est infinitè participabilis; vnde nulla creatura quæcunque illa sit, potest sua participatione æquare participabilitatem Dei, quæ infinita est; sed etiam ratio specifica Gabrielis est perfectio in Deo eminentissime contenta, ac proinde infinita suo modo: ergo non determinate, sed amplius, & amplius in infinitum est participabilis; ex alio capite Gabriel in quacunque ratione est finitus, quia creatura: ergo non adæquate participat illam perfectionem specificam: ergo illa specifica perfectio potest amplius, & amplius participari à diuersis indiuiduis contentis intra illam speciem, sicut ratio generica potest participari ab infinitis speciebus contentis intra idem genus: ergo possunt dari multa indiuidua specifice, & essentialiter similia Gabrieli; sicut possunt dari infinitæ species similes generice ipsi Gabrieli.

5 Vrgetur; ideo possunt infinitæ animæ rationales multiplicari intra eandem speciem, etiamsi formæ spirituales subsistentes sint; quia sunt participationes diuinæ naturæ infinitæ, quæ quatenus talis est infinite participabilis, ac proinde superat sua participabilitate quamcunque participationem animæ rationalis, quapropter sicut ipsa diuina natura est amplius, & amplius participabilis vltra quamcunque animam rationalem; ita vltra quamcunque possunt dari aliæ amplius & amplius participantes; quia omni participabilitati correspondet sua participatio possibilis.

6 Atqui etiam si Angeli sint substantiæ spirituales subsistentes participant indiuiduationem diuinæ naturæ infinite, ac proinde amplius, & amplius participabilis sine fine, & termino: ergo adhuc supposita participatione Gabrielis: ergo manet indiuiduatio amplius, & amplius participabilis in infinitum, & sic adhuc suppositi tali participatione Gabrielis, poterunt dari infinita indiuidua intra eandem speciem, quæ participare possint perfectionem omnem tam indiuiduam,
7 quam specificam illius naturæ.

Respondent Thomistæ, assignando disparitatem inter animam, & Gabrielem; nam anima rationalis, quamvis incorporea, & spiritualis sit, respicit tamen materiam, per quam indiuiduari, & multiplicari possit; natura vero Angelica cum sit totalis, & completa, nihil extrinsecum respicit per quod possit indiuiduari.

8 Sed contra manifeste, quia nulla anima rationalis indiuidua, determinate respicit hanc, vel illam materiam primam, sed potius quantum est ex se indifferens est ad quamlibet materiam primam; anima enim non minus connaturaliter est in hac materia, quam in alia, & in ea portione materiæ determinatæ, quam casu acquirit per nutritionem, quam in alia quacunque, quam possit acquirere, quam non acquirit ex hoc videlicet solum, quod hæc potius sibi oblata fuerit, quam illa: ergo ex se indifferenter respicit quamlibet materiam, & sic à parte rei non indiuiduatur per ordinem ad aliquam materiam determinatam. Deinde quia duæ animæ rationales numero distinguuntur, & vtraque eandem numero materiam respicit, quia vnaquæque anima rationalis omnes materias respicit, quas alia: ergo in ordine ad materiam primam, non potest sumi distinctio, & differentia talium animarum; quia si talis distinctio sumeretur in ordine ad materiam, vna anima non respiceret eandem numero materiam quam alia; sed non respicit distinctam, sed eandem: ergo.

Dices, vtramque animam rationalem connotare saltem conceptum specificum materiæ, siue subiecti.

Sed contra, vtraque connotat eundem conce- 9
ptum specificum materiæ: ergo per ordinem ad illam non possunt habere inter se pure numericam distinctionem. Patet consequentia; quia semper manens idem semper est natum facere idem; sed conceptus specificus materiæ etiam provt connotatus ab vtraque anima rationali est idem re, & formaliter; habet enim realitatem materiæ, & præterea respicitur, & connotatur ab vtroque sub formalitate partis incompletæ, & potentialis: ergo natus est facere idem potius, quam diuersum secundum numerum, atque adeo duæ animæ rationales non distinguuntur inter se distinctione solum numerica per illam materiæ connotationem: ergo prouenit talis distinctio, & multiplicatio indiuidualis ob infinitatem diuinæ indiuiduationis participabilis ab illis, & limitationem, finitudinem, & terminationem vniuscuiusque animæ rationalis, quia quod plura indiuidua possint sub eadem specie multiplicari, fundatur in naturali conditione, seu proprietate talis naturæ finitæ; ratione cuius non repugnat illi multiplicatio indiuiduorum intra eandem speciem; hæc autem proprietas non est aliqua aptitudo naturæ communis vt sic, quæ intelligatur quasi potentia quædam actuabilis per plures differentias; sed est solum talis perfectio, & limitatio huiusmodi naturæ, vt dixi; vnde hæc proprietas, quæ fundat hanc indifferentiam, seu non repugnantiam, non solum in natura communi, & præcisa intelligi potest, sed etiam in ipsis particularibus seu indiuiduis, vt talia sunt; vt v. g. in specie equina vnumquodque indiuiduum talis conditionis est, vt illi non repugnet habere aliud simile in specie, & vtrique, seu omnibus indiuiduis illius speciei commune est, vt eis non repugnet habere alia similia tantum secundum aliquod genus, & non in specie, quod eis prouenit ex eo quod sunt substantiæ finitæ; quibus non repugnat, vt inter se habeant similitudinem, vel conuenientiam vniuocam; quia nihil in sua entitate includunt, ratione cuius eis repugnet habere alias res sibi similes in perfectione, vel æquales, nam licet in vnoquoque indiuiduo natura sit determinata ad illud tantum, nihilominus ita est in illo vt ex vi eius non repugnet esse in alio simili, seu potius similem naturam esse in alio indiuiduo.

Atqui natura Angelica etiam est finita, & li- 10
mitata in specie infima; quia est participata, & ab alio in illa: ergo est multiplicabilis in plura indiuidua solo numero differentia.

Vrgetur à contrario sensu; nam quod diuina 11
natura essentialiter includat indiuiduationem

suam

suam positiuam, & incommunicabilitatem respectu inferiorum, ex eo præcise prouenit, quod infinitati eius repugnat talis multiplicatio; omnis autem substantia immaterialis creata finita est: ergo non est cur ei repugnet habere aliam omnino similem essentiam, distinctam tamen realiter in entitate. Responderi potest, quamvis substantia spiritualis sit finita simpliciter in genere entis, esse tamen infinitam in specie sua, habereque totam perfectionem possibilem in sua specie, quia cum sit abstracta, & separata à materia, non habet vnde limitetur, & ideo intra illam speciem multiplicari non potest; sed huiusmodi infinitas & sine sufficienti fundamento asseritur, & vix potest declarari in quo consistat, nisi petendo principium.

12 Interrogo ergo, an huiusmodi infinitas intensiua sit, an extensiua. Primum dici non potest, tum quia tota perfectio intensiua talis Angeli continetur intra certum gradum, & limitem talis speciei, in qua nulla est formalis infinitas intensiua, nisi forte dicatur infinita secundum quid, quia potest sub se continere species inferioris ordinis syncategorematicè infinitas; quod tamen non indicat infinitatem, sed perfectionem quandam superioris rationis; vnde hoc commune esse potest speciebus rerum materialium, vt patet in specie humana, sub qua species brutorum in infinitum multiplicari possunt. Hoc ergo perfectionis, seu infinitatis genus nil refert ad quæstionem, de qua agimus; nec potest esse ratio ob quam species aliqua per sese indiuidua sit, & non possit in indiuiduis multipli cari, imo etiamsi admitteremus illam infinitatem intensiuam veram, & formalem in aliquo limitato gradu intrinsece, non sequitur talem perfectionem non posse in multis similibus indiuiduis reperiri, quia hoc non habet necessariam connexionem cum illo; vt quamvis daretur gratia infinite intensa in anima Christi Domini v. g. non propterea sequitur non posse dari alias qualitates gratiæ numero distinctæ, siue finitas, siue infinitas. Quod argumentum etiam declarat infinitatem illam intensiuam propriam, & formalem, non magis posse dari in substantiis, quam in accidentibus.

13 Si vero sit sermo de infinitate extensiua; Primo petitur principium, quia hæc extensio non est aliud quam multiplicatio indiuiduorum in ea specie. Deinde id quod dicitur, repugnantiam inuoluit, nam illud indiuiduum formaliter, & in se vnum tantum est: quomodo ergo potest infinitatem extensiuam in se continere, quæ in sola multiplicatione indiuiduorum consistit? Dices continere virtualiter, non formaliter. Sed explicari non potest, in quo consistat hæc virtualis infinitas, seu continentia, aut in quo fundetur; cum non consistat in infinitate intensiua talis naturæ, neque in ea fundari possit, vt probatum est; nulla ergo assignatur ratio, ob quam perfectioni talis naturæ repugnet communicari multis indiuiduis in essentiali perfectione similibus. Huiusmodi ergo substantiæ, quamvis abstractæ à materia simpliciter finitæ sunt. Neque enim oportet, vt limitationem habeant à materia proprie dicta (quidquid quoad hoc sit de materialibus formis) sed ex propria differentia, vel ex se, & ex propria entitate, aut quia habent tale esse receptum; aut denique, quia natura sua in tali supposito existunt: igitur ex infinitate nulla ratio sumi potest, ob quam huiusmodi naturæ immateriales essentialiter sint indiuiduæ, & incommunicabiles.

Dici aliter potest ex sola immaterialitate sumi 14
sufficientem rationem; quia res, quæ carent materia, non possunt materialiter multiplicari, vt per se constat: ergo solum formaliter, & essentialiter, seu specifice: ergo non indiuidualiter, seu secundum numericam multiplicationem, quia æc est materialis multiplicatio.

Sed hæc etiam ratio, si verba, *materialiter*, & 15
*formaliter* proprie sumuntur in primo antecedente, insufficiens est, & principium petit; nam conclusionem ipsam in ratione sumit, nimirum vel distinctionem numericam sumi ex materia, vel idem esse differre numero, quod differre materialiter. Esto enim in rebus materialibus hæc habeant aliquam veritatem, tamen inde non potest sufficiens argumentum sumi ad immaterialia. Distinctio ergo indiuidualis latius patet, quam materialis differentia dicto modo sumpta; differre enim numero solum est distingui in propriis entitatibus cum conuenientia, & similitudine in integra ratione essentiali; quod commune esse potest tam rebus spiritualibus, quam corporalibus. Vnde si materialè, & formale latius sumantur, provt formale dicit rationem essentialem præcisam; materiale vero quidquid illam contrahit, & determinat ad talem entitatem; sic duo Angeli eiusdem speciei, quamvis distinguantur vt duæ formæ integræ, possunt dici non distingui formaliter, seu materialiter, seu entitatiue; sicut distinguuntur inter se duæ animæ rationales.

Et hoc exemplo potest confirmari hæc senten- 16
tia, nam anima rationalis physice considerata non est minus immaterialis, ac Angelus, & nihilominus multiplicatur, vt supra diximus: ergo similiter Angeli, & simile argumentum sumi potest ab accidentibus spiritualibus, in quibus indiuiduum addit aliquid supra speciem, non solum in ordine ad diuersa subiecta, sed etiam respectu eiusdem: ideo enim possunt hæc accidentia respectu eiusdem subiecti numero distingui, & multiplicari saltem successiue; vt patet de diuersis actibus eiusdem rationis in eodem intellectu Angelico, & voluntate: si ergo in illis actibus reperitur eadem ratio specifica spiritualis contrahibilis ad diuersa indiuidua, non ex diuersis subiectis, sed ex diuersis differentiis indiuidualibus in ordine ad idem subiectum, cur non poterit eadem ratio specifica substantialis, & spiritualis similiter contrahi per differentias indiuiduales sibi proportionatas? Certe nulla potest reddi sufficiens ratio, atque similia argumenta sumi possunt ex aliis entitatibus simplicibus, quæ ex se ipsis possunt numero distingui vt sunt duæ gratiæ sanctificantes, quæ solo numero differunt in diuersis subiectis, duæ visiones beatificæ, duo lumina gloriæ, duo habitus charitatis, &c. quæ omnia licet spiritualia entia sint, multiplicantur intra eandem speciem infimam: ergo à paritate rationis quod Angeli sint entitates simplices spirituales abstractæ ab omni materia, non impedit quominus multiplicentur intra eandem speciem solum indiuidualiter.

SVBIEC

## SVBSECTIO PRIMA.

*Secundum principale argumentum ponitur.*

17 QVia magis abstracta est ab omni materia natura diuina, quam Angelica, sed naturæ diuinæ non repugnat pluralitas multorum suppositorum solo numero distinctorum: ergo à fortiori nec specificæ naturæ Angelicæ repugnabit; cum hoc tamen discrimine, vt in vnoquoque indiuiduorum Angelicæ naturæ propter limitationem, & finitudinem, vt supra diximus ad vniuscuiusque distinctionem numericam consequatur distincta numero natura, cum tamen eadem numero natura indiuidua, & singularis sit in tribus suppositis diuinis.

18 Dices, ex his vltimis à nobis propositis conuinci argumentum non esse efficax; quoniam abstractæ naturæ multiplicatio repugnat; non vero communicatio si fœcunda sit, esse autem fœcundam si est infinita, vt diuina; quo fit vt eadem natura diuina pluribus suppositis communicari valeat absque multiplicatione tamen, quoniam abstracta est, propter quod multiplicari etiam non possit Angelica vti nec communicari pluribus eadem; non quia est abstracta, sed quia non fœcunda eo quod finita, & limitata sit.

19 Sed contra primo, quia licet propter infinitatem simpliciter in omni genere, & propter perfectionem simpliciter simplicem, quam habet diuina essentia in se non possit numero multiplicari, nihilominus tres relationes diuinæ, eo quod non sint infinitæ simpliciter in omni genere, & quia vnaquæque non est perfectio simpliciter simplex, etiam si vnaquæque sit maxime abstracta ab omni materia. & sit substantia simplex subsistens, multiplicantur solo numero: ergo à fortiori naturæ Angelicæ, licet sint substantiæ abstractæ à materia, cum non sint infinitæ per essentiam, sed potius essentialiter finitæ, neque sint perfectiones simpliciter simplices, sed potius perfectiones admixtæ imperfectionibus, poterunt multiplicari indiuiduliter quoad subsistentias, & quia habent finitudinem & limitationem in natura poterunt multiplicari indiuiduliter in illa; Itaque multiplicatio in natura finitudinem petit essentialem; & ideo animæ rationales, vt supra diximus, homines & reliqua entia creata quoad naturam indiuiduliter multiplicantur, quia habent finitudinem, quam etiam habent Angeli: ergo similiter debent multiplicari quoad naturam.

20 Secundo contra solutionem immediatiùs insurgo: ergo communicatio, vt sic, & vt abstrahit à communicatione cum multiplicatione, & sine illa non repugnat naturæ abstractæ: ergo nec Angelicæ vt abstracta est, quantumuis sit species infima: ergo nec vt est talis, id est Angelica ea communicationis species, quæ cum multiplicatione est: patet consequentia, quia ratio propter quam communicatio cum multiplicatione repugnat diuinæ naturæ, est quia de formali, & vltimo proprio illius conceptu ipsi essentiale est, tum infinitudo per essentiam vt diximus, tum ipsum existentiæ in actu secundo exercitium: sed nihil horum est de essentia Angelicæ naturæ: ergo illi multiplicatio per indiuidua non repugnat.

21 Vrgetur hoc, & declaratur ex P. Valentia; quia ideo in sententia aduersariorum Angeli non possunt multiplicari numero; quia carent materia; quod est falsum; Nam si materia omnino necessaria est, vt aliquæ res multiplicentur indiuiduaIiter in eadem specie, vel ideo hoc contingit, quia non potest omnino esse differentia indiuidualis, nisi per materiam; vel certe ideo, quia non potest nisi per materiam esse differentia indiuidualis aliquarum eiusmodi rerum, quæ simul etiam in eadem specie conueniant; sed non primum, siquidem constat iam reipsa differre Angelos indiuiduaIiter, quantumvis sint expertes materiæ, nam ea quæ differunt essentialiter à parte rei, differunt etiam indiuiduaIiter, vnde Michaël Angelus, qui differt specie, & essentialiter à Gabriele, differt etiam indiuiduaIiter ab illo.

Nec etiam dici potest secundum; nam si potest 22
intelligi quod res aliqua expers materiæ possit nihilominus infra. & extra latitudinem suæ perfectionis specificæ habere aliquam rationem, seu gradum, qui ad ipsius perfectionem, & quasi complementum pertineat, recte etiam intelligi poterit quod sine materia possit ea res multiplicari indiuiduaIiter, salua sui vnitate specifica: sed in proposito recte intelligi potest. & omnino etiam fatendum est naturam specificam Angelicã, tametsi careat materia, habere aliquam rationem, seu gradum extra & infra latitudinem suæ perfectionis specificæ: ergo recte quoque intelligi poterit & omnino fatendum erit posse illam sine materia indiuiduaIiter multiplicari salua sui vnitate specifica.

Maior illa probatur; nam D. Thomas, & alij, 23
qui asserunt, rem specificam multiplicari non posse indiuiduaIiter sine materia, idcirco hoc docent, quoniam existimant ad ipsam perfectionem specificam rei expertis materiæ debere intrinsecè pertinere quidquid perfectionis esse potest in eiusmodi re, vt confirmat D. Thomas exemplo albedinis, seu formæ separatæ, inde enim sequitur differentiam eiusmodi rei non posse esse, nisi specificam, quandoquidem esse debet per aliquid intrinsecum speciei, atque ita contendunt non differre in eiusmodi rebus distinctionem indiuidualem, & specificam, sed specificam esse, etiam per se indiuiduaIem; si igitur vt nos assumpsimus in nostra maiori fieri potest, vt in re, quæ sit expers materiæ sit nihilominus aliqua perfectio infra, & extra perfectionem specificam, nihil obstabit quominus possit ea res sine materia multiplicari indiuiduaIiter, salua vnitate specifica: ergo vera est illa maior.

Minor autem probatur; nam certissimum est 24
personalitatem, seu gradum personalem in quouis Angelo esse aliquam rationem seu perfectionem in natura Angelica, quæ sit infra & extra perfectionem Angelicam specificam, tametsi Angelus sit expers materiæ: ergo pari modo potest etiam infra perfectionem specificã Angelicam esse gradus aliquis, seu ratio, quæ constituat ipsam naturam hanc, & singularem, tametsi Angelus materiæ sit expers. Antecedens probatur, nam ex omnium Theologorum sententia certissimũ est, Verbum diuinum potuisse vnire sibi hypostatice naturam aliquam Angelicam, sicut sibi vniuit naturam humanam, id quod etiam colligere licet ex Apostolo *ad Hæbreos secundo*, qui ad amplificandum beneficium collatum in homines ea vnione dicit Filium Dei, non Angelos apprehendisse, sed semen Abrahæ; quasi dicat: cum ille potuerit Angelicam naturam apprehendere, tamen non illam sed nostram apprehendisse.

25 At æque certum etiam apud Theologos Thomistas cum quibus pugnamus, est, Verbum diuinum non potuisse, vel naturam humanam, vel naturam Angelicam ad vnitatem suæ personæ assumere vna cum humana etiam vel angelica personalitate creata; cum implicet contradictionem ex persona Verbi & ex persona humana, aut angelica constitui vnam personam; neque etiam persona sit vllo modo assumptibilis hypostatice: ergo certissimum est personalitatem Angelicam esse aliquid infra, & extra specificam perfectionem Angelicam; ex quibus videtur satis probata nostra sententia. Adde quod opinio illa aduersaria iam olim in tribus articulis facultatis Theologieæ Parisiensis fuit iudicata erronea, vt docet Valentia; & obiicit Ricardus *in 2. distinct. art. 3. quæst. 1.* & Henricus Gandauens. *quodlibet. 11. quæst. 1.* & Durandus *in 2. dist. 3. quæst. 3.* quæ ratio non est exigui momenti pro nostra sententia; quandoquidem in capite ad abolendam extrau. de hæreticis dicitur suspectam haberi posse de hæresi eam propositionem, quæ in aliqua Academia catholica condemnatur; præcipue quando opponitur talis sententia multorum Patrum Ecclesiæ consensui, vt videtur aduersaria sententia; nam multi Patres asserunt non solum de possibili, sed etiam de facto, Angelos solum numero differre, vt videre est in Basilio *lib. 3. contra Eunomium*, vbi sic ait [Angeli omnes sicut appellationis vnius, ita eiusdem naturæ sunt inter se, & licet sint dispares in dignitate, & principatu, non ideo naturam alteram habere] & Athanas. *oratione in illud, Omnia mihi tradita sunt, circa finem*, ait [Angeli quoque inter se generis ratione, & cætera omnia cognata sunt, & eiusdem naturæ.] *Et in quæstionibus, ad Antiochum, quæst. 7. vel 3.* dicit [Dæmonem ab Angelo essentia non differre, sed voluntate, sicut boni, & mali hominis animus inter se differt] & rursum *quæst. 8. alias 4.* [vna inquit, & eadem est essentia Angelorum; sicut etiam vna tantum est essentia hominum] & mox subiungit [ordines vero, sicut multum valens in Theologia Dionysius inquit, sunt nouem Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes sex alis alata Seraphin, multis oculis ornata Cherubin, & Throni] Clare etiã Gregorius Nizenus, *homilia de opificio hominis, cap. 17.* dicit [Angelos ad infinita prope millia sic diffusos vt vna natura, & multi esse numero possint] & *in libro de oratione dominica*, idem docet aperte circa illa verba, fiat voluntas tua; concordat Damascenus *lib. de decretis & placitis, c. 1.* his euidentibus verbis, [vniuscuiusque speciei vna est natura, & omnium Angelorum vna est natura, & omnium hominum intelligendum est ea, quæ sola indiuidua continent species infimas vocari; cuiusmodi est Angelus, homo, &c.] & *eodem capite*, sic ait, [incorpoream essentiam appello animum, Angelum, Dæmonem, vnumquodque enim istorum species est infima] Denique Anselm. *lib. 2. cur Deus homo. c. 21.* dicit, Angelos esse eiusdem naturæ, speciei, & essentiæ, licet non sint eiusdẽ generationis, sicut homines, nec enim sunt omnes Angeli de vno Angelo sicut omnes homines de homine. Ecce quomodo sententia aduersariorum aperte opponitur dictis tot sanctorum Patrum, eam oppugnat Augustinus *in Enchirid. cap. 21.* vbi docet propterea non fuisse redemptam naturam Angelicam, sicut fuit humana; quia tota natura humana in peccatum incidit, non autem tota natura Angelica; si autem in vna natura Angelica specifica esset tantummodo vnum indiuiduum, aliqua tota natura Angelica cecidisset: ergo euidenter sequitur, ex dictis D. Augustini, dari plures Angelos eiusdem speciei, præterea quia sententia contraria non tam consentanea est modo loquendi Scripturæ, sicut nostra; Scriptura enim sæpe ita plane loqui videtur de Angelis, præsertim vnius ordinis, sicut de hominibus, & aliis rebus eiusdem speciei: ergo decretum Parisiensis Academiæ adiuncto capite ad abolendam vim habere videtur contra aduersarios.

Vltimo, quia principium indiuiduationis sub 26
eadem specie non debet esse distinctum secundum rem ab ipsa natura, & specie tam in rebus simplicibus, quam in compositis: ergo aut in omnibus speciebus potest esse multiplicatio indiuiduorum secundum numerum, aut in nullis: nam si aliqua ratione in simplicibus non esset, hoc ita eueniret, quia principium debet esse aliquid distinctum sicut in corporibus ponitur ab Aduersariis, materia signata quantitate, aut præcedente, aut subsequente generationem; quod in simplicibus non reperitur; sed principium adæquatum, & totale generationis, de quo hic loquimur, non est huiusmodi, sed est omnino idem secundum rem cum principio specifico, & sola ratione diuersum, vt late demonstrauimus *supra*, agentes de indiuiduatione, ac proinde æque in omnibus speciebus potest inueniri: ergo non est cur negemus in simplicibus, & à materia separatis distinctionem secundum numerum sub eadem specie.

Vrgetur amplius, quia Angelus per idem prin- 27
cipium constituitur in specie infima, & in ratione superioris generis. Nec tamen hæc vnitas facit, vt Angelus qui constituitur diuersus in specie infima, constituatur etiam diuersus in superiori genere substantiæ spiritualis: ergo similiter vnitas, & identitas principij, quo Angelus constituitur in indiuiduo, & specie infima, non est sufficiens ratio vt constituatur diuersus in essentia, eo ipso quod constituatur diuersus in indiuiduo. Antecedens conceditur à Doctoribus contra quos agimus, traditurque à D. Thoma; probatur tamen, quia differentia per quam substantia contrahitur ad genus inferius substantiæ spiritualis est spiritualitas, à qua gradus substantiæ in Angelo non potest differre à parte rei in sententia D. Thomæ, quidquid dicat Scotus, quia spiritualitas perfectio quædam positiua est, quæ à nobis explicatur per carentiam corporis, vel independentiam à corpore actus negationis spiritualitas est radix; proinde hæc perfectio in his omnibus est, in quibus est negatio corporis, & dependentia à corpore; hoc enim est incorporeum, sed in Angelo gradus supremus substantiæ à nullo corpore dependet: ergo in se ipso includit ex natura rei loquendo perfectionem spiritualitatis; non igitur distinguitur à parte rei ab hac differentia, idemque iudicium erit de reliquis.

## SVBSECTIO II.

*Secunda conclusio ponitur.*

28 DE lege ordinaria etiam possunt multiplicari Angeli intra eandem speciem; ita P. Franc. Suarez *tomo de Angelis, lib. 1. c. 15.* vbi Sic ait: [ego vero nũquam satis intelligere potui quomodo in hoc effectu absolura potẽtia ab ordinaria distinguj

distingui possit, nisi confundantur res. Vnde vt controuersia de verbis auferatur, inquiro; an lex ordinaria in præsenti dicatur ipsa voluntas Dei, qua de facto decreuit, has tantum res efficere, tanquam sufficientes ad eam vniuersi perfectionem, quam intendebat, vel lex ordinaria dicatur illa, quam res ipsæ secundum modum naturæ suæ debitum postulabant; prior sensus quæstioni præsenti non inseruit, tum quia confundit quæstionem de facto cum quæstione de possibili; quid enim aliud est inquirere, an sint plures Angeli eiusdem speciei vltimæ; quam quærere, an Deus illos creauerit? & quia Deus nihil creat, nisi quod vult, idem est, ac quærere, an voluerit illos creare? si ergo lex ordinaria est idem, quod voluntas Dei actualis, seu liberum decretum eius, idem est dicere hoc esse possibile de lege ordinaria, quod dicere hoc voluisse Deum facere; vnde fit, vt impossibilitas secundum legem ordinariam in illo sensu tantum sit composita, id est suppositæ voluntate Dei, qua statuit non creare plures Angelos eiusdem speciei, illos esse non posse; quod friuolum valde est: nam eodem modo dicere quis posset, non posse esse plures species Angelorum in quolibet ordine eorum secundum legem ordinariam, quam modo sint; nec esse possibilem perfectiorem Angelum in natura, quam sit Lucifer, si fuit supremus omnium; quia supposito quod Deus decreuit non creare perfectiorem, nec plures species in tali ordine, aliud non est possibile.

29 Oportet ergo, si recte hoc negotium ponderetur per legem ordinariam intelligere legem fundatam in ipsis rerum naturis, eisque consentaneam, & ita debitam, vt contraria lex præter, vel supra naturas talium rerum sit, & similiter cum dicitur productio plurium Angelorum eiusdem speciei esse, vel non esse possibilis secundum communem cursum causarum vniuersi, non debet in illis causis includi decretum liberum Dei absolute spectatum, quia notum est sine illo nihil posse fieri, maxime in his rebus, quæ tantum ab ipso Deo fieri possunt, vt sunt substantiæ separatæ, atque ita si in hoc etiam fiat sensus compositus, non tantum de lege ordinaria, sed etiam de potentia absoluta, non possunt Angeli multiplicari in eadem specie secundum communem causarum cursum, nisi in hoc causarum cursu diuinum decretum liberum includatur.

30 Igitur accipiendus est ordo causarum includendo in ipsis Deum vt proximam, & vnicam Angelorum causam, & in Deo ipso non est supponenda determinatio libera voluntatis ad creandum vnum, vel plura individua in singulis Angelorum speciebus, sed considerandæ est voluntas diuina quasi in actu primo ad volendum creare vniuersum, & sic est inquirendum, an secundum communem cursum, id est secundum modum connaturalem creandi huiusmodi res potuerit Deus velle creare plures Angelos in eadem specie, ita vt id volendo, nihil supernaturale, vel modo supernaturali ageret; sed tantum vt causa ordinis naturalis operaretur; sicut modo creando, & multiplicando animas operatur.

31 Sic ergo bene explicato sensu controuersiæ probo non minus posse Deum creare plures Angelos eiusdem speciei infimæ, de potentia ordinaria, seu operando modo connaturali, & ipsis naturis Angelicis consentaneo; quam de potentia absoluta.

Primo, quia vel in Angelis secundum quod possibiles sunt in singulis eorum speciebus est possibile intrinsecum principium distinctionis plurium individuorum sub eadem specie ex parte ipsorum Angelorum possibilium, vel non inuenitur; si primum dicatur, vt dicendum est propter rationes in prima conclusione positas, possibilis erit illa individuorum multiplicatio, non tantum de potentia absoluta, sed etiam de ordinaria; si vero dicatur secundum; non solum de potentia ordinaria; sed etiam de absoluta, impossibilis erit talis multiplicatio: ergo non habet locum in præsenti effectu talis distinctio; consequentia tenet ex vi sufficientis partitionis, quæ in maiori fit, vt ex terminis contradictoriis manifestum est; probatur ergo prior pars minoris; quia supposita capacitate, seu possibilitate ex parte obiecti, sicut potest Deus pro sua libertate velle creare vnum tantum Angelum in singulis speciebus; ita pro eadem libertate potuit velle creare plures, cum ex parte illorum possibilitas, & capitas obiectiua supponatur; & si hoc secundum voluisset, non magis ageret supra ordinariam legem; quam volendo primum, quia ante liberam determinationem voluntatis Dei nulla lex ordinaria supponitur ex parte ipsius Dei, nec ex parte ipsius speciei Angelicæ, magis vnitas individui, quam pluralitas postulatur; cum vtraque fit possibilis, seu non repugnans ex parte sua: ergo data illa hypotesi de capacitate ex parte obiecti possibilis est multiplicatio tam de ordinaria, quam de absoluta Dei potentia. 32

Et declaratur aperte, quia si ponamus Deum velle creare duos Angelos in vna specie, tam naturalis esset creatio vniuscuiusque illorum, ac si solus crearetur, & tam connaturali modo, seu secundum ordinem naturæ operaretur Deus creando duos, sicut creando vnum tantum: ergo tam est possibilis secundum communem cursum creatio plurium, quam vnius; antecedens patet, quia ex parte Dei non est difficilius creare plures, quam vnum, supposita non repugnantia ex parte obiecti, neque creando duos aliquid supernaturale efficit in aliquo illorum, vel in vtroque, vt distingui possint, quia solis suis entitatibus distinguerentur; quia talis distinctio supponitur possibilis in illis entitatibus simplicibus spectatis inesse possibili; vnde nec in modo productionis necessarium esset aliquid supernaturale, sed sola multiplicatio creationum, quæ nihil supernaturalitatis includit: ergo illa multiplicatio individuorum esset omni ex parte naturalis, ac subinde possibilis secundum communem cursum, vel legem. 33

Vnde concludendum est si est possibile, multiplicari numero Angelos in eadem specie de absoluta Dei potentia, etiam esse possibile de ordinaria; neque ad hanc multiplicationem esse necessariam actionem aliquam supernaturalem, nec præternaturalem; ac proinde fieri posse secundum communem cursum causarum naturalium ipsam etiam primam causam, vt naturali, & ordinario modo operantem in his causis includendo, probatur; quia si illa multiplicatio est possibilis de absoluta potentia, supponitur ex parte naturæ angelicæ consideratæ in esse possibili non repugnare, nec deesse principium intrinsecum distinctionis numericæ sub eadem specie: ergo eadem potestate ordinaria, qua Deus potest creare illam speciem, potest illam producere in vno, vel in multis individuis prout voluerit. 34

35 Altera pars minoris probatur, quia si in natura Angelica considerata in esse possibili non præintelligitur possibile intrinsecum principium distinctionis indiuiduorum intra eandem speciem, per nullam potentiam, etiam absolutam Dei, fieri poterit talis multiplicatio, quia ex parte ipsius obiecti supponitur repugnantia; quod patet, quia impossibile est intra speciem aliquam multiplicari indiuidua, nisi in se recipiant intrinsecum principium distinctionis, neque hoc principium addi potest ab extrinseco, si in ipsa intrinsece non inuenitur: ergo si supponamus in Angelis non esse possibile tale principium intrinsecum nullo modo poterunt creari distincti numero in eadem specie: consequentia clara est, & antecedens probatur; quia distinctio vnius rei ab alia ex parte ipsarum rerum spectata est veluti quidam formalis effectus, qui sine propria intrinseca forma, vel quasi forma fieri non potest, nec Deus potest illam supplere; quia non potest supplere causam formalem, aut materialem intrinsecam, nec potest facere quod ab intrinseco aliquid rei conueniat, quod illi non est natiuum.

36 Ratio autem magis à priori est; quia si aliquæ entitates non sunt ab intrinseco distinctæ, aliquid eis addere oportebit, in quo distinguantur; at vero vt aliquid huiusmodi eis addi possit, oportet, vt supponantur distinctæ; quomodo enim illud, quod superadditur, esset distinctum, si supponatur esse vnum, & idem illud cui additur? Ergo repugnaret prorsus distinctio numerica, si non præintelligeretur possibilis tanquam intrinseca ipsis entitatibus, & omnino eis connaturalis.

37 Et ideo non recte fit comparatio inter alios effectus quos Deus facere potest supernaturaliter in rebus, quia solum pendent ab ipso, vt ab efficiente, & fine, & hunc effectum distinctionis numericæ non potest in rebus supernaturaliter fieri, si in ipsis entitatibus intime, & connaturaliter non inuenitur, quibus rationibus Patris Suarez satis aperte probata manet hæc secunda conclusio, illisque aliquid addere superuacaneum opere prætium iudicaui.

---

## SECTIO VLTIMA.

### *Argumenta aduersaria soluuntur.*

38 AD primum argumentum nego absolute Maiorem, vt patet ex supradictis.

Ad secundum etiam absolute negatur maior, vt patet ex relationibus diuinis, gratia habituali, animabus rationalibus, &c.

## QVÆSTIO III.

### *De multis ad substantiam Angeli pertinentibus.*

1 PRima conclusio: Angeli sunt adæquate, & totaliter spirituales; Patet 1. ex scriptura, *Psalm.* 103. qui facis Angelos tuos spiritus, & *ad Hæbr.* 1. Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, &c. *& Psalm.* 105. Benedicite spiritus, &c.

2 Secundo probatur ex Ecclesiæ definitione; nam. Concilium Lateranense sub Innocentio III. quod etiam refertur *in capite, Firmiter, de summa Trinitate*, dicit [simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam] vbi Angelos esse creaturas spirituales decernitur, ideſt incorporeas, condistinguit enim à corporalibus Concilium, vnde sicut corporales creaturæ condistinctæ ab hominibus mere corporales sunt, & non mixtæ ex spiritibus; ita è contrario Angelos, vt condistinctos tam ab hominibus, quam à tota mundana creatura esse puros spiritus, & non ex corpore, & spiritu mixtos debemus intelligere ex definitione Concilij.

3 Fere omnes Patres Ecclesiæ in hanc veritatem vnanimi consensu conspirarunt, vt Dyonisius *cap. 1. de cœlesti Hyerarh.* Athanas. Gregor. Nizenus, Chrysostomus, Leo Papa *epist. 93. ad Turibium, cap. 6.* Et reliqui, quos ad longum citat P. Suarez.

4 Ratio sumitur ex D. Thoma, 1. *p. quæst. 51. art. 1. & quæst. 7. art. 3.* fundaturque præcipue in causalitate finali, quæ inter materiam & formam, seu corpus & animam intercedere debet vt ad vnam naturam constituendam conuenienter vniantur; si enim Angeli essent corporei, tanquam ex corpore & spiritu compositi, necessarium esset corpus comparari ad spiritum, vt materiam ad formam, quia non possent per se vniri, nisi per modum potentiæ, & actus: clarum autem est inter corpus, & spiritum illud esse potentiam, hunc vero actum: ergo componetur Angelus ex corpore, & spiritu, tanquam ex materia & forma: sed non potest hoc modo spiritus Angelicus vniri corpori: ergo non possunt Angeli hoc modo esse corporei. Probatur minor, quia spiritus non vnitur corpori vt forma materiæ principaliter propter bonum corporis, sed vt illo tanquam organo, & instrumento vtatur ad suam propriam operationem, quæ est intelligere, quia non est forma propter materiam, sed potius materia propter formam, quia semper ignobile est propter nobilius non contrario; sed corpus non potest deseruire spiritui Angelico ad suam operationem: ergo talis spiritus non est forma corporis, nec ad illud actuandum natura sua ordinatur, nam sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negationis, quando ratio, seu causa est adæquata; ita enim est in præsenti, vt videre licet in anima hominis, vnitur enim corpori vt forma, quia illo indiget vt organo ad suum proprium intelligendi munus, & ad scientiam comparandam, quo fine sublato, impertinens esset talis vnio, ac subinde non esset intrinseca, & connaturalis: subsumptum minoris probatur, quia corpus non seruit spiritui ad cognitionem intellectualem, & scientiam acquirendam, nisi media cognitione sensus; at vero corpus si esset in Angelo non haberet organa sensus, & consequenter nec facultatem sentiendi: ergo esset inutile ad operationes intellectus, ac subinde incapax naturalis, & substantialis vnionis ad spiritum Angelicum. Minor probatur, quia tale corpus esset simplex, & non mixtum, quia futurum esset immortale, & incorruptibile, ac proinde inalterabile & incapax tactus, & aliorum sensuum.

5 Secundo probatur omnibus argumentis quibus supra probauimus esse possibiles creaturas pure intellectuales completas, quas Angelos nominamus.

Secunda

6 Secunda conclusio: Angeli sunt in loco per præsentiam: hæc est communior sententia; licet oppositum defendant Thomistæ. Probatur, quia omni existentiæ rei correspondet præsentia, seu vbi; atqui Angelus actu existit: ergo substantiæ Angeli correspondet suum vbi, & præsentia; sed præsentia est modus existendi in loco: ergo Angelus per vbi, & præsentiam est in loco.

7 Confirmatur, quia Angelus mouetur localiter: sed motus localis est productio vbi, seu præsentiæ in mobili: ergo in Angelo datur præsentia, seu vbi productum per motum localem; sed vbi & præsentia est id, per quod res formaliter existit in loco: ergo Angelus existit in loco per vbi, seu præsentiam.

8 Vrgetur, quia omnia entia tam creata, quam increata, tam spiritualia, quam materialia, vt sunt Deus, animæ rationales, mixta, elementa, & accidentia, sunt formaliter in loco per vbi & præsentiam, conueniuntque in essendo loco per vbi seu præsentiam: atqui hæc omnia entia conueniunt solum in ratione entis existentis: ergo quia sunt entia existentia, sunt in loco per vbi seu præsentiam; quia quotiescumque multa solo in vno prædicato conuenientia, conueniunt etiam in aliqua formalitate secundaria, talem formalitatem habent ratione illius prædicati; v.g. quia omnia entia conueniunt in veritate transcendentali, dicimus talem veritatem conuenire illis propter prædicatum entis, in quo assimilantur, ac proinde dicimus, non huic, vel illi, sed omnibus participantibus illam rationem entis conuenire talem formalitatem: ergo si enti creato, & increato conuenit esse in loco per vbi ratione entitatis actualis, euidenter sequetur omni habenti entitatem actualem conuenire esse in loco formaliter per vbi, seu præsentiam: atqui Angelus habet actualem entitatem: ergo ratione talis actualis entitatis erit formaliter in loco per vbi seu præsentiam.

9 Deinde; quia esse in loco non conuenit Angelo, quia operatiuus est; alias esse in loco solum operatiuis conueniret; neque Angelus conueniret in essendo in loco cum materia prima & aliis, id genus, quæ non sunt entia operatiua; quod est falsum, siquidem materia, & reliqua entia sunt vere, & formaliter in loco: ergo Angelus formaliter non est in loco per operationem, alias esset in loco formaliter vt operatiuus: ergo debet esse per vbi, quod est commune omnibus existentibus in loco, siue operatiua sint, siue non.

10 Vltimo probatur, quia Angelus est in cœlo Empyreo tanquam in proprio loco; atqui nihil operatur Angelus in cœlum Empyreum, vt ex terminis patet: ergo Angelus non est in loco per operationem, sed potius per vbi, & præsentiam, quam habere potest & de facto habet in cœlo Empyreo.

11 Confirmatur, quia ideo res materiales sunt in loco per vbi, seu præsentiam in vestra sententia, & non necessario per operationem, quia habent extensionem, seu quantitatem formalem, per quam extendantur in loco; sed non est necessaria quantitas formalis ad essendum in loco formali per vbi: ergo falsa est vestra sententia. Minor sic probatur, quia si Deus tolleret quantitatem à materia prima, & in vestra sententia reduceretur ad punctum; sine dubio vere esset formaliter præsens, quia non esset absens ab illo loco, vbi poneretur à Deo, & nihilominus non haberet quantitatem: ergo quantitas non est necessaria ad essendum in loco.

12 Deinde, si Deus separet albedinem à quantitate eo modo, quo in Eucharistia separauit quantitatem à substantia, sine dubio erit præsens, & vt talis videretur ab oculis: ergo sine quantitate potest esse res præsens. Sed demus, res corporeas indigere quantitate formali; nihilominus tamen res spirituales non indigent quantitate formali ad hoc vt sint vere præsentes; sed sufficit eis entitas actualis cum extensione virtuali, si locus, cui debent esse præsentes, sit extensus formaliter, vt videre est in Deo, qui ratione suæ extensionis virtualis, seu æquiualentis est in toto hoc mundo extenso præsens, & ratio est manifesta, quam sæpe alias protuli, videlicet id quod æquiualet alteri, potest facere, & exercere idem munus, quod exercet id, cui æquiualet: videantur dicta *tract. de Deo, in actibus liberis, agendo de contingentia æquiualenti libertatis diuinæ*; sed Angelus habet extensionem virtualem, & æquiualentem extensioni formali quantitatis: ergo sicut res corporeæ ratione quantitatis est in loco formaliter per vbi, seu præsentiam, ita similiter Angelus ratione quantitatis, aut extensionis æquiualentis poterit esse in loco formaliter per vbi, seu præsentiam. Tandem sic argumentor infringendo sententiam aduersariorum, dicentium Angelum esse in loco solum ratione operationis; ita vt substantia Angeli reuera non sit substantialiter præsens in corpore.

13 Quia nulla causa efficiens operatur immediate, & per seipsam, nisi in passum sibi propinquum vel effectum, cui per realem præsentiam adsit. Ex quo principio probat D. Thomas, Deum esse in omnibus rebus, non tantum per præsentiam, sed etiam per essentiam: ergo simili ratione, si Angelus ibi est vbi operatur, non tantum per potentiam, sed etiam per essentiam ibi esse debet realiter præsens: ergo dici non potest, esse in loco per solam actionem transeuntem, quam substantialis præsentia non comitetur, vel potius ordine naturæ præcedat tanquam conditio ad agendum in extrinsecum corpus necessaria, in quo est magna differentia notanda inter Deum, & Angelum; nam Deus, quia non necessario supponit subiectum ad actionem suam, ideo non requirit antecedentem propinquitatem inter ipsum, & effectū, sed potius hæc sequitur ex creatione Dei, & ex parte ipsius solum supponitur eius immensitas, ratione cuius à priori loquendo vbicunq; operatur, ibi est, at vero Angelus; idemq; est cum proportione de omni causa creata; necessario supponit subiectū, circa quod operatur, cui prius necesse est præsente adesse, vt actione sua illud attingere possit; quia vero nō desunt qui putant Angelū posse mouere corpus à se distans, etiā in illa sententia negari non potest, quin Angelus adsit sæpe realiter præsens, vbi operatur, iuxta id quod late probauimus *libr. de gener. disp. 6. q. vnica.*

14 Nec etiam potest negari, quin semper requirat propinquitatem aliquam intra definitam sphæram, quia est virtutis finitæ; ex quo melius conuincimus, quod intendimus; quia si Angelus attingens aliquod corpus sua actione transeunte, non est in illo per intimam præsentiam, saltem debet esse illi propinquus intra certam distantiam: ergo necessario supponitur esse in alio loco, seu cum alia reali præsentia; quia distantia, vel propinquitas non est, nisi inter duo extrema determinata, & in certis, ac definitis locis existentia.

15 Ergo tunc Angelus licet in corpus distans operetur, non erit in illo corpore vt in loco, sicut sol licet ponatur immediate agere in terram, nihilominus non est in illa vt in loco, sed erit ibi tantum per potentiam, localiter autem in cœlo. Sic

ergo Angelus data illa hypotesi erit localiter in illo corpore, in quo distans agere, vel adesse supponitur, & tunc inquiram, an in illo aliquid transiens efficiat: nam si efficit aliquid, iam non est ibi per solam actionem, sed cum actuali præsentia; si vero nihil efficit, inuenitur Angelus in loco sine actione in illo, quod est contra opinionem, quã tractamus.

16 Itaque præsentia Angeli est quid distinctum ab actione, & operatione illius; vnde formaliter non est præsens per actionem, sed per vbi prius natura existens, quam actio, seu operatio, quia prius natura Angelus corpori præsens est, quam in illo operetur; prius autem non pendet à posteriori: ergo nec illa realis præsentia pendet ab actuali operatione.

Dices, etiam Deus non pendet à mundo, verbi gratia, & nihilominus, non potest esse in mundo, vel in alio loco, nisi in illo operetur.

17 Sed contra primo, quia vt suprà *tr. de Deo*, probauimus; Deus est in infinito spatio imaginario, tanquã in loco, & nihil operatur ibi, & ab æterno fuit præsens vere huic spatio, vbi in principio condidit orbem, & nihilominus ab æterno nihil condidit in illo spatio: ergo falsa est solutio aduersariorum; si autẽ aduersarij loquantur de entitate actuali positiua, cui Deus est præsens, respondeo esse rationem longe dissimilem: tum quia licet Deus non pendeat à re illa cui præsens, est, res illa pendet à Deo, quia non dicitur esse in re propter relationem ad illam, sed propter relationem rei ad ipsum Deum; nam res esse non potest, nisi per operationem, & conseruationem Dei, ideo non potest Deus esse in illa, si in illa non operetur; at vero Angelus prius natura, quam agat in corpus est illi realiter præsens, & corpus non pendet ab ipso, imo multa corpora sunt, in quibus nihil operatur Angelus vt est cœlum Empyreum, de quo nuper dixi, imo Dæmones sunt in inferno; cum tamen nullam ibi transeuntem operationem habeant: ergo non est cur illa præsentia Angeli ad corpus ex actione in ipsum pendeat.

18 Accedit denique, quia licet Deus quoad denominationem existendi in aliquo corpore, vel loco, quasi pendeat quodammodo à sua actione; quia illa solum est vel denominatio extrinseca à suo effectu proueniens, vel relatio rationis ab eodem effectu, tanquam à termino pendens, nihilominus quantum ad aliquod intrinsecum in ipso Deo existens, nullo modo à sua operatione pendet; quia licet nihil operetur eodem modo in se manebit cum eadem immensitate, & præsentia; quia est veluti simplicissimum, & infinitum vbi intrinsecum ejus; at vero si præsentia Angeli à sua operatione penderet, non solum quoad extrinsecam denominationem, sed etiam quoad suum intrinsecum, vbi illam dependentiam haberet; quod & longe diuersum est, & sane improbabile.

19 Vtrumque declaratur; nam si Angelus nunc sit in hoc cubiculo præsens, & actu operans, potest pro sua libertate actionem suspendere: ergo si necessario simul amittit præsentiam, non solum extrinsecam denominationem, sed etiam intrinsecum vbi mutat; quod autem hæc necessitas sine fundamento asseratur, certe conuincitur ex illo principio nuper dicto, quod prius non pendet à posteriori; nam actio non est conditio necessaria ad præsentiam, sed potius è conuerso, nec in illo genere est prior, neque est aliquid necessario manans ex præsentia; nam ista posita, libere fit: ergo sine probabilitate dicitur necessario fieri mutationem in intrinseco vbi Angelico, eo ipso quod ab actione extrinseca desistit.

Respondet Ferrara ad illud de cœlo Empyreo 20
Angelos beatos habere in illo aliquam actionem transeuntem nobis occultam; at vero qua facilitate hoc dicitur, contemnitur; quia cum occultum sit, nullo fundamento affirmatur, sed solum ad vim rationis fugiendam, cum tamen nulla efficaci, vel probabili ratione ostendatur necessitas actionis in cœlum, vt Angelus in illo præsentialiter existat. Deinde, quia terminus talis actionis nullius vtilitatis est in cœlo Empyreo, vel ad particularem illius cœli perfectionem: quod per se perfectissimum creatum est, vel ad commune bonum vniuersi dicit Ferrara cum Caietano, vt instrumentum Dei operari Angelos aliquid in cœlo.

Sed contra manifeste, quia quod Dæmones in 21
inferno, & Angeli in cœlo semper habeant actionem aliquam transeuntem, vt instrumenta Dei, & quod aliter ibi esse non possint substantialiter præsentes, incredibile est, & frustra, ac sine fundamento cogitatur, primo quia esse Angeli in loco est quoddam accidens ordinis naturalis Angelici, non enim minus naturaliter Angelus existit in loco, quam homo, & reliqua: non ergo pendet ex miraculosa operatione. Secundo, quia talis actio supernaturalis esset: ergo sine reuelatione, vel aliqua auctoritate diuina affirmari non potest. Tandem in sententia aduersariorum Deus vti potest instrumento suo tam agendo in distans, quam in propinquum: ergo illa actio non potest esse ratio essendi in loco, quia ratio essendi in loco formaliter est appropinquata loco, & in distans ab illo.

Alij respondent Angelum in cœlo Empyreo non 22
esse vt in loco, quia nihil operatur ibi, habere tamen in cœlo Empyreo suum vbi intrinsecum.

Sed contra manifeste, quia vbi intrinsecum est 23
modus Angeli transcendentaliter relatus ad locum extrinsecum, quia sicut actio est determinatio agentis essentialiter ad terminum producendum, & vnio est determinatio rei vnibilis ad alteram, cui vnitur; ita vbi, seu præsentia essentialiter est determinatio rei vbicatæ ad locum; & ideo tale vbi essentialiter est præsentia; sed præsentia essentialiter respicit locum extrinsecum, & per suam ipsam entitatem constituit rem, in qua est, præsentem loco, sicut motus localis constituit rem, in qua est mobilem ab vno loco in alium actu transeuntem ab vno loco in alium & relinquentem vnum, & acquirentem alium: ergo si Angelus in cœlo Empyreo licet nihil operetur, habet verum intrinsecum vbi, seu intrinsecam præsentiam formalem per tale vbi, seu præsentiam erit formaliter præsens tali cœlo vt loco & erit actu formaliter determinatus ad illum tanquam ad locum per vbi: ergo velis nolis debes concedere, sicut homo est in loco per vbi etiam si non operetur, ita etiam Angelum esse in loco licet nihil efficiat, & ratio manifesta est, quia gradus operatiuus in Angelo est posterior gradu, per quem conuenit Angelo esse in loco; nam hic gradus vniuersalior est, quam gradus operatiui, quia per gradum, per quem potest esse in loco conuenit cum materia prima, & aliis entibus non operatiuis, quia tam materia prima, quam Angelus conueniunt in esse præsentis, & existentis in loco vt sic: ergo Angelus non est in loco per operationem, sed per formalitatem quandam communem Angelo, & rebus non operatiuis, quod argumentum efficacissimum est, sicut esset efficax contra aliquem asserentem, Angelum durare per intellectionem, & existere solum per volitionem; nam in existendo, & durando conuenit cum rebus

non

non intelligentibus, & volentibus, & non conuenit per intelligere, & velle: ergo Angelus per aliquid vniuersalius debet durare, & existere, quam est intelligere, & velle. Sicut ergo manifeste conuinceretur, qui diceret, hominem non sentire, nisi per intellectionem, & volitionem solum hoc verbo Angelus conuenit in sentiendo cum brutis, & non conuenit cum illis in intelligendo, &c. ergo homo non sentit per intellectionem; sic similiter Angelus conuenit in ratione existendi in loco cum materia prima, & aliis rebus non operatiuis, quia omnia hæc participant rationem existendi in loco vt sic formaliter, & non conuenit cum illis in operando: ergo Angelus formaliter non est in loco per solam operationem; sed potius per aliquam formalitatem communem ipsi, & omnibus rebus existentibus formaliter in loco, contractum tamen per propriam differentiam ad Angelum, ratione cuius peculiari modo est Angelus in loco eo modo, quo contingit in omnibus formalitatibus communibus.

24 Sed hoc non est aliud, nisi vbi seu præsentia: ergo Angelus est præsens formaliter, & existit in loco per vbi, seu præsentiam, quod euidenter conuincit definitio vbi seu præsentiæ vt sic, quæ nihil aliud est, quam ratio formalis vt sic constituendi rem in loco; vnde cum habeat formalitatem vbi, seu præsentiæ, licet non habeat operationem formaliter res erit in loco; nam in tota definitione operationis nulla est particula, per quam constituatur operatio in ratione formali ponendi rem in loco: ergo fictitia est talis opinio, & hac euidenti demonstratione nuper posita sine dubio falsitatis aperte conuincitur.

## QVÆSTIO IV.

### *De intellectu, & voluntate Angelica.*

1 PRIMA conclusio: Angeli sunt intellectuales; hæc conclusio est certa de fide, vt patet ex illo loco, [ Angeli eorum semper vident faciem Patris, ] item illud *Psal.* 90. aperte hoc declarat, [ Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te: ] item *Regum.* 2. *c.* 14. expresse hoc dicitur, ibi, Sapiens es tu Rex, sicut Angelus Dei, vt intelligas omnia quæ sunt super terram. Ratio autem manifesta est, quia Angelus est substantia spiritualis: sed substantia intellectualis est intellectiua, & volitiua vt patet *ex dictis libris de anima:* ergo Angelus est intellectualis, volitiuus, & liber.

2 Secunda conclusio: intellectus Angelicus est perfectioris speciei humano intellectu, hæc veritas patet primo argumentis positis, *libro de anima*, agentes de intellectu humano id demonstrauimus.

3 Secundo, quia intellectus, & voluntas sunt proprietates essentiæ spiritualis, sed eo est perfectior proprietas quo essentia excellentior existit, vt inductione manifesta patet: ergo essentia Angeli, quæ perfectior est essentia hominis, perfectiorem intellectum habebit, quam illa.

4 Tertia conclusio: obiectum adæquatum intellectus Angelici in esse rei, seu quod ab ipso attingitur, est ens simpliciter, & in tota sua latitudine sumptum quatenus verum est: hæc assertio in omni intellectu creato etiam humano verum habet, vt expresse docet D. Thomas 1. *p. q.* 54 *art.* 2. dicens, *intelligere*, habere pro obiecto verum, quod conuertitur cum ente, & ideo quantum est de se complectitur omnia, sumit enim *intelligere*, pro adæquata operatione intellectus. Idem autem est obiectum adæquatum potentiæ, quod est obiectum operationis adæquatæ illius, quia potentia non nisi media operatione obiectum attingit. Probatur autem ratione, quia intellectus Angeli omnia entia cognoscere potest: ergo omnia continentur sub obiecto adæquato eius, quia quidquid cognoscitur à potentia ad eius obiectum pertinet, cum nihil aliud sit actu obiici, quam cognosci: primum antecedens breui inductione ostenditur; nam quilibet Angelus primo cognoscit seipsum; quia vnusquisque Angelus cum sit substantia spiritualis est de se actu intelligibilis, & est maxime coniunctus suo intellectui, & commensuratus illi: ergo maxime potest Angelus seipsum intelligere.

Secundo, vnus Angelus omnes alios à se distinctos directe, ac proprie cognoscere potest; quia 5
omnis Angelus est intelligibilis actu, cum immaterialis sit: ergo quilibet est intelligibilis à quolibet. Probatur consequentia, quia quilibet intellectus est capax omnium intelligibilium actu eiusdem ordinis, quales sunt omnes Angeli?

Tertio, etiam Deus ipse sub obiecto intellectus 6
Angelici continetur, quia certissimum est, Angelos cognoscere Deum, vel naturaliter abstractiua cognitione, vel supernaturaliter intuitiua, vt contingit in Angelis beatis, neutrum autem posset fieri, nisi Deus contineretur sub obiecto adæquato intellectus Angelici.

Quarto, Res etiam materiales, tam in genere, 7
quam in specie, & in indiuiduo sub obiecto adæquato intellectus Angelici continentur, quia sunt intelligibilia saltem in potentia, vt est per se notum, & non requiritur infinita virtus, vt cognoscantur, cum quælibet talium rerum finitæ perfectionis sit; vnde ex hac parte facilius cognosci possunt, quam res spirituales, quæ perfectiores sunt.

Quarta conclusio: Angelus indiget ad intelli- 8
gendum quidquid à se distinctum proxime, ac directe intelligit, speciebus impressis, ita D. Thomas, & cum eo pene omnes Theologi. Vt autem ratio proponatur, aduertendum est) de quo latius *libris de anima egimus,*) commune esse intellectui Angelico cum humano, vt ad intellectiones suas non tantum potentia intellectiua, sed etiam res intellecta aliquomodo cum illo concurrat; ita vt axioma illud Philosophorum [ ex obiecto, & potentia paritur notitia ] etiam in Angelis locum habeat, traliturque hoc axioma à D. Augustino, *lib.* 9. *de Trinit. cap.* 12. ibi [ liquido tenendum est, quod omnis res, quamcunque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui, ab vtroque enim notitia paritur cognoscente, & cognito; ] in Deo autem, quia non est intelligere factum, sed intelligere per essentiam, ipsum potius est causa rerum extra Deum intelligibilium quam effectus earum, nihilominus tamen si modo nostro concipiendi ipsum intelligere diuinum per modum actus secundi eliciti ab intellectu concipiatur, etiam intelligitur esse ab obiecto cognito, nimirum ab ipsa essentia diuina vt continente formaliter, vel eminenter, quidquid intelligibile est; quæ vt sic est adæquatum obiectum actu intelligibile à diuino intellectu: ergo eo modo, quo sine imperfectione, & secundum rationem concipimus intellectionem diuinam esse ab intellectu diuino cum proportione concipere debemus esse simul ab obiecto intelligibili primario eiusdem intellectus:

intellectus : ergo etiam in intellectu Angelico intellectio procedere debet ex obiecto, & potentia aliquomodo ipsi proportionato. Consequentia probatur ; quia intellectus Angelicus est medius inter diuinum, & humanum : ergo si in extremis intelligere illo modo fit, etiam in medio, quia de intellectu angelico, qui medius dicitur, nos iudicare non possumus, nisi vel ex nostro tribuendo illi perfectiori modo ea, quæ ad intelligentiam & cognitionem pertinent, vel ex diuino, tribuendo illi excellentiorem quandam participationem, & imitationem eius ; tum etiam quia illa proprietas intellectionis quod assimilatiua sit, non prouenit ex particulari conditione huius, vel illius intellectus, sed ex proprietate naturali intellectiuæ facultatis, vt intellectus est, quæ in hoc consistit, vt perficiatur, & in actu constituatur trahendo ad se res intellectas per rationes earum ; sicut è contrario voluntatis proprietas naturalis est ferri, & inclinari ad res amatas, vt recte tradit D. Thomas *1.p.q.16. art.1. & quæst.82. art.3.* vnde sicut Angelus amat efficiendo pondus in rem amatam, ita intelligit efficiendo in se aliquam similitudinem rei intellectæ, quam similitudinem non potest efficere, nisi prius natura intelligatur sufficienter constitutus in actu primo ad formandam illam ; non autem potest ita constitui, nisi per ipsum obiectum aliquomodo ipsi coniunctum ; vtique vel per se ipsum, vel per aliquam eius similitudinem aut eminentiam ; quod data opera explicuimus *libris de anima.*

9 Ex quo concludo non posse intellectum Angelicum per seipsum solum esse constitutum in sufficienti actu primo per modum proximi principij ad intelligendum omnia intelligibilia ab ipso, & ideo præter proprium intellectum indigere aliquo ; quia de ratione intellectionis generaliter est vt sit ab obiecto, & potentia vt probatum est : ergo in Angelis non potest esse à sola potentia vt à principio proximo, nisi ipsa potentia intellectiua Angeli vniatur cum obiecto ; sed non potest cum obiectis distinctis à se vniri immediate, vt de se patet : ergo debet vniri per similitudinem intentionalem illorum ; sed talis similitudo intentionalis est species : ergo mediis speciebus cognoscit intellectus angelicus obiecta distincta à se ipso, suam autem substantiam intuitiue sine specie intelligit per ipsam ; quia species solum ponitur, vt suppleat vicem obiecti, quod non est præsens : sed substantia Angeli est immediate vnita suo intellectui : ergo præter ipsum non indiget specie. Exemplo visionis beatificæ declaratur, ideo beati non indigent specie impressa Dei, quia Deus, vt obiectum est intime præsens tali intellectui, sed etiam substantia Angeli est immediate vnita intellectui angelico : ergo non est necessaria media species impressa vt Angelus cognoscat suam substantiam, & essentiam. Vltimo nihil repugnat, quod substantia Angeli per se ipsam immediate concurrat effectiue cum intellectu Angeli ad se cognoscendum ; quia vel hoc repugnat, quia imperfectionem inuoluit tali substantiæ repugnantem, vel quia excedit perfectionem eius ; vel quia est improportionata ad mouendum intellectum, seu constituendum illum in actu primo ; nihil autem horum dici potest cum probabili fundamento : ergo simpliciter non repugnat, quia nulla alia repugnantiæ ratio potest cogitari. Probatur minor quoad primam partem ; quia diuina essentia per se ipsam immediate concurrit ad creatam sui visionem sine vlla imperfectione : ergo multo minus erit imperfectio in substantia immateriali creata.

Secunda pars minoris patet ; quia licet immediate elicere actionem accidentalem per modum potentiæ proximæ excedat fortasse perfectionem substantiæ creatæ ; nihilominus immediate agere per modum obiecti intelligibilis simul cum potentia non est cur excedat omnem perfectionem finitam, nec cur requirat in tali obiecto perfectionem infinitam, quia ille actus intelligendi se supponit potentiam vitalem distinctam à substantia, & sibi proportionatam ; cooperatio autem substantiæ solum est ad complendam actiuitatem actus ex parte obiecti, vt possit per modum repræsentationis, & similitudinis fieri ; nulla autem ratio est, cur ad hoc sit necessaria infinita perfectio in obiecto : sufficit ergo quod sit immateriale, ac proinde intelligibile in actu, & tali actui proportionatum. 10

Quinta conclusio : species intelligibiles non manarunt effectiue ab essentia, vel intellectu angelico ; est expressa D. Thomæ *1.p.q.55.art.2.* Ratio est clara ; quia quæ fluunt ab essentia, sunt à natura determinata ; sed ex natura intrinseca Angeli non determinantur certæ species illi necessario concreandæ ; sed per diuinam prouidentiam determinantur : ergo signum est non fluere à natura, sed à Deo infundi. Maior videtur per se nota ; quia natura vniuscuiusque Angeli sigillatim sumpti determinata est, sicut in essentiali perfectione sua, ita etiam in omni perfectione, aut proprietate, quam ex se potest emittere ; vt ita dicam, quia essentia est radix omnium talium proprietatum ; vnde sicut determinata est, ita determinatæ sunt proprietates, quæ ab illa fluere possunt. Probatur autem minor ; quia nunc singuli Angeli solum habent species rerum naturalium, quæ in hoc mundo creatæ sunt, vel producuntur de facto, saltem quoad quidditates & species earum ; vt habet communis sententia : ergo determinatio ad tales species non est extrinseca natura Angeli, sed ex ordine diuinæ prouidentiæ : probatur consequentia ; quia Angelus, v.g. Gabriel ex natura sua non magis determinat societatem cum his Angelis, quibuscum modo creatus est, quam cum aliis Angelis, cum quibus creari posset ; nec ex natura sua postulat fieri cum cœlis, & elementis, vel ante illos, vel omnino sine illis ; omnibus enim his modis creari posset, & de se indifferens est ad omnes : ergo quod hoc, vel illo modo creetur, à diuina determinatione solum, seu à diuina voluntate libera decretum est ; sed ex hac determinatione, aut decreto pendet determinatio specierum intelligibilium concreandarum cum Angelo ; nunc enim recipit species concreatas huius mundi visibilis ; quia cum illo, & in illo creatus est : si autem crearetur cum alio mundo prout posset, illius, & non istius species recepisset ; si vero crearentur soli Angeli, itaut Deus decreuisset nullas res materiales creare, non essent infusæ Angelis species rerum materialium, sed tantum Angelorum ; & si Deus decreuisset non hos, sed alios Angelos creare, illis dedisset species Angelorum tunc creandorum, & non eorum qui modo creati sunt : sicut nunc dedit Angelis species sociorum, & non aliorum qui creari cum illis possent & creandi non sunt ; ergo signum est, hanc determinationem specierum pendere ex libera dispositione Dei, ac proinde euidenter sequitur infundi per propriam Dei actionem, & ab essentiis Angelorum non manare. 11

Sexta conclusio : fidei catholicæ certitudine 12

indubitatum

Indubitatum est, non posse Angelum futura contingentia cognoscere in seipsis. Ita docent D. Thomas, & Scholastici, & Patres supponunt. Loquimur hic de futuris; quæ à libero arbitrio pendent, & inuenitur expresse in scriptura hæc conclusio, vt patet ex illo *Isaiæ* 41. [annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos] vbi diuinitatis signum esse dicitur proprium quidem ipsius futura cognoscere, supra quæ ait Hieronymus: [frustra ab hominibus quæris in terra quod solus Deus nouit in cælis.] Et hinc prophetia, per quam hæc futura prædicuntur, est signum certissimum, imo euidens diuinæ veritatis, & reuelationis, vt *ex 1. Corinth. 14.* sumitur.

13 Nihilominus tamen certum est, futura, quæ ex causis naturaliter, & immutabiliter agentibus prouenium posse per easdem causas ab Angelis certo præsciri vt futura sunt; sic docet D. Thomas, *1. p. q. 57. art. 3.* quia certum est Angelos cognoscere causas naturales & efficaciam earum: ergo illis cognitis ex illis certo scient quid factutæ sint; item homines sapientes hæc futura certo cognoscunt, vt Astrologus futuram eclypsim, & similia: ergo à fortiori Angelus cognoscit illa.

14 Ratio autem primæ partis conclusionis circa cognitionem futurorum liberorum est, quia cognoscere certo, & euidenter veritatem aliquam non necessariam ex se, nec ex naturali connexione extremorum & non per medium aliquod, nec per existentiam rei in se visæ; sed sine medio attingendo id, quod nondum est eodem modo, ac si iam esset, indicat profecto sublimem modum cognoscendi proprium Dei, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt; & hoc merito dici potest tanquam notum ex terminis; potestque aliter hoc explicari ex magna difficultate, quam è conuerso habent Theologi in explicando, quomodo Deus veritates talium futurorum, certissime videat: nam licet certum sit, imo & euidens, Deum præscire hæc futura; modus autem prorsus ignotus est hominibus, & in eo solo quiescimus, quod cum Deus infinitam vim cognoscendi habeat, summamque scientiæ perfectionem, ac plenitudinem immutabilem, & æternam, non potest hæc futura ignorare; nec potuit illa, nisi ex æternitate cognoscere: ergo è contrario sufficiens ratio, cur ab Angelis non cognoscantur ex eo redditur, quod limitatæ virtutis sunt; & in sua cognitione non æternitate mensurantur.

15 Septima conclusio: Vnus Angelus non potest cognoscere actus liberos, seu secreta cordium, nisi ab habente talem liberum affectum alteri manifestatur, est de fide, traditurque à Paulo *1. Corinth. 14.* ibi, *si omnes prophetent*, vsque ad verba illa, *Deus in vobis sit*; 3. etiam Regum 8. dicitur; *u solus nosti cor omnium filiorum hominum.* Ratio autem huius veritatis reddenda est ex parte actus primi necessarij ad cognoscendos hos actus liberos voluntatis creatæ; quia nimirum Angeli ex natura sua non sunt sufficienter constituti in actu primo ad eliciendam cognitionem talium actuum, & ideo illos naturaliter cognoscere non potest mens angelica: illatio huius rationis manifesta est. Antecedens autem patet, quia actus primus duo requirit, lumen, seu potentiam, & species ex parte luminis, seu potentiæ actiuæ fatemur nihil deesse, vt patet manifeste in cognitione horum actuum post consensum habentium illos; nam per illum consensum non crescit lumen vel virtus actiua potentiæ Angelicæ: ergo ex illa parte Angeli erant antea sufficienter constituti in actu primo ad illam cognitionem; at vero alterum requisitum ad completum actum primum, scilicet species potuit in Angelis deesse: ergo dicendum est illis defuisse, & hanc esse rationem ob quam non possunt cognoscere hos actus, nisi illis per loquutionem, vel alio modo manifestentur: hæc vltima consequentia patet, quia ad bonum regimen creaturarum liberarum spectat vt circa proprios actus tale dominium habeant, vt occulti sint omnibus, & solum sint noti ipsis; alias liberi non essent in illis, quia ne cognoscerentur ab aliis solum illos cogerentur elicere, quos possent sine incommodo manifestare; sed non potest obiectum esse occultum alteri, si ille alter habeat virtutem sufficientem, & omnia principia ex parte illius requisita ad tale obiectum cognoscendum: ergo necessario dicendum est aliquod principium huius cognitionis Angelo naturaliter deesse: ergo cum non desit ex parte luminis, necesse est vt ex parte speciei deficiat.

Octaua Conclusio: probabilius est, Angelum 16
non discurrere in cognitione naturalium rerum, quas euidenter, & provt in se sunt cognoscit. Probatur conclusio, nam duplex est cognitio euidens in Angelo, vna abstractiua, alia intuitiua: sed in neutra discurrit: ergo in nulla. Probatur prior pars minoris de abstractiua cognitione; quia illa vel est effectus per causam, vel est causæ per effectum; in neutra autem discurrit Angelus, quia in primis quotiescunque cognoscit causam, & per illam effectum simul cognoscit vtrumque, quia nulla est ratio successionis, aut illationis circa cognitionem effectus post cognitionem causæ, si talis est cognitio causæ, vt per illam possit cognosci effectus, quia intellectus Angeli applicatus operatur quantum potest, & non est quid illum impediat, aut retardet: ergo si tam perfecte cognoscit causam, vt per illam possit cognoscere effectum in eodem instanti, in quo habet cognitionem causæ; transit statim in cognitionem effectus propter suam perfectionem, quia lumen angelici intellectus est excellentissimum, & adæquatum suæ speciei, & ita vno simplici actu elicito, per talem speciem cognoscit omnem effectum, qui per talem causam euidenter cognosci potest.

Alia pars de cognitione intuitiua patet quia in- 17
tuitio ex suo genere sit sine discursu; quia in intellectu, in quo est perfecta includit iudicium de re visa, & habet euidentiam veritatis non ex causa, vel effectu, sed ex eo quod per lumen clarum res ipsa in se videtur: ergo multo magis ita erit in Angelis, in quibus intuitio est valde perfecta, & clara.

Nona conclusio, in materia supernaturali & in 18
his omnibus, quæ Angelus non euidenter, sed per coniecturam iudicat vere discurrit; ita docet D. Augustinus *lib. 9. de ciuitate c. 22.* Ambros. *lib. 4. in Lucam*, & Chrysostomus *homilia 13.* & patet, nam in his rebus, quæ Angelus non euidenter cognoscit, quæ ad tria capita reducuntur, scilicet supernaturales res, effectus contingentes futuros, & actus liberos, hæc in quam omnia Angelus potest cognoscere aliquid opinando, & per coniecturam: ergo potest discurrere. Antecedens est manifestum; consequentia vero probatur, quia ibi concurrunt ea, quæ ad discursum necessaria sunt, nam in primis cognoscitur vnum per aliud, scilicet Deum esse hominem per testimonium eius talibus signis confirmatum, vel hoc esse futurum, vel istum esse consensurum, si in hac materia tentetur, quia est hoc, vel illo modo affectus, & similia. Deinde cognoscit vnum ex alio distinctis actibus & iudiciis, quorum vnum sit ex efficacia, & impulsu alterius,

rius; probatur distinctio actuum; quia vnus est verus, & alius sæpe falsus; vnus euidens, vt supponimus, & alius ineuidens; vnus necessarius, & alius liber: ergo sunt distincti, quia proprietates adeo distinctæ, imo & oppositæ non possunt simul eidem actui conuenire: posita vero actuum distinctione causalitas vnius ex alio euidens est, quia tota ratio assentiendi vni obiecto, est assensus alterius, vt dum dæmones credunt, & contremiscunt; Ratio credendi est; quia vident miracula, audiunt verba, legunt scripturas, & intelligunt, & ex aliquo testimonio sic cognito euidenter inferunt remita esse, interdum per assensum naturaliter euidentem, adiuncto nimirum hoc principio, quod Deus mentiri non potest; interdum per verisimilem tantum deductionem: ergo nihil ibi deest ad proprietatem discursus.

19 Vltima conclusio: In Angelis datur voluntas, & liberum arbitrium, est de fide *ex Psalm.* 102. qui faciunt voluntatem Dei, ex 1. *Petri* 1. in quem desiderant Angeli prospicere; Ratio est manifesta; quia ad omnem formam sequitur inclinatio, & appetitus; vnde ad formam naturalem sequitur appetitus naturalis, ad formam apprehensam per sensum sequitur appetitus sensitiuus; ad apprehensam per intellectum vniuersalem, sequitur appetitus intellectiuus indifferens, qui est voluntas libera: ergo in Angelis, vbi datur forma apprehensa per intellectum, &c. datur vera libertas. Videantur omnes rationes quibus vsi sumus libris de anima ad probandum dari in homine libertatem hæ enim à fortiori probant de Angelis.

## QVÆSTIO VLTIMA.

### *De potentia productiua Angelorum.*

1 PRima conclusio: Angeli non habent virtutem naturalem ad producendam substantiam aliquam, etiam ex subiecta materia; hæc assertio tam vnanimi consensu à Theologis recepta est, vt sine magna temeritate in dubium reuocari non possit, quamvis difficile sit efficaci ratione illam persuadere; docet illam D. Thom. 1. *p. q.* 110. *art.* 2. & reliqui Theologi; eam tradidit D Leo Papa *epistola* 93. *ad Turibium*, quatenus *cap.* 8. damnat Priscillianistas, qui asserebant, Angelos malos figurare, & efficere corpora humana in vteris mulierum; quæ definitio inuenitur etiam in Concilio Bracarens. 1. *can.* 12. & *canon.* 8. *eiusdem Concilij*, magis autem fauent verba Concilij Ansirani, quæ *tomo* 1. *Concilior. in fine illius Concilij*, & à Gratiano *in capite Episcopi.* 26. *quæst.* 5. referuntur ibi. [De Domino nostro scriptum est, omnia per ipsum facta sunt; quisquis ergo credit, posse fieri, aliquam creaturam, aut in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso creatore, infidelis est.] Denique D. Augustinus multo clarius hanc veritatem docuit *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 7. & 8.

2 Ratione difficile est vt dixi, hanc veritatem demonstrare; sed in primis ostendere possumus hanc potestatem necessariam non esse in vniuerso. Deinde neque ab effectu, vel signo ostendi posse. Tandem neque ex aliquo naturali principio colligi. Primum suadet ratio Durandi quod in rebus naturalibus est virtus sufficiens ad educendas formas de potentia materiæ quantum ad gubernationem, & conseruationem vniuersi necessarium est. Secundum probari potest ratione insinuata ab Augustino, quia quidquid ministerio Angelorum bonorum, vel opera malorum, aut verè fit aut fieri apparet, sufficienter fieri potest, applicando agentia corporalia corporibus, ex quibus aliquid fit, vt inferius aliquid de his effectibus tractando magis in particulari dicemus. Tertium probatur, quia nullum est principium ex quo inferre possimus huiusmodi virtutem in Angelis, nisi quia sunt excellentioris naturæ, & perfectionis: hæc autem collectio valida non est, nisi supponatur aliud vniuersale principium quod omnis forma perfectior rem minus perfectam eminenter contineat, & illam ideo possit de potentia materiæ per se educere; nam sine hoc principio collectio erit ex puris particularibus ac subinde inualida; at vero istud principium manifeste falsum est, vt inductione ostendi potest comparando in cæteris gradibus perfectiores formas ad minus perfectas; vnde probabiliter potest argumentum contrarium retorqueri, quia formæ vegetabilium non continent formas inferioris gradus, vt auri, argenti, & aliorum mineralium vel lapidum, etiam si perfectioris ordinis sint, &, &c. ergo nec formæ Angelicæ licet altioris gradus sint, continebunt dicto eminenti modo inferiores formas de potentia matetiæ educibiles.

Ex dictis facile est definire secundum punctum 3
ibi propositum de potentia Angelorum ad immutanda corpora alterationis motus, seu quod perinde est ad producendas materiales qualitates, in quo puncto communis resolutio, ac generalis regula est negatiua, quæ à paritate rationis videtur concludi, non magis habere Angelos potestatem efficiendi qualitates in corporibus, quam educendi formas substantiales ex materia; quia licet forma substantialis materialis ex suo genere perfectior sit quam corporeæ qualitates, & inde non videatur illatio à negatione potestatis ad producendum perfectiorem effectum, ad inferendam impotentiam producendi effectum minus perfectum; nihilominus considerato fundamento illius impotentiæ, est satis efficax consequutio, præcipue quia qui producit qualitatem vltimo disponentem ad formam substantialem, producit ipsam formam secundum illud axioma; illius est vltimo disponere ad formam, cuius est producere ipsam; sed Angelus, vt supra probauimus, nullo modo producit formam substantialem: ergo non disponit ad illam.

Vltima conclusio: Vnus Angelus loquitur alteri, 4
excitando illum vt audiat; hæc autem excitatio nō fit sine aliqua reali actione Angeli loquentis speciem aliquam, vel realem modum eius imprimendo audiēti: expresse tradit hanc conclusionem D. Thomas 1. *p. quæst.* 107. *art.* 1. *ad primum.* Ratio est; quia in loquutione Angelica aliqua nouitas fit in speciebus eius, ad quem fit loquutio: ergo vel fit à Deo solo ad præsentiam voluntatis, & consensus Angeli loquentis, vel ab ipsomet, qui loquitur concurrente Deo; primum non est verisimile: ergo Angelus loquens est, qui talem excitationem in alio facit, quia Deus relinquit causam secundam agere quidquid est suæ naturæ conueniens, & perfectionem eius non superat, sed actio hæc est valde conueniens naturæ Angelicæ ad suam communicationem, & necessitatem, & non est cur excedat virtutem naturalem Angeli: ergo fit ab ipso Angelo loquente; quod autem non excedat patet manifeste; quia aliter proprie Angelus non loqueretur, sed Deus ad petitionem eius, & Angeli muti essent, hoc autem est contra modum loquendi Scripturæ, &c,

INTRO

# INTRODVCTIO AD DISPVTATIONEM DE DEO optimo maximo, problematis cuiusdam positioni, & solutioni innitens.

QVID euidentius, quid clarius, quid denique notius Sole? quid itidem ignotius ipso potest in hoc longe latéque patente orbe terrarum reperiri? nullus enim adeo cæcutiens, adeo oculorum lumine diminutus inuenietur, qui vel in ipsis fontibus cristallinis, vtpote pellucidis, naturæ speculis fulgentissimis, inter comantes syluas, viridantes, ac gemmantes arbores, in ternitentes flores, stillantes Aprilis gemmas, inter sydera denique hortorum suaui quidem murmure decurrentibus non adspexerit, viderit, oculis non vsurpauerit: & tamen ipsum non nisi conniuentibus, atque nictantibus oculis potuit intueri; cuius liquidissimi ac radiantes luminis splendores ex opposito orti, ad fontes quasi impingentes inde contorti resiliunt splendidiores: propterea que luce ipsa, & claritate qua decoratur, ac manifestatur, simul defeditur, & occultatur ne hebeti oculorum obtutu penitius percipiatur; quia aduersis soli radiis acies nostra sensusque vincitur, & hæbetatur, ipseque quo lucidior, & liquidior in se ipso, eo vel linceu, sine vlla tergiuersatione fugit aspectum.

Quis item si ex oculis gradum faciamus ad intellectum ignoret nihil esse horum, quæ aspectu sentiuntur præclarius, & diuinæ potestatis, ac magnificentiæ illustrius monumentum, quam ipsum splendentis diei moderatorem, ac parentem cunctarum rerum procreatorem, & conseruatorem inter sydera principatum obtinentem: nihil est enim eo vel aspectu pulchrius, vel efficacitate potentius, vel vsu & vtilitate copiosius: hic namque tenebras fugat rerum colores, vel facit vel ostendit, cuncta exhilarat, omnium animantium oculos, atque animos insatiabili voluptate complet, ac perfundit, & mundo salutarem maximeque vitalem ac vniuersas naturas augentem nutricantem sensuque afficientem calorem largitur, ex quo factum est, vt à viris sanctissimis æque ac sapientissimis Hieronymo, Chrysostomo, ac Dionysio diuini numinis expressa imago, rerum caducarum parens, & altor rite nominetur. Verba Dionysij *de diuinis nominibus*, hæc sunt, [Solem facit euidentem, & expressam diuinæ bonitatis imaginem: tum quia Sol non cogitatione, aut electione, sed eo ipso, quod est illuminat omnia, quæ pro modo suo participationnem lucis admittunt, ita diuinum bonum ipsa sua substantia omnibus quæ sunt pro captu, cuiusque totius bonitatis inijcit radios] & infra *cap. 5. 4. partis*, ait; [Sol vnus cum sit sensibilium rerum substantias & qualitates vniformæ infundendo lucem renouat, nutrit, seruat, perficit, discriminat, coniungit, refouet, fœcundat, auget, immutat, firmat, viuificatque omnia, & quodlibet ex omnibus modis sibi congruo vnius eiusdemque solis est particeps plurimorumque participationum Sol vnus in se ipso causas in se vniformiter habuit] sic Dionysius.

Hæc inquam omnia quis non cognoscit, quis vllo modo potest ignorare de sole; nihilominus tamen ipsius essentiam, substantiam, & naturam, nullus etiam quantumuis sapientiæ radiis circunfusus potest penetrare, nullus Philosophus doctusque Magister in lycæis, & academiis celeberrimis reperitur, qui hæc omnia pro dignitate simul audeat explicare.

Nihil igitur sole notius, nihil euidentius sacrosanctæ diuinitatis monumento; nihil tamen ipso diurnæ lucis fonte sole occultius & ignotius.

Ita etiam nihil notius, perspicuius, nihil clarius, & manifestius Deo optimo maximo splendenti iustitiæ sole, nihil tamen ignotius, occultius explicatu cognituque difficilius ipso [nulla, inquit Cicero, ipsis in hominibus gens est, neque tam immansueta, neque tam fera quæ non etiam si ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat; Dei enim notionem in hominum animos impressit ingenerauitque ipsa natura; vnde nemo hominum tam hæbes & stupidus inuenietur, tam insensibilis & inanimis, cuius mentem non imbuerit diuinitatis opinio] quamobrem vt inquit Chrysostomus hæbrea scitem diuino numinis afflatu concitata Dei solium & sedem in sole sitam, ac collocatam decantat Psal. 186. *in sole posuit tabernaculum suum*, ac si deceret Deum palam suæ magnitudinis, ac dignitatis præstantem maiestatem ipsa solis luce clarius, ac euidentius omnibus procul abiectis ignorantiæ tenebris patefacere, quoniam prouerbiali more ait Guilielmus Cepreus 70. *in sole* significat idem ac in cognitione manifesta, quemadmodum in scriptura passim, legitur in luce faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis; quæ in tenebris dixisti in lumine dicentur [quid enim (inquit) minutius fœlix in Octauio potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum cum oculos in cœlum substuleris, & quæ sunt infra circaque lustraueris, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moueatur, alatur, gubernetur cœlum ipsum; vnde quam late tenditur, quam rapide volui-

tur, vel quod in nocte in astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur: iam scies quam sit in eo summi moderatoris mira, & diurna libratio, vnde & annum vt solis ambitus faciat & mensem, vide vt Luna actu senio labore circum agat: quid tenebrarum, & luminis dicam recusantes vices; vt sit nobis operis & quietis alterna reparatio, relinquenda vero Astrologis prolixior de syderibus oratio, vel quæ regant cursum nauigandi, vel quæ orandi metendique tempus inducant, quæ singula non modo vt crearentur fierent, disponerentur summi opificis, & perfectæ rationis eguerunt moderamine, verum etiam sentiri, perspici, intelligi, sine summa solertia, & ratione non possunt quid cum ordo temporum hac frugum stabili varietate distinguitur, nonne authorem suum parentemque testatur? Verque cum suis floribus & æstas cum suis messibus, & Autumni maturitas grata, & hiberna oliuitas necessaria, qui ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret] sic ille, quibus consonant non dicam aurea, sed geminea animosi poëtæ Claudiani carmina in Rufinum.

*Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,*
*Præscriptosque maris fines annique meatus,*
*Et lucis noctisque vices tunc omnia jubar.*
*Consilio firmata Dei, qui lege moueri,*
*Sydera, qui fruges diuerso tempore nasci,*
*Qui variam febem alieno combureret igne*
*Compleri solemque suo porrexerit vndis,*
*Littora tellurem medio libranerit axe.*

[Quid enim (ait eloquentiæ parens Philosophus Marcus Tullius) potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur. Quod ni ita esset, qui potuisset assensu omnium dicere Ennius?

Aspice hoc sublime candens quem inuocant omnes Iouem.

Illum vero, & Iouem, & Dominatorem retum, & omnia nutu regentem, & vt idem Ennius.

Patrem Diuumque hominumque.

Et præsentem, ac præpotentem Deum, quod qui dubitat haud sane intelligo, cur non idem sol sit, an nullus sit dubitare possit. Quid enim est hoc illo euidentius? quod nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vna cum sæculis ætatibusque hominum inueterare potuisset, etenim videmus cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse, quis enim Hippocentaurum, aut chimæram putat, quæve anus, tam excors inueniri potest, quæ illa quæ quondam credebantur portenta apud inferos extimescat? Opinionum enim commenta delet dies naturæ iudicia confirmat] sic ille *lib.2. de natura deorum.*

Quod miro, & abundanti verborum flumine fœcundauit Virgilius 4. *Georgicorum* ibi.

*—— Deum namque ire per omnes,*
*Terrasque tractusq; maris, cœlumq; profundum.*
*Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum.*
*Quemque sibi tenues nascentem arescere vitas.*

Plato & ex eo Virgil. *Æneï.6.*

*Spiritus intus alit totumque infusa per actus,*
*Mens agitat mollem, & magno se corpore miscet;*
*Inde hominum pecudumque genus vitaque volantum.*

Lucanus *lib.2.*

*Iupiter es quodcunque vides, quocunque moueris.*

Sed clarius omnibus Manilius, *lib.4.*

*An dubium est habitare Deum sub pectore nostro,*
*In cœlumque redire animas cœloque venire.*

Præclare & Tertulianus *in Apologetico aduersus gentes, cap.17.* [Quod colimus nos (inquit) Deus vnus est, qui totam mollem vitam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressis in ornamentum euidentem, ac manifestam cognitionem maiestatis suæ; vnde & Græci nomen mundo Κόσμον accommodauerunt, inuisibilis est, & si videatur, Incomprehensibilis, & si per gratiam repræsentetur, inæstimabilis, & si humanis sensibus æstimetur, adeo verus, & tantus est, cæterum quod videri communiter quod comprehendi, &c. clarius tamen Arnobius, *lib.1. contra gentes, prope medium,* [quisquam ne est, inquit, hominum qui non cum istius Principis notione diem primæ natiuitatis intrauerit? cui non sit ingenitum, non affixum, imo ipsis pene ingenitalibus matris non impressum, non insitum esse Regem, ac Dominum cunctorum, quæcunque sunt moderatorem; ipsa denique hiscere si animantia muta potuissent, si in linguarum nostrarum facilitatem solui, imo si arbores glebæ saxa sensu animata vitali vocis sonitu quirent, & Verborum articulos integrare, ita non duce natura, & magistra non incorruptæ simplicitatis fide, & intelligerent esse Deum & cunctorum dominum solum esse clamarent:] sic ille, cuius vestigiis insistens Manilius in hæc miram eloquentiam spirantia carmina prorupit, *lib.1.*

*Ac mihi tam præsens ratio non vlla videtur,*
*Qua pateat mundum diuino numine verti,*
*Atque ipsum esse Deum nec forte coisse magistra,*
*Vt voluit credi, qui primus mœnia mundi,*
*Seminibus struxit minimis inque illa resoluit,*
*Æquis, & maria & terras, & sydera cœli,*
*Soluentemque altos conflaret cuncta reueri,*
*In sua principia, & rerum mutare figuras,*
*Ætheraque immensis fabricantẽ finibus orbes.*
*Quis credat tantas operum sine numine molles.*
*Ex minimis cœcoque creatus fœdere mundum,*
*Si sors ista dedit nobis sors ipsa gubernet,*
*At cur dispositis vicibus consurgere signa,*
*Vt velut imperio præscriptos reddere cursus,*
*Cernimus, aut illis properantibus vlla relinqui.*
*Cur eadem æstiuas exornant sydera noctes,*
*Semper, & hibernas eadem certamque figuram,*
*Quisque dies reddit mundo certamque reliquit.*

Sic ille.

Quibus omnibus aperte, ac manifeste nostræ primæ propositionis veritas apprime stabilitur, nihil videlicet Deo notius esse; nihil autem ipso ignotius, & occultius existere cherubicus ille Doctorum Doctor Augustinus clare ac manifeste patefecit in meditationibus [est, inquit, quem nec mens attingit, quia incomprehensibilis, neque intellectus quia inuestigabilis, nec sensus percipit, quia inuisibilis, nec lingua enunciat quia ineffabilis, neque scriptura explicat quia inexplicabilis,] sic Augustinus.

Ratione cuius Nazianzenus *tract. de fide,* Deus est quod cum dicitur nõ potest dici, cum æstimatur non potest æstimari, cum definitur ipsa definitione crescit, quia cœlum manus sua componit, pugno omnem mundi ambitum concludit, quæ omnia nesciunt, & metuendo sciunt, cuius nomini & virtuti

virtuti famulatur hic orbis, & ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testimonium perhibet.

Rem magnis (inquit Fulbertus Episcopus Caïnotensis) inuolutam obscuritatibus, & ad explicatum longe impeditissimam laboriosissimamque rem difficilem! ô Deus, atque omnium difficillimam cognoscere ex me ardetis, cum diuinitatis naturam, attributa & proprietates in medium propallari à me nunc expetitis, in qua non parum operæ consumpserunt homines cum ingenio accutissimi, tum studio & doctrina abundantissimi, qui (fatendum est enim) quam multa præclare, tum non pauca stulte cartis ad posteros propagarunt, præstabat autem in mysterio non solum à sensibus, verum etiam à cogitationibus remotissimo candide fateri ignorantiam, quam inscite philosophando suam toti terrarum orbi prodere insipientissimam sapientiam, cum enim non paulo facilius, multo etiam verius, certius, exploratius sciri possit quid Deus non sit, quam quid tandem sit, & quali potissimum finitione eius natura qua nihil inuolutius euoluenda sit, qui istiusmodi cognitionem sibi vehementer obscuram, ac perdifficilem esse testificatur, is simul magis se intelligentia percipere, quid Deus non sit, quam quid sit nonne confitetur? atque eo amplius id confiteatur oportet, qui plus in huiusmodi indagatione temporis collocauit.

Persimile quin plenius quiddam Augustinus docuit excedit supereminentia deitatis non solum vsitati eloquij nostri, sed etiam intelligētiæ facultatem; verius enim cogitatur Deus, quam dicitur, & verius est quam cogitetur, non paruæ autem notitiæ pars est si antequam scire possimus quid sit Deus, possimus scire quid non sit, quapropter abyssum seu pelagus nominat Plato Deū, quia ipsum inuestigare difficillimum, vbi autem inuestigaueris in vulgus enuntiare, vt sic dicam impossibile, quapropter non debet aspernari illud Simonidis poëtæ, de quo cum quæsisset Tyrannus Hiero quid esset Deus: deliberandi causa sibi vnam diem postulauit; cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petiit, cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero, quæreret cur ita faceret, quia quanto inquit diutius confidero, tanto mihi res videtur obscurior; quibus aperte veritatem illam antiquitate celebratam mirum immodum patefecit, videlicet mentem humanam, intellectumque creatum sic quodammodo affectum existere ad mysteria arcana diuinitatis perscrutanda, vt ad iubar Solis oculos noctuæ; intellectus enim propter imbecillitatem propriam, & propter corporis hebetudinem, quasi propter nebulam caliginemque in diuinis rebus lumen veritatis ne possit intueri impeditur; vnde Regius Vates loquens de hoc negotio, *caligo*, inquit, *sub pedibus eius*; & alibi, *posuit tenebras latibulum suum*, Chaldaice *collocauit maiestatem suam*.

In caligine recte maiestatem tenebras dixit, quia vere Deus est absconditus, cui hac de causa merito ara potest consecrari, cuius inscriptio sonet IGNOTO DEO, & iure Acinon apud Iustinum Martyrem cognominauit.

Porro Damascenus sapienter etiam docuit cum de Deo verba facientes præcellentis negationis vim habere, neque caliginem nobis animo proponere, sed quod lux non sit verum luce sublimior, ad cuius aspectum obtutus mentis obtunditur; vnde Tertulianus *in Apologetico aduersus Gentes*, c. 18. Omnino ignotum nobis nominauit, his verbis: [Quod vero immensum est soli sibi notum est hoc quod est dum æstimari facit, dum æstimari non capit, ita enim vis magnitudinis, & notum hominibus obiecit, & ignotum, & hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt,] sic ille Sanctus Cyrillus, *lib. 1. contra Iulianum*, Hermes Trismegistus dicit Deum intelligere quidem (inquit) difficile, eloqui autem impossibile, incorporeum enim corpore significare omnino impossibile, & perfectum imperfecto comprehendere non possibile, & sempiternum conferre cum momentaneo difficile, proinde si quis incorporeus occultus egrediatur à corpore ad contemplationem pulchri, & suboles ac contempletur non figuram, non corpus, non species intueri quærens, sed illud potius, quod omnia facere potest, quod quietum, quod tranquillum; omnis enim virtus ipse est, neque in aliquo ipsum cogites esse, neque iterum quasi extra aliquem, ipse enim est qui sine termino omnium est terminus, & qui à nullo comprehenditur, igitur manifestum quod magnus sit & potens, omniaque concutiat & confirmet, ignotum autem qualis sit naturæ, neque enim videtur esse lucidissimus sol, neque hic videtur permittere vt ipse cernatur; sed si quis impudenter eum spectet, oculis priuatur, quia omnium rerum occultissimus existit; egregie enim Arnobius, *lib. 1. contra Gentes, de Deo*, [nihil dici aliud & exprimi mortalium potest significatione Verborum, qui vt intelligaris tacendum est, atque vt per vmbram te possit ertans inuestigare suspicio, nihil est omnino mutiendum, da veniam Rex summe tuos persequentibus famulos, & quod tuæ benignitatis est proprium fugientibus ignoscere, tui nominis, & religionis cultum non est mirum, si ignoraris, maioris est admirationis fitiaris,] sic Arnobius.

Igitur nihil ignotius Deo, nihil igitur notius ipso; vnde sacra pagina alterna quadam contrapositione vtitur ad hanc vtramque veritatem hominibus manifestandam; nam ad ipsius claritatem ostentandam 1. *Ioannis* 2. lucis nomine appellat Deum *ibi*; nam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ, è contra vero alibi à visu, & caligine circundatum nobis ostendit, vt ipsum esse maxime ignotum patefaciat, *Psalmo* 104. Abyssus sicut vestimentum amictus eius, cui contraponitur locus ille amictus lumine sicut vestimentum, quapropter *Psalmo* 17. dicitur. Posuit tenebras latibulum suum, alibi aperte exprimitur, in sole posuit tabernaculum suum, quibus liquidissime demonstratur, id quod supra proposuimus, nihil esse ignotius Deo, nihil itidem cognitu facilius, & notius eo; quomodo autem hæc duo inter se amicitiæ vinculo copulentur, elegantissime exprimit Ioannes Cyparissiota, *decadæ 2. cap. 7.* Vbi [ex nulla re, inquit, quæcunque illa sit, percipi potest hoc vno excepto, quod per fidem cognoscitur, idque ex iis quæ ab ipso effecta sunt, cognoscitur inquam clarissime quod sit, non quid sit] idem docet his verbis Sanctus Maximus *Centuria prima theologica, cap. 8.* quia hoc ignoratur, quia Deum nullo modo quauis parte mens capere potest, nisi tantum per fidem ex creaturis eius, quod sit non autem quid sit; sic ille. Deus enim quoad an est, euidentissime excitaturis cognoscitur, quoad naturam autem perfectiones, & proprietates proculdubio penitus ignorantur, ac proinde notus & ignotus vere quidem optimo nominari debet; vnde si notus in Iudæa dicitur in Psalmis ignoto Deo inscribitur in actis Apostolorum, vt vtraque veritas manifestetur, qua

propter D. Dionysius *cap. 7. de diuin. nominibus*, asserit Deum cognosci per scientiam quoad an est, & per ignorationem quoad quid est; vnde ipse *c. 2. de cœlesti hierarchia*, sic ait. [ Non quam dissimilibus interpretationibus, quæ negant, ab eisdem scripturis laudibus diuina essentia ornatur. Vt cum eam, vt ita dicam inuisibilem dicunt, immensam atque incomprehensibilem: quæ quidem non quid sit, sed quid non sit significant. Hoc enim mea quidem sententia magis proprie in ea dicitur, &c. idem Basilius *oratione de Verbi Incarnatione*, quæ habetur *tom. 2. Bibliothecæ Sanctorum Patrum*: [ Si quis pietatis ( inquiens ) spectator est, is quid sit Deus curiosè non inquirat, verum ex iis, quæ ab illo facta sunt, eum esse cogitet, illudque certo apud se statuat, siquidem ex procreatarum rerum magnitudine, & pulchritudine illarum molitor, & opifex certa quadam ratione dignoscitur & spectatur ] idem docet Beda, *sermone in Psalmum 52. ibi* sicut ventorum substantia, &c. D. Hieronymus super illum locum *primæ ad Timoth. 6.* & lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, vtrumque hoc significari declarat, per lucem enim euidentia cognitionis diuinæ, quoad an est, per particulam *inaccessibilem* obscuritas cognitionis diuinæ, quoad quidditatem denotatur; vnde hæc lux, inquit Cornelius noster nobis est inaccessa & sic non lux, sed caligo est; hinc in veteri testamento Deus Moysi, & Prophetis apparuit in nube, & caligine *Exodi 20. vers. 21. Ps. 17. vers. 10. & 12.* Posuit tenebras latibulum suum. *Psalm. 96.* Nubes & caligo in circuitu eius; qua de re S. Dionysius *Epist. 5. ad Dorotheum*, caligo inquit lux diuina est inaccessibilis, in qua inhabitare dicitur Deus, hæc est inuisibilis propter eximiam claritatem, & inaccessibilis propter immensam luminis copiam; lux ergo Dei infinita vocatur in scriptura caligo & nubes, quia perstringit oculos nostros, ita vt non magis immensam hanc Dei gloriam intueri possint, quam densissimas tenebras altamve caliginem, seu nubem atram; hac denique luce Ethnicorum, & Athæistarum oculi adeo hebetantur, & perstringuntur, vt tantæ diuinitatis maiestatem ac præstantem diuinitatem perfricata fronte pertinaci iudicio & obdurata mente negare ausi fuerint, cuius pertinaciam, cuius ignorantiæ tenebras luce veritatis dispellere, ac propugnare præsenti disputatione contendimus, quod vtinam nobis concedat splendidissima sapientia Patris, vt autem hoc ab ipso comparare possimus, verbis Arnobij vtamur: *O maxime, ô summe rerum inuisibilium procreator, ô ipse inuise, & nullis vnquam comprehense naturis, dignus, dignus es vere ( si modo dignum mortali dicendum est ore ) cui spirans omnis intelligensque natura, & habere, & agere nunquam desinat gratias: cui tota conueniat vita genu nixo procumbere, & continuatis precibus supplicare, prima enim tu causa es, locus rerum, & spatium, fundamentum cunctorum quæcunque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis perpetuus, solus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circunscriptio qualitatis, expers quantitatis sine situ, & motu, de quo nihil dici, & exprimi mortalium potest significatione Verborum; qui vt intelligaris tacendum est; atque vt per vmbram te possit errans inuestigare suspicio, nihil est omnino mutiendum. Da veniam Rex summe tuos persequentibus famulos, & ( quod tuæ benignitatis est proprium ) fugientibus tui nominis, & religionis cultum ignosce. Non est mirum si ignoraris: maioris est admirationis si sciaris, Fons rerum, sator sæculorum, ac temporum, Pater rerum, ac dominus, consitor, moderatorque cunctorum, ô sanctissime vniuersi huius gubernator & parens, qui idcirco hominibus animum intelligentiæ consilyque participem donauisti, vt immensa potestatis, bonitatis, sapientiæ tuæ aliquod in terris simulacrum extaret, & cum reliquæ animantes ad pabulum abiecta ventri seruirent, illi in te contemplando, colendo, & collaudando omnem suam vitam, voluptatem, operam, & cogitationem ponerent, ac collocarent: da, vt quando mortalium nemo maiestatis tuæ præstantiam animo & ratione comprehendere nedum sermone disserere, saltem nihil de te alienum, absurdum, impium, aut meditemur, aut loquamur, nosque tuarum legum præceptis studiosissimè parentes à contagione corporum, castos integrosque præstemus, quo vitam cœlestium in hoc exilio imitati, & olim membrorum nexibus exsoluti, atque ex isto corporis ergastulo custodiaque dimissi, ad Beatorum cœtum consilumque peruolemus, vbi te coram, & sicuti es contemplanties sperata voluptatis magnitudine, ad innumerabilium sæculorum ætates potiamur, dum tamen in hoc orbe terrarum peregrinamur à domino spiritum ducimus, vitam transigimus & aëre puro fruimur, nostris mentibus splendidissimum tuæ cognitionis radium offundere ne dedigneris, nostroque calamo spiritum concedas viuificum, quo scopum recta collimantes tuæ diuinitatis Maiestatem declaremus, dissipatis penitus ignorantiæ errorumque tenebris rationum vi, Ethnicorum gentiumque mentes, ac intellectus manuducamus in tantæ lucis, & claritatis cognitionem.*

# DISPVTATIO XVII.

## *De Deo Optimo Maximo.*

## QVÆSTIO I.

### *Vtrum demonstrari possit euidenti ratione Deum esse.*

### SECTIO I.

#### *Sententia aduersaria ponitur.*

PRIMA sententia docet nullo modo posse demonstrari euidenter Deum esse, hanc sententiam defendunt Basolis *in 1. distinct. 2. quæst. 1. art. 5. & distinct. 3. quæst. 1. art. 3.* Adamus *distinct. 2. quæst. vnica*, Maior *quæst. 1. concl. 2.* Aliasensis, Dionysius Cittencensis, Gaspar Cesalius & alij multi, probatur sic. Quia omne medium euidens respectu alicuius debet esse proportionatum tali conclusioni: sed nullum est medium proportionatum existentiæ diuinæ, quæ in conclusione eruitur: ergo nullo modo potest dari demonstratio de existentia diuina: minor illa sic probatur, quia omne medium quod potest dari, est finitum: sed finiti ad infinitum, vt est Deus, nulla datur proportio: ergo nullum est medium proportionatum ad demonstrandam existentiam diuinam.

Confir

2 Confirmatur, in omni demonstratione vera opus est procedere à principiis necessariis, & quæ habent necessariam connexionem in re demonstrata; in ea vero demonstratione qua per creaturas Deum cognoscimus, principia nec sunt necessaria, sunt enim de vera existentia, quæ simpliciter cótingens est, nec habent necessariã connexionem cum existentia Dei, quæ cum sit simpliciter necessaria, potest esse non existente vlla creatura: ergo syllogismus quo ex creaturis Deum cognoscimus, solum opinionem & non euidentiam gignit.

3 Vrgetur, præter connexionem necessariam inter medium, terminum, & extrema proportionis demonstratæ, opus est, vt ipsa connexio certo, ac euidenter prænoscatur, alias non ducet in euidentem cognitionem eorum quæ connectitur, sed cognito extremo materiali alicuius habitudinis, ad aliud non opus est certo, & euidenter cognoscere ipsam habitudinem; nam agnita luce quæ habet habitudinem ad solem, non necessario sequitur vt cognoscatur habitudo, v.g. si quis crearetur modo à Deo absque vlla scientia, & ante quam solem aspiceret lucem cerneret, nesciret profecto lucem à sole procedere, quod nobis frequenter vsu venit in mirabilibus effectis, quæ cernimus, quorum causas occultas ignoramus; atqui Deus homini in statu naturali constituto ante creaturarum cognitionem ignotus omnino est: ergo non est vnde innotescat ipsum esse causam creaturæ. Patet consequentia, quoniam vt constat in aliis effectis sola cognitio materialis effectus non est sufficiens ad cognitionem causæ, nisi præcognita habitudine ipsius ad causam, hæc autem prænotio iam inuoluit aliquam notitiam causæ, quia non potest intelligi habitudo inter duo extrema, quin supponatur aliqua notitia illorum, ac proinde notitia dependentiæ creaturarum à Deo supponet notitiam ipsius tanquam extremum illius dependentiæ, quare cum hæc non nisi ex creaturis haberi possit, erit circulus, vel saltem impossibile, vt ex solis creaturis Deus innotescat.

4 Secundo principaliter sic probatur, quoniam ex creaturis vel cognoscitur aliqua perfectio Deo propria, vel nulla; si nulla, neque demonstrabitur ipsum esse, nam demonstratio non est de communibus, neque de iis quæ sunt per accidens; si vero cognoscitur aliqua perfectio propria Dei, etiam omnes cognosci poterunt, & consequenter habebimus in via cognitionem Dei claram ac definitiuam, quod falsum est: consequentia constat, namque cognitis perfectionibus omnibus alicuius entis, habetur cognitio eius definitiua. Secunda pars assumptionis ostenditur, 1. quia omnis perfectio diuina est aliquo modo participabilis à creatura, & continetur in illa quasi in vestigio: ergo si ex creaturis venire possumus in euidentem notitiam alicuius perfectionis diuinæ, in omnium quoque venienus.

5 Deinde, quia inter ipsa attributa est ratio aliqua prioritatis secundum nostrum modum intelligendi: ergo cognito vno cætera cognosci poterunt. Patet consequentia, nam ex notitia vnius attributi ad cognoscenda ea quorum ipsum est ratio prior progredi possumus quodammodo à priori, saltem materialiter, ad ea vero quæ sunt priora à posteriori, & ita cognito vno cognoscentur reliqua, cur enim ex creaturis cognosceretur aliqua perfectio diuina, & ex vna proprietate creaturæ proprietates aliæ eiusdem, ex vno autem attributo non poterunt reliqua omnia demonstratiue cognosci.

## SECTIO II.

### *Nostra sententia ponitur & probatur authoritate.*

1 COnclusio: euidenti demonstratione naturali cognosci potest Deus, ac de facto cognoscitur à posteriori & per creaturas: sed est communis omnium Theologorum, ac Catholicorum Philosophorum sententia.

Probatur ex illo Pauli *ad Rom.* 1. vbi agens Apostolus de Ethnicis Philosophis, quod notum (inquit) est, Dei manifestum est in illis, inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles, vbi aperte Apostolus docet ac definit Deum euidenter cognosci ac demonstratiue intelligi per veram & propriam scientiam à quocunque Philosopho, attente ponderante omnem creaturam quæ effectus Dei est; vnde Apostolus tam euidentem docet esse hanc cognitionem, vt sint inexcusabiles si ipsum negent, aut non colant vt Deum: ergo ex hoc loco D. Pauli liquido constat à posteriori per creaturas nos posse deuenire in euidentem ac demonstratiuam cognitionem Dei, nam illa repetitio, tot verborum euidentiam significantium, v. g. manifestatum est in illis, Deus illis manifestauit, intellecta conspiciuntur, ita vt sint inexcusabiles, aperte significant Apostolum Paulum non loqui de cognitione probabili: sed de euidenti, & demonstratiua, vt optime docuit D. Hieronymus; nam explicans verba illa, *intellecta conspici*, ita ait, tam euidenter intellecta sunt vt conspecta dicantur, cui consonat Augustinus dicens, potest Deus inueniri per creaturas euidenter, ac scientifice, dicente Apostolo, inuisibilia enim ipsius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, quæ verba hausisse videtur Apostolus ex illo *Sapientiæ* 13. à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri, vbi particula *cognoscibiliter*, & verbum *videri* manifestam & euidentem cognitionem denotant: ergo non solum certum quomodocunque est Deum demonstrari per creaturas, sed etiam iudico de fide certum esse, quia clarius non poterat definiri in scriptura nostra sententia.

3 Dices cum P. Vasquez & cum Gillio in his verbis D. Pauli non definiri quod possit dari euidens cognitio Dei, nam vt inquit Gillius, & illa verba, videri, manifestari, conspici, non necessario inferunt assensum euidentem, quia verbum à manifestare accipitur, in scriptura etiam pro manifestatione inceuidente, imo & quæ solam opinionem gignat; nam Christus dixit *Ioann.* 17. Pater manifestaui nomen tuum hominibus, nempe per doctrinam quæ non gignebat euidentiam & *Ioannis* 14. dicitur. Philippe qui videt me videt & Patrem, vbi Christus non loquitur de euidenti cognitione; ex quibus concludit Pater Vasquez *tom.* 1. *in* 1. *part. disp.* 20. *c.* 13. *num.* 8. § *Verum his verbis*, scriptura enim his locis & similibus solum contendit semper fuisse sufficiens Dei testimonium ex mundi fabrica pulchritudine, & aliis effectibus, vt ab omnibus cognosceretur; vtrum autem notitia euidenti, an solum probabilissima nihil curat, quia quod vtatur verbo conspiciuntur, & verbo, videri; parum interest; hæc namque cõmuni quadam & magis vsitata significatione, quamlibet intellectus notitiam cum assensu determinate

terminato significant, in qua communi significatione hæc & similia scriptura passim vsurpat.

4 Sed contra solutionem horum Authorum meo videri hoc argumentum clarum efficitur, & euidens, quo illa funditus ac penitus labefactatur, quia nos non in eo solo fundamur, aut nitimur ad asserendum D Paulum, & sapientem decreuisse, ac definiuisse posse, & de facto dari euidentem cognitionem Dei naturalem, quod vsi fuerint sapiens, & Paulus verbis illis manifestauit; conspiciuntur, videri, quia si solum illis vteretur scriptura probabiliter posset explicari, vt à Patre Vasquez, & à Gillio explicatur, sed potius fundamur, & nitimur ad hoc asserendum, quia Paulus docet manifestam illam cognitionem haberi per creaturam tanquam effectum à Deo causatum: atqui per vos non solum probabilis, sed etiam euidens in toto rigore demonstratiua proprie, & proprie scientifica cognitio habetur de Deo, vnde sumpto medio creaturarum Gillius & Vasquez, vbi supra dicunt se demonstratiue & euidenter ostendere Deum esse: ergo si scriptura asserit & expresse docet Dei cognitionem claram & manifestam comparari per creaturas, tanquam per medium demonstrationis, quia sunt effectus qui necessario, & per essentiam dependent à Deo, euidenter sequitur scriptura non de quacunque cognitione loqui, sed de cognitione in toto rigore demonstratiua & euidenti.

5 Quod sic euidenter patet, quia scriptura ait cognitionem illam esse manifestam, & loquitur (vt tu asseris, quia non potes negare, vt liquet ex illis verbis, inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur) de cognitione habita per creaturam, tanquam effectum: sed per te cognitio habita de Deo per creaturam tanquam per effectum ipsius non est solum probabilissima, sed potius in toto rigore, & proprie euidens, & proprie, & in rigore demonstratiua: ergo scriptura dum ait esse euidentem, non solum loquitur de probabilissima cognitione: sed de euidenti demonstratiua & scientifica in toto rigore, v.g. si Apostolus diceret conclusionem deductam ex præmissis euidentibus in toto rigore esse manifestam, claram, & euidentem, & aliquis explicaret dicendo per illas particulas claram, manifestam, &c. Apostolum solum voluisse significare cognitionem probabilissimam, certe tu tam stultam explicationem vel irrideres, vel contra illam irascereris, & hac demonstratione posses illum conuincere, quia Apostolus tum naturali; tum supernaturali scientiarum lumine circunfusus, & Sapiens diuino numinis afflatu concitatus loquuntur de rebus non falso, sed vere, & non aliter ac sunt, sed eo modo quo sunt: atqui cognitio deducta per euidentes præmissas, & collecta ex euidenti medio non est probabilissima, sed euidens: ergo quando loquitur Apostolus de illa per verba illa manifestam, claram, & euidentem, non vult docere illam esse probabilem, sed potius esse euidentem in toto rigore, alias non vere sed falso & aliter ac sunt res, de illis loqueretur Apostolus.

6 Tum sic, cognitio Dei deducta per medium creaturarum tanquam per effectum, est deducta per medium euidens in toto rigore, & Apostolus loquitur de illa vt sic deducta vocando illam, manifestam, claram, & euidentem (& idem est de Sapiente:) ergo si vere & non falso de illa loquitur, imo cum loquatur comprehensiue, debet loqui in toto rigore, quando dicit esse manifestam, intendendo definire ac decernere talem cognitionem esse in rigore demonstratiuam, & non probabilem: exemplo hoc te conuinco, nam si aliquis coram te legens tuam demonstrationem qua euidenter ostendis per creaturas Deum dari, & vellet te explicare asserendo, quando tu ais illam esse demonstrationem te solum loqui de cognitione probabili, certe non potest negare quod acriter inuehereris contra ipsum, quia cum clare loquaris de cognitione demonstratiua per medium euidens, velit ille ignorans in sensum prauum torquere tua verba; atqui tuipse D. Paulum loquentem de eadem cognitione euidenti, per medium euidens in toto rigore demonstratiua explicantem suam mentem per verba, quibus alia clariora non possunt inueniri, exprimentia euidentiam & claritatem talis cognitionis exponis, & ostendis pertinaciter loqui ipsum Apostolum, aut de cognitione in confuso, aut in communi, vel solum de probabilissima cognitione: ergo parum est quod te irrideat Apostolus, & dignum quod contra te irascatur, & acriter inuehatur, quia verba sunt valde clara in omni proprietate intellecta, & materia nonobstat, imo iuuat & maxime cogit (vt ex euidenti nostro discursu facto patet) vt proprietas verborum in toto rigore teneatur: ergo sine dubio dicendum est esse de fide certum euidenter ac demonstratiue cognosci Deum esse per creaturas, neque iudicium tuum, aut explicationem verborum Pauli & Sapientis approbo, ex eo capite quod ad ipsum ferendum non ponderasti totum contextum verborum secundum antecedentia & consequentia, sed solum abscindendo, & separando aliquas particulas, ex toto loco & diuidendo seu partiendo verba à verbis iudicium tulisti de mente Apostoli, quia vt est commune Iurisperitorum axioma, inscibile est nisi tota lege perspecta iudicium ferre, quod si executioni mandauisses, proculdubio nostræ veritati assentires, quæ non in vno, vel altero verbo, sed in tota acolutia verborum Apostoli & Sapientis, & in integra contextura seu adæquato contextu loci vtriusque, tum sapientis, tum Apostoli firmissime nititur *subsect.* 1. ex decreto Concilij Tridentini confirmatur hæc veritas.

7 Declaratur hoc amplius, quia vt decernit Sacrum Concilium Tridentinum, *de sacris Scripturis*, imo sub grauibus pœnis iubet, sacra Scriptura non debet explicari contra communem sensum SS. Patrum, & Doctorum Ecclesiæ, sed potius iuxta mentem ipsorum: sed omnes PP. Ecclesiæ vnanimi consensu docent scripturam loqui de euidenti & propria scientifica cognitione, & non de probabili aut solum de confusa, eo modo quo nos dicimus: ergo nostra expositio & non aduersariorum est admittenda: minor illa quoad mentem Patrum patet manifeste, non solum ex verbis Hierony. & Aug. supra citatis, sed etiam ex verbis Anselmi super hunc locum Pauli (notum Dei, inquit, est quod naturali ingenio sciri, ac demonstrari potest de Deo, hoc autè de Deo naturaliter sciri potest clarè, quod ipse sit Deus.) Idem docet Dyonisius *c.7. de diuinis nominibus*. Chrisostomus *super hunc locum*, & Greg. Mag. *lib.29. moralium, c.1. in c.36. Iob.* vbi idem testatur Hierony. *in commentariis in Iob*, idemque habet *in Epistola ad Galatas*, idem sentit Damasc. *li.1. de fide, c.1.* & 2. Nazian. *orat.24.* vbi ait de Deo vt est principium non productum, nec factum ab alio insitam esse hominibus naturalem, & euidentem cognitionem Dei, ait vero esse à natura insitam, quia per naturalem discursum comparatur, vt ipse exposuit *orat.34 quæ est 2. de Theolog.* vbi interpres pro discursu, vel ratiocinatione (coniectura assequi) posuit:

posuit : sed vox Græca proprie est syllogizare, & ratiocinari, qualis autem hac ratiocinatio sit ex alio loco satis colligitur, scilicet esse tam claram & apertam, vt ea ratione à natura insita dicatur talis conclusio, scilicet Deum esse; idem plane docet S. Iustinus ad quæstionem sextam à Gentibus propositã, & Athanasius *Orat. contra idola*, & Cyprianus *de idolorum vanitate*, vbi hac ratione dicit Deum ignorari non posse, qui omnes fundantur in verbis Pauli asserentis per euidentem cognitionem sumpto medio creaturarum Dei existẽtiam demonstratiue & euidenter cognosci, quod expressissime docuit D. Aug. *tract. 2. in caput. 1. Euangelij Ioãnis prope medium*, his verbis. [At vero quidam Philosophi huius mundi extiterunt & inquisierũt creatorem per creaturam, quia potest inueniri per creaturam euidenter, dicente Apostolo inuisibilia enim eius à constitutione mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas vt sint inexcusabiles.] sic ille, vbi aperte docet Aug. Apostolum pronunciasse supradictis verbis Deum posse euidenter cognosci per creaturam, vt patet ex illis verbis ipsius Aug. quia potest inueniri per creaturam euidenter dicente Apostolo inuisibilia, &c.

8 Quod etiam confirmat Chrisost. *hom. 3. in Epist. ad Rom. c. 1. prope medium*, his verbis, propterea quod id quod de Deo cognosci potest manifestum est in illis; Deus enim illis patefecit & *paulo infra*, apertumne vobis est, quod diximus; an apertius, denuo dicendum illud est? quid nam igitur illud est quod dicimus? Cognitionem sui Deus hominibus iam inde ab initio indidit, verum hanc cognitionem Ethnici lignis ac lapidibus circumponentes veritatem quod in ipsis fuit iniuria affecerunt; illa enim immutabilis manet, vt quæ habeat propriam gloriam immotam; at vndenam liquet quod ipsis indidit Deus sui cognitionem ô Paule? propterea quod inquit quod de eo cognosci potest manifestum est in illis; hoc ipsum vero sententia est non demonstratio, tu porro mihi adstruito, probato, ac declarato quod cognitio de eo illis manifesta fuerit, & quod sponte sua illam præmiserunt; vndenam igitur manifesta erat? vocem è supernis immisit illis Deus? nequaquam: sed quod illos voce validius illicere poterat id fecit mundi creatione in medium proposita, vt possit sapiens rudis Scita barbarus ex ipso aspectu eorum quæ oculis subiecta sunt pulchritudinem edoctus ad Deum ascendere, plusquam euidenter, plusquam demonstratiue propterea ait. Siquidem quæ sunt inuisibilia illius ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur peruidentur, quemadmodum & Propheta inquit, cœli enarrant gloriam Dei, quid enim eo die dicent Gentiles? te ignorauimus, itane vero non exaudistis cœlum vocem ab aspectu emittens; non exaudistis compositam rerum omnium harmoniam tuba illustrius clamantem? noctis ac diei leges non perspicitis perpetuo statas, atque immobiles: Hyemis, veris cæterorumque anni temporum compositum ordinem, firmum & immotum? maris clementiam idque in tanta fluctuum conturbatione? denique omnia ordinem seruantia eademque tum à pulchritudine, tum à magnitudine ipsum opificem veluti præconio annunciantia. Hæc enim omnia, & his etiam plura contrahens Paulus dixit : siquidem quæ sunt inuisibilia ipsius ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur per videntur, ipsaque æterna eius potentia & diuinitas : quid clarius & euidentius ad nostram sententiam demonstrandã poterat requiri? secus enim Chrisost. explicans illum locum Pauli, & sibi opponens non esse euidentem nec demonstratiuam cognitionẽ quam proponit Paulus respondens tali obiectioni docet cognitionem illam, quatenus deductam per creaturas tanquam per medium euidentissimum, non solum euidentem demonstratiuam & claram, sed plusquam euidentem & plusquam demonstratiuam esse, sicque proponit à Diuo Paulo.

Quod ipse D. Chrisost. confirmat *homil. 9. ad populum Antiochenum, prope medium*, his verbis explicans eundem locum D. Pauli, in hanc enim sententiam incidens Apostolus, & in Gentiles intendens, dicentes non ab initio ei cognitionem ex scripturis didicimus; vide quomodo respondeat; Cũ enim dixisset reuelabitur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorũ qui veritatem Dei in iniustitia detinent, & vidisset obiectionem sibi occurrentem & multos contradictores; vnde Gẽtiles Dei veritatem cognouissent intulit dicens, quia quod notum est Dei manifestũ est illis, & quomodo manifestum est illis? quomodo Deum videre poterant? quis ostendit, dic? Deus enim illis manifestauit inquit, quo pacto? inuisibilia enim ipsius inquit à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspicuuntur, quod autem dicit tale est ante omnium oculos creaturã in medio proposuit, vt ex operibus creatorem manifeste cognoscant, quod quidẽ & alius diceba tex magnitudine pulchritudine creaturarum proportionabiliter ipsarum author consideratur, vidisti magnitudinem. Considera potentiam conditoris cum admiratione, vidisti pulchritudinem sapientiam obstupesce, quod & Propheta demonstrans dicebat, cœli enarrant gloriam Dei; quomodo igitur narrant dic mihi? vocem non habent, os non possident, ipsis non est lingua, quomodo igitur narrant? per ipsum aspectum, cum enim videres pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, formam, per tantũ temporis permanere tanquam vocem audiens, & ad aspectum discens adoras eum, qui tam pulchrum & admirabile corpus creauit: tacet cœlum, sed ipsius aspectus vocem tuba clariorẽ emittit per oculos, non per aures nos docens. hic enim sensus à natura est illo clarior, illo euidentior, illo deniq; certior & manifestior; sic Chrisost. *& in fine talis homiliæ* sic ait: an non hæc & cæco sunt manifesta, & valde imprudentibus intelligibilia, quod prudẽtia quapiam facta sunt, & continentur? quis enim tam stultus & insensatus qui tantam molem cernens, tantam pulchritudinem tantam compositionem, talium continuam elementorum pugnam, contrarietatem & perseuerantiam non intra seipsum ratiocinetur & dicat quod nisi prouidentia quædam esset corporum magnitudinem cohibens nec permittens totum desilire, nec permanere, nec sufficere potuisset, tantus quidem anni temporum ordo, tanta vero noctis & diei conuenientia, tot autem irrationalium genera animalium & plantarum & seminum & herbarum tenorem suum seruant, & nihil in præsentem diem neque intercidit, neque penitus consumptum est : sic Chrisost. vbi aperte nostrum intentum demonstrat, neque minus clare id fecit *hom. 10. ad ipsum populum Antiochenum* his verbis: quomodo pulchritudo, & magnitudo nos eadẽ cum illis sentire non persuasit, nec hinc vero tantum hoc erit manifestum, sed aliunde, quod enim non propter pulchritudinem ipsum consecrarunt: sed ob propriam stultitiam dicam simiam qua causa adorauerunt crocodilum animalium vilissima, vere euanuerunt in cogitationibus

bus suis, & obtenebratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt; veruntamen non ex his tantum respondebimus: sed & aliud quid amplius dicemus; hæc enim est Deus superprouidens, & hanc ipsorum occasionem secundum sapientiam suam substulit; propterea non tantum mirabilem, & magnum fecit mundum, sed & corruptibilem & inaccessibilem, & ipsius imbecillitatis multas inseruit demonstrationes, *& paulo infra* (sic & in creatura mundi quiddam his simile fecit, etenim pulchrum ipsum & magnum fecit, & rursum corruptibilem constituit, & hæc vtraque scripturæ docent, hic quidem cœlorum pulchritudinem narrans sic inquit: cœli enarrant gloriam Dei; & rursum, qui constituit cœlum velut testudinem, & extendit ipsum quasi tabernaculum in terra, & rursum (qui continet circuitum cœli;) alter vero demonstrans quod & sepulchrum & magnum tamen est corruptibile, sic inquit, initio tu Domine terram fundasti, & opera manum tuarum sunt cœli ipsi peribunt, &c.

9 Nec minus clare Ambrosius eadem verba D. Pauli explicans nostram veritatem confirmat his verbis: [sicut in illo qui credit iustitia Dei reuelatur in eius salutem, ita in eo qui non credit ira Dei, ex ipsa enim cœli fabrica iratus istis Deus videtur, idcirco enim tam pulchra condidit astra, vt ex iis quantus & quam mirabilis creator eorum est, possit non quomodocunque cognosci, sed intelligibiliter videri, & quod solus adorari debeat scienter intelligi; cœli enim enarrant gloriam Dei, vt ait scriptura, & opera manuum eius annuntiat firmamentum; per naturalem igitur legem Deus reum facit genus humanum; potuerunt enim id per legem naturæ euidenter apprehendere, fabrica mundi aperte ac clare testificante authorem omnium Deum solum esse colendum, atque diligendum: sed ipsi facti sunt impij, non colendo creatorem, & iniustitia in eis apparet dum videntes veritatem dissimulant tamen & occultant eam, non confitentes vnum & verum Deum; vt enim Deus qui natura inuisibilis est, etiam visibiliter posset sciri opus visibile factum ab eo est quod opificem visibilitate sua manifestaret, vt per certum sciri posset, quod incertum est, & per opus quod impossibile factu cæteris est, ille esset Deus omnium sciretur qui tale hoc opus fecit; vnde Paulus subdit: Deus enim manifestauit illis, manifestauit se, videlicet Deus illis, dum opus fecit per quod posset ab illis manifeste cognosci,] hæc Ambrosius vbi clarissime docet Paulum de euidenti ac demonstratiua scientia, ac cognitione loquutum fuisse, vt patet ex illis verbis, vt enim Deus, vsque ad illa, manifeste cognosci.

10 Hieronymus autem his verbis super eadem verba Pauli nostram veritatem demonstrat', ostendit quomodo omnis homo naturalem habens intellectum agnoscit esse insequendam substantiam inuisibilem, quæ diuersas in hominibus artes, & disciplinas operatur, quo etiam exemplo inuisibilis Deus manifestatur hominibus ex his operibus, quæ operatus est & operatur. Item quod potest naturaliter scire de Deo, quod sit & quod iustus sit in conscientiis eorum, omnis namque creatura Deum se nosse testatur, & ab alio factam indicat, cuius voluntati sibi parere necesse sit, si enim Deus summum magnum est inuisibilis, incomparabilis, incomprehensibilis, inæstimabilis, & qui super omnia sit, id est cui neque præponi aliquod neque possit æquari, siue magnitudine, siue claritate, vel potentia, manifestum est hoc nulli creaturæ posse competere, quæ & oculis videtur, ratione colligitur, & æstimatione iudicatur; maior autem omnibus per omnia nulla est creatura, quia omnes se alterutrum vincunt, alia enim magnitudine vt cœlum, terra; alia claritate, vt sol, luna, vel stella; alia altitudine vt mare; ita ergo peruidetur, quia nullum elementum sit Deus, quod autem facta sint mutabilitas eorum, quæ non potest cadere in æternitatem demonstrat, quod vero non se ipsa fecerint, manifestum est, quia si se ipsa fecerunt, iam erant antequam fierent, vt se facere possent, quod valde absurdum est dicere, cum vero variant & ordines suos permutant, & alterutrum cedunt, ostendunt se ab vno authore facta, & non suam, sed Domini sui facere voluntatem, cuius transgredi non possunt imperium; (Deus enim illis manifestauit,) virtus enim eius occulta ex his quæ palam sunt, æstimatur; si enim ea quæ videntur tam præclare ab eo facta sunt, vt quidam illa Deos putarent, & æterna asserere tentarent, quanto magis factorem sempiternum, & omnipotentem & immensum esse intelligere potuerunt secundum Sapientiæ librum dicentem, ad cuius magnitudinem creaturarum comparata poterit horum Creator videri, inuisibilia enim ipsius, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, tam euidenter intellecta sunt vt conspecta dicantur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas &c. siue per naturam, siue per facturam & rationem. Sic Hieronymus, in quo toto discursu ita esse manifestum ait Deum cognoscere ex verbis Pauli per creaturas factas à Deo, sicut est manifestum clarum, & euidens, nullam creaturam se primo facere, alias iam creatura esset antequam fuisset, vt patet ex illis verbis; quod vero non se ipsa fecerint manifestum est, quia si se ipsa fecerunt iam erant antequam fierent, vt se facere possent, quod valde absurdum est dicere: sed quod creatura non se fecerit, euidenti demonstratione toto rigore & proprietate euidentis demonstrationis conuincitur: ergo quando ait Paulus manifestum esse Deum ex creaturis cognosci secundum D. Hieronymum, non loquitur de quacunque cognitione, sed de stricta & rigorosa demonstratione, & patet etiam ex illis verbis D. Hierony. Tam euidenter intellecta sunt vt conspecta dicantur; sed meo videri nullus æque clare ac manifeste huic veritati lumen euidentissimum offundit, ac S. Bernardus *serm. 31. in Cantica*, his aureis verbis [Tanta hæc formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi radij sunt Deitatis? monstrantes quidem, quia vere sit à quo sunt, non tamen definientes prorsus quid sit, ita quod de ipso sit vides, sed non ipsum; cum autem de eo quem non vides cætera vides, scis indubitanter existere quem oportet inquirere, vt inquirentem non fraudet gratia ignorantem, negligentia non excuset; verum hoc videndi genus commune, in promptu enim est iuxta Apostolum omni vtenti ratione inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere] Quid euidentius, quid clarius & manifestius poterat Sanctus Bernardus loqui ad nostram veritatem manifestandam explicando mentem D. Pauli loco supra adducto? nam iuxta verba Pauli, inquit Bernardus creaturas esse radios diuinitatis per quos indubitanter

ter scimus, videmus, & clare conspicimus Deum existere, vt patet ex illis verbis, [ quid nisi radij sunt diuinitatis monstrantes quidem; quia vero sit ] adiunctis illis [ cum autem de eo, quem non vides, cætera vides, scis indubitanter existere, quem oportet inquirere; verum hoc videndi genus commune, in promptu enim est iuxta Apostolum omni vtenti ratione, ] &c. ergo ex creaturis non solum probabiliter; sed etiam euidenter ac demonstratiue cognoscimus Deum; nam sicut visus per radios monstrantes solem non solum aliqualiter aut quomodocunque, sed manifeste clare & euidenter propriissima ac rigorosissima euidentia videt Solem, Lunam, & astra, ita similiter non quomodocunque probabiliter, sed clare euidenter & manifeste in toto rigore cognouit Deum per creaturas, quia per illas tanquam per radios monstrantes, ipsum indubitanter scit, & cognoscit diuinum numen, præcipue quia ille qui etiam probabilissime cognoscit aliquid, non indubitanter scit & videt id quod cognoscit, quia nulla probabilitas etiam maxima tollit dubium: ergo si ex D. Paulo vt ait Bernardus, homo per creaturas indubitanter scit & videt Deum non solum probabilissime, sed etiam euidenter videbit Deum euidētia rigorosa ac propria.

11 Hinc idem Bernardus *lib. de interiori domo, cap. 12. & 13.* docet quod speculum ad videndum & cognoscendum euidenter Deum sit animus intuens seipsum, ibi: [ frustra oculum cordis erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus est ad videndum seipsum; prius enim necesse est, vt cognoscat inuisibilia spiritus tui, quam possit esse idoneus ad cognoscenda inuisibilia Dei, & si non potes cognoscere te non præsumas apprehendere ea quæ sunt supra te, præcipuum ac principale speculum ad videndum Deum est animus intuens seipsum.]

12 Itaque omnes Patres vt videre est in Beda, Origene, Didimo, & omnibus his quorum verba in medium protulimus aperte docent D. Paulum loqui de euidente cognitione, quod adeo verum est, vt nullus Patrum Ecclesiæ ausus sit Apostolum loquutum fuisse de cognitione probabili solum, sed potius vnanimi consensu in hanc veritatem conspirarunt, nullo excepto; nam D. Anselmus qui ab aliquibus aduersariis pro se adducitur, nunquam negauit Paulum loquutum fuisse de cognitione euidente, solum addit Deum hanc veritatem siue seipsum gentibus manifestasse per lumen non tantum naturale, sed etiam supernaturale, & sic nostram sententiam docet, & præter eam amplius addit in quo minime fauet aduersariis, imo quoties verba Pauli explicat nostræ sententiæ mirum immodum fauet, vt vt patet ex verbis illius supra pro nobis adductis, quibus alia ipsius Doctoris explicantia illa verba Pauli, per ea quæ facta sunt, &c. in medium proferam vt magis ac magis id quod diximus omnibus patefiat. Verba Anselmi sunt [ si vigilanter exteriora conspicimus, per eadem ipsa ad interiora reuocamur, vestigia quippe creatoris sunt mira opera visibilis creaturæ, quoniam per hæc quæ ab ipso sunt, certe ac indubitanter imus ad ipsum dum factura suæ Deus pulchritudine & decus foris exponit, quasi quibusdam nutibus innuit nobis clare & aperte, quæ intus sequamur ostendens, miroque modo formis exterioribus nos ad interiora perducit viæ, quippe ad creatorem sunt opera considerata Creaturæ, quæ dum facta cernimus potentiam factoris videmus, & miramur; nam quocunque se verteret anima si vigilanter intendit in eisdem ipsis rebus; Deum inuenit per quas Deum peccando reliquit eiusque potentiam ex eorum rursus contemplatione cognoscit, quorum amore ipsum deseruit, & per quæ aduersa cecidit per hæc conuersa reuocatur, vbi enim lapsi sumus ibi incumbimus vt surgamus, & quasi ibi sistendo manus cognitionis figimus, vbi pede amoris lubrici corruentes negligendo iacebamus, & quia ab inuisibilibus per visibilia cecidimus, dignum est, vt ad inuisibilia ipsius rursum inuisibilibus innitentes redeamus, & quo casu anima venit ad infima, eo gradu reuertamur claro ac euidente testimonio ad summa.] Quod est inquit Prosper testimonium quod semper Domino deseruiuit, & nunquam de eius bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & enarrabilium beneficiorum eius diues & ordinata largitio, per quam humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum, & voluminibus temporum communis & publica diuinæ institutionis doctrina legeretur aperte: cœlū ergo, mare, terra & omnia quæ in eis sunt consona speciei suæ ordinationisque concentu protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua maiestatem sui loquebantur Authoris. Hinc vere & pie S. Augustinus aiebat, *lib. 1. Confessionum*, [ cœli inquit & terra clamant Domine vt amemus te, & fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. ] Ex quibus omnibus manifeste patet vt inquit P. Suarez, *lib. 1. de essentia Dei, cap. 1. num. 17.* Hanc sententiam esse communem Patrum ac Doctorum Ecclesiæ, quos ibi latissime recenset, idem docet P. Molina, *prima parte, tract. de Deo*, vbi docet communem sententiam esse Patrum & Scholasticorum D. Paulum euidenter demonstrari docere existentiam diuinam ex creaturis: ergo opposita sententia est contra communem Patrum & Doctorum mentem.

13 Quod præcipue euidentius patet ex D. Thoma, *lib. 1. contra Gent. cap. 12.* vbi quærens, an sit demonstrabile, Deum esse & posita opinione eorum, qui asserebant, Deum esse sola fide teneri, & demonstrari non posse, & postquam ipsam vocauit errorem, docet, demonstrari posse dari Deum, & probat hoc ex verbis Pauli; verba D. Thomæ sic se habent [ huiusmodi autem sententiæ falsitas nobis ostenditur, tum ex demonstrationis arte, quæ ex effectibus causas concludere docet, tum ex ipso scientiarum ordine. Nam si non sit aliqua scibilis substantia supra substantiam sensibilem, non erit aliqua scientia supra naturalem (vt dicitur in 4. Metaphys.) tum ex Philosophorum studio, qui Deum esse demonstrare conati sunt. Tum etiam Apostolica veritate asserente *Roman. 1.* ( inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur) nec hoc debet mouere quod in Deo idem est essentia, & esse, vt prima ratio proponebat; nam hoc intelligitur de esse, quo Deus in seipso subsistit, quod nobis quale sit, ignotum est; sicut eius essentia, non autem intelligitur de esse, quod significat propositionem intellectus; sic enim esse Deum sub demonstratione cadit; dum ex rationibus demonstratiuis mens nostra inducitur huiusmodi propositionem de Deo formare, qua exprimat Deum esse:] Sic Angelicus Doctor, vbi loquitur de demonstratione toto rigore, & proprietate, probat ex Diuo Paulo verbis supracitatis, Deum esse demonstratiue cognoscibilem per creaturas, vbi sincere secundum mentem omnium Doctorum sine

vlla controuersia docet tanquam ratum, & firmum D. Paulum nostram veritatem aperte docuisse. Quibus maxime consonat D. Hylarius *lib. 1. de Trinit. ferme in principio*, ibi [ de magnitudine operum, & pulchritudine creaturarum consequenter generationum conditor inspicitur, magnorum creator in maximis est, & pulcherrimorum conditor in pulcherrimis est, & cum sensum ipsum supergrediatur operatio, omnem tamen sensum longe necesse est, excedat operator pulchrum itaque cœlum, aer, vel æther, terra, maria, & vniuersitas omnis est, quæ exornatu suo, vt etiam Græcis placet, digne κόσμος, id est mundus nuncupari videtur; sed si hanc rerum ipsam pulchritudinem ita sensus naturali metitur instinctu, vt etiam in quarundam pecudum ac volucrum accidit specie, vt dum infra sententiam sermo est sensus tamen idipsum intelligens non eloquatur; quod tamen rursum dum sermo omnis ex sensu est, sensus ipse tibi loquatur intelligens, nonne huius ipsius pulchritudinis Dominum, necesse est totius pulchritudinis esse pulcherrimum intelligi, attestante Paulo inuisibilia Dei per visibilia creata manifeste cognosci? vt cum æterni ornatus sui species sensum intelligentiæ omnis effugiat, opinionem tamen intelligentiæ sensus non relinquat ornatus, atque ita pulcherrimus Deus est intelligendus, & confitendus, vt neque intra sententiam sit intelligendi, neque extra intelligentiam sentiendi.] Sic ille, vbi docet, omnem opinionem oppositam excludi, dum per creaturas ad Deum cognoscendum accedimus, quia euidentia & existentia Dei, quæ acquiritur per effectus creatos non relinquit intellectum opinatiue cognoscentem, ac proinde dubium, sed potius determinat, cogit, ac necessitat mentem ex vi suæ claritatis, & perspicuitatis sine indifferētia ad oppositum, ad asserendum Deum existere, qui talia effecta in lucem edidit; hoc enim sonant illa verba [ nonne huius ipsius pulchritudinis Dominum necesse est, & cætera vsque ad illa, intelligentiam sentiendi.] Quod omne docet secundum sententiam Pauli, quam pro se allegat illis verbis, attestante Paulo, &c.

14 Nec minus pulchre, aut belle idem Hylarius ad *Psalm. 65. vers. 3.* ibi [ quis non trepidet ad maiestatem eius, qui sæcula instituerit, mundum condiderit, tempora reuolubili vicissitudine cursuque dimensus sit, cœlum astris ornauerit, terram fluctibus repleuerit, mare obicibus concluserit, hominem, vt his aut vteretur, aut dominaretur, elegerit, quibus tanquam linguis se hominibus manifestauerit;] vnde Augustinus, *Psalmo 84. vers. 8.* [ ergo si nobis ( inquit ) promisit ostendere se nobis, qualis est pulchritudo eius? fratres cogitate hæc omnia, quæ videtis pulchra, quæ amatis iucunda, quæ diligitis vtilia ipse fecit; si hæc pulchra sunt, quid est ipse? si hæc magna sunt, quantus est ipse: ergo ex istis, quæ hic amamus, illum magis desideremus, & contemnentes ista illum diligamus. ]

15 Maior syllogismi positi §. *Declaratur hoc amplius*, patet ex verbis Concilij Tridentini, *Sess. 4. decreto de canonicis scripturis, & præcipue decreto de editione, & vsu sacrorum librorum*, §. *Præterea*, ibi; [ ad coërcenda petulantia ingenia decernit, vt nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum; aut etiam contra vnanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat: etiamsi huiusmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent, qui contrauenerint per Ordinarios declarentur, & pœnis à iure statutis puniantur. ] Sic Tridentinum, cui decreto consonat Synodus *in Trul. cap. 9.* quam putant Constan. 6. Item *caput, Exit, circa finem, de verborum signific. in 6. lib. 5.* præterea, *cap. hæresis, & cap. Adam, in fine 24. q. 3. & sess. 13. eiusdem Trid. Concilij, cap. 1.*

## SVBSECTIO II.

*Amplius confirmantur dicta ex aliis verbis eiusdem D. Pauli, & contextu ipso, & versionibus circa illum.*

ILla enim verba *manifestum est in illis*, Syrus 16
vertit רידי ערח הראלהא כליאהיבחיך, quod Latino idiomate sonat. *Didime delaha Galia hibehum*; id est cognitio Dei clare demonstratiue, & euidenter patefacta est in ipsis: quid clarius ad omnium aduersariorum elusionum tenebras fugandas poterat in medium proferri, vbi tot vocabulorum rigorosam euidentiam significantium multiplicatione additum pœnitus occludit, subterfugiis à contrariis excogitatis, ne puritatis nostræ veritatis splendor aliqua ex parte obnubiletur. Quod amplius confirmatur ex illis verbis intellecta conspiciuntur: quæ Syrus vertit בסובלא Latine *Besachala*, id est intellectu conspiciuntur, & videntur, quæ oculis corporis sunt inuisibilia; tanta claritate, ac Solem ipsi oculi Lunam, & stellam videre pulchra paronomasia idipsum insinuant Græca, habent enim τα ἀόρατα καθοράται, id est inuisibilia clare, & aperte videntur; scilicet per creaturas quasi διακατοπτρον, id est per speculum limpidum, sudum, purum, ac putum: ergo de mente D. Pauli non potest dubitari.

Sed demus, ea non esse tam clara ad nostrum 17
intentum patefaciendum, quæ sequuntur sufficerent, vt maxima victoria ab aduersariis reportaretur; nam postquam dixit Paulus, inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; concludit, [ itavt sint inexcusabiles. ] Quibus indubitanter docet Apostolus, tam euidentem fuisse cognitionem, vt nullam excusationem habeant de cultu, & adoratione ipsius; nam si inexcusabiles fuerunt Philosophi, vt ait Paulus: ergo certa, euidenti, & indubitata ratione Deum cognouerunt, non enim aliter prorsus inexcusabiles fuissent; potuissent namque seipsos excusare, ac dicere; propterea se non esse ausos diuino cultu, & honore Deum venerari, quod ipsum esse verum Deum nequaquam explorate perceptum, liquidoque cognitum habuissent. Pater autem Vasquez ad hoc argumentum respondet his verbis, vbi supra; ad hoc enim vt non possent excusari, satis est, si probabilissimam quandam, & prudentem notitiam habere potuissent; sic enim hanc habentes notitiam, Deum verum colere debebant: ex eo ergo gentes excusari non possunt, quod rationibus probabilibus apud prudentes non acquieverunt.

Sed contra manifeste, quia ipse P. Vasquez 18
*tam. 1. in 1. 2. disputat. 62.* docet, posse aliquem relicta opinione probabili magis tuta, sequi opinionem oppositam ratione probabilitatis, quam habet;

habet; verba P. Vasquez, *cap. 5. num. 26. §. quare*, sic se habent: [ quare ego quidem existimo posse aliquem recte operari cum assensu tantum probabili, etiam si habeat formidinem oppositæ partis, non solum si formidinem habeat simul cum iudicio vniuersali, sed etiam si eam habeat simul cum iudicio singulari, nec tantum formidinem habeat per extrinseca principia rei, sed etiam per extrinseca. ]Et *cap. 7. num. 39.* hæc habet: [Mihi igitur probatur maxime sententia Angeli, verbo ( confessio ) 4. *n. 2.* & Nauarri *in summa, cap. 26. num. 4. & in cap. siquis, de pœnitent. d. 7. num. 66. & sequentibus*, & Soti *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. ad 5. in fine art.* qui absque vlla distinctione absolute pronunciant, quemlibet Confessarium, siue proprium, siue ex commissione contra propriam opinionem posse concedere beneficium absolutionis pœnitenti, quem scit sequi opinionem probabilem minus tutam, siue illa sit in damnum alterius, siue non: &c. ] quæ doctrina communis est inter Doctores, & minimùm hoc certissimum est, nullo modo posse reprehendi eum, qui relicta opinione probabiliori sequatur oppositam, vt omnes Doctores, nullo excepto docent, vt videre est in P. Thoma Sanchez, *lib. 7. de matrim.* Tunc sic, per te Philosophi illi secundum D. Paulum solum probabili cognitione ducebantur ad cognoscendum Deum, & colendum ipsum, minimeque euidenti cognitione conuincebantur: ergo poterant sequi oppositam opinionem quæ sine dubio probabilis esset; quia quando vna opinio probabilis iudicatur, opposita non potest iudicari euidens, sed solum probabilis; vnde stante ac euidens iudicatur vna, altera erronea, seu falsa debet iudicari. Itaque quando probabiliter solum iudicamus aliquid oppositum, non possumus erroneum iudicare, quia oppositum probabilitatis taliter conceptum, licet minus probabile iudicetur, non tamen potest erroneum absolute vocari, alias si erroneum sit oppositum illius, quod probabile iudico, non potest sana conscientia sequi; quare si tu asseris posse sequi, oppositam sententiam, illi quæ probabilis est, non poteris dicere esse erroneam, quam sequeris, relicta tutiori, & probabiliori.

19 Patet consequentia, quia per te, relicta opinione probabili potest sequi opposita: sed illa de cultu Dei, & illa cognitio Dei erat solum per te probabilis, & non euidens secundum mentem S. Pauli: ergo secundum mentem ipsius poterant per te sequi Philosophi opinionem oppositam, negando Deum, & cultum religionis ipsi, præcipue quia secundum principia extrinseca authoritatis tot hominum, tot ciuitatum, & Regnorum poterant accommodare se opinioni illorum, negantium vnum Deum, & occultum ipsius: ergo secundum S. Paulum per te non deberent esse inexcusabiles, sed potius excusari deberent sicut excusaris nunc, quia relicta opinione probabiliori, & tutiori aliorum sequeris minus probabilem, & tutam aliquando proper sola principia extrinseca.

20 Atqui D. Paulus pleno ore vocat in excusabiles: ergo cognitio, cui opponebantur, non solum erat probabilis, sed euidentissima, demonstratiua, & clara in toto rigore, alias tam graui censura non afficerentur à D. Paulo.

21 Vrgetur efficacius, & euidentius; quia D. Paulus in eodem textu eosdem Philosophos qui relicta cognitione Dei per creaturas non cognoscebant illum, ac proinde non colebant ipsum, & negabant Deum, nominat pleno ore insipientes, stultos, vt patet ex illis verbis; [ sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & quadrupedum, &c. ]D. Hieronymus explicans illa verba, & obscuratum est insipiens cor eorum, sic ait [ recedentes à lumine veritatis. ] Quibus consonat id quod Tertulianus *lib. 4. in Marcio, cap. 25.* his verbis docet [& reos habuit sapientes, atque prudentes ex ipsis operibus tot, ac tantis intelligibilem Deum non requirentes, vel perperam in illum Philosophantes & ingenia hæreticis subministrantes ] & Irenæus *lib. 2. cap. 9.* idem confirmat ibi [ & huius peiores efficiunt eos, qui eis assentiuntur; illi enim creaturæ potius quam creatori seruientes, & his qui non sunt Dei, verum tamen primum Veritatis locum attribuunt fabricatori huius vniuersitatis Deo] *capite autem 16. eiusdem libri*, sic ait [ ipsa autem creatura in qua sumus per ea quæ in conspectum veniunt, hoc ipsum testante vnum esse, qui eam fecerit, & regat, valde hebetes apparebunt; quia ad tam lucidam adapertionem cæcutiunt oculis & nolunt, videre lumen. ]in eandem sententiam scribit etiam Aug. *lib. 9. confes. c. 10. & lib. 10. c. 6.* itaque D. Paul. stultos hebetes, & insipientes vocat Philosophos, qui non cognoscebant Deum per creaturas, vel quia relicta tali cognitione, dicebant non dari Deum: ergo D. Paulus euidentem docet esse talem cognitionem & toto rigore, ac proprietate, scientificam, ac demonstratiuam: patet consequentia, quia hic, qui se opponit cognitioni solum probabili negando id, quod per opinionem probabilem duntaxat affirmatur, nullo modo potest prudenter stultus, hebes, aut insipiens vocari; vnde si aliquis homo doctus, te insipientem, & stultum vocaret, quia te opponeres opinioni probabili duntaxat eius, affirmando oppositum illius, sine dubio à te nominaretur imprudens, & occasionem tibi iure quidem optimo tribueret acriter in ipsum inuehendi; è contra à vero, quando aliquis te opponit euidenti, scientificæ, ac demonstratiuæ cognitioni, affirmando oppositum illius, iure optimo, maximaque ratione stultus, insipiens, & hebes nominatur, eo quod, qui negat euidentiam incidit in errorem, & qui negat scientiam, incidit in insipientiam; & in stultitiam; sed Diuus Paulus insipientiæ, stultitiæ, & ignorantiæ tenebris inuolutos vocat, quia se opponebant cognitioni diuinæ essentiæ habitæ per creaturas, ipsosque in multos ac magnos errorum scopulos miserandum in modum impulisse per suam cæcitatem, ita vt veluti ad cautes allisi naufragium fecerint, dum sapientiam inaniter iactantes, suam insciciam prodiderunt: Vnde D. Chrysost. *homilia. 9. ad Populum Antioch. prope finem*, vbi locum D. Pauli explicuerat, vt Dei clariorem lucem offundat, quasi Paulum loquentem introducit his verbis: [ quis igitur tam miser, & ærumnosus, qui cœlum quidem cernens, cernens vero mare, & terram, cernens horarum temperiem, tam diligenter moderatam, & in concursum diei, & noctis ordinem hæc sponte fieri putet, nec adoret eum qui hæc omnia cum sapientia congrua disponit? habeo quod dicam, & his maius; non enim magnitudo tantum, & pulchritudo, sed & ipse creationis modus omnium moderatorem demonstrat; quoniam enim condenti & creati omnia ab initio non aderamus, neque si adfuissemus, quomodo fiebant scire poteramus in-

visibili virtute cuncta componente ipsum creationis modum optimum nobis magistrum esse fecit supernaturali consequentia componens omnia, quæ fiebant: ] & infra [ quis enim tam stultus, & insensatus, qui tantam molem cernens, tantam pulchritudinem, tantam compositionem, talium continuam elementiorum pugnam, & contrarietatem, & perseuerantiam non intra se ipsum ratiocinetur, & dicat, quod nisi prouidentia quædam esset corporum magnitudinem cohibens nec permittens totũ dissilire, nec permanere, nec sufficere potuisset] sic ille: ergo secundum D. Paulum prudentissime tali censura ipsos afficientem cognitio à qua deviabant, non solum probabilis erat, vt perperam docent aduersarij, sed etiam euidens proprie scientifica, & in toto rigore demonstratiua; quod magis vrget verbum illud à D. Hieronymo adductum, recedentes à lumine veritatis: nam opinio probabilis non est lumen veritatis; vnde eum qui à probabili solum opinione recedit, nequaquam possumus dicere à lumine veritatis recedere; lumen enim veritatis claram, & euidentem cognitionem illius denotat; quia lux, & lumen maximam claritatem habent, quam non habet opinio probabilis: ergo si D. Paulus secundum expositionem Hieronymi Philosophos recedentes à cognitione illa per creaturas, asserit recedere à lumine veritatis, proculdubio docebit recedere à cognitione clara, euidenti & demonstratiua Dei.

22 Vrgetur amplius, quia ipse Spiritus Sanctus, qui per os Pauli appellat stultos illos qui non cognouerunt per creaturas Deum, loquens per os Salomonis *lib. Sapientiæ, cap. 13.* vocat eosdem vanos, & stultos his verbis: [ vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset Artifex ] loco illius nominis *vani*, ponitur Græce μάταιοι, quæ vox vt notant D. Hieronymus, & Augustinus significat stultos, ignorantes, errantes, ac cæcos; vnde stulti sunt omnes homines (inquit) in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum; Græce loco illius propositionis, *in quibus non subest scientia Dei*, ponitur hæc ἐξ παρ' ὧν θεοῦ ἄγνωσία, idest quibꝰ aderat Dei ignorantia, subdit Sapiens aliquantulum veluti excusans eos, qui in creaturarum cognitionem, & æstimationem incubuerunt non agnoscentes Deum, ibi; [ etenim cum in operibus illius conuersentur inquirunt & persuasum habent, quoniam bona sunt quæ videntur ] postea tamen hanc excusationem omnino refellit his verbis: [ iterum autem nec his debet ignosci, si enim tantum potuerunt scire, vt possent æstimare sæculum, quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt? infœlices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellauerunt Deos opera manuum hominum aurum & argentum artis inuentionis, & similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ] quæ verba videtur transcripsisse Paulus cum ait: [ itavt sint inexcusabiles ] quibus omnibus consonat locus ille Psalm. dixit insipiens in corde suo non est Deus, [ vt nihil sit (inquit Augustinus) tam absurdum, ac falsum, quod in mentem, & os alicui non venerit; insipiens nescio quis dixit in corde suo, non esse Deum, in corde quidem, quia tam pauci sunt hoc errore infecti, vt ore dicere non audeant: ] Ergo ex his omnibus sacræ Scripturæ locis miro concordiæ vinculo copulatis ad mentem Pauli loquentibus manifeste colligitur opponentes se cognitioni diuinæ per creaturas, aut in quibus non datur scientia Dei per ipsas esse ignorantes, insipientes & stultos: Ergo taliter se opponere, ignorantia, error, & insipientia est, ac proinde opposita cognitio non solum probabilis, sed euidens, scientifica, & in toto rigore demonstratiua est secundum mentẽ D. Pauli, quod expresse docuit D. Th. *1. p. q. 2. art 2. in §. sed contra.* His verbis, [ sed contra est quod Apostolus dicit *ad Rom. 1.* inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sed hoc non esset, nisi per ea, quæ facta sunt, posset demonstrari Deum esse, primum enim quod oportet intelligi de aliquo est an sit:] sic D. Thom. quibus verbis aperte demonstrat nostram veritatem contineri in verbis Pauli, nec mirum quia Apostolus tot verba replicat, & congerit, quæ claram cognitionem significant vt non possint conuenienter coarctari ad significationem, quam aduersarij volunt; nam notum, manifestauit, conspiciuntur &c. quid denotant? nisi euidenter, & aperte nostram sententiam; vnde D. Filastrius [ Paulus (inquit) omnibus euidentiam, & claritatem continentibus verbis Deum ex creaturis cognosci posse prædicat ] & Beda *tract. 2. in Ioan.* vbi varia loca ex diuo Augustino refert hæc verba in lucem edit [ Deus potest inueniri per creaturam euidenter, dicente Apostolo inuisibilia enim ipsius, &c. ] idem egregie his aureis verbis docet D. Augustinus *lib. 10. Confess. cap. 6.* [ Quid autem amo cum te amo? Non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis; ecce istis amicum oculis, non dulces melodias suauium cantilenarum omnimodarum, non florum, & vnguentorum, & aromatorum suaueolentiam, non manna, & mella, non membra acceptatoria carnis amplexibus. Non hæc amo cum amo Deum meum, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum cum amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei: vbi fulget animæ meæ quod non capit locus, & vbi sonat quod non rapit tempus, & vbi olet quod non spargit flatus, & vbi sapit quod non minuit edacitas, & vbi hæret quod non diuellit satietas. Hoc est quod amo cum Deum meum amo. Et quid est hoc? interrogaui terram, & dixit, non sum, & quæcunque in eadem sunt idem confessa sunt; interrogaui mare, & abyssos, & reptilia animarum viuarum & responderunt: Non sumus Deus tuus, quære super nos; interrogaui auras flabiles, & inquit vniuersus aër cum incolis suis: Fallitur Anaximenes, non sum Deus tuus. Interrogaui cœlum, Solem, Lunam, stellas, neque nos sumus Deus quem quæris, inquiunt; & dixi omnibus iis, quæ circunstant fores carnis meæ: Dicite mihi de Deo meo quod vos non estis, dicite mihi de illo aliquid. Et exclamauerunt voce magna: Ipse fecit nos; interrogatio mea, intentio mea, & responsio eorum, species eorum, & direxi me ad me, & dixi mihi: Tu quis es? & respondi, homo; & ecce corpus, & anima in me mihi præsto sunt, vnum exterius, & alterum interius. Quid horum est vnde quærere debui Deum meum, quem iam quæsieram per corpus à terra vsque ad cœlum, quousque potui mittere nuntios radios oculorum meorum? sed melius quod interius est: Ei quippe renunciabant omnes nuncij corporales præsidenti, & iudicanti de singulis responsionibus cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, dicentium: Non sumus Deus, sed ipse fecit

fecit nos : homo interior cognouit hæc per exterioris ministerium, ego interior cognoui hæc. Ego ego animus per sensus corporis mei : interrogaui mundi molem de Deo meo, & respõdit mihi: Non ego sum, sed ipse me fecit. Nonne omnibus quibus integer sensus est, apparet hæc species ? Cur non omnibus eadem loquitur ? Animalia pusilla, & magna vident eam, sed interrogare nequeunt. Non enim proposita est in eis nunciantibus sensibus iudex ratio. Homines autem possunt interrogare vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur. Sed amor subdit eis, & subditi iudicare non possunt. Nec respondent ista interrogantibus nisi iudicantibus, nec vocem suam mutant, id est speciem suam ; si alius tantum videat, alius autem videns interroget, vt aliter illi appareat, aliter huic : sed eodem modo vtrique apparens, illi mutata est, loquitur : imo vero omnibus loquitur, sed illi intelligunt qui eius vocem acceptam foris intus cum veritate conferunt. Veritas enim dicit mihi : Non est deus tuus cœlum, & terra, neque omne corpus, hoc dicit eorum natura. Vide, en moles minor est in parte, quam in toto. Iam tu melior es, dico tibi anima, quoniam tu vegetas molem corporis tui, præbens ei vitam, quod nullum corpus præstat corpori, Deum autem tuus etiam tibi vita est. ] Quid clarius, & euidentius ; vnde omnes Patres Doctores Ecclesiæ nostram veritatem amplectuntur ; denique eodem modo sentiunt scholastici Sanctus Thomas, cum suis Thomistis Caiet. Ferrar. Capre. & alij moderni idem docent Alensis, 1. *part. quæst.* 2. Albert. *in sum. part.* 1. *quæst.* 17. Enriquez *in sum. art.* 22. *quæst.* 4. Marsil. *quæst.* 5. *art.* 1. Scot. Richard. & alij *in* 1. *d.* 2. *&* 3. qui fere omnes fundantur in verbis Pauli, de quibus etiam videri possunt ibi Toletus, & Pereira, qui constantissime hanc intelligentiã confirmant.

24 Confirmatur, nam rogo ab aduersariis quibus aliis verbis vti sacræ litteræ deberent præter has quibus vtuntur si nostram sententiam tradere disserte, & clare sine explicatione vellent, nam qua ratione verba quibus vtuntur ad minus propriam significationem detorquentur, detorqueri etiam possent quæcunque alia, quibus nostram sententiam explicarent, nam si cum hominem in scriptura lego, hominem intelligo, quoties materia non obstat, sed potius iuuat, cur in citatis locis euidentiam non intelligam ? cum verba euidentiam sonent, nec materia repugnet, sed adiuuet vt proprietas verborum retineatur, alias nihil haberemus certum in tota scriptura.

25 Atque ex his patet non obstare adductas explicationes ab aduersariis, nam si Canon ille interpretandi scripturam ab August. traditus, & in Concil. Toletano vndecimo, & in Arausicano, maxime celebratus, & ab omnibus catholicis Doctoribus receptus [ semper nimirum verborum proprietatem retinendam esse nisi authoritas Doctorum, & ratio aliqua euidens fieri aliter cogat ] vbique locum habere debet, hicque nihil impedit citata scripturæ verba in sensu proprio, qui sonat euidentiam sumi, quid est cur ad extortas & præposteras expositiones confugiendum sit, etenim non est satis vt à germano verborum sensu recedamus esse alia scripturæ loca, in quibus eadem verba pro cognitione in euidenti accipiuntur : in illis enim materia de qua sermo est, palam coniungit euidentem cognitionem vbi per ea non significari, cum tamen hic materia potius iuuet quando re vera ita est vt possit ex creaturis euidenter colligi esse Deum.

Accedit quod si quia in locis aliquibus scripturæ aliqua vox variè vsurpatur & transla titio in aliquibus, ideo in omnibus proprie accipienda sequitur nihil fere in propria verborum significatione dici, aut non posse certo constare nobis, quando per metaphoram accipienda sit vox, qua ratione magna quædam aperitur ianua ad quoslibet errores asserendos, ac præcluditur ad repellendos illos, scripturæ testimoniis, cum hæc possint per metaphoram explicari, atque ita eorum vis eludi, exemplum sit, negat quis formatam mulierem ex Adæ costa, educitur scripturæ testimonium, vt conuincatur, respondet metaphoricè accipi debere eo loco scripturæ verba, quod eadem in aliis translatitiæ vsurpentur. Quod supereſt remedium ? nisi ad materiam de qua ibi est sermo confugere, ostendereque nihil esse, quod ad recedendum à proprio verborum sensu cogat, ideoque illi standum esse : idem ergo erit in proposito, quo pacto intelligunt etiam Doctores Ecclesiæ vt iam supra vidimus. 26

Sed rogas an censura, qua Diuus Thom & alij Patres dignam esse dicunt opinionem sustinentem demonstrari non posse Deum esse, tribui etiam debeat asserenti ex diuinis litteris non colligi demonstrari posse Deum esse. 27

Respõde vt sub opinione positum est, notarine censura debeat sententia negans demonstrari posse Deum esse an non ? ita sub opinione cadere sitne censura dignus, an non ? Negans ex diuina pagina posse colligi demonstrari posse Deum esse, qui namque ex illa colligi posse ait, imo & colligi si consequenter opinaturus est, dicere quoque debet censura dignum esse negantem colligi ex sacris litteris esse demonstrabile deum esse, quia negat tradi à sacris litteris, quod reuera ille tradunt, vt enim censura dignus esset, qui vel concederet Christum esse hominem, negaret tamen id constare ex sacris litteris, quia negaret quod ipsæ aiunt ; ita in proposito, nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis, si enim negans demonstrari posse deum esse, ideo censura dignus est, quia oppositum habetur ex sacris litteris, quanto magis dignus ille censura erit, qui negat id litteras diuinas tradere, quod reuera tradunt ; atque hoc tam certum est, vt si cæcus esset, nullus hæreseos damnari vmquam posset, qui enim fidei dogma contentum in sacris litteris negat, ideo negat quia negat tradi à diuinis litteris : ergo prius ratione saltẽ est negare haberi ex sacra scriptura, quam rem ipsam negare, negans vero in sacris litteris contineri quod reuera continetur, si censura dignus non est, nec rem ipsam negans dignus censura erit ; cur enim aut qua de causa cum nihil asserat contra scripturam si contra illam non est negare eam ita docere : non ergo censura erit dignus, ac est : ergo. 28

Accedit hinc fieri vt res firmas, & statas de quibus ex scriptura nobis constet aut posse à nobis impune conuelli, aut in dubium vocari, aut certitudinis gradu quo illæ necessario habendæ sunt omnino de medio tolli, quo sublato nutaturum illarum assensum quis non videat. 29

## SVSECTIO III.

### *Obiectio ex D. Paulo ponitur & dissoluitur.*

Cesse illud hoc loco difficultatem affert, vt inquit Pereira, quod hæc sententia Pauli de Philosophis, qui verum deum cognoscere debuerunt, 30

runt, aut cognouerunt, videtur contraria esse alteri eiusdem Pauli sententiæ, quæ *in 1. capite prioris epistolæ ad Corinth.* scripta est his verbis: [nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.]

31 Ex quibus hoc argumentum contra nos potest efformari: quia in hoc loco *Epistolæ ad Corinth.* Docet Paulus mundum, id est mundanos homines sapientesque huius sæculi non cognouisse Deum, nec per sapientiam suam, id est solertiam, & acumen ingenij vel scientiam Philosophiæ: nec in sapientia Dei, id est in operibus eius, in quibus lucet ipsius sapientia, quibus consonat id quod Beatus Ioannes initio suæ historiæ euangelicæ scripsit dicens. [In mundo erat, & mundus per ipsum factus est & mundus eum non cognouit:] ergo ne sibi contradicat, & aduersetur Paulus, non est dicendum id, quod nos dicimus neque affirmandum, Apostolum loco *supra* citato, docuisse per creaturas evidentem cognitionem comparari.

32 Vrgetur amplius, quia quæ euidenter demonstrantur negari non possunt, sed multi, qui sibi sapientes videbantur esse, & Philosophorum rationes intellexisse negarunt Deum esse, vt referunt Lactantius *lib. 1. de diuinis institutionibus*, Cicero *1. de nat. Deor.* Plutarchus *lib. 1. de placitis Philosoph.* & alij: ergo signum est, cognitionem illam deductam ex creaturis non esse euidentem, & demonstratiuam toto rigore; deinde vrget P. Vasquez, quia vt homines ductu rationis teneantur assentiri Deum esse, non est necessaria demonstratio, alias pauci possent habere illum assensum, quia pauci sunt, qui philosophicis discursibus intendant, & pauciores qui illorum vim penetrent: ergo non oportet intelligere Scripturam de cognitione euidente, sed de illa, quæ ad operandum humano modo sufficiat.

33 Ad locum Pauli exponens illum Caietanus his verbis respondet; [non dicit Apostolus hoc loco quod nullus ex hoc mundo cognouerit Dei sapientiam, quoniam *ad Rom.* scribens dixit; quod Deus à multis cognitus est; sed dicit quod mundus non cognouit Deum, quoniam Philosophi, qui cognouerunt Deum, agnitam veritatem Dei in iniustitia detinuerunt, & sic mundus communiter non cognouit Deum;] sic ille, quod responsum his verbis elucidat Iustinianus noster in Paulum [etenim *ad Corinth.* ait, mundum non cognouisse, hoc est maximam hominum partem, quod verum est, etiam si pauci nonnulli Philosophi cognouerint, alijque cognoscere potuerint, cum præsertim illam ipsam Dei cognitionem quam nonnulli assequuti sunt, multis erroribus, falsisque opinionibus infuscarint, vt ex Platone, aliisque Philosophis facile cognosci potest; Itemque ex iis, quæ de Philosophorum placitis scribit, Plutarcus. Cum igitur multa de Deo Philosophis obuia essent, adeoque non pauca diuinitatis illi cognouerint euidenter attributa, merito censentur indigni excusatione, quia cum Deum cognouissent, aut facile cognoscere potuissent, non sicut Deum glorificauerunt:] sic ille. Vnde, vt sententia hæc Pauli, [quod mundus non cognouit Deum] sit vera, & sine vlla contrarietate, & antinomia, imo maximo amicitiæ, aut concordiæ, necessitudinisque vinculo copuletur, cum verbis *ad Roman.* dictis sensus est plerosque mundanorum hominum non cognouisse verum Deum, tametsi pauci aliquot Philosophi eum cognouerint; illi enim pauci, qui cognouerunt, comparati cum vniuersa hominum, qui verum Deum non cognouerunt, multitudine, quasi pro nullis sunt habendi secundum communem hominum loquendi consuetudinem, quam sequi etiam solet diuina Scriptura, paucissimos vero fuisse hominum, etiam ipsorum Philosophorum, qui veram, & sinceram Dei cognitionem habuerint, facile intelliget, qui opiniones de Deo veterum Philosophorum legerit, & ideo etiam reprehendit Paulus ipsos, & inexcusabiles vocat, quia cum facillime potuissent ex effectis creatoris perfectionum sinceram cognitionem haurire, his non attendentes, vt debebant, tot tenebris errorum obnubilauerint, infuscauerintque proprias mentes.

Altera solutio huius difficultatis est, qua vtitur 33
Pererius super hunc locum Pauli; quam sequitur etiam P. Granado, & in hunc modum ab ipso traditur [duplex haberi potest Dei cognitio, quarum vna est tantum speculatiua, qua cognoscitur Deus esse, & mundi esse conditor, & rector: quæ si nuda, & solitaria sit, infructuosa est homini, quinetiam nonnunquam ad maius ei crimen, pœnamque imputatur. Altera est cognitio Dei, præter speculatiuam Dei notitiam, iunctum etiam habens debitum animi erga Deum affectum, timorem dico Dei super omnia, & venerationem, & dilectionem, & gratitudinem animi in agendo gratias pro acceptis ab eo beneficiis, eumque solum Deum adorando, & interno, atque externo cultu venerando; cultum autem idolorum, falsorumque Deorum execrando. Hæc cognitio appellari posset effectiua, & practica, quam non habuere Philosophi illi, quibus Deum esse cognitum, affirmat Paulus *in epist. ad Rom.* siquidem in ibi dicit eos, cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauisse nec ei gratias egisse: ergo priorem illam notitiam Dei speculatiuam habuere nonnulli Philosophi; posteriorem vero nullus sapientium huius mundi habuit, & de hac posteriore cognitione Dei loquitur Paulus *in epist. ad Cor.* Enimvero Philosophi illi, qui Deum cognouerunt, ita se gesserunt externo vitæ cultu, & in suis moribus, & sermonibus, factisque quasi non cognouissent Deum: non enim manifestabant eum aliis, nec externo cultu venerabantur, sed publicum vulgi errorem sequentes, simulacra falsorum deorum pro vero Deo adorabant: quam ob causam dicti sunt à Paulo detinuisse veritatem Dei in iniustitia. Sic ille.

Licet hæ expositiones congruæ videantur se- 35
cundum corticem litteræ, nihilominus tamen si medullam loci Pauli enucleemus, secundum mentem Sanctorum Patrum, alia adhiberi debet expositio, quæ magis congruat menti Apostoli, & euidentius soluat antinomiam apparentem, quam nobis opponunt aduersarij vt nostram veritatem eneruent quam clarissime trado, aduertendo (cum D. Ambrosio, Augustin. Tertuliano, & Chrysostomo, quorum verba infra in medium proferam) D. Paulum toto hoc primo capite loqui solum de reuelatione, per quam Deus omnibus fidelibus notam fecit diuinitatem Christi, pro qua hortatur Apostolus Corinthios fideles, tanquam pro ingenti, & maximo beneficio gratias agere Deo: siquidem tot ethnicis sapientibus, tot Iudæis relictis propria ignorantia de Christo submersos, qui non potuerunt in sapientia sua cognitionem de christi diuinitate consequi, eo quod Iudæi signa petebant, & Græci euidentia naturali

argumenta

argumenta requirebant ad confitendum Christum esse deum, ipsos è media plebe, tanquam omnium contemptissimos vtpote stultissimos, & insipientissimos elegerit, vt illis dirissimos huius sapientiæ, quæ ad Christi diuinitatem cognoscendam dirigitur, thesauros liberalissime tradiderit, in ipsosque magnificentissime profuderit.

36 Vnde cum in epistola Paulus loquatur solum de cognitione Christi, quatenus Deus est, & neget eum mundum cognouisse, manifeste sequitur, neque vestigium, aut vmbram contrarietatis reperiri inter hunc locum Pauli ad Corinthios, & inter locum eiusdem Apostoli *ad Rom.* siquidem in illa epistola, quando asserit Philosophos cognouisse deum per creaturas, solum loquitur de cognitione, non Christi, sed de deo secundum se, quod non negat in *epist. ad Corinthios*, sed potius confirmat quasi implicite, dicendo, Philosophos sapientes, Græcos eruditos, & Iudæos, qui euidenti cognitione intellexerant deum eo quod mediis euidentibus conuincebantur, Christum neglexisse, quia ad hoc nullum medium euidens naturale ipsis proponebatur. Ex quibus euidenter patet, tantum ab esse, vt hæc loca inter se opponantur, nobisque officiant, quin potius maxime inter se cohæreant, & nobis mirum in modum faueant.

37 Quod autem Paulus tota illa epistola loquatur de Christo, & de cognitione ipsius habenda solum per reuelationem diuinam, & fidem catholicam, patet ex verbis ipsius Pauli ibi [ gratia vobis, & pax à deo patre nostro, & Domino Iesu Christo, gratias ago deo meo semper pro vobis in gratia dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quod in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia spectantibus reuelationem domini nostri Iesu Christi, qui & confirmavit vos vsque in finem sine crimine in die aduentus domini nostri Iesu Christi, fidelis deus per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi domini nostri ]; ecce quomodo Paulus solum de cognitione Iesu Christi per reuelationem habita loquitur, & paulo infra docet hanc doctrinam non debere prædicari, aut persuaderi sapientia naturali, quia si hoc modo prædicaretur, nullomodo posset persuaderi, ratione cuius sapientes Græci solum quærentes ad persuasionem argumenta clara naturalia, non assensum tribuunt prædicationi, ac proinde incapaces se reddunt cognitionis Christi dei, verba Pauli hoc continentia sic se habent: [ non enim misit me Christus Baptizare, sed Euangelizare, non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi, verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salui fiunt, idest nobis dei virtus est, scriptum est enim, perdam sapientiam, sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo, vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquisitor huius sæculi? nonne stultam fecit deus sapientiam huius mundi; nam quia in dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam deum, placuit deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes; quoniam, & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt; nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, quia quod stultum est dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est dei, fortius est hominibus; ] supra quæ verba sic ait D. Ambrosius, [ perdit sapientiam sapientium, dum quæ illi negant posse fieri, facit, & reprobat intellectum prudentium, cum deum quem incuriosum dicunt aggressum, probat ea, quæ stulta putant; vt Dei filius incarnatus de Virgine crucifigeretur, pro humana salute, quod factum vere testatur virtute, non verbis. ]

38 Ecce quomodo Ambrosius aperte docet, Paulum loqui de cognitione Christi; vnde Augustinus *lib. 10. de ciuit. Dei c. 28.* [ non enim (inquit) suam in eis perdidit, & reprobat quam ipse donauit, sed quam sibi arrogant, qui non habent ipsius, & ideo non cognoscunt Iesum Christum ] & ideo Propheta Isaias *c. 29. 14.* [ peribit enim sapientia (ait) à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur ]; Septuaginta verterunt [ & perdam sapientiam sapientium, & intellectum, seu prudentiam prudentum abscondam ]; atqui ait Hieronymus in sacris litteris scriptum est, omnis sapientia à domino Deo est; quam igitur sapientiam abolendam dicit Propheta? ad vsum nimirum humanæ sapientiæ intelligit ipse Doctor maximus, quod etiam insinuat Clemens Alexandrinus *cap. 1. & 5. stromatum*, qui eorum sapientiam reiici docet, qui sibi nimium placentes, eo quod Christi diuinitas non euidenter demostratur per media naturalia sibi naturaliter cognita, ipsum Christum despiciunt, eiusdem sectatores stultos appellantes, ratione cuius dixit Dionys. Areopag. *epist. 7.* [ verum & ipse Apollophanes diuinis aduersus diuina nefarie vtitur: nam per hanc rerum scientiam, quæ ab ipso Philosophia rite nominatur, & à Paulo beatissimo sapientia dei appellatur, ad authorem omnium (Christum videlicet) & eiusmodi quoque scientiæ parentem oportebat viros Philosophos subuehi ] quod clarius docuit D. Hieronymus in supradictum Isaiæ testimonium his verbis [ non quod deus sit inimicus sapientiæ cuius pater est, & per quem omnis est in hominibus sapientia; sed cum additamento posuit, vt in Hæbraico est sapientium populi, & prudentium illius, id est populi Iudæorum, & reuera grande miraculum Deus fecit in populo post aduentum domini Saluatoris, vt vno, atque eodem tempore arderet Ierusalem, templumque corueret, & omnis Magistrorum scientia tolleretur, qua opponendo se Christo abutebatur. ]

Quid clarius ad nostrum intentum poterat excogitari? vbi Doctores hi Ecclesiæ maxime reprehendunt Philosophos, quia cognitionem de Christi diuinitate stultitiam asserunt, & illam abiiciunt, quia per naturalia euidentia media illam se comparare non posse vident: quomodo enim media naturalia ad obiectum supernaturale potest conducere cognoscendum? certe minime, quod his verbis docuit Chrysostomus [ quoniam docuit ad susciendam Euangelij prædicationem, neque in sapientia quicquam positum esse præsidij, neque enim peritum ab inscitia lædi, & quod longe admirabilius est, quodque humanæ mentis, atque intelligentiæ aciem fugit, imperitia longe est aptior, ac promptior ad fidem susciendam, quam sapientia; pastor enim, & rusticus citius eam susciet, & absque vlla disputatione sese Deo subiiciet: sic ergo perdidit sapientiam, & aliquanto post, quid est autem stultam fecit? stultam ostendit ad fidem comprehendendam; quoniam enim ob eam se valde efferebant, & sibi placebant, eam cito refelli. Quænam est enim sapientia, cum bonorum caput non inueniat?

Fecit ergo eam apparere stultam, quoniam illa prior seipsam redarguit. Si enim quando rationibus licebat inuenire, nihil ostendit nunc, quando res afferuntur maiores quomodo aliquid poterit efficere quando sola opus est fide, & non facundia; stultam ergo eam ostendit Deus, quibus consonat id, quod Leo Pontifex maximus docet *serm. 5. de natiuit.* cum hæc ipsa Pauli verba protulisset his verbis: [mundo ergo, id est prudentibus mundi sapientia sua cæcitas facta est, nec potuerunt per illam cognoscere Deum Christum Dominum, ad cuius notitiam, nonnisi in sapientia eius acceditur, & in reuelatione ipsius, & ideo quia mundus de vanitate sua horum dogmatum superbiebat, in eo constituit Dominus saluandorum fidem, quod & indignum videretur, & stultum, vt deficientibus hominibus, opinionum præsumptionibus sola Dei gratia reuelare, quod comprehendere humana intelligentia non valeret.] Sic ille [quomodo: ergo (ait Chrysostomus) per lutum cæcum curauit; ita etiam orbē terræ per crucem adduxit, quod qui dē erat additio scandali, nō scandali ablatio, ita etiā fecit in creatione per contraria confirmans, & stabiliens contraria; arena quidem certe mare munijt infirma validū, & forte frænans, aquæ terram imposuit efficiens, vt grauis, & densa veheretur à molli, & fluida per Prophetas rursus paruo ligno, vt ferrum in altum emergeret, & enataret, efficit; ita etiam cruce quoque orbem terrarum attraxit, quomodo enim aqua portat terram, ita etiam crux portat orbem terræ magnæ: ergo virtutis, & sapientiæ est argumentum persuadere per contraria.

Sic Chrysostomus. Ex quibus euidenter colligitur Paulum hic non loqui de notitia Dei, sed de cognitione Christi Domini quam mundani Philosophi non sunt assequuti, licet assequuti fuerint cognitionem Dei per creaturas, quia eadem media requirebant ad vtrumque, quod est absurdum, quæ veritas patet ex ipso contextu, & ex illis verbis Pauli; nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt, ac si dicat Paulus, ideo non cognouisse Philosophos sapientes Deum, quia sapientiam quærebant, id est scientifica, & euidentia media, per quæ conuincerentur ad Deum cognoscendum; atqui si loqueretur Paulus de cognitione Dei, facile erat tribuere sapientibus media euidentia, scilicet illa, quæ tradidit Romanis dicens, inuisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; Neque poterat dicere Paulus, non cognouisse Deum, quia sapientiam inquirebant, hoc est euidentia demonstratiua media; cum potius per ipsa perueniatur facillime ad cognitionem euidentem Dei: ergo si inquit euidentia media non conducere, imo impedire ad cognitionem Dei, euidens est loquutum fuisse, non de Deo, quatenus Deus est, quia sic maxime cognoscibilis est per euidentia media, sed de Christo, vt Deo, ad cuius cognitionem non peruenitur per media naturalia euidentia, sed per reuelationem ipsius, vt docet Chrysostomus ex ipso Paulo, neque ad cognoscendum Deum poterant requirere Iudæi signa, & miracula quia ad id, quod euidenter potest cognosci per lumen naturæ non sunt necessaria signa, & miracula; quapropter quando Christus Dominus prædicabat Iudæis Deum dari in cœlis, non quærebant signa, & miracula, quia hoc euidenter cognoscebant, & iam diù tanquam vetus pro certo habebant vt-pote acceptum à Moyse & à Prophetis; solum enim petebant signa, & miracula à Christo, quando aliquid nouum, & illis inauditum prædicabat; quale erat ipsum esse Deum, & Filium altissimi; tunc enim dicebant, Magister volumus à te signa videre: ergo si D. Paulus ait, Iudæos ad cognitionem Dei petere signa & miracula, euidenter sequitur non loqui Apostolum de cognitione Dei, vt Deus est, quia hanc libenter admittebant Iudæi, sed potius de cognitione Christi vt Dei, quod Iudæis nouum, inauditum, & scandalosum videbatur; vnde concludit Paulus dicens, nos autem prædicamus Christum crucifixum: ergo de cognitione Christi crucifixi in hac epistola *ad Corinth.* loquitur Apostolus, ad quam ostendendam plura miracula edidit Christus, quibus visis, adhuc alia signa quærebant, quia obdurata mente præsentibus conuicti ad alia de nouo facienda appellabant, quasi vellent exhaurire omnipotentiam diuinam, qua exhausta non possent alia de nouo miracula fieri, vt sic possent ipsi paruipendere mysteria diuinitatis Christi, quæ iam denuo, ac deinceps non posset miraculis, & signis demonstrari: quibus subterfugiis euadere contendebant certitudinem nostræ fidei; vnde irridens Paulus tum Græcos sapientes, tum Iudæos pertinaces, & obduratos illos, quia media euidentia naturalia ad Christum Deum cognoscendum requirebant, istos quia adhuc post tot miracula patrata, quasi illa non sufficerent, alia de nouo petebant, ita ait quando nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæi signa petunt, ac si Lazarum resuscitatum non vidissent ab ipso Christo, & alia miracula maxima in confirmationem huius doctrinæ experti non fuissent, & Græci sapientiam quærunt, ac si obiectum supernaturale posset cognosci per media scientifica naturalia.

Obseruat hoc Chrysostomus incredibilem fuisse Pauli Apostoli sapientiam, qui mirifice ostendat quomodo Deus singula singulis rite oppositerit; nam quoniam Iudæi signis ac prodigiis addicti erant, neque de Dei potentia diffidebant, ac propterea signa quærebant, qualia olim viderant, audita cruce, & morte Christi, quod erat imbecillitatis argumentum tantum abest, vt diuinam fidem animo conceperint, vt magnopere potius offensi fuerint; atque illis quidem Christi crux non modo non est signum, sed signi peremptio, & non solum videtur esse ostensio virtutis, aut potentis, sed etiam probatio imbecillitatis, itaque vere dicit Paulus: nos autem prædicamus Christum crucifixum, iam quoniam Græci nihil præ sapientia magni faciunt, cum in euangelica prædicatione audiunt Dei filium pro hominum salute in crucem fuisse sublatum, & id genus alia multa humana fide maiora, quæque omnem philosophicam rationem longe superant meras nugas, & fabulas putant; quo circa Paulus ait Christum crucifixum Græcis esse stultitiam, apte vero vtrumque dicitur; nam Iudæi diuinæ, ac supernaturali fidei assueti, qui multa supra naturam à Deo facta esse non ignorabant, nihil poterant alienum à ratione iudicare; quod diuinari factum esse crederent; de re igitur ipsa dubitabant, nec absque signo, ac prodigio sibi persuaderi patiebantur, eum quem ipsi quasi legis euertorem in crucem egerant Dei esse filium, & humanæ libertatis vindicem, & assertorem; Græci vero quidquid de Christo Christiana fides sentiendum proponit, prorsus absurdum, atque à recta ratione alienum putabant; vt autem eorum aperiret oculos, ait Paulus, nonne stultam fecit Deus sapientiam

sapientiam huius mundi, id est stultam ostendit, sic enim in creatione stultum ostendit Deus illud axioma philosophicum, ex nihilo nihil fit; sic in incarnatione stultum ostendit illud, Deus corpore, loco tempore claudi nequit; in passione illud Deus pati, & mori non potest; tandem in Eucharistia ostendit stultum, accidens non potest esse sine subiecto, corpus nequit esse in puncto, duo corpora non possunt esse in eodem loco, licet hæc naturæ non tamen Deo possibilia sunt: ergo loquitur Paulus non de cognitione Dei vt Deus est, sed de Christo vt Deo.

39 Ad confirmationem illam optime respondet P. Suarez his verbis [respondeo primo non negasse veritatem hanc demonstratam, nisi qui attente illius demonstrationem considerare noluerunt, aut non potuerunt; vel ex defectu doctrinæ & ingenij, vel ex aliqua nimia cupiditate, qua præsertim obcæcantur politici nostri temporis, qui in atheismum declinant. Secundo dicimus non omnem demõstrationem esse æque facilem, & notam; aliqua enim est vera demonstratio quia, quæ de se intellectum bene dispositum conuincit, non est tamen tam clara, quin proteruus possit resilire, semper tamen hoc prouenit ex aliqua cæcitate mentis nolentis ponderare vim præmissarum, vel illationis; vnde Nazianzen. *orat. 2. Theolog.* [nimis (inquit) absurdus, & præposterus est, qui non cedit argumentis naturalibus euidentibus vtique, & inficiatur Deum esse] ecce Nazianzenus, in quo maxime fidebat P. Vasquez euidentius omnibus contra ipsum loquitur; vnde ex his verbis, quibus se explicat sanctus hic Doctor &, ex explicatione, quam supra adduximus *subsect. 1. prope initium illius*, vbi varios Doctores citauimus, inter quos ipsum Nazianzenum, verborum, quæ profert ipse Nazianzenus *orat. 34. q. 2. de Theologia*, satis aperte liquet nullum Doctorem reperiri, qui faueat opinioni contrariæ.

40 Ad alteram confirmationem respondemus 1. ideo Deum prouidisse vt homines fide potius quam naturali discursu ambularent, quia ille infirmus est, & non potest omnibus esse communis. 2. dico, fingamus homines in pura natura sine fidei reuelatione necessarium fuisse, vt vulgus hominum ignorantium, & simplicium crederet suis maioribus, quod in hac veritate esset facillimum, & conueniens, facile quidem, quia licet non posset omnibus res esse perfecte nota, tamen ipsa veritas proposita cum aliquali declaratione ex effectibus notissimis est per se credibilis, ac valde probabilis, conueniens autem esset, quia in re tam graui non expediret, vnumquemque de populo duci suo solo iudicio, & apparenti verisimilitudine; oporteret ergo sapientibus, & maioribus fidem habere, talis autem fides remote niteretur in certa assertione aliorum quæ non posset esse ita certa, nisi esset etiam euidens.

## SVBSECTIO IV.

### *Solutio Patris Gillij in verbis Christi Domini* Ioannis 17. *fundata diluitur, ac refutatur.*

41 PAter Gillius *lib. 1. tract. 8. cap. 5. §. dixi autem*; volens fugere vim verborum Pauli pro nobis adductorum ad probandum Dei cognitionem esse euidentem ex creaturis præcipue illorum, manifestauit, conspiciuntur; sic ait, illa vero videri, manifestari, conspici non necessario inferunt assensum euidentem, non manifestare; hoc enim accipitur in scriptura etiam pro manifestatione ineuidente; imo & quæ solam opinionem gignat; nam Christus dixit *Ioann.* 17. [Pater manifestaui nomen tuum hominibus] verbum autem videri etiam abstrahit à quouis genere notitiæ euidentis, & ineuidentis, nam de uisione per fidem dixit Christus *Ioann.* 14. [Philippe qui videt me, videt & Patrem:] sic Gillius.

Quam solutionem, licet meo videri, euidenter 42
supra refutauimus, *sect. 2. à §. sed contra solutionem horum, vsque ad subsectionem 1. ex decreto Concilij Tridentini*; nihilominus in specie & in particulari sic eam labefacto, probando Christum Dominum euidentia in attestante, quæ rigorosam euidentiam in rem attestatam refundit, manifestasse nomen Patris, ac proinde Christum, ad significandam eam euidentiam vsum fuisse verbo, manifestaui, quæ claritatem, & euidentiam denotat: ergo male se protegit Gillius tali loco ad probandum verbum, manifesto; quo vtitur Paulus, aliquando in scriptura significare non euidentem, sed obscuram cognitionem, qualis est cognitio fidei.

Quod autem Christus euidentia in attestantem 43
manifestauerit mysterium Trinitatis, ac proinde excellentiam Patris, patet manifeste, quia Christus sæpissime ostendebat, se esse Deum, aut minimum nomine Dei loqui reserando secreta cordium illorum, vt patet *Lucæ* 11. ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis; &c. & *Matt.* 9. cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit vt quid cogitatis mala in cordibus vestris; quid est facilius dicere dimittuntur tibi peccata, an dicere, surge, & ambula, &c. & *Lucæ* 5. vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum respondens, dixit ad illos; quid cogitatis in cordibus vestris, &c. *Matthæi* 12. Iesus autem, &c. ergo euidenter ostendebat, se loqui verum in omnibus, quæ docebat; patet consequentia, quia Deus, vt postea demonstrabitur tota hac disputatione, nullo modo potest mentiri, aut mendacium dicere propter imperfectionem mentiendi, quæ non potest in Deum cadere; sed Christus est Deus: ergo euidenter colligitur, verum dicere, & non mentiri. Tunc sic omnis propositio, aut loquutio vera necessario infert eo modo esse obiectum quo significatur per illam: ergo si Christus dicebat, dari Patrem & mysterium Trinitatis prædicabat: ergo euidenter sequitur ex hac euidentia in attestante, vere dari Patrem, & vere repetiri mysterium Trinitatis; sed loquens Christus Dominus de hac manifestatione nominis Patris per euidentiam in attestante, dicit se manifestare Patrem, & vsus est verbo, manifestandi: ergo verbum in hoc loco *Ioannis* 17. non significat cognitionem obscuram sed claram, & euidentem: ergo male asserit Gillius dicens in hoc loco verbum manifestare, significare solum cognitionem obscuram fidei.

Quod autem ex manifestatione secretorum cor- 44
dium sequatur Deum esse qui loquitur, sic patet, quia euidens est lumine naturæ & in fide sanctum non posse vllam puram creaturam cognoscere secreta cordium, & reuelare illa, ac proinde proprium esse Dei talia secreta reuelare; sed Christus Dominus, vt iam dixi, reuelabat secreta cordium, & ipsis cogitantibus quorum secreta cordium referebat euidens erat, talia secreta propria à Christo reuelari: ergo euidens illis erat, Christum talia reuelantem, & referantem Deum esse & authoritate diuina loqui. Maior est clara, vt

patet ex Paulo 1. *Corinth.* 2. *c.* 14. *num.* 24. dicente. [ Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum pronuncians, quod vere Deus in vobis sit.] Ecce vbi aperte D. Paulus decernit, nulli creaturæ datum esse, sed solum ad Deum spectare occulta cordis reuelare; siquidem ex tali reuelatione inquit statim colligi, Deum esse, qui talia reuelet: quare *in secundo cap. eiusdem epistolæ*, dixerat idem Apostolus; quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, & ob eandem rationem solus Deus dicitur, posse hominum corda scrutari, 3. *Regum* 9. Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum, & *primo Paralypomenon, cap.* 6. tu enim solus nosti corda filiorum hominum, & *Hieremiæ* 12. parum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscit illud: ego Dominus scrutans cor, vbi Hieronymus [ hinc discimus (inquit) quod nullus cogitationes secretaque cordis cognoscit, nisi solus Deus; cum autem Iesus videat cogitationes, & nullus possit internas cogitationes videre, nisi solus DEUS: Christus ergo Deus est,] sic Hieronymus, vbi nostrum discursum aperte profert: ergo de fide est, non posse vllam creaturam, sed solum DEUM secreta cordium referare, ac reuelare.

Quod autem sit euidens lumine naturæ, patet manifeste, & probemus hoc in Angelo, (de quo solo poterat dubitari, quia de hominibus, vt experientia docet, nulla potest esse rationabilis dubitatio) ex insufficientia actus primi illius, quia nimirum Angeli ex natura sua non sunt sufficienter constituti in actu primo ad eliciendam cognitionem actuum liberorum: ergo illos naturaliter cognoscere non possunt. Consequentia est euidens, supposito antecedenti; quia non datur actus secundus nisi detur sufficientia in actu secundo ad illum. Antecedens sic probatur; quia actus primus duo requirit ad sui sufficientiam, lumen videlicet, seu potentiam & speciem impressam in tali potentia, de lumine, seu potentia non est dubium; quia sufficiens potentia datur in Angelo, nec enim hæc additur, aut minuitur, antequam cognoscatur, vel quando cognoscitur actus liber; vnde solum dicendum est deficere speciem impressam, ex eo quod indebita sit Angelo, & cuicunque creaturæ; ratio autem, quare indebita sit talis species, est quia intellectuale agens in his actibus liberis se gerit maxime, non solum vt agens naturale, sed potius, & præcipue vt morale, & ideo non debentur species talium actuum, nisi vt accommodatæ, & proportionatæ ordini morali, ad rectum autem moralem ordinem non esset accommodatum, neque conueniens vt creatura intellectualis haberet huiusmodi species actuum liberorum aliarum voluntatum; sic enim omnes liberi actus singulorum cæteris omnibus noti essent, quod est contra finem multitudinis, & societatis personarum intellectualium, & rationalium, & contra bonum ordinem sibi debitum; quia inde orirentur odia, & contentiones, & specialiter dæmones acrius possent in homines sæuire, si eorum affectum intime cognoscerent vt reuera possent, si eorum species haberent: ergo bonus ordo moralis postulat, ne tribuantur tales species, sed potius ipsis indebitæ sint.

45 Deinde, quia si cognoscerentur omnes actus liberi, nulla daretur indifferentia ad bonum, & malum; sed indifferentia ad vtrumque est libertas: ergo nulla daretur libertas; vnde dicere quod cognoscerentur omnes actus liberi est contradictio in adiecto, quia est supponere dari actum liberum & non dari. Maior sic probatur, quia vbi non datur exercitium liberum, & indifferens, nulla datur indifferentia in actu primo: atqui in illo casu minime se exercerent homines ad bonum, & indifferenter, neque possent se exercere, sed potius homines cogerentur necessario operari bonum, & non malum, & ne à superioribus pœnis afficerentur, ab inferioribus murmurationibus prosequerentur, opprobriis, & contumeliis ab æqualibus; ac tandem ne in honore detrimentum paterentur, & minimum perfectam libertatem in tali exercitio non haberent, vt vnusquisque de se potest recte iudicare: ergo licet Angelus cognoscat formaliter essentiam alterius Angeli clare & euidenter, & entitatem formalem animi rationalis, nihilominus non potest cognoscere formales actus liberos eorum, quia licet ij actus formaliter sint in illis, æquiualenter tamen sunt eminenter, & se habent ac si tantum eminenter continerentur, cum autem quod eminenter est solum quia in se non est formaliter, non possit cognosci ex eo quod solum sit in potentia indifferenti ad infinita; ita neque liberum formaliter existendo, quia per æquiualentiam eminenter existit; ex iis, & aliis euidenter puto, nullam creaturam posse naturaliter cognoscere, ac proinde neque propria auctoritate loqui de secretis cordium cum veritate: ergo lumine naturali euidens est Deum solum posse cognoscere, & loqui de secretis cordium.

Secundo sic probatur, quod Christus manifestauerit suam diuinitatem euidenter; nam Christus 46
reuelauit multa opera libera futura, & multa alia futura, quæ dependebant à voluntate Dei; sed Deus solus potest reuelare futura libera: ergo Christus, qui talia reuelauit, Deus est. Maior est certa: totum enim Euangelium plenum est prophetiis à Christo prolatis de rebus libere futuris, inter quas celeberrima est illa Christi DOMINI, qua loquens cum Petro Apostolo, negationem illius prædixit futuram, & liberam, dicens: *antequam gallus cantet, ter me negabis.* Item Christus reuelauit excidium Ierusalem faciendum à Romanis, propagationem Euangelij per vniuersum orbem, &c. ergo. Minor est clara; quia cognitio futurorum præcipue liberorum est propria DEI; vt patet ex illo *Isaiæ* 41. Annunciate nobis futura, & dicemus, quia dij estis; vbi proprium Dei asseritur, cognoscere, annunciare futura, & loqui de eis; vnde *cap.* 46. per eundem prophetam dicit Deus [ Ego sum DEUS, & non est vltra Deus, neque est similis mei annuncians ab exordio nouissimum & ab initio, quæ nondum facta sunt. ] Quapropter Tertullianus *lib.* 2. *contra Marchionem*, *c.* 5. sic ait: Deus quot facit prophetas, tot habet testes præscientiæ suæ, & in *Psal.* 138. dicitur, intellexisti cogitationes meas de longe, hoc est futuras, vt omnes DOCTORES Ecclesiæ explicant, & *Ecclesiastici* 23. Domino meo antequam creentur omnia sunt cognita, & *Daniel cap.* 3. tanquam proprium, & singulare hoc Deo attribuitur *ibi.* [ Ipse reuelat profunda, & abscondita, & nouit in tenebris constituta, ] supra quæ Hieronymus hæc profert [ frustra ab hominibus quæris in terris, quod solus Deus nouit in cœlis.] hinc prophetia per quam hæc futura prædicuntur, vt ait D. Augustinus est signum certissimum, & euidentissimum diuinæ veritatis, & reuelationis, vt patet ex 1. *Corinth.* 14. ibi [ Spiritus autem loquitur

loquitur mysteria; nam qui prophetat hominibus loquitur; ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.] Ecce Spiritui sancto prophetiam attribuit Paulus; non esset autem sufficiens signum diuinæ veritatis, nisi solus Deus posset illa futura cognoscere, vt recte docent Chrysostomus, *homil. 32. in 1. ad Corinth.* & D. Thomas *3. contra Gent. cap. 154.* & sumitur ex illo *2. Petri 2.* habemus firmiorem propheticum sermonem, &c. ratione cuius dicebat Origenes contra Celsum diuini sermonis caracterem esse futurorum prædictionem, & Iustinus Martyr, in responsionibus ad quæstiones Christianorum *in 2. quæst. de iis futuris*, sic ait. [ Quædam Dei sunt omnia, & verborum futurorum prædictio & rerum euentus, qui per Prophetas, & Apostolos ante prænuntiauit quæ futurus esset.]

47 Dices, non posse quidem creaturam certo cognoscere hæc futura in omnibus suis causis, quatenus in eis diuina voluntas comprehenditur, à qua etiam hæc futura pendent, quia nisi volente, vel permittente Deo non euenient; vnde quia creatura non potest scire diuinam deliberationem, ac voluntatem, ideo non potest ipsa certo cognoscere, & scire hæc futura; ex quo euidenter sequitur prædictionem certam futurorum esse signum diuinitatis, aut diuinæ loquutionis, in quantum sola diuinitas habet in manu, & voluntate sua omnem causam secundam, vt illam vel impediat, vel efficaciter ad agendum inclinet; vnde non erit contra hæc testimonia, neque contra fidem dicere, posse creaturam certam cognitionem habere, etiam illorum futurorum, quæ pendent à libero arbitrio, dummodo subintelligatur excepta ab hac regula diuina voluntas, & potestas.

48 Sed contra primo, euidenter ex hoc ipso sic argumentor, nulla creatura potest futurum illud cognoscere, quod à libera voluntate Dei pendet, & diuino consilio, aut permissione diuina est faciendum; sed omnia futura libera nullo excepto Deo volente, aut permittente futura sunt, quia nihil potest fieri sine dependentia ab aliqua ex his voluntatibus: ergo omnia futura libera sunt omnino incognita creaturæ.

49 Secundo contra, quia licet hæc futura vt cognoscibilia in causis maximam habent incertitudinem respectu omnis intellectus creati, quia à libera voluntate Dei pendent, nihilominus etiam est certissimum, ac de fide talia futura non posse ab vlla creatura adhuc in sua proxima causa creata certo cognosci; quod patet euidenter 1. ex similitudine rationum; quia ratio ob quam in diuina voluntate non potest creatura etiam perfectissima cognoscere futura, bipartita est, quatenus voluntas diuina dupliciter considerari potest, scilicet vel euasi in actu 1. vt apta est ad volendum; vel in actu 2. id est vt iam volens, priori ergo modo non potest in voluntate diuina cognosci futurus effectus, quia de se indifferens, ac indeterminata est, & in causa indeterminata nihil determinatum potest cognosci; quæ ratio etiam probat Deum ipsum in se ipso, seu in sua voluntate sic expectata non posse cognoscere futura.

50 Posteriori autem modo potest Deus cognoscere futura quæ absolute vult; quia iam ipsa voluntas in actu non cognoscitur, vt futura, sed potius vt præsens, & cum illa effectus futurus habere potest infallibilem connexionem; at vero creatura non potest naturali virtute hanc Dei voluntatem certo cognoscere, & ideo non potest in illa voluntate cognoscere futura.

Porro autem hæc ratio æque probat de cognitione futuri effectus in causa libera creata seu proxima, quia eisdem duobus modis spectari potest & priori modo spectata, vt potentia nondum eliciens suum actum, etiam cum omnibus requisitis ad agendum applicata, est causa indifferens, & indeterminata: ergo in illa vt sic nihil determinatum potest cognosci; quæ ratio non solum de creatura, sed etiam de Deo probat; quoad cognitionē certam in causa. Posteriori autem modo considerata voluntate creata vt est sub actu suo, in hoc maxime differt à voluntate diuina, quod diuina non habet actum de nouo, neque in futurum aliquid volet, quod non semper, & ab æterno voluerit; quia non habet temporalem determinationem, sed æternam; voluntas autem creata prius caret actu, & postea illam habet, & quem nunc habet, postea mutat. 51

Vnde si actus ille consideretur antequam fiat, sub qua ratione est vere futurus, cognosci non potest in ipsa potentia quod sit certo futurus propter rationem dictam; scilicet quod causa est indifferens. Si autem ille actus iam supponitur factus, iam non cognoscitur futurus sed præsens: & per consequens non in causa, sed in se, verumtamen licet talis actus sit cognitus ipsi volenti, alios vero latet; quia non potest, vt supra diximus, vlla creatura cognoscere secreta libera; vnde si loquamur de alio effectu externo futuro, ex vi talis actus etiam ille non potest cognosci vt futurus est, quia vel ille effectus est simul cum ipso actu voluntatis, à quo manat etsi iam cognoscetur vt præsens & non cognoscetur ab aliis in causa sua, idest in actu voluntatis, sed potius contrario in exteriori actu, & per ipsum, tanquam per exteriorem effectum, interior voluntas cognoscetur. Si autem ille effectus non est simul cum actu interiori voluntatis sed postea futurus est, sic dupliei de causa non potest ab illa creatura etiam perfectissima cognosci, scilicet quia non potest præsentem actum alienæ voluntatis cognoscere sua sola virtute naturali, & quia licet cognosceret præsentem actum, non posset scire, an in futurum duraturus esset, permutaretur voluntas; neutrum enim eorum in tali voluntate, vel actu eius determinatum est; & ideo neque effectus futurus independens potest in tali causa cum certitudine cognosci; vnde fit vt neque ipsa creatura possit id cognoscere circa seipsam. 52

In quo est infinita differentia inter Deum, & creaturam; nam Deus in suo decreto libero efficaci certissime cognoscit futurum esse quod decreuit, quia huiusmodi decretum Dei est omnino immutabile; at vero creatura, licet nunc efficaciter proponat, se facturam aliquid, non certo scit in illo proposito id, quod se facturam proposuit, tum etiam quia fieri potest vt Deus illum effectum impediat. 53

Vnde confirmatur amplius, quia de se ipsa non potest creatura vlla in sua voluntate præscire, quid sit volitura, vel facturā, vel an facturā postea sit quod se facturam postea proponit, tum quia libere volitura est, tum quia nescit, an suum propositum sit mutatura; vt ipsa experientia patet: ergo multo minus de aliis id poterit cognoscere, atque hac ratione dicunt sancti, non potuisse malum Angelum virtute sua naturali peccatum proprium præscire 54

ptius quam faceret illud; neque Angelum bonum esse potuisse de sua perseuerantia securum, prius quam perseuerasset, nisi reuelatione diuina, vt docet Augustin. *lib.2. Genes. ad litter cap.17. & lib.11. de ciuit. Dei, cap.13.* quod affirmat Anselmus, *lib de casu Diaboli, cap.21.* probatque optima ratione, quia quod potest non esse ex eo quod indeterminatum sit ad essendum, & non essendum non potest determinate præsciri certa scientia; sed peccatum creaturæ, antequam peccet potest esse, & non esse: ergo non potuit certo præsciri.

55 Dices, his rationibus demonstrari euidenter non posse creaturam, etiam perfectissimam in voluntate præscire futura, non autem illis conuinci non posse creaturam futura cognoscere in se ipsis; neque vlla ratione posse demonstrari.

56 Sed contra demonstro hoc hac ratione; quia concretum quatenus tale est, non potest cognosci, nisi cognoscatur forma, per quam constituitur in esse talis, siue concretum sit extrinsecum, siue intrinsecum, visum enim, amatum, aut intellectum, quæ concreta extrinseca sunt, nullo modo possunt quatenus talia euidenter cognosci, nisi cognoscantur visio, amor & intellectio, à quibus essentialiter, per modum causæ formalis constituitur.

57 Et ratio euidens à priori est, quia res non potest vllo modo cognosci sine essentia, & quidditate propria, alias illa esset essentia, & non essentia; definitio enim essentiæ, & quidditatis hæc est, sine qua neque esse neque intelligi potest res; sed formæ illæ sunt de essentia concretorum, quia concretum essentialiter constituitur à forma: ergo concreta illa nullo modo possunt cognosci, quin cognoscantur formæ illæ, à quibus constituuntur.

58 Tunc sic res futura quatenus futura nihil aliud est, quam res possibilis, vt volita ad hoc vt in tali tempore fiat, ita vt pro materiali dicat rem possibilé & pro formali actum liberum Dei decernentem, aut volentem permittere, vt in tali differentia temporis existat: ergo concretum extrinsecum est à diuina volitione essentialiter constitutum: ergo non potest futurum, vt futurum cognosci euidenter, nisi euidenter cognoscatur diuina volitio libera; sed talis volitio libera est incognoscibilis euidenter virtute naturali creaturæ intuitiue, quia videretur Deus abstractiue, quia quatenus rem futuram constituit nullum habet effectum necessarium, & determinatum, in quo cognoscatur; Item non habet causam: ergo nullo modo est cognoscibilis libera volitio Dei, &c. quod sine vlla probatione concedunt omnes, vt euidens lumine naturæ secundum illud; quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ ipsius.

59 Dices, verum esse quod futura res, vt futura reduplicatiue non possit cognosci à creatura, ne cognoscatur actus liber Dei, qui est quasi forma illius futuræ rei, nihilominus poterit creatura non provt futura, sed provt præsens in aliqua differentia temporis cognosci antequam sit, vbi non est res futura vt futura reduplicatiue, sed solum specificatiue futura, & in hoc modo cognoscendi non est necesse, vt cognoscatur actus liber Dei, vt ratio formalis extrinseca illius.

60 Sed contra euidenter, quia tunc (casu negato licet non cognosceretur manifeste decretum vt forma, nihilominus necessario cognosceretur decretum vt causa efficiens imperativa, quia nulla res creata potest transire de statu possibilitatis ad statum futuritionis, vel actualitatis pro aliqua differentia temporis, nisi per decretum liberum Dei actuale ab æterno quia, creatura futura, vel actualis non est à se, sed ab alio, scilicet à Deo libere, & intellectualiter agente, & libere decretante, quod res fiat pro tali, vel tali differentia temporis, & quod existat præsens in hac, vel illa duratione; quod euidens est lumine naturali, vt ex postea dicendis clarius patebit: ergo si creatura cognoscit effectum illum euidenter pro aliqua differentia temporis existentem & præsentem, euidenter etiam ex illo effectu cognosceret, dari decretum liberum Dei ab æterno, ratione cuius illa creatura habet quod transeat ab statu puræ possibilitatis ad statum actualitatis pro tali, vel tali differentia temporis.

61 Verbi gratia, euidenter cognosco ex Petro nunc existente realiter dari decretum liberum ab æterno, quo voluit Deus, vt Petrus in hac differentia temporis existeret; sed creatura cognoscit nunc effectum futurum creatum: ergo cognoscit nunc dari ab æterno decretum liberum, quo voluit Deus efficaciter in tali differentia temporis futura esse rem illam futuram, quæ vt talis cognoscitur: sed decretum liberum Dei est incognoscibile, quod est pure internum, vt est decretum de re futura: ergo nullo modo potest cognosci res futura, non solum reduplicatiue vt futura, sed neque vt præsens pro aliqua differentia temporis antequam fiat; quia nihil est, quod actu manifestet illud decretum, cum actu res illa, quæ deberet manifestare ipsum, non sit actu, sed potius postea erit actu, & tunc sicut erit, manifestabit, ergo.

62 Tandem Christus per miracula resuscitando mortuos, sanando ægrotos, & alia id genus mirabilia patrando, suam diuinitatem ostendebat.

63 Secundo, sic probatur ex eo quod Deus habeat infinitam potentiam in operando potest facere aliquid ita de nihilo, vt nihil sui res illa factum actu præsupponat, scilicet materiam primam, quæ habet connexionem cum re facienda, ratione cuius faciat id, quod ex nihilo producit supposita solum possibilitate rei, & hic modus operandi est propria creatio, tam propria Dei, vt nulli creaturæ connaturaliter possit conuenire vt demonstro in physicis; sed Deus in cognoscendo est infinitus: ergo suppositá solum cognoscibilitate rei poterit reddere rem cognitam à se ratione infinitæ cognitionis terminatæ ad illam, quæ nihil est actu, & nullo actuali cognito supposito pertinente ad talem rem, quæ cognoscitur actu à Deo, siue vt causa, siue vt effectus, & hic modus cognoscendi est ita proprius Dei ratione suæ infinitæ perfectionis, quia est quoddam quasi genus creandi, vt ita dicam per intellectionem, ex eo quod scit cognoscere rem ex nihilo præsupposito intra rationem obiecti cognoscibilis; sed cognitio rei futuræ, vt futuræ est huiusmodi, cum neque præsupponat causam actu cognitam, neque effectum, &c. ergo talis cognitio ita est propriæ Dei, vt nulli creaturæ connaturaliter possit conuenire.

64 Vrgeo hoc, & declaro amplius, quia omnis cognitio rei vel est abstractiua, vel intuitiua, abstractiua in causa vel in effectu, intuitiua per effectum intentionalem, hoc est per speciem impressam, quam debeat producere obiectum in intellectu cognoscentis actu, vt media tali specie

specie intellectus producat cognitionem actualem rei cognitæ: sed nulla ex iis cognitionibus potest dari in creatura rei futuræ: ergo creatura nullo modo potest cognoscere rem futuram connaturaliter. Maior de cognitione abstractiua in causa est euidens, vt demonstratum manet iam; quia causa est libera indeterminata, & indifferens. De cognitione autem abstractiua in effectu reali est euidentior, quia res futura vt futura, & antequam actu sit, non potest actu producere effectum, ignis enim, qui erit tempore Antichristi non potest nunc actu vrere; quia producere actu effectum realem actualem est dare esse actuale reale effectui; sed res, quæ actu non est, & solum est futura non potest dare esse actuale reale, quia nemo dat, quod non habet; res autem futura non habet esse actuale vllo modo: ergo res futura non potest producere actu effectum actualem realem, in quo abstractiue actualiter cognoscatur.

De cognitione intuitiua actuali etiam est propositio euidens, quia cognitio intuitiua est cognitio immediata rei in se causata mediante specie impressa quam mittit actu, vel producit in intellectu actualiter intuitiue cognoscente res cognitas; sed futura res non potest actu producere speciem impressam in intellectu cognoscentis; quia talis productio est productio effectus actualis realis intentionalis, res autem quæ actu non est vt futura nihil potest actuale reale producere; vt probatum est: ergo nulla potest dari actualis species impressa de futura re connaturaliter debita intellectui: ergo nulla potest dari cognitio intuitiua in intellectu alicuius creaturæ naturaliter.

66 Vltimo sic probatur, quia futurum ab æterno est futurum, & ab æterno habet esse futurum à solo Deo per actum internum liberum sine aliqua intrinseca mutatione reali in ipsa re futura; sed solum per transitum, vel mutationem obiectiuam, & extrinsecam: ergo solum respectu Dei habet esse liberum; cum solum per decretum liberum habeat esse; sed cognoscibilitas est eiusdem rationis, ac esse: ergo habet esse cognoscibile solum respectu Dei libere decernentis: ergo solum respectu Dei, & ab ipso solo potest cognosci, cũ ab ipso solo cognoscatur decretum diuinum, ratione cuius habet esse futurum; vnde sicut nulla creatura potest cognoscere naturaliter quid, & quomodo decreuerit Deus aliquid ab æterno; ita nulla creatura potest cognoscere rem esse futurã ab æterno.

67 Tandem Christus innumera miracula fecit, quibus suam diuinitatem euidenter demõstrauit, quia miracula non possunt fieri nisi virtute diuina; nam de ratione miraculi duo sunt, primum vt sit insolitum opus, & extraordinarium, vel in effectu, vel in modo; secundum vt opus sit tale, quod per naturales causas fieri non possit; huiusmodi autem fuisse opera, quæ Christus faciebat, per se notum est; tum ex modo, quia subito sine vlla resistentia solo imperio hæc faciebat, & morbos etiam incurabiles ad quamcunque distantiam sine impedimento interiecti corporis, & non ad modum agentium naturalium, sed imperio suo sanabat; tum etiam ex ipsis effectibus, quales sunt restitutio visus, & suscitatio mortuorum quæ, operationes fieri nequeunt, vel arte magiæ, vel opera Dæmonis, vt constat; quia nulla vis naturalis reducere potest animam semel à corpore diuulsam; nam licet Dæmonis opera per secretam medicamentorum applicationem curari possint ægritudines aliquæ, non tamen omnes, neque adeo graues, quales à Christo curatæ fuerunt; neque suscitationes mortuorum vt diximus, & ideo Christus *Math.* 12. respondens malitiæ Iudæorum, qui dicebant, ipsum eiicere dæmonia in virtute, & ex pacto Principis dæmoniorum, & alia miracula eodem modo in virtute dæmonis facere, vt ipsos conuinceret, sic ait omne regum in se diuisum desolabitur: vnde huiusmodi miracula aperte demonstrabant facta fuisse diuina virtute à Christo, quod Christus aperte docuit *Ioan.* 11. dicens [Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis;] nempe me esse Messiam verum Deum filium vnigenitum Patris, qui in testimonium huius veritatis, hæc signa facit virtute Dei; & ad Martham dixit. [Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me etiam si mortuus fuerit, viuet,] videlicet, qui credit me esse Deum qui suscitare, & viuificare possum diuina virtute; vnde *Ioannis* 5. inquit Christus: Opera, quæ dedit mihi Pater, vt faciam; ipsa sunt, quæ testimonium perhibent de me, *& cap.* 15. si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; & ideo vnum ex signis, quod dederat Deus ad cognoscendum Messiam fuit quod mira opera esset facturus; vt constat *Isaiæ* 35. quapropter vt persuaderet discipulis Ioannis Baptistæ, & ipsi Ioanni se esse verum Messiam, & Deum, dixit *Mathæi* 11. Ite, & renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, &c.

Itaque indubitatum est, miracula, etiam si à puris creaturis facta sint, vt ab Apostolis, non posse fieri, nisi virtute diuina; vnde Chrysostomus *hom.* 10. *ad populum Antioch.* dicit, Apostolos permisisse Deum flagellari, corporis morbos subire, carcerem habitare; ne propter miraculorum magnitudinem ab hominibus, vt Dij haberentur: verba eius sunt. [Quid autem in Apostolis fecit? quoniam signa multa faciebant, & miracula magna, & mirabilia, ipsos tamen continuè flagellari permisit, pelli, carcerem habitare, corporis morbos subire, in continuis esse tribulationibus. Ne signorum magnitudo Deos ipsos apud homines putari faceret; propterea tantum largitus gloriam, corpus esse mortale permisit, multis vero valetudinarium, nec ipsorum valetudinem mutauit, vt naturam insinuaret. Nec meus hic sermo, sed ipsius Pauli sic dicentis; si enim gloriari voluero, non ero insipiens; parco autem ne quis in me putet supra quod videt, vel audit aliquid ex me, & rursum; habemus autem thesaurum hunc in vasis fictilibus; quid autem est in vasis fictilibus? in corpore hoc inquit, mortali, & corruptibili, sicut enim testa ex luto, & igne fit; sic profecto, & corpus Sanctorum illorum, cum sit Luteum, & spiritualis ignis efficaciam susceperit testa factum est. Et qua de causa hoc factum est, & thesaurum talem, & gratiarum copiam mortali & corruptibili intulit corpori? vt superabundantia virtutis sit à Deo, & non à nobis; cum enim videris Apostolos mortuos quidem suscitantes, ipsos vero ægrotantes, nec infirmitate se liberare valentes, manifeste scies, quod mortui resurrectio non ex virtute suscitantis, sed spiritus operatione facta est. Quod enim continue ægrotabant, audi quid de Thimotheo dicat Apostolus, vino modico vtere propter stomacum, & frequentes infirmitates tuas; & Philippensibus scribens dicebat, quod Epaphras ægrotauit prope mortem; si enim & cum hæc essent ipsos Deos esse putabant, & sacrificare parabant dicentes, Dij similes facti hominibus, descenderũt ad nos, si hæc non accidissent, ad quid impietatis miraculis conspectis tunc non processissent]

Sic ille, vbi clare, & aperte docet miracula diuinitatem spirare; quod etiam D. Dionysius *in Epist. 4. quæ est ad Caium*, vbi cum dixisset, Christum ea quæ sunt hominis fecisse supra hominem, subdit [cuius rei euidens indicium est Virgo excellentis miraculi nouitate concipiens, & aqua instabilis, ac fluida materialium terrenorumque pedum substinens pondus, nec cedens, sed supermundana, admirandaque potentia constans ad materiæ solidioris imaginem diuinitatis adminiculum demonstrans] idem docet *cap. 2. de diuinis nominibus, prope finem*, his verbis, [Ignoramus tamen quomodo ex virgineis sanguinibus altero quam naturali iure formatus est, quove pacto siccis pedibus corporale pondus habentibus, materiæque grauitatem liquidam perambulauit, instabilemque substantiam] quod clarius docuit Damascenus 3. *de fide, cap. 15.* ibi: [Quia supra quam humana conditio ferret ea, quæ erant hominum agebat, vt cum influxa & instabili vnda terrenis pedibus incederet, non indurata aqua, verum per eximiam diuinitatis potentiam ita comparata, vt minime diffluere, pedumque corporeorum grauitati cederet] quod elegantius docuit Augustinus *serm. 185. de tempore* ibi: [Cum vidissent discipuli Christum super tumentia maris dorsa substratis fluctibus ambulantem, & cum aquarum iter instabile sub diuinis solidaret, vnda famula vestigiis turbatos fuisse, &c.] nempe quod instar solidioris corporis vnda se habuerit substinens gressus, & vestigia corporis grauis. Quod autem miracula euidenter demonstrarent omnibus creaturis intellectualibus virtute diuina fieri, & de Angelis certissimum est; illi enim euidentissime cognouerunt diuina virtute facta; de Dæmonibus autem declaratur, quia euidenter experiebantur vim, & efficaciam humanitatis Christi in ipsos; deinde intuebantur animam, v.g. Lazari vere fuisse à corpore separatam, atque iterum eidem corpori coniunctam per veram informationem; similiter visum fuisse restitutum ei, qui illo caruerat; cum enim hi effectus licet supernaturali modo fierent in se tamen, seu in termino sint naturales, euidenter videntur ab Angelis prout in se sunt cognitione naturali. Et autem eisdem Angelis euidens, huiusmodi effectus illo modo non posse fieri naturali virtute, & ideo etiam mali Angeli tergiuersari non poterant. Homines vero non potuerunt habere tam claram euidentiam, quia non possunt intime effectum in se ipsis naturis, sed solum quantum per externa signa apparet; nihilominus habere potuerunt tantam, ac tam sufficientem euidentiam, vt sine magna temeritate, & insigni malitia repugnare non possent, vt ipse Dominus *Ioann. 13. & 14.* testatus est, suppositis veritate talium miraculorum, vt patet ex definitione miraculi, & ex proprietatibus nuper positis illius.

68 Quod autem illa miracula re vera talia essent, qualia apparebant, euidens etiam esse potuit humana quadam & naturali euidentia; idque constare poterat vere euidenti experientia; quis enim dubitare posset, eum, qui triginta, & octo annis subito visus est lectum suum portare vere fuisse sanatum: similiter erat euidens, hominem cæcum à natiuitate, vere caruisse visu & similiter manifeste constare poterat, ipsum postea vere vidisse; tandem quis poterat dubitare de morte Lazari, siquidem Scriptura ait, quatriduanum fœtidum in sepulchro, aut monumento positum ad viuos reuocasse Christum; nam & fœtor corporis, & sepultura illius per quatuor dies euidenter demonstrabant animam exhalasse Lazarum; postea autem opera omnia vitalia, quæ faciebat Lazarus post miraculum illud liquido demonstrabant vere mortuum, ac vere suscitatum esse à Christo. Deinde ex multitudine talium operum, quorum effectus erant diuturni, & perseuerantes & in nullo eorum inuenta est fallacia, vel deceptio, cuius euidens signum est, quod cum sæpius, & multo tempore, & inter hostes suos, qui maximo odio illum prosequebantur, hæc fuerit Christus operatus, nunquam tamen illi obiecerunt deceptionem, aut falsitatem, in huiusmodi operibus, neque enim vnquam ausi sunt negare, vel Lazarum vere fuisse suscitatum, vel cæco à natiuitate visum vere restitutum, quamquam interdum ignoranter, & impudenter calumniarentur, hæc fieri ex pacto cum Dæmonibus, quasi vero ipsi Dæmones talium operum auctores esse possent.

Itaque ex his tribus generibus operum, nempe 69
ex reuelatione secretorum cordium, ex prophetia futurorum liberorum, & ex miraculis patratis à Christo euidenter demonstrabat ipse, se esse Deum.

Quod autem suppositia tali demonstratione 70
euidenter etiam constaret quidquid loquebatur, non posse esse falsum, sed verum, est manifestum; quia Deus adhuc de potentia absoluta non potest mentiri; sed si falsum diceret Christus, qui est Deus, mentiretur: ergo Christus, nec de potentia absoluta potest falsum dicere: probatur minor, primo quia mentiri est falsum dicere, cum intentione decipiendi, vt docet Sanct. August. *tom. 4. lib. contra mendacium, cap. 12.* in hac autem assertione falsi intrinsece inuenitur malitia, seu deordinatio; cum enim ea, quæ alteri dicuntur suapte natura deseruient ad manifestandam illi veritatem, vt ita possit esse mutua eo loquutio, & communicatio digna substantiis intellectualibus, eo ipso quod quis falsum dicat, vt decipiat, detorquet loquutionem ad finem illi contrarium, scilicet ad fallendum, ac proinde inuertit naturam illius, & sic facit actum vitiosum & cum malitia mendacij, vt ait D. Thomas 2. 2. *q. 110. art. 3.* Tunc sic per vos Deus diceret falsum ad decipiendos homines: ergo diceret formaliter mendacium, & formaliter mentiretur; deinde probatur illa minor, quia mentiri est contra mentem ire, vt docent omnes Patres, & Theologi, præcipue D. August. *lib. contra mendacium, cap. 8. & 9. & lib. 7. de ciuit. Dei, cap. 6.* hoc est dicere aliter ac cognoscit, idest dicere contra ea, quæ per mentem, & intellectum cognoscit, qui dicit; sed Deus dicens falsum contra mentem propriam iret; diceret enim aliter, ac in se cognosceret, & contra id quod per mentem & intellectum cognoscit: ergo mentiretur Deus formaliter. Minor hæc est euidens, quia Deus omnia verissime cognoscit, intuitur, videndo ea quæ sunt eo modo quo sunt: hoc enim pertinet ad infinitam, & excellentissimam diuinæ sapientiæ, & omni scientiæ perfectionem, & eminentiam; itaque impossibile est, vt Deus falso cognoscat rem, alias non erit infinita sapientia, &c. atqui Deus dicens falsum non diceret rem vt cognoscit, sed potius oppositomodo, ac cognoscit, quia cognoscens verum diceret falsum; & verum, & falsum sunt opposita, & cognoscens rem eo modo, quo est, diceret illam aliter, ac est: ergo Deus dicens falsum contra mentem iret: ergo mentiretur, &c.

Maior

71 Maior illa sic probatur,quia mendacium est intrinsece malum ex natura sua , quod esse de fide sentit August. *hæresi 70: Et in lib. de mendacio,& contra mendacium*, & sumi potest ex capite super eo *de vsuris*, quatenus ibi dicitur secundum diuinam scripturam non esse licitum mentiri , etiam propter tuendam vitam. Itaque quædam sunt intrinseca mala , quæ prohibentur , quia ex se mala, & non è contra , vt odium Dei , desperatio à bonitate diuina , blasphemia , hæresis &c. vt in materia de peccatis late probauimus,& in materia de legibus omnes cum D. Thoma grauiores Theologi proponunt;& ratio est manifesta.

72 Quia sicut in aliis rebus quædam sunt ex se contraria naturæ vniuscuiusque rei , seu illi disconuenientia , vt venenum , ex natura sua est malum naturæ animalis , frigiditas est opposita calori ; ita etiam naturæ intellectuali quædam sunt per se , & extrinseca ratione illi contraria, & disconuenientia quæ respectu illius mala sunt & facta libere sunt mala moraliter ; vnde licet hæc respectu creaturæ semper sint lege prohibita ; quod Paulus *ad Rom. 3.* intendit ; non tamen sunt mala , quia prohibita, sed potius prohibentur,quia mala, nam hoc spectat ad sapientem Dei prouidentiam , & ideo quæ huiusmodi sunt , si suam rationem formalem obtineant , Deo etiam repugnant ; quia etiam est natura intellectualis, & infinite bona ; summo autem & infinito bono repugnat omne malum,etiamsi per legem illi prohibitum sit.

73 Huiusmodi autem malum est mendacium , vt & ipsi etiam barbari sentiunt , quia est valde dissonum naturæ intellectuali ; eo quod euertat ordinem eius , & sit contra finem & necessitatem verborum , seu loquutionis rationalis ; nam ad hoc est institutum à natura verbum externum, vt per illud significemus internum, & ita possit esse inter rationales naturas societas , & fidelitas, seu fiducia ; totum hoc destruitur , si verba non consonent menti ; & ideo hoc ipso quod verbum est contra mentem,signum est per se dissonum esse rationali naturæ , & hoc est esse per se intrinsece malum ; & hinc vlterius concluditur nunquam posse honestari propter bonum finem , si retineat rationem falsi signi contra mentem ; quia ab illo est inseparabilis malitia , & nunquam licet facere malum, vt inde eueniat bonum.

74 Imò addit acute August.*lib.de mendacio, cap.8.* multo magis destrui naturæ institutionem , si dicamus aliquando licitum esse mendacium , quomodo enim inquit credendum est illi , qui putat aliquando esse mentiendum;nam forte tunc mentitur , quando præcipit ; vt illi credamus ; & *paulo post*, quo admisso omnis omnino disciplina fidei subuertitur.

75 Et ex eodem principio concluditur non posse mendacium fieri licitum , etiam ex dispensatione diuina , quia non potest Deus intrinsecam naturam rei , & essentiam mutare ; vnde quidquid sit, an possit Deus auferre suam prohibitionem , nihilominus hoc etiam dato mendacium retineret maliciam, quam ex se habet , & in hoc sensu dicunt Theologi ea quæ sunt intrinsece mala non recipere dispensationem etiam diuinam.

76 Confirmatur , nam etiamsi per impossibile excusari posset homo à malicia mendacij propter aliquam vrgentem necessitatem vitæ, vel honoris, quam sine mendacio vitare non posset , in Deo non haberet locum talis excusatio 1. quia nunquam potest Deus indigere mendacio ad aliquem bonum finem consequendum, iuxta illud *Iob. 13.* nunquid indiget Deus vestro mendacio ? Et ideo valde reprehenduntur ministri Dei,qui mendaciis vel falsis reuelationibus vtuntur ad fidem confirmandam , vel virtutem persuadendam ; vt videre est in Concil.Lateran.sub Leone X. *sess.3.*& ratio est quia Deus est omnipotens ; & sapientissimus, ideoque non potest illi deesse medium honestum ad finem suum consequendum absque mendacio; vnde etiam Plato *lib. 2. de republi. in fine* , dixit, mendacium semper esse indignum Deo etiam si homi n iinterdum possit esse vtile.

Secundo specialis repugnantia respectu Dei, 77
quia per quodlibet mendacium etiam minimum amitteret suam supremam authoritatem ; hoc autem maius detrimentum esset,quam possit esse vtilitatis in quocunque mendacio;præterquam quod impossibile est, quod velit Deus se priuare summa quædam,& infinita authoritate, quæ ad suam perfectionem,& prouidentiam maxime necessaria est.

Et hanc ob causam licet mendacium simplex de 78
se sit veniale peccatum,confirmare illud sub iuramento semper est mortale peccatum , quia facere Deum testem vel minimi mendacij , est illum priuare tota sua infallibili auctoritate, & ideo etiam euidentius est nunquam licere homini peierare propter extremam necessitatem quam simpliciter mentiri.

Sed demus ex falsi assertione non sequi menda- 79
cium in Deo , nihilominus ipsa falsi assertio non potest in Deum cadere, quia falsum cognoscere est defectus intelligentis, ac imperfectio illius, ideoque non attribuitur Deo : sed falsum dicere est etiam imperfectio dicentis;quia est defectus dicēdi vere,& vere dicere est perfectio;dicere falsè est dicere cum defectu perfectionis : ergo nullo modo potest , nec de potentia absoluta Deus dicere falsum, quia nec de potentia absoluta potest esse imperfectus , cum essentialiter identice sit infinite perfectus;sed si haberet imperfectionem in dicendo esset imperfectus:ergo adhuc de potentia absoluta non potest dicere falsum.

Confirmatur,quia falsitas est malum naturæ in- 80
tellectualis:ergo qui vult alteri suadere falsitatem, vult aliquod malum oppositum naturæ intentionali : ergo vult obiectum inhonestum, ac proinde vitiosum;patet consequētia,quia illud est inhonestum, quod opponitur bono proprio naturæ intellectualis ; sed Deus nec de potentia absoluta potest velle obiectum inhonestum;quia ex vi formalissima inhonesti libere voliti vellet obiectū inordinatum ; & peccaminosum , nulla enim alia est inordinatio in actu quæ sit peccaminosa , nisi inhonestas actus libere volita : ergo euidenter sequitur omnem loquutionem Dei esse veram , ac proinde Christum vere loqui,in omnibus quæ loquitur,quia Deus est.

Ex quo etiam euidenter colligitur , mysterium 81
Trinitatis testificatum à Christo Domino verè dari à parte rei,ac per consequens etiam Patrē æternum,qui est prima persona Trinitatis,cuius nomen manifestare intendebat Christus, vere existere:sequela sic probatur; quia cognitio causæ necessario deducta ex euidenti cognitione effectus est euidens simpliciter,& absolute;sed cognitio rei testificatæ deducta ex euidenti veritate propositionis veræ testificantis talem rem,est cognitio causæ necessario deducta ex euidenti cognitione effectus : ergo est euidens simpliciter , & absolute. Maior & ab ipsis datur aduersariis, & extorquetur , quia eiusmodi cognitio constituit alteram speciem demonstrationis , nempe quia ; est autem omnis demonstratio euidens simpliciter,& generat scientiam.

82 Minor probatur primo, quia hæc est vera causalis, quia Deus est trinus, & vnus, in qua Trinitate datur Pater æternus, hæc propositio affirmans tale mysterium est vera; quia ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, idest quia obiectum in se est tale, quale enunciatur, ideo enunciatio est vera; & ratio euidens à priori est, quia obiectum est causa finalis, vel formalis extrinseca propositionis; cum propositio specificetur, & dicat ordinem essentialem ad obiectum, tanquam ad id, à quo sumit suam essentiam; quare sine vlla dubitatione optima est illa causalis; quia obiectum est tale, reuelatio, seu propositio est vera; quapropter cognitio obiecti deducta ex cognitione euidentis propositionis veræ est cognitio causæ ex effectu, & sic erit demonstratio, quia.

83 Confirmatur, existentia obiecti, & veritas actus affirmantis illud, non sunt disparata, sed vnum dependet ab alio: atqui obiectum non dependet à veritate actus: ergo veritas actus pendet ab obiecto: ergo cognitio obiecti ex veritate actus, seu propositionis est cognitio causæ per effectum; vnde si is qui affirmauit, Petrum esse album, rogetur vtrum verum dixerit? respondebit affirmatiue; rogatus autem vnde sciat se dixisse verum: respondebit, quia scit Petrum esse album; est igitur obiectum regula veritatis propositionis, quod si ipsum obiectum includatur in veritate actus, efficacius est hoc argumentum; quia non poterit euidenter cognosci veritas actus, quin & ipsum obiectum; si autem veritas se teneat adæquate ex parte actus, manet argumentum eum suo robore.

84 Secundo probatur eadem minor, quia propositio de mysterio Trinitatis est quasi causa vt ita loquar, & ratio obiectiua scientiæ visionis de illa: ergo etiam est ratio obiectiua, seu causa remota omnium effectuum scientiæ visionis; quia quod est causa, vel quasi causa causæ est causa causati, & constituitur in serie causarum talis effectus. Antecedens autem est manifestum, quia ideo Deus videt existentiam Trinitatis, quia est talis existentia, & non è contra; tunc sic, sed reuelatio, seu propositio de Trinitate est effectus scientiæ visionis de ipsa Trinitate: ergo reuelatio, seu propositio est effectus ipsius Trinitatis. Probo minorem, quia loquutio est effectus scientiæ de obiecto, quod loquimur, vt dixit Christus, quod vidimus testamur, & quod scimus loquimur; nam verba sunt signum naturale iudicij de re dicta in eo, qui loquitur infallibiliter verum; si autem mentitur, verbum est signum naturale apprehensionis internæ, & secundum leges morales; non debet oriri nisi à judicio conformi verbis, ex quibus concludo, cognitionem de Trinitate deductam ex euidenti cognitione reuelationis, aut propositionis veræ, esse cognitionem causæ per effectum.

## SVBSECTIO V.

*Solutiones Aduersariorum refutantur.*

85 Dices primo obiectum esse causam remotam reuelationis, & non proximam.

Sed contra: causa remota necessaria vnica demonstratur euidenter per effectum remotum necessario fluentem mediate à tali causa; quia ab effectu remoto ad proximum, a quo pendet remotum valet consequentia; à proximo autem valet ad causam remotam, ea ratione inter demonstrationes, quia primo loco ponitur demonstratio perfectissima primæ proprietatis per essentiam; deinceps ponuntur cæteræ demonstrationes quæ sunt remotæ respectu essentiæ; vnde ex euidenti cognitione reuelationis Dei, aut loquutionis Christi infertur immediate, & euidenter scientia Dei de obiecto reuelato. Ex hac autem scientia Dei infertur euidenter mysterium reuelatum: ergo semper ex effectibus ad causam infertur euidenter mysterium ex reuelatione.

Dices eam reuelationem, seu propositionem 86
Christi non existere, quia est Trinitas, & persona prima Patris, sed quia Deus vult.

Sed contra primo, quia licet existentia Trinitatis 87
&c. non sit tota ratio ob quam loquutio vera Christi existit, tamen est causa partialis vt existat; cognitio autem euidens causæ partialis ex effectu spectat ad demonstrationem, quia: ergo & hæc maior patet, quia voluntas reuelandi quasi pendet à scientia obiecti; est enim hæc euidens consequentia; Deus vult reuelare mysterium Trinitatis, & existentiam Patris æterni: ergo Deus scit tale mysterium; hæc autem voluntas non potuit esse sine scientia; scientia autem potuit sine voluntate: ergo voluntas quasi pendet à scientia, & non è contra scientia à voluntate.

Vrgetur efficacius; quia licet voluntas diuina sit 88
causa efficiens propositionis veræ de Trinitate, nihilominus non est causa finalis, aut formalis extrinseca specificatiua, seu obiectum quod specificat talem reuelationem, aut propositionem; vnde licet tanquam à causa efficiente dependeat à voluntate diuina, nihilominus tamen tanquam ab obiecto specificante dependet etiam ab existentia ipsius mysterij reuelati; vnde falsum est dicere in hoc genere causæ non esse veram hanc causalem, ideo vera est propositio dicens dari mysterium Trinitatis; quia tale mysterium datur, imo in toto rigore loquendo de veritate propositionis, vt veritas est formaliter sumpta est vera sola hæc causalis, vt patet ex terminis, & ex illo principio, ex eo quod res est, &c.

Præterea voluntas Dei non est alio modo causa 89
reuelationis, quam aliarum rerum, nempe applicando omnipotentiam ad effectum, vnde hæc propositio causalis, homo est quia Deus vult, non excludit causas necessario existentes in Deo, sed includit redditque hunc sensum, homo existit, quia Deus habet scientiam, & omnipotentiam applicatas per voluntatem ad faciendum hominem, ita reuelatio est, quia Deus vult applicare omnipotentiam præsuppositа cognitione, & existentia obiecti reuelati: ergo sicut ex hac propositione, homo est, infertur euidenter scientia, & omnipotentia Dei, vt causa existentiæ hominis, ita infertur scientia, & existentia obiecti reuelati, vt causa reuelationis.

Secundo contra; quamvis obiectum non sit causa 90
immediata, vt reuelatio existat, tamen est causa immediata vt sit vera: ergo ex euidenti cognitione veritatis reuelationis, aut propositionis infertur obiectum ipsum, vt causa immediata: probo antecedens, quia non est alia ratio, ob quam propositio sit vera in ratione veritatis formalis, nisi quia obiectum ita est, certitudo enim aliunde oritur, quam ab obiecto; est enim determinatio actus ad veritatem, quæ determinatio iam oritur ab actus euidentia, iam à supernaturalitate; at veritas formaliter quia consistit in adæquatione actus cum obiecto, pendet absolute, ac simpliciter ab ipso obiecto, non in existentia efficienter: sed in regulatione sui conceptus; vnde veritas existens ducit immediate in principia actiua ipsius veritatis, & in existentiam obiecti.

Dices

91 Dices tertio, hos syllogismos non esse absolute demonstrationes, sed reductiue, quia non sunt per causam physicam.

92 Sed cõtra; quia illi sunt absolute syllogismi euidentes & demonstratio, quia; nam demonstratio quia absolute, est quando potest explicari per propositionẽ necessariã causalẽ includentẽ hanc particulã, quia, verbi gratia, ideo est reuelatio vera, quia obiectum ita est, vel quia Deus scit obiectum reuelatum ita esse; item ideo Deus vult reuelare, quia scit obiectum reuelatum, quod clare patet in moralibus; ideo Deus vult donare præmium, quia donare est bonum opus, hæ enim sunt demonstrationes, quia, absolute, licet sint demonstrationes reductiue ad alias primario demonstrationes, quia; Nam illa causalis non est inter causam & effectum absolute; hoc tamen non tollit euidentiam simpliciter; nam in Deo sunt demonstrationes simpliciter vnius perfectionis per aliam; nam simpliciter demonstratur voluntas diuina per intellectum, quasi à priori, & propter quid, & nihilominus intellectus non est vera & propria causa voluntatis, sicut è contra intellectus demonstratur per voluntatem vera demonstratione, quia, nihilominus tamen non est per proprium effectũ; Itaque euidentia est absoluta, causalitas vero deductiua: ergo euidentia demonstrationis non tollitur ex eo quod non sit per causam physicam, aut effectum physicum, dum tamen conclusio colligatur clare per necessariam, & manifestam illationem, cui non possit subesse falsum, vt videre est in demonstrationibus circa attributa diuina: vnde satis nobis erit habere tantam euidentiam obiecti ex euidente cognitione attestationis, quantam habemus intellectus diuini per voluntatem.

93 Secundo probatur principaliter à priori, euidentia absoluta est necessitas absolute cognoscendi clare aliquid, nempe quando ita manifeste cognoscitur, vt nullo modo possit negari; sed ex euidenti cognitione propositionis veræ ita cognoscitur attestatum obiectum, vt non possit vllo modo negari illud: ergo est euidentia absolute; Minor non eget probatione. Nam disposito legitime syllogismo non potest negari conclusio vt *in libro Periherm.* probaui, hic autem disponitur legitime syllogismus; nam ex veritate propositionis non potest negari obiectum affirmatum, alioquin cogerentur admittere duo contradictoria; quia non potest negari veritas reuelationis, quam clare cognoscimus: ergo ex his duobus principiis cognitis vno aut pluribus actibus non potest negari conclusio mysterij reuelati.

94 Aduerte hanc necessitatem assentiendi conclusioni in nostro casu non esse secundum quid ex sola suppositione libera præmissarum, vt contingit in omni fide, & opinione, in quibus conclusio solam habeat necessitatem consequentiæ, quæ negari non potest præcise, quia sunt admissæ præmissæ; At non habet necessitatem consequentis conclusio opinatiua; nam obiectum non necessitat absolute ad assensum sui; quia cum potuerint negari præmissæ, potuit negari consequẽs, quod in assensu sui pendet ab antecedentib⁹. In nostro vero casu est non solum necessitas consequentiæ, sed consequentis; consequentiæ quidem quia euidenter deducitur conclusio ex suppositione præmissarum, vel quia medium bene disponitur (si syllogismus est formalis) vel quia bene videtur necessaria connexio antecedentis, & consequentis; Item datur necessitas consequentis; quia præmissæ negari non possunt; in quo conuenit noster syllogismus cum omni demonstratione à priori & à posteriori.

Probatur maior primo, Quia consequentia euidens dicitur, quæ negari non potest, quæ autem negari potest dicitur ineuidens: quando autem est dubium, vtrum possit negari, necne, dicitur consequentia probabilis: ergo iam hoc genus euidentiæ consequentiarum est necessitas non negandi illas. Secundo probatur; quia in actu perfecto reperiuntur tria, veritas, certitudo, & euidentia; in imperfecto autem reperiuntur duo vel probabilitas, vel falsitas; veritas est repræsentatio obiecti vt est, falsitas aliter ac est certitudo firma adhæsio, probabilitas adhæsio mutabilis; vnde nec certitudo, nec probabilitas vt sic cogunt intellectum, cogit autem euidentia: ergo determinatio intellectus ad assensum est effectus proprius euidentiæ, sin assignent mihi rationem aliquam, vnde oriatur illa necessitas; nam ab euidentia secundum quid non potest oriri determinatio absoluta; nam quæ secundum quid videntur, habent carentiam euidentiæ simpliciter, & propterea negari poterunt absolute, arbitror hic multum contendi de nomine. 95

Dices primo, ad euidentiam simpliciter requiri duo, alterum vt negari non possit obiectum, alterum vt cognoscatur eius extremorum connexio. 96

Contra primo, visio externa, & apprehensio intellectus illi respondens sunt euidentes præcise, quia determinant hominem, ne dissentiatur, neque vero repræsentant connexionem aliquam albedinis. 97

Contra secundo, quia etiam ex euidentia in attestante cognoscitur connexio extremo rerum obiecti attestati, nam ex cognitione euidenti reuelationis aut propositionis veræ de Trinitate, cognoscitur identitatis connexio Trinitatis cum Deo. Item cognoscuntur ipsa prædicata Trinitatis & Dei, itavt cognitio non sistat in sola reuelatione, sed progrediatur ad obiectum ipsum cognoscendum secundum omnia quæ repræsentantur in reuelatione seu propositione vera, sicut cognito effectu progreditur cognitio ad prædicata omnipotentiæ Dei, ac proinde non solum cognoscitur ipsa veritas reuelationis, sed etiam connexio obiecti repræsentata per illam. 98

Dicunt secundo, cognosci quidem prædicata, & connexionem obiecti, non tamen in se sed in testimonio. 99

Egregia hic committitur æquiuocatio verbo *in se*, aliquid enim dicitur cognosci in se proprie quando cognoscitur vt obiectum formale, & immediatum, ita dicuntur creaturæ videri non in se sed in Deo, quia visio habet pro obiecto formali & immediate Deum, creaturas vero pro secundario, quo genere cognitionis, neque causæ cognoscitur in se per effectum, neque effectus per causam in demonstratione à priori aut à posteriori, non tamen propterea hæc demonstrationes sunt tantum euidentes secundum quid, sed potius simpliciter. Deinde minus proprie dicitur aliquid cognosci in se, quando ex alio obiecto prius cognito deriuatur in illud cognitio repræsentans illud secundum se, non vero remote & denominatione tantum, vt obiectum materiale proximum dicitur secundum se cognosci, & medium amari, sic autem omnipotentia Dei tam in se cognoscitur per reuelationem euidenter cognitam quam per effectum: determinatur enim intellectus ad assentiendum Deum esse omnipotentem 100

per illam non minus quam per effectum ; vnde arguo, cognitio reuelationis tam clara & immediata est, quam cognitio effectus ; ex reuelatione autem tam necessario determinauit intellectus ad cognoscendum Deum esse omnipotentem , quam ex effectu : ergo nullum est discrimen in euidentia & cognitione omnipotentiæ in se.

101 Dicunt tertio euidentiam obiecti attestati esse per principium extrinsecum, & euidentiam causæ esse per principium intrinsecum.

102 Sed contra primo, quia hoc non tollit euidentiam simpliciter cum non tollat necessitatem simpliciter assentiendi, quia sicut datur necessitas absoluta duplex cognoscendi omnipotentiam, & duplex certitudo absoluta, altera per principium intrinsecum ; cur non dabitur duplex euidentia absolute, & simpliciter ? & sicut principium extrinsecum est absolute obiectum formale cognitum euidenter, necessario ducens in aliud extrinsecum, in quo conuenit cum effectu , & causa in ratione formali de qua loquimur , cur etiam non conuenit in ratione simili euidens simpliciter?

103 Contra secundo , demonstratio omnipotentis per effectus est per principium extrinsecum , sicut demonstratio obiecti per reuelationem ; ergo non tollitur euidentia simpliciter ex hoc capite. Probo antecedens, quia canis , aut homo tam extrinsecus effectus omnipotentiæ Dei est, quam veritas reuelationis comparata cum obiecto; si enim consideremus transcendentalem ordinem reuelationis , & caloris ad Deum , vterque est intrinsecus ipsis , & extrinsecus Deo ; si autem consideretur terminus illius ordinis est extrinsecus vtrique eodem modo, connexio autem huius ordinis cum termino est æque necessaria in vtroque; cur igitur necessaria connexio effectus cum omnipotentia fundat euidentiam simpliciter magis quam necessaria connexio reuelationis , quod enim omnipotentia etiam referatur ad calorem , non vero ad reuelationem in ratione obiecti nihil obest , tum quia aduersarij non admittunt hanc relationem Dei ad creaturas , tum etiam quia hæc non cognoscitur formaliter ex creaturis cognitis immediate ; sed per alias demonstrationes , nam relatio transcendentalis creaturæ tantum ducit in suum terminum , vt est terminus præcipue , quia tam euidenter cognosceretur ex reuelatione terminus non correlatus , quam ex calore correlatus , tandem , quia reuelatio habet duplicem connexionem cum deo , quam non dicit calor , quia calor solum dicit connexionem effectus in genere causæ efficientis cum omnipotentia ; reuelatio autem Dei Trini , & vni respicit Deum , vt effectus ab ipso Deo in genere causæ efficientis productus, & etiam respicit ipsum Deum vt effectus in genere causæ finalis , vel formalis extrinsecæ essentialiter specificati à Deo, vt ab obiecto in quo excedit calorem : ergo si calor necessario, & euidenter inducit cognitionem causæ propter solum illum vnicum ordinem, à fortiori reuelatio ducet in cognitionem euidentem Dei Trini, & vnitum propter similem ordinem , tum propter alium , vt ad obiectum reuelatum, à quo essentialiter dependet in sua veritate.

104 Dicunt quarto cognosci connexionem termini, & eius prædicata non sub ratione particulari, sed sub ratione communi testimonij.

105 Sed contra, quia omnipotentia Dei non ostenditur per testimonium, seu per veram propositionem, non ostenditur sub ratione cõmuni effectus indeterminati, & indifferentis , vt sit ab hac vel ab aliis causis, sed sub ratione habentis determinatam connexionem cum causa , nam ex solo calore non potest inferri determinate ignis , neque sol , sed disiunctiue , quia calor est effectus communis vtriusque: at ex habita ignitione, aut vstione potest inferri determinate ignis , quia est effectus proprius illius , ita similiter sunt testimonia indifferentia ad verum , & falsum, ex quibus non potest inferri determinate verum aut falsum, sunt vero testimonia determinata ad verum , vel est veritas testimoniorum , quæ habet determinatam, & essentialem connexionem cum obiecto , adeo vt repugnet etiam diuinitus veritatem esse , quin obiectum sit , vt enunciatur ; hæc connexio cum obiecto non est secundum rationem communem testimonij , sed secundum determinatam testimonij veri , sicut connexio omnipotentiæ cum calore non est sub ratione communi effectus , sed sub ratione particulari effectus petentis determinate omnipotentiam : ergo sicut ex hac connexione effectus cum causa, cognoscitur causa per euidentiam absolute , ita ex connexione veritatis cum obiecto cognoscetur obiectum per euidentiam absolute, imo tam determinate , & perfectius tendit actus in obiectum , quam effectus in causam; calor enim immediate tantum ostendit Deum habere virtutem operandi tam perfectam , quam est ipse, hanc autem virtutem esse infinitam carentem principio , & fine non ostenditur immediate ex calore , sed ex aliis principiis ostenditur , nempe ex repugnantia infiniti processus in causis: at vero cognita quidditatiue visione Dei aut alio actu supernaturali repræsentante hanc perfectionem omnipotentiæ , immediate absque alio principio cognoscitur quod ex solo calore non potuit.

Tandem syllogismus formalis , & virtualis est certus absolute, quia non potest esse falsus, neque obscurus absolute , quia negari non potest : ergo est euidens absolute. Patet consequentia, quia non est alia species syllogismi certi. 106

Aduerte pro coronide quæstionis præcise, quia auferatur euidentia constitui indifferentiam, ad assensum , & dissensum, id est , principia actus obscuri componi possunt cum assensu , & dissensu ; at vero per præcisam ablationem obscuritatis constitui determinationem ad assensum, & auferri indifferentiam ad dissensum. At obscuritas absolute tollitur per euidentiam absolute , quia si non est absolute euidentia, manet absolute ineuidentia , & obscuritas, quia hæc nihil est, præter fundamentum carentiæ euidentiæ simpliciter, vel est ipsamet negatio euidentiæ : ergo omnis necessitas absoluta ad assensum est euidentia absolute, ea ratione, qui negat principium aliquod euidens, dicitur ignorare terminos , quia si eos calluisset non potuisset id negare certe , arbitror hæc esse euidentia, quia negari non possunt. 107

Ex quibus omnibus manifeste & euidenter sequitur loquutionem Christi manifestantis Patrem æternum ex euidentia in attestante refundere euidentiam in ipsum Patrem æternum, & in cognitionem ipsius , nam si ex supradictis probationibus pater Christum euidenter demonstrasse per effectus proprios Dei supra iam late tractatos esse Deum , ac proinde vere loqui , & non falso , euidenter manifestabat dari Patrem æternum , cuius filius erat dicens : Ego & Pater vnum sumus , sicut Pater in me est & ego in illo, &c. ergo manifestatio nominis Patris euidens fiebat à Christo ; vnde perperam loquuntur aduersarij, dicentes talem manifestationem esse solum 108

lum per fidem, & non per euidentiam, quod clare docuit S. Aug. *tom. 9. tract. Iob. in Ioannem* super hæc eadem verba ibi: [Nam quod Deus dicitur vniuersæ creaturæ, & omnibus gentibus quæ manifeste cognoscebant Christum, non omnino esse potuit hoc nomen ignotum, hæc est enim vis veræ diuinitatis vt creaturæ rationali, iam ratione vtenti non omnino ac penitus possit abscondi, exceptis enim paucis in quibus natura nimium depraua ta est, vniuersum genus humanum Deum mundi huius fatetur authorem, quem miraculosis operibus & præcellenti scientia maiestas Christi declarauit aperte:] quid clarius & euidentius.

109 Alter vero locus vbi dicit Christus [Philippe qui videt me videt & Patrem meum:] non est intelligendus de fide præcipue, sed potius aut de cognitione euidenti intuitiua aut de cognitione euidenti abstractiua, eo modo quo nuper verbum *Manifestaui* explicuimus, nam vt optime notant Aug. Hierony. & Ambrosius cum ipsisque multi neoterici Doctores, duplicem sensum potest habere hic locus, primus est, quod qui videat Verbum Diuinum visione intuitiua necessario videre debeat etiam Patrem & Spiritum Sanctum, quia impossibile est videre vnam personam quin videantur & aliæ, quia visio intuitiua, quæ necessario fertur in Deum, eo modo quo est, debet videre quicquid in Deo est formaliter, alias si non videret quidquid in ipso existit, non videret Deum sicuti est, quapropter optime dixit Christus loquens de visione intuitiua, Philippe qui videt me, videt & Patrem meum, ac si dicat, qui me viderit intuitiue secundum diuinitatem, & secundum quod sum Verbum diuinum & filius Patris, necessario debet videre Patrem meum non obscure, sed tanta claritate, & euidentia qua me viderit. Alius sensus est, qui euidenter per Prophetias, per miracula à me facta, & per reuelationes cordium euidenter cognouerit me esse Deum, euidenter etiam cognoscet Patrem meum per euidentiam attestantis; nam qui cognoscit me esse Deum cognoscet etiam euidenter me vere loqui: atqui ego affirmo, & assero habere Patrem, cuius filius sim: ergo ex veritate meæ assertionis euidenter cognita, euidenter etiam cognoscitur maiestas Patris æterni, quia ex eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa, quapropter manifeste patet deceptio aduersariorum asserentium verbo *Video*, & *manifesto* sumi in his locis pro cognitione quomodocunque obscura aut opinatiua, cum certe non sumatur nisi pro euidenti, vt patet ex dictis: ergo si scriptura in his locis, quibus se protegit Gillius, vtitur verbo, *manifesto*, & *video*, ad denotandam euidentiam, sine dubio se suo gladio iugulat, ac proinde nostrum intentum confirmat.

## SVSECTIO V.

### *Aliis scripturæ verbis idem intentum confirmatur.*

110 ET primo Euangelicus Propheta Isaias *c.* 40. *vers.* 26. hanc veritatem aperte manifestat his verbis [Leuate in excelsum oculos vestros & videte quis creauit hæc, qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat præ multitudine fortitudinis & roboris virtutisque eius, neque vnum reliquum fuit] ac si diceret, Ad cœlum sursum oculos attollite, & vobiscum attenta cogitatione perpendite, sine dubio euidenter cognoscetis creatorem à quo formati atque fundati sunt ipsi cœli, & illi nisi mentem prorsus abiecistis, docebunt manifeste maiestatem diuinam, infinitamque omnipotentiam illius contemplamini; igitur in hac illustri cœlorum specie quemadmodum ex astrorum ingenti numero, ego tanquam Imperator cœlestem illam militiam producam, quæ ego astra oriri atque occidere faciam, eo ordine qui rebus humanis conseruandis & augendis magis est opportunus, quorum virtutem noui, & accommodatum illi nomen imposui, cui illud inest robur, atque potentia, vt ex tanto numero nullum sit quod meum fugiat aut recuset imperium [si modo hominibus (inquit Hieronymus) aliquid esset mentis, satis esse debuit speciosissima cœli facies, & atque perpetuus astrorum ordo, vt homines non solum sibi persuaderent, sed etiam euidenter cognoscerent, & manifeste intuerentur aliquid esse Deum supra omnem creaturarum etiam maximarum maiestatem.] Hanc igitur euidentiam (ostendit Isayas) cognitionis Dei dum vtitur verbo *video* dicens. [Videte quis creauit hæc,] quæ euidentia adeo est perspicua, vt Ethnicorum tenebras dissipans coëgerit Ciceronem, vt in hæc aurea verba prorumperet [Quis est tam vecors, qui cum suspexerit in cœlum Deum esse non videat, & ea quæ tanta mente fiunt, vt vix quisquam arte vlla ordinem rerum, ac vicissitudinem persequi possit casu fieri putet;] Itaque eo ipso quod oculos ad cœlum attollamus sine dubio luce stellarum, fulgore Solis, splendore Lunæ, scintillantium astrorum fulgentissimis radiis illuminabitur, vt non solum obscure, sed manifeste, aperte, at euidenter omnipotentem Deum videamus & cognoscamus; ideoque natura tantam curam posuit, vt nos à cæteris animalibus discrimi naret in figura & fabrica corporis; qua facili negotio cœlos oculis lustrare possimus; vnde vt ait Ouidius non ineleganter,

*Pronaque cum spectent animalia cætera terram;*
*Os homini sublime dedit cœlumque videre*
*Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.*

Vtique tantum bonum compararemus in euidenti cognitione Dei; surdus igitur admodum est qui tam exaudibiles voces non percipit. Hasce aures interiores obstructas aperiri, & versus humum demissas arrigi; & oculos homini defixos attolli in excelsum admonet Isayas: vt audiamus & videamus; [Quis creauit hæc;] nempe corpora cœlestia; quo circa inexcusabiles sunt quicumque Deum ignorant, cuius notitiam ingerit simplex, & incuitabilis cœlorum intuitus; illi vero minime ferendi, qui ex hoc eodem aspectu eo absurditatis & erroris sunt delapsi, vt ipsis diuinitatem attribuerent; vnde cecinit David [Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum: dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam: non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.] Interroga (inquit Aug.) mundum, ornatum cœli, fulgorem dispositionemque syderum, & vide si non sensu suo tanquam tibi respondeant Deus nos fecit.

Igitur vniuersitas ista creaturarum est veluti liber oculis mortalium obiectus, suis notis muficis & characteribus distinctus, in quos intuentes, & intendentes inuemur diuinas laudes ad librum canere, creaturæ autem laudare & benedicere Deum dicuntur, quod mutis quasi vocibus nos inuitant, atque adeo etiam docent diuinas laudes canere, quibus vocibus muris manifeste demonstrat creatorem;

torem; Cantum enim etiam libro muto tribuimus cum vocamus *et libro de canto*. Vnde non mirum quod creaturas sua pulchritudine deum manifestantes librum cantus appellamus, in quo dicitur diuinæ laudis encomium. Idem experientia ipsa didicerũt ipsimet Gentiles; nam Trismegistus dixit mundum esse librum diuinitatis & speculum diuinorum, quo nimirum Deus seipsum clare expressit & quasi Appelles summus depinxit, quod etiam docuerunt Plato, Socrates, Aristoteles, omnesque Philosophi, idem agnouit & docuit orpheus cum ait: [ mundi machina est musica & admirabilis consonantia prædicans & laudans deum; ] hæc etiam est musica cælorum, quam prædicabat Pytagoras, & de qua loquens Iob *cap.38. vers.37.* sic ait: [ quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet; ] ac si dicat, harmoniam istam, musicam cœlestem, dei maiestatem & gloriam decantantem in æternum duraturam perennique cursu propagandam.

His verbis Isaiæ consonant aperte verba Iob *cap.36.versu* 24. 25. & 26. ibi. [ Memento quod ignores opus eius, de quo cecinerunt, viri omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procul: Ecce deus magnus vincens scientiam nostram numerus annorum eius inæstimabilis; ] vbi nota illa verba, omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procul; vbi tum verbum, vident: tum verbum, intuetur, manifeste declarant deum euidenter cognosci per creaturas, ratione cuius Cyprianus *c.4.de veritate idolorum*, sic ait: [ quæ est hæc summa delicti nolle agnoscere, quem ignorare non possis? vnus est, & vbique diffusus est; nam & vulgus in multis deum naturaliter confitetur cum mens & anima sui authoris & Principis admonetur, quod clarius docuit Tertulianus, *in Apologetico c.17.* his verbis: licet [ anima carcere corporis pressa, licet institutionibus prauis circumcepta, licet libidinibus & concupiscentiis euigorata, licet falsis diis exancillata, cum tamen resipiscit, & sanitatem suam patitur & deum nominat solum, quia proprie verus hic vnus Deus & bonus & magnus, & quod deus dederit omnium vox est iudicem quoque contestatur illum Deus videt & deo commendo, & deus mihi reddit ô testimonium animæ naturaliter christianæ. Denique pronuntians hæc non ad capitolium, sed ad cœlum respicit,] sic ille; vnde Lactantius *lib.6 c.20.* dum de oculorum voluptate, & spectaculis disserit: [ aiunt (inquit) Philosophi multo esse præclarius & homine dignius cœlum potius quam cælatura intueri; & hoc pulcherrimum opus intermicantibus astrorum luminibus, tanquam variis floribus adornatum quam picta & ficta, & gemmis distincta mirari, sed cum diserte ad contemptum terrestrium nos exhortati sunt, & ad cœli spectaculum excitauerunt, nemo est qui sapiat rationemq; secum putet qui non vnum Deum esse intelligat, qui & condiderit omnia & eadem qua condidit virtute moderatur. ]

Ex illis vnum producam Senecam; [ dum oculi mei ab illo spectaculo, cuius insatiabiles sunt non abducantur, dum mihi Lunam Solemque intueri liceat, dum cæteris inhærere syderibus; dum ortus eorum occasus interualla, & causas inuestigare, spectare tot per noctes tellas micantes, dum cum hic sim & cœlestibus, qua homini fas est immisceat, quantum refert mea quid calceem. ] Eminus igitur & procul pascebant oculos & creatorem intuebantur multo id præstituri sapientius, si vt is ipse aliquando dixit: [ Priora illa ago, ac tracta & me prius scrutor; deinde hunc mundum; ] ex vtriusque autem contemplatione manifeste cognosci potest deus, vnde Gregorius; [ Omnis homo (inquit) ex ipso quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum qui se condidit deum esse, quem videlicet iam videre est dominationem illius ratiocinando conspicere, vt ait Iob: Omnes homines vident Deum, vnusquisque intuetur procul. ] Ecce quomodo Gregorius ex verbis Iob à nobis adductis eandem veritatem quam nos patefacere intendimus manifestat. Graiter Pater Pineda, hunc locum his verbis elucidat, quis inquit est si modo homo sit proprie? Adam quamuis terrenus ex primo Adamo oriundus qui non videat eum, alij id supple opus affixum in Hebræo indifferens ad vtrumque genus vnusquisque proprie, & nos etiam miserrimus quisque, & valde imbecilli iudicij videri & intueri poterit, omnibus enim sunt diuina opera exposita ad contemplandum & suspiciendum, sed non omnibus ex æquo, diuino quippe lumini propinquiores sunt sapientes & exercitati in rerum diuinarum contemplatione, remotiores vero è media plebe homines: sed nemo tandem alicuius luminis quo Deus, & eius opera agnosci possunt est omnino expers; eleganter Philippus [quâuis quis tam paruus sit, & frigidus vt alienus esse studeat à creatore & deo suo, nullus tamen est qui se abscondat à calore eius, & ideo vnusquisque mortalium sentit clare & intelligit aperte Deum,] D. Gregorius [ procul enim intueri est; non iam illum per speciem cernere, sed adhuc ex sola operum suorum admiratione pensare; ] Tum etiam procul videtur, qui non in se ipso videtur, sed in creaturis quæ in infinitum ab illo distant, licet per illas euidenter videatur, hoc ipsum docuit Irenæus, *lib.2.c.5.* His verbis [: ratio mentibus infixa mouet, & reuelat, quoniam est vnus deus omnium Dominus;] vnde Athanasius aperte nostram veritatem docet his verbis, [ quæ sempiternitas siue Diuinitas tam euidenter cognoscitur vt in scriptura passim videri dicatur: ] sic ille, vnde Irenæus maxime inuehitur in ignorantes deum, illis verbis: [ & huius peiores efficiunt eos, qui eis assentiuntur, illi enim creaturæ potius, quam creatori seruientes, & his qui non sunt Dei; veruntamen primum veritatis locum attribuunt fabricatori huius vniuersitatis Deo] & eodem modo Nouatianus, cum de Deo ageret, [ quem (inquit) quoniam obtutu oculorum videre non possumus de operum magnitudine & virtute, ac maiestate condiscimus vt humanus animus ex manifestis occulta aperte & euidenter condiscat, ac de operum magnitudine, quæ videret mentis oculis clariori modo quam corporeis artificis magnitudinem demonstratam attingeret. ] Vnde Ioannes Chrysostomus à scelere, & crimine, nullo modo posse liberari asserit Ethnicos, & Paganos, qui Deum ex creaturis non attingunt cognitione: *hom.3. in cap.18. epist. ad Rom.* [ quid (inquit) dicent Gentiles te ignorauimus: ita ne vero? non exaudistis cœlum vocem ab aspectu emittens? non exaudictis compositam rerum harmoniam tuba illustrius clamantem? omnia ordinem seruantia? eademque tum à pulchritudine tum à magnitudine ipsum opificem, veluti præconio annuntiantia.

Ratio vero euidens, & ineluctabilis ad reuincendos Gentiles est, nam cum naturale lumen rationis ostendat, neque inferioris mundi, neque superioris corpora potuisse existere, ipsa per se absque artifice, & conditore; imo facta iam, & condita indigere rectore, ac moderatore, cuius arbitrio,

arbitrio, imperioque teneantur, sustententur, & in suis motionibus ad finem vniuersi propositum ordinentur, fit necessario consequés eum conditorem, & rectoré à quo acceperint magnitudiné, pulchritudinem, vim, speciem, ordinem, constantiam & reliqua quæ admiramur, in ipsis nec immerito, debere esse infinite his omnibus dotibus, & virtutibus excellentiorem, ac proinde tantum, ac talem artificem pro deo vero, aé vnico agnoscendum; cum vero Scriptura sacra in his locis supra positis, vtatur huiusmodi argumento ad confundendos idolatras, ideo dicimus scripturam ipsam, dum assignans medium euidentissimum creaturarum (ex quo colligitur cognitio euidens) vtitur ad significandam claritatem cognitionis Dei deductæ per illud medium, verbis *video*, *manifestum est*, *intuetur*, *notum est*, aperte docere talem cognitionem in toto rigore esse demonstratiuam, scientificam & euidentem; vnde Paulus *Actor.* 17. prædicaturus Athenienſibus nullum aliud euidentius argumentum excogitauit ad conuincendos Ethnicos; ita vt non possent resistere illi nisi desumptum ex creaturis ibi, [Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt hic cœli & terræ cum sit dominus,] reputans tam manifestam esse demonstrationem hanc, vt Gentiles ipsi contradicere non possent; vnde non alio argumento, sed hoc vsus est, quia sine dubio euidenter demonstrat hanc veritatem, & ideo ipse Paulus *Act.* 14. inquit [non sine testimonio reliquit semetipsum dans eis pluuias, &c.] quod testimonium tam sensibile, & euidens reputabat ipse Paulus, vt quia ipso non conuincerentur aliqui, dicat grauissimis suppliciis affectos esse à Deo *ad Roman.* 1. ibi [sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt repletos omni iniquitate, &c.] quibus concordat Dauid *Psalmo* 68. ibi [obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper in turba.] Planè hæc iusta Dei animaduersio est, iure quidem debita hominibus voluptatibus corruptis, quæ plerunque hominis animum ita perturbant, ac velut suffusa caligine obtenebrant, vt præsentem Deum non cernant, & qui inditum sibi lumen quo Dei notitiam assequi poterant, secundum illud *Psalmi* 4. [signatum est super nos lumen vultus tui Domine] nefandis sceleribus macularunt, ac pene vitiis obrutum in animo sepelierunt, illius ita vsu priuentur, vt nec ipsum Deum in quo sunt, mouentur, ac viuunt, esse penitus agnoscant, nec alia ratione hoc supplicio mactantur, nisi quia tam clarum lumen, tam euidentem cognitionem obnubilauerint, de qua hæc verba profert Hugo de Sancto Victore, [Deus ab initio sic cognitionem suam in homine temperauit, vt sicut nunquam poterat comprehendi quid esset, ita nunquam quia esset poterat ignorari.] Vnde Augustinus *tractatu* 106. *in Ioannem* [hæc est (inquit) virtus veræ diuinitatis, vt creaturæ rationali iam ratione vtenti non omnino, ac penitus possit abscondi.]

112 Quapropter si oculos semel humo attollerent Atheistæ, ac intus docentem naturam audirent, quonam pacto fieri posset vt Deum non addiscerent, quem teste Trismegisto in Pimandro quotidie manibus quasi attrectant? ibi. [Nam quamuis oculi nostri eo vsque pertingere non possint vt deum videant, ipse tamen se manibus nostris attrectare sinit.] Cuius sententiam sequutus Iamblichus, *de Myst. Ægyp. cap.* 1. fatetur ante omnis rationis vsum Deum homini innotescere, nec quemquam efficere posse, quin ante omnia diuinitatem quandam esse animo concipiat, non tamen intuitiua animi conceptione, sed contactu quodam animi cognitionem præcellente; quo vero sensu tam Trismegistus, quam Iamblichus Deum manibus attrectari intelligant is est, quod vniuersa, quæ se manibus attrectanda præbent, deum auctorem; opificemque clamant, atque eo fit, vt cum in his Deum velut præsentem aspicimus, etiá velut palpabilem attrectemus, quod expresse dixit Paulus *Actor.* 17. ibi: [quærere deum si forte attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum.] Nam cum illud certissimum sit deum rebus omnibus inesse in his viuere, mouere, atque operari, vt ipse Paulus ait, [in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus: sicut & quidá vestrorum poetarum dixerunt, ipsius enim, & genus sumus genus: ergo cum simus dei, non debemus æstimare, &c.] Neque enim fieri potest vt quippiam dei essentiam, aut præsentiam effugiat secundum illud [quo à facie tua fugiam, si ascendero cœlum ibi es, si descendero in infernum ades, &c.] inde facile euincimus Deum quodammodo attrectari cum ea tractamus, quæ sine deo esse non possunt, quapropter Auicenna [eos non modo ratione, ac intelligentia, sed etiam sensu indigere (ait) qui diuinitatem aliquam, quæ vndique se conspicuam, ac tractabilem offert, non agnoscit.]

Cum igitur non tam insita animo de Deo cognitio quam sensus ipse deum esse aperte testetur, 113
eaque esse constantissime credamus, quæ manibus ipsis attrectamus, deum vero ex Paulo, ac illustrissimis sacræ Scripturæ testimoniis, ita in orbe clarum esse exploratum sit, vt vel digitis quasi attrectari queat, quis apertissimam veritatem iam in discrimen reuocet? plane deo hominibusque agétibus, id cautum esto, vt si vllus deinceps eam veritatem inficiari audeat, mox ea pœna mulctetur, vt omni humano iure spoliandus, atque ab hominum albo abradendus, & ab eorum societate, natura, ac consortio separandus, ad pecudum numerum propellatur, comburaturque, qui tam euidentem deum cœlo, terraque pellere intendit, manifesta enim & euidens cognitio est, qua conuincimur, vt deum confiteamur; vnde Tertulianus, *lib.* 1. *aduersus Marchionem*, sic ait; [creator ex hoc deus, & indubitatus deus, quia omnia ipsius;] indubitatum enim euidens est, quia de eo, quod clarum & manifestum est, dubitare nulla ratione possumus; vnde si deus per creaturas indubitatus est, euidenter cognitus est, quod docere voluit Cyprianus *tractatu de idolorum vanitate*, dicens [Deum ignorare non potes.] Vnde Dauid hoc argumento vtitur *Psalmo* 113. vt excusationem ignorandi Deum pœnitus à gentibus extorqueret, illis verbis [ne quando dicant gentes vbi est deus eorum? deus autem noster in cœlo, omnia quæcunque voluit fecit.] Quapropter *libro Iob. capite* 38. deus ipse ex operibus suis, quæ latissime recensét seipsum demonstrat.

Propter quæ firmiter assero fide sanctum esse 114
euidenter, ac demonstratiue ex creaturis deum posse cognosci, quia aperte, clare, & manifeste id docet Scriptura locis citatis.

SVBSE

## SVBSECTIO VI.

*Auctoritate omnium hominum recte sentientium probatur veritas.*

115 MAgni ponderis argumentum esse videtur sapientissimis viris ad demonstrandum Deum esse deductum ex naturali quodam, communique omnium hominum placito, atque consensu asserentium deum esse, vt docuit eloquentissimus Philosophus Marcus Tullius, *lib. 2. Tusculanarum quæstionum*, ibi. [Cur deum esse credamus firmissimum hoc afferri potest, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit diuinitatis opinio,] quod etiam 1. *de legibus*, his verbis affirmauit, [ nullam de hominibus gentem esse, neque tam immansuetam, neque tam ferream, quæ licet nesciat, qualem deum habere deceat, habendum tamen ignoret.] Vnde idem Philosophus *de Auruspicum respons.*, si ait [ nulla maior res, atque deus, cuius ingenuit sine doctrina notitias ingentes natura omnibus hominibus, vt minime mirum fieri debeat eos de deo sensisse loquutosque esse talia quos Philosophia nunc magnum sparsa per orbem non erudiisset, præsto enim erat alia minor quidem Philosophia, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hauximus, & expressimus, ad quã non docti, sed facti, non instructi, sed imbuti sumus; hæc aperit os omnibus ad confessionem magni Dei, ] quibus consonat Damascenus, *lib. 1. fidei, cap. 10.* dicens [ nemo est mortalium, cui non naturaliter insitum sit, vt deum esse perspectum habeat; ] vnde Gregorius Magnus, super *caput 36. Iob* sic ait: [ Omnis homo, eo ipso, quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum qui se condidit deum esse, quem videlicet iam videre est dominationem illius ratiocinando conspicere, ] ita enim interpres catenæ Græcæ illum locum Iob. [ Omnes homines vident eum ] explicat his verbis: omnis videt deum in se ipso, id est, cunctis hominibus est insita dei cognitio, & ideo Cyprianus *tractatu de idolorum varietate, num. 64.* de omni hominum vulgo loquens sic ait: [ vulgus in multis deum naturaliter confitetur, dici frequenter audimus ô Deus, & Deus videt, & Deo commendo. ]

116 Cuius euidentissimum argumentum est quod nulla sit tam extera ac remota natio, quæ Deum aliquo nomine non appellet vt quondam Platonici obseruarunt: Hebræis Dei nomen est quadriliterum *Iehouas*, Græcis θεός; *Deum* Latini appellant, Persæ, *Syri*, Medij, *Orsi*, pro Deo vtuntur Ægyptij *Teut*, Arabes *Alha*, Maometistæ *Abdi*, Itali *Idio*, Galli *Dieu*, Hispani, *Dios*, neque frustra vniuersa Dei nomina, quadrilitera reperiuntur; nam vt Platonicis placet his Dei perfectio continetur, quadruplicem enim Dei excellentiam his significari volunt, primam naturæ, secundam esse, tertiam virtutis, quartam operationis, quibus cuncta disponit; at qui Deum nomine expresserunt etiam mente non ignorarunt, propterea nulla gens aut natio vnquam fuit, quæ aliquod diuinitatis lumen sibi illucere non agnouerit, tametsi illud iuxta diuersa mentium placita diuersimode animo conceptum habuerint.

117 Nam si ab Oriente in Occidentem, siue à Meridie ad Septentrionem vniuersas orbis plagas perlustremus, siue etiam omnes hominum ætates, ac longe ante trãslata temporum sæcula reuoluamus, nunquam homines inuenti sunt quin simul cum his perspecta fuerit quædam religionis species, dei cultus, orationes, sacrificia, in quibus etsi summa varietas, varios etiam religionis vultus præstiterit, in hoc tamen omnium consensus adfuit, deum aliquem esse. Quinetiam ipsa religionum, ac sectarum multitudo non obscure testatur diuinam hanc alicuius numinis disciplinam, non tam à patribus filiis traditam, vel à populo in populum transfusam, quàm vel in ipso naturali lumine ingenitam, vel à rerum natura edoctam fuisse, qua quisque & deum, & colendum didicit, ratione cuius indubitatum esse dixit Plato omnibus dari deum *Libro primo, de legibus*, his verbis: [ quomodo si deus sit aliquis differat, cum à pueritia id discerimus: dum enim lacte nutriremur à nutricibus ad deum affirmandum animum induximus, quippe qui à matribus multa de illo ioco, serioque dicta, decantataque in orationibus audiuimus naturalis cuiusque speciei instinctus inanis esse non potest, sed hominis species immutabiliter ad dei religionem fertur; deum igitur esse omnibus hominibus notum est. ] Vnde Tullius *libro primo, de natura Deorum*, qui omnium antiquorum Philosophorum placita illustriora sibi vendicauit, hanc velut communem omnium antiquorum sententiam constantissime pronunciauit, his verbis: [ nulla est tam barbara natio, nulla gens tam efferata, cui non insideat hæc persuasio deum esse, ] atque adeo id à natura notum, ac perspectum esse docet, vt dei notitiam anticipationem naturæ appellet, idcirco, quod ad eam hominum mentibus insinuandam nullo doctore, nullis moribus, nulla præterquam naturæ lege opus sit, quam sententiam hac ratione haud obscure demonstrauit; [ id non potest ignorari, quod non potest cogitari non esse: at rationalis mens non potest cogitare deum non esse, non enim potest rem cum oppositio eius intelligere, quod iure quidem optimo naturæ excellentia sibi vendicat, quod sane efficeret, si deum non esse intelligeret, cum esse sit naturalissimum dei, non igitur potest ignorari deum esse. ]

118 Plane post quædam annorum curricula plurimæ gentes Hispanorum industria præclaris facinoribus illustrata prioribus sæculis ignotæ repertæ sunt, quæ tum sine lege ac Rege, tum sine tecto viuerent, earum quædam nudo corpore incederent: quædam vero per agros, sparsim frugibus vescerentur, ac sic vitam belluis haud multum dissimilem transigerent, in his tamen nulla est in totum, quæ absque aliqua dei cognitione inuenta fuerit, nulla quæ absque vlla religionis specie viueret, vt hinc saltem colligere liceat, non tam homini naturale esse associari aliis hominibus, aut se ipsorum à temporum iniuriis defendere; imo vitam ipsam, commodumque tueri, (quæ tamen homini adeo naturalia esse existimantur) quam illi naturale est deum vitæ auctorem, parentem rerum omnium, altoremque agnoscere, ac diuino cultu venerari, quapropter iure quidem optimo cum Athenienses Pitagoræ illius sophistæ librum in cuius principio ac fronte: *An Deus sit*, dubitare videbatur publice combusserunt, ipso ab vrbe, atque agro expulso, eo sane præclaro facinore id insinuare voluerunt cum è rerum natura expellendum esse qui deum, quem natura agnoscit, ignoraret; vnde Damascenus in tantùm ait, prævaluit pernicioſa hominum malitia, vt dicant deum non esse secundum illud *Psalmi* 13. dixit insipiens

insipiens in corde suo, non est deus; quid dicam insipiens potius in belluam conuersus; ita enim de his pronunciat Dauid: homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis; nam reuera si sapientes essent; aut saltem ea, qua tanquam homines præditi sunt ratione vterentur, nunquam profecto in tam absurdam sententiæ plagam se se induerent, vt Deum nullum esse existimarent: ergo si qui fuere aliquando, aut etiam nunc sunt qui Deum esse non putant, istos tanquam errata quædam naturæ, & quasi monstra humani animi, & ingenij aspernari, & abominari conuenit.]

119 Quod si plus eorum iudicio deferimus, qui sapientiores in populis habiti sunt, quos postea Philosophos appellarunt inter Indos Bracmanes, inter Persas Magi, inter Gallos Druides, inter Medos Gymnosophistæ, vtique omnium sapientissimi habiti nunquam nisi à Deorum inuocatione quidquam auspicabantur, prisca etiam illa Ægyptiorum Philosophia, cuius pater ter maximus ille Trismegistus in Pimandro Deum latere pariter, & per vniuersas orbis plagas emicare pulcherrimum rerum ordinem eum nobis manifeste declarare, tum res singulas suis limitibus circunscriptas illum Dominum ac auctorem insinuare, cui sol, ac sydera ad nutum pareant; præterea Deum solum bonum esse, ac in eo boni naturam reperiri Æsculapio persuadet; quid vero prisci illi poëtæ de Deo senserint Orpheus nimirum Homerus Hesiodorus, Pherecides, Pindarus, qui simul & Philosophi extiterunt id potissimum declarat, quod de Ioue Poëtarum more passim canunt; vt videre est in Orpheo Græcorum Theologiæ Patre, qui totam rerum creationem Deo summo quem Iouem forte ab ineffabili Dei nomine *Iehouas*, quod apud Hebræos asseruatur desertum appellat, pie admodum defert hoc carmine.

*Quæ fuerint exorta, & quæ ventura sequentur;*
*Hæc in ventre Iouis rerum compago manebat.*
*Iupiter ipse est primus, Iupiter vltimus idem,*
*Iupiter est caput, mediumque & cuncta Iouis sunt;*
*Iupiter est terræ fundamentum cælique micantis:*
*Iupiter idem Rex cunctorum Principiumque.*

120 Atque vt ommittam Pitagoreorum, Stoicorum, Academicorum, ac Peripateticorum scholas, quæ nihil magis, quam Deum esse docuerunt, Iouemque cunctorum esse Patrem, regem, ac genitorem, creatoremque vt profundissime docuit Mercurius ille celeberrimus, cui nomen Trismegisti plurimarum scientiarum peritia conciliauit: *dialogo 5.* his verbis: [Quis enim singula finxit, nonne hæc solus ipse inuisibilis Deus cuncta propria voluntate molitus est? Et cum statuam ac imaginem absque fabro, ac pictore fieri nullus asserere audeat, miram Mundi huius constitutionem sine conditore constitisse putabimus?] vnde concludit [O cæcum, ô nimis impium, ô profundis obrutum ignorantiæ tenebris, qui sacrosanctum numen negare audes proprioque regno deturbare contendis; caue, caue ô fili mi caue ne vnquam artificium priues artifice.] Postremo in eo libro, qui *Hymnodia* dicitur, postquam omnia ad silendum cohortatus est, ait [cano iam creatorem omnium terrarum distributorem, cœlum æquilibrantem, iubentem ex Oceano aquam vndique fluere dulcem ad hominum alimentum, iubentem lucem fulgere ad actiones hominum.]

121 Quid amplius ipsimet Epicurei, qui cum in cæteris honestæ vitæ præceptis tam impudenter, ac inuerecunde se gererent, Deum tamen negare nunquam ausi sunt. Demum antiquorum, vt testantur Plato, & Aristoteles mos fuit ex insignioribus Philosophis sacerdotes eligere quos summo honore prosequebantur, ea ratione vt inquit Diuus Augustinus, quod ij non solum ex rerum contemplatione Deum, ac diuina didiscissent, verum etiam quæ Deo obsequia præbenda essent longa cœlestium contemplatione scirent præscribere, itaque ex his omnibus liquet omnes homines, omnes nationes, omnes gentes, vniuersum denique orbem, quasi collatis signis, in hanc veritatem manifestandam vnanimi consensu conspirasse. Ex quibus hoc argumentum maximi roboris, ac ponderis dededucitur.

Quia quod omnes homines sentiunt naturaliter 122
id falsum esse non potest, quia ab auctore naturæ qui errare, & fallere, ac falli non potest ipsis infunditur, & inspiratur, sic enim argumentatur Aristoteles *initio libri de diuinatione per somnia, & in lib. 7. Ethicorum, cap. 13. & lib 10. c. 2.* Veraque est illa (quæ profertur ab Augustino *lib. 2. de ciuitate Dei*, & legitur *in prima Tusculana Ciceronis*) sententia, aureumque est, ac gemmeum apothegma: [consensus omnium gentium verissima vox est naturæ, & merito quidem] nam si secundum Christū Dominum in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum, id est veritas firma, & rata, quanto magis stabit veritatis splendor in communi omnium hominum, vnanimiq; consensu: verum quippe est quod pluribus locis ab Aristotele traditur, & magno Philosophorum consensu approbatur, quodcunque omnibus indiuiduis alicuius speciei, vel fere omnibus, aut semper, aut plurimum conuenit id esse secundum naturam illius speciei, & illorum indiuiduorum censeri oportet, quod autem paucis indiuiduis inest, & raro accidit id esse præter naturam illorum existimandum est, natura enim vel semper, vel vt plurimum eodem modo operatur: atqui cognitio Dei cunctis fere hominibus, atque omni tempore insita est: ergo ea secundum naturam esse, ac verissima esse iudicari debet, quia si non secundum naturam esset, etiam si multum temporis durauisset, iam vt alia figmenta euanuisset, vt his aureis verbis docet Cicero, *libro secundo de natura deorum*, ibi [quid enim est Deo euidentius, quem nisi cognitum comprehensumque animis haberemus ab ipsa natura, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vna cum sæculis, ætatibusque hominum inueterare potuisset, etenim videmus cæteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuisse.

Explicatur hoc, nam si ab aliquo, qui nunquam 123
vidit Romam, aut Curiam Philippi IV. nunquam perspexit, interrogaremus an solum sit opinio, vel potius euidens, & certa scientia euidentia quidem morali decorata asserens dari vtramque Curiam Pontificis, & Regis, Matritum videlicet & Romam? sine dubio sapientissime quidem ac prudenter extemplo responderet euidens moraliter esse, ac proinde negari non posse dari Romam, ac Matritum cuius fundamentum non esset aliud, nisi tot hominum fide dignorum vnanimis consensus id asserens: ergo à fortiori euidens moraliter erit sententia omnium hominum vnanimi consensu asserentium dari Deum, cuius imperio terrarum sola gubernantur.

Quid plura? cum vlterius progredi mens hu- 124
mana refugiat, vbi aliquod propter has rationes

infinitum contemplatur, liceat his finem imponere. ac in Dei optimi Maximi laudem Trismegisti illud vsurpare: [ Quid te laudabit Pater omnium? supra te, an infrate positum? quo vertam oculos, vt te laudem? supra ne, an infra? intus, an extra? num modus, an locus circa te, num aliud quidquam ex omnibus? in te autem omnia absque omnia præbes omnia, nihil denique suspicis, omnia quidem habes, quod autem non habes, id ipsum nihil; qua potissimum in re laudes cantabo tuas, num in his forte quæ in lucem è tenebris eruisti, an in his, quæ latent adhuc arcano sinu recondita? ipse profecto es quidquid ego sum, ipse es quidquid agam, ipse es quidquid denique dicam.

## SECTIO I.

### *Ratione naturali demonstratur hæc veritas.*

125 QVia omne ens, aut est primo productum, & causatum, aut non est productum neque causatum: sed non possunt omnia entia esse primo producta & causata, ab alioque in lucem edita: ergo aliquod ens datur non primo productum, nec causatum, sed à se: atqui ens non causatum, nec productum, sed habens esse à se est Deus: ergo iam datur Deus.

126 Maior est euidens, cum inter contradictorie opposita nullum detur medium, secundum illud axioma euidentissimum: quodlibet vel est, vel non est; & secundum illud: impossibile est simul idem esse, & non esse.

127 Minor probatur, quia omne quod est primo factum, & productum, non est factum, & productum à se, sed ab alio secundum illud euidentissimum axioma, quidquid producitur, ab alio producitur; cuius veritas in hoc fundatur, quod nihil magis fieri repugnet inter ea, quæ nulla ratione esse possunt quam eandem rem à se produci, vt Hieronymus docuit super *epistol. Pauli ad Romanos*, cuius verba supra citauimus, & Augustin. *primo de Trinitate, cap.* 1. & alibi affirmat, vt enim se ipsum produceret, deberet præintelligi esse antequam produceretur atque ita esse antequam esset, quod contradictionem inuoluit: ergo omne, quod est factum, est ab alio factum, de quo latius in tractatu vltimo de principiis metaphysicæ.

128 Tunc sic; vel illud aliud est primo factum, vel non, si non est factum, est Deus, si factum: ergo ab alio, ac proinde debet procedi in infinitum: sed processus in infinitum causarum, & effectuum non est concedendus: ergo sistendum est in causa improducta ac deueniendum est ad Deum. Minor in qua est difficultas sic demonstratur, & sumamus totam illam collectionem entium procedentium in infinitum; impossibile est, totam illam collectionem causarum efficientium esse dependentem in suo esse, & operari; ergo necesse est dari in illis aliquod independens, ac proinde non poterit in illo progressu in infinitum procedi, sed sistendum est necessario in ente improducto, & independente; primum antecedens est euidens ex supradicto principio; omne quod producitur ab alio producitur, &c. si ergo tota collectio rerum esset dependens, deberet necessario pendere ab alio, id autem est impossibile, quia nec *ro aliud*, est intra collectionem, nec extra collectionem; de extra est certum; quia nihil aliud est extra collectionem, quia collectio est omnium entium, seu causarum: ergo includit in se & intra se omne ens; sed vltra omne ens nihil est: ergo nullum est extra collectionem, à quo possit pendere tota collectio.

Nec illud à quo pendeat tota collectio, est intra collectionem, quia si tota collectio penderet ab alio ente intra ipsam comprehenso, illud procederet à se ipso, quia cum illa collectio tota, & adæquate dependeat, & secundum omne quod habet ab illo ente, necessario sequitur vt illud ens, quod est aliquid illius collectionis, etiam dependeat ab eo, à quo collectio tota dependet; sed tota collectio dependet ab illo ente: ergo de primo ad vltimum ipsum dependet à se ipso. 129

Quod autem tota collectio adæquate dependeat, sic probatur, quia si omne ens diuisiue, aut distributiue sumptum est dependens, & factum, necessario etiam collectio omnium est dependens, & facta adæquate; siquidem adæquate non est aliud, quam omnia entia diuisiue, & distributiue dependentia; quia cum illa collectio non esset ens per se, sed pluralitas, aut multitudo, nihil potest addere supra omnes partes simul sumptas: ergo si omnes partes illius collectionis dependent, necessario, & euidenter sequitur vt illa collectio dependeat ab eo, à quo omnes partes dependent; non quidem vna singulari dependentia, aut actione, sed collectione omnium dependentiarum, quibus omnia entia dependent. 130

Non enim alia ratione potest esse dependens aliqua collectio entium, nisi quia in ea nullum est ens, quod non dependeat: ergo si tota collectio entium non potest esse dependens, necessario debet in illa collectione esse aliquid omnino independens, quod sit Deus. 131

Vrgetur, ac declaratur hic discursus amplius, quia ex infinita illa multitudine indiuiduorum nullum omnino est, quod fuerit ex se ipso: sed omnia prorsus, ac singula fuerunt à causa efficiente, ab ipsis realiter distincta: ergo extra eam multitudinem, seu collectionem est aliqua causa, à qua aliquod saltem acceperit esse. Patet consequentia, nam in generationibus procedentibus in directum non est circulus causalitatis; ita vt generans pendeat à genitis, quorum causa fuit: in tota illa collectione indiuiduorum nullum est à se, aut non productum, quia omnes habent principium suæ generationis intra eandem speciem; alioquin esset circulus dependentiæ, & causalitatis: ergo necessarium est principium aliquod extrinsecum, à quo vnum saltem illius collectionis indiuiduum sit productum; ratione cuius tota collectio dicetur habere esse ab alio, non à se. 132

Dices non valere argumentum à singulis indiuiduis, vel partibus vnius magnitudinis, aut collectionis infinitæ; nam si mundus, tempus, ac generationes fuissent ab æterno, verum esset dicere ex infinita multitudine dierum nullum singularem fuisse ab æterno, nec etiam vllam generationem ex infinita collectione earum quæ præcesserunt; eodem modo quamvis nullum omnino indiuiduum ex tota collectione alicuius speciei designari possit quod non fuerit ab alio, non propterea inde necesse est, vt tota collectio fuerit ex alio. Sed hæc responsio, licet apparens sit, & posset fallere, 133

fallere, non aduertentes distinctionem inter esse ab alio tanquam à principio durationis ex ipso, & esse ab alio tanquam à principio generationis actiuo, in qua consistit tota vis argumenti; nihilominus tamen, si attendatur ad dictum discrimen, manifeste refellitur solutio hæc; nam esse ab alio, tanquam à principio, vel initio durationis extrinseco, necessario involvit esse post non esse, ac proinde initium ex tempore, ac negationem durationis ab æterno; ideoque cum repugnet æternæ durationi hoc modo esse ab alio, nihil mirum, si ex initio singularum partium temporis ab æterno non recte colligatur initium totius temporis æterni, cuius est proprium; vt quavis parte designabili in infinitum habet alias, atque alias anteriores sine principio; at vero esse ab alio, tanquam à principio generationis actiuo, non repugnat cum existentia rerum ab æterno secundum opinionem eorum; nam sol si ab æterno fuisset, ab æterno quoque illuminasset, & motus cæli, si ab æterno secundum Aristotelem fuisset, non esset ex se, sed ex principio extrinseco, nempe intelligentia motrice: quo casu recte concluderet hoc argumentum; omnes ac singuli motus diurni orbium cœlestium non sunt à seipsis, sed ab extrinseco principio: ergo tota ipsorum collectio non est à se ipsa, neque hic locum haberet distinctio illa partium determinatarum, vel indeterminatarum: quare cum argumentum nostrum procedat, etiam dependentia à principio extrinseco actiuo, parum facit ad rem distinctio illa.

134 Dices, non esse eandem rationem in motu cæli ab æterno, & generationum indiuiduorum ab æterno; nam omnes ac singuli motus diurni sunt ab intelligentia motrice, quæ est principium extrinsecum cœlo, & ideo verum est dicere, cœlum non moueri ex se; at vero omnes, ac singulæ generationes determinate sumptæ sunt ab indiuiduis eiusdem speciei; ideoque cum indiuidua contineantur intra terminos speciei, recte dici posse illam ex se esse, & non ab extrinseco principio.

Sed contra manifeste, quia hæc solutio nulla ratione nititur, nam impossibile est dari mutuam, siue circularem causalitatem in eodem genere causæ, ac proinde cum omnia indiuidua illius collectionis sint ex causa efficiente à se diuersa, recurrendum est ad principium extrinsecum; vt autem res magis simili exemplo pateat, si per impossibile fierent infiniti globi cœlestes eiusdem naturæ cum his, qui modo sunt, & mouerentur omnes, ita tamen vt primus versus non moueretur à secundo, secundus à tertio, & sic in infinitum, verum esset dicere omnes, ac singuli mouentur ab alio: ergo tota collectio mouetur ab alio & non ex se, neque totaliter, neque partialiter; ac proinde dependet ab alio extra se ipsam, siquidem non mouetur proprio impetu; atque impulsu, his enim deberet in aliqua parte ipsius, vel in singulis inesse, quod est falsum, singuli enim orbes trahuntur ab aliis, atque adeo assignanda est vis aliqua extrinseca impellens, cuius vi partes aliquæ rotentur, & secum rapiant inferiores eadem omnino ratione ex infinita multitudine indiuiduorum eiusdem speciei alia generant alia, & quia gignendi vis innititur ipso esse, quod est operationis fundamentum, sicut singula non habent illud à se, sed vnumquodque dependet ab alio extra se, sic tota collectio non habebit nec poterit dependere, neque à se tota, neque à parte propria, sed ab extrinseco principio, cuius ipsum esse sit actus proprius & essentialis.

Dices, sicut totum compositum pendet à parte, v. g. à materia, & tamen propterea forma non dependet à se ipsa, ita similiter posse totam collectionem dependere ab aliquo intra ipsam contento, tanquam à parte dependere, quin illud à quo dependet tota collectio à se ipso dependeat. 135

Sed contra, nam vt benè aduertit Pater Suarez, maximum discrimen datur inter dependentiam effectiuam, & materialem aut formalem, nam totum pendere à partibus nihil aliud est, quàm componi ex illis, & ideo non est necesse vt materia, aut forma se ipsis componat, sed solum vt suum proprium; & intrinsecum esse conferant composito, dependere autem efficienter est recipere ab alio suum esse distinctum ab eo, quod est in causa, & ideo si aliqua multitudo secundum se totam effectiue pendet, necesse est vt pendeat ab aliquo non comprehenso in illa multitudine, nam si ab aliquo in illa comprehenso penderet, vel illud penderet à se ipso, vel certe non tota multitudo adæquate, & secundum se totam erat dependens, dixi adæquate, & secundum se totam, vt excludatur dependentia secundum quid, seu secundum partem, qualis est v. g. dependentia effectus à causa secunda, vt ignis ab igne genito, dicitur enim totus ignis genitus dependere à generante, quia sine actione eius re vera non fuisset hoc totum, tamen illa dependentia est tantum rationis formæ, & vnionis eius cum materia, non est tamen adæquata ac per se primo, seu secundum se totam, quia entitas materiæ per se non pendet ab actione ignis. 136

Cum ergo dicimus totam collectionem entium non posse esse dependentem, intelligimus hoc modo scilicet adæquate, & secundum se totam, nam secundum partem dici potest dependens, quia ablata vna parte non esset illa collectio formaliter loquendo, & hoc modo etiam potest collectio ratione vnius partis pendere ab alio in illa comprehenso, vt per se notum est, tamen hoc nihil obstabit, quominus in illa connexione, detur aliquod ens simpliciter independens; & non factum quod nos deducere intendimus; at vero loquendo de collectione entium secundum se, sed totam & adæquate dependente, id est secundum omnia entia, quæ illam quasi componunt, sic impossibile est totam collectionem sic dependentem pendere ab aliquo in illa incluso, sed necesse est vt sit extra illam; vnde è conuerso sumendo totam collectionem entium, extra quam nihil sit, impossibile est totam illam esse dependentem. 137

Neque etiam potest fingi mutua talis dependentia, ita vt in ea circulus detur, vt superiori etiam discursu late probatum est, agimus enim de propria dependentia, quæ inferior causa dependet à superiori, ita vt totum illius esse posse, & agere, in altera nitatur; igitur necesse est vt in tota collectione causarum per se ordinatarum (quæcunque illæ sint) detur aliqua independens omnino ab alia superiori, quoniam alias tota collectio esset pendens, quod repugnare ostensum est.

## SVBSECTIO I.

*Speciatim distinguendo duplex genus causæ, oppugnatur processus in infinitum.*

139 PRocessus in infinitum potest esse duplex, vel causarum essentialiter subordinatarum, vel accidentaliter, aut per accidens talium. In hac subsectione agendum est nobis de causis essentialiter subordinatis, quæ per se requiruntur ad effectum, itavt necesse sit eas existere quando producitur effectus, & vnam esse subiectam alteri, eo modo quo habitus subijcitur intellectui, & hæc inferiora subduntur corporibus cœlestibus, aut causæ secundæ, & primæ, à quarum concursu dependet effectus, in hoc ergo genere probo non dari processum in infinitum, ad quod aduerte in concursu harum causarum ad productionem vnius effectus illæ causæ, quæ ita mouent, vt moueantur mediæ appellantur ab Aristotele *lib. 3. de anima, textu 65. & lib. metaphysicæ textu 6.* ex natura autem, & ratione formali causæ mediæ, quæ supra rationem causæ addit rationem effectus, vel saltem subiecti patientis à priore agente, cuius actiua motione indiget vt operetur, atque adeo non aliter agit, quam si prius saltem natura ipsa moueatur ab alia sumitur efficacissimum, & euidentissimum argumentum ad probandum nostrum intentum; hanc autem rationem formalem causæ mediæ explicuit Arist. *loco citato* in hunc modum: [Primum mouens pellit, & non pellitur, medium autem vtraque, ] hoc est pellit, ac pellitur, considerat autem Aristoteles quoddam aggregatum ex causis essentialiter subordinatis & effectu qui non sit causa, cuius extrema sunt causa prima mouens, non mota, & effectus siue eius subiectum motum non mouens, media vero cætera quæ mouentur, & mouent, mouentur à superioribus, mouent autem inferiora; vult ergo Aristoteles, vt media sine actione primi mouere aut agere nequaquam possint, ac proinde non posse dari processum in infinitum.

140 Ratio autem sic efformatur, si idem effectus procederet ab infinitis causis essentialiter subordinatis, sine eo quod deueniatur ad aliquam primam simul producentem, & improductam, mouentem, & non motam, omnes erunt causæ mediæ essentialiter, quia ex sua natura petunt ita producere, vt simul ab alia producantur: sed solæ causæ mediæ sine actiuo concursu primæ producentis, & improductæ non possunt producere & agere: ergo impossibile est vt hic numero singularis effectus dependeat ab infinitis causis producentibus illum, non adiutis ab aliqua causa prima producente, & improducta, quæ Deus appellatur.

141 Maior ex terminis liquet, quia causa media, vt constat ex dictis, est mouens mota, sed in toto illo processu causarum omnis est mouens, & mota: ergo omnes sunt mediæ. Minor sic probatur, nam sublata actione causæ, quæ non mota mouet intermediæ non mouentur; cum autem non aliter moueant, nisi motæ sint, si careant actione causæ primæ producentis improductæ, mouentis immotæ, necesse est vt agere nullo modo possint.

142 Vrgetur ac declaratur amplius, quia actio primario, & principaliter inchoari debet à causa superiori mouente, à qua inferior pendet; vnde impossibile est inchoare actionem inferiorem causam, nisi influente prius superiori, ordine saltem independentiæ, & principalitatis; si autem quælibet causa haberet superiorem, & nunquam perueniretur ad suprema illa est à qua primo, & per se possit inchoari actio: ergo impossibilis erit omnis effectio; vel aliter, si illo modo in infinitum progreditur, fit vt tota series, & collectio causarum sit dependens: ergo ab aliqua superiori pendet: ergo ab illa principaliter inchoanda est actio: si ergo talis causa nulla est nullo modo poterit actio vlla inchoari.

Aliter cum Diuo Thoma formari potest hæc 143
ratio, quia secundum leges naturæ effectus limitatæ, & finitæ perfectionis non potest petere infinitas actu causas influentes in ipsum; tum quia infinitū naturaliter non datur, & vt superfluum reijcitur; tum etiam, quia si ille infinitus causarum concursus esset possibilis præter omnem rationem fingeretur de facto dari in causis per se subordinatis, quia nec potest ostendi necessarius, neque in rebus potest inueniri aliquod signum aut vestigium talis multitudinis, aut influxus infiniti, quis enim, aut apparenti ratione tantam causarum multitudinem fingeret ad productionem formicæ v. g. ergo, vt essent infinitæ causæ eiusdem effectus, necessaria esset eleuatio, sicut; & ad alia, quæ naturaliter non possunt fieri: ergo requireretur causa, à qua eleuarentur; & hæc est Deus, qui virtutem habet agendi supra leges naturæ. Secundo quia irrideretur qui assereret, opus aliquod artificiosum, ita pendere à pluribus artificibus, vt nullus sit, cui cæteri subordinentur, sed quilibet pendeat ab alio in infinitum; cum ergo creatura, & præsertim vniuersi machina opus sit maxime artificiosum, non est abeundum in eius artificibus in infinitum, sed sistendum in aliquo supremo, & sapientissimo, qui est Deus.

Ad primum argumentum respondent aduersa- 144
rij non valere à diuisis ad coniuncta negando, & ita Aristotelem, ex eo quod singula mouentia sint mota, & non agant virtute propria, sed virtute alicuius primi mouentis non arguere totam collectionem ipsorum non moueri à se, & consequenter niti debere virtute alicuius primi mouentis; vnde ea consequentia videtur inepta, cum possit dari virtus in aliqua collectione, quæ nullo modo reperitur in singulis partibus, nam si centum homines vniantur possunt grauissimum pondus ferre, quod vnusquisque illorum sustinere non potest, ita similiter, licet quodvis ex agentibus mediis non possit ex se mouere, nihilominus tamen omnia sumpta poterunt.

Sed contra hanc solutionem manifeste emergit 145
ratio falsitatem ipsius reuelans, supponit enim argumentum nostrum procedere proprie à diuisis ad coniuncta, quod tamen est falsum, quia tunc arguitur à diuisis ad collecta, quando à singulis partibus per se sumptis, & non connumeratis cum aliis partibus, sumitur argumentum ad totam collectionem, vt patet in exemplo centum hominum, ita enim negatur de singulis si seorsim sumantur, & non vnus post alium sibi coniunctum; at vero quando partes connumerantur aliis, ita vt de singulis post alia vere aliquid affirmetur aut negetur de tota collectione vere poterit affirmari, vel negari, vt si dicamus Petrus ferre potest hoc pondus simul cum illo, & cum hoc: ergo portare, & ferre poterit omnia tria pondera, & hoc secundo modo procedit nostrum argumentum, causarum enim mediarum si singulæ ita sunt motæ ab aliis, vt motio vnius supponat motionem reliquarum, ita vt ascendendo in infinitum semper sumere liceat vnam post aliam, quæ sit mouens, & mota, & quidem

quidem in quouis numero finito causarum mediarum, recte valet argumentum vt per se est euidens; nam si sint decem causæ mediatæ, omnes debent ab alia moueri, & proinde decima ab effectu non erit prima, sed necessario supponet primam; ita quoque in infinitis causis mediatis si de singulis sumptis post alias vere dicitur non ex se, sed ab alia habere vim mouendi, idem quoque de omnium collectione dici debet.

146 Et confirmatur, quoniam tota hæc collectio causarum, vel est mouens ex se vel ab alio; si ab alio, habetur intentum; si ex se, proculdubio aliquid in ea est mouens non motum, producens non productum, ac proinde non omnes causæ sunt mediæ, sed aliqua prima; non enim concipi potest vt in collectione causarum, quarum nulla habet à se vim agendi sed indiget extrinseca motione alicuius, vt sit vis agendi ex se.

147 Aliter eadem solutio impugnatur admittendo argumentum procedere à diuisis ad coniuncta, aduertendo hunc argumentandi modum non esse formalem, valere tamen ratione materiæ quoties sermo est de prædicato essentiali, vel proprietate necessario coniuncta essentiæ, verbi gratia, singuli homines sunt apti ad ratiocinandum: ergo & omnes simul erunt apti, sic similiter singuli effectus pendent ex sua essentia, & natura: ergo omnes simul pendebunt ab vna causa, &c. Tunc sic moueri ab alio ad agendum est de intrinseca ratione causæ mediæ, & non primæ: sed singulæ ex infinita multitudine sunt mediæ, & non primæ: ergo omnes moueri debent ab extrinseco.

148 Dices; principium illud Aristotelicum omne quod mouetur, mouetur ab alio, solum ab eo vsurpari quoad motum localem in quo est peculiaris ratio repugnantiæ, quæ non reperitur in aliis actionibus; nam mouens motum localiter mouet par contactum, & motum; at infinitorum mouentium motus nequit pertransiri, & idcirco nullum corpus certum potest moueri localiter dependenter ab infinitis mouentibus mediis, hoc est motis etiam localiter; quæ ratio non habet locum in agentibus absque motu per momentaneã actionem productiuam vnius ex alio, non enim repugnat rem productam posse hoc modo agere in ipso productionis instanti, quo primum est.

149 Sed contra, quia hæc solutio nullius momenti est, & in primis Aristoteles, quamuis crebro vsurpet illud principium in materia motus localis, nonnunquam etiam illud supponit absque determinatione ad certam materiam, ita *lib. 2. Metaphysicæ, textu 5.* ait: [non sunt infinitæ entium causæ,] non dixit motuum aut motorum, sed entium causæ, vt complecteretur omnem modum causandi rem aliquam quem cum infinitate causarum cohærere non posse contendit: non agere vero solum de causis ad motum localem determinatis constat, quoniam Metaphysicus considerat causas in sua abstractione & amplitudine sub abstractione à motu, & *lib. 2. de Generatione, tract. 68. lib. 12. Metaph. textu 12.* & alibi sæpius idem principium applicat ad generationes substantiales, applicandum vero ad quoduis genus actionis productiuæ constat ex ratione, qua Aristoteles vere negat eiusmodi progressum in mouentibus superius posita, non vero ex ea quæ in responsione adducitur.

150 Nam licet ad motum requiratur tempus, non videtur repugnare vt motus eius, quod motum alias secum trahit solum natura non tempore præcedat motum, quem causat, vt patet in orbibus excentricis, qui simul tempore mouentur, & tamen superior est mouens motum, mouetur enim à primo mobili & excentricum in se inclusum, propria itaque ratio est, quoniam mouens non primum hoc intrinsece vendicat, vt non pellat aliud, nisi ipsum pellatur ab alio; hæc autem ex æquo procedit in quauis infinitudine causarum non primarum, siue mouentes siue generantes siue quouis modo producentes sint, semper enim si nulla est prima; sed omnis media supponunt vim aliunde sibi impressam ad agendum, quia mediæ non agunt, quin agantur prius saltem natura, quapropter siue illa repugnantia ex peculiari ratione motus localis sit vera siue non repugnantia, quæ sumitur ex propria ratione causæ mediæ, quæ non mouet ex se, sed ab alia mota, æque reperitur cum orbibus agentibus motis ab alio, etenim agens non ex se dicit necessario habitudinem ad agens aliud à quo determinatur, & vim recipit ad agendum, tota autem illa infinita collectio causarum essentialiter subordinatarum est agens non ex se: ergo dicit essentialem habitudinem ad certam aliam causam extra eius latitudinem constitutam, alias tota erit mota, producta & dependens à seipsa quod est falsum.

Secundo sic argumentor principaliter, quia 151
tota illa collectio causarum est dependens: ergo non est necessaria: ergo aliquando est possibilis esse & non esse: ergo non est sine vltima, impossibile enim est quod ab aliquo dependens & non est necessarium semper habeat esse naturaliter, nisi hoc per potentiam Dei absolutam sit, quod an cognoscatur per lumen merum naturæ difficillimum est; vnde naturaliter quod possibile est & non est à se actualiter aliquando est & aliquando non est; si igitur illa collectio est possibilis, erit possibilis esse & non esse: ergo aliquando nihil fuit in rebus: ergo quando habent esse habuit ab alio extra collectionem vel intra ipsam collectionem & hoc est impossibile, quia etiam erit ab alio, & sic etiam indigebit alio à quo abstrahatur à possibilitate & reducatur ad existentiam; vnde si non est aliud quod sit à se, nunquam habebit tota illa collectio esse existentiale, quia omne id quod positum est in possibilitate pura à seipso non potest habere existentiam, nec ab alio; quia non est; vnde colligetur euidenter nullam entitatem à parte rei existere; quod est contra euidentem experientiam: ne ergo hæc absurda dicantur, asserendum est dari quandam causam omnino necessariam à se, qua omnem entitatem creatam & factam possit ponere extra possibilitatem in actu.

Vrgetur amplius ac declaratur ex D. Thoma, 152
quia inter omnia entia mundi quædam sunt contingentia, vt experientia patet, ac proinde indifferentia vt existant & non existant: ergo asserendum est aliquod ens omnino necessarium & minime indifferens ad existendum, & non existendum, & hoc Deum appellamus: patet consequentia, quia si omnia essent contingentia, aliquando nihil fuisset aut certe potuisset accidere, vt nihil omnino existeret, quod si re vera accidisset, foret impossibile aliquid esse; quia nullum esset ens virtute cuius produceretur: ergo impossibile est quod omnia entia sint contingentia, sicut est impossibile omnia esse impossibilia: aliquod ergo ens oportet esse necessarium: vel ergo hanc necessitatem habet à se, & id est proprium Dei: Deum enim appellamus ens à nullo alio pendens in existentia vel hanc necessitatem habet ab alio, & tunc illud à quo necessitatem habet Deus esset, dici enim non potest in hoc genere abiri in infinitum; quia id perinde foret, ac si in causis effi-

cientibus in infinitum procederetur, quod iam reiectum est.

153 Tandem nullum indiuiduum totius collectionis potest habere esse à se, alias iam daretur aliquod indiuiduum in illa collectione quod esset Deus, quod est contra suppositum talem collectionem ponentis: ergo tota illa collectio non est à se: ergo aliqua causa superior est in rerum natura, à qua primo esse acceperunt omnia illa indiuidua, totaque collectio; hæc vero non potest esse cœlum: ergo est substantia corporis expers excellentiorisque naturæ. Rursus vel talis causa ex se habet esse, vel habet illud acceptum ab alio; si ex se: ergo datur substantia corporis expers quæ ex se ipsa existat, quæque causa sit effectrix omnium rerum creatarum; hanc vero Deum appellamus: ergo Deus est, quod si habet esse ab alio cum non detur processus in infinitum, tum eo quod posteriora esse non habeant nisi virtute priorum, & tota collectio ex se non sit, sed opus sit ab alio produci, si existere debeat dandum, proculdubio erit aliquod primum, quod cæteris emineat, & quod origo sit cæterorum; ipsum vero neque à seipso producatur, neque ab alio, (primum quia quidquid producitur, ab alio producitur; secundum, quia iam destructus est processus in infinitum) sed ex se necessario sit.

154 Declaratur, quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa medij, & medium est causa vltimi, siue media sint plura, siue vnum tantum: ergo si non fuerit primum in causis efficientibus non erit medium, & si non est medium non erit vltimum, quia vltimum habet esse à medio, & medium à primo: sed si procedatur in infinitum in causis per se, & essentialiter subordinatis non erit primum: ergo nec medium, nec vltimum, & sic nulla res in mundo erit quod est falsum.

155 Probatur quod causa media necessario dependeat à prima, quia de ratione causæ est efficacia; nam si causa non efficit, non est causa. efficacia actualis in sua causalitate actuali consistit, & sic nisi efficacia compleatur, neque causalitas, neque causa actu erit; vnde quidquid repugnat complemento causalitatis repugnabit & causæ. Tum sic, complementum causalitatis causæ mediæ necessario petit esse dependentiam à prima, quia media est secunda, & secundum dicitur respectu primi, quare vel mediate, vel immediate dependet media à prima, nam si non dependet non est media; vnde si tolleretur prima causa, & ante omnem causam esset alia causa nunquam perficeretur causalitas istarum causarum essentialiter dependentium, conditionalis ista est clara, quia infinitas descensus, vel ascensus repugnat complemento.

156 Tum denique, quia processus iste infinitarum causarum, (quatenus per se requiruntur ad effectum actu subordinatum essentialiter ipsæ causæ,) actu debet dari ad quamcunque actionem actu fluentem à quacunque causa; vnde, quando ignis particularis huius candelæ, verbi gratia, produceret alium ignem in alia candela, necessario concurrerent infiniti ignes, quos necessario videremus concurrentes eo modo, quo videmus illum singularem ignem candelæ concurrentem actu: sed ipsa experientia nos docet hoc esse falsissimum, quia oculis clarissime videmus non concurrere nisi vnicum & singularem ignem. quomodo enim infiniti ignes in vno cubiculo paruo existerent, ad concurrendum cum illo igne candelæ? certe nullo modo. Ex quo manifeste colligitur nullo modo dari infinitas actu causas essentialiter subordinatas, neque dari processum in infinitum causarum essentialiter subordinatarum.

## SVBSECTIO II.

*Processus in infinitum causarum per accidens subordinatarum euidenter ac manifeste repellitur.*

VT harum demonstrationum vim eludant, Atheistæ confugiunt (tanquam ad ras, quas vocant suæ fœlicitatis Palladium) ad subordinationem causarum per accidens, & ad processum infinitum earundem quas infinitas esse non repugnat secundum errorem Aristotelis, qui posuit mundum, & generationes rerum ab æterno, & proinde præcedere debuerunt infinita indiuidua rerum generabilium, quorum alia ab aliis antecedentibus producerentur, aiunt enim rerum generabilium, siue generationis expertium essentias non aliunde quam ex se ipsis non vllius causæ virtute, sed suapte natura ab æterno extitisse, quales nunc sunt; ex se enim inquiunt aptus est homo, ad ratiocinandum, auis ad volendum, &c. & ex cuiuscumque rei natura propriè fluunt proprietates, quibus ad agendum, vel patiendum redditur idonea. 157

Ex quo amplius colligunt semper in mundo fuisse etiam indiuidua aliqua corruptibilium, quæ ex omni æternitate perpetua successione conseruarentur, itavt ante quodlibet extiterit aliud, ad quod aliud in infinitum; in quo discursu, vt patet, non requirunt progressum in infinitum in causis essentialiter, sed solum in accidentaliter subordinatis, ita tamen vt huius infinitæ multitudinis nolint esse vnum principium extrinsecum à se, quoniam ipsa inquiunt rerum natura, & essentia necessario vendicat alicuius, saltem indiuidui existentia, quando omnium non petit, vnde concludunt dicendo etiam si vniuscuiusque indiuidui existentia non sit necessaria, & à se, nihilominus tamen à se speciem illam talis processus indiuiduorum vage & necessario petere existentiam actualem, & sic posse saluari processum in infinitum causarum per accidens subordinatarum docent impudenter, ac pertinaciter. 158

Sed contra hanc solutionem insurgo, probando primum non omnes res suapte natura, & ex principiis essentiæ habere necessario existentiam, quoad aliqua indiuidua; secundum, & consequenter impossibilem esse processum in infinitum in causis accidentaliter subordinatis, nisi fulciatur virtute alicuius principij extrinseci, non subordinati alteri causæ eiusdem generis, nec alterius; ac proinde demonstrabo tale principium esse à se, & sic esse Deum. 159

Quibus positis sic argumentor, quia quod non est actus purus, neque vage, neque determinate non habet necessitatem essendi vllo modo, siue vage siue determinate; sed nulla species rerum generabilium est actus purus in ratione essendi: ergo nulla species rerum generabilium habet esse necessario, aut habet necessario existentiam, siue in omnibus indiuiduis, siue in aliquo vage, & confuse; minor si probatur, quia nullum ens potentiale potest esse purus actus in ea ratione qua potentiale est: sed omnis species creata est ens potentiale in ratione essendi: ergo nulla species creata est purus actus in ratione essendi. Maior est euidens, quia purum vt purum in ea ratione qua 160

qua tale est, non dicit mixtionem alterius rationis, siue oppositæ, siue distinctæ ab illa in qua habet puritatem, vt videre est in vino puro, &c. sed ratio potentialitatis opponitur, & minimum distinguitur ab actualitate: ergo ens, quod habuerit potentialitatem, non potest habere puritatem in ratione actus: minor est euidens, quia omne ens potentialitatis expers includit intrinsecè, & essentialiter ipsum esse; & è contra id cui esse non est essentiale, est ens potentiale: sed species rerum creatarum non includunt essentialiter ipsum esse: ergo sunt entia potentialia. Maior est certa, ideo enim Deus si daretur in vestra sententia eo modo quo fides nostra docet, sine dubio, quia actus purus esset in ratione essendi, includeret essentialiter ipsam existentiam, & actualitatem essendi, & quia vnio non est potentialitas vniendi: sed vltima actualitas includit essentialiter ipsum actu vnire: materia autem prima, vel forma rationalis quia non sunt puri actus in ratione vniendi, non includunt essentialiter ipsum actuale vnire: ergo omne ens potentialitatis expers, &c.

161 Minor patet, quia quicquid est de essentia superioris, est de essentia inferioris, secundum regulam Aristotelis *in antepradicamentis, cap. 3.* & lumen ipsum rationis, inferiora enim includunt omnes rationes formales intrinsecas superiorum, nam cum sublata qualibet ex illis destruatur essentia superiorum, fieri nequit vt hæc insint inferioribus desiderata aliqua ratione formali, aut essentiali superiorum; sed de ratione formali, & essentiali indiuiduorum specierum generabilium non est ipsum esse, alioquin necessario semper essent, & repugnaret, vt de nouo generentur, & aliquando corrumpantur, quod tamen, & natura ipsorum exigit, & experientia compertum est: ergo de essentia specierum generabilium non est ipsum esse, & consequenter sunt entia potentialia. Maior illa prima est certa, quia quod non est purus actus de se est in potentia ad essendum; sed quod est in potentia ad essendum, de se non potest habere esse neque determinatè, neque indeterminatè necessario: ergo quod non est purus actus in ratione essendi non habet necessario esse. Minor sic patet, quia id quod est in potentia & potentiale ex se nullo modo potest esse actu ex se, nam potentialitas infert distinctionem inter potentiam, & actum, quia nihil est in potentia ad se ipsum; vnde existentia non est in potentia vt sit existentia, neque albedo est in potentia vt sit albedo, atque adeo opus est actiua virtus, quæ actum distinctum à potentia passiua illi vniat, quod bifariam contingere potest, vel ita vt potentia actiua sit omnino extrinseca enti in potentia, vel vt idemmet ens sit secundum aliquid actu, secundum aliquid in potentia, & per id, quo est actu reducat ad actum id quod est in potentia; si priori modo se res habeat, perspicuum est ens potentiale non esse actu necessario ex se ipso; si vero posteriori, aut primum illud, ratione cuius est actu, est à se, vel ab alio; si ab alio, patet etiam huiusmodi ens non esse necessario à se, sed ab alio extrinseco, virtute cuius sit actu id, quo reducitur ad actum potentialitas illa, de qua loquimur; si vero primum sit à se, & non ab vllo alio, necessario debet carere potentialitate vt sit, atque adeo semper in re, quæ ex se necessario est, includi debet aliquid expers omnis potentialitatis, & causalitatis extrinsecæ. Tunc sic, tota illa collectio, siue vage, siue determinate est in potentia de se ad essendum, & sic quodcunque indiuiduum illius corrumpitur, & producitur; sed quidquid de se est in potentia ad essendum, de se non potest esse in actu essendi; quia sicut opponuntur priuatiue esse in potentia, & esse in actu simul, quia esse in potentia dicit carentiam actus, & priuationem illius; ita similiter esse ex se in potentia, & esse ex se simul in actu opponuntur priuatiue, ac proinde non potest habere puritatem in actualitate essendi: ergo non est actus purus ex se neque vage, neque determinate, quia siue vage, siue determinate esset actus purus, esset in aliquo indiuiduo; sed nullum indiuiduum est speciei corruptibilis, quod sit actus purus in ratione essendi, siquidem omne indiuiduum potest corrumpi in quo casu separaretur potentialitas essendi ab actualitate essendi, & tunc maneret tale indiuiduum in pura potentialitate essendi; sed quod ex se est in pura potentialitate essendi non potest esse actus purus essendi: ergo in nullo indiuiduo est actus purus essendi.

Confirmatur, quia omnis actus purus debet esse necessario à se; sed nulla collectio indiuiduorum 162
est necessario à se: ergo nulla collectio indiuiduorum est actus purus. Maior est certa, quia omnis actus purus non indiget alio, vt sit in actu essendi: sed quod non indiget alio, vt sit in actu essendi est à se, & non ab alio: ergo omnis actus purus est necessario à se, & non ab alio; quod patet manifeste, nam omnis actus purus est infinite perfectus, quia habet puritatem in ratione essendi, quæ est radix omnis perfectionis, quam actualiter sine vlla potentialitate debet habere; sed quod est infinite perfectum, debet habere omnem perfectionem; sed vna ex maximis perfectionibus est non esse ab alio, nec dependere ab alio, sed esse à se: ergo actus purus in ratione essendi est à se, & non ab alio.

Declaratur: si vos per impossibile concederetis 163
dari Deum, sine dubio diceretis esse actum purum in ratione essendi, & quia esset talis, nullamque habens potentialitatem ad essendum, nullo indigeret quo reduceretur à potentialitate ad actum essendi, neque egeret auxilio extrinseci agentis, medio quo transiret talis entitas à possibilitate ad actualitatem existentiæ, & sic sine dubio esset à se, & non ab alio: ergo puritas actus in aliquo ente inducit necessario in illud carentiam alicuius extrinseci agentis, à quo sit, & à quo habeat esse; quod sic demonstratur, quia ideo creatura non indiget extrinseco agente ad hoc vt sit possibilis; quia secundum rationem possibilitatis ex se est; sed actus purus, quatenus actus purus est in se habet actualitatem essendi: ergo vt habeat illam non indiget alio extrinseco agento.

Quod à contrario sensu demonstratur: id quod 164
habet potentialitatem in essendo, v.g. Petrus, quia est possibilis ex se, & habet potentialitatem in actu essendi non potest à se primo poni in actu essendi, quia possibilitas, & potentialitas ad essendum non est potentialitas dominij, sed potius potentialitas passiua ad existendum, eo modo quo visibilitas, & intelligibilitas sunt potentialitates passiuæ; sed actus purus essendi opponitur potentialitati ad essendum: ergo si id, quod est in potentia ad essendum, non potest à se esse in actu essendi, id quod est purus actus essendi à se, & ex se erit in actualitate essendi; v.g. quia anima rationalis formaliter est actus informandi, in ea ratione non indiget aliquo actu formaliter quo constituatur in esse actus informantis, & sic per se, & ex se formaliter est talis actus; sed actus purus essendi non solum formaliter, sed etiam efficienter est actus purus: ergo efficienter non indiget aliquo, à quo ponatur in actu essendi, ac proinde omnis

actus

actus purus à se erit sine vlla potentialitate essendi ab alio. Minor sic probatur, quia id quod est actus simpliciter purus in ratione vniuersalissima essendi habet omnem rationem actualitatis: ergo expellit omnem potentialitatem, quia si non expelleret illam, non diceretur purum in ratione actualitatis, quia quod purum simpliciter est, excludit ex se omnem mixtionem rationis oppositæ vel extraneæ; quapropter quod purum est in ratione scientiæ excludit omnem mixtionem erroris, insciti æ, & ignorantiæ, quia purum est bonum, & bonum ex integra causa: ergo quod purum est in ratione actus essendi excludit omnem potentialitatem essendi; quæ opponitur puræ actualitati: sed indigentia alterius, à quo accipiat esse, in genere causæ efficientis, est potentialitas, imperfectio, & egentia, aut paupertas in essendo: ergo quod est actus purus in essendo eo quod excludat omnem potentialitatem in esse, necessario debet excludere hanc, per quam indiget causa efficiente, à qua sit: ergo omnis actus purus est à se, & non ab alio.

165 Minor illa sic demonstratur; quia quod ex se est contingens ad essendum, & non essendum in ea ratione non potest esse à se; sed tota illa collectio est contingens ad essendum, & non essendum: ergo tota illa collectio non est à se. Maior est euidens, quia id quod est à se, non positiue, sed negatiue debet esse à se, id est non potest à seipso causari, nec ab alio distincto à se: ergo à nullo potest expoliari esse, quia quod in esse non dependet ab alio nullo modo potest priuari esse ab illo: sed sicut ex se habet sine alterius ita ex se sine ope alterius debet illud esse conseruare: sed quod neque à se, neque ab alio potest expoliari esse, necessario habet esse, ideo enim creatura non habet necessario esse, verbi gratia Petrus, quia sicut habet esse ab alio, & sicut à se habet esse per nutritionem, tanquam à causa, applicante eibum potest à se, vel ab alio expoliari esse: ergo quod est à se non potest priuari esse, & sic non est contingens. Minor probatur, quia id quod potest desinere esse est contingens: sed tota illa collectio, secundum omnia individua potest desinere esse: ergo tota illa collectio est contingens in esse. Minor sic demonstratur, quia omnes leones, v. g. qui de facto dantur sunt corruptibiles ex sua natura in quo distinguuntur à cœlis: sed omne quod est corruptibile potest desinere esse: ergo omnes leones, qui de facto dantur possunt desinere esse, quare si omnes homines vnirentur & armis deuastare intenderent omnes leones, sine dubio consumerent illos, in quo casu nullum individuum, neque vagum, neque determinatum remaneret illius collectionis leonum; nam omnes qui à principio fuerunt vsque ad hos, iam non sunt, quia iam mortui sunt, & præterierunt.

166 Deinde, qui nunc existunt suppono violenter destrui ab hominibus vel ab hominibus separatis, quia ex possibili posito in actu nullum sequitur inconueniens: ergo iam tota collectio illorum individuorum desineret esse, tam vage quam determinate, quoad omnia individua: ergo absolute contingens est: ergo ex se non habet esse necessario.

167 Vrgetur, quia collectio illa non habet esse in individuis vagis, quia à parte rei nullum individuum datur vagum, licet quoad modum explicandi, & concipiendi, concipiatur vage individuum: sed habet esse solum in individuis determinatis, quia omne quod datur à parte rei determinatum est ratione individuationis, & existentiæ: sed omnia individua leonis determinata possunt mori, quia non sunt immortalia: ergo tota collectio, & species est contingens esse, & non esse, ac proinde non est necessaria.

Confirmatur, quia vt ponant aduersarij speciem necessariam vage, ponunt processum in infinitum, & ponunt ab æterno productam fuisse in aliquo individuo sine principio: sed quod producatur ab æterno non facit quod habeat esse necessarium, siue vage, siue determinate: ergo friuolus est talis modus productionis. Minor sic probatur, quia species leonis non mutaret essentiam, & naturam ex eo quod produceretur ab æterno, ab ea quam haberet si produceretur in tempore; vnde ex se non aliam naturam haberet, sed potius eandē siue in tempore, siue in æternitate, aut ab æterno produceretur, quia durationes extrinsecæ non mutant essentias: atqui si modo produceretur non haberet esse necessarium ex se, neque posset produci, nisi à causa alterius naturæ: ergo cum ex æternitate ex se etiam non haberet esse, effici non posset nisi à causa alterius naturæ, præsertim quia cum de tota collectione speciei leoninæ vere affirmemus nullum individuum eiusmodi collectionis habere esse, nisi ab alio id conferatur extrahaturque de non esse ad esse, ac proinde nullum individuum habere esse omnino necessarium, sine dubio nullus sanæ mentis sibi persuadere poterit totam collectionem, cuius omnes partes eam habent naturā seipsam ratione suarum partium vage sumptarum extraxisse de non esse ad esse, constituisseque seipsam in rerum natura; vnde necessario confitebitur, aliquem alium esse auctorem, tam speciei equorum quam reliquarum rerum, quæ in hoc orbe existunt, qui primo eis contulerit esse.

169 Vrgetur amplius, quia omne quod est à se est purus actus, & non potentiale, ac proinde nihil potentiale est actu ex seipso: sed rerum generabilium species sunt entia potentialia: ergo non sunt actu ex seipsis. Maior est ex terminis nota. Minor sic probatur, omne ens carens potentialitate includit intrinsece, & essentialiter ipsum esse, & è contra id, cui esse non est essentiale est ens potentiale: species rerū generabilium non includunt essentialiter ipsum esse: ergo sunt entia potentialia. Assumptio est euidens; nam quidquid est de essentia superioris, est de essentia inferioris secundum regulā Aristotelis [dici de omni,] & lumen ipsum rationis, inferiora enim constituuntur omnib⁹ prædicatis formalibus intrinsecis superiorum; nam cum sublato quolibet ex illis destruatur essentia superiorū fieri nequit vt hæc reperiantur constituendo inferiora, si desit aliquod prædicatum essentiale superioris. Minor illa sic probatur, quia de ratione formali, & essentiali individuorū specierum generabilium non est ipsum esse & existere, alioquin necessario semper essent, & repugnaret, vt de nouo generarétur, & aliquando corrumperentur, quod tamen & natura ipsorum exigit, & experientia compertum est: ergo de essentia specierū generabilium non est ipsum esse, & consequenter ipsæ sunt entia potentialia: deinde natura specifica rerum generabilium ex suis intimis principiis non est essentialiter existens, vt constat non causaliter ad modum quo continet passiones ex iisdem principiis redundantes: ergo nullo modo est ex se necessario.

170 Consequentia est manifesta, nihil enim habet aliquam formalitatē ex se ac necessario, nisi illam includat in essentia, vel saltem ex ea necessario fluat. Antecedens quoad priorem partem constat ex dictis, quoad posteriorem euidenter demonstratur, quia quidquid continet aliud causaliter necessario præsupponitur existens saltem prius natura quam illud: quia quod actu non est, actu causare non potest, quia est aperta repugnantia, vt res concipiatur in vlla prioritate naturæ esse actu sine actu,

&c

& existere sine existentia : ergo naturæ specificæ rerum generabilium in toto suo ambitu consideratæ absque agente extrinseco nullo modo continent virtute ipsum esse, atque adeo non sunt ex se necessario, sed indigent ope extrinseci agentis, vt producantur ab esse potentiale ad actuale.

171 Vltimo sic confirmatur, quia species hominis v. g. habet determinata prædicata essentialia, ac proinde est determinata essentia ex alio capite prædicatum essentiale, quod conuenit speciei essentialiter prædicatur de illa : sed quidquid essentialiter prædicatur de specie non solum de hoc vel de illo vage, sed determinate de hoc, & de illo, ac per consequens de omnibus indiuiduis prædicatur, vt videre est in prædicato animalis, quod conuenit huic & illi indiuiduo non vage, sed determinate, & sic de omnibus : atqui de specie prædicatur essentialiter esse à se, & necessario : ergo non vage, sed determinate conuenit huic, & illi indiuiduo, & omnibus aliis nullo dempto : sed hoc est falsum, vt experientia patet, quia quodcunque indiuiduum assignetur est corruptibile : ergo falsum est dicere, quod prædicetur essentialiter de specie determinate in prædicatis essentialibus esse à se necessario, & quod conueniat ei vage, sicut falsum esset dicere rationale esse prædicatum essentiale hominis, & solum vage, & non determinate conuenire omnibus indiuiduis in particulari ; cuius ratio est, quia quidquid essentialiter conuenit speciei, & essentiæ determinatæ, & non vagæ determinatæ, & necessario debet conuenire illi, ac proinde cuicunque indiuiduo illius : sed esse à se necessario per vos est prædicatum essentiale illius determinatæ essentiæ : ergo non vage, sed determinate conuenit illi, & omnibus indiuiduis eiusdem : sed hoc est falsum : ergo non conuenit speciei tale prædicatum, ac proinde nullo modo species est à se sed ab alio, quod sit omnino à se determinate. Præcipue quia si adhuc ab æterno habuit esse à se, & non ab alio accepit esse cum illa collectio indiuiduorum tota, & adæquate à se non habuerit esse (quia indiuidua, quæ nunc sunt, & sunt partes componentes illam collectionem non fuerunt ab æterno) in aliquo indiuiduo debuit habere esse à se, quia inter omne indiuiduum, & aliquod indiuiduum non est dare medium, & ideo contradictoriæ propositiones formantur illis terminis *omne*, & *aliquod* : sed nullum indiuiduum est, quod essentialiter sit à se, & non ab alio, alias illud indiuiduum, tum non esset huius collectionis, quia omne indiuiduum huius collectionis per vos est ab alio, quia omnia indiuidua sunt generabilia ; tum quia iam illud indiuiduum esset Deus, quod negatis : ergo species in nullo indiuiduo habuit esse à se ab æterno necessario : ergo species illa nullo modo est à se necessario.

172 Vrgetur, quia si naturæ specificæ ex se ipsis essent, supposita hypothesi, quod indiuidua omnia alicuius speciei casu aliquo destruerentur adhuc natura posset ex vi sua absque ope alterius agentis constitui in esse per aliqua indiuidua : sed hoc fieri nequit : ergo natura specifica non habet ex se esse existentiæ. Sequela maioris patet, quia id quod ex se est sublato è medio quocunque alio principio extrinseco adhuc erit, alias non ex se : sed ex illo principio habebit essendi originem. Assumptio patet, quia si omnia indiuidua alicuius speciei desinerent esse non possent aliter constitui in esse, quam per inceptionem vnius, vel plurium determinate indiuiduorum ; hæc autem non necessario inciperent esse ope agentis extrinseci à ratione speciei : ergo species extinctæ quoad omnia indiuidua non possent ex se constitui in esse actuali.

Quod autem non possint incipere de nouo certa, ac determinata indiuidua specierum generabilium absque agente extrinseco clarum est, quia vel esset determinata necessitas, vt hæc potius quam illa esse incipiant ; aut necessitas indeterminata ad aliqua non determinata, nam cum omnia indiuidua habeant eandem naturam, & eadem principia essentialia, & æqualiter conueniat in prædicatis essentialibus, non est vnde proueniat necessitas existendi his potius quam aliis, videmus etiam singula indiuidua, quæ generantur non habere necessitatem existendi ex se ipsis ; sed egere operatione saltem alterius indiuidui eiusdem speciei, quod prius habeat esse in se, & deinde illud communicet alteri, quare in nullo indiuiduo est determinata necessitas existendi à se ipso ; si vero esset indeterminata necessitas cum causa naturalis, & non libera (vt est species equina aut leonina &c.) indeterminata, quia talis indeterminatio non est dominij, sed indigentiæ, & necessitatis producere nequeat effectum determinatum, opus esset extrinseco agente, quo necessitas naturæ specificæ, quæ indeterminata est determinaretur ad huius potius quam illius indiuidui existentiam producendam, ac per consequens ipsa natura ex se non haberet esse necessario. 173

Dices, argumentum procedere ex suppositione impossibili, & contraria assertioni, quæ impugnatur, ac proinde nullius momenti esse. 174

Sed contra, quia hæc non est solutio sed elusio, nam ex suppositione impossibili potest argui ad inuestigandam rationem aliquam, siue principium formale alicuius effectus abstrahendo à plurimis, quæ re vera insunt subiecto, vt appareat, qua posita ponatur effectus, & qua sublata tollatur, vt passim contingit in Theologia, quando supponimus Spiritum sanctum non procedere, vt de facto procedit à Patre, & à Filio simul, vt tali suppositione impossibili deueniamus in cognitionem distinctionis formalis Spiritus Sancti à Patre, & à Filio, & sic de cæteris ; nam ratio aliqua habet ordinem ad effectum in ordine ad plures differentias temporis, vel loci ; at cum ordo ad vnam differentiam non pendeat ab ordine ad alias ex suppositione negante ordinem ad vnam non hoc ipso negatur habitudo ad alias : quomodo si quis dicat cœlum moueri à se ipso ; non ineptè quis argumentabitur, si cœlum à se ipso moueretur, si quo casu per aliquod tempus quiesceret, rursus à se ipso moueri inciperet, quandoquidem motus in hoc tempore non pendet à motu in alio. Similiter cum simplex, & absoluta necessitas ad existendum non solum respiciat hoc vel illud tempus, sed omnia prorsus, imò totam æternitatem, quantumuis sit impossibile vt id quod necesse est esse, vnquam esse desinat, tamen facta hypothesi impossibili quod desinat, si verum est rem ex se esse, incipiet iterum habere existentiam à se ; nam sicut ab æterno illam habuit ex se absque principio extrinseco, ita facta illa hypothesi impossibili adhuc incipere debet ex se, quod necessario admittendum est in omni re perente ex se aliquem actum, nam si quo casu, aut impedimento ab illo præpeditur, sublato obstaculo rursus erum- 175

pit, & incipit habere id quod illi ex se & non aliunde conuenit.

176 Deinde vero suppositio non est impossibilis, vt supra probaui, etenim in vniuerso est sufficiens causa corruptionis & extinctionis alicuius speciei, nam species animalium perfectorum homini inseruientium possunt ex libera hominis voluntate extingui, vel occisione omnium indiuiduorum, vel prohibitione generationis, quod & si videatur mora liter impossibile, physice tamen fieri non repugnat.

177 Præterea vel natura ex se necessario est quoad conseruationem vel quoad inceptionem, vel quoad vtrumque, non quoad inceptionem, tunc enim assignandum esset aliquod indiuiduum ex fœcunditate naturæ absque ope agentis externi necessario incipiens existere; hoc autem repugnat cum æternitate generationum, quam ponunt & non est vlla ratio, cur potius vnum, quam aliud ita cœperit. Non quoad conseruationem, quia nulla species rerum generabilium est sibi sufficiens ad conseruationem sui absque vi, & influxu causarum superiorum, quod ostendit varietas, & inæqualitas generationum, & corruptionum pro varietate temporum, & diuersitate coniunctionum, aut oppositionis solis ac luminum reliquorum; ex quibus omnibus concluditur omnem speciem esse necessario ab alio principio extra suam collectionem, à quo à potentialitate in actum reducatur, quia quod non est à se debet esse ab alio.

178 Prima consequentia primi, ac præcipui syllogismi positi §. primum quia tota illa collectio est manifesta suppositio antecedenti, quia id quod non est à se, sed ab alio, non est ipsum esse ex se siue identice, siue essentialiter, aliàs si esset ipsum esse, sicut à se est possibile, à se esset actu, v. g. ideo Petrus non est suum ipsum esse ex se, quia est ab alio, & è contra nos dicimus Deum esse ex se suum esse, quia à se est.

179 Sed, quod ex se non est suum esse, non est purus actus: ergo quod non est ex se non est actus purus; cum autem tota illa collectio non sit à se, sed ab alio, necesse est vt non sit actus purus. Minor illa prima eiusdem paragraphi est cuidens, quia id quod non est purum in aliqua ratione est admixtum potentialitati in illa ratione, v. g. quia homo non est purus in ratione intelligendi est admixtus potentialitati intelligendi, & quia est admixtus tali potentialitati ex se est impotentia ad intelligendum: sed omnis species aut nulla species est purus actus essendi: ergo ex se est admixta potentialitati essendi, ac proinde ex se, & à se tantum erit possibilis esse, id est tantum habebit possibilitatem essendi, & sic ex se tantum erit in potentia ad essendum; vnde vt reducatur ad actum essendi necessario indiget alio extrinseco reducente, v. g. in Petro exemplum est manifestum, qui ex eo quod non sit purus actus essendi ex se tantum est in potentia ad essendum, hoc est possibilitatem essendi cum carentia existentiæ; quare ex se non potest habere existentiam, sed ad habendam illam indiget alio, à quo reducatur à possibilitate ad actum essendi: ergo similiter in nostro casu continget vt patet ex dictis.

180 Ex hac demonstratione constat nullam rerum generabilium speciem habere eam perfectionem, qua constituatur in esse independentis ab alio, ac proinde indigere aliquo extrinseco agente, à quo dependeat in esse.

Tunc sic, vel illud est à se, vel ab alio 181
principio; si à se: ergo Deus, ac proinde habemus intentum. Si ab alio idem de eo quæri potest, & ita vel deueniendum ad vnum principium à se, vel dandus processus in infinitum, quem iam reiecimus.

Quod si iterum contendant non repugnare 182
processum in infinitum, sic insurgo, quia hic processus potest dari duplici admissa suppositione, vel Atheistarum de æternitate mundi, vel secundum principia fidei, qua credimus mundum cœpisse ex tempore, & in priori quidem non potuit eiusmodi principium pendere ex infinitis causis accidentaliter subordinatis, nam cum fuerit ab æterno non potuit esse posterius duratione pluribus causis sibi iugiter subordinatis succedentibus: ante æternitatem enim concipi nequit vlla successio durationis, ac proinde substantia existens, & causans ab æterno nequit à pluribus causis accidentaliter subordinatis procedere; si autem conclusio sit suppositio initio rerum etiam vrget ratio, nam si collectio causarum subordinatarum accidentaliter est eiusdem speciei cum principio, quod ab ipsis pendet eodem modo probabitur debere extra eam dari aliud principium extraneum ab eadem specie, quo supra ostendimus dandum esse principium extrinsecum speciebus rerum corruptibilium ad earum generationes; si vero sit diuersæ speciei, rursus interrogo de causa huius principij, pendeatne ex infinitis eiusdem speciei, an diuersis, & sic in infinitum, & quoties respondebitur esse eiusdem speciei adhiberi poterunt eadem argumenta.

Si vero infinitus ille processus sit rerum spe- 183
cie differentium, aut in ipso datur aliqua, quæ sit à se, aut nulla; si aliqua, hæc est omnium principium, & immutabile; si nulla: ergo extra eam collectionem quærendum est primum principium illius, quando quidem fieri nequit vt species omnes collectionis infinitæ sint ab alio, & collectio habeat principium in se, & à se quin sit ab alio.

Confirmatur, quoniam collectio infinitarum 184
specierum producibilium prius natura est in potentia passiua vt sit, quam in potentia actiua vt agat, nec potest transire prius ab actiua in actum agendi, quam à passiua in actum essendi: nihil enim suapte vi prorumpit à potentia passiua in actum essendi, sed virtute agentis extrinseci: ergo collectio infinita specierum producibilium ab alio necessario exigit principium efficiens extra se. Antecedens per se patet, quidquid enim est producibile prius, quam actu fiat, est in potentia vt producatur, nam cum duplex sit ens, scilicet actu, & potentia, auctore Philosopho *lib. 2. Metaph. textu 8. lib. 1. de generatione, textu 11.* & alibi sæpè, omne id, quod mutationem subit, mutatur ex potentia ente, in actu ens, & prius est productum, quam sit in potentia actiua ad producendam rem aliam, quandoquidem inter has potentias interiaceat ipsum esse existentis, quod est naturæ posterius potentia passiua, siue aptitudine rei, vt ipsa sit, prius autem potentia actiua vt producat aliud: ergo collectio infinitarum specierum producibilium considerata secundum se

se prius natura est in potentia passiua vt sit, quam in potentia actiua, vt agat: & cum actus potentiæ actiuæ supponat esse, quod in rebus producibilibus est primus actus potentiæ passiuæ ipsarum, non poterit prius constitui in actu operandi, quam sit constituta in actu essendi: Patet quoniam in essentialiter subordinatis non potest tertium esse sine secundo, neque secundum absque primo, in rebus autem producibilibus hæc tria sunt essentialiter subordinata, esse, posse, operari; ideoque nihil potest constitui in actu secundo operandi, quin prius constituatur in actu primo essendi, cum autem potentia actiua, & passiua respectu actus primi repugnent in eodem subiecto in ordine ad essendum cum carentia essendi, si in tota collectione infinitarum specierum præintelligitur potentia passiua, siue aptitudo ad essendum repugnat in ea ipsa dari potentiam actiuam ad productionem ipsius esse: ergo danda est potentia aliqua actiua extra eam collectionem. Consequentia est manifesta, nam potentia passiua, vt docet Philosophus *lib. 5. Metaph. cap. 12. & lib. 3. de anima, textu 17. & lib. 2. de generatione, textu 52. & 53.* non est absque habitudine ad actiuam; quare si in tota illa collectione est potentia passiua, vt sit, non autem actiua, hæc extra illam quærenda est necessario.

## SVBSECTIO III.

*Secundum principale argumentum ponitur.*

185 QVia omnia entia, quæ sunt à parte rei sunt in ordine ad finem siue materialiter, siue formaliter; sed si non daretur causa supra totum vniuersum, quæ potentissima, sapientissima, & infinite perfecta, & vbique præsens spiritualis, quæ tãdem ex se sit, & à qua totum vniuersum sit causatum, regatur, & gubernetur, dirigatque omnia, ex quibus componitur mundus in proprios fines, non ordinarentur omnia in fines proprios: sed huiusmodi causa est Deus: ergo datur Deus à parte rei. Maior sic probatur; nam si rem attentius pensitemus, sine dubio reperiemus mixta omnia perfecta, siue vita careant, siue viuentia sint, ordinari tanquam in finem proprium in hominem; nonne hæc congeries rerum quædam copiosissima, ac ditissima suppellex tum ad alios vsus hominis necessarios, tum ad animi oblectationem à Deo præparata est? si vero admixta imperfecta, hoc est ventos, pluuias, & cætera respicias, reperies res esse omnino necessarias, tum ad procreationem eorum, quæ in terra gignuntur, hominique necessaria sunt; tum etiam ad aëris temperiem, puritatem, ac salubritatem, atque vt mortales in Dei admirationem, & cognitionem excitarent. Vnde merito D. Paulus *Actorum 14.* imbrem certis quibusdam temporibus è cœlo effluentem, vt testimonium certum protulit, quo homines possent in Dei veri cognitionem deuenire, [ Deus inquit in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas, & quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, &c.

186 Denique si ad reliqua corpora, quæ simplicia sunt aduertamus, aperte cognoscemus non esse aliud, vt inquit Chrysostomus, tam capacissimam ac pulcherrimam domum homini omni suppellectili ad humanos vsus necessaria ornatam, mirabili, & natura, & varietate partium admirando quodam ordine accommodatissime fabricatam, cuius pauimentum, hoc est terra, supra id, quod postulat ipsius natura ad habitationem, & procreationem multarum rerum eminentius aquis est collocatum; iam vero tectum variis syderibus mira pulchritudine fulgens, totam hanc domum illustrat, atque pulchritudinem illius ostendit, variisque motibus tum aliorum astrorum, tum potissimum solis inter reliqua sydera principatum obtinentis (qui nenimium ab his rebus inferioribus remotus esset in quarto orbe est collocatus) in causa est admirandæ vicissitudinis dierum, ac noctium Hyemis, & veris, æstatis, & autumni moderaturque, procreat, ac fouet hæc omnia inferiora; ex quibus omnibus, manifeste constat macrochosmum, seu mundum magnum in ordine ad microchosmum, seu mundum paruum hominem imirum esse conditum, & fabricatum, ad ipsumque tanquam in finem proprium dirigi & tendere.

Quod autem homo ipse omnia, quæ in homine 187
sunt ad suum finem ordinentur; sic demonstratur. Animus hominis est propter nobilissimas suas operationes intellectus, & voluntatis, quibus virtutis, laudis & præmij cognitionis rerum humanarum, ac diuinarum capax est, atque adeo beatitudinis tam actiuæ, quam contemplatiuæ quæcunque tandem ea sit; Vnde consequens est, animum nostrum suapte natura esse propter suam beatitudinem vel huius vitæ, vel etiam futuræ, si quæ ei naturaliter esset proposita, & multo magis propter supernaturalem, si gratia supernaturalis etiam beatitudinis conditus sit; cum verò corpore indigeat; si non vt sit, certe vt melius, accommodatiusque ad suam naturam operetur, corpori fuit vnitus in ministerium suarum operationum, quare corpus est gratia animi, & non è contrario animique perinde finis est corporis; quoniam vero ex animo, & corpore fit vnum per se genitus ex vtroque fuit homo, qui tanquam suppositum propter easdem operationes proprias animi, atque adeo propter beatitudinem actiuam, & contemplatiuam conditus est.

Ex quibus satis aperte liquet, vires in corpo- 188
re humano residentes, ita inter se esse affectas, vt quædam sint propter alias, omnes tamen tandem sint propter intellectum, & voluntatem, vt operationibus suis operationes intellectus, & voluntatis, mediate, vel immediate iuuent, eisque inseruiant, sola vi generante excepta, quæ in propagationem indiuiduorum conseruationemque speciei ordinatur; quo fit, vt tam potentiæ omnes hominis, quam operationes earum sint propter finem.

Quoniam vero corpus fabricatum fuit vt vires 189
ipsæ postulabant, atque vt esset aptum instrumentum operationum earum ex singulis viribus, & operationibus earum demonstrandum esset, etiam minutissima quæque in corpore humano ita esse propter finem, vt nihil amplius à sapientissimo artifice, vel effici, vel excogitari potuerit, proprio fini accommodatum; nihilque in tam multiplici fabrica humana reperiri; quod vel superfluum sit, vel diminutum, vel de quo quis dicere possit hac, vel illa ratione melius effici potuisse, quin potius si quoquomodo aliquid ab ordine rebus indito aliquando deuiat, statim vitiosum, minusque

que aptum, aut omnino ineptum comperitur; merito: ergo regius Propheta *Psalmo* 138. tem tantam admiratus quam non nisi infinita sapientia, atque potentia efficere potuerit, exclamans ait [mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam;] præter Aristotelem de *Partibus animalium*, & Galenum *de vsu partium*, lege aureum opus Fratris Ludouici Granatensis, quod *Symbolum fidei* appellat, vbi totam fabricam corporis humani late explicat singulorumque rationem copiose, & erudite reddit.

190 Hac eadem arte in reliquis animantibus, & plantis facile erat ostendere vires, quas cum hominibus communes habent omnes esse propter finem; ex viribus vero facile erat ostendere, totam corporum ipsorum fabricam esse etiam propter finem, maxime si fines particulares singulorum, quorum gratia propter hominem condita sunt, variaque genera animalium elementaque diuersa, in quibus iuxta propriam cuiusque naturam degere debebant ante oculos haberentur; inde enim tam quam ex fine diuersæ figuræ variaque instrumenta ad motum in volatilibus, animalibus terrestribus: atque in iis, quæ in aquis degunt originem habent omnia, tamen accommodatissima ad suos fines reperiuntur.

191 Prima pars minoris videlicet ea, quæ in maiori continentur esse non posse, nisi daretur causa supra totum vniuersum, quæ potentissima, &c. sic probatur, quoniam tam ea, quem hæc finem agnoscunt, nec ordinem mediorum ad finem, quam ea, quæ licet illum possint cognoscere habent tamen operationes, quæ non subiacent directioni intellectus, ac liberi arbitrij proprij, qualia sunt ea omnia quæ enumerata sunt agere nequeunt propter finem, nisi ex directione & præordinatione causæ agentis per intellectum, & voluntatem, quæ ad id contulerit illis naturas & potentias: si ergo eiusmodi res omnes sunt atque operantur propter finem, fit vt id esse nequeat, nisi detur causa agens per intellectum, & voluntatem à qua ea ratione in suos fines dirigantur; quod ab ea esse, ac vires ad suas functiones obeundas acceperint.

192 Dices, omnia tendere in suos fines, non quia ab aliqua causa superiori dirigantur in illos, sed eo quod à suis propriis formis, ac naturis ad eos inclinentur. Sed contra, quia id non est agere propter finem: sed est tendere in aliquid, non sub ratione finis; finis namque non est, nisi comparatione causæ, quæ ipsum finem per intellectum, & voluntatem intendit mediumque aliquod illius gratia ordinat; Philosophi autem naturales & inter alios Aristoteles 2. *Physic.* ex ordinatissimis actionibus rerum omnium naturalium, atque ex commodatione quam maxima eorum omnium, quæ producebantur ad varios fines intellexerunt, atque asseruerunt opus naturæ esse opus intelligentiæ, quasi à causa aliqua operante per intellectum, & voluntatem res omnes naturales haberent esse & facultates, quibus in suos fines dirigerentur, eaque ratione asseruerunt naturam agere propter finem.

Deinde si ordo, & accommodatio ad finem in vna re, aut paucis tantum cerneretur, posset verisimilitudine aliqua affirmari, accidisse vt tales res ex se se ita essent inclinatæ, eaque ratione ordinate tenderent ad ea ad quæ inclinantur, vt videantur esse, & agere propter finem: at cum videamus id non vtcunque, sed quam maxime splendere in toto vniuerso, & in singulis partibus, etiam minutissimis illius, quis sibi poterit persuadere, tam multas, ac tam varias naturas casu esse ex se se ita inclinatas, vt videantur esse, & agere propter finem, & non potius à superiori aliqua causa cognitione prædita, quæ tam accommodate ad varios fines, atque ad finem totius vniuersi illis esse contulerit? Atque vt è multis vnum proferamus exemplum, quis sibi persuadeat cum in vnoquoque hemispherio vnica stella polaris sit, aut potius vnum tantum punctum fixum, quo veluti cardine primum mobile conuertatur casu euenisse, vt vis illa mirabilis, quæ est in magnete ferrum ita efficeret, vt vnum illud punctum inter alia innumerabilia directo quærat, & indicet in toto hemispherio, imo si ferrum perfricetur versus vnam partem magnetis, faciat illud quærere Septentrionem; si vero perfricetur versus contrariam partem, faciat illud quærere Austrum, & non potius de industria ab authore aliquo totius vniuersi id esse factum, propterea quod cognitio illius eo quod semper immotum permaneret, necessaria esset, tum ad nauigandum, tum etiam ad alios vsus.

Fatemur quidem res omnes naturales à suis formis, ac naturis inclinatas esse ad suos fines, & ad finem totius vniuersi: at quod contendimus, est, non potuisse tot res à suis naturis esse ita accommodate inclinatas, nisi à causa aliqua superiori, communique authore totius vniuersi per intellectum operante eas ad eos fines acceperint. Omnia namque suo ordine, dispositione, ac accommodatione præclamare videntur, ipse fecit nos, & non ipsa nos. 193

Confirmatur, quoniam talis causa ordinans om- 194
nia in suos fines, non potuit esse aliquod inferiorum corporum, eo quod præter hominem nullum intellectu polleat, & homo id præstare non possit, neque item potest esse aliquod cœlestium corporum, tum quod iuxta veriorem sententiam nullum sit intellectu præditum, tum vel maxime quoniam neque omnia simul sumpta gignere potuerunt hominem, aut aliud animal perfectum, nedum de nihilo illa producere, imo potentissimum eorum, nempe sol non solum sine influxu, & auxilio cæterorum, sed etiam sine pluuia, & aliis causis inferioribus producere non valet segetes, & moderari hæc inferiora nedum de nihilo tam illa, quam superiora producere, vt tandem ordo, ac dispositio admirabilis totius vniuersi, accommodatioque tanta rerum omnium ad suos fines ab ipso proficisci possit, ne quis enim intendens in cœlum, vidensque Solem, Lunam ac cætera astra, quæ in ministerium cunctis gentibus condidit Deus, errore deceptus crederet aliquod eorum, aut corporum cælestium primam ac supremam esse causam; ita enim Deus vim agendi illis distribuit, eaque disposuit atque à se inuicem ad effectuum productionem, inferiorumque moderationem dependentia effinxit, vt nullus, qui rem attente consideraret, suspicari posset aliquod eorum esse primam causam; sed facile intelligeret aliud quippiam esse nobilitate ea omnia longe excellens, à quo cuncta haberent esse, atque in suos fines tam accommodate dirigerentur vt vnitas, atque ordo totius vniuersi aperte testantur.

Declaratur amplius dicta, quia quemadmodum 195
ex creaturis quatenus pendent à causa efficiente aperte & euidenter ostenditur esse in rerum natura causam primam efficientem immobilem, ita quoque ex ipsismet quatenus sunt propter finem demonstratur esse vltimum finem, propter quem sunt fines intermedij; nam fines intermedij non appetuntur absolute propter se, sed in ordine ad posteriores

steriores & consequenter vis trahendi,ac determinandi causam efficientem a dagendum sumenda est à fine, propter se, & non propter alium volitum, vt expresse docuit Aristoteles *lib.2.Metaph.text.*8. vbi sic ait:ipsum, cuius causa finis tale autem est, quod non est alterius gratia, sed eius causa cætera ; quare si tale erit vltimum, non erit infinitum quod si nihil tale, non erit ipsum huius causa sed qui faciunt infinitum, latet eos, quod boni naturam auferunt. ] Ex quibus constat de ratione finis,cuius gratia cætera fiunt ; esse vt sit vltimus ; quod cum ratione infinitæ vicissitudinis finiunt, non cohæret, hoc enim significat Aristoteles, cum ait, eos ; qui constituunt infinitum , hoc est progressum infinitum in finibus tollere rationem boni, hoc est finis ; cum autem non debeat tolli ratio boni ; non debet etiam poni infinitus progressus finium , alias nullum agens operaretur propter fines;quia non potest operari propter infinitos fines ; & ptimo probatur hoc in agente formaliter propter finem ; nam huiusmodi agens necessario tendit in aliquem vltimum finẽ in exequutione qui sit primus in intentione , vt constat ex Philosopho 2.*lib.Metaph.text.*9. vbi ex infinitudine finium arguit his verbis[nec esset intellectus in huiusmodi,alicuius enim causa agit quicunque intellectum habet , hoc namque terminus est,finis vero ipse terminus.] Loquitur de proprio modo agendi propter finem formaliter nimirum, & ex intentione , qui conuenit solis, & omnibus habentibus intellectum, & in actione propter infinitos fines,censet non posse interuenire opus intellectus ; atque adeo neque proprium modum agenda formaliter propter finem. Præterea ratione sic ostenditur, quia effectus determinatus non potest prouenire à causa indeterminata ; sed agens voluntarium quod solum formaliter agit propter finem ante intentionem alicuius certi obiecti est causa indeterminata ad multiplices effectus, & ad diuersa media pro varietate finium eligenda,& exquenda : ergo vt ex electione procedat ad exequutionem huius potius operis , quam illius ; determinari debet ab appetitione finis certi , ac determinati ; patet consequentia : quoniam quidquid appetitur, aut appetitur propter se, aut propter aliud, si propter se absque vlla omnino relatione cæterorum ad se iam detur finis vltimus.

196 Si propter aliud , rursus interrogo de hoc ipso; quod si appetitur propter se,habetur finis vltimus; si propter aliud , & aliud in infinitum , non erit obiectum determinate mouens voluntatem;quandoquidem nullum ex infinita multitudine determinate mouet propter se : ergo non est determinata tractio voluntatis & consequenter non erit operatio.

197 Præterea, quia omne volitum propter aliud reducitur ad volitum propter se : sed si sit infinita progressio in finibus , tota ipsorum collectio est propter aliud , nec resoluitur in finem vltimum, qui sit volitus propter se:repugnat ergo huiusmodi progressio in finibus. Maior propositio est euidens ex terminis ; nam volitum propter aliud dicit rationem medij , quod non appetitur ratione proptiæ bonitatis , vt in se est absque ordine ad aliud , sed quatenus est vtilis ad assequendam bonitatem alterius, quæ appetitur propter se , atque adeo sublata intentione finis vltimi qui appetitur propter se dissoluitur ratio finium mediorum, qui appetuntur propter illum ; nam sicut causæ efficientes mediæ non mouent,nisi motæ à prima, ita fines medij non trahunt absolute propter se , sed propter bonitatem vltimi;quare sicut absque causa prima efficiente,vt iam dixi cessat actio mediarum, ita absque causalitate finis vltimi cessare debet causalitas mediorum.

Quod autem detur etiam repugnantia in pro- 198
gressu infinito finium in agentibus propter finem materialiter : patet euidenter , quia natura nihil agit frustra,neque habet propensionem ad impossibile, neque vt in pluribus, & multominus semper frustratur suo fine: Hæc vero ita euenirent, si agens naturale operaretur materialiter propter infinitos fines essentialiter subordinatos;non ergo ita potest agere. Maior propositio est euidens ; quoniam si quodvis illorum admittatur, dissoluetur natura vniuersi ; & omnia à casu sursum , ac deorsum vergent , cuius oppositum experimur. Præterea , natura non aliter inclinatur ad finem; quam per formam sibi proprtiam , & naturalem ; hæc autem non propendet naturaliter ad ea ; quæ subiecto disconuenientia , vel impossibilia sunt ; & quod in pluribus accidit,id est magis congrusi; & naturale subiecto,ideoque fieri nequit,vt agentia naturalia vt plurimum,aut semper suo fine frustrentur. Ea vero omnia sequi constat ; quoniam infinitorum finium acquisitio est impossibilis ; nam vel acquiri deberent simul in eodem temporis momento,vel successiue alij post alios : hoc secundum repugnat , quoniam accipienti alias , atque alias partes infiniti semper restant aliæ iuxta doctrinam Aristotelis *lib.3. Phys. text.*63. definientis id esse infinitum , cuius secundum quantitatem accipientibus semper aliquid accipere est extra , & ita nunquam agens perueniret ad omnium assequutionem; ob quam causam idem Philosophus 1. *Ethicor. cap.*2. docet , vanum & inanem esse appetitum, si infinibus fiat progressus in infinitum : illud vero primum repugnare constat; quoniam infiniti fines non nisi infinitis actionibus acquiri possunt ; at naturales potentiæ vt tradit Philosophus *in lib.*1. *de cœlo. cap.*11. & ratio , atque experientia docet, habent terminum suæ virtutis, & actiuitatis ; neque infinitos simul effectus ex se effundere possunt , quare nunquam natura perueniret ad infinitorum finium assequutionem , & consequenter neque operari propter illos potest. Quam rationem attigit Aristoteles *lib.*2. *Metaphys. text.*8. cum de hac ipsa re disputans : [ Nullus(inquit)inciperet agere quicquam, si non esset perventurus ad finem;supponens fieri non posse, vt agens propter infinitos fines eos assequatur. Respondebit aliquis hoc secundum minime sequi ; quandoquidem fieri potest , vt infinitæ causæ simul operentur vnaquæque propter finem proximum , & omnium collectio propter infinitos;quo casu effectus non excedent vim actiuam agentium ; nam sicut effectus sunt infiniti, ita quoque agentia. Verum hæc solutio satis impugnatur ex superioribus;nam vt agentia infinita operentur propter fines infinitos, debent esse subordinata inter se quemadmodum fines ; hoc autem probatum est fieri non posse, vt infiniti fines eodem modo intendantur , & obtineantur ; nam vt finis posterioris agentis sit etiam finis prioris , opus est , vt hoc illud moueat , & applicat ad agendum , & sic in reliquis omnibus , quare cum probatum fuerit; hoc repugnare, illud quoque repugnare censendum est,quin vero etiam si ex parte potentiæ actiuæ non repugnaret,tamen ex propria ratione causandi ipsius finis repugnat ; nam cum causam materialiter operans propter finem dirigatur ad ipsum à causa superiori illum intendente, si hæc non poterit intendere infinitos , nec illa poterit agere propter illos.

199 Dices, quamvis non detur vllus finis vltimus in progressu infinitorum finium, totam collectionem esse propter se, quatenus non est propter aliquem finem extremum, & nullus ex ea in particulari est, qui non habeat intra ipsam finem, cuius gratia appetatur.

200 Sed contra, & hæc solutio facile impugnatur; quoniam multarum rerum collectio non aliter potest dici appeti præter se, quam si singulæ partes apponantur propter se, vel omnes propter vnam, quæ non eligatur propter aliquod bonum extra collectionem, sed impossibile est ex infinitis finibus subordinatis singulos appeti propter se, hoc enim ipso iam non erunt subordinati, nec alij propter alios voliti, tanquam fines medij, sed omnes in suo genere vltimi, non etiam omnes propter vnum ex eadem multitudine; hic enim erit simpliciter vltimus, atque adeo destruitur etiam progressio in infinitum, in qua non est peruenire ad vltimum, nec ratio quæ redditur est idonea, imo contradictionem inuoluit; nam si nullus omnino finis est ex ea multitudine, qui non sit medius, repugnat prorsus, vt omnes habeant finem intra ipsam; ex hoc enim sequitur eos simul esse, & non esse propter finem externum, esse quidem quoniam de ratione finis medij est, vt respiciat alium finem: sed ex responsione, imo ex suppositione facta fines omnes eius multitudinis infinitæ sunt medij, quoniam nullus est qui non sit propter alium: ergo omnes ac singuli respicere vltimo debent finem aliquem, non medium extrinsecum, non esse vero; quia nullus omnino est, qui vt in solutione dicitur, non habeat finem intra ipsam absque eo quod ad finem extrinsecum referatur; quod fieri nequit nisi vel detur circulus in eodem genere causæ, vel intra eam multitudinem sit finis vltimus.

201 Ex dictis elucet vnde sumenda sit repugnantia finium sub infinita serie subordinatorum, absolute enim non est vel ex repugnantia fundata in impossibilitate apprehensionis, neque ex difficultate agendi propter plures fines, non primũ; nam Deum operari propter infinitos fines essentialiter subordinatos non repugnare omnino falsum est non ex defectu cognitionis, aut potentiæ, quoniam infinita cognoscit, & si infinitum actu aliunde non repugnet, non deest illi potentia, nec ex multitudine effectum agendo defatigatur, prima quidem ratio vim habet in creatura intellectuali; si agere debet formaliter propter finem; nam vt ageret propter infinitos fines deberet naturali facultate eos omnes intelligere, vel simul, vel successiue, vtrumque vero est impossibile, prius propter finitudinem virtutis intellectricis naturalis; posterius propter rationem infiniti, quod repugnat successiue absolui. Vt autem creatura libera operetur ex intentione finium infinitorum, opus est vt antequam accedat ad exequutionem medij propter finem primum via exequutionis illum intendat; cum vero eum intendere nequeat in ratione finis medij, nisi præhabita intentione omnium sequentium, si hi nequeunt absolui successiue, nunquam devenitur ad intentionem primi, & consequenter neque ad exequutionem. Est tamen repugnantia, quia non perueniretur ad terminum operandi; nam licet non repugnet interdum frustrari naturam à suo fine, impossibile tamen est, vt semper frustretur, vt cum finem intendat per se, cuius assequutio sit impossibilis, consequutio autem finium infinitorum essentialiter subordinatorum est impossibilis, & ita ex hac radice sumitur repugnantia, præcipua tamen est, quam explicui sumpta ex ratione finis medij, quæ necessario includit habitudinem ad vltimum, hoc autem cohærere nequit cum ratione infiniti.

Ex his duabus rationibus principalibus euidenter liquet, neque in causis efficientibus, neque in finalibus dari posse progressum in infinitum, atque adeo dandam causam primam efficientem, à qua cæteræ pendeant, & finalem, quam cæteræ vt suum bonum perfectum respiciant; nunc addendum est has duas causas, sed potius has duas causandi rationes; primas in vnam, eandemque rem conuenire, quæ sit causa prima finalis, atque efficiens, quod probat D. Thomas *quæst. 1. de malo, artic. 1.* hac ratione, primum mouens debet esse immobile; atqui efficiens mouetur à fine, siue ab appetibili: ergo primum efficiens, & primum bonum vniuersale, quod sit causa finalis omnium idem omnino erit. 202

Dices primum mouens debere esse immobile in genere causæ efficientis, cum quo non repugnat, vt moueatur ab alio in ratione finis, quemadmodum in materiali causa per se patet; nam materia prima, etsi non dependeat ab alia causa materiali, pendet tamen ab efficienti, ac finali. Sed contra, quia diuersa ratio est in vno, atque altero; nam finis, ac efficiens nullo modo participant rationem causandi materialiter, & ideo non repugnat vt materia prima pendeat ab iis; finis autem, vt obiectum appetibile respectu voluntatis quam mouet ad appetitionem sui habet modum causæ efficientis; nam primam appetitionem sui causat, etiam vt obiectum finis per modum causæ efficientis, ideoque Philosophus *libro 3. de anima, text. 18.* quærens primum principium immobile actionum humanarum recurrit ad obiectum, quod immobile in se inchoat, motionem per notitiam, & appetitionem sui; ex quo de mente illius sequitur id, quod mouetur ab extrinseco obiecto, non esse primum mouens immobile, & proinde tolletur ratio causæ primæ efficientis, si moueatur à fine extrinseco. 203

Tandem sic demonstratur hoc; quia quidquid non est propter aliquem finem est finis vltimus; repugnat autem primam causam efficientem esse propter finem: ergo ipsa est finis vltimus. Maior propositio est euidens quoniam res omnis aut est finis, aut propter finem.

Dices, hoc principium non esse certum; quoniam ad rationem finis non sufficit negatio relationis ad alium finem, sed præterea requiritur vt ad ipsum cætera referantur; propterea enim Philosophus *lib. 1. Ethic. cap. 2.* finem vltimum definiuit, id ad quod cætera referuntur, ipsum vero ad nullum alium finem dirigitur, ideoque fieri posse vt res aliqua nec sit ad finem, nec habeat rationem vltimi finis. 204

Sed contra manifeste, quia principium illud certissimum est; nam quidquid ad aliud non refertur est perfectum, & summum bonum; nam si esset bonum inferioris ordinis, absque dubio ad summum tanquam ad finem referretur; quod autem est optimum, ac summum bonum, reliquorum finis est, & ita recte concluditur, id quod non est ad finem ipsum esse finem vltimum cæterorum. 205

Non posse vero causam primam efficientem esse propter finem, constat etiam ex ipsis terminis; nam quod est propter finem, causam quoque efficientem habet: ergo fieri nequit, vt causa prima sit propter finem, hoc enim ipso non erit prima, quoniam erit effectus alterius causæ efficientis; at prima causa ita est causa, vt non possit esse 206

esse effectus in eodem genere: ergo certum, & euidens est esse numen aliquod diuinum quod sit ens à se primum & immobile perfectum, & alterius boni minime egens qui Deus dicitur.

207 Quod autem quod habet causam finalem, habeat etiam efficientem, sic patet; quia causa finalis immediate non producit suum effectum, sed mediate, hoc est mouendo causam efficientem vt producat illum; vnde inter causam finalem, & effectum necessario mediat causa efficiens, quæ mota à fine ad producendum effectum causæ finalis producit illum, v. g. sanitas non producit potionem amaram immediate, neque cisionem venæ & alia medicamenta, quæ sunt effectus sanitatis, sed potius mediante medico, & reliquis artificibus sanitatis, quia sanitas mouet medicum, & medicus motus à sanitate producit tales effectus, quare euidenter concluditur effectum causæ finalis non posse solum habere esse à fine, sed etiam à causa efficiente, & ex eo quod cognoscamus habere causam finalem, necessario debemus cognoscere habere causam efficientem.

## SVBSECTIO IV.

*Tertium argumentum principale ponitur.*

208 HOc argumentum desumitur ex mirabili fabrica vniuersi, ex ordine, & pulchritudine ipsius, quæ adeo aperte, ac manifeste Deum esse demonstrant vt merito Regius Propheta insipientem eum appellauerit, qui oculis vsurpans clare opera hæc omnia cœlo, terraque compacta & negauerit, Deum esse; ratione cuius Tullius 2. *de natura Deor.* [quid (inquit) potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, terrestria lustrauimus, quam aliquod esse numen præstantissimum, quo hæc regantur,] *& in libro de diuinatione*, [esse (inquit) præstantem aliquam, æternamque naturam & eam suspiciendam, adorandamque hominum generi pulchritudo mundi, ordoque rerum cœlestium cogit confiteri.] Nam si primo videres horologium, qualia nunc habemus, multis in paribus magnitudine, rotis, ferris instructum quæ nexæ inter se geminis ponderibus omnes conuertuntur, aut quod opus mirabilius, ac iucundius visu, si sphæram ab Archimede scientissimo mirabilium rerum machinatore, naturæque fœliciſſimo imitatore conspiceres, cœlum orbium numero ac forma sydera, lumine, ac motu, mundumque omnem è caduca materia fictum occulto motionis, ac volubilitatis principio referebat; nonne optares, atque studeres, nosse diligenter quævis, quis impetus, quæ machina, paruum illum mundum versaret, ac scieret? vnde principium motus duceretur? quæ manus artifex tot res tam varias, tam sapienter in exiguum globum inclusisset, vt animosus poëta Claudianus asserat, primum in admirationem rapuisse, deinceps in risum fecisse prorumpere, Iouem, quem antiquitas vt summum Deorum colebat, aurea verba Claudiani auribus perbibite.

*Iupiter in paruo cum cerneret Æthera vitro,*
*Risit, & ad superos talia dicta dedit:*
*Huccine mortalis progressa potentia curæ?*
*Iam meus in fragili luditur orbe labor,*
*Iura Poli, rerumque fidem, legesque Deorum,*
*Ecce Syracusius transtulit arte senex,*
*Inclusus variis famulatur spiritus astris,*
*Et viuum certis motibus vrget opus.*
*Percurrit proprium, mentitus signifer annum,*
*Et simulata nouo Cinthia mense redit.*
*Iamque suum volues audax industria mundi*
*Gaudet, & humana sydera mente regit.*

Nonne tandem ratiocinando conficeres argu- 209
mentatione necessaria mentem sapientissimi alicuius architecti, tam mirabilis operis inuentricem extitisse, in quo tarditate, ac celeritate dissimillimos motus regeret vna conuersio? quod faceret in sphæra perexigua, non potiori iure facies in mundo, vbi non humana ficti orbes arte vertuntur, sed diuina non plumbeis ponderibus, sed naturæ momentis suas in sedes omnia deferuntur, non ærugine, non vsu, non vetustate cœli rotæ contabescunt, & consumuntur, sed ex eo die, quo sunt factæ mouerique cœptæ, neutiquam variatæ in hunc vsque diem seruantur incolumes. [Quid contra leges (inquit Arnobius) principaliter institutas, aut sensit, aut passa est rerum ipsa, quæ dicitur, appellaturque natura? Numquid in contrarias qualitates prima illa elementa mutata sunt, ex quibus res omnes consensum est esse concretas? Numquid machinæ huius, & mollis, qua vniuersi tegimur, & continemur incluſi, parte est in aliqua relaxata, aut dissoluta constructio? Numquid vertigo hæc mundi primigenij motus moderamen excedens, aut tardius repere, aut præcipiti cœpit volubilitate raptari? Numquid ab occiduis partibus attollere se astra, atque in ortus fieri signorum cœpta est inclinatio? Numquid ipse syderum sol princeps, cuius omnia luce vestiuntur atque animantur calore, exarsit, intepuit, atque in contrarios habitus moderaminis soliti temperamenta corrupit? Numquid luna desiuit redintegrare seipsam, atque in veteres formas nouellarum semper restitutione traducere? Numquid frigora, numquid calores, numquid tepores medij inæqualium temporum confusionibus occiderunt? Numquid longos habere dies bruma, & reuocare tardissimas luces nox cœpit æstatis? Numquid suas animas expirauerunt venti, è mortuisque flaminibus neque cœlum coarctatur in nubila, nec madidari ex imbribus atua succedunt? Nonne ex iis omnibus inferes indagatrice mente tanti operis authorem, & conseruatorem esse videlicet aliquem, eumque non esse posse, nisi diuinum.

Quod etiam manifeste demonstrat id, quod op- 210
time notauit P. Hurtado, videlicet quod terreus orbis, quia grauitate superat aqueum petit sub illo esse, & aqua petit enatare terræ quod vtriusque grauitate firmatur. Grauiora enim corpora sibi vendicant locum angustiorem; sicut ampliorem leuia vt aqua, aërque testantur, aër subterraneis carceribus vinctus eos effringit, horrisono fragore tantarum angustiarum impatiens euolans ad ampliorem regionem per cuius planiciem libere diuagatur effusus. Deinde quos efficit motus teriæ: quam cõcutit deiectis superbis Regum aulicis ædificiis Babylonicis muris labefactatis, adæquatis solo Pyramidibus Ægyptiorum: flumina præcipitantia frænari non possunt, nec diu cohiberi repagulis obiectis, quæ rapiunt & ad ripas allidunt, vt regionem aëri inferiorem repetant, quo innata grauitate pelluntur; terra elementorum grauissimum, & humillimum, quam ægre attollitur in aëra, qua violentia tenetur? Quæis fulcris sustentatur, quibus fundamentis domus innixa, ne habitatores subito viuos consepeliat certa ruina?

Hæc loca ex sua natura sibi vendicare elementa 211
ipsa clarissime testificant: edissere mihi obsecro

te,cuius virtute aquæ in alueos confluxere ac deserta sublimi sed ex extima terræ superficie se depressere ad imas terrarum cauitates:seque terræ inuitæ subiecere? Terraque à quo iure illi subiugatur [caput extulit vndis?] [quis conclusit ostiis mare?]quis carceres statuit nullo pariete, nisi exiguis arenulis, cuius terminos præterite non potest? quis domuit aquam? quis terram extulit? aqua vltro non se subiecit, neque extulit se terra: nam illarum particulæ cum digladiantur, propria loca capessunt superiorem aqua, terra inferiorem; tota igitur elementalis machina, cum alia comparata cur non vincit hostem debiliorem? cur non subiugat: ergo aqua alias recognoscit vires, quibus comprimitur, & de propria sede detruditur.

212 Cuius hæc virtus? astrorum inquis;at astra cur inuerterent naturæ leges? cur eadem virtute astrorum globulus terreus non enatat aquis, sed mergitur? Tam minutula corpora non possunt astra è loco mouere, & possunt tam ingentium machinarum leges violare? vires infringere, naturalem ordinem diuertere? ô demens,qui ex huius horologij ordinatissimi cymbali tactu non audis creatorem ipsius, ex ipsius ordine, & pulchritudine non vides, Numinis imperio totum hoc opus mirabiliter gubernari,terram ab aquis immunem, vt homo inhabitaret, eamque coleret,& administraret,vt Dei administer,& seruus,cui pareret,& cultum deferret. Ecce quam apte cœlorum quasi notarum volubilitate mentem vehunt machinamenta ad euidenter cognoscendum, & vt alter loquitur,quasi ad palpandum.

213 Sed iam alia pulchriori similitudine vtamur ad pertinacium Atheistarum mentes conuincendas, qua vsum fuisse Aristotelem testatur Cicero ad simile intentum probandum his verbis; [Præclare ergo Aristoteles si essent(inquit)qui sub terra semper habitavissent bonis, & illustribus domiciliis, quæ essent ornata signis, atque picturis, instructaque rebus his omnibus, quibus abundantij, qui beati putantur, nec tamen exissent vnquam supra terram, accepissent autem fama, & auditione, esse quoddam Numen & vim Deorum. Deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus ex illis abditis sedibus euadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atque exire potuissent,cum repente terram,& maria, cœlumque vidissent, nubium magnitudinem, ventorumque vim cognouissent, adspexissentque solem,eiusq;tum magnitudinem,pulchritudinemq; tum etiam efficientiam cognouissent,quod is diem efficeret,toto cœlo luce diffusa: cum autem terras nox opacasset, tum cœlum totum cernerent astris distinctum & ornatum,lunæque luminum varietatem,tum crescentis, tum senescentis,eorumq; omnium ortus, & occasus, atque in omni æternitate ratos, immutabilesque cursus; hæc cum viderent, profecto esse Deum, & hæc tanta opera Dei esse arbitrarentur; atque hæc quidem ille. Nos autem tenebras cogitemus tantas,quantæ quondam eruptione Æthnæorum igniũ finitimas regiones obscurauisse dicuntur, vt per biduum nemo hominem agnosceret;cum autem tertio die sol illuxisset; tunc vt reuixisse sibi viderentur; hoc si idem ex æternis tenebris contingeret,vt subito lucem adspiceremus,quænã species cœli videretur? sed assiduitate quotidiana, & consuetudine oculorũ assuescunt animi, neque admirantur,neque requirũt rationes earum rerũ,quas semper vident; proinde quasi nouitas nos magis, quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare. Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam certos cœli motus,tam ratos astrorum ordines,tamque omnia inter se connexa,& apta viderit,neget in his vllam esse rationem eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerãtur nullo consilio assequi possumus; an cum machinatione quadam moueri aliquid videmus,vt sphæram,vt horas, vt alia permulta,non dubitamus quin illa opera sint rationis;cum autẽ impetum cœli admirabili cum celeritate moueri, vertique videamus, constantissime conficientem, vicissitudines anniuersarias cum summa salute, & conseruatione rerum omnium dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam,diuinaq; ratione:licet enim iam remota subtilitate disputandi oculis quodammodo contẽplari pulchritudinem rerum earum,quas diuina prouidentia dicimus constitutas: hic tantus cœli ornatus ex corporibus huc, & illuc casu, & temere concursantibus potuisse effici, cuiquã sano videri potest?aut vero alia quã natura mentis,& rationis expers hæc efficere potuit,quæ non modo vt fierẽt ratione eguerunt,sed intelligi qualia sint sine summa ratione non possunt? Nec vero hæc solum admirabilia, sed nihil maius, quam quod ita stabilis est mundus, atque ita cohæret ad permanendũ, vt nihil ne excogitari quidem possit aptius.] Sic ille *lib.2. de donat. Deorum.* Nam si Microchosmon hunc,mundum nimirum angustum, atque breuem asseris prudentia administratũ,nihilq; in eo situm, ac collocatum esse,quod casu atque fortuna gestũ sit maxima hæc mundialis machina te tanto illustrior,admirabilior, quanto maior casu constituitur?sine consilio administratur? gubernatur absq; prudentia? certe vociferatur, & clamat vniuersus orbis,prædicatque non vocibus, sed adspectu suo Deum creatorem,& moderatorem,inquit Chrysomus, ponderans verba illa *Psal.* 18.[cœli enarrant gloriam Dei,& opera manuum eius annuntiat firmamentum,] his verbis: [quomodo enarrant dic mihi,vocem non habent,os non possident,illis nó est lingua;quomodo igitur narrant? per ipsum aspectum;cum enim videris pulchritudinem,magnitudinem,celsitudinem, situm,formam per tantum corporis permeare tanquam vocem audiens,& ad aspectum dicens, adores eum, qui tam pulchrum, & admirabile corpus creauit: tacet cœlum, sed ipsius aspectus vocem tuba clariorem emittit, per oculos,non per aures nos docens; hic enim sensus à natura est illo certior,& manifestior;si enim per libros docuisset,& literas,linguarum quidem peritus scripta didicisset,nescíens vero nihil inde adiutus abiisset,si quis alius non dixisset & dies quidem librum emisset, pauper autem emere non potuisset.

Rursum vocem quidem illam per literas significatam scies,intus positam nosse,Scytha vero,Barbarus,& Indus,& Ægyptius, & omnes lingua carentes illa nihil docti abiissent,hoc autem de cœlo discere datur;sed Scytha,& Barbarus,& Indus, & Ægyptius,& omnis homo per terram vadens hanc vocem audiet, non enim per aures, sed per oculos in mentem incidit nostram;visibilium autem participatio eadem, neque differens, sicut linguarum in hunc pariter librum & idiota,& sapiens intueri potuerunt,& pauper, & dives, & quocunque quis veneris, in cœlum respiciens, sufficientem accipiet doctrinam ex aspectu; quod quidem, & ipse Propheta innuens,quam vocem creatura Barbaris emittit, & Græcis, & omnibus vniuersaliter hominibus sic intelligi facilem dicebat, non sunt loquelæ, neque sermones quorum non audiantur voces eorum; hoc est non est genus, neque lingua, quæ hanc vocem intelligere non possit.

Quod vt clarius pateat nobis fingamus mentẽ 214
media?

media, planicie camporum magnifice structam regiam, qualem Claudianus in Epitalamio de nuptiis Honorij, & Mariæ fuisse domum Veneris his elegantibus versibus descripsit.

*Excludit senium luco procul atria dire.*
*Permutant radios syluaque obstante virescunt,*
*Lemnius hæc etiam gemmis extruxit, & auro,*
*Admiscens artē pretio, granibusq; smaragdis,*
*Suppositi cessas Hyacinthi rupe columnas,*
*Veryllo paries, & Iaspide lubrica surgunt,*
*Limina, despectu quæ solo calcatur Achates.*
*In medio gleuis redolentibus area diues,*
*Præbet odoratas messes hic mitis Amomi,*
*Hic Casiæ matura seges, Panchæaque turgent,*
*Sinnama nec sicco frodescunt bimina Costo,*
*Tardaque sudanti prorumpunt balsama succo.*

Vel si mauis viuis colorum lineamentis in mentis tabulis depinge palatium hoc, quale his verbis Ouidius Regiam solis domum eleganter descripsit.

*Regia solis erat sublimibus alta columnis,*
*Clara micante auro, flammasque imitante pyropo.*
*Cuius ebur nitidum fastigia summa tegit,*
*Argenti bifores radiabant lumine valuæ.*
*Materiam superabat opus, nam Mulciber illic*
*Æquora calerat medias cingentia terras,*
*Terrarumque orbem, cœlumque quod immineret orbi,*
*Cæruleos habet vnda Deos Tritona canorum,*
*Proteaque ambiguum Balænarumq; prementem,*
*Ægeona suis immania terga lacertis,*
*Doridaque & natas, quarum pars nare videtur,*
*Pars in mole sedens virides siccare capillos,*
*Pisce vehi quædam: facies non omnibus vna est,*
*Nec diuersa tamen, qualem decet esse sororum.*
*Terra viros, vrbesque gerit, syluasque ferasq;*
*Fluminaque, & nimphas, & cætera Numina ruris.*
*Hæc super imposita est cœli fulgentis imago,*
*Signaque sex foribus dextris totidemque sinistris.*

Hancque magnificam domum auro argentoq; pauimentatam erectis vndique parietibus cœlum versus sese attollentibus, quadratis non è cristallo, neque ex smaragdo, sed ex fulgentibus, ac micantibus carbunculis, & adamantibus exornatam, lapidibus tectum saphyrinum, omnique ornatu gemmarum illustre splendidum vndique ac radians flammeo fulgore tenebras depellens possidentem, & continentem, in cuius meditulio mira voluptatis oblectamento oculis vsurpes hortos artificiosissimos, vbi blandiatur sensibus, hic viridicata sylua minorum ferarum & auium liberarum plena, illic pratum floribus variis, ac bene olentibus depictum, alibi pomarium arboribus in quincuncem dispositis consitum, & arbores maturis fructibus onustæ, vbi laurus, buxus, hedera, myrthus mille formis animantium nauium, castellorum, & arcium aliarumque rerum, vel natura, vel arte factarum, tum putatione, tum traductione finguntur, vbi conuestiti parietes opere topiario concamerataæ pergulæ circunductæ sepes, vel attonsis, vel adductis arbusculatum ramulis frondibusque visuntur, vbi vaga seminibus vua gignitur; oculos etiam arborum viridantium, & multis partibus quam sunt hæ nostræ pulchriorum lætiorumque fœtuum ramos onerantium; fœtuum inquam speciosissimorum, & figurarum venustissimarum, quin & vitium populos altas maritantium, & in his vuarum purpure certantium, & tot plantariorum, florum quibus quasi lætissimis coloribus humus depingitur, & gemmeis honoribꝰ coronatur, aspectus voluptate multa pascit. Visantur ibi ambulacra rosarum, sepibus vtrinque munita, hinc purpureæ candidæq; rosæ ramulo ex eodem prodeuntes, visuntur frigidæ, atque vmbrosæ cauernæ, vocem multiplicatam referentes, riuuli gelidarum aquarum artificio mirabili per occultissimos tubos, vel in summum collis iugum erumpere, vel in organorum musicorum fistulis sonum edere, vel in auium fictarū gutture cantum æmulari, vel è lapideo cratere per sifunculos æneos impellente spiritu, salientes in sublime pellucidi, ac murmurantis fontis blanditias imitari; totaque viridantia illa perennium riuulorum cursibus recursibus, ac meandris irrigantur, quorum aquulæ vitro pellucidiores ad vmbilicos, aliosque versicoroles lapillos molliter allisæ fractæque dulcissime strepitare videantur.

Præterea piscinæ ludentibus piscibus caueæ garrientibus auiculis refertæ, quæ tam diuersis, & picturatis pennis visum, liquidissimis cantibus, quos tenui gutture meditantur, auditionem mirabiliter recreant, lenibusque auris perstrictæ arborum comæ, placidam, suauemque murmurationem edunt, nares odoribus ambrosiis, quos efflant aromata flores, & herbæ perfundunt gustui suauitatem à saporibus gratissimis oblectatio carpatur, ac tandem nihil illi reperiatur, quod amorem suum non conciliet, quod in admirationem non rapiat. Tandem omnia ea arte connexa vt irrequieta vertigine circumacta singula suum teneant locum, neque eius palatij inhabitatores motum sentiant, nisi diligenter attendant, & intendant animum haurientem cum admiratione voluptatem ex accordi concordia motuum.

Si ergo tibi persuadere contenderem, Aulam 214
hanc regiam, domum hanc magnifice constructam miris oblectationum fluminibus redundantem nullo authore, nulla ratione, neque concilio factam, aut artis regulis fabricatam, sed casu, ac fortuna confectam, certe iure quidem optimo ludibrium tibi deberem tuumque risum sufficientem excitarem, meque insanum, ac secutientem mente captum iudicares; mihique eludendo in hæc prudentia plena verba prorumperes, prudens casus, qui tantam pulchritudinem oculis hominum parat musicam, ad arbores varietatem, ad flores admirationem; denique ad cuncti operis prospectionem excitat mirabiliter.

Si igitur tam paruum opus sapientissimum 215
creatorem tibi manifeste demonstrat, erige animum, & oculos in vniuersum orbem coniice; circumspice hoc magnum magni Principis Palatium, oculis lustra, illustrem illustris machinam Architecti, qua constitui arte, quo artificio ædificari mundum hunc videat, quæ mollitio, quæ ferramenta, qui vectes, quæ machinæ, qui ministri, tanti funeris fuerunt? quemadmodum autem obedire & parere voluntati Architecti aër, ignis, aqua, terra, potuerunt; cuius quidem administratio nihil habet in se, quod reprehendi possit, quod amputari; doceat ergo aliquis potuisse melius, sed nemo vnquam docebit; & si quis corrigere aliquid voler, aut deterius faciet, aut id quod fieri non potuit, desiderabit. Quod si omnes mundi partes ita constitutæ sunt, vt neque ad vsum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulchriores, videamus vtrum ea fortuita

tuita sint, an eo statu, quo cohærere nullo modo potuerint, nisi sensu moderante, diuinaque prouidentia; si ergo meliora sunt ea, quæ natura, quam illa, quæ arte perfecta reperiuntur, nec ars efficit quicquam sine ratione, nec natura quidem rationis expers est habenda; qui igitur conuenit signum, aut tabulam pictam cum adspexeris scire adhibitam esse artem; cumque procul cursum nauigij videris, non dubitare quin id ratione, atque arte moueatur, aut cum solarium, vel descriptum, vel ex aqua contemplare, intelligere, declarari horas arte, non casu: mundum autem, qui & has ipsas artes, & earum artifices, & cuncta complectatur, consilij, & rationis esse expertem putare; quod si in Scytiam, aut in Cinnas sphæram aliquis tulerit, cuius singulæ conuersiones idem efficiunt in Sole, & in Luna, & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in cœlo singulis diebus, & noctibus quis in illa barbarie dubitet, quin ea sphæra sit perfecta ratione? hi autem dubitant de mundo, ex quo oriuntur, & fiunt omnia casu ne ipse sit effectus, aut necessitate aliqua, an ratione, ac mente diuina mirabiliter productus, certe quis videat omnia hæc ratis ordinibus moderata immutabilique constantia haud quaquam neget in esse aliquem non solum habitatorem in hac cœlesti, ac diuina domo; sed etiam rectorem, & moderatorem, & tanquam tanti operis, tantique muneris Architectum, in qua veluti pulcherrimum pauimentum principio terra vniuersa cernatur, locata in media mundi sede, solida, & globosa, & vndique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis exornata, frugibus decorata, & arboribus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos omnium riparum vestitus viridissimos, spelunearum concauas latitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines, immensitatesque camporum; adde etiam reconditas auri, argentisque venas infinitamque vim marmoris.

216 Quæ vero & quam varia genera bestiarum, vel ficurum, vel ferarum? qui volucrum lapsus, atque cantus, qui pecudum pastus, quæ vita syluestrium, at vero quanta maris est pulchritudo? quæ species vniuersi, quæ multitudo & varietas insularum, quæ amœnitates horarum, & littorum? quot genera, quamque disparia, partim submersarum, partim fluitantium, atque innatantium beluarum, partim ad saxa natiuis testis inhærentium, ipsum autem mare sic terram appetens littoribus claudit, vt vna ex duabus naturis conflata videatur.

217 Exinde mari finitimus aër quasi christallinorum parietum huius aulæ regiæ, palatijque magnificentissimi constructio, qui die, & nocte distinguitur, isque tum fusus, & extenuatus in sublime fertur; tum autem concretus innobeis cogitur, humoremque colligens, paruimentum regie irrigat, terram auget imbribus tum effluens huc, & illuc, ventos efficit. Idem annuas frigorum, & calorum facit varietates, idemque & volatus alitum substinet, & spiritu ductus alit, & substentat animantes. His quasi parietibus innitens tectum fulgentissimum splendentes inquâ, ac micantes fornices cœlorum à domiciliis nostris altissimi omnia cingentes, & coërcentes firmamenti complexus saphyro pulchriores, scintillantibus planctis, fulgurantibus Astris, Sole, ac Luna infinito interuallo carbunculos, & adamantes incredibili, ac pulcherrimo splendore superantibus ad miraculum exornati, in quibus cum admirabilitate maxima igneæ formæ cursus ordinatos definiunt: ex quibus sol, cuius magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam voluitur, isque Oriens, & Occidens, diem, noctemque conficit, & modo accedens, tum autem recedens binas in singulis annis reuersiones ab extremo contrarias facit, quarum interuallo, cum quasi tristitia quædam contrahit terram, tum vicissim lætificat, vt cum cœlo hilarata videatur: sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo, quarum ita descripta distinctio est, vt ex notarum figurarum similitudine nomina inuenerint; quæque in cœlis, qua sibi propria volubilitate contorquentur; earum denique perennes cursus, atque perpetui cum admirabili, incredibilique constantia liquido, ac manifeste declarant, harum gubernatricem vim, & mentem esse diuinam, vt hæc ipsa qui non sentiat diuinitatis vim habere, is nihil omnino sensurus esse videatur; nulla igitur in cœlo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest; contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia, quæque his vacant, ea mentita, & falsa, plenaque erroris eum circum terras; cœlestem ergo admirabilem ordinem incredibilemque constantiam ex qua conseruatio, & salus omnium omnis oritur, qui vacare, atque carere infinita ac potentissima, sapientissimaque gubernatrice, ac creatrice causa efficacissima putat is ipse mentis expers habendus, & existimandus esse videtur.

Quapropter Theologorum quoque commu- 218
nis, & diuinis libris deriuata sententia est res procreatas, atque productas quædam esse vestigia quæ Deus eas procreans tanquam præteriens pedibus infinitæ potestatis, impressit in nihilo. Per eadem naturæ contemplator quasi venaticus canis sensuum acumine sagacitate mentis odorando progrediens, metiendo, ratiocinando, inferendo reperit Deum earum authorem, ac latentem licet in fuæ diuinitatis lumine deprehendit. Non quidem omnes perfectiones Dei, quas nobis oracula diuina patefecerunt hic diligens venator hac inuestigatione colligit, ex ea tamen tum Deum in natura rerum inesse, tum earum Architectum mollitorem, atque opificem fuisse tum iisdem vniuersis, ac singulis præsidentem prouidere; tum denique immensæ virtutis, atque infinitæ potestatis esse potest inuestigator idem intelligere.

Nam si Pythagoras Italicæ Philosophiæ ma- 219
ximus splendor tot laudibus commendatur, quid ex olympico stadio sexcentorum pedum, quod Herculis suis plantis fuerat aliquando metatus, corporis eius magnitudinem ingenij quasi decem peda metator bonus comprehendit; docuitque præterea ratiocinator; item optimus symmetriæ naturalis corporum humanorum habita ratione, quanto esset aliis hominibus ille procerior: naturæ speculator, & rerum, vt ita dicam accuratus decempedator, non ex ipsis Dei parentis omnium immensam colliget infinitatem? sed quid ego rationibus probo id fieri posse quod constat Aristotelem sagacissimo ingenio præstitisse, qui è productionum motibus, & cœlorum conuersionibus primam

primam rerum causam inuenit & infinitæ virtutis esse comperit ; tum verbis Homericis vsus vnum Principem mundo præesse confitetur.

220 Cicero quoque Platonem, Aristotelemque sequutus ingenij sui bonitate naturam contemplans, iisdem vestigiis indagat, reperit, probat Deum esse parentem, ædificatorem atque administratorem huius perfectissimi, pulcherrimique mundani palatij, quem tot orbes circumplectuntur, tot sydera illuminant, tot motus contrarij dispares recti, transuersi temperant, tot rerum genera complent, tanta varietas exornat, tantus ordo concinat, quem denique dierum noctiumque vicissitudines quadripartitæ commutationes temporum, perennisque singularum rerum, aliarum ex aliis ortus, interitusque perpetuat.

221 Vltimum colofonem huic discursui coronidemque imponat Magnus ille Gregorius cognomento Theologus *oratione secunda, de Theologia, in principio*, ibi : [ Etenim, quod Deus sit, ac Princeps, quædam causa quæ res omnes procreauit, atque conseruet, tum oculi ipsi, tum lex naturalis docet; illi dum rebus in aspectum cadentibus aciem affigunt, easque, & pulchre fixas & stabiles esse, & progredi atque immote, vt ita dicam, moueri volvique perspiciunt : hæc autem, dum per res oculis subiectas, ac recto ordine collocatas authorem earum colligit, atque assequitur ; quemadmodum enim quispiam citharam pulcherrime confectam & elaboratam conspiciens, eiusque cõcinnitatem, & constitutionem aut etiam ipsius cytharæ cantum audiens, nihil aliud, quam ipsum cytharæ conditorem, atque cytharædum mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur etiamsi de facie ignotum ; eodem quoque modo nobis is, qui res efficit effectasque mouet, atque conseruat manifestus est etiam si mente minime comprehendatur. Ac nimis profecto hebes, & stolidus est quisquis non huc vsque sponte sua progreditur, naturaliumque demonstrationum vestigiis claris insistit, atque adeo hoc sibi persuadet ne id quidem Deum esse, quod vel imagine quadam animi concepimus, vel orationis penicillo, vtcunque descripsimus. ] Quid dulcius hac ad cytharam affabre elaboratam Gregorij musice harmonia dulcius, in quæ verba quoties incido quasi in florem Nectaris, in medullam mellis, in Ambrosiæ suauitatem primam incidisse videor. In quibus aduertat P Vasquez, propositionem illam [ naturaliumque demonstrationum vestigiis claris insistit, ] qua sine dubio tota Gregorij Nazeni protectione ad quam confugiebat tanquam ad aras pœnitus destitutum spoliatum sese que exarmatum oculis vsurpabit.

## SVBSECTIO V.

*Quartum argumentum principale ponitur.*

222 QVia in hoc orbe terrarum multa sunt, quæ ad sui productionem infinitam in operando virtutem requirunt, & à qua tanquam à causa principali necessario debeant effici, & in lucem edi ; ex quo manifeste colligitur dari à parte rei causam quandam ita præstantem, & infinita virtute pollentem, vt diuinam, & omnipotentem iure quidem optimo appellare debeamus; animus namque rationalis vtpote immortalis, ab omnique concretione terrestri segregatus independensque ab omni materia, vt latissime *libris de anima* demonstro, necessario debet proprie creari, hoc est ex nullo præsuppposito subiecto produci.

Sicut etiam materia prima, quæ quia primum 223
omnium subiectum est, ab alio primo subiecto dependere, ex eiusq; potentia educi nequaquã potest, si hoc negotium æqua veritatis, ac rationis lance ponderetur ; alias materia prima vel non esset primum subiectum, vel si adhuc esset primum educeretur ex alio, necessario etiam illud, ex quo materia prima educitur, ex alio priori subiecto educeretur, ac proinde daretur sine dubio processus in infinitum in causis per se, & essentialiter subordinatis, quod falsum esse supra probauimus : ergo animus rationalis, & materia prima ex nihilo creantur à causa ipsos producente; sed nulla finita, & limitata causa potest ex nihilo producere, ac per consequens proprie creare : ergo causa, quæ creauit materiam primam, & animum rationalem, est infinita, illimitata, & increata : ergo Deus.

Quod vero creationis munus petat causam non 224
limitatam, ac finitam late probauimus in physicis ; & Pater Suarez, manifesta demonstratione conuincit, & in hunc modum breuiter, ac dilucide ostenditur, quia omne creatum, & finitum necessario debet constare actu, & potentia, siue physicis, siue metaphysicis ; quia omne creatum ex eo quod non sit actus purus in essendo, debet esse immensus, & immixtus potentialitate, cuius argumentum est, quod omne ens creatum, vt supra docuimus à possibilitate ad existentiam media actione suæ causæ extrahitur, quare siue Angelum concipias, siue animum rationalem considereas, inuenies in illis compositionem ex natura & subsistentia, ex possibilitate, & existentia, quæ sunt potentiæ, & actus metaphysici. Item in ipsis reperitur compositio ex potentia substantiali, siue ex substantia receptiua accidentium, & operationum ; si autem in reliqua composita physica oculos coniicias, verbi gratia, in hominem, mixta, elementa & cœlos, sine dubio comperies esse constituta ex materia, & forma, quæ sunt actus & potentiæ in genere physico.

Itaque euidens est, constitutionem cuiuscun- 225
que creaturæ, esseque ipsius, petere, ac præsupponere potentiam ex qua sit, sine qua nullo modo, aut esse, aut concipi potest ; atqui modus operandi alicuius causæ sequitur modum essendi ipsius, & cum ipso proportionatur : ergo sicut modus essendi cuiuscunque creaturæ petit, & exigit necessario potentiam passiuam, ex qua fit ; ita similiter, parique ratione omnis operatio & productio creaturæ petit potentiam passiuam, ex qua fiat necessario, & quam necessario, & essentialiter præsupponat ; vnde sicut omnis creata entitas dependet necessario à potentia passiua, siue physica siue metaphysica, ita similiter omnis operatio creaturæ, quia etiam creatura est & à creatura cum proportione oritur, petit necessario potentiam passiuam, à qua dependeat, & præsupponit potentiam receptiuam, ex qua fiat, & ex cuius potentialitate producat terminum ; atqui huiusmodi productio, & operatio necessario est eductio & generatio, & minime creatio : ergo nulla operatio creaturæ est creatio.

Ergo euidenter colligitur nullam creaturã posse 226
creare, quod expresse docuit Athanasius *ser. 3.* contra Arianos cum dixit [ administrare creaturarũ, ac seruorũ est, condere autem atque creare solius Dei,

Verbi eius, ac Sapientiæ ] & ratio est, quia ipse modus efficientiæ per creationem indicat summam quandam efficatiam, & independentiam in creatore, quia cum ad agendum nullam supponat potentiam realem extra se tantum requirit potentiam obiectiuam, seu possibile per non repugnantiam; hoc autem indicat summam vim in potentia actiua, & ideo dixit Cyrillus *lib. 2. contra Iulianum*: [efficaciter posse operari vt creatorem, & producere res quæ aliquando non erant esse vnum ex iis, quæ propria sunt solius, & omnium summæ substantiæ;] Nec mirum, quia cum omnis creatura sit mutabilis, & aliquo modo constans, ex actu, & potentia, vt iam dixi, verisimile est non esse capacem natura sua potentiæ agendi, nisi per motum vel mutationem, & inducendo actum in potentiam, quia actus secundus, seu operatio imitatur actum primum, & esse operantis, ea enim ratione probatur animas brutorum non agere nisi cum dependentia à materia, quia illæ ab ea dependent in esse, & è contra inde colligimus operationem animæ rationalis esse independentem à materia, & esse spiritualem (loquor enim de intellectione, & volitione, quæ sunt propriæ, & vltimæ operationes animæ rationalis) quia ipsa anima rationalis est spiritualis & independens à materia: sed nulla creatura est, quæ non dependeat à potentia in esse, vt supra explicui, ac proinde nulla creatura est, quæ non habeat aliquam compositionem: ergo nulla creatura potest habere aliquam actionem, quæ non sit pars veræ compositionis: sed creatio nullam facit compositionem tanquam forma vel subiectum vt ex se patet: ergo creatio non potest ex natura sua conuenire creaturæ; ex quo fit è contrario, vt Deo conueniat posse creare, quatenus est actus purus, sine vlla potentialitate, & immersione in potentialitate, & ipsum esse per essentiam, ac denique quatenus virtutem habet infinitam, quæ simul spiritualis sit & Deus, qui illam habet sit intellectualis, & liber, nam cum anima, quæ creatur sit spiritualis intellectualis & libera, & ipsi conferre non potuerit spiritualitatis, intellectualitatis, & liberi arbitrij perfect onem agens, quin altius, & perfectius ipsum quoque illam haberet, quia nemo dat quod non habet (præsertim quum arbitrij libertas perfectio sit simpliciter, quippe cum vnicuique qua ratione ens est, melius sit eam habere quam non habere, absurdumque sit primam causam carere perfectione aliqua huius generis quam suis effectis tribuere valeat) manifeste sit vt agens, & producens animam rationalem huiusmodi perfectionibus excellentissimo modo decoretur.

237 Tandem sic demonstratur nostrum intentum, quia qui Deum è medio tollunt, necesse est vt etiam auferant præmia virtutum, & vitiorum supplicia post hanc vitam, quis enim Iudex in ea causa erit? præsertim quod qui Deum à Republica rerum omnium excludit immortalitatem etiam animæ negare debet, quibus è medio sublatis virtus careret sibi debito præmio, & virtutum opposita peccata perfricta fronte hominum animis dominarentur, quia nullum supplicium timerent, ratione cuius virtus flocci penderetur, ratione laboris ingentis, quem secum adfert, quia omne opus virtutis arduum, ac difficile est, vt ait Philosophus *secundo libro Ethicorum*, vitia vero magni haberentur tum propter oblectationem, magni sensibilem, quam continent vt ita dicam; tum etiam quia faciliter, & sine difficultate executioni mandantur, qua propter homines virtuti deditos, & studiosos rationique naturali conformes in operando vitam miserrime transigerent: facinorosi autem, & qui omnium scelerum ac criminum cœno se se ingurgitant summa cum lætitia, & fœlicitate cursum vitæ traducent, dicentes: [ venite ergo & fruamur bonis, quæ sunt & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos rosis antequam marcescant: Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum exors luxuriæ nostræ: vbique relinquamus signa lætitiæ: Quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors, opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ nec veterani reuereamur canos multi temporis; Sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ; quod enim infirmum est inutile inuenitur, circumueniamus ergo iustum, quoniam inutile est nobis & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat ori nos peccata disciplinæ nostræ.

Rationem huius reddit ipse Sapiens *cap. 2. in principio*, his verbis [ dixerunt enim cogitantes apud se non recte: Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tamquam non fuerimus, quoniam fumus flatus est in naturalibus nostris: & sermo scintilla, ad commouendum cor nostrum, qua extincta, cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffunditur tanquam mollis aër, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur quæ fugata est à radiis solis, & à calore illius aggrauata: & nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum; Vmbræ enim transitus est tempus nostrum, & non est reuersio finis nostri; quoniam consignata, & nemo reuertitur. ] Vnde ablato præmio in altera vita, quod condignum in hac non reperitur virtuti consonum sine dubio verificaretur id quod Diuus Paulus dicebat *ad Corinthios 1. 15.* ibi: [ si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus; ] si enim non sint præmia, neque calcaria erunt, quibus admotis animi eriguntur, & accenduntur ad virtutem; ex alio autem capite si non sint supplicia, quis erit securus ab improborum rapinis, & furore, quia supplicia freni sunt, quibus flagitiosi comprimuntur, quibus spumantes eosdemque cum sanguine sæpè madentes huc illuc flectuntur, & restringuntur æstus libidine, & immoderatis affectibus excitati; vnde sceleratus homo suppliciorum tesquis frænatus, timoreque oppressus vel inuitus se continet, [& vt equi potentis animositas si inter tesqua vel confragosa frænorum lege teneatur campum testatur deesse non cursum, ita scelerato inter effusa blandientis luxuriæ, venena, inter ambusta furoris sæpe pedem sistere, cursum frangere necessum est. ]

Nulla vel parua respublica ita inermis, ita imperfecta vt præmiis, & suppliciis non vtatur: ergo perfectissima hæc orbis vniuersis respublica sine præmio, sine supplicio consistere nullo modo potest, nusquam auribus perbibimus Barbarorum etiam respublicas sine legibus administratas, quid enim bene ordinatæ vrbi est vtilius, honestius & proprius magisque necessarium quam decreta præmia,

præmia, & supplicia probis, & prauis ? quomodo ergo non vrbẽ, sed orbem, non ciuitatem paucorũ, sed vniuersitatem rerum hoc tam necessario bono priuat ? præcipue cum videas honestam operationem esse meritum, cui quod præmium assignas ? scelera, & crimina demeritum quibus si rationabiliter loquaris supplicia debes proponere; tandem, qui semel hæc insana mente effutit, omnes virtutes funditus labefactat, quod ipsi lumini naturali repugnat, ac proinde id quod asserit Atheista omni rationi contradicit, cum ipsoque naturæ lumine aperto marte pugnat. Quæ omnia ad hũc epilogum demonstratiuum reducuntur, quia euidens est cuilibet esse peccata contra dictamina naturæ rationalis, & virtutis actus oppositos, sed etiam euidens est peccata digna esse supplicio, & virtutem præmio : ergo euidens est esse aliquem superiorem, qui in hac naturali lege præsideat, & facta quæliber perpendat, quia sæpe hæc occultissima sunt & suo tempore puniat, si mala sint. Patet hæc consequentia, quia dictamen rationis contra quod est peccatum, & cui confirmatur virtus est lex naturalis, sed lex sine legislatore, & superiore constare non potest; in humana enim Republica bene ordinata esse debet aliqua potestas ad quam pertineat facere vt leges illius impleantur : ergo in naturali Republica aliquis superior præsidet toti naturæ, qui iudex sit, & superior respectu illius.

## SECTIO VLTIMA.

### *Argumenta aduersaria soluuntur.*

238 AD primum argumentum respondeo, licet creaturæ non sint medium proportionatum ad intuitiue cognoscendum, & videndum Deum, nihilominus tamen esse proportionatum ad abstractiue cognoscendum euidenter existentiam Dei, seu Deum quoad an est, quia omnis effectus est proportionatus ad indicandam euidenter suam causam, ratione illius principij, quidquid producitur ab alio producitur : sed omnis creatura est effectus Dei, quia omne ens participatum, & secundum dependet ab imparticipato, & primo ente : ergo omnis creatura est euidenter proportionata vt sit medium demonstrationis ad probandum dari Deum; nam creatura habet existentiam & entitatem, quæ licet ratione differentiæ excedatur à Deo, nihilominus ratione existentiæ entis vt sic æqualiter & vniuoce conuenit cum existentia, & entitate Dei, in quo est proportio sufficiẽs. Deinde Diuus Thomas respondet his verbis *1. part. quæst. 2. art. 3. ad tertium*, dicendum quod per effectus non proportionatos causæ, non potest perfecta cognitio de causa haberi : sed tamen ex quocunque effectu potest manifeste nobis demonstrari causam esse, vt dictum est, & sic effectibus Dei potest demonstrari Deum esse, licet per eos non perfecte possimus eum cognoscere secundum suam essentiam.

239 Ad primam confirmationem respondetur demonstrationem ex creaturis non procedere ex earum actuali existentia, tanquam ex principio, sed tanquam manuductione ad colligendam existentiam aptitudinalem : ex qua fieri potest demonstratio procedens ex simpliciter necessariis, vt ait Scotus *in 1. d. 2. q. 2. §. quantum ad primum, in responsione ad secundam instantiam*, & Mayron. *q. 3. in fine* : necessarium quippe est dari entia aliqua capacia existentiæ causabilis & ipsa experientia euidenter notum : quin vero ad demonstrationem physicam satis sunt principia, quæ contineant physicam necessitatem, qualis censetur ipsa actualis rerum existentia : & ita concedi posset cum Heruæo citato, demonstrationẽ, quæ procedit ex existentia, procedere ex necessariis. Quando vero dicitur connexionem creaturæ cum Deo esse contingentem, similiter distinguendum est de actuali, & aptitudinali, & quamuis actualis tolli possit desinente creatura, aptitudinalis nequaquam : dependentia enim creaturæ à Deo, vel est substantia ipsius, vel inseparabilis proprietas, qua proinde creatura existens ex vi nequit : quomodo actualis dependentia comparata cum creatura actualiter existente necessaria simpliciter est, nec vlla virtute separabilis. Respondeo secundo cum Alberto *in 1. d. 3. art. 1. ad quartum, & art. 2. ad tertium*, vt ex vno demonstratiue inferatur aliud, non requiri mutuam necessitatem connexionis ex vtraque parte sed ex ea, à qua sumitur argumentum : & ita inter creaturam, ac Deum dari necessariam connexionem, non ex parte Dei, quoniam esse potest absque omni creatura sed ex parte huius, quæ si est, necessario pendet à Deo, atque adeò ex eius existentia necessario & euidenter colligitur existentia Dei.

Ad secundam confirmationem respondetur, dis- 240
cursum ex creaturis non assumere pro medio dependentiam à Deo, sed existentiam absolutam ipsarum : ex qua deinde per disiunctionem sumitur, quod talis existentia vel sit ab ipsis creaturis, vel ab aliquo alio, & per exclusionem prioris membri tandem longo discursu concluditur, quod sit ab vno alio primo, & quod hic sit Deus : & ita concedendum est ex sola existentia creaturarum absque aliis principiis assumptis non demonstrari esse Deum; quemadmodum ex sola existentia lucis, vel alterius effectus non agnoscitur sol, aut alia causa, nisi præcesserit experientia, quod effectus ab illa causa procedat : & quod in his effectibus facit experientia in creaturis respectu Dei facit discursus intellectus; ad id vero, quod obiicitur prænotionem habitudinis ad causam iam inuoluere notitiam causæ : Respondetur, si habitudo cognoscatur, vt inter duo extrema certa, ac determinata necessario inuolui notitiam extremorum : at, si ex altera parte sumatur, vt terminata ad extremum incertum, ac indeterminatum, non opus esse, vt adsit certa, ac determinata notitia illius, verbi gratia, si cognoscatur Salomon esse filius alicuius hominis, non exigitur vt cognoscatur esse Filius Dauidis : similiter in discursu, quod Deus ex creaturis demonstratur id, quod primo ac per se ostenditur, est dari causam aliquam primam, à qua creaturæ omnes dependeant : & proinde nondum habetur notio Dei determinate, sed in confuso, & generali : postea vero alio discursu concluditur hanc causam non esse aliam, quam Deum, & ideo non datur circulus nec impossibile est Deum ex creaturis agnosci.

Ad secundum argumentum etiam militat ad- 241
uersus eos, qui ducunt ex creaturis solum probabiliter cognosci Deum : nam ipsi quoque respondere debent, quo vsque ea notitia progrediatur, extendatur ne ad omnes, an ad aliquas tantum perfectiones Dei; respondeo autem in primis negando consequentiam : nam licet admitterem cognosci in via quoad quæstionem an est, perfectiones omnes absolutas Dei, non proinde sequitur habere hominem notitiam diffinitiuam Dei : ad hanc

enim non sat est cognitio an est, singularum perfectionum, sed requiritur propria cognitio, quid est, secundum proprias, ac formales rationes singularum; nos autem ex effectis non cognoscimus perfectiones diuinas provt in se sunt, sed per quandam analogiam ad nostras: & ideo recte ait Magnus Dionys. *in lib. de diuin. nomin: cap.* 1. Deum nec esse vitam, nec substantiam, nec intellectum, intelligendo nimirum secundum eas rationes vitæ, substantiæ, & intellectus, quas nos agnoscimus: cum itaque singulas perfectiones non diffinitiue, sed solum quod sunt agnoscamus, & si omnes hoc modo agnosceremus, non proinde haberemus notitiam quidditatiuam Dei. Respondeo secundo, negando secundam partem assumptionis, non enim ex eo quod vnum attributum demonstratiue agnoscatur, sequitur omnia posse cognosci: ad priorem eius probationem respondeo, esto perfectiones omnes diuinæ essent imitabiles à creaturis omnibus in eius omnipotentia contentis collectiue sumptis, de quo non est hic disputandi locus, non tamen esse imitabiles à singulis: nam vitæ expertia non participant vitam: nec plantæ aut animantes intellectum, & ideo quamuis homines agnoscerent creaturas omnes, quæ in hoc rerum ordine à Deo conditæ sunt, adhuc supersunt infinitæ aliæ inter quas fortè sunt plurimæ perfectiones, quæ eis carent creaturæ conditæ à Deo: quare licet omnes agnoscantur, non proinde sequitur agnosci omnes perfectiones diuinas.

Ad secundam eiusdem partis confirmationem respondeo in primis negando consequentiam, non enim semper intellectus noster potest discurrendo attingere omnia ea, quæ naturalem habent connexionem: nam Trinitas personarum diuinarum est necessario connexa cum essentia diuina, & hanc cognoscimus naturaliter, illam ignoramus; res naturales habent plurimas proprietates, quarum alias assequimur, aliæ fugiunt aciem mentis nostræ: id vero maxime contingit quando solam habemus notitiam, quod est qua sola apprehendimus perfectiones diuinas: & hæc est ratio, cur in creatis ex quibusdam proprietatibus alias cognoscimus, nimirum quia non habemus solam cognitionem quod sunt Respondeo deinde diuina attributa, & si omnia necessario connexa sint in essentias diuina, tanquam in radice, non tamen opus esse, vt omnia inter se habeant ordinem rationis, & prioritatis vnius ad aliud: nam si comparetur simplicitas cum sapientia, neutra est ratio alterius: quanquam itaque is ordo in aliquibus intercedat non reperitur in omnibus, atque adeo ex hoc capite minime sequitur cognito vno, cætera omnia debere necessario cognosci.

242 Dices ad omnem demonstrationem supponi notitiam saltem simplicem subiecti, ideo enim Philosophus *lib.* 1. *Posteriorum, initio*, docet de subiecto prænoscendum esse quid nominis; & quamuis non raro hæc prænotio ex vsu, & doctrina habeatur; tamen, si ponamus Adamum quando primum à Deo creatus est, non accepisse vllam Dei notitiã per se, vel per accidens infusam, eamque debuisse mendicare ex creaturis, ante discursum ad id necessarium ex suppositione non posset habere simplicem notitiam Dei, eam non acquireret per discursum, hic enim terminatur ad iudicium supponens simplicem apprehensionem: ergo esset absolute impossibile, vt ex creaturis demonstraret esse Deum.

Respondeo argumentum hoc non habere peculiarem vim ad impugnandam traditam doctrinam: nam etiam mentem nostram cognoscimus ex ipsius affectibus non præsupposita specie illius; item illi qui aiunt ex creaturis solum probabiliter colligi esse Deum, tenentur dicere quomodo ad iudicium illud probabile præsupponatur cognitio simplex Dei, quia tamen longior huius dubij explicatio expectat ad alium locum breuitèt respondeo, species ipsas, & notitias creaturarum inseruire ad formandum conceptum Dei: verum eum non formari primo à nobis sub esse determinato, sed sub communi aliqua ratione, vt paulo ante dictum est: notitiam vero eius rationis communis præcedere discursum, verbi gratia si homo ex rerum naturalium consideratione videat alias gigni, ac dependere ab aliis, ex hoc sumit notionem causæ & effectus; deinde vlterius progrediendo inquirit, an omnia fiant ab aliis, an verò sit aliquod ens, à quo cætera pendeant, & ipsum sit à se omnino independens: quod post quam per discursum concludit, coniungens rationes illas, & ens, format conceptum entis independentis, & necessarij, causæ primæ, & similium, quo describit suo modo Deum. 243

Ex quibus patet responsio ad argumentum, dicendum quippe est doctrinam Aristotelis intelligendam esse de communibus demonstrationibus vsurpatis in scientia, quibus ostenditur passio de subiecto præsuppositio, de quo prænoscendum est quid sit quoad nomen, & quod sit: at in demonstratione, qua inquiritur an sit, neutram suppositionem esse necessariam: non secundam, vt patet, quia id quod quæritur, non supponitur: non item primam sub proprio, ac determinato conceptu, sed sat est prænoscere communes quasdam rationes, quæ deinde applicatæ subiecto reddant rationem illi soli conuenientem; in forma autem dico, in suppositione argumenti non posse præsupponi determinatum conceptum Dei, & consequenter in primo discursu non concludi absolutè esse Deum, sed esse ens aliquod segregatum à cæteris, principium, & causam omnium, & à nullo accipiens esse: quorum omnium terminorum simplices apprehensiones præcedere potuerunt ante eum discursum vt consideranti patebit: & ita discursus ille supponit quid nominis terminorum, qui coaluerunt in conclusione in rationem vnius subiecti: terminatur vero ad assensum, quo mens iudicat dari eiusmodi ens: ex quo deinde facile est imponere illi nomen vnum respondens vnicæ apprehensioni, quæ confusè formari potest ex coniuncto illarum rationum; opponitur etiam contra nos authoritas Arnobij *lib.* 1. *aduersus gentes, paulo ante medium*: ibi, quid ergo res tantas, &c.

Ad authoritatem hanc Arnobij respondeo, men- 244
tem eius non esse, ita per se notum esse quòd sit Deus, vt nullo modo demonstrari queat: alioquin non ibidem dixisset cum Deo loquens: [Non est mirum si ignoraris: maioris est admirationis, si sciaris:] nam quomodo dignum admiratione est scire id, quod adeò per se notum est vt probatione non egeat? solum ergo vult non opus esse longa dispositione ad id probandum: quod facilè ex lumine naturiæ & ipso mundi aspectu, & contemplatione potest agnosci. Nec vero Arnobius ait non posse propter euidentiam probari esse Deum, sed solum esse periculosum: quasi is, qui hoc probare aggreditur indubium reuocare videatur veritatem adeo perspicuam. Ad argumentum

tum Ægidij neganda est sequela : nam licet ex natura rei non sit distinctio inter Deum : & esse ipsius, tamen respectu nostri intellectus concipi entis pcum vt subiectum,& esse vt formam ipsius, est distinctio sufficiens subiecti, ac prædicati propositionis non identicæ, quæ sat est, vt id; quod demonstratur, non dicatur idem prorsus cum eo, de quo demonstratur; Quamvis autem apud Philosophos non sit frequens vsus demonstrandi substantiam aliquam, esse tamen de substantiis separatis interdum id demonstrant.

Nec vero satisfacit solutio Ægid. eamque bene impugnat Heruæus *in 1. d. 3. q. 1. §. ista opinio, in fine*, non enim intentio Philosophi *lib. 8. Physic. aut 11. Metaphys.* est declarare, quid nominis Deus, sed ostendere esse substantiam aliquam immaterialem, primam, æternam,& increatam; neque,vt iam alibi ostendi,verum est, posita illa explicatione nominis Deus, statim ex terminis sciri ipsum esse, solutio quoque Abulensis, & Argentin. non satisfacit:nam Philosophus ex creaturis, ac motu procedit ad agnitionem Dei:in quo discursu prius peruenitur ad notitiam vnius motoris immobilis, & vnius causæ primæ, quam ad agnitionem Dei sub hoc nomine,& conceptu; etenim motui formalius ac propinquius respondet ratio primi motoris, & effectibus ratio primæ causæ, quam ratio Dei sub hoc nomine & conceptu : & ita ex discursu per creaturas prius cognoscitur Deus sub ratione primæ causæ, & primi motoris, quam sub ratione deitatis:& ideo demonstratione à posteriori Aristoteles demonstrat Deum esse, quia est primus motor & causa prima, nec absque probatione supponit Deum esse:imo 12. *Metaph. text. 35. & 36.* ex eo quod sit aliquid motum non mouens, & aliud mouens, perpetuò motum, concludit esse primum motorem immobilem : quem deinde ait debere esse æternum, substantiam & actum, quæ omnia à posteriori colligit ex motu.

## QVÆSTIO II.

### *Virum Deus sit summe, & infinite perfectus*

1 CONCLVSIO : Deus summus & infinite perfectus est. Probatur primo Authoritate Philosophorum, qui hanc veritatem tradiderunt, quorum primus sit Aristoteles *lib. 9. Ethicorum, cap. 4.* ibi : [ Deum habere summum bonum, quod non est aliud à Deo distinctum,sed sibi ipse summum bonum est,] & *lib 12. Metaphysicæ* infinitum pelagus omnium perfectionum appellat ; ] ac tandem *lib. 2. magnorum moralium*, ait:[ absurdum est vt se quidquam melius habeat Deus ] cuius vestigiis insistens Seneca, *in præfatione librorum quæstionum naturalium*, hæc verba profert : [ quid est Deus ? mens vniuersi. Quid est Deus ? quod vides totum ; & quod non vides totum ; sic demum magnitudo sua illi redditur, quam nihil maius excogitari potest; ] nec minus eleganter Cicero *lib. 1. de natura Deorum*, hunc scopum recta collimat his verbis, [ ea est Dei vita qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari potest.]

2 Hanc etiam veritatem sapientissimi Doctores Ecclesiæ, quorum agmen primus ducat Augustinus *libro 1. de moribus Ecclesiæ catholicæ, cap. 1.* ibi: [ vbi ad diuinas peruentum est auertit, se se intueri non potest, palpitat, æstuat, inhiat amore, reuerberatur luce veritatis, ad familiaritatem tenebratum suarum non electione, sed defatigatione conuertitur.Ergo refugere ad tenebrosa incipientibus per dispensationem ineffabilis sapientiæ nobis illa opacitas, authoritatis occurrat, & mirabilibus rerum vocibusque librorum veluti signis temporariis veritatis vmbrisque blandiatur, vtpote, qui solo lumine naturali intellectus, & propria industria, atque discursu quid infinitarum perfectionum viuus, & liquidissimus fons & immensum mare. ac interminum pelagus Deus sit assequi non possumus eius magisterio ex parte saltem addiscamus. ] vnde ipse Cherubicus Doctor *lib. 5. de Trinitate. cap. 1.* [ intelligamus ait ] Deum si possumus quantum possumus quisquis Deum ita cogitat, & si nondum potest omnino inuenire quid sit ,pie tamen cauet quantum potest aliquid de eo sentire quod non sit]& sanctus Anselmus *de incarnatione Verbi, c. 1.* sic loquitur, [ quia est summum,bonum hoc enim est, quod sic præstat aliis vt nec par habeat nec præstantius]& *in prosologio, cap. 15.*[ergo (inquit) Domine es quiddam maius quam cogitari possit,] & S. Bernard. *libro 5. de consideratione ad Eugenium*:[quid est(inquit)Deus quo nihil melius cogitari potest denique Damascenus *lib. 1. fidei. c. 4.* dixit [ Deum esse supra omnia quæ sunt, atque adeo supra ipsum esse;]item Dionys.*de diuinis nominibus, cap. 1. fere initio*,de Dei natura agens) [ignorationis (inquit) summæ eius essentiæ, ac naturæ,quæ omnem orationem,sensum,essentiamque vincit,scientiam ei tribuere debemus.]S. Nazian. *oratione 49. post med.* certè inquit [ hoc est Deus,quod cum dicitur,non potest dici cum æstimatur,non potest æstimari;cum definitur ipsa definitione, crescit quem omnia nescium, & metuendo sciunt.]Origen.*lib. 1. periarc. cap. 2.* [ quid (inquit) in omnibus intellectualibus tam præstans omnibus, tam inæstimabiliter atque ineffabiliter præcellens est quam Deus ? ]S. Chrysostomo in id *Psalm. 47.* [magnus Dominus,& laudabilis nimis, magnus (inquit) dicunt, sed quam magnus non dicunt;hoc enim nemo scit, & ideo subiunxit,& laudabilis valde, non enim est finis eius magnitudis. Quod autem dicit, est eius modi, oportet cum tanta gloria afficere,& laudare id quod supra omnem modum] Theodoretus Episcopus Ancyræ *tomo 6 Concilij Ephesini. cap. 10.* [ Diuina (inquit) natura humanæ mentis captum effugit sublimior, est quam, quæ nostro attingi queat.

3 Tertio manifestissime hanc veritatem scriptura ipsa aperte demonstrat, *Ecclesiastici* enim 43. sic dicitur glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supereualebit enim adhuc,& admirabilis magnificentia eius benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : maior enim est omni laude exaltantes eum replemini virtute nec laboretis:non enim comprehendetis quis videbit eum,& enarrabit ? & quis magnificabit eum sicut est ab initio : multa abscondita sunt maiora his: pauca enim vidimus operum eius, omnia autem Dominus fecit, & pie agentibus dedit sapietiam.] Docet Ecclesiasticus omnino esse supra captum, & vires nostras magnitudinem, & laudem eius; nihilque proinde gloriosum dici, aut fieri po e, quod Deo non quadret, imo quidquid dica ur nihil esse comparatione tantæ gloriæ, vnde Paraphrasis Chaldaica iure optimo initium Psalmi 65. [ Te decet Hymnus Deus in Sion], ita vertit [coram te reputatur, sicut silentium laus. ].

Hoc

4 Hoc ipsum significat ipse Deus *Exod.* 33. cum se appellat omne bonum dicens Moysi [Ego ostendam tibi omne bonum;] quo loco ad hoc propositum vtitur Diuus Thomas 1. *contra Gentes, capite* 48. vnde Gregorius Nyssenus *in libro de hominis opificio, cap.* 16. sic ait, [Dei natura perfecta quædam copia est bonorum omnium:] & Sanctus Dionysius *cap.* 5. *de diuinis nominibus*, idem docet his verbis [si quid quomodocunque est id in eo, qui antecedit scilicet in Deo, & est, & intelligitur, & conseruatur.] Nec minus illustre testimonium est illud Psalmi 49. [Pulchritudo agri mecum est,] quasi dicat quidquid perfectionis, & pulchritudinis in agro & in cæteris rebus elucet, in me perfectiori, & eminentiori modo vndequaque refulget, qua propter Sanctus Augustinus enarratione in prædictum Psalmum hæc verba profert. [Cum illo, id est cum Deo est totum cum illo ager, cum illo species cœli, cum illo species terræ, cum illo omnia volatilia, quia ipse vbique, & quare apud ipsum omnia? quia antequam essent omnia aut crearentur, ei nota erant omnia; imo in ipso vita erat quidquid factum est;] Iuxta illud Ioannis prima, quod factum in ipso vita erat, licet enim hæc Euangelistæ verba diuersas interpretationes subeat illa non minus genuina videtur, omnia quæ facta sunt contineri in Deo, quia Deus est fons inexhaustus, omnium infinitus perfectionum; vnde Augustinus in hæc amoris plenissima verba diuinæ charitatis igne flagrans, & successus prorumpebat, [nihil est Deus eorũ, quæ sub sensus veniunt, nihil terrestre humidum, flabile, igneum; non lux, non sonus, non odor, non dulcedo, non aliquid demum quod sub tactionem cadat. Rursum Deus est quædam lux, omnem cuiuscunque lucis claritatem superans, quam contra tollere se mortales oculi non substinent.]

Quare eius nota, sol, non solum quia Deus vnus vt sol, quia bonus vt sol, verum etiam quia lucidus vt sol: quamquam luce longe alia, & inaccessa; & quod sol est inter res creatas atque sensiles, pulcherrimus videlicet, hoc Deus inter naturas intelligentes, multoque excellentius. Est vox quædam, quæ humanis auribus non insonat, est odor omnium vnguentorum, & aromatum odore fragrantior, dulcedo omni dulcedine dulcior, & amplexus quidam, & osculum quouis amplexu oculoque desiderabilius; ast illo odore non imbuuntur nares: illam dulcedinem non experitur gustatus: illum complexum non excipit corpus; millies mille partibus rebus quas architectatus est omnibus quiddam nobilius est Deus, eoque nihil potest animo concipi vllo modo præclarius: bonum videlicet, & pulchrum, à quo, & in quo bona, & pulchra quæcunque tandem. Nullius est aut erit tanta iustitia, tanta clementia, tanta omni genere virtus potentia, sapientia: quid multa? nihil eximium inuenietur vnquam, quod non sit centies millies in Deo magis eximium: cuius potentissimo imperio natura tota obtemperat, cuius nutu cœlestium globorum amplitudo incitatissima conuersione ab ortu ad occasum assiduo fertur, sidera peragunt cursus suos, sol creat diem, luna præcidet nocti, conficit annum quadripartita temporum varietas; vnde non mirum, quod factum sit in ipso vita, nempe creatas omnes perfectiones in Deo reperiamus, & in eo sint vita, quæ in se vitam non habent, quoniam secundum esse quod habent in Deo sunt ipsemet Deus, Deus autem vita est; vnde Anselmus *Monologio* 33. sic ait: [Cum summus ille spiritus dicit seipsum, id est per Verbum quod ab æterno producit, concipit essentiam suam, dicit omnia quæ facta sunt, nam & antequam fierent, & cum iam facta sunt, & cum corrumpuntur, seu aliquomodo variantur semper in ipso sunt, non quod sunt in seipsis, sed quod est idem ipse. Etenim in se ipsis sunt essentia mutabilis, in ipso vero sunt ipsa prima essentia:] & *cap.* 35. ait: [creatas perfectiones tanto verius esse in verbo & in intelligentia creatoris, quam in se ipsis, quanto verius existit creatrix quam creata substantia.]

Quod exponit Diuus Thomas *quæst.* 4. *de veritate, art.* 6. *& quæstione* 8. *art.* 16. *ad* 11. *de veritate rei*, quia verior res vtpote perfectior est esse, quod creaturæ habent in Deo quam quod habent in se ipsis, non vero quasi lapis aut Angelus verius dicantur de illo esse quod Angelus, & lapis habent in Deo, quam deesse quod habet in se ipso Angelus &c. in seipso enim formaliter, & proprie est Angelus, secundum esse vero quod habet in Deo non est Angelus, nisi cum addito nimirum eminenter, formaliter est ipsemet Deus; eodem modo vero docet Diuus Dionysius 5. *capite de diuinis nominibus*, vbi ait [quod sicut lineæ à centro ad circumferentiam egredientes in centro sunt vnum, & quo magis à centro distant eo plus disiunguntur, ita creatæ omnes perfectiones, quæ à Deo prodierunt in Deo vniuntur, & sunt vnum, quo vero plus ab eo recedunt multiplicatione quorundam ex aliis eo plus extenuantur, ac diuiduntur quoad esse;] vnde Paulus *ad Romanos* 11. ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia. Sed neque hic locus probat nisi mediante aliqua illatione, nam particula *in*, habitudinem causæ dicit, dicuntur enim omnia esse in Deo, quia ab ipso pendent, ipsumque respiciunt, vt conseruatorem suum, vel in ipsum, vt in finem tendunt, sicut *ad Colossenses primo*. [In ipso condita sunt vniuersa, & omnia in ipso constant.] *Et Actor.* 17. [in ipso viuimus, mouemur, & sumus.]

Quia tamen non potest Deus omnia continere sua potentia, nisi in suo esse aliquomodo omnem perfectionem præhabeat, ideo ex illa particula *in ipso*, hic etiam sensus confirmari potest, sic enim argumentatur Dauid *Psalm.* 33. Qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat? vnde etiam est illud *Psal.* 49. Pulchritudo agri mecum est; & alia infra afferemus tractantes de scientia Dei, & de eius infinitate quod idem probat illud *Matt.* 19. *& Luc.* 18. Nemo bonus, nisi solus Deus. Item hac de causa dicitur in Scriptura Deum non habere similem, *Isai.* 44. Quis similis mei? *& cap.* 46. cui assimilastis me? & adæquastis me, & fecistis similem, *Psalm.* 34. Domine quis similis tibi? Hac etiam ratione sæpe in Scriptura vocatur Deus, Altissimus, & hæc autem singularis excellentia Dei consistit in hoc quod ipse solus habet, quod sit bonus per essentiam, vt docet Diuus Thom. *dict. art.* 3. Quod explicat distinguendo in creaturis tres gradus perfectionis entitatiuæ superadditæ per accidentia, & consummatæ per consequutionem vltimi finis, quas omnes habet Deus per essentiam suam, & non aliqua creatura; vnde Nyssenus *orat. catechetica, cap.* 1. *à med.* tanquam omnibus exploratum supponit, [Deum esse perfectum, cui nihil desit nec commixtus sit ex iis, quæ sunt contraria, nempe ex eo quod est mancum, & ex eo quod est perfectum. sed siue in potestate siue in boni notione, siue in sapientia, & æternitate, & incorruptione, & si aliqua alia, quæ Deum decet intelligentia veniat in contemplationem omnino assentietur in diuina natura considerari perfectionem ex hac

consequentia

consequentia rationi consentanea ]: & ideo Aristoteles *lib. 12. Metaphysica, cap. 9. textu 5.* probat Deum esse sui ipsius intellectionem, quoniam hoc requiritur vt sit ens optimum summe perfectum, & præcellens omnibus.

6 Quod vt significaret Diuus Dionysius *de diuinis nominibus : cap. 5.* ibi:[ Deus non quodammodo est, sed absolute, & libere sine vllo termino vniuerso illo quod est esse in se comprehenso, & occupato, ] vbi omnem perfectionem sine termino in se comprehendere Deum docet vt sit summe, & infinite perfectus ; quapropter Nazianzenus, *Orat. 42. quæst. 2. in Pascha*, Deum quem *oratione* 38. vocauerat pelagus essentiæ immensum, & interminatum abissum infinitarum perfectionum vocat.

7 Clarius autem omnibus hoc significauit Diuus Thomas *1. parte, quæst. 4. art. 2.* vbi data opera probat Deum infinite esse perfectum his verbis, *à §. Sed contra : vsque ad finem corporis articuli*, ibi [ Sed contra est quod dicit Dionysius *5. cap. de diuinis nominibus*, quod Deus in vna existentia omnia præhabet, respondeo dicendum quod in Deo sunt perfectiones omnium rerum ; vnde & dicitur vniuersaliter perfectus : quia non deest ei aliqua nobilitas, quæ inueniatur in aliquo genere, vt dicit *commen. in 5. Metaph.* & hoc quidem ex duobus considerari potest.

8 Primo quidem per hoc, quod quicquid perfectionis est in effectu, oportet inueniri in causa effectiua : vel secundum eandem rationem, si sit agens vniuocum, vt homo generat hominem vel eminentiori modo, si sit agens æquiuocum: sicut in sole est similitudo eorum, quæ generantur per virtutem Solis. Manifestum est enim quod effectus præexistit virtute in causa agente, præexistere autem in virtute causæ agentis non est præexistere imperfectiori modo, sed perfectiori, licet præexistere in potentia causæ materialis sit præexistere imperfectiori modo : eoque materia in quantum huiusmodi est imperfecta, agens vero in quantum huiusmodi est perfectum : cum ergo Deus sit prima causa effectiua rerum oportet omnium rerum perfectiones præexistere in Deo secundum eminentiorem modum, & hanc rationem tangit Dionys. *5. 5. cap. de diuin. nom.* dicens de Deo, quod non quidem hoc est, hoc autem non est, sed omnia est vt omnium causa.

9 Secundo vero ex hoc, quod supra ostensum est, quod Deus est ipsum esse per se subsistens, ex quo oportet, quod totam perfectionem essendi in se contineat. Manifestum est enim, quod si aliquod calidum non habeat totam perfectionem calidi, hoc ideo est, quia calor non participatur secundum perfectam rationem : sed si calor esset per se subsistens, non posset ei aliquid deesse de virtute caloris : vnde cum Deus sit ipsum esse subsistens, nihil de perfectione essendi potest ei deesse. Omnium autem perfectiones pertinent ad perfectionem essendi : secundum hoc enim aliqua perfecta sunt, quod aliquomodo esse habent : vnde sequitur quod nullius rei perfectio Deo desit, & hanc etiam rationem Dionys. *5. cap. de diuin. nom.* dicens, quod Deus non quodammodo est existens, sed simpliciter, & incircumscripte totum in seipso vniformiter esse præaccipit : & postea subdit, quod ipse est esse subsistentibus & *art. præcedenti, qui est primus eiusdem quæstionis quarta*, sic ait [ Respondeo dicendum, quod sicut Philosophus narrat *in duodecimo Metaphysic.* quidam antiqui Philosophi scilicet Pythagorici, & Leusippus non attribuerunt optimum, & perfectissimum primo principio, cuius ratio est, quia Philosophi antiqui consideraverunt principium materiale tantum : primum autem principium materiale imperfectissimum est. Cum enim materia inquantum huiusmodi sit in potentia, oportet quod primum principium materiale sit maximè in potentia, & ita maximè imperfectum. Deus autem ponitur primum principium non materiale sed in genere causæ efficientis, & hoc oportet esse perfectissimum, sicut enim materia inquantum huiusmodi est in potentia, ita agens inquantum huiusmodi est in actu ; vnde primum principium actiuum oportet maximè esse in actu, & per consequens maximè esse perfectum : Secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum secundum quod est actu. Nam perfectum dicitur cui nihil deest secundum motum suæ perfectionis.

Ad primum : ergo dicendum, quod sicut dicit Gregor. balbutiendo, vt possumus, excelsa Dei, resonamus : quod enim factum, non est perfectum propriè dici non potest. Sed quia in his, quæ fiunt, tum dicitur esse aliquid perfectum, cum de potentia educitur in actum, transumitur hoc nomen perfectum ad significandum omne illud cui non deest esse in actu, siue hoc habeat per modum perfectionis siue non.] 10

Et *in §. Sed contra*, probat perfectionem Dei ex loco clarissimo Scripturæ, qui continetur *Matthæi. 5.* ibi [ Estote perfecti sicut, & Pater vester cœlestis perfectus est ]; Vnde elegantissime Sanctus Cyrillus Alexandrinus *lib. 11. thesauri*, inquit Sapienter dicitur nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in seipsa perfecta est ; sed tamen cogimur non vmquam quasi accidentia, etiam si non omnino accidant Deo hæc dicere, & mente accidentium modo concipere sicut esse creatorem. 11

## SVBSECTIO I.

### *Rationibus demonstratur conclusio.*

QVia illud est perfectum, quod est numeris omnibus absolutum, hoc est cui nihil deest ex his quæ ad complementum, & integritatem propriam pertinent ; sed Deo nihil deest pertinens ad suam integritatem, & complementum : ergo Deus est omnino perfectus. Maior est certa, vt docet Aristoteles *5. met. textu 21.* & D. Thomas docuit his verbis ; [ vnde quod est vltimo perfectũ, dicitur bonum, simpliciter, quod autem non habet vltimam perfectionem quã debet habere, quamvis habeat aliquam perfectionẽ, inquantum est actu, non dicitur perfectũ simpliciter, nec bonum simpliciter : sed secundum quid : sic ille *prima parte, q. 5. ar. 2. in solutione primi*, quod clarius docuerat, *quæst. 4. art 2. in corpore*, ibi. Manifestum est enim quod si aliquod calidum non habeat totam perfectionem calidi, hoc ideo est quia calor non participatur secundum perfectam rationẽ ; & ratio est manifesta, quia id 12

cui nihil deest completum est in suo esse, & è contra, cui aliquid deest incompletum est, v. g. in circulo, si aliqua pars illi desit, non est completus, sed incompletus, ac proinde dicitur non absolutus neque perfectus; si autem omnia, quæ illi debentur habeat, completus dicitur, absolutus dicitur, vltimo perfectus nominatur; vnde quando vltima pars, quæ deficiebat circulo illi tribuitur, ratione cuius completur, dicimus vltimam manum illi impositam esse, ac proinde illud ad vltimam sui perfectionem peruenisse: ergo illud est vltimo perfectum, quod nulla caret sibi debita perfectione, hoc est cui nihil deest ex his, quæ ad integritatem, & complementum illius requiruntur.

13 Minor in qua est tota difficultas sic demonstratur, quia Deus vt *præcedente quæstione* demonstrauimus, adæquate & simpliciter est ens à se: sed quod est ens à se adæquate, & simpliciter nulla caret sibi debita perfectione, neque illi deest aliquid pertinens ad complementum, & integritatem illius: ergo Deus nulla caret sibi debita perfectione, neque illi deest aliquid pertinens ad complementum, & perfectionem propriam.

14 Minor illa sic probatur, quia id quod est à se adæquate, & simpliciter adæquate, & simpliciter est in actu, ideſt actu habet quidquid ei conuenire potest: sed id, quod actu habet omne quod ei debet conuenire, nullo modo caret aliqua sibi debita ratione, & perfectione: ergo quod est adæquate, & simpliciter à se nulla caret sibi debita perfectione, neque illi deest aliquid pertinens ad proprium complementum. Minor est manifesta, quia habere omne sibi debitum actu, & carere aliquo sibi debito est actu habere omne & actu non habere omne sibi debitum: sed actu habere omne, & actu non habere omne sunt contradictoriæ, ac proinde maximum omnium impossibile: ergo impossibile est quod id quod actu habet omne sibi debitum, careat aliquo actu sibi debito.

15 Maior est euidens, quia id quod est à se, à se existit: ergo quod adæquate est à se, adæquate est existens: sed quod adæquate existit adæquate est actu & in actu: ergo quod adæquate est à se, adæquate est actu, & in actu: sed quod adæquate est actu, & in actu habet omne suum esse, sed suum esse adæquatum est omne esse, aut omnis ratio, quæ sibi debetur: ergo quod est adæquate, & simpliciter à se habet omnem rationem actu sibi debitam, seu omne esse quod sibi debetur.

16 Maior est manifesta, quia in hoc distinguitur Deus à creatura, quod creatura non existit ex se, sed ab alio, nec habet esse à se, sed ab alio; nam secundum possibilitatem etiam creatura est à se, vt late supra *tractatu de possibilitate*, demonstrauimus: ergo Deus non solum secundum possibilitatem, sed etiam secundum existentiam est à se, & existit à se; quare omne quod est à se, ac proinde esse habet à se, quod est sinonymum existentiæ à se, & ex se habet existentiam, & quod à se adæquate est adæquate à se existit, id est secundum omne esse suum adæquate existit. Minor illa est manifesta, quia existentia est prima actualitas, seu primus omnium actus per quem quidquid habet illam in esse actus essendi constituitur: ergo quod adæquate existit, & adæquate habet existentiam adæquate est actu, & indæquata actualitate essendi.

Tunc sic, quidquid in actu est, & actu habet esse non potest esse impotentia ad esse, quia esse impotentia ad esse dicit carentiam essendi, sicut esse impotentia ad videndum dicit carentiam videndi; sed Deus quatenus secundum omne esse proprium adæquate est à se adæquate actu habet esse: ergo adæquate est actu in esse, id est omne esse, & omnem rationem propriam actu habet: ergo nulla actu caret, sed nulla actu carere est nullam sibi debita illi deesse: ergo Deo nulla deest perfectio sibi debita pertinens ad integritatem, & complementum proprium. 17

Vrgetur, quia si aliqua actu deesset Deo perfectio, vel illa perfectio esset à se vel non; si non est à se, non est diuina, sed creata, ac proinde non est propria Dei, quia perfectio propria Dei est, quæ est increata sicut ipse Deus, & superior omni creata perfectione, ac proinde quæ soli Deo, semper Deo conuenit, & conuersim prædicatur de illo, vt patet ex definitione proprij: atqui perfectio creata, & ab alio non conuenit Deo, sed creaturis quibus creatæ perfectiones conueniunt, imo nec potest conuenire ipsi. 18

Deinde, quia omnis proprietas aut propria perfectio eo modo est necessaria, sicut est res cuius proprietas est, vt videre est in subsistentia, voluntate, & intellectu Angeli, in quibus eadem necessitas reperitur, ac in essentia Angeli, & idem est de proprietatibus animæ rationalis, & ratio manifesta est, quia cum proprietas debeat semper conuenire rei cuius proprietas est, debet esse tam necessaria sicut ipsa res, alias non semper illi conueniret, scilicet quando deficeret in esse ex eo quod contingeret non esse: sed essentia Dei est omnino necessaria necessitate à se, & increata superiori omni necessitate creaturæ: ergo propria perfectio Dei non debet esse creata, & ab alio, sed potius à se: ergo etiam si deficiat quæcunque perfectio creata, dum tamen non deficiat perfectio increata, nulla propria perfectio deficiet illi, ac proinde nihil deerit sibi proprium, ac debitum: quia illud est debitum Deo tanquam pertinens ad integritatem, & complementum ipsius, quod fuerit diuinum, & proprium esse illius. 19

Si autem illa perfectio sit à se, non erit in potentia ad existendum, sed potius debet actu existere, quia quidquid à se est actu habet existentiam, sed quod habet existentiam actu est: ergo illa perfectio actu est in Deo, cuius perfectio est, & cuius complementum est: ergo non deficit nec deest Deo talis perfectio; vnde Deus actu habet necessario omnem diuinam, & propriam, ac increatam perfectionem: ergo nihil deest illi, quod ad propriam perfectionem, & integritatem pertinet, quia sicut ipse Deus à se est & non ab alio, ita sibi sufficit & non indiget alio, vt sit, & vt compleatur, ac proinde ex se habet totam perfectionem sibi debitam, à quo enim superiori illam haberet? cum ipse sit supremum omnium ens: ergo habet illam independenter ab omni alio: ergo à nullo potest tota sibi debita perfectione priuari; non ab alio distincto à se, quia sicut ab alio non habet nec dependet in esse, ita neque in conseruari in ipso esse, ac proinde à nullo alio priuari potest, præcipue quia sicut Deus ex eo quod sit à se est supra omne aliud à se distinctum, ita à nullo alio 20

potest

potest priuari perfectione sibi debita, quia si priuaretur ab alio aliqua sibi debita perfectione in statu violento ab illo poneretur, ac per consequens violentiam, & vim peteretur ab alio; vnde Deus esset inferior in viribus, & potentia illo, à quo talem vim, & violentiam pateretur, solum enim inferius, & debilius potest pati violentiam, & vim à superiori; vnde Gigas potest inferre vim homini paruo, & vir infanti, Angelus homini, & non è contra propter superioritatem vnius & debilitatem, seu inferioritatem alterius.

21 Atqui Deus est superior omni ente nullique inferior: ergo à nullo alio à se distincto potest pati violentiam, & vim: ergo à nullo alio distincto à se potest priuari debita sibi perfectione.

22 Nec vero potest se ipsum illa priuare, tum quia res omnis naturaliter appetit, & retinet perfectionem sibi debitam, quia nemo intendens in malum operatur præcipue in proprium, quale esset priuare se perfectione sibi debita; tum maxime, quia Deus non habet huiusmodi perfectionem à se causatiue, seu effectus, sed potius formaliter, hoc est ex formali eminentia, seu excellentia propriæ naturæ; aut negatiue, quia scilicet non habet ab alio: ergo sicut non potest priuari esse ab alio, quia non dependet ab illo, ita etiam non potest à se ipso priuari, quia à se ipso non dependet in tali perfectione: atque hinc maxime confirmatur hæc veritas, quia omnis perfectio debita alicui debet esse non impossibilis sed potius possibilis illi, quia quod alicui repugnat, non debetur illi: atqui per vos deficit actu illi: ergo talis perfectio non est simpliciter necessaria, sed potius contingens, & corruptibilis. Patet euidenter hoc, quia illud est contingens, & corruptibile quod potest esse, vel non esse: sed illa perfectio quatenus possibilis Deo potest esse, & quatenus actu deficit potest non esse, quia quod actu non est potest non esse; ab actu enim ad potentiam bene valet consequentia secundum euidens axioma Dialecticorum, v.g. curro: ergo possum currere: ergo potest esse, & non esse illa perfectio, & sic erit contingens, & corruptibilis, & non simpliciter necessaria, ac proinde non diuina, quia omne diuinum est simpliciter necessarium, & incorruptibile, sicut existentia ipsius: ergo etiam si deficiat illi talis perfectio nulla deficit illi debita perfectio: ergo sine illa erit Deus numeris omnibus absolutus, & sic omnino perfectus.

23 Secundo principaliter probatur, & vrgetur, quia Deus est primum, & summum ens, ac proinde est summa causa omnium rerũ, & sic summum, & infinitũ agens: ergo summus, & infinitus actus: consequentia est euidens, quia quando aliquod oppositum est in summo gradu suæ perfectionis, nihil alterius oppositi potest secum compati v. g. quia Angelus est summe spiritualis, nihil materialitatis in se patitur: sed omnem à se remouet; item quando subiectum est calidum vt octo, quia est in summo gradu caloris nihil admittit, seu habet in se frigiditate; quapropter statim ac introducitur primus gradus frigiditatis in subiecto desinit octauus gradus caloris, ac proinde desinit esse summe calidum subiectum.

24 Sed Deus est summe actualis, & summus actus: ergo nihil patitur secum neque admittit potentialitatis: ergo nullo modo est in potentia ad aliquam perfectionem sibi debitam, sed potius est in actu omnis perfectionis sibi debitæ: ergo nulla caret perfectione sibi debita. Hæc consequentia est manifesta, quia actus, & potentia dicunt oppositionem, sicut esse in actu, & esse in potentia: sed Deus est summus actus: ergo Deus nihil potentialitatis habet.

Quod autem ex eo quod Deus sit summum agens sit summus actus sic demonstratur, quia nihil agit nisi quatenus est in actu, quia actio consequitur, vt optime docet Diuus Thomas, modum actus in agente, quia sicut materia prima in quantum huiusmodi est in potentia, ita agens in quantum huiusmodi est in actu; impossibile enim est effectum, qui per actionem producitur esse in nobiliori actu, quam sit actus agentis, possibile est tamen actum effectus imperfectiorem esse, quam actus causæ agentis, eo quod actio potest debilitari ex parte eius in quod terminatur; vnde agens omnium actuum debet habere omnem rationem actus perfectiori modo, ac datur in actibus actis, & productis ab illo, quia quidquid datur in effectu alterius rationis, ac est causa, quia causa est æquiuoca, continetur perfectiori modo in causa: sed Deus est causa agens omnium effectuum seu actuum: ergo continet perfectiori modo in se omnem rationem actus: ergo est summus actus, & per consequens nihil potentialitatis habet: ergo maxime est perfectus, quia vt ait Diuus Thomas: [secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundum quodest actu; nam perfectum dicitur, cui nihil deest, secundum modum suæ perfectionis.] Nam si aliquid suæ perfectionis defuit illi, euidenter sequitur esse in potentia, & non in actu respectu illius perfectionis, quia quod non habet aliquid, & potest habere illud, est in potentia ad ipsum, & non in actu eiusdem, & sic non est in summo actu illius: sed Deus quatenus est summum, & primum agens, & summum, ac primum principium actiuum oportet maxime esse in actu, & summus actus, quia in tantum agit res, quatenus est actus; sicut è contra in tantum patitur res, vel recipit in quantum est potentia; cum autem Deus non solum sit quomodocunque agens, sed potius primum agens à se, debet esse omniagens, ac proinde summum, & maximum agens: ergo est summus, & maximus actus: ergo summus, & maximè perfectus, nam sicut imperfectum est, quod est in potentia ad actum, & cum priuatione actus, ita quod nullo modo est in potentia, sed est actus purus, oportet perfectissimum esse, tale autem est Deus, igitur est perfectissimus. 25

Vrgetur ex Diuo Thoma *lib. 1. contra Gentes, cap. 28.* ibi: omnis enim nobilitas cuiuscunque rei, est sibi secundum suum esse, nulla enim nobilitas esset homini ex sua sapientia, nisi per eam sapiens esset, & sic de aliis; sic ergo secundum modum quo res habet esse, est suus modus in nobilitate, nam res secundum quod suum esse contrahitur ad aliquem specialem modum nobilitatis maiorem, vel minorem; dicitur esse secundum hoc nobilior vel minus nobilis; igitur si aliquid est cui competit tota virtus essendi, ei nulla virtus nobilitatis deesse potest, quæ alicui rei conueniat; sed rei, quæ est suum esse, competit esse secundum totam essendi potestatem, sicut si esset aliqua albedo separata, nihil ei de virtute albedinis deesse posset, nam alicui albo aliquid de virtute albedinis deesse potest, ex defectu recipientis albedinem, qui eam secundum modum suum recipit, & fortasse non secundum totum posse albedinis; Deus igitur qui est totum suum esse, vt supra probatum 26

batum est, habet esse secundum totam virtutem, ipsius esse; non potest ergo carere aliqua nobilitate, quæ alicui rei non conueniat, sicut autem omnis nobilitas, & perfectio inest rei, secundum quod est, ita omnis defectus inest ei, secundū quod aliqualiter non est. Deus autē sicut habet esse totaliter, ita ab eo totaliter absistit nō esse, quia per modū per quem habet aliquid esse, deficit à non esse à Deo: ergo omnis defectus absistit, est igitur vniuersaliter perfectus, ista vero, quæ tantum sunt, imperfecta sunt non propter imperfectionem ipsius esse absoluti, non enim ipsa habent esse, secundum totum suum posse, sed participant esse, per quendam particularem modum, & imperfectissimum.

27 Secundo probatur, quia illud est omnino perfectum positiue quod includit omnem perfectionem possibilem: sed Deus est huiusmodi: ergo est omnino perfectus. Maior est certa, quia causa debet continere vel formaliter vel eminenter illam perfectionem cuius est causa, nemo enim dat quod non habet; minor patet, nam omne ens possibile, seu omnis possibilis perfectio extra Deum est ens ab alio, quia est creatura: sed omne ens ab alio necessario debet habere esse communicatum ab ente à se increato, & improducto: ergo qui est ens à se est causa cæterorum, & sic cætera omnia eminenter debet includere, & per consequens includit omnem perfectionem possibilem.

28 Confirmatur, quia Deus non solum superat in perfectione omnia quæ sunt, & fuerunt: sed omnia quæ possunt esse: ergo necesse est, vt contineat omnem perfectionem possibilem ablatis imperfectionibus; antecedens patet, si Deus comparetur ad præterita, & præsentia, nam si inter præterita, vel præsentia daretur aliquid æqualis perfectionis cum Deo, esset Deus, vnde iam duo Dij, & tunc destrueretur vnicitas Dei, id est Deus non esset vnicus, quod est falsum, si autem illud esset maioris perfectionis iam Deus non esset Deus; nam sicut nomine hominis intelligimus animal ratione; ita nomine Dei intelligimus perfectionem, qua maiorem excogitare non possumus; quod autem Deus comparatus ad omnia entia possibilia etiam, excedat illa in perfectione, sic cōuincitur; si inter possibilia entia esset aliquod ens perfectius Deo, vel illud esset ens necessarium, & sic esset iam actu; nam in necessariis & æternis idem est posse, ac esse vnde non esset purum possibile; vel esset contingens quia scilicet posset fieri, vel non fieri ab alio & hoc esset impossibile, quia perfectius non potest produci ab inferiori, nisi quatenus instrumentum alicuius habentis æqualem, vel maiorem perfectionem, quam effectus: si igitur illud ens possibile esset perfectius Deo, à quo deberet produci? non à Deo tanquam ab instrumento, quia Deus non est alicuius instrumentum, cum sit primum ens à se independens omnino: ergo illud quod fingitur perfectius Deo, non potest produci: ergo non est possibile vllo modo ens perfectius Deo: ergo primum ens est perfectissimum omnium possibilium. Consequentia patet, quia dato quocunque ente; quod excedat cætera in perfectione, non tamen contineat perfectiones omnium, illud non potest esse perfectius omni ente possibili, quia potest esse aliud, quod non solum sit perfectius, sed etiam contineat reliqua, neque enim dici potest hanc continentiam inuoluere repugnantiam, aut esse impossibilem, tum quia in rebus materialibus experimur qualitatem, vel formam superiorem continere perfectiones plurium inferiorum, ac proinde posse exercere effectus earum vt videre est in sensu communi, qui attingit obiecta omnium sensuum inferiorum, quia continet perfectiones omnium illorum, tum etiam, quia nulla ratio repugnantiæ, aut impossibilitatis assignari potest.

Vt ergo primum ens sit perfectius omni possibili, necesse est vt omnem perfectionem possibilem in se claudat, quia non quomodocunque est perfectum, sed vt mensura cæterorū omnium, quæ quia accedunt, aut recedunt magis ab illo, maiorem vel minorem perfectionem habent, quia omnem, quam habent, participant ab ipso, & sic ipsum debet continere eminentiori modo perfectiones omnium eorum, & alias præter ipsas formaliter, & sic erit absolute, & simpliciter perfectissimum, quod his aureis verbis docuit Diuus Thomas *lib. 1. contra Gent. cap. 18. argum. 5.* ibi: [Item vnoquoque genere est aliquid perfectissimum in genere illo, ad quod omnia quæ sunt illius generis mensurantur, quia ex eo vnumquodque ostenditur magis, & minus esse perfectum, quod ad mensuram sui generis magis & minus appropinquat, sicut album dicitur esse mensura in omnibus coloribus, & virtuosus inter omnes homines. Id autem quod est mensura omnium entium, non potest esse aliud, quam Deus, qui est suum esse ipsi, igitur nulla deest perfectionum, quæ aliquibus rebus conueniat, alias non esset omnium communis mensura. Hinc est, quod quum quæreret Moyses diuinam videre faciem, seu gloriam, responsum est ei à Domino. Ego ostendam tibi omne bonum, vt habetur *Exodi.* 33. per hoc dans intelligere in se omnis bonitatis plenitudinem esse. Dionysius etiam *in 5. cap. de diuinis nominibus*, dicit, Deus non quodammodo est existens, sed simpliciter, & incircumscriptiue totum esse in seipso accipit, & præaccipit. Scien- 29
dum tamen quod perfectio Deo conuenienter attribui non potest; si nominis significatio quantum ad sui originem attendatur, quod enim factum non est, nec perfectum dici posse videtur: sed quia omne quod fit de potentia deductum est in actum, & de non esse in esse, quando factum est, tunc recte perfectum esse dicitur, quasi totaliter factum, quando potentia totaliter est ad actum reducta, vt nihil de non esse retineat: sed habet esse completum, per quandam autem nominis extensionem, perfectum dicitur non solum, quod fiendo peruenit ad actum completum, sed id etiam quod est in actu completo, absque omni factione, & sic Deum perfectum esse dicimus, secundum illud, *Matth. 5.* Estote perfecti sicut & pater vester cœlestis perfectus est.]

Itaque vt primum ens absolute, ac simpliciter 30
sit perfectissima mensura, debet continere in se omnem perfectionem possibilem, quia excedit in perfectione omnia entia simpliciter, & absolute.

Dices, licet Deus excedat in perfectione omnes creaturas non tamen inde sequi includere omnem plenitudinem perfectionis illarum, nam supremum omnium Seraphin excedit in perfectione cæteros Spiritus, homines, & omnia animantia, & nihilominus non continet in se perfectiones omnium illorum.

Sed contra, quia supremum Seraphin non est 31
perfectius cæteris spiritibus, & animantibus tanquam fons, origo, & principium, ex cuius plenitudine

tudine accipiunt cætera, tanquam à causa efficiente suas perfectiones; si enim hoc modo esset illis perfectius, sine dubio deberet includere omnes illorum perfectiones, quia cum causa efficiens det illas perfectiones effectibus, & nemo det quod nõ habet, necessario debet continere illas: quod enim causa efficiens nullo modo habet, quomodo poterit communicare effectui? Deus autem est perfectior omni ente extra se tanquam primum ens, quod est principium, & causa efficiens cuiuscunque entis extra se, ex cuius fontanali plenitudine, vt ait Diuus Thomas (alludendo ad Diuum Iacobum, & Paulum) omnes accepimus quidquid habemus: ergo Deus debet continere in se omnem perfectionem possibilem; nam si aliqua perfectio esset possibilis, & illi deesset perfectius esset illud ens, quod illam perfectionem simul cum omnibus aliis haberet; vnde Deus non esset melius, quam cogitari potest, quod vt supra late probauimus falsum est, & ideo Gregorius Nyss. *lib. de opif. hom. cap.* 1. ait: [Deum esse tale bonum, quod omne bonum, quod intelligendo, cogitandove comprehenditur, exuperat] cogitando scilicet tali cogitatione, quæ in re cogitata non inuoluat repugnantiam, sed sit de re vere possibili; etenim, si cogitatio non sit huiusmodi res cogitata non erit maior; imo nec res erit, sed ens rationis, & prorsus nihil, si autem aliquid maius vere cogitetur, illud erit ens possibile: ergo erit necessarium, quia hæc est prima, & summa perfectio entis perfectissimi: ergo illud ens erit Deus: & non aliud, quod cogitabatur minus perfectum: est ergo de ratione Dei, vt sit ens tam perfectum quo maius excogitari non possit, & consequenter vt in se includat omnem perfectionem possibilem, tota enim hæc perfectio vere, ac rationabiliter cogitatur in aliquo vero ente.

32 Dices hac ratione probari Deum continere omnes perfectiones formaliter, quia tota hæc perfectio cogitari potest in aliquo ente, & hic modus excedendi reliqua est perfectior.

33 Sed contra respondeo cum Patre Suarez, negando sequelam, quia non omnes illæ perfectiones formaliter sumptæ, spectant ad consummatam entis perfectionem, neque omnes inter se cõpossibiles sunt, neque cum exacta, ac summa rei perfectione; Vnde ad hoc declarandum recte distinguunt Theologi duplices entis perfectiones, quasdam vocant simpliciter simplices: alias vero perfectiones secundum quid, seu non simpliciter. Prioris generis sunt quæ neque inuoluunt imperfectionem vllam, nec repugnantiam, vel oppositionem cum alia maiori vel æquali perfectione. Vnde ratione perfectionis simpliciter in primis est, vt sit absoluta non relatiua; nam perfectio relatiua excludit aliam sibi oppositam, quæ quantum est ex se potest esse æque perfecta. Deinde esse debet talis perfectio absoluta, quæ nullam includat imperfectionem, neque alteri meliori opponatur; vnde ex Anselmo *in Monolog. cap.* 14. definiri solet perfectio simpliciter, quod si illa, quæ vnoquoque est melior ipsa, quam non ipsa, id est quæ in indiuiduo entis, seu in latitudine entis vt sic melior est ipsa, quam quælibet illi repugnans, vt bene exposuit Scotus *in* 1. *d.* 8. *q.* 1. *ad* 1. & Caietan. *de ente, & essentia, cap.* 2. Omnis autem alia perfectio, quæ non est huiusmodi, dici potest secundum quid, seu simpliciter, seu in certo genere.

34 De perfectionibus ergo simpliciter dicendum est omnes esse in Deo formaliter, quia in suo formali conceptu nullam imperfectionem, sed puram perfectionem inuoluunt, neque inter se repugnantiam includunt; vnde sic illas habere, id est, formaliter, melius est quam aliquin earum carere, & ideo de ratione entis summe perfecti in tota latitudine entis est, vt has omnes perfectiones formaliter includat. Adde, in his perfectionibus non posse cogitari altiorem modum continendi illas, quam formaliter, quia intra suam formalem rationem, nec limitationem, nec imperfectionem includunt, neque altior gradus entis excogitari potest, quam ille, ad quam hæ formales perfectiones pertinent, quales sunt viuere, sapere, & alia huiusmodi: at vero de perfectionibus secundum quid seu in certo genere dicendum est non pertinere ad consummatam perfectionem primi entis, vt illas formaliter includat, vt recte probat obiectio facta, quia alias repugnantia, & oppositia includeret. Item sæpe huiusmodi perfectio in suo conceptu formali includit limitationem, compositionem, aut aliam similem imperfectionem: ergo vt sic non potest pertinere ad consummatam perfectionem supremi entis. Pertinet ergo ad perfectionem illius entis vt has omnes perfectiones eminenter contineat: estque hic modus consentaneus excellentiæ illius entis, quod habet gradum, & modum essendi eminentiorem, quam omne ens, in quo hæ perfectiones formaliter reperiuntur, & ideo eminentiori modo continere debet has perfectiones, quam sint in entibus factis; vnde Diuus Thomas ex eo quod Deus sit causa omnium colligit, *prima parte, quæst.* 2. *art.* 3. *in corpore*, Deum esse perfectissimum, & maximum, & habere omnium rerum perfectiones, de quarum fonte magis, & minus participare asserit creaturas, quo magis, & minus accedunt ad Deum; verba Diui Thomæ hæc sunt: [inuenitur enim in rebus aliquid magis, & minus bonum, & verum, & nobile: & sic de aliis huiusmodi: sed magis, & minus dicuntur de diuersis secundum quod appropinquant diuersimode ad aliquid, quod maxime est: sicut magis calidum est quod magis appropinquat maxime calido; est igitur aliquid, quod est verissimum & optimum, & nobilissimum, & per consequens maxime est; nam quæ sunt maxime vera sunt maxime entia, vt dicitur *secundo Metaph.* Quod autem dicitur maxime tale in aliquo genere est causa omnium, quæ sunt illius generis: sicut ignis, qui est maxime calidus, est causa omnium calidorum, vt *in eodem libro* dicitur. Ergo est aliquid quod omnibus entibus est causa esse, & bonitatis, & cuiuslibet perfectionis, & hoc dicimus Deum.]

Tandem, quia omnis perfectio solũ est aut creata, 35
increata; aut si increata, in ente increato debet esse, qui Deum vocatur; si vero est creata: ergo necessario esse debet ab ente increato vt à prima causa, quia nihil potest esse præter Deum, quod non sit ab ipso: ergo necesse est vt omnis perfectio sit in Deo eminentiori & excellentiori modo, quam sit in effectu, quia perfectio effectus necessario continetur in causa, quæ ex se, & propria, ac sufficiente virtute potest talem perfectionem communicare effectui, alias aliquid daret, quod non contineret.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum Deus sit infinitus.*

1 PRIMA conclusio: Deus est infinitus per essentiam. Hæc conclusio est de fide, definiturque in Concilio Lateranensi, *cap. Firmiter, de Summa Trinitate, & fide catholica*, & expresse docetur in Scriptura *Baruch. 3.* [Magnus est, & non habet finem excelsus, & immensus.] Quæ verba transcripsit supra dictum caput *Firmiter*, ibi: [Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod vnus solus est verus Deus, æternus, immensus absque initio semper ac sine fine,] *& Psalmo 144.* [magnitudinis eius non est finis,] vnde Gregorius Nyssenus, *orat. 1. in id Gen. 1.* [faciamus hominem &c. magnum (inquit) cogita Deum, & huic magno plus etiam atque etiam adde quam cogitasti, atque exple cogitationem tuam, neque vnquam, quæ infinita sunt capies, nec magnitudine concluditur, nec finibus cohibetur:] & Diuus Basilius *homilia in Ioannem*, ibi [infinitus pater, infinitus filius.] & Damascenus *lib. 1. de fide, cap. 4.* infinitus est Deus & incomprehensibilis, atq; hoc vnum ex eo percipi, ac comprehendi potest, quod nimirum ipse infinitus, atque incomprehensibilis sit,] quibus consonat Diuus Dionysius *de diuinis nominibus, cap. 9.* ibi. [Magnus est super omnem magnitudinem, omnem transiliens infinitatem.] Diuus Augustinus, *lib. 2. de Trinitate*, clarius nostram sententiam docet his verbis: [omne finitum sub infiniti Dei potentia comprehenditur, & quia per essentiam infinitus est magnitudine, superat omne quod finitum ab infinito participat,] *& lib. 4. de ciuitate Dei*, [quod secundum naturam infinitum est, nullis creaturarum terminis, ac limitibus comprehenditur, & continetur,] *& lib. de Genes. ad literam*, [quia essentia infinitus, & natura omnipotentia similiter infinitus & magnitudine.] & Theodoretus *sermone 2. de prouidentia:* [Deus ipse, & increatus, & infinitus est, omnia complectitur ipse à nullo circumscriptus,] tandem Diuus Thomas *1. parte, quæst. 7. art. 1. in corpore*, docet & probat his verbis Deum esse infinitum; [considerandum est igitur, quod infinitum dicit aliquid ex eo quod non est finitum; finitur autem quodammodo, & materia per formam, & forma per materiam.

Materia quidem per formam in quantum materia antequam recipiat formam, est in potentia ad multas formas: sed cum recipit vnam, terminatur per illam; forma vero finitur per materiam in quantum forma in se considerata, communis est ad multa, sed per hoc quod recipitur in materia fit forma determinate huius rei. Materia autem perficitur per formam, per quam finitur: & ideo infinitum secundum quod attribuitur materiæ, habet rationem imperfecti: est enim quasi materia non habens formam, forma autem non perficitur per materiam, sed magis per eam eius amplitudo contrahitur; vnde infinitum secundum quod se tenet ex parte formæ non determinatæ per materiam, habet rationem perfecti; illud autem quod est maxime formale omnium est ipsum esse, vt ex superioribus patet; cum igitur esse diuinum non sit esse receptum in aliquo, sed ipse sit suum esse subsistens, vt supra ostensum est: manifestum est quod ipse Deus sit infinitus, & perfectus,] ipse Diuus Thomas *lib. 1. contra Gentiles, cap. 43. argum. 10.* docet etiam antiquos Philosophos hanc veritatem asseruisse tanquam instinctu naturæ ductos, ibi: [huic etiam veritati attestantur antiquissimorum Philosophorum dicta, qui omnes infinitum posuerunt primum rerum principium, quasi ab ipsa veritate coacti, propriam enim vocem ignorabant, existimantes infinitatem principij ad modum quantitatis discretæ, secundum Democritum, qui posuit atomos infinitos rerum principia, & secundum Anaxagoram, qui posuit infinitas partes consimiles rerum principia, vel ad modum quantitatis continuæ secundum illos, qui posuerunt aliquod elementum vel confusum aliquod infinitum corpus, esse primum omnium principium, sed cum ostensum sit persequentium Philosophorum studium, quod non est aliquod corpus infinitum, & huic coniugatur, quod oportet esse primum principium aliquomodo infinitum, concluditur quod neque est corpus, neque virtus in corpore infinitum illud, quod est primum principium.] Licet hæ omnes authoritates Sanctorum Patrum nostræ veritati nimium quantum lucem fulgentissimam offundant, verba nihilominus Sancti Hilarij supra illum locum *Psalmi 144.* magnitudinis eius, &c. non sunt silentij tenebris inuoluenda, quæ elegantissime scopũ nostræ sententiæ directe collimant, ibi: [hæc Dei prima & præcipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum, & magnitudinis suæ habeat & laudis. Virtus eius opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur: arctus ad id sensus noster est, ingenium hebes est, sermo mutus est, finem magnificentiæ ipsius nescit, & aliquam ementiendi se opinionem immensa magnitudo non patitur, extenta vbique extenta semper est, hanc habens infinitatis suæ laudem, cæterum omnem intelligentiam infinitæ huius in se qualitatis excedens,] nec minus eleganter Damascenus *libro 1. cap. 1.* explicans responsionem Dei ad Moysem *Exodi 3.* [Ego sum, qui sum,] vbi de ipso esse Dei loquens sic ait, [totum in se comprehendens velut quoddam pelagus substantiæ infinitæ,] quorum vestigia præmens Richardus *lib. 2. cap. 5. 6. & 7. in fine*, his concludit, [iam de superioribus habuimus, & pro certo habemus, quod substantia diuina non sit aliud aliquid quam immensitas sua, quam infinitas, & magnitudo sua.]

## SVBSECTIO I.

*Rationibus demonstratur nostra conclusio.*

2 QVia illud ens, quod nullam habet causam sui esse, est illimitatum atque infinitum per essentiam: sed Deus nullam habet causam sui esse: ergo Deus habet esse illimitatum, & infinitum per essentiam. Maior ex terminis patet & à me demonstrata manet *in Physicis disputat. de infinitate, quæst. 1. de infinitate per essentiam*, & breuiter sic nunc ostenditur, quia cuiuscunque entis limitati finitudinem reuocamus ad aliquam causam illius, quæ scilicet vel non potuit vel noluit effectui suo dare vlteriorem perfectionem, ac proinde tribuit illimitatam, & terminatam perfectionem: ergo à contrario sensu ens, quod nullam habet causam, non est à quo possit limitari in esse; vnde si

si à se habet esse, & non est maior ratio vnius esse, quam alterius, habebit sine dubio omne esse sine limite, ac fine; vnde habebit infinitatem, & illimitationem, ac per consequens summam, & interminatam perfectionem, quia infinitudo est non solum esse, sed etiam summa perfectio essendi: ergo si habet omne esse sine limite habebit infinitatem, quod est verum, & proprium esse, præcipue, quia infinitudo per essentiam debet esse in aliquo ente, sed non in ente creato, & participato: ergo in ente omnino, ac summe perfecto increato, & independente, alias non haberet infinitam participabilitatem à creaturis, sed ita esset limitatum ad aliquod esse, vt aliud esse non posset ab illo participari; vnde in participabilitate, terminis, finibus, ac limitibus circundaretur, quia id quod potest participari ratione participabilitatis est ipsum esse per essentiam, sed ipsum esse, esset finitum, & limitatum per vos: ergo id, quod potest participari esset finitum, & limitatum: atqui id, quod potest participari est participabile, & habet participabilitatem: ergo esset limitatum, & finitum, quatenus participabile est, & quatenus habet participabilitatem, sed non est vllo modo in singulis perfectionum generibus, ita limitatum ad certum aliquem, & definitum gradum, qui in participato ente intelligi possit quin habeat perfectionem illam essendi nobiliori, eminentiori, & excellentiori modo, quam possit à creatura participari, etiamsi magis, ac magis in infinitum participetur, & etiamsi infinitæ sint creaturæ possibiles indiuidualiter, & essentialiter distinctæ, quæ sine limite, & fine possint infinitas perfectiones ab illo ente à se independente, & increato per totam æternitatem participare manendo ipsum ens inexhaustum, aë in superiori gradu, quo existunt creaturæ, quæ ab ipso participant esse: ergo illud ens quatenus non habet causam sui est infinitum, & illimitatum per essentiam, quia cum à nullo participet esse, seu rationem entis, sed ex se, & ex intrinseca natura, ac necessitate sit id, quod est non potest in se habere diminutam & solum, quasi ex parte rationem, & perfectionem entis; vnde est includens totum ens, totamque entis perfectionem, quia vt iam dixi non est à quo limitetur inesse, sicut ens creatum, & participatum; esse enim limitatum accipit creatura aut ex voluntate dantis hanc, & non maiorem perfectionem, vel ex capacitate recipientis, siue illa capacitas intelligatur per modum passiue potentiæ, siue tantum per modum obiectiuæ: ergo si in ente independente primo, quod ex se habet suum esse nulla causa, aut ratio limitationis intelligi potest, ex eo quod nullam habeat causam sui esse, sine dubio erit illimitatum, & infinitum per essentiam, quia hæc infinitas in nullo alio consistit, nisi in hoc, quod perfectio eius non sit ita determinata, & definita ad vnum genus perfectionum, quæ nos distingui videmus in creaturis, vt illud solum includat, & non cætera omnia eo eminentissimo modo, qui ad summam perfectionem pertinere potest, quæ summa perfectio in hoc consistit, vt formaliter contineat omne esse, quod est perfectum sine imperfectione id est omnem perfectionem simpliciter simplicem.

3 Atqui summa omnium perfectionum simpliciter simplicium, & radix illarum est infinitudo per essentiam: ergo infinitudo per essentiam datur in Deo formaliter.

4 Item consistit in hoc quod contineat eminenter omnem possibilem perfectionem creatam, quod in hoc fundatur, quod infinitum per essentiam ita excedere debeat, simpliciter absolute, & in omni nobilitate & perfectione reliqua omnia, non solum figillatim, sed etiam simul collecta; neque vtcumque sed optimo modo possibili in genere entis, vt neque absolute, neque secundum quid, neque secundum aliquam rationem ab aliquo superari possit: atqui optimus modus superandi eo modo reliqua omnia simul sumpta, est continendo omnem perfectionem, quæ in omnibus illis reperitur sine termino, ac limite eminentiori ac excellentiori modo, quam in illis existit; quia quando vna res est perfectior aliis, non tamen continet totam perfectionem illorum, quamuis absolute sit perfectior: tamen secundum aliquam rationem contingit esse minus perfectam, vt sol est simpliciter nobilior Ioue, aut Venere, & nihilominus talia sidera aliqua dignitate, vel virtute excedunt solem, sed creaturæ omnes nullo modo possunt superare primum ens: ergo debet continere eminenter omnem perfectionem illarum sine limite, ac termino, ex quo euidenter sequitur primum ens esse infinitum, & illimitatum per essentiam, quia est à se, & nullam causam habet sui esse.

5 Minor prima, & præcipua est manifesta, quia illud ens nullam habet causam sui esse quod est à se, & à se habet suum esse, & non ab alio: sed Deus vt latissime *prima quæstione huius disputationis* probauimus, est à se, & non ab alio: ergo Deus nullam habet causam sui esse. Consequentia prima est manifesta, quia syllogismus est euidens in forma, & figura, ac proinde illatio debet esse euidens, & concludere Deum habere esse illimitatum, & infinitum; cum non habeat vnde limitetur eo modo, quo habet limitans esse per participationem productum, quia nec limitatur ex parte causæ efficientis cum sit à se, & non ab alio, nec à causa materiali, & formali, quia vtpote simplissima entitas expellens à se omnem compositionem nullam habet causam intrinsecam, quam formalem, & materialem vocamus, quia omnis huiusmodi causa, ad compositionem ordinatur. Tandem non potest limitari à causa finali, quia extra Deum non est finis, seu causa finalis Dei, quia sicut non habet esse ab aliqua causa, ita non habet esse propter aliquam causam, sed à se, & propter se habet esse, & sic caret omne limite: vnde est ita bonum, & perfectum, vt non sit tale per aliquod limitatum bonum, sed per omne bonum, vt eleganter docuit Augustinus *lib. 8. de Trinitate, cap. 3.* vbi postquam multas perfectiones creatas enumerauit, quarum vnaquæque est bona, & perfecta per suam quandam perfectionem finitam, & limitatam pulchre ita subiungit: [Bonum hoc & bonum illud, tolle hoc, & illud, & vide ipsum bonum si potes, ita Deum videbis non alio bono bonum, sed bonum omnis boni;] id est bonum infinitum & perfectum sine limite, & termino.

6 Confirmatur, quia illud est infinitum per essentiam quod est omnium ita perfectissimum in fine, ac limite, vt infra se omnia distincta à se perfecta contineat, & sub se habeat, quæ perfectione excedat, & supra se nihil excellentius, & perfectius ipso possit reperiri: sed Deus ita est omnium perfectissimus, vt omnes possibiles perfectiones creatas infra se, & sub se contineat dominetur ipsis, & infinita perfectione excedat, & supra ipsum nihil sit perfectius, & excellentius ipso: ergo Deus est infinitus per essentiam. Maior est certa, quia contrariorum est eadem disciplina, & ratio

oppositæ

oppositio modo, sed omni ente finito per essentiam quod est oppositum aut contrarium infinito per essentiam, potest aliquod aliud ens esse simpliciter perfectius, & maius, ac proinde non repugnat illi habere superius se, & ex alio capite nulli enti finito conuenit habere sub se omnes perfectiones à se distinctas: ergo infinitum per essentiam, quod est contrarium illi oppositio modo se debet habere, videlicet quod supra se nihil excellentius ipso aut perfectius, aut superius possit habere, & ideo dicitur primum ens ante quod non datur aliud primum, alias non esset primum, sed secundum ens,) & sub se omnia distincta à se contineat, & ratio à posteriori videtur, quia licet videamus aliquam speciem creatam habere quondam infinitatem secundum quid, aut quatenus sub se potest infinitas species minus perfectas continere, eo modo quo dicitur homo excedere quodammodo infinite bruta animalia, nihilominus tamen est finita simpliciter per essentiam, quia non repugnat illi habere Angelos supra seipso homine perfectiones essentialiter, & in ipsis Angelis intelligimus finitatem, quatenus vnusquisque potest habere superiorem; vnde positiua ratio infinitatis per essentiam, quæ per illam negationem significamus, nihil aliud est, quam summa, consummata & omnibus numeris absoluta excellentia cuiusdam rei, qua maior neque esse, neque excogitari possit, ac proinde nihil illi possit deesse, quod ad summam entis perfectionem possit pertinere; vnde omnes rationes quibus supra probauimus diuinam perfectionem, æque probant infinitatem eius, quia, & modus perfectionis à nobis expositus conuertitur cum infinitate recte declarata, & infinitas quatenus sub illa negatione perfectionem indicat, pertinet ad perfectionem simpliciter atque adeo ad summam entis perfectionem.

7 Minor præcipua patet ex supra dictis *quæstione præcedenti*, vbi tum rationibus tum authoritatibus Sanctorum Patrum ostendimus Deum esse tantæ perfectionis, vt non possit maius illo excogitari in perfectione, & excellentia, ac proinde vt non possit in ea habere superiorem aut æqualem entitatem, quæ sit distinctæ naturæ ab ipsa; vnde in ea excellentia continetur talis eminentia, & illimitatio cui conueniat continere omnes perfectiones possibiles, & cogitabiles continentia quidem formali vel eminentiali cum summa perfectione possibili in quacunque perfectione, & modo habendi illam sine termino vllo, etiam si in infinitum in eis procedatur in gradu maioris, & maioris perfectionis sine limite, quæ excellentia, seu infinitudo conuenit deo formaliter ex vi independentiæ ab alio, & quia non habet causam à qua possit limitari, quod his aureis verbis docuit Diuus Thomas *lib. 1. contra Gentiles, cap. 43. argumento 5.* ibi: [amplius ipsum esse absolute consideratum, infinitum est; nam ab infinitis & finitis modis participari possibile est; si igitur alicuius esse sit finitum, oportet quod limitetur esse illud per aliquid aliud quod sit aliqualiter causa illius esse, vel receptiuum eius, sed esse diuini non potest esse aliqua causa, quia ipse est necesse esse per se ipsum, necesse eius est receptiuum, cum ipse sit suum esse: ergo esse suum est finitum, & ipse infinitus.

8 Sed aduerte cum Patre Suarez, hanc negationem infinitatis posse addi vel ipsi esse, seu essentiæ diuinæ vt sic, quatenus adæquato conceptu licet confuso intelligitur comprehendere totam perfectionem essentialem dei, vel etiam addi posse peculiaribus attributis, quomodo dicimus sapientiam dei esse infinitam, & scientiam & præsentiam, & similia priori: ergo modo ponitur hoc loco, attributum speciale infinitatis, aliis vero accommodatur cum proportione, vt singulis videbimus vnumquodque enim dicitur in tali genere infinitum, quatenus in illo habet totam perfectionem possibilem, nec potest cogitari talis perfectio in altiori gradu; vnde secundum nostrum modum concipiendi, potest à priori demonstrari infinitas vniuscuiusque attributi ex infinita essentiæ, à posteriori vero infinitas essentiæ ex infinitate omnipotentiæ, verbi gratia, vt fieri solet, quia facilius cognoscitur. Re tamen vera infinitas simpliciter essentiæ diuinæ infinitatem omnium complectitur attributorum, eodem modo, quo supra diximus omnia esse de essentia eius.

Secundo principaliter probatur ratione, quia 9
vtitur Diuus Thomas *lib. 1. contra Gentes, cap. supra citato*, quia omne id, quod habet potentialitatem aliquam est finitum ac limitatum per essentiam: sed deus nullam habet potentialitatem: ergo Deus est infinitus per essentiam & non limitatus.

Maior est certa in omni creatura; omnis enim 10
creatura, quia ipsi permiscetur potentialitas, habet terminum suæ perfectionis, ac limitem in ea, nam potentialitas imperfectio est; vnde est terminus in habendo perfectionem, quia negat maiorem; vnde cui negatur aliqua perfectio, ita continetur, & definitur ad aliquem gradum perfectionis, vt vltra illum non possit progredi res, quæ imperfectionem habet: ergo omne id, quod habet potentialitatem est finitum, & limitatum per essentiam. Consequentia illa primi syllogismi est manifesta, quia contrariorum eadem est disciplina, & ratio, sed cui admiscetur aliqua potentialitas habet terminum suæ perfectionis: ergo à contrario sensu, cui non permiscetur potentialitas non habebit terminum suæ perfectionis, neque limitem, aut finem illius, sed res sine fine, termino, & limite est finita, & illimitata: ergo deus, qui nullam habet potentialitatem erit infinitus, & illimitatus.

Probatur minor, in qua est difficultas, illud ha- 11
bet potentialitatem aliquam, cui deficit aliquis actus aut perfectio; nam habere potentialitatem est esse in potentia ad aliquem actum, seu ad aliquam perfectionem, & esse in potentia est habere potentiam carendo actu, aut perfectione petita à tali potentia: sed quod caret aliqua perfectione est, quia illi deficit talis perfectio: sed deo nulla potest deficere perfectio, vt patet ex supradictis: ergo deus nullam habet potentialitatem.

Vrgetur, quia Deus est actus purus; sed quod 12
est actus purus nullam potest habere sibi admixtam potentialitatem: ergo deus nullam potentialitatem habet: Minor est certa, quia id, quod est purum in vno genere, non potest habere admixtionem sibi oppositi generis, vt purus spiritus nihil potest habere corporis, & purum sanctum nihil potest habere peccati, sicut purum vinum nihil habet aquæ, alias non purum sed mixtum esset: sed potentialitas est oppositi actualitati: ergo purus actus nihil habet admixtum potentiali atis, vt autem hoc intelligatur, aduerte purum actum dici id quod excludit potentiam obiectiuam, seu omnem statum existendi tantum in potentia, qui repugnat enti puro actuali & ab intrinseco necessario, vt per se constat; item dicitur id quod excludit omnem potentiam passiuam, veram, & realem; vnde quoad hanc partem, quo incidit hæc proprietas cum simplicitate; non excluditur autē

per

per illam vocem potenti actiua: nam potius vnumquodque agit in quantum est in actu: vnde ipsa vis agendi actualitas quædam est, quæ potius virtutis, vel facultatis nomen meretur, quam potentiæ. Qua tamen semper actu agit, ideo potentia etiam proprie appellatur; huiusmodi autem ratio potentiæ non pertinet ad imperfectionem, quia actu agere non semper est perfectio agentis, vt latius declarabitur in sequentibus. Atque ita constat, purum actum præter actualitatem primi entis solum addere negationem, qua perfectio illius entis declaratur: de qua negatione nihil dicendum superest.

13 Confirmatur, quia omne id, in cuius substantia admiscetur potentia secundum id quod habet de potentia, potest non esse, quia quod potest esse potest non esse; Deus autem secundum se non potest non esse cum sit sempiternus; in Deo igitur non est potentialitas ad esse, vnde est purus actus, præcipue quia id quod est per se necesse esse, nullo modo est possibile esse per potentialitatem essendi, quia quod est per se necesse esse, non habet causam; omne autem quod est possibile esse habet causam, Deum autem per se est necesse esse; nullo igitur modo est possibile esse nihil: ergo potentialitatis habet in sua substantia, ac proinde est actus purissimus, quia Deus est primum agens, ac proinde toto se agit, quia si se toto non ageret non esset agens per essentiam, ac proinde non esset primum agens, vnumquodque enim agit secundum quod est actu, quod igitur non est totus actus non toto se agit sed aliquo sui: sed Deus toto se agit, quia non agit alicuius participatione, sed per essentiam: ergo est totus actus, ac proinde purus actus sine potentialitate, alias pateretur aliquid Deus, & esset passibilis, & corruptibilis; quia vnumquodque sicut natum est agere in quantum est actu, ita natum est pati in quantum est impotentia, seu habet potentialitatem; nam motus est actus entis in potentia secundum quod in potentia est: sed Deus per vos est impotentia: ergo patitur, & passibilis est: sed Deus est omnino impassibilis: ergo nullo modo habet potentialitatem: sed est purus, quia hoc habet ex eo, quod sit purum ens, vt his verbis probat Diuus Thomas: [quamuis id quod quandoque est in potentia, quandoque actus prius sit tempore in potentia, quam in actu, tamen simpliciter actus est prior potentia, quia potentia non educit se in actum, sed oportet quod educatur in actum per aliquid, quod sit actu. Omne igitur, quod est aliquo modo in potentia, habet aliquid prius se; Deus autem est primum ens, & prima causa, vt ex supradictis patet; non igitur habet in se aliquid potentiæ admistum, videmus aliquid esse in mundo, quod exit de potentia in actum, non autem educit se de potentia in actum, quia quod est potentia, nondum est; vnde nec agere potest: ergo oportet esse aliquid aliud prius, quo educatur de potentia in actum; & iterum, si hoc est exiens de potentia in actum, oportet ante hoc aliquid aliud poni, quo reducatur in actum, hoc autem in infinitum procedere non potest: ergo oportet deuenire ad aliquid, quod est tantum actu, & nullo modo in potentia, & hoc dicimus Deum.]

14 Tandem quoniam nihil est potentia respectu eorum à quibus impossibile est, vt actuetur, vel respectu eorum, quæ includit in essentia: sed Deus includit in sua essentia perfectiones omnes simpliciter: ergo impossibile est, vt actuetur ab vlla forma habente annexam imperfectionem, aut ab alia quacumque perfectione: ergo nullo modo est impotentia. Maior propositio quoad posteriorem partem est euidens, nam impossibilitas tollit possibilitatem, & consequenter potentiam, quæ nequit esse sine illa; quoad primam vero ostenditur, quia semper in actu misto ratio actus præcedit rationem potentiæ, hæc enim in illo fundatur: at nulla res præcedit ea ex quibus essentialiter constituitur: ideoque respectu ipsorum non est potentia. Respondeti potest, & si nihil sit potentia ad ea, quæ essentialiter includit, fieri tamen posse vt eadem inter se habeant rationem actus, & potentiæ: nam homo essentialiter includit corpus, & animam ad quæ non est in potentia: & tamen corpus est in potentia respectu animæ, quod sufficit vt homo non sit actus purus etiam secundum essentialia: & ita non recte colligi Deum esse actum purum ex eo quod essentialiter includat omnem perfectionem simpliciter. Verum solutio non est adæquata, nam si perfectiones simpliciter & essentialiter inclusæ in essentia diuina essent instar earum, quæ includuntur in creata cum distinctione, dependentia & causalitate, qualis reperitur inter materiam, & formam, tunc ex inclusione essentiali minime sequeretur ratio actus puri; at quando nulla est distinctio, dependentia, & causalitas, vt reuera non est in diuinis, ex inclusione recte sequitur pura actualitas; & confirmatur, quoniam rationes essentiales coëuntes in vnum præcedunt ipsum, & consequenter si inter se habent rationem potentiæ, & actus ad existentiam constituti ex illis, necesse est vt præcedat causa actiua, quæ passiuam reducat ad actum: impossibile est autem, vt ante Deum sit vlla potentia actiua: ergo repugnat rationes eius essentiales habere mutuo rationem actus, & potentiæ. Tertio ens primum non potest vllo modo habere vllam potentialitatem: Deus est ens primum: ergo expers potentialitatis. Maior propositio patet, quoniam inter actum, & potentiam, est ordo prioris, ac posterioris, ita vt respectu eiusdem sit prior potentia, quam actus, vt docet Philosophus *libr. prim. de Cœlo, text.* 132. prius enim est potentia ad esse quam esse: nam prius est vita in potentia in semine, quam sit actu in planta, absolute vero sit prior actus, quam potentia; nam hæc dicit ordinem essentialem ad potentiam actiuam, à quo existente actu reducantur ad actum: & ita ante ipsum semen præcessit aliquid actu viuens, à quo decisum est: ex quibus sequitur id quod aliquomodo est in potentia, vel includit potentiam, non esse primum ens, nam si est in potentia, præcedat oportet aliud ens actu, à quo reducatur de potentia ad actum: si includit potentiam, cum ea supponat aliud ens actu, & sit prior includente, fieri nequit vt hoc sit primum ens.

Hoc ipsum constat discurrendo per singula genera, & modos potentiæ passiuæ, non enim in 15
Deo est potentia obiectiua, quoniam non potest non esse: non realis, quoniam non admittit priuationem propriè dictam, quæ necessario illam comitatur; non obedientialis, quoniam non est vlla causa superior, cui subordinetur: non naturalis, quoniam est perfectus in omnibus sibi debitis ex natura; non supernaturalis, quoniam ipse est summa essentia, ac natura, supra quam nihil est, ad quod possit eleuari: non Physica, quoniam est spiritualis, & incapax formæ Phy-

sicæ ; non Metaphysica , quoniam est ipsum esse per essentiam , & consequenter non est actu per vllam formam à se distinctam : sed totum , quod est à se ipso , & seipso formaliter est , vt superius ostendi : nihil autem quod est potentia , est à se ipso, vel seipso formaliter , sed vel causaliter , & formaliter simul ab alio,sicut aqua est calida causaliter ab igne formaliter , à calore : vel saltem causaliter ab alio,vt existentia creaturæ à Deo.Ex quo patet Deum non solum esse simpliciter actu, & nullo modo in potentia : sed esse ipsummet actum purum ac sincerum ab omni etiam minimæ potentialitatis labe immunem.

Denique , vt supra ostendi , Deus est ipsum, esse per essentiam , ipsi vero esse nihil admisceri potest : Ergo Deus est actus absque vlla permistione potentiæ. Assumptio asseritur à Boëtio, *lib. de hebdom.* vbi quamvis concedat ipsum quod est posse habere aliquid admistum , negat tamen ipsi esse posse aliquid aliud admisceri. Ratio vero est , quoniam ipsum esse est vltima actualitas, quæ formari , aut perfici amplius nequit vlla nota actualitate : Quemadmodum enim differentiæ vltimæ non admittunt additamentum in eodem genere : & ideo species specialissimæ diuidi vlterius nequeunt in alias species , ita etiam vltima actualitas actuari amplius nequit, & in hoc consistit præcipuum discrimem inter Deum & creaturas quoad rationem actus puri : vt enim rectè docet D. Thomas *quæst. vn. de spirituali creatura,articul.* 1. nulla forma , aut natura creata , quantumcumque spiritualis , & simplex , eo peruenit , vt sit suum esse : & ideo, quamvis non sit in potentia passiua ad alias formas à se distinctas , necessario est in potentia ad proprium esse cum quo non necessario coniuncta est : quapropter non est purus actus : Deus autem non solum non est in potentia ad vllam formam secundum quam sit, sed nec ad ipsum esse : hoc enim est de eius essentia, non solum quatenus subsistantia est , sed quatenus est sapientia , iustitia , & denique omnia quæcumque est : non enim in eo est aliud subsistens, & forma qua subsistit , nec aliud forma , & esse per formam , sed est ipsum actuale esse omnium perfectionum simpliciter ; & hoc intelligunt Doctores , cum Deum vocant actum purum.

16 Hoc docet expresse Augustinus *lib.* 15. *de Trinitate,cap.* 16. ibi : [ sed forma neque in formis, neque formata ipsa ibi æterna est , incommutabilisque substantia ] , & de verbis Domini in Euangelium secundum Ioannem *Sermone* 38. vbi sic ait : [ est enim forma quædam non formata , sed forma omnium formatorum forma incommutabilis sine lapsu , sine defectu ; ] in quibus verbis tres proprietates assignat Deo prima est vt sit forma, non formata , & ideo docuit ipse Diuus Augustinus *libro de speculo* , *cap.* 21. Deum esse formã carentem alia forma, ibi: tua diuina substantia semper forma carens alia forma , & carens materia ] ;Vnde Rupertus *lib.* 1. *in Exodum,cap.* 14. hæc profert : [ Dei substantia forma simplex est sine vlla materia , ac pro nde est , quod est ] secunda proprietas , vt non sit formabilis , tertia vt sit omnium formarum forma , quæ opponuntur tribus imperfectionibus formarum creatarum.

17 Etenim vt bene notat Diuus Bonauentura, *in* 2. *distinct.* 2. *qua.* 6. *ad pen.* licet omnis forma , ac perfectio secundum quod forma est præcisè formari nequeat , non enim anima rationalis in ratione rationalis formari potest per aliam formam, neque sapientia quatenus sapientia formabilis est ab alia forma , quod indicat Boë. *lib.* 1. *de Trinitat.* asserens formas non posse esse subiecta , tamen quatenus habet in se aliquam informitatem & imperfectionem , perfici adhuc , & formari potest : omnis autem forma creata considerata secundum suam præcisè rationem , vt ait Auerr. *lib. de anima* infra citando, habet aliquam informitatem , & ita est formata & formabilis,quædam enim sunt formatæ , quandoquidem in suo genere non sunt vltimæ , atque completæ : qua ratione in sententia eorum, qui concedunt in eodem composito Physico plures formas , forma corporeitatis se habet ad animam vrgentiuam , & hæc adsentiuam & rationalem , formantur enim priores per posteriores : & natura generis , quæ est forma Metaphysica,& vniuersalis, formatur per differentias contrahentes quæ sunt formæ magis particulares. Hanc imperfectionem remouet Augustin. à Deo cum ait forma non formata , & hoc ipso excluditur à Deo ratio incompleti , & imperfecti, quæ semper est coniuncta cum formis formatis.

Aliæ vero creatæ formæ , licet non sint substantialiter formatæ , quia in genere formæ substantialis sunt vltimæ , & completæ : vt se habet anima hominis , & Angelus, non enim formari substantialiter possunt , tamen formabiles accidentaliter per accessum perfectionum accidentalium supplentium finitudinem perfectionis substantialis : Deus autem non est formabilis, quoniam non caret vlla perfectione, ideoque nequit ex informi reddi formatus , esset enim motui subiectus : vtramque rationem attigit Augustinus illis verbis , forma incommutabilis, ne lapsu , sine defectu , quia præhabet omnem rationem perfectam formæ propter quod dixit Auerr. *lib.* 12. *Metaphysic. comment.* 24. formam primi mouentis esse quodam modo omnem formam incommutabilis & sine lapsu, quia non potest in ipsa fieri transitus à priuatione ad habitum ; vel è contra ideoque recte dixit Auerr. *lib. text. de anima* , *comment. quint.* nullam reperiri formam abstractam , quæ sit simpliciter , & penitus expers alicuius potentiæ præter primam formam.Quæ omnia expressit Boëtius *lib.* 1. *de Trinitate* , cum Deum appellauit formam sine materia intellige potentialitate extrinseca , vel intrinseca : extrinseca in qua sit; intrinseca , ex qua sit, quoniam neque est forma informans , neque formata , aut formabilis, quod optime explicauit Gilbertus ad eum locum his verbis. [ Reuera diuina substantia , est forma sine materia , nam neque ἀρχή , tanquam principium sui & materiam in qua eam esse necesse sit habere potest , οὐσία , Principij , neque sic inest principio idest Deo , vt posterioris rationis naturas aliquas , vel se componentes , vel sibi adiacentes habeat in illo ; ex quibus ipse sit, & quarum ex causa prioris , ad cuius pertineant potestatem materia esse possit.

Denique formæ omnes creatæ saltem extrinsecus formantur ab exemplari diuino , & accipiunt esse à forma Dei , non quidem actuante se instar sigilli omnibus propriam rationem imprimentis , vt ait Augustinus , *lib. de speculo, cap.* 21. & ea de causa eam vocat formam omnium rerum , & *lib.* 2. *de libero arbitrio.cap.* 17. ait : [ Conficitur itaque , vt & corpus & animus , forma quadam incommutabili , & sem-

per

per manente formetur ] ; quam mox explicat esse Deum. Itaque diuinitas cum omnia formet ipsa à nulla alia forma intrinsecus , aut extrinsecus formatur , & idcirco est forma omnium perfectissima , & absolutissima habens esse in omnimoda actualitate , & complerione , vt ait Diuus Bonauentura *in 2. distinct. 12. art. 1. q. 1. ad penultimum* , his enim omnibus Diuus Augustinus sine dubio conuincit Deum esse actum purum , segregatum ab omnipotentialitate , nam cum forma sit actus , vt ait Philosophus , *lib. 9. metaph. text.* 17. docendo Deum esse formam non informantem, neque formabilem sine dubio asserit esse actum completum sine vlla potentialitate , aut passiua , aut partialis formæ , nam licet forma informans non sit in potentia ad aliud esse formæ partialis , est tamen quodammodo in potentia ad esse formale totius quod est perfectius ipso esse cuiusvis partis : Qua de causa Philosophus , *lib. 2. Physicorum, text. 31.* & alibi dixit partes habere rationem materiæ respectu totius , hoc vero respectu illarum habere rationem formæ , & ita forma informans , quæ est forma partis , nunquam est in vltima actualitate : Atque adeo non est actus purus , quia habet rationem potentiæ , namque , vt docet Auerreos , vbi proxime omnia illa , quæ interiacent inter primam materiam , siue subiectum , & actum vltimum sunt mista ex potentia , & actu : ergo si Deus est forma non informans , erit actus non actuans intrinsece ac proinde expellens potentialitatem formæ partialis actuantis.

18 Per illam autem particulam [ neque formalis , aut informis ] & formata excluditur à Deo potentialitas passiua , quoniam quamvis forma non sit informans , sed subsistens ; si tamen sit adhuc formabilis per aliam formam , non est actus purus ; quidquid enim formabile est , aut informe , aut formatum habet informitatem , & potentiam ad esse accipiendum à forma, qua formabile est : omnis enim forma dat esse vt constat , ideoque quod est formabile , aut informe est in potentia ad esse formale , qui est effectus formæ atque adeo non est actus purus : sed Deus est forma non informans, neque formabilis, neque formata , neque informis : ergo est actus non actuans , neque actuabilis , neque actuatus: ergo est actus purissimus sine vlla potentialitate, ac proinde infinitus , nullisque terminis potentialitatis circumscriptus.

19 Vltimo confirmatur hæc veritas ex modo loquendi Patrum , & Conciliorum , nam quotiescumque loquuntur de Deo nomine abstracto loquuntur , ac proinde sæpissime asserunt in Deo idem esse habere aliquam perfectionem , & esse illam : vel non esse aliud habens , & aliud, quod habetur,& ideo dicunt vere , & propriè dici: [ Deitas est deus , & deus est deitas ] , vt videre est apud Bernardum *Sermone*, 80. *in Cant.* Fulgentium *responsione 2. ad Ferrandum Diaconum* : vndè definitum est in Concilio Rhemensi , *Can.* 1. quod refert Otho. Episcopus Frisingensis *lib.* 1. *de rebus gestis*, Friderici primi Imperatoris, *c.* 57.

20 Nam forma , quæ non est actus purus non subsistens, non est idem cum habente ipsam ; proterea enim dixit Philosophus *lib. 9. met. text.* 12. quod homo est albus , non albedo , quoniam subiectum subsistens sub forma est aliud ab ipsa: & ideo semper in his est falsa prædicatio abstracti de concreto ; contra vero , quia forma diuina non est concreta cum materia, neque cum vlla potentialitate, in deo idem est habens, & habitum, & propterea vt bene notat Diuus Thomas, *quæst. 2. de potentia, art. 1. & prima parte, quæst. 40. art. 1. ad primum* , in Deo vere prædicantur abstracta de concretis , & concreta de abstractis , & ideo ait Chrysostomus, [ Deus ita est iustus , vt sit pura iustitia , ita est sapiens, vt sit pura sapientia, ita est bonus vt sit ipsa bonitas , & ita est actus, seu forma , vt sit purus actus, & pura forma. ] Vnde Diuus Augustinus *lib. 11. de Ciuitate, cap.* 10. Et *sententia* 366. quæ decerpta est *ex tract.* 99. *in Ioann.* quæ sic habet : [ diuina substantia id quod habet , est : & per hoc non sic habet scientiam, vt aliud sit scientia qua sit aliud essentia , qua est : ] eodem modo loquitur , *lib. 15. de Trinitate, cap.* 17. D. Hilar. *lib. 8. de Trinitate , intermedium*, Iust. *responsi.* 144. *ad Orthod.* Greg. *lib. 16. moral. cap.* 20. super illa verba : [ Qui autem non nouerunt eum , ignorant dies illius ] , & *lib.* 18. *cap.* 27. super illa : [ Non commemorabuntur], & D. Bernard. *lib. 5. de consideratione , cap.* 7. & *serm.* 80. *in Cantic.* Hugo Victor. *lib. de sacr. p. text. cap.* 27. Diuus Prosper, *lib. contra collatorem , post medium* : [ virtus ( inquiens ) principaliter Deus est, cui non aliud est habere virtutem, quam esse virtutem] , idem docet Richardus de Sancto Victor. *lib. 3. de Trinitate, cap.* 22. & Marius Victor *lib. 1. aduers. Arium, inter principium & medium*, vbi docet ipsum habet, cum Deo dicitur , secundùm intellectum accipi debere , quoniam non habet , sed ipsum est quidquid habere dicitur.

Quod adeò verum est, vt si proprie loquendum sit , non dici debeat Deus habere virtutem , aut sapientiam : quoniam hic loquendi modus indicat Deum non esse ipsam virtutem , aut sapientiam subsistentem , sed esse sapientem , aut bonum participatione virtutis , aut bonitatis à se distinctæ , & ita æque improprie dictum putat idem Richardus *lib. secund. de Trinitat. cap.* 13. ac si dicamus Alexandrum habere hominem , sic enim ait : [ dicimus item ipsum hominem , dicimus nihilominus Deum sapientiam habere , & videtur enunciatio æquiuoca esse, sed de Deo non dicitur , nisi abusiue , nec minor abusio videtur , quam Abraham non homo esse , sed hominem habere diceretur , ] concinit Anselmus , *in monolog. cap. decimoquinto*, quo loco [ quoniam ( inquit ) summa natura non propriè dicitur iusta , quia habet iustitiam , sed existit iustitia , cùm dicitur iusta , proprie intelligitur existens iustitia , non autem habens iustitiam ],& ideo Ioannes Cyparisiota , notauit *decad 10. cap. 7. in fine* , non putandum in natura diuina aliud esse cognitionem , aliud caritatem & cætera , quia illa habere dicitur : sed potius esse ipsam substantiam , & existentiam : quæ cum illa omnia sit ea vt se ipsam habet. Ex hoc Patrum dogmate sic probatur intentum, Omne subiectum cui vere conuenit perfectio ab ipso ex natura rei distincta , per quam formatur atque perficitur , potest vere, ac proprie dici habens illam , & illa habita , & non esse idem habere , & esse , sed distinguit : nam subiectum dicitur habere , forma autem dicitur esse : exempli causa , homo dicitur habere animam , non vero esse ; ipsa vero anima est , non habet : corpus dicitur habere , non tamen esse figura : figura vero est , non habet se. De mente vero Patrum in Deo non aliud est habere , ac esse : imo potius non vere dicitur habere , sed esse : ergo est forma non formata.

## QVÆSTIO IV.

*Vtrum Deus sit spiritualis, viuens, omnipotens, immensus, &c.*

### SECTIO I.

*Conclusio ponitur.*

1 DEVS est spiritualis, ac proinde omnino incorporeus, & immaterialis. Hanc veritatem Philosophi Gentiles lumine naturali comparauerunt, vnde Marcus Tullius *in Tusculanis*, hæc aurea verba profert: [nec vero Deus ipse qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest nisi mens soluta quædam, & libera, segregataque ab omni concretione mortali, omnia sentiens, & mouens, ipsaque prædita motu sempiterno.] Quid clarius? & Seneca *lib. de vita beata*, cum Deum definisset esse totum, quod vides & quod non vides ait: [est scilicet quasi mundus, sed mundus inuisibilis, mundus sapientiæ scientiæ, rationis, consilij, prudentiæ, bonitatis, vniuersitas incomprehensibilis, animi vastitas, nihil illic non animus, non ratio, tam vnicus quam magnus, immensitas vniformis: non corporis autem, non elementi, non ignis, aquæ vel aëris immensitas, sed sapientiæ, rationis, consilij, bonitatis.]

Quod idem Seneca annuit *lib. de Consol.* [Quocumque (ait) nos mouerimus sequetur natura cõmunis, & propria virtute id actum est, mihi crede, ab illo qui sic formator vniuersi fuit: siue ille Deus est potẽs omnium, siue incorporalis ratio, ingenium operum artifex: siue diuinus spiritus, per omnia maxima, & minima æquali intentione diffusus.] Ac tandem vt modum insinuet quo Deus incorporeus est: [ab illo (inquit) formatore nos descendimus; ipse quidem inuisibilis regnans, imperansque in mundo, & vbique præsens licet inuisibilis, quemadmodum animus in corpore;] vides Deum incorporeum tum à Seneca, tum à Tullio affirmari, nec propterea non esse Deum, quia incorporeus sit, & à corporum materia solutus: sed potius hac ratione illius existentiam probari, quod cum rerum omnium corporearum autho ac opifex sit, iis nobiliori cum natura præstare deceat. Id disertissime confirmat Plutarchus *lib. de Principe*, vbi ita Deum incorporeum ac immaterialem asseuerat: vt verisimile quidem esse dicat, aut conueniens, corpus, aut sensus Deo tribuere [neque enim (ait) verisimile est, neque decorum, Deum mixtum esse cum materia cuncta patiente, necessitatesque, & fortunas, mutationesque innumerabiles recipiente: sed nobis desuper defixus, stabilisque ea natura, quæ semper eodem modo permanet,] & post pauca ait: [Deus fundamentis sanctitatis subnixus per omnem naturam inambulat, non quasi materia mixtus: sed in excelso Throno Diuinitatis suæ, mirabili modo regnans in cœlo, & per omnia diffusus: velut sol flammis terrarum omnia opera lustrans.

Quapropter Mercurius Trismegistus Philosophorum pater *in Pimandro*, Deum à corporum omnino natura arcet. [Sanctus Deus (inquit) qui solo verbo cuncta fecisti: Sanctus, cuius omnis natura fuit imago: Sanctus es, quẽ non firmauit natura, nimirum, cuius firmior manus quã non natura est,] id vero luculentissimis verbis docet *in Asclepio*: [Quid igitur (inquit) est incorporeum? mens, & verbum, quæ se ipsam ex vniuerso ab omni corpore liberã sustinet, & continet: inenarrabilis, impassibilis à corpore, & intangibilis. Ipsa seipsa stans capax omnium sejunctrix rerum: cuius radij sunt bonitas, veritas, lux exemplaris, exemplar anima:] hæc Trismegistus, cui etiam Asclepius ipse vetustissimus Philosophus adstipulatur ad Ammonem Regem scribens, vbi profunde multa de Deo Philosophatur: eundem præsertim spiritum indefatigabilem nominans, [nimirũ (ait indefatigabilis spiritus est Deus, semper, & eodem modo habens suã scientiam perennis fœlicitate operationibus eisdem vtens ad omne tempus: supremus omnium Rex, bonus Deus.] Principio quidem eum spiritum esse definit, vt incorporeum illum esse demonstret: tum indefatigabilem, quod recentiores Philosophi dicerent virtutis infinitæ, aut facultatis inexhaustæ.

Idem plane sentit Empedocles, qui Deum spheram non corpoream, sed intellectualem vocat, cuius centrum vbique est, circunferentia vero nusquam: perinde ac si illum incorporeum omnibus rebus præsentissimum, æternum, ac incomprehensibilem diceret. Thales etiam Milesius (Tullio teste) Deum esse mentem dixit, quæ ex aquis cuncta produxit, ac forte id ex Moyse decerpsit, qui *Gen. 1.* ait [spiritus Domini ferebatur super aquas;] vel, vt alij vertunt [fouebat aquas;] vt ex iis rerum formas educeret, aquarum enim nomine primam materiam insinuat: quem secuutus Anaxagoras, & ipse Deum mentem appellat, quæ omnium causa extiterit. Nos imitatus Virgilius, inde eum, & spiritum & mentem esse canit.

*Spiritus intus alit, totoque infusa per artus,*
*Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Iis accedant quotquot Deum vnitatem summam esse dixerunt: inter quos sunt Empedocles, Parmenides, Melissus, Pythagoras: nam hi quidem corpus appellant multa, qualitatem multa & vnum: Animam vnum & multa, Angelum vnũ & multa: Deum denique vnum, ac vnitatem summam: vt eum ab omni prorsus corporis numero, ac compositione liberum ostendant.

Demum Epictetus Stoicus cum Deum summam esse bonitatem, atque ipsam boni substantiam doceat: ipsum nec sensibus, nec carne, neque corpore constare posse affirmat; [veri igitur simile vbi substantia Dei, illic esse substantiam bonitatis. Quæ igitur est substantia Dei? caro? absit; Ager? absit; Mens, scientia, recta ratio: hic igitur simpliciter quære substantiam boni;] illum autem Altissimam hanc naturæ diuinæ Theologiam à Mercurio hausisse existimandum est, qui diuinitatem non carnem, non corpus, neque aliquid huiusmodi esse asserebat: sed mentem, sapientiam, scientiam, rectam rationem nominabat.

SVBSE

## SVBSECTIO I.

*Authoritate Sanctorum Patrum probatur hæc veritas.*

4 ORigenes *lib. 1. de principiis*, ita de Dei natura scribit: [ non corpus aliquod, aut in corpore putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino adiunctionis admittens, ] Sanctus Cyrillus Alexandrinus *libro 1. thesauri, c. 7.* sic ait: [ Non compositus, sed simplex Deus est, non corporeus sed intellectualis natura Deitatis; ] idemque Cyrillus ad Calosyrium agens de Deo hæc verba profert: [ Deus est corporis expers, quod & Saluator ipse dixit inquiens Deus Spiritus est, non itaque corporeus si spiritus est: neque formam corporis præsefert: quod enim corpore præditum non est, forma etiam careat necesse est: neque quantitas, aut figura in Deum cadit. ] Item Athanasius *in Decretis Synodi Nisenæ contra Arium*, ibi: [ homo ex materia, eaque patibili creatus est; Deus contra immateriatus, & incorporeus existit, ] præterea Gregorius Nazianzenus *de fide*: [ Quæ est substantia Dei (inquit) nisi ipsum, quod Deus? simplex, singulare, purum, nulla concretione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum, totum, ] & *oratione 2. de Theologia*, ait, [ Deum non esse corpus ne alioqui compositio admittatur. ] Sanctus Bernardus *libro 5. de consideratione colum. 7.* tam simplex Deus incorporeus quam vnus est, & *serm. 80. in Cantica*, [ sola (inquit) summa & increata natura hanc sibi vendicat meram, puram ab omni corpore singularemque suæ naturæ simplicitatem; ] idem docet Sanctus Anselmus, *in monologio, cap. 16.* Sanctus Augustinus, *libro 9. de Trinitate, cap. 6.* vbi egregie hanc spiritualitatem declarat idem ipsum confirmant Elias Cretensis, *in oratione 3. Nazianzeni.* Ruffinus *in explicatione Symboli.*

*Authoritate Scripturæ probatur hæc veritas.*

5 Et primo patet hoc ex verbis Christi Domini *Ioannis 4.* ibi, [ Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in spiritu, & veritate oportet adorare, ] cui etiam consonat illud Pauli *2. ad Corinth. 3.* Dominus autem spiritus est, vbi autem Spiritus Domini ibi libertas; ] at constat spiritum à corporum natura solutum esse, vt testatur Christus ibidem apud Ioannem: [ Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere: ] ergo Deus, qui spiritus est minime corporeus est, quod amplius manifeste patet ex illis verbis Isaiæ *cap. 40.* [ Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? nunquid sculptile conflauit Faber, aut Aurifex auro figurauit illud, & laminis argenteis argentarius? forte lignum, & imputribile elegit artifex sapiens, quærit quomodo statuat simulachrum quod non moueatur: Numquid non scitis? nunquid non audistis? nunquid non annunciatum est vobis ab initio? ] Planè hæc tanta Prophetæ verborum inculcatio grauissima causa non vacat: nam si Deus corporeus esset, cur auro, vel argento, aut ligno, aut lapide effigiari non posset? quid reprehensione, aut animaduersione dignum esset, si vt corporeus est, corporeum illi simulachrum erigeretur? At iis Propheta Deum omnino formæ expertem esse declarare voluit, ac propterea nulla posse diuinam naturam arte effingi, vt corporea esse existimetur; cui optime consonant verba Pauli *Actor. 17.* cum ait: [ Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis, & cogitationis hominis diuinum esse simile; ] siquidem perspicuum est ea arte tantummodo referri posse, quæ corporea sunt, cum vero, diuina natura nullo artis simulachro exhiberi possit, liquido constat incorpoream esse.

At idem Paulus Deum vocat inuisibilem *1. Tim. 6.* Regi sæculorum (ait) immortali, & inuisibili, soli Deo honor, & gloria: ] At quomodo Deus inuisibilis à Paulo diceretur, si corpore constaret, quod suapte natura visibile est? 6

Præterea vera fides, sacris literis innixa Deum infinitum esse docet: ait enim Dauid *Psalm. 47.* [ Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudini eius non est finis; ] Quod autem infinitum est, nullis potest terminis concludi, nec consequenter figura constare cum figura certus terminis necessario constet. Quod si Deus corporeus est, & figuram, & membra, & partes gerit: certe infinitus esse non potest, cum certis limitibus includatur. Cum vero id fidei, ac Scripturis repugnet, sine liquet non corporeum, sed incorporeum esse. 7

Deum insuper totum vbique esse, & vbique diffundi sacræ literæ constanter prædicant, Dauid *Psalm. 138.* [ Quo ibo à spiritu tuo, aut quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum, ades, &c. ] & *Ierem. 23.* [ Putasne Deus de vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longe? si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum? nunquid non cœlum, & terram ego impleo? ] At si corporeus est, & membra vt homo habet, sequitur plane quod non sit vbique totus, cum corpus vbique diffundi non possit. 8

Rursus qui Deum corporeum esse affirmant compositionem in Deo coguntur fateri: neque enim vllum corpus dari potest, quod sit compositionis expers, atque ita fieret, vt hæc omnia, quæ in Deo sunt, infinitam perfectionem attingerent, quælibet enim illarum partium, ex quibus componeretur minor esset suo toto, & consequenter non æque, ac totum perfecta esset: cum vero quod est infinito minus, proculdubio finitum sit: partes illæ seorsim acceptæ, non essent infinitæ perfectionis, sed finitæ: atque inde tandem sequi necesse esset, vt cum totum nihil sit extra partes, si partes quibus Deus componitur finitæ sint, totum ipsum finitum esse oporteat: quod tum Scripturæ, tum fides omnino exhorret. 9

Ad hoc etiam illud commodum sequitur. Quod cum Deum immortalem sacræ literæ asserant, vt patet *1. ad Timoth. 6.* [ Rex regum & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem. ] Dauid *Psalm. 101.* [ Tu autem, idem ipse es, & anni tui non deficient, & tu autem Domine in æternum permanes. ] Quod si compositus esset Deus, is vt ait Damascenus *lib. 1. Orthod. fid. c. 4.* dissolutioni obnoxius esset: [ Quoniam porro modo (inquit) passionis expers erit, quod ex elementis conflatur, atque in eadem rursus dilabitur? ] compositio, quidem pugnæ origo est, pugna dissid.j, dissidium solutionis, ac interitus. Interius autem à Deo procul arcendus est, & ideo Didymus *libro 2. de Spiritu sancto, ad medium*: [ Deus simplex incompositæ spiritualisque naturæ, neque organa habet, neque partibus componitur. ] 10

nitur.] Bern. *lib. 5. de consider. ad Eugenium*, Chrysost. *hom. 38. in acta.* Greg. Naz. *oratione 34.*

11 Secundo applicari possunt loca, in quibus tertia persona Trinitatis dicitur Spiritus Sanctus, cum personæ eiusdem naturæ sunt æquales, si vna persona est spiritus tres personæ spiritus esse debent. Quod autem tertia persona dicatur Spiritus sanctus, patet. Tertio, loca in quibus Deus dicitur inuisibilis, manifeste hanc etiam veritatem conuincunt, quæ cuique facile occurrent, accedit ad hoc D. Thom. *lib. 1. contra Gentes, cap. 20.* vbi sic ait & probat hanc veritatem: [Ex prædictis autem ostenditur quod deus non est corpus, omne enim corpus cum sit continuum compositum est, & partes habens: deus autem non est compositus, vt ostensum est, igitur corpus non est. Secundo probatur, omne quantum est aliquomodo in potentia; nam continuum est potentia diuisibile in infinitum, numerus autem in infinitum est augmentabilis; omne autem corpus est quantum: ergo omne corpus est in potentia; deus autem non est in potentia, sed actus purus, vt ostensum est: ergo deus non est corpus. Adhuc si deus est corpus, oportet quod sit aliquod corpus naturale, nam corpus mathematicum non est per se existens, vt Phylos. probat, eo quod dimensiones accidentia sunt, non autem est corpus naturale, cum sit immobilis, vt ostensum est, omne autem corpus naturale mobile est; deus igitur non est corpus. Amplius, omne corpus finitum est, quod tam de corpore circulari quam de recto probatur in 1. cœli, & mundi, quodlibet autem corpus finitum intellectu, & imaginatione transcendere possumus. Si igitur deus est corpus, intellectus, & imaginatio nostra aliquid maius deo cogitare possunt, & sic Deus non est maior intellectu nostro, quod est inconueniens, non est igitur corpus: adhuc cognitio intellectiua certior est, quam sensitiua; inuenitur autem aliquod obiectum sensus in rerum natura: ergo & intellectus, sed secundum ordinem obiectorum est ordo potentiarum, sicut, & distinctio: ergo super omnia sensibilia est aliquid intelligibile in rerum natura existens, omne autem corpus in rebus existens est sensibile; igitur super omnia corpora est aliquid accipere nobilius: si igitur deus est corpus, non erit primum, & maximum ens.

Præterea, quolibet corpore non viuente res viuens est nobilior, quolibet autem corpore viuente sua vita est nobilior, cum per hoc habeat supra alia corpora nobilitatem; id ergo quo nihil est nobilius, corpus non est, hoc autem est Deus: ergo non est corpus. Item inueniuntur rationes Philosophorum ad idem ostendendum, procedentes ex æternitate motus, in hunc mundum: in omni motu sempiterno, oportet quod primum mouens non moueatur, neque per se, neque per accidens, (sicut ex supradictis patet.) Corpus autem cœli mouetur circulariter motu sempiterno: ergo primus motor eius non mouetur, neque per se, neque per accidens, nullum autem corpus mouet localiter nisi moueatur, eo quod oportet motum, & mouens esse simul, & sic corpus mouens moueri oportet, ad hoc quod sit simul cum corpore moto. Nulla etiam virtus in corpore mouet, nisi per accidens moueatur, quia moto corpore mouetur per accidens virtus corporis: ergo primus motor cœli non est corpus, neque virtus in corpore, hoc autem ad quod vltimo reducitur motus cœli sicut ad primum mouens immobile, est Deus, Deus igitur non est corpus.

12 Dices, scriptura sæpe Deo tribuit corporis humani membra, igitur corporeus est. At cur potius non inferunt: ergo homo est? sane ineptam esse huiusmodi argumentationem oratio ipsa declarat. Nam si puræ scripturarum literæ standum est, cum plerumque scriptura Deum leonem appellet, plerumque lapidem, interdum vermẽ, sæpe ignem, vitem &c. cur non etiam Deum leoninæ naturæ, aut lapideæ, demum aut vermem, aut ignem, aut vitem esse, cum id sacræ literæ tradant, non existimant? ea sane ratio est, quia, vt Paulus ait, [litera occidit, spiritus autem viuificat;] in his ergo non litera, sed spiritus quærendus est. Plerumque namque scriptura sub literæ cortice abscondit, in quibus latentia mysteria, potius quam ipsam literam nobis contemplanda offert. Nam quis Deum aut fluuium, aut fontem, aut petram, aut ouem, aut id genus aliqua, quo scriptura Deo tribuit, absque summa impietate, ac ingenti blasphemia esse iuxta literam sentiat? Quapropter in iis res non iuxta primam, ac exteriorem literæ significationem accipienda est: sed quid res ipsa per literam significata altius in animo pariat, inspiciendum est: quod in omnibus metaphysicis loquutionibus contingit.

Quæ cum ita sint, plane constat quandocumque 13
scriptura membra Deo tribuit, vt puta caput, oculos, linguam, aures, manus, brachia, pedes, &c. illa non iuxta literam, sed metaphorice exponẽda esse: atque in iis non literæ corticem, sed latentem sub litera spiritum ac mysterium perpendi oportere. Atque in eo plurimi ex antiquis Patribus maxime eleborauerunt, vt membra illa quæ Deo attribuuntur, non ei ineffe naturaliter, sed tantummodo secundum quandam loquendi formam ostenderent. Hac de causa Hieronymus libellum quendam scripsit de membris Domini: vbi inter alia hæc habet: [Vbicunque sacra scriptura sparsim per libros diuinos, in Deo motus animæ, seu humana mẽbra describit, id est, caput, oculos palpebras, aures, os, labia, linguã, &c. Item motus animæ, iram, furorẽ, obliuionẽ, pœnitentiam, recordationẽ, &c. non carnaliter iuxta historiam à recte intelligentibus accipienda sunt, sicut à Iudæis, ac plerumq; hæreticis carnaliter sapientibus, qui Deũ corporeum, atq; localẽ opinantur: sed spiritualiter omnia de eo intelligenda sunt, & confitenda:] Atq; hanc Diui Hieronymi sententiã amplectuntur Io. Chrys. *hom. 12. in Gen.* Alex. Cyrillus *lib. 5. cont. Iul.* Greg. Naz. *orat. 13.* His vero prior Philo Iudæus eandem explicauerat, tum *in lib. Quod Deus sit immutabilis*, tum *in lib. de sacrificio Abelis, & Cain.* vbi inter alia hæc habet; [itaque nec illa quidem, quæ insunt hominibus, de Deo dicuntur proprie, sed per quendã abusum nominum, quo infirmitati nostræ succurritur. Quamobrem aufer (ô anima) quicquid est genitum mortale, mutabile, profanum, quando de Deo ingenito, corruptibili sanctoque solo beato cogitas.

His suffragatur, quæ scribit Ioan. Cassinus *Lib. 8. Inst. c. 4.* [Itaque (inquit) vt hæc quæ Deo caput, nares, aures, obliuionẽ, tribuunt, secundum literã non absq; nefando sacrilegio possunt intelligi super eo, qui inuisibilis, ineffabilis incõprehensibilis, inæstimabilis, simplex, & incõpositus Sanctarũ Scripturarũ authoritate definitur, ita ne furoris quidẽ, & iræ perturbatio illi inde mutabili naturæ sine ingẽte blasphemia poterit coaptari. Nam huiusmodi significatione membrorũ diuinas efficientias Dei, & immensas operationes eius sentire debemus; quæ nobis nisi per hæc vsitata membrorum vocabula nequeunt intimari] Præter hos Ioann. Damascenus *libro 1. Orthod. fid. capite 14.* omnia Deo attributa membra mystice exponit. Quod etiam

etiam D. Anselm. libello, que inscripsit, de expositione membrorum Dei, fuse demonstrat; demum Patres Concilij Foroiulienſis sub Carolo Magno, & Adriano I. in summa fidei, id expresse declarauerunt, quorum hæc sunt verba: [ & si legitur oculus Domini, vel brachium vel dextera &c. non membrorum positionem, vel molem corporis, sed effectum summæ & inenarrabilis diuinæ potentiæ integra rectæ fidei credulitate debemus intelligere; nam quia omnia videt & omnia penetrat, & cuncta nuda sunt, & aperta ante eum, oculos habere dicitur: quia vero nos sua virtute creauit, regit, & protegit, & defendit, brachium vel dexteram habere perhibetur.] Ex his patet quæ, de Deo corporaliter dicũtur nõ ad corporalem illius formam referenda esse: sed mysticam & occultam in his intelligentiam insinuari; vt ex his (vt ait Damasc.) quæ sunt secundum nos, ea quæ sunt supra nos edisc amus.

14 Obiiciunt iterum pertinaciter hoc modo in Scriptura *Genes.* 1. legitur, hominem ad imaginem Dei factum esse: sed homo, qui est imago est corpus: ergo & illius exemplar. Huius argumenti falsitas ex eo potissimum oritur, quod hominem secundum corpus esse Dei imaginem existimant; quod falsum est: cum imago hæc in homine insculpta, non secundum corpus, sed secundum animam attendi debeat. Nam vt acute arguit Melito Sardo apud Theodor. *q.* 20. *in Gen.* si Deus idcirco Corpus habere existimatur quale habet homo, quia scriptura dicat hominem ad imaginem illius factum: simili ratione concludendum esset, hominem non esse similem Deo, aut illius imaginem, quandoquidem Deus *in Psal.* 90. pennis, & alis instructus describitur, quibus nos caremus; & *Zacharias*, c. 4. Deum septem oculos habere dicit, cum nos duos tantum habemus: præterea Deus petra, lapis, vitis, leo esse dicitur, quorum nec imaginem, nec similitudinem gerimus, & si multa alia per metaphoram Deo scriptura attribuit, quæ si proprie & ad veritatem exigerentur, Deum aut monstruosum, aut insensibilem efficerent: & longe hominis dissimillimum; [non igitur (ait Melito) imago Dei quærenda est in hominis corpore, sed in animo, qui vt Deus, sic ipse rationis consilij, sapientiæ compos, & capax est.] Id confirmat D. August. *tract.* 8. *in* 1. *Epist. Ioann.* his verbis: [Vbi factus est homo ad imaginem Dei? in intellectu, in mẽte in interiori homine in eo, quod intelligit veritatem; diiudicat iustitiam, & iniustitiam; nouit à quo factus est: potest intelligere creatorem suum.

15 Quapropter idem 14. *de Trinitate, cap.* 8. [eo (inquit) homo imago Dei est, quo illius capax est eiusque particeps esse potest.] At luculentissime Greg. Nyssenus de hac re disputat *oratione* 1. in ea verba, faciamus hominem, &c. [ Ad imaginem Dei (inquit) facti sumus. Formam Deus nostræ similem habet? oculis, auribus, capite, manibus, præditus est, coxarumque vertebris, quibus fulcitur, & insidet quandoquidem sedere Deum Scriptura tradit, pedibus item quibus incedit. Talisne igitur Deus? Recedant ab animo tuo absurdæ opiniones: abijce cogitationem, quæ Dei imaginem imminuit. Figura vacat Deus: simplex est. Noli cum de illo cogitas formam vllam confingere, & comminisci, ne more Iudaico, magnum extenues. Noli corporeis illum cogitationibus amplecti, aut mente tua circumscribere.] Quotquot denique de hac hominis imagine scripserunt, tametsi nonnihil inter se dissentiant in qua potissimum animi parte collocari debeat, tamen in animo collocandam censent.

D. Ambrosius *lib. de dignit. hum. cond.* hominem 16
imaginem Dei esse censet, eo quod in animæ essentia Dei vnitatem, & personarum Trinitatem in memoria, intellectu, & voluntate præseferat. Ioan. Damasc. *lib.* 2. *Orthod. fid.* hominis imaginem in eo reponit, quod is animam intellectualem, libero arbitrio præditam, ac suo iuri relictam, haud secus, quàm se mortalis Deus esset, possideat; D. Chrysost. explicans hunc locum Gen. [ Faciamus hominem, &c. Basilius *hom.* 10. *in Gen.* Greg. Nyssenus, *de creatione hominis*, imaginem hanc censent attendendam esse penes hominis imperium, quod in animo gerit, quo supremum Dei imperium refert; nam sicut Deus rebus omnibus dominatur, ita homo velut mortalis Deus cunctis animantibus imperio præsidet. Faustinus sex modos declarat, quibus hominem secundum animum Deo similem esse ostendit: nempe, immobilitate, velocitate, inuisibilitate, incorporeitate, subtilitate, & æternitate. Bernardus *serm.* 80. *super Cant.* copiose hanc quæstionem exagitat, ac tandem hominis imaginem in tribus potissimum ait consistere: nimirum in libertate arbitrij, consilij, & complaciti. At quamuis in hac imagine assignanda aliquantulum differant, in eo tamen omnes consentiunt, eam penes animum, non corpus attendi debere: hæc ad Hæreticorum obiectiones satis.

## SVBSECTIO II.

*Rationibus probatur nostra veritas.*

PRima ratio sit, quæ in hac materia maximum 17
habet fundamentum, quia Deus debet esse ens quoddam perfectissimum quo nullum maius possit excogitari; sed corpus tale esse non potest. Maior probatur *ex q.* 1. quia Deus est ens à se absque vllius causalitate: ergo ex sua essentia habet perfectionem omnem: quia non est ratio cur in sua essentia limitetur, & potius hanc, vel illam contineat perfectionem; omnem igitur continebit. Si autem omnes continet illam etiam quæ est vbique esse, & alia, quæ tantum spiritualibus possunt conuenire, videlicet esse secundum totum intellectiuum, & compositione carere, quia cæteris paribus melius est simplici modo continere, quam per compositionem, quia propterea compositio, & additio necessaria est, quia vnum alterũ extremum compositionis non habet in sua intrinseca perfectione, quam rationem recte prosecutus est B. Bernardus *lib.* 2. *de consideratione ad Eugenium, paulo ante medium.*

Secundò sic probatur, quia nulla entitas corpo- 18
rea potest creare: sed Deus vere & proprie creat: ergo Deus est entitas corporea & materialis. Maior probatur ex illo axiomate, ex nihilo nihil fit, quod emanauit inter Philosophos omnes, tesp icientes solum ad entia materialia & corporea, & vt sic axioma hoc, vt rem notissimam statuerunt. Imo D. Thomas potentiam infinitam necessariam esse ad creationem existimat, neque à causa prima, adhibito instrumento creationem posse attingi: sed per se ipsam immediate, quicquid creat efficere: eo quod causa secunda ad eum modum agendi eueht, etiam diuina potestate non possit, vt quicquam agat, nisi actioni præsuppo-

natur

natur subiectum, qua de re alio loco disputandum est.

19 Potest etiam ex eo probari corpus creare non posse, quoniam corpora non attingunt substantiæ productionem sine accidentibus sed potius cum illis,& mediis accidentibus, prius productis: non possunt autem produci accidentia nisi in subiecto: ergo corpora nihil possunt efficere nisi in subiectum, sed quod fit in subiectum fit ex subiecto: ergo corpora nihil possunt efficere nisi ex subiecto, & dependenter ab illo: sed facere ex subiecto, & dependenter ab illo est educere, & minime creare, quia creare est facere sine dependentia à subiecto & sine subiecto, & ideo dicitur in definitione creationis, quod sit productio ex nullo præsupposito subiecto;si ergo Deus creat tum animam rationalem tum materiã primam: ergo Deus absolute est spiritualis, & non materialis. Minor prima est certa, quia cum ab aliquo debeat produci ex nihilo materia, & anima rationalis, quod habeat virtutem infinitam, vt supra probaui, necessario & euidenter sequitur solum Deum posse creare materiam, & animam rationalem, quia solus Deus habet infinitam potentiam ex eo quod solus sit infinitus per essentiam: ergo Deus creat, &c.

20 Vrgetur amplius,quia Deus creauit animam rationalem non mediante alia creatura, & etiam creauit totam materiam rerum sublunarium, v.g. totam materiam aëris diffusam à cœlo lunæ vsq; ad terram, & totam materiam terræ per totam profunditatẽ eius à periferia, seu prima superficie vsque ad centrum, & hanc materiam non produxit mediante alia parte, maxime cum materia prima nullius sit actiuitatis: ergo omnes partes immediatè creauit & creatas conseruat, atque adeo necessario debet esse præsens secundum suam substantiam singulis partibus materiæ. Probatur hæc vltima illatio, (cætera namque non egent probatione) quoniam cum nihil agat in rem loco distantem, quin prius agat in propinquam, huius interuentu in rem distantem suam actionem transmittat, plane quæcunque causa efficiens si proxima & immediata est, suo effectui præsens, & ab eo minime distans esse debet; præcipue,quia Deus ratione suæ infinitatis, & immensitatis debet esse per suam substantiam præsens omni enti, & omni parti cuiuscunque entis. Ex his igitur manifeste colligitur Deum esse spiritualem, & corporis expertem, alioquin duæ substantiæ corporeæ, atque adeo duo corpora ad prædicamentum quantitatis pertinentia, sese mutuo penetrarent in toto spacio,quod infra orbem lunæ continetur,quod nullus admittet. Adde quod nemo designare posset quodnam esset illud aliud corpus, quod cum corporibus quæ intra orbem lunæ continentur,penetratiue esse defenderent.

21 Tandem, quia omne corpus est tam imperfecte conditionis, & naturæ,& adeo limitatum in perfectione, vt apprehenso, & cognito Deo tanquam primo ente,& effectore rerum omnium,statim per se appareat incredibile quod habeat molem corporis.

22 Vrgetur amplius, quia Deus, qui omnia fecit, & à nullo factus est, fecit animam spiritualem, & produxit illam vt causa principalis illius:ergo cõtinet illam perfectionem spiritualitatis,quia nemo dat quod non habet;sed non solum continet eminenter,sed formaliter: ergo Deus formaliter spiritualis est. Minor sic probatur,quia perfectio simpliciter simplex ex suo conceptu debet contineri formaliter, & non eminenter solum in Deo, qui est infinite perfectus formaliter, sed spiritualitas est perfectio simpliciter simplex: ergo non solum eminenter, sed etiam formaliter continetur in Deo, sicut intellectus, voluntas, sapientia, & reliquæ perfectiones simpliciter simplices. Vnde formaliter debet continere spiritualitatem sine vlla imperfectione,& eminenter spiritualitatem creaturæ admixtam imperfectionibus, seu quæ illis admixta est.

Deinde,quia causa principalis aut est æquiuoca,aut vniuoca; ac proinde debet continere effectum, aut formaliter aut eminenter; extra hos enim modos continendi non datur medium: sed Deus per vos non est spiritualis, sed materialis: ergo respectu animæ rationalis non est causa vniuoca, sed æquiuoca, quia res materialis, & spirituales non sunt eiusdem speciei,sed diuersæ, quod necessario petit causa æquiuoca: sed non potest esse causa æquiuoca, quia causa æquiuoca principalis non solum debet esse quomodocunque distincta essentialiter ab effectu, sed etiam debet superare essentialiter in perfectione essentiali, & specifica: sed res materialis non potest excedere in perfectione rem spiritualem: ergo si Deus est entitas materialis, & corporea non potest excedere animam rationalem, quæ spiritualis est: ergo non potest esse causa æquiuoca illius: ergo non potest continere eminenter spiritualitatem animæ rationalis,si non continet formaliter illam. Patet consequentia,quia sola causa æquiuoca continet eminenter formalitatem effectus: ergo si neque est causa vniuoca, neque æquiuoca nullo modo erit causa. 23

Atqui Deus est causa omnium rerum: ergo est causa animæ rationalis: ergo continet spiritualitatem illius formaliter quoad perfectionem illius eminenter, quoad imperfectionem spiritualitatis illius. 24

## SECTIO II.

*Secunda Conclusio ponitur.*

DEus est omnipotens:est de fide,& lumini naturali nota; & probatur sic, quia illud dicitur omnipotens, quod habet virtutem infinitam producendi simpliciter: sed Deus habet infinitam virtutem producendi simpliciter: ergo Deus est omnipotens. Maior sic probatur, quia illud quod habet omnipotentiam est omnipotens,ab omnipotentia enim omnipotens dicitur: sed id quod habet infinitam potentiam simpliciter habet omnipotentiam: ergo id quod habet potentiam infinitam simpliciter est omnipotens. Minor sic probatur, quia id quod habet infinitam potentiam simpliciter omnia potest facere, sicut id quod habet infinitam scientiam omnia scit, & omnia cognoscit, & id quod est infinite simplex omnem simplicitatem habet: sed id quod omnia potest omnipotentiam habet, ab omnia enim posse per potentiam omnipotentia dicitur:ergo id quod infinitam potentiã habet,habet omnipotentiam; minor illa sic demonstratur à priori, & à posteriori; à priori quia id quod est infinitum simpliciter per essentiam,& in essentia simpliciter habet proprietates simpliciter infinitas, & ideo habet infinitam scientiam, infinitam voluntatem simpliciter, sed etiam habet potentiam producendi vt proprietatem: ergo habet infinitam potentiam simpliciter. 25

A poste-

26 A posteriori sic demonstratur, quia id quod potest creare petit infinitam potentiam simpliciter: sed Deus potest creare, & de facto creat: ergo habet infinitam potentiam simpliciter. Maior supra late probata manet, & nunc sic demonstratur, quia potentia creandi extenditur ad omne creabile; ac proinde ad infinita creabilia (infinita enim creabilia ex se includuntur sub omni creabili,) sed potentia, quæ extenditur ad infinita creabilia est infinita simpliciter: ergo potentia ad creandum est infinita simpliciter. Maior sic probatur, quia potentia ad creandum non petit ex parte obiecti neque expectat ex parte illius nisi non repugnantiam, vt effectus sit aut fiat, quia id quod creat, solum facit rem totaliter ex possibili actualem, id est, solum petit vt præsupponat res, quæ creatur possibilitatem, quia id quod creatur ex nullo præsupposito subiecto fit; vnde cum solum præsupponatur possibilitas rei poterit creari, & ideo dicitur, id quod creatur fieri ex nihilo, sed possibilitas est non repugnantia ad existentiam: ergo potentia creandi extenditur ad non repugnãs existere: sed omne creabile seu possibile est non repugnans existere æqualiter sine vlla differentia, quia inter possibilia non datur vnum magis aut minus possibile, quia possibilitas non suscipit magis & minus, quia in indiuisibili consistit vt ex terminis patet, ac proinde non datur magis & minus non repugnans existere: ergo potentia creandi, quæ extenditur ad possibilia, & non repugnantia debet extendi ad omnia possibilia, & non repugnantia æqualiter, & vniformiter, quia sicut ex parte illarum non datur inæqualitas, ita etiam ex parte potentiæ, quæ extenditur ad illa non debet dari inæqualitas, ita vt extendatur ad vnum, & non ad aliud.

27 Deinde, quia virtus infinita, quæ produxit omnia quæ continentur in mundo in eis creauit gradus rerum, & in singulis varias species ad quarum productionem non indiguit vel aliqua materia, quæ actioni eius supponeretur, vel aliqua alia adiuuante causa: sed sola sua potentia supponendo vt iam dixi ex parte effectuum solum, quod eis non repugnet esse: ergo signum est eadem potestate & facilitate potuisse Deum facere omne id, quod non repugnauerit esse, atque adeo quidquid creabile, est sine fine & termino, quia nullam habet causam à qua possit limitari talis potentia creandi: ergo est infinita in esse potentiæ. Patet consequentia, quia ideo Deus in ratione entis est infinitum simpliciter, quia in ratione entis nullam habet causam, quæ conducat, vel adiuuet ad illud esse, ac proinde, quæ possit limitare, finire, & terminum imponere tali esse, vt supra demonstrauimus, sed etiam potentia creandi in ratione efficiendi non habet causam neque concausam adiutantem & conducentem, hoc est qua esset talis potentia ad creandum, quia quatenus creat nullam causam habet: ergo talis potentia inesse potentiæ, non habet à quo possit limitari, terminari, & finiri: ergo non est limitata, finita, & terminata: ergo est infinita illimitata, & interminata.

28 Quod autem nullam habeat causam, à qua possit limitari sic patet, quia omnis causa, quæ potest coadiuuare potentiam creandi Dei, aut est causa materialis, & subiectum ex quo debeat produci & fieri res, quæ per talem potentiam producitur: sed potentia Dei, quæ creat non indiget subiecto, quia ex nullo præsupposito subiecto producit, alias non crearet, sed educeret: ergo non habet causam materialem, neque formalem, quia quando creat animam rationalem, quæ est forma, nullo modo requiritur alia forma, alias daretur processus in infinitum, & deinde quia anima rationalis, sicut non dependet ab alia anima in esse, ita non dependet in fieri.

Deinde non habet causam efficientem, quia vel illa causa distincta à Deo esset causa creata vel increata; non increata, quia præter Deum nullum ens est increatum; neque creata, quia ante primam creatam non datur aliqua quæ possit coadiuuare Deum creantem illam, & præcipue quia sicut illam creauit Deus sine adiuuamine ipsius, ita potest reliqua creare Deus sine illa: ergo omnipotentia Dei nullam habet causam coadiuuantem, à qua possit limitari ad vnum creabile. 29

Vrgetur, quia vt optime docet D. Thomas, quando Deus creat, non creat aliquid solum: sed totum ens, quod est in creato: ergo attingit ens secundum se; & in tota sua latitudine sub ratione communi entis creabilis: sed ens creabile in tota sua latitudine includit omne ens creabile: ergo omne creabile est obiectum potentiæ creandi: ergo potentia creandi, quia talis est, extenditur ad omne creabile: explicatur, quia in his entibus, quæ Deus creauit, per se primo producit ipsum ens participatum, in quantum tale ens, quia neque in se, neque in alio præsupponit talem rationem entis: ergo signum est hoc esse obiectum adæquatum illius potentiæ, & consequenter illam virtutem extendi ad omne illud, quod potest participare productiue rationem entis; hoc autem est omne creabile: ergo potentia creandi extenditur ad omne possibile: ergo est omnipotentia, præcipue, quia quidquid Deus creet, nunquam faciet effectum adæquatum suæ virtuti, neque æqualem suæ perfectioni: & aliunde semper eius virtus manet, æque integra, ac perfecta: ergo quocunque effectu facto potest aliud ens creare quod magis, & magis participet perfectionem ipsius Dei sine fine, & limite: ergo potest quodcunque ens, & omne ens creabile, & possibile efficere: ergo est omnipotentia & Deus ratione illius est omnipotens. 30

## SECTIO III.

### *Conclusio ponitur.*

DEus est immensus, hoc est, est in omnibus locis, & vbique. [ Hæc conclusio est de fide, & probatur ex Scriptura, *Isaiæ* enim 66. dicitur: [ cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum maorum. ] Supra quæ verba sic ait Hieronymus: [ hoc inquit vt Iudæorum conuincat errorem; qui putant inuisibilem, & incorporalem & incomprehensibilem Deum Templo Ierusalem posse concludi ] *Ieremiæ* 23. [ cœlum, & terram ego impleo ] *Sapientiæ* 1. [ Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. ] *Isa.* 6. [ Plena est omnis terra gloria eius; ] clarius autem *Psalm.* 138. ibi, [ quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam: si ascendero in cœlum tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, &c. ] Quam veritatem aperte docent Sancti Patres passim, vt Cyprianus *lib. de vanit. Idolor.* [ Dei ( inquit ) templum totus est mundus ]. & *infra*: [ Deus est, totus vbique diffusus ]. Hilarius *libro primo, de Trinit.* [ nullus ( inquit ) sine Deo locus est ], Ambrosius, *libro* 31

*primo de Spiritu Sancto, cap. 7.* ] Dominī (inquit) est omnia complere ] : quod rursus confirmat, *serm. 19. in Psalm. 118.* explicans illum versiculum : Propè es tu, Domine ] . Item Hieronymus *in cap. 66. Isai.* [ quomodo (inquit), paruo concluderetur loco, qui omnia implet, & in quo sunt omnia ] : ibique hoc fusius probat contra Iudæos, quos ait, [ putasse Deum inuisibilem & incorporalem templo Hierusalem posse concludi ], vt ante dictum est. Item Augustinus, *in Epist. 57. ad Dardanum* : Deus (inquit) vbique præsens est, & vbique totus ], similia Gregorius, *lib. 16. Moral. cap. 15.* Bernardus, *libro quinto, de consideral.* Anselmus, *in monolog. cap. 19. & sequent.* Ex Græcis Dionysius, *cap. 9. de diuin. nom.* vbi ait, [ Deum penetrare omnia ]. Item *libro 2. cap. 1.* Origen. *lib. 7. contra Celsum, post medium.* Athanasius *oratione contra Gregales Sabellij, non longe à fine*, Cyrillus *lib. 1. Thesauri cap. 7.* vbi ait : Deum penetrare omnia ], Gregorius Nyssenus *orat. 3. cap. 25.* Gregorius Nazianzenus, *apologo 1.* Chrysostomus *homil. 17. in Genes.* Theodoretus *in cap. 1. ad Ephes. in fine*, Damascenus, *lib. 1. cap. 8.*

32 Explicat autem Augustinus, *lib. 7. confessionum, cap. 5.* pulchra similitudine, quomodo ipse solitus esset, animo concipere istam Dei præsentiam in omnibus rebus : [ constituebam (inquit) inconspectu spiritus mei, vniuersam creaturam, & feci vnam massam grandem, distinctam generibus, sane finitam : te autem Domine, ex omni parte ambientem eam & penetrantem, sed vsquequaque infinitum ; tanquam si mare esset vbique & vndique per immensa spatia infinitum solum mare, & haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen : plena esset spongia illa ex omni parte sua, immenso mari ; sic creaturam tuam finitam, te infinito plenam putabam, & dicebam, ecce Deus, & ecce quomodo ambit, & implet ea. ] Hoc exemplum appositum sane est, & quiddam illi simile Diuus Paulus cogitasse videtur, cum de Deo dicit, *Act. 17.* [ In ipso viuimus, mouemur & sumus ] : sed tamen illud discrimen simul cogitetur quòd mare illud immensum non esse totum in qualibet parte spongiæ. Deus autem qui immaterialis est, totus est non solum in tota rerum vniuersitate, sed etiam in qualibet re, quantumcunque minima, vt idem Augustinus, *libro vigesimo secundo, de Ciuitate Dei, cap. vigesimo nono, & in epistola 57. ad Dardanum*, & sæpe alias, præclare docuit. S. Hilarius : [ adest (inquit) ille vbicunque, qui vbique est, nec subterfugi potest, intra quem omnia sunt, & qui in omnibus est ] : sed elegantius Sanctus Augustinus enarratione in prædictum *Psalmum* : [ Quis potest fugere in mundo ab illo spiritu, quo plenus est mundus ? quis est locus recepturus fugitiuum Dei ? vbi non est Deus ? quò ergo ibit fugitiuus iste à facie Dei ? vertit se huc atque illuc, quasi quærens locum fugæ suæ, tandem cognouisti malè fugitiue, nullo pacto te posse longe fieri ab eo, à quo longinquare voluisti, ecce ille vbique est. ]

33 Proptereaque S. Macarius *tom. 2. Bibliot. homil. 16.* vocat [ Deum incomprehensum, incircumscriptum, & vbique existentem ], faciunt pro eadem re verba Sancti Bernardi adducta, *sectione 2.* & quæ ex aliis Patribus protulimus in *sectione 3.* Denique consentiunt Philosophi, Seneca *lib. 5. Epistolarum, epistola 41. ad Lucillum*, [ prope (inquit) est à te Deus, tecum est, intus est ]; ille etiam alter Poëta cecinit.

*Iouis omnia plena,*
*Quò fugis Encelade, quascumque acceſſeris oras,*
*Sub Ioue ſemper eris.*

Et celebris est Trismegistri sententia, [ Deum esse circulum, cuius centrum est vbique, circumferentia vero nusquam ], vt nimirum denotetur nullum esse in quo non sit, ita tamen vt in maiori si creetur, existere valeat. 34

Ratione sic demonstratur nostra veritas, quia Deus tam infinitus est in sua præsentia, sicut in omnipotentia, scientia & reliquis, & ratio manifesta est, quia tota infinitudo scientiæ, omnipotentiæ, &c. prouenit illis ex eo quod sint perfectiones diuinæ conuenientes ipsi, quatenus est ens à se, hoc est habens infinitatem essentialem, & per essentiam. Cum autem præsentia Dei non minus sit attributum ; & perfectio Dei, quam omnipotentia, scientia, &c. necessario sequitur non esse minus infinitam quam omnipotentiam, scientiam, & reliqua : sed omnipotentia, & scientia, &c. quia sunt infinitæ vnaquæque in suo genere extenditur ad omne obiectum talis attributi, & nullum est obiectum, seu terminus illius, ad quem non extendatur talis perfectio, v. g. quia sapientia Dei est infinita extenditur ad omne scibile, & quia omnipotentia est infinita simpliciter extenditur ad omne possibile, quia potentia Dei, & scientia ipsius non quomodocunque est scientia, & potentia, sed etiam omnipotentia, & omniscientia ; omnipotentia autem ex eo quod talis est, debet extendi ad omne possibile, & omniscientia ad omniscibile ; nam formalitati scientiæ correspondet scibile, & formalitati omniscientiæ correspondet in obiecto omne : sed præsentia est infinita simpliciter sicut potentia, & scientia Dei : ergo sicut illæ perfectiones dicuntur omnipotentia, & omniscientia, ita hæc dicetur non solum quomodocunque præsentia, sed etiam omni præsentia, & non solum quomodocunque vbi, sed etiam omni vbi : ergo talis omni præsentia, & omnivbi extenditur ad omnem terminum præsentiæ & vbi sed terminus præsentiæ & vbi est locus, seu spatium : ergo præsentia Dei extenditur ad omnem locum, seu spatiumcui aliquid potest esse præsens ; vnde Deus ratione suæ præsentiæ est in omni loco, & spatio ; sed quod huiusmodi est immensus est : ergo Deus ex euidenti ratione naturali est immensus vt optime colligitur ex illo *Isaiæ 14.* [ Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit, quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera ? ] Quibus verbis significatur excessus immensitatis diuinæ supra res omnes, spatia, & loca creata ; quibus non includitur, sed adhuc extra manet : sicut ea, quæ sunt aliis celsiora, profundiora ac longiora extra illa protenduntur : & quæ exterius aliquid continent, nec ab illo capiuntur, longe maiora esse debent. Hoc testimonio eandem veritatem confirmant Athanas. *de vnita substantia Trinitatis, lib. 5. in fin.* Hilarius *lib. 1. de Trinitate, circa initio.* Hieronym. *in cap. 66. Isai. initio.* Chrysost. *in id Psalm. 112.* Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat ] Gregor. *locis superius citatis*, & Petrus Damian. vbi, *supra*, Præterea idem dogma stabilitur illis locis, quibus Deus asseritur ad esse omnibus, aut prope esse, quale est illud, *Psalm. 118.* [ Prope es tu Domine. Ex quo Deum esse vbique colligunt Hilarius, & Ambros. *ibidem*, & illud, *Ierem. 23.* ] Deus appropinquans:

ego

*dem*, & illud, *Ierem.* 23. [ Deus appropinquans ego sum, & non Deus de longe ] quo loco vtuntur ad hoc institutum Hieronym. ibidem, & in id ad *Ephes.* 2. [ Facti estis prope in sanguine Christi ], & Chrysost. *in Psalm.* 112. *citat.* Denique facit illud *Actor.* 17. [ non longe est ab vnoquoque nostrum, in ipso enim vivimus mouemus, & sumus ] ; quod ex instituto expendam infra.

35 His obstare credet aliquis, quod in sacris literis non nunquã tribuitur Deo peculiaris aliquis locus, vt *Gene.* 28. [ vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam, ] & *Psalm.* 3. 32. 52. 79. 101. Dicitur Deus de cælo in terram aspicere, quasi non sit in terra, sed solum in cœlo, & *Psalm.* 113. [ Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. ] Christus Dominus *Matth.* 6. Pater noster, qui es in cœlis.] *Psam.* 75. [Habitatio ejus in Sion] & sæpe in scriptura dicitur habitare in sanctis, & longe esse ab impiis. Hoc autem non obstat : quoniam vt expresse notant Nyssen. *tract. de profes. Christianorum, versus finem.* Chrysostom. in id *Psalm.* 9. [ Psallite Domino, qui habitat in Sion.] Cyrillus Alexandrinus super illud *Isai.* 63. convertere è cælo &c. Procopius in *cap.* 64. *Isaiæ.* Alcuinus *lib.* 2. *de Trinitate, cap.* 5. Damascenus *lib.* 1. *de fide cap.* 16. *Eeuthym.* super illud *Matth.* 6. [ qui es in cœlis ] Rupertus vbi supra. Bernard. *serm.* 1 *in Psalm.* [ qui habitat *in fine & serm.* 6 *in dedicatione Ecclesiæ*, huiusmodi locutiones non respiciunt communem modum, quo Deus est in rebus omnibus, sed peculiarem, quo est in aliquibus propter peculiares effectus, aut manifestationem omnipotentiæ, & gloriæ suæ, vel aliarum perfectionum divinarum. Ex eo autem quod peculiari quadam ratione sit in vno loco & non in alio, minime sequitur, vt non sit in omnibus communi modo ratione immensitatis. Quod patet quoniam ex eo, quod Deus post incarnationem, cœperit esse in Christo speciali quadam ratione consequens non est vt desierit esse in cœlo, & aliis locis in quibus prius erat, vt constat ex verbis Christi Domini *Ioan.* 3. [ nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo ] ; in terra erat ratione humanitatis, nec tamen proinde desinebat esse in cœlo ratione diuinitatis.

36 Vnde Athanasius *oratione contra idola, post medium*, inquit [ ratio famaque de Deo obtinuit eum ubique existere, nihilque omnium esse quod Deum sub se teneat, ac potius omnia sub potestate illius contineri ; ] vnde Euseb. Cæsar. *lib.* 13. *de præpart. Euang. cap.* 7. & Cyrill. Alexandr. *lib.* 1. *contra Iulianum, post medium*, testimonium Orphei Poëtæ antiquissimi, quo perspicue tradidit Deum esse vbique, Lactantius vero *lib.* 1. *instit. cap.* 5. & Hieronym. in id *Ezechiel.* 40. [ Introduxerit me in atrium. ] &c. Illud latini Poëtæ ;

*Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes,*
*Lucentemque globum lunæ, titaniaque astra,*
*Spiritus intus alit, totamque infusa per artus.*
*Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Eamque fuisse Platonicorum & Peripateticorum sententiam affirmat Cicero 1. *Academic.* quam fusè explicat Plotinus Platonic. *Ennead.* 5. *lib.* 5. *cap.* 9. & *Ennead.* 6. *l.* 8. *c.* 16.

Secundò probatur ratione Diui Thomæ 1. *part.* 37 *quæst.* 8. *art.* 1. quæ sic se habet, omne agens debet esse conjunctum passo in quod operatur, sed Deus est vniuersale agens efficiens omnia ; & in omnibus, quæ sunt : ergo est intime præsens in rebus omnibus. Maior à nobis late probata manet in Philosophia *quæstione vtrum aliquod agens adhuc divinitus possit agere, ubi non est præsens ullo modo*, videantur omnia ibi adducta, quæ veritas sumitur ex Aristotele 7. *Physicorum, cap.* 2. dicente mouens & motum debere esse simul quod in omni agente verum est, vt supra loco citato demonstrauimus. Minor autem constat ex his, quæ supra diximus, videlicet quod omnia entia præter Deum fiant, & producantur, seu conseruentur ab ipso, & ipse agat immediate per actiones omnium agentium secundorum, atque hanc rationem videtur insinuasse Paulus *Actorum* 17. in illis verbis : [ quærere Deum si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab vnoquoque nostrum, in ipso enim, vivimus, movemur & sumus &c.

Respondet Scotus illam conditionem approximationis agentis ad passum, quando operatur tale agens, solum requiri in agentibus finitis, in Deo autem qui infinita virtute operatur, non posse assignari rationem cur sit necessaria. 38

Sed contra, quia *quæst. supra citata*, & in aliis 39 locis ostendimus, coniunctionem hanc quam agens requirit cum passo, vel effectu, non fundari in hoc quod agens est finitum, & limitatæ virtutis, sed in ratione agentis vt sic. Nam si fundaretur solum in limitatione virtutis, non esset cur omnia agentia finita æqualem propinquitatem passi seu effectus requirent, quia non omnia sunt æqualia, licet omnia sint finita. Vnde sicut omnia habent finitam sphæram activitatis, quia habent finitam virtutem, non tamen habent æqualem sphæram, quia non habent æqualem virtutem : ita etiam hic modus agendi in rem distantem, prius attingendo propinquam non æqualiter conveniet omni agenti finito ; sed ad summum erit commune omnibus non posse agere immediatè ad quamcunque distantiam, sed ad finitam, & quod magis limitatum est ad minorem distantiam. Quod vero nihil omnino possit agere, nisi inchoando actionem à re propinqua, non est cur conveniat necessario omni agenti finito, eo quod finitum est, si ratio agentis vt sic id non postulat. Quod declaratur, retorquendo rationem in hunc modum ; nam si causa efficiens vt sic non postulat hanc coniunctionem cum effectu, seu actione sua, ex eo quod causa efficiens est, sed quia finita est : ergo si fingamus esse causam infinitæ virtutis in definito loco, illa posset immediate agere in distans, nihil agendo in propinquum, quia nihil est quod obstet. Imo eadem ratione posset agere ad quamcunque distantiã in infinitum, quia virtus infinita non debet habere limitatam sphæram, & aliunde supponitur, ex ratione causæ efficientis non esse necessariam illam immediationem seu propinquitatem : ergo ob eadem rationem seruata proportione agens finitum, cum habeat certam sphæram extensam vsque ad certam distantiam, poterit intra illam immediate agere in distans, quamvis non agat in propinquum.

Quanta ergo euidentia aut certitudine ex his, 40 quæ experimur in agentibus naturalibus, colli-

gimus omnia sibi determinare hunc modum agendi, tanta certè colligendum est illam necessitatem non prouenire ex limitatione virtutis, sed ex ipsamet ratione agentis. Nam sicut forma vt forma est, requirit ad suum effectum formalem vnionem & indistantiam cum materia, nec posset forma aliqua, quamuis fingeretur infinita, dare suum effectum sine illa propinquitate, vel sicut causa finalis ad suam causalitatem requirit propinquitatem per cognitionem, nec potest aliter illam exercere, etiam si maxime infinita sit, ita agens vt agens requirit ad agendum propinquitatem & immediationem cum passo, vel effectu, sine qua non potest agere etiamsi infinitum sit. Addo multo minus id posse conuenire agenti infinitæ virtutis, quia agere in distans esto in aliquo agente possit videri perfectio, non tamen potest esse perfectio simpliciter, sed suppositâ imperfectione: absolute tamen non est perfectio multoque melius est per se ipsum, & per suam essentiam, & præsentiam ad esse omnibus, si id possit sine distractione, aut diminutione suæ virtutis, quia si Deus est in aliquibus, & non est maior ratio de his, quam de aliis in omnibus æque necessario erit.

## QVÆSTIO IV.

*Vtrum Deus sit in spatiis imaginariis.*

### SECTIO I.

*Sententia aduersariorum ponitur.*

1 PRIMA sententia est Patris Vasquez, asserentis Deum non esse in spatiis imaginariis extra cœlum, eam docet 1. *part. tomo* 1. *disp.* 29. *cap.* 2. eandem sequitur Pater Granad. & multi alij, quos ibi citant hi Authores.

2 Probat Pater Vasquez 1. ex Patribus, inter quos eam docuisse videtur Tertul. *lib. contra Paxeam cap.* 5. his verbis: [Ante omnia Deus erat solus & ipse sibi, & mundus, & locus, & omnia:] Quod si Deus fuisset in illo interuallo imaginario, licet solus fuisset, sibi tamen non fuisset locus; si quidē in alio esset tanquam in loco. Secundo Augustin. *lib. de fide contra Manichæos. cap.* 37. cum argueret contra Manichæos vetus testamentum impugnantes, quod multa in eo falsa, & inepta continerentur; contra vero Euangelium tanquam diuinam scripturam suspicerent; contendit, eodem modo contra Euangelium, atque contra vetus testamentum argui posse, ac proinde vtrumque eodem modo explicandum esse: mox subiungit; [quia si aliquis ita cœcus, vt reprehendere velit illud Domini, quod in Euangelio dictum est, non iurabis per cœlum, quoniam sedes Dei est, neque per terram, quoniam scabellum est pedum eius & hoc dicat, quod vos mira dementia dicere soletis, vbi erat Deus, antequam esset cœlum, & terra?] &c. Tandem post alia, quæ aliqui contra Euangelium possent obiicere, subdit: [nonne ignorant vbi caput habeant, & tamen aliquid sibi videntur dicere;] vbi Augustin. stultam esse dixit Manichæorum interrogationem, vbi esset Deus ante mundi creationem, nulla sane alia de causa nisi quia alibi quam in se ipso esse non poterat. Idem illa verba *Psalm.* 122. [Qui habitas in cœlo;] vt ostendat, cœlos spirituales, ideest sanctos viros in æternum mansuros, non autem cœlos corporeos esse Dei habitaculum sic ait: [Nam si cœlum istud corporeum, quod oculis videmus, intellexerimus esse habitationem Dei, transitura est habitatio Dei, quia cœlum, & terra transient. Deinde antequam faceret Deus cœlum & terram, vbi habitabat? sed dicet aliquis, antequam faceret deus sanctos, vbi habitabat? in se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est deus.] Ecce nullum alium locum præter seipsum ante mundi creationem deo concedit August. quo etiam sensu dixerat Tertullianus de deo, [sibi erat locus, & omnia.] Hæc verba August. videtur retulisse Magister *in* 1. *d.* 37. *ex libro* 3. *contra Maximinum*, cum tamen ibi nihil eorum habeatur. Eidem interrogationi eodem modo respondet Bernardus *lib.* 5. *de consideratione, longe ante medium*, nam præterquam quod ostendit ipsum esse in omni loco vniuersi, ita inquit; [alias vero vbi erat antequam mundus fieret, vbi est; non est quod quæras vltra vbi erat: præter ipsum nihil erat: ergo in se ipso erat.]

3 Denique non parum fauet Theodoretus, qui cum sentiat, angelos omni corpore carere, vt referemus infra *disp.* 178. *quæst.* 3. *in Genes.* ea ratione probat, ante mundum corporeum non fuisse, quia cum natura sua loco definiantur, & circunscribantur, hoc est, ita in vno sint, vt vbique esse non possint, nequeunt nisi in corpore aliquo esse; censet ergo in spatio illo inani, & imaginario illos creari non potuisse: cuius ratio licet nō probet id, quod cōtendit, vt disputatione illa patebit, quod tamen ad nostrum attinet institutum ex eius habemus sententia angelos in spatio imaginario esse non posse: quocirca neque extra cœlum: atque eādem ratione Deus, cum sit spiritus in spatio illo imaginario esse non poterit, licet non indigeat aliquo loco corporeo, vt existat, sicut Theodoretus putauit Angelum indigere.

4 Secundo probatur ratione, Deus non potest esse in spatio imaginario: ergo ante mundi creationem non erat, nec modo est in infinito inani, sed solum in seipso: consequentia est euidens, quia cum ante mundi creationem, & supra cœlestia corpora nihil reale sit, si Deus ibi constitueretur, foret collocandus in spatio negatiuo, seu imaginario; vnde si probauerimus in eo nec fuisse, nec esse posse, solum supererit, Deum in se ipso extitisse ante mundum, & modo non esse supra cœlos. Id vero probatur in hunc modum; id quod vere nihil est, non potest esse locus, in quo res realis existat, sed illud spatium imaginarium nihil est: ergo non potest esse locus in quo entitas realis, ac proinde Deus existat. Consequentia est euidens. Minor etiam est certissima, quia nec est ens reale, si enim aliquid reale esset, foret spatium verum, nec est ens rationis, quia secundum aduersarios, nullo intellectu considerante, datur, & alioqui ridiculum esset Deum, vel aliam entitatem realem vere vbicari in ente rationis, seu in spatio quod sola intellectus fictione spatium appellatur. Maiorem ergo probo, quia locus est qui in se recipit, & vere habet rem, quæ dicitur esse in illo, nihil autem non potest habere, aut recipere veram entitatem.

5 Declaratur amplius efficacitas huius rationis, expendendo, quid nomine huius spatij imaginarij significetur, nam vel illud est negatio rei, quæ

quæ in illo collocatur, & hæc omnino tollitur, cum ponitur res, cuius negatio erat, ac proinde omnino impossibile erit, non esse in illa, cum nemo sit in eo, quod illius positione funditus tollitur, vel est capacitas, seu non repugnantia ad recipiendum intra se aliquod corpus, & hoc modo magis verisimiliter explicatur natura spatij imaginarij, v.g. mundus, quantus quantus est, intelligitur existens in spatio imaginario, id est in capacitate quadam negatiua, quæ erat ad illum recipiendum vbi modo existit; cum enim vere ibi productus sit, & non alibi, vere ibi erat capacitas illum recipiendi, & ea concipitur à nobis tam extensa, quam ipse mundus, vt ita in illa constitutus intelligatur. Simili ergo ratione supra totum mundum est non repugnantia, seu capacitas recipiendi alia corpora magis ac magis extensa in infinitum, cum ibi possit Deus creare maiorem, ac maiorem quantitatem sine termino, & ea capacitas concipitur à nobis infinite extensa, & in illa est Deus, fueratque ex æternitate repletque proinde id, quod repleret corpus magis ac magis extensum, quod Deus ibi condere poterat.

6 Sed hoc ipsum maximè deseruiet ad confirmationem nostræ assertionis, nam imprimis, hæc non repugnantia nihil aliud est, quam possibilitas rei, quæ dicitur non repugnare, sic enim non repugnare hominem, est possibilem esse hominem, aut certe si negatio sit, omnino oritur ex ipsa possibilitate rei quæ propterea non repugnat, quia prædicata eius possibilia sunt, de quo in Metaphysica: ergo ista capacitas, seu non repugnantia ad recipiendum corpus nihil aliud est, quam possibile esse corpus in tali vel tali spatio constitutum: ergo præter ipsum corpus, quod constituitur, & præter positiuum vbi, quod habet, nullum aliud spatium imaginarium reperitur in quo tale corpus, vel res alia constituatur: ergo præter Diuinum esse, & vbi illius reale non est aliquod spatium imaginarium in quo existat. Confirmatur primo, quia non repugnantia, quæ dicitur spatium imaginarium, vel est aliquid, quod moueri potest ab vno loco imaginario ad aliũ, & id est in intelligibile, nec ab aduersarijs asseritur; vel est aliquid immobile, ita vt capacitas illa in qua est modo vltimum cœlum in opinione aduersariorum sit affixa determinato illi loco, & ab illo dimoueri non possit, & id etiam reiicitur, quia inde infertur aliud esse capacitatem illam negatiuam, aliud vero locum, cui affixa est; petam ergo quisnam sit ille locus, non enim est aliquid reale, cum sermo sit de spatio imaginario, nec aliquid rationis, quia ante omnem considerationem intellectus asseritur eiusmodi spatium, vt realiter, & non fictitie sit res in illo, nec est aliqua negatio, quia hæc secundum aduersarios est ipsa capacitas, seu non repugnantia, & præter illam explicari oportet quid sit illud cui affixa est.

7 Respondeti potest ipsam capacitatem negativam, seu non repugnantiam seipsa esse immobilem, & affixam sibi ipsi, nec esse necessarium aliud spatium comparatione, cuius sit immobilis, cum illa sit ratio propter quam corpus, vel res alia ibi constituta immobilis, & fixa permaneat. Sed hanc solutionem refellit secunda confirmatio, quia ista capacitas, seu non repugnantia non est ratio propter quam res immobiliter existit in loco, id enim potius ab vbi positiuo & reali prouenit: ergo ipsa non est formaliter immobilis per se ipsam: ergo aliquid aliud assignandum est, in quo res dicatur existere, si verum sit illam esse posse in spatio imaginario; cum autem id non possit assignari, dicendum est rem non esse in spatio imaginario, sed vel in loco reali, quando ille fuerit, vel in se ipsa quando alius locus verus defuerit.

Confirmatur tertio, quia non repugnantia, vt 8
res aliqua sit, non est aliud, quam rem posse esse: ergo non repugnantia immobilis nihil aliud est, quam posse esse rem immobilem: ergo tota immobilitas spatij reuocatur ad locum intrinsecum seu ad vbi reale, quod suapte natura est immobile: ergo immobilitas loci imaginarij nihil aliud est, quam possibilitas veri vbi, seu loci realis, ac proinde in isto & non in ipso loco imaginario erit res quando immobiliter dicitur existere.

Confirmatur quarto, quia nulla res quando 9
producitur, dicitur vllo modo esse in non repugnantia vt producatur: ergo nulla res quando vbicatur, dicitur esse in non repugnantia, vt vbicetur, ac proinde nulla res est in spatio imaginario. Antecedens declaratur, quia vere possibilis est homo, ac proinde non repugnat illum produci, nemo autem dicit, quando producitur, quasi recipi, vel constitui in sua non repugnantia: similiter non repugnat effici albedinem in pariete, & tamen quando efficitur, non dicitur poni in non repugnantia, sed in subiecto, si illud habeat, vel si res sit expers subiecti, dicitur existere in se ipsa. Consequentia vero probatur, quia ita se habet non repugnantia rei ad sui existentiam, sicut non repugnantia vbicationis ad existentiam ipsius vbicationis: ergo sicut res, cum accipit esse, non accipit illud in sua non repugnantia, nec fingitur vlla capacitas in qua illud recipiatur, ita, cum res vbicatur, non ponitur in sua non repugnantia, nec fingi oportebit vllam capacitatem negatiuam, à qua recipiatur.

## SECTIO II.

*Nostra sententia ponitur.*

DEus actu præsens est extra mundum in infi- 10
nitis spatiis imaginariis, seu in capacitate illa infinita extra mundum existente, apta repleri corpore, & in qua potest Deus producere. Hæc est plausibilior sententia inter probatiores Theologos.

Probatur primo authoritate Sacræ Scripturæ, 11
3. enim *Regum* 8. dicitur cœli cœlorum te capere non possunt, supra quæ ait Athanasius *oratione contra Gregales Sabellij in medio*: atqui inquit si genitus est extra genitorem existit, & ab eo diremptus est. Minime genitum; quinimo diremptum oportet esse Verbum quod existit in Deo & extra Deum non apparet; quo enim in loco foris apparuerit quum omnia Deus, vt in scripturis est, adimpleat? cœlum, & terram ego repleo, dicit Dominus. Istius modi præstigijs Filij generationem eiusque à Patre æternum progressum: & cum parte coëxistentiam subuertere conantur, quum integer per se, & solidus sit Pater, integer quoque, & solidus sit Filius. Discant igitur se non intelligere, neque quæ dicunt, neque quæ affirmant, quum Deum in loco circunscribunt, Filiumque denuo alio in loco consistere imaginantur, eosque sedibus distinctos esse: illum quidem hic, alterum vero alibi; siquidem genitus sit, & seorsum à Patre altrinsecus apparuerit. Quis locus quietis meæ dicit Dominus? cœlumne?

atqui cœli cœlorum non sufficient tib ,inquit Salomon, ad Deum verba faciens, magno argumento mortales docens, nihil locorum Deitatis esse capax, Manus, inquit, mea fecit hæc omnia,non igitur opera intra se continent opificem suum qui & ante opera existebat,illisque,vt existerent, causam præbuit vtriusque suis stabiliuit. Atque ideo ait Paulus, ex quo omnia, & per quem omnia, & in quo omnia. Ac rursus idem, in eo enim viuimus mouemur & existimus. Aufer iam mihi illud, loco subnixum esse,cum de Deo,& Verbo,& Spiritu Sancto cogitandum putes, aufer mihi locales capacitates, neque alibi existere Patrem,alio vero emitti filium,ex ratione gignendi suspiceris,istiusmodi falsæ vel potius impiæ ratiocinationes te in substantia Filij scandalizant, atque ideo, vna cum Filio Spiritus quoque Sancti tibi abnegationem inducunt, quum omnia à Patre præoccupata existimas. Ne requiras magnitudinem loci spaciosam, quæ capere posset Dei magnitudinem : non enim id, quod immensurabile est, in mensurato contineri poterit. Quoniam palmo suo metitur cœlum, vt Propheta per comparationem insinuat: Mensus est quoque aquam manu,& vniuersam terram pugillo. Si igitur minimum quiddam est hæc vniuersitas rerum vt prophetica parabola vtcunque subindicat,quo modo igitur pro spatiolo minimæ rei, Deum sese porrigere & circumscribere, suspicari poteris ? qui non eodem modulo cum vniuersitate rerum decurrens adimplet vniuersa : corporale enim id est, vt si exempli causa dicas aërem impleuisse quicquid inter cœlum, & terram est. Cæterum, hic non ita agitur : Deus enim, vt vis, ac potentia continet omnia, eo quod potentia incorporalis,& inuisibilis sit non ambiens, nec ambita: idem de filio,ac Spiritu Sancto existimandum.]

12 Quibus verbis hæreticos Sabellianos conuincit, ipsi enim dicebant Deum circumscribi loco determinato,& contineri ab illo,ita vt extra illum non sit Deus ; vnde amplius chymerisantes asserebant Patrem æternum esse in vno loco circumscriptiue vbi non erat filius, vnde filium determinabant ad vnum locum, & Patrem ad alium,ita vt vnaquæque persona ita circunscriberetur ad vnum locum, vt non possit esse extra illum locum ; quod patet ex illis verbis D.Athanasij : [discant igitur se non intelligere, neque quæ dicunt,neq; quæ affirmant cum Deum in loco circumscribunt filiumque denuo alio in loco consistere imaginantur, eosque sedibus distinctos esse illum quidem hic, alterum vero alibi,si quidem genitus sit,& seorsum à Patre altrinsecus apparuerit.]

13 Deinde asserebant isti Deum petere locum, cui subniteretur ipse Deus,& à quo contineretur Deus, & quasi sustentaretur, & ideo necessario petebant locum positiuum,quia à negatione non potest aliquid positiuum contineri, neque ipsi inniti,Diuus autem Athanasius primâ falsitatem, qua asserebatur Deum determinato loco circumscribi , & definiri his verbis conuincit,ac refellit: [quis locus quietis meæ dicit Dominus?cœlumne ? atqui cœli cœlorum non sufficient tibi inquit Salomon , ad Deum verba faciens,magno argumento mortales docens nihil locorum Deitatis esse capax ;] ac si dicat Sanctus Athanasius , cœlum , & terra non possunt sufficere præsentiæ Dei,quia omnia creata superat:ergo Deus non est in aliquo loco determinato neque potest comprehendi ab aliquo loco, quia si comprehenderetur ab aliquo non superaret omnia loca.

14 Secundum placitum aduersariorum, quo asserebant locum Dei necessario esse positiuum aliquod vt contineret Deum,& vt ipsi Deus inniteretur his verbis reputat : [Manus mea fecit hæc omnia,non igitur opera intra se continent opificem suum,qui, & ante opera existebat illisq; vt existeret causam præbuit viribusque suis stabiliuit. Atque ideo ait Paulus ex quo omnia & per quem omnia , & in quo omnia. Ac rursus idem, in eo enim viuimus, mouemur,& existimus. Aufer iam mihi illud loco subnixum esse, dum de Deo, & Verbo, & Spiritu Sancto cogitandum putes, aufer mihi locales capacitates , neque alibi existere patrem , alio vero emitti filium , ex ratione gignendi suspiceris ;] ac si diceret Deum non contineri à loco cui præsens est, neque inniti illi probat his duabus rationibus , quia omnia loca positiua sunt facta à Deo, tanquam à causa infinita : ergo non possunt continere ipsum,ita vt circunscribant & concludant, aut definiant & comprehendant ipsum, quia effectus limitatus non potest ita continere suam causam infinitam.

Secunda ratio qua hoc probat , est , quia Deus 15
non innititur loco,quia non est corpus neque ambitus ab illoneque ita de nouo est in aliquo spatio , vt ante quam produceret Deus tale locum positiuum, non fuerit in spatio , in quo producitur præsens locus , sed potius antequam produceret omnem entitatem positiuam fuit præsens Deus spatio, in quo illam producit, quia præsentia causæ in aliquo spatio prærequiritur in tali spatio ad productionem effectus;nam si causa non est præsens in aliquo spatio non potest producere aliquid in illo : ergo si Deus produxit in toto hoc spatio totum mundum, cœlos, & terram antequam produceret hæc omnia Deus existebat, ibi,& ideo ait Sanctus : [non igitur opera intra se continent opificem suum, qui & ante opera existebat, illique vt existerent causam præbuit viribusque suis stabiliuit ; ] ac si dicat,non ideo Deum esse præsentem, quia sunt entia positiua creata ab ipso, sed potius antequam positiua essent existebat Deus præsens, quia talis præsentia erat necessaria vt Deus posset facere,vt illa omnia existerent præsentia.

Ex quibus omnibus sic argumentor ex verbis 16
Diui Athanasij, quia ex eo quod Deus sit immensus non potest circunscribi aliquo finito loco: sed omnia loca positiua sunt finita:ergo Deus in nullo loco positiuo ita existit , vt intra illum solum sit, sed potius in illo , & extra illum , quia ille non sufficit eo,ac proinde non potest coæquare cum illo vt patet ex illis verbis : [nihil locorum Deitatis esse capax;] scilicet vt illi commensuretur Deus, aut in illo solo existat Deus præsens:ergo sua præsentia superat omnia loca positiua , quia si non superaret illa , & ex alio capite ita esset in illis vt in aliis extra illa non existeret , sine dubio locus positiuus limitaret præsentiam illius , & contineret ipsum , verbi gratia, ideo vnus Angelus âmebitur à loco,& continetur ab ipso, seu in ipso definite est , quia ita est intra illum locum , vt extra illum non sit:ergo si Deus est ita intra omnia loca positiua , vt extra illa non sit,necessario sequetur vt contineatur à loco,& quasi comprehendatur ab ipso , & coæquetur locus cum Deo, & minimum Deus,non superet omnia loca ; sed ex Diuo Athanasio Deus ita est in loco positiuo, vt superet omnem illum : ergo non est ita in illo vt non sit extra illum,sed extra locum positiuum est spatium : ergo Deus est in spatio extra totum mundum præsens illi.

Secundo quia antequam essent ( ex Diuo Athanasio ) omnia entia creata positiua Deus eo modo 17
existebat præsens absolute , ac nunc,quia à rebus,

quas

quas Deus produxit non accepit Deus absolute esse præsens; imo Deus illis dedit existentiam qua possent esse præsentia omnia creata, vt patet ex illis verbis: [Qui & ante opera existebat illisque vt existerent causam præbuit:] sed ante quam essent omnia entia positiua creata, non erat nisi spatium illud in quo creauit omnia positiua: ergo Deus antequam crearet illa, vt posset producere ipsa, erat præsens in spatio illo, seu vacuo, quo eadem produxit. Sed etiam Deus extra totum mundum in toto illo vacuo infinito potest infinitos mundos producere: ergo in toto illo vacuo, seu spatio imaginario ex Diuo Athanasio existit Deus præsens.

18 Tandem, quia vt vidimus in verbis huius Doctoris, vt Deus sit præsens alicui non est necesse quod sit positiuum, quia nec continetur à loco, in quo est præsens, neque ipsi subnittitur, vt patet ex illis verbis: [non igitur opera intra se continent opificem suum;] & ex illis: auferiam mihi illud loco subnixum esse cum de Deo, & Verbo, & Spiritu sancto cogitandum putes;] propter quam causam solum videbatur requiri locus positiuus: ergo bene potest esse præsens Deus extra locum positiuum, & extra entitatem creatam, & sic potest esse præsens secundum mentem Diui Athanasij in spatio imaginario, seu vacuo.

19 In vltimis verbis quæ incipiunt; si igitur minimum, vsque ad illa existimandum, aperte docet Diuus Athanasius, & probat Deum non solum esse præsentem in hoc mundo positiuo, sed etiam extra illum, quia hic mundus comparatus cum præsentia, & immensitate Dei, per quam est præsens minimum quiddam est, ac proinde Deus ita est in illis rebus, vt extra illas in infinitum sit præsens superando omnia, & ideo ait [ne requiras magnitudinem loci tam spatiosam, quæ capere posset Dei magnitudinem; non enim id, quod immensurabile est in mensurato contineri potest;] quod probat duobus locis sacræ scripturæ, primus est cœli cœlorum non sufficiunt &c. Secundus est *Isaiæ* 40. ibi: [mensus est quoque aquam manu, & vniuersam terram pugillo;] vnde concludit nostram veritatem, his verbis; [si igitur minimum quoddam est hæc vniuersitas rerum, vt prophetica parabola vtcunque subindicat, quomodo igitur pro spatiolo minimæ rei, Deum se se porrigere, & circunscribere suspicari poteris? qui non eodem modulo cum vniuersitate rerum decurrens, adimplet vniuersa: corporale enim id est vt si exempli causa dicas aërem impleuisse quicquid inter cœlum & terram est. Cæterum hic non ita agitur: Deus enim vt vis, ac potentia continet omnia, eo quod potentia incorporalis & inuisibilis sit, non ambiens nec ambita. Idem de filio ac Spiritu sancto existimandum.

20 Ex quibus euidenter patet nostram veritatem tum à sacra scriptura, tum ab Athanasio expresse doceri respondet Pater Granado 1. *part. tract. 3. disp. 3. sect. 3. n. 18.* his verbis: [Manifeste patet verba Salomonis non intelligi à S. Athanasio de existentia in aliquo inani supra cœlos, sed de independentia diuinæ naturæ quæ in nulla creatura ita est, vt ab illa quasi dependeat, aut illi adæquetur, nec in maiori loco possit connaturaliter existere,] & S. August. *lib. 1. confessionum, cap. 3.* ita Deum alloquitur] capiuntne: ergo te cœlum, & terra quoniam tu imples ea? an imples, & restat, quoniam te non capiunt? & quo refundis quidquid, impleto cœlo, & terra, restat ex te?]

Sed contra, quia Diuus Athanasius non probat Deum non dependere à creaturis, quia nec Gregales Sabellij hoc affirmabant, sed solum in prima parte vult probare Deum non limitari ab vno loco, neque circunscribi ab ipso, aut contineri ab eodem, & hoc probat loco *Regum* 8. [cœli cœlorum non sufficient tibi] & loco *Isaiæ* 40. [Mensus est quoque aquam manu & vniuersam terram pugillo.] Quibus locis vtitur vt acute conuincat non solum Sabellianos: sed omnes eos qui asserunt Deum ita esse in locis limitatis, & finitis vt extra illos non sit; vnde comparatione vtitur mirabili sumpta ex Propheta Isaia, qui Deum pingit ad modum hominis infinitæ magnitudinis concludentis & comprehendẽtis vna manu cœlum; & altera hæc omnia inferiora, terram, aquam, aërem &c. de quo homine si aliquis diceret ita esse præsentem his rebus, quas solis manibus continet vt ita sit in illis, vt extra illas non sit alibi præsens certe irrideretur à sapientibus, quia totus homo, eo quod magnitudine excedat capacitatem propriarum manuum necessario extenditur sua præsentia vltra manus; vnde extra præsentiam manus præsens est loco per id, quo excedit magnitudinem manuum, imo impossibile est, vt talis homo solum sit præsens spatio manuum, sed necesse est, vt ita amplius protendatur, vt sit præsens ampliori spatio, quam est spatium manus, hac igitur comparatione conuincit Athanasius, & Propheta ad asserendum impossibile esse Deum soli mundo esse præsentem, quia totus mundus infinite exceditur à præsentia infinita, & immensitate Dei, ac proinde ita debet esse præsens illi, vt vltra illum Deus per suam præsentiam repleat infinita spatia vltra mundum, in quibus alios infinitos mundos potest producere, quod euidenter docet Augustinus eisdem verbis, quibus vtitur Granado, dum explicat Diuum Athanasium pro se, verba enim hæc sunt: [capiuntne ergo te cœlum & terra, quoniam tu imples ea? imples, & restat quoniam te non capiunt? & quo refundis quidquid impleto cœlo, & terra restat ex te:] id est ita imples cœlum terram & vniuersum mundum tua præsentia, & immensitate, vt adhuc repleto mundo restet in infinitum tuæ præsentiæ, & immensitatis per quam ita superas mundum, vt extra illum infinitis spatijs sis præsens? ergo male explicat Granado Diuum Athanasium in sua prima parte, quia ibi non agit de dependentia, sed potius de infinita immensitate, & præsentia Dei per quam non est solum præsens mundo, sed infinito spatio. 21

Sed demus in prima parte Athanasium non aduersari opinioni Granados certe in secunda parte, vt patet ex supradicto absolute conuincit Deum, vt sit præsens non indigere loco positiuo eo quod, vt inquit Athanasius antequam res creatæ existerent tam infinite existebat præsens Deus, ac nunc neque nunc magis præsens est, quam antea. 22

Secundo probatur ex verbis *Iob.* 11. ibi: [excelsior cælo est] & 22. nonne cogitas quod Deus excelsior cœlo sit, & super stellarum verticem sublimetur?] supra quæ ait Dionysius *cap. 9. de diuinis nominibus:* ] Deus extrinsecus super omnem magnitudinem funditur, & expanditur;] quibus consonat Greg. Magnus *homilia 8. in Ezechielem*, vbi ait, [Deum implere, & super excedere omnia;] vnde explicans verba illa *Iob.* 11. excelsior cœlo est, postquam docuit sententiam Iob non esse accipiendam de excessu quantitatiuo ita subiungit: [Dominus excelsior est, quia in circun

circunscriptione spiritus super omnia diffunditur & extra omnia existit, & omnia transcendit,] quod docuerat antea Cyprianus *lib. de vanitate idolorum*, ibi, [Deus est totus vbique diffusus, & divus Philastrius hanc veritatem clarius docuit ante mundum præsens, in mundo præsens & vltra mundum vbique præsens, quia sua immensitate omnem locum creatum superat, & transcendit.] Quid clarius? in vltima parte huius probationis verba August. adducam *lib. 11. de civitate Dei, c. 5.* vbi sic ait,] Deinde videndum est istis, qui Deum conditorem mundi esse consentiunt, & tamen quærunt de mundi tempore, quid respondeamus, quid ipsi respondeant de mundi loco, ita enim quæritur, cur potius tunc, & non anteà factus sit: quemadmodum quæri potest, cur hic potius vbi est, & non alibi? Nam si infinita spatia temporis ante mundum cogitant in quibus eis non videtur Deus ab opere cessare potuisse: similiter ergo cogitent extra mundum infinita spatia locorum, in quibus si quisquam dicat non potuisse vacare omnipotentem, nonne consequens erit vt innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogatur: ea tantum differentia, quòd eos ille fortuitis motibus atomorum gigni asserit & resolui, isti autem opere Dei factos dicturi sunt si eum per interminabilem immensitatem locorum extra mundum circumquaque patentium vacare noluerint, nec eosdem mundos: quod etiam de isto sentiunt, vlla causa posse dissolui? cum his enim agimus, qui & Deum incorporeum & omnium naturarum, quæ non sunt quod ipse creatorem nobiscum sentiunt. Alios autem nimis indignum est ad istam disputationem religionis admittere, qui multis diis sacrorum obsequium deferendum putant; isti Philosophi cæteros nobilitate, atque authoritate vicerunt: non ob aliud nisi quia longo quidem interuallo, verumtamen reliquis propinquiores sunt veritati. An forte substantia Dei quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed de ea sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorporea præsentia vbique totam à tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sunt, & vno tantum, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est occupatam? Non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros. Cum igitur vnum mundum ingenti quidem mole corporea, finitum tamen ex loco suo determinatum, & operante Deo factum esse dicant, quod respondent de infinitis extra mundum locis, cur in eis ab opere Deus cesset: hoc sibi respondeant de infinitis ante mundum temporibus, cur in eis ab opere Deus cessaverit, & sicut non est consequens vt fortuitu potius, quam ratione divina Deus non alio sed isto, in quo est loco, mundum constituerit, cum pariter infinitis vbique patentibus nullo excellentiori mento posset hic eligi, quamvis eandem divinam rationem qua id factum est, nulla possit humana comprehendere mens: ita non est consequens vt Deo aliquid existimemus accidisse fortuitum, quod illo potiùs quam anteriore tempore condidit mundum, cum æqualiter anteriora tempora per infinitum retro spatium præteriissent, nec fuisset aliqua differentia vnde tempus tempori eligendo præponeretur. Quod si dicunt inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit præter mundum respondentur eis isto modo inaniter homines cogitare præterita tempora vacationis Dei, cum nullum tempus sit ante mundum.

Sic Divus Augustinus vbi concludit, & convincit stulte quærentes cur in tali duratione fecerit Deus mundum, & non ante, quare quia rationem differentiæ non poterant tribuere, & ex alio capite non poterant intelligere Deum cessare posse ab opere ne esset otiosus vnum ex duobus videbantur colligere, aut mundum factum fuisse abæterno, qui vsque nunc duraret, aut si non duravisset ille, qui factus fuit ab æterno eundem mundum in infinitum productum, in infinitum destructum, vt alternatione creationis, seu productionis, & destructionis, vel continua æterna productione tam infinita duratione non esset otiosus, sed occupatus Deus; unde sic arguebant ante tempus in quo produxit Deus in principio mundum præcessit vsque ab æterno infinita duratio, sed Deus otiosus esse non potuit: ergo in illa duratione antecedenti mundum operatus est, alias in tota duratione infinita fuisset otiosus, & nullum exercitium suæ omnipotentiæ habuisset quod est summum absurdum: sed non est maior ratio, quare in hac vel illa duratione ex antecedentibus ad tempus, in quo per vos conditus est mundus, produxerit Deus mundum: ergo vel Deus produxit infinitos mundos in illa infinita duratione, vel hunc mundum ab æterno produxit, & conseruauit per infinitam durationem, aut infinities eundem produxit, & reproduxit destruendo, sic adversarij.

Contra hos autem sic argumentatur divus Augustinus; ideo per vos Deus debuit producere mundum ab æterno, & non in tempore, ne otiosus sit per totam durationem æternam Deus, in qua ante tempus vere & realiter erat, sed certissimum est, & vos etiam iure quidem conceditis (quia sic debemus loqui si digne loquendum sit nobis de Deo) extra mundum dari infinita spatia in quibus Deus potest producere infinitos mundos, & quibus spatiis vere, & realiter est præsens Deus, quia minime distat ab illis: ergo sicut vos dicitis, ne Deus sit otiosus in tanta duratione extra tempus, in quo condidit mundum ipsum debere producere in illa duratione, & per totam illam, & non solum in duratione, quam nos dicimus produxisse mundum; evidenter colligitur debere à vobis concedi non solum in hoc spatio, quo produxit hunc mundum, sed etiam in toto spatio infinito extra mundum, cui vere est præsens Deus produxisse Deum alios mundos, ne sequatur quod solum operando in hoc spatio sit otiosus in infinitis spatiis extra hoc, siquidem in infinitis spatiis non haberet exercitium suæ omnipotentiæ; siquidem in infinitis spatiis extra hoc nihil operaretur, sed isti mundi qui producendi essent in infinitis spatiis essent infiniti, quia si finiti essent, extra illos restaret infinitum spatium, in quo si Deus nihil produceret esset otiosus: ergo si vestra argumentatio aliquid valet, non solum probat in tota æternitate producere Deum, quia in tota æternitate præsens est Deus: sed etiam in toto spatio infinito, ac proinde infinitos mundos, quod absurdum est & vos vt stultum ridetis in Epicuro: ergo etiam nos debemus ridere vestram argumentationem, ac proinde nullius momenti esse medium, quod assumitis, scilicet ne Deus sit otiosus, vbi est præsens, quia cum Deus ita sit fœcundus, vt ad intra habeat per totam æternitatem productiones personarum, hoc solum sufficit quod est maxime conveniens Deo, ne dicatur otiosus, licet nihil

operetur

operetur ad extra, per totam æternitatem, quia productiones respectu creaturarum, & creaturæ ipsæ productæ, cum nihil discant perfectionis in Deo, neque addant aliquid perfectionis ipsi, quia sunt tanquam nihil ante ipsum, ideo neque faciunt, neque non faciunt otiosum Deum.

24 Subiicit Diuus Augustinus. Si aduersarij asserant vt vim huius argumenti eludant non dari spatia extra mundum, etiam debent dicere ante tempus, in quo productus est mundus non dari durationem infinitam, quia non est maior ratio cur concedatur infinita duratio extra tempus antecedens ipsum, & non concedatur infinitum spatium extra mundum cui sit vere præsens Deus, sed est maximum absurdum inquit Augustinus negare infinitam & æternam durationem ante tempus, cui fuerit præsens Deus ante illud: ergo maximum absurdum est negare infinita spatia extra mundum, cui sit præsens Deus vere, & realiter.

25 Ecce Augustinus ex principio certo, quod in re est, & conceditur ab aduersariis, videlicet dari infinita spatia extra mundum, cui vere, & realiter est præsens Deus dissoluit argumentationem sophisticam aduersariorum: ergo euidenter sequitur Diuum Augustinum concedere manifeste Deum, vere, proprie, & rigorose esse præsentem infinitis spatiis imaginariis.

Declaratur amplius discursus Diui Augustini, probando omnes propositiones huius nostri discursus verbis ipsius doctoris in capite citato; Maior syllogismi continetur ab illis verbis. [Deinde videndum est istis vsque ad illa factus est.] Minor autem continetur in illis verbis: quemadmodum quæri potest cur hic potius vbi est, & non alibi vsque ad illa Deus cessauerit; reliquæ autem propositiones continentur ab illis verbis; cum igitur vnum modum ingenti quidem mole corporea, vsque ad illa cogitare præterita tempora vacationis Dei cum nullum tempus sit ante mundum.]

26 Respondet Pater Granado vbi supra *sectione 3. num. 21. §. legitima*, Diuum Augustinum licet argumentetur ex suppositione spatij imaginarij, interuallorum, quibus Deus est præsens non admittere; in propria sententia talem suppositionem, sed solum ex eo quod eam admiserint aduersarij ex illa ab ipsis admissa argumentatum fuisse; vnde colligit Diuum Augustinum sicut non admittit durationem ante tempus, ita non admittere spatia imaginaria extra mundum, quibus sit præsens Deus, ac proinde talem locum Diui Augustini non esse contra ipsum: sed pro ipso, fore autem contra ipsum si talis suppositio durationis, & loci seu spatij imaginarij extra mundum iudicaretur à Diuo Augustino, vere & realiter dari.

27 Sed contra hanc solutionem manifeste insurgo, nam licet verum sit Diuum Augustinum ex suppositione illa temporis ante mundum admissa ab aduersariis argumentatum fuisse, ex illa tamen proficiscitur ad concludendum contra ipsos, quod vt faciat supponit aliud, videlicet dari spatia imaginaria extra mundum, quæ suppositio, & conceditur ab aduersariis, & in re est vera inquit Augustinus, cui sit præsens Deus; vnde licet prima suppositio, quæ ad nos non pertinet, videatur solum admissa ab aduersariis, videlicet temporis imaginarij, nihilominus tamen suppositio de spatio infinito, seu vacuo extra mundum, quæ ad propositum huius quæstionis pertinet, non solum assumitur à Diuo Augustino, vt admissa dumtaxat ab aduersariis, sed etiam vt certa: ergo ex Diuo Augustino manifeste sequitur præsentiam Dei in tali spatio extra mundum esse veram, propriam & rigorosam.

Quod autem præsentiam Dei in spatiis infinitis extra mundum, quæ in suppositione illa includitur affirmet Diuus Augustinus, vt certam, patet ex illis verbis: [an forte substantiam Dei quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed de ea sicut de Deo sentire dignum est fatentur, incorporea præsentia vbique totam à tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sunt, & vno tantum atque incomparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est occupatam? non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros. Cum igitur vnum mundum ingenti quidem mole corporea finitum tamen, & loco suo determinatum, & operante Deo factum esse dicant, &c.] vbi ait Diuus Augustinus substantiam Dei, eo quod neque includitur, nec determinatur, nec distenditur loco, sed incorporea præsentia vbique sit, si de Deo, vt oportet, dignum sentiendum sit, non posse affirmari esse absentem ab infinitis spatiis imaginariis, sed potius affirmandum esse præsentem illis, tribuit rationem, quia infinitæ præsentiæ Dei tam exiguus locus in quo mundus est non sufficit, & concludit absurda loqui, qui oppositum docuerit: ergo si Diuus Augustinus ex immensitate Dei, ex dignitate infinitatis diuinæ præsentiæ probat, & concludit Deum debere esse præsentem non solum huic mundo, quia maxime exiguus est sed etiam infinitis spatiis extra mundum, ita vt, qui oppositum docuerit sit mentis inops; sine dubio asserendum est suppositionem de præsentia Dei in spatiis imaginariis non solum adduci à Diuo Augustino vt admissa ab aduersariis, sed etiam vt certam ab ipso affirmari, alias non probaret talem suppositionem tam euidentibus principiis qualia sunt infinita præsentia Dei, immensitas illius, & exiguitas vniuersi; nam quod ab aliis solum assumimus si non iudicamus esse certum, non probamus efficaciter, & multo minus dicentes oppositum non vocamus vaniloquentes: ergo si Diuus Augustinus probat talem præsentiam Dei in spatiis imaginariis, & oppositum dicentes vocat stultos, & vaniloquentes, sine dubio non solum assumit illam vt concessam ab aduersariis, sed etiam vt certam stabilit & affirmat. 28

Alias faceret in hac suppositione de præsentia Dei in spatio, quod fecit in alia de tempore imaginario ante mundum quam assumpsit, vt admissa ab aduersariis, & non probauit. 29

Respondet Pater Vasquez in eo capite non asseri à Diuo Augustino Deum non esse in infinito spatio extra cœlum, sed solum posse infinitos mundos extra cœlum producere. Contrarium tamen constat ex verbis, quæ retulimus, agit enim expresse de existentia in spatio, licet quia Vasquez illa non sibi obijcit, sed alia eiusdem capitis, inirum non sit explicationem eius non quadrare. 30

Confirmatur amplius ex elegantibus verbis eiusdem Diui Augustini *lib. 7. confes. cap. 5.* ibi: [constituebam in conspectu spiritus mei vniuersam creaturam, & feci vnam massam grandem distinctam generibus, sane finitam: te autem Domine ex omni parte ambientem eam, & penetrantem, sed vsquequaque infinitum; tanquam si mare esset vbique & vndique per immensa spatia infinitum solum mare, & haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen: plena esset spongia illa ex omni parte sua, immenso mari. Sic creaturam tuam finitam, te infinito plenam putabam 31

tabam & dicebam,ecce Deus, & ecce quæ creauit Deus,& ecce quomodo ambit, & implet ea.] Qua similitudine,& exemplo aptissimo,seu appositissimo explicat Deum non solum esse præsentem in tota rerum vniuersitate, sed etiam extra vniuersitatem & extra mundum per infinita spatia, vt patet ex illis verbis tanquam si mare esset vbique, vsque ad illa,'ecce quomodo ambit & implet ea; nam sicut parua spongia, ita est intra mare vt mare ipsum non solum sit illi præsens, sed etiam extra spongiam ingenti spatio, ita similiter Deus, qui infinite sua præsentia, & immensitate superat præsentiam, & magnitudinem orbis,non solum est præsens illi, sed etiam vere, & proprie infinitis spatiis extra illum. Clarius id explicat Dionysius *cap. 9. de diuinis nominibus*, vbi sic ait: [Magnus appellatur Deus iuxta propriam ipsius magnitudinem, quæ magnis omnibus suimet consortium tradit,& extrinsecus super omnem magnitudinem funditur, & supra expanditur omnem continens locum,omnem transcendens numerum, omnem transiliens infinitatem.] Loqui Dionysium de magnitudine virtuali Dei, quæ recurrit cum immensitate, vel saltem illam includit, patet ex verbis ipsis: ait vero eam extrinsecus super omnem magnitudinem fundi & supra expandi: ergo censet à parte superiori superemineré atque adesse connexæ superficiei cœli empirei: quid enim aliud significant verba illa fundi, atque expandi? nisi substantia diuina adsit vndequaque præsens ex superiore, atque extima parte mundi non vere dicitur fundi, & expandi, quantumlibet in se sit infinita: verba enim illa proprie accommodantur rebus corporeis, quæ protensione magnitudinis suæ circum aliud corpus diffunduntur: in Deo autem deest quidem dilatatio,ac protensio, cum sit incorporeus,ac summe simplex, dari tamen debet aliquid ratione cuius dicatur superfundi, & expandi: nec sat est purus modus existendi absque vlla habitudine præsentiæ extrinsecæ ad connexam mundi partem vel existentiæ extra terminos illius.

32 Audiamus etiam Diuum Gregor.hoc ipsum fusè, ac dilucidè declarantem *lib. 2. Moral. cap. 8. in id Iob. 1.* [Egressusque est Satan à facie Domini. Quod exitur (inquit) ab eo, qui vbique est? hinc namque est, quod Dominus dicit, cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum: hinc rursum de eo scriptum est, cœlum metitur palmo, & omnem terram pugillo concludit: sedi quippe cui præsidet, interior, & exterior manet: cœlum palmo metiens,& terram pugillo concludens ostenditur, quod ipse sit circumquaque cunctis rebus, quas creauit exterior,id enim, quod interius concluditur,à concludente exterius continetur;per sedem ergo, cui præsidet, intelligitur esse interius,supraque; per pugillum,quo continet,exterius, subterque signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia, & superior est per potentiam,& inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem interior per subtilitatem: rursum regens,deorsum continens,extra circundans, interius penetrans;nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior atque alia manet interior;sed vnus idemque totus vbique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens,circundando penetrans, penetrando circumdans. Vnde superius præsidens,inde inferius sustinens,& vnde exterius ambiens, inde interius replens, sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens, interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circundans,est itaque inferior, & superior sine loco: est amplior sine latitudine, est subtilior sine extenuatione.]Sane illa verba,[ipse sit circumquaque rebus, quas creauit exterior,] non solum significant Deum ratione suæ immensitatis manere extra res, sed ex omni exteriore mundi parte esse circumcirca præsentem, alias dici nequit circumcirca exterior. Iam vero illa alia verba, [exterior per magnitudinem;] item illa, [extra circundans;] & illa, [exterius ambiens,] idem prorsus declarant, cætera addita sunt ad ostendendum modum, quo Deus est interius & exterius præsens,non per diuersas partes magnitudinis, sed vna simplici ratione immensitatis: hoc enim significat cum ait: [exterius sine extensione circundans;] circumdare non negat, sed non eodem modo quo res quantæ: circumdat itaque exterius non propria extensione quantitatis sed virtuali immensitatis: similia fere habet *homilia 17. in Ezechielem, à medio.*

Nec minus clarum est testimonium Diui Hi- 33
larij *lib. 1. de Trinitate, non longe à principio*: Postquam enim retulit illud *Isai. quadragesimo.* [Qui tenet cœlum palmo,& terram pugillo:]& rursum *cap. Sexagesimo sexto*: cœlum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum, conclusum (inquit) palmo cœlum rursum Deo Thronus est,& terra, quæ pugillo continetur,eadem,& scabellum pedum eius est, ne in Throno, & scabello secundum habitum consistentis protensio speciei corporeæ posset intelligi, cum id, quod sibi Thronus, & scabellum est,rursum illa ipsa infinitas potens palmo, ac pugillo apprehendente concluderet,sed vt in his cunctis originibus creaturarum Deus intra, & extra, & super eminens,& internus id est circunfusus, & infusus in omnia nosceretur: cum, & palmo pugilloque continens potestatem naturæ exterioris ostenderet,ac Thronus, ac scabellum substrata esse, vt interno exteriora monstraret, cum exteriora sua interior insidens, ipse rursum exterior interiora concluderet. Atque ita totus ipse intra, extraque se continens, neque infinitus abesset à cunctis, neque cuncta ei, qui infinitus est, non inessent;] & paulo post,[nullus sine Deo,neque vllus, non in Deo locus est,in cœlis est, in inferno est, vltra maria est, inest interior, excedit exterior, itaque cum habet, atque habetur, neque in aliquo ipse neque in omnibus est.]Sane verba illa, Deus intra,& extra, & supereminens, aliquam habitudinem Dei ad mundum significant non nisi secundum modum præsentiæ: ea vero talis est, vt vere sit illi præsens ex parte intima & extima: hoc autem intelligi nequit, nisi Deus vere existat supra,& extra mundum,& quoad hoc habeat similem habitudinem ei,quam haberet corpus de nouo conditum extra vniuersum: quod aperte sonant illa verba: [ipse rursum exterior interiora concluderet;] indicant enim Deum nostro intelligendi modo esse arcum purum cœlis, totumque orbem vniuersum claudere; non quidem mole corporis,sed propriæ substantiæ immensitate, ratione cuius circumfunditur cœlo. Idque aperte sumitur ex illis verbis: [inest interior,excedit exterior;] quomodo enim excedit exterior, si extra cœlum, & mundum non est? quantumlibet enim res secundum se sit perfectior, ac maior alia, & ratione suæ magnitudinis possit esse in aliis locis extra illam, nequaquam dicitur esse actu extra illam, nisi de facto vere extra illam existat:

vt

vt patet in corpore Christi existente Sacramentaliter in speciebus consecrari, quibus est multo maior secundum naturalem magnitudinem, & tamen nisi sit extra illas secundum existentiam naturalem, non vere dicitur existere extra species: similiter, quantumvis Deus sit immensus, & maior mundo, nisi tamen actu existat, supra, & extra mundum, non dicetur vere esse extra illum.

34 Confirmatur authoritate illorum Patrum qui aiunt Deum circumcontinere, complecti, concludere, ambire, circumdare omnem rem, vel locum: sane verba illa circumcontinere, complecti, circumdare excessum significant magnitudinis virtualis Dei, quæ ita est præsens rebus omnibus, ac locis, vt tamen illa vasto sinu suæ immensitatis ambiat, ac circumdet. Quamvis autem Deus continere dicatur res actiue per potentiam, Patres tamen prædictis verbis vtentes non potentiam respiciunt, sed immensitatem, qua omnia circumplectitur ipse exterius assistens, vt patet ex Irenæo *libro secundo aduersus hæreses cap.* 2. vbi: [cum oporteat (inquit) Deum omnia circumcontinere, ipsum autem contineri à nemine.] Quemadmodum negat Deum contineri ab aliquo continentia locali, similiter affirmat ipsum circumcontinere omnia virtuali magnitudine. *Origen. lib. 7. contra Celsum, paulo ante medium*: [complectens (inquit) omnia, cum ipsum nihil possit capere.] Sane cum ait [cum non capi à creaturis, de inclusione loquitur magnitudinis: atque adeo, cum ait ipsum complecti omnia, ratione eiusdem magnitudinis intelligit, & in id *Iob cap.* 1. [venerunt Angeli Dei vt starent ante Deum; hæc duo coniungit, [vniuersa eius circumdat virtus, cuncta eius continet magnitudo:] & ideo non est idem apud ipsum continere magnitudine, ac vi, potentiaque actiua. Gregor. *homil. 8. in Ezechiel. cit.* postquam dixerat Deum omnia implere, addit etiam circumplecti, vt significaret diuinæ magnitudinis immensitatem; similiter loquitur Autor *lib. de speculo, cap.* 6. ratione etiam magnitudinis, & immensitatis Deum omnia circundare docet Gregor. *libro secundo Moral. cit. & lib. decimo sexto, cap. decimo quinto, in id Iob.* 24. [Si ad orientem venero non apparet] & *homil. 17. in Ezechiel. à medio.* Autor *lib. de speculo cap. trigesimo secundo.* August. *lib. 7. confes. capite* 5. Deum ait ambire totam massam creaturarum, vt immensum mare spongiam inse immersam. Gregor. *lib. 2. Moral. cit.* ait Deum exterius omnia ambire, quod ratione magnitudinis intelligit, ibidem enim dixerat Deum esse exteriorem per magnitudinem. Isidor. vbi *supra*: ideo exterior est, vt magnitudinis suæ immensitate omnia concludat.]

Quæ verba etiam vsurpant Alcuin. *cit.* & Autor *lib. de speculo, cap.* 22. denique Petrus Damianus *epist. citata*, [Dominus (inquit) per Prophetam dicit cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, rursusque de eo scriptum est, cœlum metitur palmo, & omnem terram pugillo concludit, sedi quippe cui præsidet, interior & superior manet. Nam per id cœlum palmo metiens, & terram pugillo concludens ostenditur, quod ipse sit circumquaque cunctis rebus, quas creauit exterior; id namque, quod interius concluditur, à concludente exterius continetur. Per sedem ergo cui præsidet, esse interius & supra perpenditur, per pugillum vero, quo continet esse exterius, subterque significatur, quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infrà omnia & superior est per potentiam, & inferior est per sustentationem, & exterior est per magnitudinem, & interior est per subtilitatem si Deus est cunctis rebus quas creavit, circumquaque exterior, profecto concipi debet undique circumfusus mundo: hoc autem fieri nequit, nisi designata quavis parte superficiei convexæ cœli empyrei, verum sit dicere Deus est supra, vel extra hanc partem: quod si verum est, vtique Deus non dissimiliter est supra illam ac esset quævis alia res ab ea indistans. Argumentatur autem ab analogia rei corporalis qua alia concluduntur, est enim illi exterior: & ideo sicut corpus gremio suo aliud concludens est illi ratione magnitudinis suæ exterius præsens, ita Deus creaturas omnes circundans, & continens debet omnibus esse præsens exterius vera & reali præsentia suæ immensitatis. Non perpendo singillatim cætera verba quæ satis declarant nostram sententiam, quia ipsa per se clara sunt, & longum esset singula considerare.

Denique idem colligitur ex eo, quod Patres 35
aiunt creaturas esse intra Deum, nihil extra illum esse, & similia. Ita Origen. in illa verba *Iob. c.* 1. [venerunt Angeli Dei vt starent ante Deum.] Ambros. *vbi supra*, [Nec enim Deus clauditur, sed omnia in se habet, vt solus ineffabilis, & infinitus habeatur]: similia dicit Hilarius, *lib. 1. de Trinitat. non longe à principio*, [atque ita] inquiens (totus ipse intra extraque continens neque infinitus abesset à cunctis) neque cuncta ei; qui infinitus est, non esset. Hieronym. in verba illa *Iob.* 11. [excelsior cœlo est, credimus; quod vbique est Deus, & intra eum omnia quæ ab eo creata sunt, continentur.] Gregor. *lib. 16. Moral. cap.* 15. in illa verba *Iob. vigesimo quarto*, [si ad orientem venero (vbi sic ait) incircunscriptus Spiritus omnia intra se ipsum habet, quæ tamen & implendo circundat, & circundando implet, &c.] Isidor. *vbi supra*, [Verum ne quæ creata sunt extra Deum essent Deus exterior est, vt omnia concludantur ab eo.] Similia dicit Alcuinus *vbi supra*, & Autor *libro primo de speculo, cap. vigesimo secundo.* Cum verò hæ locutiones propriæ non sint, habeant tamen aliquid proportionale in Deo respondens, ratione cuius omnia intra ipsum dicantur esse, non aliter intelligi potest, quam ratione magnitudinis virtualis ipsius, qua ita existit in se omnia circumplectens & ambiens præsentia substantiæ suæ, vt aër ambit aues in ipso volantes, mare pisces, & omne corpus ingens, ac fluidum minuta corpora intra ipsum comprehensa. Quam rem egregia similitudine explicavit August. *lib. 7. confess. cap. quinto*, constituta ante oculos mentis massa omnium creaturarum cum Deo loquens, [concipiebam (inquit) te Domine ex omni parte ambientem eam, & penetrantem, sed vsquequaque infinitum, tanquam si mare esset vbique, & vndique per immensa spatie infinitum solum mare, & habere intra se spogiam quamlibet magnam, sed infinitam tamen plena esset spongia ex omni sua parte ex immenso mari, sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam, & dicebam]; si comparatio Augustini vllo modo quadrat in rem, de qua agit: ita se habet divina substantia vastitate suæ immensitatis ad vniversam creaturam, vt vastissimum mare ad spongiam ipsi immersam: est vero mare spongiæ illi extrinsecus undequaque

præsens: similiter ergo Deus est extra creaturam, illi tamen immediate præsens.

## SVBSECTIO I.

*Amplius hæc confirmantur.*

36 DEinde quam plurima testimonia reperiuntur, quibus Patres vruntur, quæ iuncta illorum interpretatione magnam vim habent ad hoc institutum. Primum habetur *Iob. capite* 11 [Excelsior cœlo est;] nam quod excelsius est altero substantiæ suæ magnitudine, illud & æquat, & superat ita vt respondeat toti spatio, in quo illud est, & adhuc supra illud extet, ac emineat: si ergo Deus excelsior cœlo est supra summum eius verticem esse debet. Quo testimonio ad hoc institutum vtitur Gregor. *eodem loco, lib.* 10. *Moral. c.* 7. & Diuus Hieronymus ibidem, ex eo colligit omnia esse intra Deum quemadmodum locata intra locum, qui est ipsis superior, & exterior: secundum habetur 3. *Reg.* 8. *&* 2. *Paralip. cap.* 2. *&* 6. [Quem cœli cœlorum capere non possunt.] Consonat Hymnus Ecclesiæ de Deipara: [quem totus non capit orbis,] intelligi nequit vnum, esse intra aliud, & concipi si simul non sit extra illud: nam quod continetur iisdem terminis loci, quibus aliud vere ab ipso capitur: Deus est intra mundum, & cœlum, vt docent communiter Patres, & sumitur ex locis Scripturæ, quibus dicitur replere orbem, si ergo non capitur debet esse extra vtrunque. Ex quo testimonio eandem veritatem probat Maior, *q.* 2. *citata*, & nonnulli recentiores: tertium habetur *Isaia q.* 40. [Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit,] quibus verbis significatur Deum vniuersam cœli, ac terræ machinam pugillo manus suæ comprehendere, & sicut manus manet exterior iis, quæ pugno continet, ita Deus manet extra vniuersam creaturam, quod testimonium ad hoc ipsum vsurpant Patres Gregor. *lib.* 1. *mor. cap.* 8. *in id. Iob* 1. [egressusque est Satan à facie Domini,] *homil.* 17. *in Ezechiel. à medio.* Athanas. *de vnita, ac sempiterna substantia Trinitatis, lib.* 5. *in fine*, Hieronym. *Isai* 66. *initio*, & in id *Ezechiel.* 40. [& introduxit me in atrium.] Hilarius *lib.* 1. *de Trinitate, non longe à principio*, & Petrus Damian. *Epist.* 4. *de Dei omnipotentia, c.* 6. Quantum denique habetur *Isai.* 66. [cœlum mihi sedes est:] nam sicut sedens eminet, atque extat supra sedem, ita quoque Deus est supra cœlum. Quo testimonio hoc ipsum confirmat Athanas. Hilar. Hieronym. Greg. & Petrus Damianus *loc. cit.* & Cyrill. Hier. *Cateches. 6.* vbi [sedes (inquit) ipsi cœlum, sed illud tamen excellit sedens.]

37 Ad hanc etiam sententiam confirmandam deseruient testimonia Sanctorum Patrum, qui aiunt Deum esse super cœlos, supra mundum, supra omnia. Respondent recentiores illis loquendi modis noluisse Patres significare, excessum diuinæ immensitatis super spatia locorum creata, sed diuinæ potentiæ super res omnes, quod colligunt ex Augustino, *libro de natura boni, contra Manichæum, cap.* 3. [vbi Deus (inquit) ita supra omnem creaturæ modum est, super omnem speciem, supra omnem ordinem, nec spatiis locorum supra est, sed ineffabili, & singulari potentia, à quo omnis modus, omnis species, omnis ordo.] Hec responsio simul cum verbis Diui Augustini, probat quidem Patres quando aiunt Deum esse supra res creatas aliquando significare voluisse excessum, & eminentiam diuinæ naturæ, vel potentiæ, quod gratis concedimus, & ita Patres sæpe expresse affirmant Deum esse superiorem per potentiam? Gregor. & Petr. Damian. *loc. cit.* & Auctor *lib. de spec. c.* 32, & alij. Non tamen conuincitur semper posse in hoc sensu explicari; cum enim dicunt Deum esse vbique, vel aliquid simile, quo significent Deum esse præsentem rebus omnibus per suam immensitatem, & præterea adducunt esse super cœlos, supra omnia, & similia, manifeste significant velle se declarare, excessum diuinæ magnitudinis virtualis super omnē magnitudinem, & locum creatum; ita vero loquitur S. Macharius senior Ægyptius *homil.* 12. [Deus (inquiens) est vbique & super cœlos.] Damascen. *lib.* 1. *de fide, cap.* 16. [Deus incircumscriptus cuncta replens & supra omnia eminens, totus in omnibus, & totus super omnia,] & Elias Cretensis *in orat.* 1. *apologeticam*, Nazianzen. *pas.* 41. [Quis nescit eum vbique præsentem esse omnia implere & supra omnia esse:] & *in oratione* 24. quæ est in Ægyptiorum aduentum *pas.* 653. [Quis locus Dei esse possit, qui cœlum, ac terram implet, atque vbique præsens est, & omnia superat?] accedit, quod Patres aliquando expresse declarant loqui se de excessu diuinæ magnitudinis super omnem locum creatum Damascen. *lib. cit. cap.* 17. [Deus (inquit) vbique existens, & super omne vbique.] Imo Concil. Ephesin. *tom.* 1, *cap.* 6. ex sententia Cyrilli Alexandrini asserit naturam diuinam esse omni termino, ac loco, etiam imaginario superiorem.

38 Ad hunc etiam loquendi modum spectat, quod Patres dicunt Deum omnia creata excedere, supereminere, transcendere, & similia, quæ verba quamuis absolute sumpta intelligi possent de excessu diuinarum perfectionum super creatas, tamen sæpe non admittunt huiusmodi interpretationem, aperte enim significant excessum diuinæ immensitatis super omnem magnitudinem & locum creatum. Imprimis enim Cyrillus Alexandrinus *loc. cit.* à Concilio Ephesin. *tom.* 1. *&* *cap.* 4. *tom.* 6. *cap.* 1. expresse affirmat Deum immensitate sua omnia excedere, & Gregor. *lib.* 10. *Moral. cap.* 7. *in id Iob* 11. [excelsior cœlo est, cœlo (inquit) est excelsior, quia incircumscriptione sui spiritus cuncta transcendit.] Deinde alij Patres, quamuis non dicant quasi in actu signato Diuinam immensitatem, excedere omnem locum creatum, tamen asserentes Deum esse in omni loco & in omni re, & illa omnia excedere, aperte significant loqui se de excessu immensitatis, non vero naturæ diuinæ. Ita vero loquuntur Ambros. in id *ad Ephes.* 3. [vt possitis comprehendere, quæ sit latitudo, &c. sphera, (inquiens) definito modo concluditur. Deus autem non solum implet omnia: sed excedit, vt solus ineffabilis, & infinitus habeatur.] Cyrill. Hierosolym. *Cateches. 6.* [In omnibus locis existens à nullo tamen comprehensus, sedes ipsi cœlum, sed illud tamen excellit sedens.] Hilar. vbi supra. Nullus (inquiens,) sine Deo neque vllus non in Deo locus est inest interior, & excedit exterior, Theodorus Ancyræ Episcopus *hom. in Natalem, versus finem*, habetur *tom.* 6. *Concily Ephesini ca-pite* 10. [In Christo (inquiens) omnis diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitat, sed ô rei miraculum? tota diuinitatis plenitudo in vno habitat corporaliter, & nihilo tamen secus reliqua omnia adimplet, & ita implet, vt vniuersam creaturam excedat,] & Gregorius *hom.* 8. *in Ezechiel. paulo ante medium*, [Deus vbique est, & vbique totus ponamus ante oculos mentis, quæ illa natura sit, quæ

quæ tenet omnia, implet omnia, circumplectitur omnia, superexcedit omnia. Similia inquit Auctor *lib. de speculo cap. 2. apud Aug. tom. 9.*

39 Secundo faciunt illi Patres, quia aiunt Deum esse extra omnia, exteriorem rebus omnibus, vel iis exterius, aut forinsecus circunfundi: hoc argumentum conantur eludere recentiores aliqui Theologi, dicentes hæc dicta esse à Patribus propter incircunscriptionem essentiæ diuinæ, quæ non est in loco circunscriptiue aut definitiue: non vero quasi instar corporis sit extra creaturas. Verum, quamuis non sit ad modum corporis, est tamen ad modum spiritus, si crearetur extra cœlum, extra quod etiam vere Deus habet existentiam actualem: si enim non habet, quomodo dici potest esse extra mundum, aut exterius rebus omnibus circunfundi, vt loquitur Hieronymus *Isai. 66. initio, & in Ezechiel. 40.* [Et introduxit me atrium,] & Hilar. *vbi supra.* Nam illud, quod nullo modo habet esse extra terminos alterius, sed solum cum illo, & in illo existit, extra illud non est, neque exterius, aut forinsecus circunfunditur. Nec ad veritatem harum locutionum sufficit diuinitas secundum essentiam, ita vt diuina ratione suæ perfectionis creatas omnes quodammodo supergressa exterius ambiat, continens omnem illarum perfectionem, & plures alias in infinitum: nam anima perfectior est corpore; itemque dæmon, neque tamen illa dicitur esse exterior corpore quod informat, vel hic corpore, quod obsidet.

Accedit, quod Patres diuinam magnitudinem respiciunt cum ita loquuntur, vt patet apud Dionysium *cap. nono. de diuin. nominib.* [Extrinsecus (inquiens) super omnem magnitudinem funditur,] Hieronym. *Isai. 66. initio*, [aene arbitremur (inquiens) cœlo quoque, & terra dei magnitudinem metiendam, in alio loco de eo legimus, qui tenet cœlum palmo & terram pugillo, per quæ ostenditur deus, & forinsecus, & intrinsecus, & infusus, & circunfusus, dum, & solio ambigente non concluditur, & pugillo concludit, & palmo.] Greg. Magn. *citato libro secundo Moral. cap. 8.* & Auctor *libro de speculo, cap. trigesimo secundo*, Petr. Damian. *Epistol. 4. de Dei omnipotentia, cap. 6.* [Exterior (inquiunt) est per magnitudinem,] & Alcuin. *libro secundo de Trinitate, cap. quarto.*] Deus exterior est, vt omnia concludantur ab eo, non locali magnitudine, sed potentiali præsentia, qua vbique præsens, & omnia illi præsentia;] si ratione præsentiæ omnia concludentis est rebus exterior, vtique non propter immensitatem perfectionis, sed magnitudinis virtualis dicitur exterior. Hoc ipsum expressit Isidor. *libro 1. sententiar. de sum. bono, cap. secundo, & tertio*, sic enim ait: [immensitas diuinæ magnitudinis ita est, vt intelligamus eum intra omnia, sed non inclusum, extra omnia sed non exclusum, & ideo interiorem vt omnia contineat, ideo exteriorem, vt incircunscriptæ magnitudinis suæ immensitate omnia concludat.] Quæ verba etiam vsurpant Auctor *lib. de speculo cap. 22.* & Alcuin. *loco citato*, idem aperte significant Patres, qui dicentes deum esse vbique vt significent excessum diuinæ immensitatis super omnia loca, addunt esse extra omnia. Ita Athanas. *Epist. 1. ad Serapion. de Spiritu sancto*, dicens, [Verbum, & Spiritum sanctum esse vbique, & extra omnia,] & August. *lib. de cognitione veræ vitæ, cap. 20.* [vbi scilicet in omnibus & extra omnia est totus.]

## SVBSECTIO II.

*Rationibus probatur nostra conclusio.*

PRimo, quia omne quod continetur sub termino vel obiecto præsentiæ creatæ continetur subiecto vel termino præsentiæ increatæ, & imparticipatæ: sed omne id quod est terminus vel obiectum præsentiæ diuinæ increatæ, & imparticipatæ terminat formalissime ipsam præsentiam diuinam: ergo omne quod est terminus vel obiectum præsentiæ creatæ, vel quod est sub tali termino adæquato terminat ipsam præsentiam diuinam formalissime. 40

Sed spatium imaginarium est terminus, qui formalissime terminat præsentiam creatam: ergo spatium imaginarium est terminus qui formalissime terminat præsentiam diuinam increatam, & imparticipatam. 41

Tunc sic, omne id quod terminat formalissime præsentiam alicuius tanquam proprius terminus illius est, cui est præsens formalissime res, cuius est illa præsentia: sed deus habet præsentiam, cuius terminus formalis est spatium imaginarium; ac proinde spatium imaginarium formalissime terminat præsentiam diuinam, & increatam: ergo deus per talem præsentiam formalissime est præsens spatio imaginario. Maior prima & præcipua est cuidens, ideo omne quod continetur sub obiecto vel termino scientiæ creatæ cõtinetur sub obiecto vel termino scientiæ increatæ, quia ipsa scientia creata, cuius terminus est ille, continetur sub scientia increata propter proportionem quæ datur inter scientiam, & obiectum & etiam omne obiectum potentiæ creatæ continetur sub obiecto vel termino potentiæ increatæ, quia ipsa potentia creata quatenus creata participatur ab increata, & continetur sub illa ratione cuius obiectum potentiæ creatæ debet esse pars obiecti potentiæ creatæ. 42

Sed etiam præsentia creata, & participata, quatenus talis continetur sub præsentia diuina participatur ab ea, & est participatio illius: ergo etiam obiectum seu terminus præsentiæ creatæ continetur sub obiecto præsentiæ increatæ, est pars illius, & participatur ab ipso: consequentia est euidens, quia vbi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis: sed tota ratio formalis propter quam obiectum, seu terminus scientiæ & potentiæ creatæ sunt terminus, & obiectum etiam scientiæ & potentiæ diuinæ, & continetur sub obiecto illius, est quia talis scientia, & potentia creata, cuius obiectum est illud continetur sub scientia, & potentia increata, & participatur ab illa; nam propter proportionem quæ datur inter potentiam, scientiam, obiectum, & terminum quantum ad hoc, quidquid dicitur de vno dicitur de altero: sed etiam præsentia creata participatur à præsentia increata, & continetur sub illa: ergo etiam obiectum seu terminus præsentiæ creatæ est terminus seu obiectum præsentiæ increatæ, & continetur sub obiecto illius, quæ continentia est effectus formalis illius rationis formalis, quæ datur in obiecta scientiæ & potentiæ. Minor prima, & præcipua est certissima ex ipsis terminis, quia impossibile est quod contineatur aliquid sub termino alicuius potentiæ vel quasi potentiæ, & non sit terminus illius, sicut impossibile est quod albedo contineatur sub termino potentiæ visuæ, & quod non sit terminus illius. 43

impossibile est etiam quod Petrus contineatur sub termino relationis paternitatis, & quod non sit terminus illius, & tandem impossibile est quod ante Christus contineatur sub termino adæquato omnipotentiæ, & quod non sit terminus inadæquatus illius in quo non est multum immorandum cum ex ipsis verbis liquido constet: sed impossibile est quod aliquid sit terminus alicuius potentiæ vel quasi potentiæ quin formalissime terminet talem potentiam vel quasi potentiam, quia terminus à terminando dicitur, sicut albedo à dealbando, & relatio à referendo; nam si terminus nullomodo terminat eodem modo dicetur terminus, ac dicitur viuens, quod nullomodo viuit, sed potius omnino inanime est, quod quam sit absurdum lipis, & tonsoribus notum est, nam impossibile est quod detur actus primus qui non possit excercere actum secundum, sed terminus est actus primus terminandi: ergo non potest dari terminus quin possit terminare, itaque in tantum dicitur terminus, in quantum aliud ab ipso terminatur: sed non potest terminari aliquid ab alio, quin id, à quo terminatur terminet ipsum, quia nunquam datur vox passiva, sine actiua, quia sunt sinonima, uel quasi sinonima & inter sinonima nulla datur separatio, & diuisio cum sint idem omnino: ergo si terminus formalitatis diuinæ v. g. scientiæ vel potentiæ est id, à quo terminatur illa, sine dubio terminus erit, qui terminat illam, vel qui poterit terminare ipsam; unde si formalitas in actualitate consistit, nunquam dabitur terminus talis formalitatis quin actu terminet illam, sed præsentia divina consistit in actualitate existendi præsentialiter, vel faciendi Deum actu præsentialiter vel faciendi Deum actu præsentem: ergo terminus eius erit terminus, quatenus actu terminat talem præsentiam.

44 Secunda minor principalis est manifesta, quia cœlum empireum habet formalissimam præsentiam, sed præsentia cœli empirei est formalitas relatiua, quæ quatenus talis debet habere terminum: ergo præsentia cœli empirei vel ultimæ sphæræ habet formalissimum terminum, sed talis formalis terminus est præsens cœlum per talem præsentiam, & nulli alij est præsens cœlum empireum nisi spatio imaginario, nam vltima superficies conuexa cœli empirei replet illud spatium, ac proinde est præsens ipsi cuius ratio est manifesta, nam talis superficies conuexa cœli empirei est præsens alicui, sed non est aliud, cui sit præsens nisi spatium illud: ergo terminus, cui est præsens cœlum empireum non est aliud nisi spatium illud vacuum, quod vocatur imaginarum: ergo cœlum empireum habet pro termino formali spatium imaginarium in ordine ad suam præsentiam.

45 Præterea, si Deus nullum aliud corpus creauisset nisi cœlum empireum, sine dubio cœlum empireum esset præsens ubi nunc est: sed non esset præsens sibi ipsi, quia præsentia est conceptus relativus & non absolutus; ac proinde est ad aliud præter præsens: ergo esset præsens alteri præter se, sed non esset aliud cui possit esse præsens nisi spatium illud vacuum: ergo cœlum empireum haberet pro termino suæ præsentiæ spatium illud imaginarium, & eodem modo vrgetur supponendo ut verum id quod Theologi asserunt, videlicet Christum esse stantem supra superficiem connexam cœli empirei, in quo nulla est difficultas, & minor si ponatur casus de possibili, in hoc igitur casu caput Christi Domini est præsens vere & realiter, sed non est præsens alteri præter spatium imaginarum: ergo spatium imaginarium est terminus præsentiæ capitis Christi formalissimus?

Præterea supponamus neque esse cœlum empy- 46
reum, neque corpus illum in mundo, & quod creet Deus Angelum in hoc spatio vbi existit mundus, tunc Angelus haberet præsentiam: ergo esset præsens vere & realiter, quia impossibile est, quod detur forma in subiecto capaci, quin constituat illud in esse effectus formalis, sed illa præsentia Angeli est relatio ad terminum formalem, cui est præsens: ergo Angelus per illam præsentiam esset præsens alicui termino, sed non est aliud quod possit esse terminus talis relationis seu præsentiæ Angelicæ nisi spatium illud, in quo est: ergo spatium imaginarium seu vacuum est terminus formalissimus præsentiæ creatæ, & quod terminat formalissime illam.

Dices Angelum ibi non habere præsentiam.

Sed contra manifeste, quia ad omnem exi- 47
stentiam, siue creatam, siue increatam actualem vt distinguitur ab exiltentia possibili præterita, & futura sequitur præsentia actualis, quia impossibile est quod aliquid ita existat tempore præsenti, & non sit præsens actu, sicut impossibile est quod aliquid habeat futuritionem; aut mensuretur sola durationc futura, vel præterita, & non sit præteritum aut futurum: sed quod actu existit in præsenti duratione est: ergo in præsenti est: ergo præsens est, sed quod præsens est quatenus concretum est, debet habere præsentiam, quæ est abstractum formale constitutiuum illius, sicut album necessario habet albedinem, & vnitum vnionem: ergo Angelus, qui actu existit formalissime in præsenti duratione & formalissime differt à futuro pure à puro præterito, & puro possibili, ac proinde est formalissime præsens, necessario debet habere præsentiam formalissimam, per quam actu sit præsens alicui.

Declaratur, & vrgetur amplius, quia omnis 48
gradus entis habet aliquod exercitium formale, siue virtualiter vt in Deo, siue formaliter vt in creaturis distinctum ab ipso gradu à parte rei, vt uidere est in substantia, cuius exercitium est subsistentia in accidenti, cuius exercitium est inhærentia in ente intellectuali, cuius exercitum est intelligere, &c. Sed ens actu existens quatenus distinguitur ab ente possibili, futuro, & præterito, & quatenus existit actu in duratione, præsenti, & ratione illius dicitur præsens, non potest habere aliud exercitium nisi actualem, & formalem præsentiam: ergo omne ens actualiter existens habet actualem, & formalem præsentiam: sed Angelus est actualiter existens: ergo Angelus habet, aut haberet in casu posito formalissimam præsentiam ad aliud tanquam terminum quia præsentia est relatio, aut secundum dici, aut secundum esse, ac proinde est ad aliud, cui sit præsens, sed non est aliud, cui in illo casu esset præsens Angelus nisi spatium illud: ergo spatium illud vacuum omni corpore esset terminus formalis præsentiæ Angeli.

Vltimo sic vrgetur, quia Angelus in illo casu 49
moueretur localiter, & ex una parte spatii ad aliam progrederetur, vt modo in hoc mundo progreditur & probabile est, vt multi Doctores asserunt, supra cœlum empyreum in spatio illo moueri Angelos assistentes Christo Domino tanquam supremo Regi, & Imperatori, in quo nulla est difficultas, quia motus Angeli, seu potentia motiua illius non dependet a corporibus, &

& ideo si Deus nullum corpus produxisset sine dubio mouerentur si vellent Angeli : sed motus localis est productio & fieri præsentiæ, seu vbi : ergo si Angelus moueretur localiter daretur in Angelo producta præsentia localis, aut factum vbi, quia nec per potentiam Dei absolutam potest dari fieri sine facto esse productio sine producto, quia productio est relatio, & productum terminus illius : sed non potest dari relatio sine termino : ergo non potest dari productio sine producto, & fieri sine facto esse : sed motus localis est productio præsentiæ, & fieri illius : ergo non potest dari motus localis sine præsentia.

49 Tunc sic, sicut motus localis est relatio ad præsentem, & ideo non potest esse sine præsentia, ita etiam præsentia est relatio, seu determinatio rei ad spatium faciendo illam præsentem formaliter illi : ergo si in spatio vacuo, seu imaginario daretur Angelus mouens se localiter, Angelus haberet præsentiam in spatio imaginario, per quam formaliter Angelus esset præsens ibi formalissime : ergo iam creatura per suam præsentiam formaliter terminatur ad spatium imaginarium, & spatium imaginarium est terminus formalissimus, qui terminat formalissime præsentiam creaturæ ad ipsum.

50 Quod autem omne id quod terminat formalissime relationem præsentiæ, seu connexionis illius sit id, cui per præsentiã res est præsens formaliter, patet manifeste, quia omnis relatio, siue transcendentalis, siue prædicamentalis, seu omnis formalitas dicens connexionem, aut ordinem secundum dici exercetur formaliter circa suum terminum constituẽdo subiectum, in quo est in formali exercitio suo, v. g. quia terminus formalis Paternitatis est filius, aut homo genitus ab alio, Paternitas ipsa constituit formaliter hominem generantem in esse Patris respectu hominis geniti, & in exercitio proprio circa illum, & quia intellectio diuina est relatio secundum dici ad obiectum, constituit Deum in esse intelligentis tale obiectum, & quia omnipotentia est quasi relatio, aut connexio Dei cum creaturis producibilibus, quæ sunt terminus illius constituit Deum in exercitio proprio circa creaturas producibiles producendo ipsas, sed præsentia localis est relatio, seu prædicamentalis, seu secundum dici quod certius est, siue transcendentalis ad locum, vel spatium : ergo quidquid fuerit terminus formalis illius, & terminauerit formaliter illam erit id circa quod præsentia localis constituet subiectum præsens formalissime, exercendo illud in esse præsentis circa talem terminum.

51 Vrgetur, ac declaratur amplius, quia in eo quod corporis est capax, potest esse diuina substantia non minus antequam recipiat corpus, quam postquam receperit : ergo sicut in spatio quod occupat mundus esse potest modo diuina substantia, ita esse potuit reque ipsa fuit ex æternitate ante mundi creationem, & pari ratione fuit in infinito spatio per quod extra cœlum producere & extendere potest, quantæcunque magnitudinis corpora, & ratio à priori est, quia prius natura debet aliqua causa esse secundum suam substantiam præsens alicubi, quam ibidem immediate suam operationem exerceat : ergo prius saltem natura est Deum secundum suam substantiam extra cœlum, quam ibidem nouum mundum producat, cum ergo semper possit producere Deus vt causa infinita, & infinite efficax, & potens, ac proinde omnipotens in quocunque spatio extra cœlum nouum mundum, fit, vt semper fuerit, semperque futurus sit formaliter præsens in toto eo spatio secundum suam substantiam : manifesta sunt omnia potestque primum antecedens demonstrari argumentis, quibus supra probauimus, neque de potentia Dei absoluta posse agens operari vbi non est præsens, quia actio quatenus est modus extrinsecus agentis petit essentialiter saltem quoad locum, hoc est extrinsecè esse inseparabilem ab agente, dum existit intrinsece in termino producto, videantur ibi latè dicta, quæ hoc manifestè, & clare probant.

Deinde ipsum antecedens ex eo etiam corro- 52
borari potest, quod præsentia, seu coniunctio agentis immediati cum passo ex eo asseritur ab Aristotele 7. *Physicorum & 1. de generatione necessaria ad actionem immediatam*, quoniam illa est proxima atque debita collocatio agentis, & patientis ad actionem immediatam, eo quod agens transmittere non possit actionem in id, quod distat, nisi prius agat in medium : appropinquatio vero ex omnium sententia prior est tempore vel natura, quàm sequatur actio tanquam conditio ad actionem prærequisita.

Quod, si quis dicat spatium non esse aliud 53
quàm concauum corporis continentis; quare cum ante creationem mundi nullum corpus continens fuerit nullum prorsus fuisse spatium.

Occurrendum erit hoc modo ; in primis totus 54
mundus dicitur occupare spatium tantæ magnitudinis, quanta est diametri mundi longitudo; neque tamen datur concauum, quod tale spatium contineat, aut quod totum mundum in se contineat. Deinde flante vento ipse ego immotus manens dicor esse in eodem spatio in quo antea eram, & tamen non sum in eodem concauo corporis continentis; cum aliud, ac aliud vento flante successerit : ergo spatium & concauum corporis continentis non sunt idem. Adde quod Deus potest redigere in nihilum corpora omnia, quæ intra orbem lunæ continentur, & conseruare latera orbis lunæ, vbi modo sunt ; tunc autem si collocet lapidem in centro illius spatij vacui, spatium, quod lapis occupabit, distabit à concauo lunæ longo interuallo, quod corpore carebit, aptum tamen erit corpore repleri : ergo spatium, & concauum continentis non idem sunt ; sed spatium est capacitas tanta, quantum est corpus quod in se valet recipere, quæ perinde cogitatione diuidi potest in tot æquales partes, in quot corpus ipsum distribui potest.

## SVBSECTIO III.

*Alias rationes pono.*

VT autem quoddam efficax argumentum de- 55
sumptum ex D. Augustino, *lib. de essentia diuinitatis*, Athanasio, *lib 5. de sempiterna substantia Trinitatis*. Ricardo de sancto Vict. *lib. 2. de Trinit. cap. 23.* eorum verba ad literam proferam, & in primis Augustini verba hæc sunt : [extra omnia est, sed non exclusus, intra omnia est, sed non incluſus in omnibus, & in quacunque re, & per omnia spatia diffusus vtique non diuisus, sed indiscretus ; quia in omnibus continuate existit.] D. vero Athanasius sic loquitur, [vt vbique præsens est hæc indiscreta sempiterna Trinitas, immensus Deus est, neque à se diuisus, neque in se separatus ; quia in omnibus spatiis immensus.] Nec minus clare Ricardus docet hanc veri-

tatem

tatem his verbis, [ si essentialiter vbique est: ergo & vbi locus est, & vbi locus non est, erit: Itaque & intra omnem locum, & extra omnem locum, erit supra, erit infra omnia, intra omnia erit, & extra omnia; sed quoniam simplicis naturæ est Deus, non erit hic, & ibi per partes diuisus, sed vbique totus erit. Itaque in quantulacunque cuiuslibet parte totius totus, & in toto totus, & extra totum totus, sic igitur extra omnem locum totus, in nullo loco concluditur, &c. Itaque omnes isti doctores deum asserunt ratione immensitatis ita esse in omnibus locis, & spatiis, vt ratione illius neque sit diuisus à se, neque discretus, aut separatus à seipso; sed si Deus non esset in spatiis imaginariis infinitis, hoc est in vacuo sine fictione in immensum reperto extra cœlum Deus esset diuisus, & discretus à seipso: ergo deus est in spatiis imaginariis. Minor sic probatur, quia Deus potest condere extra hunc mundum alios mundos, non contiguos sed maxime distantes à se & disiunctos, aut separatos, qui minime se contingerent; Deus enim esset tunc præsens formaliter duobus illis mundis separatis inter se, & distantibus; tunc enim interrogo, an deus esset in vacuo interiecto, seu medio inter duos illos mundos, vel non: si esset: ergo tam esset præsens spatio imaginario seu vacuo, & sic habemus intentum.

Cum autem non sit maior ratio de illo vacuo limitato, quam de immensis extra cœlum: ergo Deus esset præsens omnibus illis; si autem non existat in vacuo intermedio: ergo existit discrete, ita vt non continuate existat eo modo, quo existit in toto hoc mundo, in quo continuate existit sine vlla discretione in præsentia ratione extensionis infinitæ virtualis: ergo Deus quatenus est in hoc mundo ratione præsentiæ esset diuisus à seipso habendo præsentiam discretam, vnde provt est in hoc mundo distaret à seipso provt est in alio distincto, & discreto ab hoc: exemplo declaratur hæc veritas; nam si Petrus esset in duobus locis, verbi gratia, hic & Romæ, & non in intermediis locis, & idem est de Angelo; nam si Deus poneret Angelum simul in cœlo Empyreo, & in hoc cubiculo, sine eo quod existeret in intermediis corporibus, non essent continuatè Petrus, & Angelus, sed potius discrete quoad præsentiam; quapropter quoad illam, sicut loci in quibus existunt præsentes, distarent inter se; ita similiter Petrus provt est hic, distaret à seipso præsentialiter provt est Romæ, & Angelus provt est in cœlo Empyreo, distaret à seipso provt esset hic, cuius argumentum est manifestum, quod Angelus per verum motum localem posset moueri ex cœlo Empyreo versus seipsum provt existit hic, per quem motum sine dubio sibi ipsi approximaretur localiter, & in Petro est certissimum; vnde si Petrus ab vrbe Romæ moueretur versus Limam, vbi etiam est, ita posset moueri, vt totaliter sibi ipsi approximaretur, existendo in loco contiguo, & immediato illi, in quo antea erat; vnde cum Petrus antea esset, & non esset sibi approximatus quoad præsentiam, neque contiguus, & postea per motum localem sibi approximatur, & contiguatur, manifeste, & euidenter sequitur fuisse antea distantem à se; & quia non erat continuate à Roma vsque ad Limam, pater fuisse discrete quoad præsentiam, sicut & loci vbi est, essent discreti; quis enim dubitat, corpus Christi consecratum in hostia consecrata Limæ esse diuisum, discretum, separatum quoad præsentiam sacramentalem à seipso provt est in hostia consecrata Romæ; quia non est eodem modo in his duabus hostiis, ac est in eadem hostia continuate per totam illam; quapropter licet Christus, Angelus, & Petrus, suppositis talibus miraculis de existentia in duobus locis distantibus inter se non existendo in intermediis locis, non essent diuisi, discreti, & separati quoad entitatem; quia entitas illorum non erat in se entitatiue diuisa, nihilominus tamen omnes fatentur miraculose quoad præsentiam, & vbi seu localiter esse diuisos, discretos, & separatos à seipsis, quia essent in duobus locis distantibus, discretis, & diuisis à seipsis, non existendo in intermedio spatio.

56 Sed Deus etiam esset in duobus illis mundis, diuisis, discretis, & separatis maxime inter se, & non esset Deus præsens in spatio, aut vacuo interiecto: ergo Deus, licet entitatiue non esset diuisus a seipso, nihilominus quoad præsentiam localem esset diuisus, discretus, & separatus à seipso. Quod est absurdum magnum refutatum à D. Augustino, & cæteris doctoribus, ac Sanctis Patribus in principio huius rationis adductis, quod sufficit, vt à nobis non possit affirmari sine magno inconuenienti; quia licet nos non penetremus nucleum huius inconuenientis, & absurdi, nihilominus fugere debemus illud, quia sapientissimi maxime fide digni Doctores clamant, nos fugere debere tale absurdum, & inconueniens, quia tanti ponderis auctoritas nos per principia extrinseca saltem debet mouere, si rationaliter loquendum sit nobis, vt tale absurdum fugiamus, quia sine dubio maximum fundamentum habuerunt Sanctissimi æque ac sapientissimi Doctores ad id asserendum, & clamandum non posse tale incommodum & absurdum deglutiri.

57 Exemplo declaro hoc, si aliquis homo fide dignus minime nugis assuetus serio, & grauissime loquens, clamaret me transeuntem per aliquem locum ne illac pergerem, nec vlterius progrederer; quia maximum damnum sine dubio, ac detrimentum me esse incursurum, quis dubitat, nisi amens essem, & mentis inops, quin statim deberem fugere tale periculum ac detrimentum pronunciatum, & relatum ab homine illo grauissimo, ac fide digno, etiamsi illud non viderem; quia si illud oculis vsurparem, non iam propter auctoritatem illius hominis, sed potius propter euidentiam talis periculi mouerer ad retrocedendum à motu incepto; homo autem cordatus ne in maxima inconuenientia incidat, vt quotidie nos experientia docet, non solum euidentia immediata, sed etiam extrinseca auctoritate grauissimorum Doctorum debet commoueri ad hoc, vel illud faciendum, vel ab hoc, & illo abstinendum; quia vix in hac vita prophetia euidenti, aut euidentia præcedenti frui possumus.

58 Item si D. Augustinus, Hieronymus antequam definiretur in Ecclesia tot Conciliis generalibus, clamaretur, nullum catholicum posse dicere, Patrem æternum esse aliud à Filio, licet sana doctrina possit dici esse alium ab ipso, & hoc ita certo assereretur ab ipsis, vt dicerent esse hæreticum ita loqui, vt certissimum est esse hæresim si aliquis esset cordatus, & prudens, & macte indolis sine dubio etiamsi non videret inconueniens, deberet illud fugere.

59 Ergo si Sancti Doctores asserunt, deum ratione immensitatis, & ratione suæ infinitæ præsentiæ, nullo modo habere præsentias discretas, sed potius continuate debere existere in locis extensis, neque posse esse diuisum, & separatum à seipso quoad præsentiam; sicut creaturæ possunt; ergo à nobis etiamsi euidenter non cognoscatur incon

inconueniens, & absurdum, sine dubio fugiendum est.

60 Nunc autem demonstro inconveniens : entitatiue Angelus non potest esse diuisus à se adhuc per potentiam Dei absolutam, quia entitas Angeli est una, & indiuisibilis, ac simplicissima entitas, & nihilominus potest quoad præsentiam esse discretus à se & diuisus in diuersis locis, quia præsentia, qua existit in diuersis locis non est una, & indiuisibilis, sed potius sunt plures realiter distinctæ à se, nam si esset una, & indiuisibilis nullo modo posset dividi, & separari à se ipsa; quia quidquid separatur ab alio distinguitur realiter ab illo; vnde quando aliquid separatur à seipso quoad aliquam formalitatem, illa formalitas non debet esse vna, & eadem, sed distincta realiter, alias neque quoad illam formalitatem separaretur; sicut quoad entitatem non potest separari cum tam indiuisibilis sit quoad formalitatem illam, ac quoad entitatem; vbi enim est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis; sed tota ratio propter quam entitative idem non potest dividi à seipso, neque in seipso est quia non est plures, sed una, & indiuisibilis entitas in se, & à se (vt ita loquar) seu respectu sui ipsius, vt melius, & purius dicam concepti adæquate, & totaliter : atqui in illa formalitate etiam datur eadem ratio formalis indiuisibilitatis, vnitatis & identitatis : ergo datur idem effectus formalis scilicet quod non possit diuidi, & separari quoad illam formalitatem, sicut non potest diuidi, & separari quoad entitatem propter eamdem rationem.

61 Sed Deus in hoc distinguitur ab omnibus creaturis, ratione suæ infinitæ actualitatis, eminentiæ, excellentiæ & perfectionis, quod non solum habeat entitatem omnino indiuisibilem, omnino una, sine diuisione, distinctione, & pluralitate, ac proinde cum infinita identitate, sed etiam præsentiam propriam, quæ adeo simplex, & indiuisibilis est, vt nullomodo possit esse plures à parte rei; neque vllo modo possit dividi, sicut ipsa entitas Dei, & ratio est, quia præsentia Dei, & vbi est idem quod ipsa essentia, & entitas Dei, & ex alio capite neque specificatur, neque dependet à locis quod non habent creaturæ, nam præsentiæ earum distinguuntur ab ipsarum entitatibus à parte rei, & suo modo dependent à locis, & ideo dicuntur vltimæ determinationes ad illos, ratione cuius hæc præsentia ita est limitata, & alligata huic loco seu spatio, vt non possit esse in alio, & sic tot sunt præsentiæ realiter distinctæ, quot sunt loca, & spatia, ad quæ determinantur, & limitantur; unde si præsentia Angeli, per impossibile esset idem, quod sua essentia à parte rei; sicut sua essentia non posset dividi, neque etiam præsentia.

62 Sed præsentia, & vbi Dei est idem quod sua essentia à parte rei formaliter, & habet eandem unitatem, indiuisibilitatem, & identitatem : ergo sicut essentia, & entitas Dei non potest dividi à se ipsa propter illam rationem, ita similiter præsentia Dei propter eandem rationem non posset dividi à seipsa; quapropter sicut propter ipsam vnitatem, & indiuisibilitatem non potest Deus entitatiue diuidi à seipso; ita etiam propter eandem indiuisibilitatem in præsentia nullomodo potest esse diuisus Deus à seipso præsentialiter, neque habere discretas præsentias, aut discretionem in illa, & ideo dicebat S. Athanasius vbi supra, [vt vbique præsens est hæc indiscreta sempiterna Trinitas,] Vbi non poterat loqui de distinctione personarum, quæ discretio entitatiua uocatur, cum secundum fidem ipse Athanasius in Symbolo docuerit, personas esse distinctas realiter : ergo negat discretionem præsentiæ & essentiæ Dei; quod expressius docuit Augustinus illis verbis, & per omnia spatia diffusus; indiuisus, indiscretus; quia in omnibus continuate existit. ] Quibus maxime similia sunt illa uerba eiusdem Athanasij, [immensus Deus est, neque à se diuisus, neque in se separatus; quia in omnibus spatiis immensus; illa enim indiuisio, & indiscretio debet intelligi secundum subjectam materiam, de qua loquebatur Doctor, & debet referri ad id, de quo proxime agebat ipse : sed agebat ipse proxime de præsentia, & vbi : ergo discretio, & diuisio, quas negat est impræsentiæ, & vbi, & ideo negat quia est immensus in omnibus spatiis : ergo si aliquod spatium est, vbi non sit, præcipue si sit interiectum inter duo corpora quibus est præsens Deus, sine dubio Deus erit diuisus à se ipso.

Et ratio manifesta est à simili, quia si per 63
impossibile inter entitatem, & entitatem Dei mediaret entitatiue aliquid, sine dubio entitative divideretur Deus; unde si à parte rei formaliter mediaret inter scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis actus liber Dei, vt quid distinctum realiter, sine dubio divideretur realiter vna scientia ab alia per actum liberum interiacentem inter utramque, sicut supra probavimus, uirtualiter dividi & per rationem formaliter; quia virtualiter & per rationem mediat entitas actus liberi inter vtramque scientiam distinctam æquialenter ab ipsis.

Sed per vos inter præsentiam Dei in mundo 64
A, & inter præsentiam Dei in mundo B, mediat spatium in quo non est præsentia Dei, & in quo si daretur alius mundus posset dari præsentia ipsius : ergo præsenta A, à præsentia B, dividitur & separatur in Deo : ergo Deus habet discretionem in præsentia.

Præterea, quia vbi non datur continuata præ- 65
sentia seu præsentiæ continuatio, datur discretio præsentiæ : sed Deus in illo casu non haberet continuatam præsentiam eo modo, quo existeret in omnibus partibus vniuscuiusque mundi, in quibus esset sine dubio continuate; quia ita esset in remotis mundi partibus, ut etiam esset in intermediis; quapropter si per impossibile Deus ita existeret in toto hoc mundo, vt existeret in partibus remotioribus, & distantibus inter se, & non in intermediis; v. g. in tota periferia, & non in centro, si partes periferiæ diuiderentur, sine dubio Deus non haberet præsentiam continuatam, sed discretam : ergo si esset in duobus illis mundis distantibus, & discretis inter se, & ex alio capite non esset in intermedio spatio, seu vacuo, sine dubio mediaret vacuum & spatium inter vtramque præsentiam, ratione cuius non continuate esset præsens : ergo discrete præsens hoc est cum discretione in præsentia, quod est impossibile & inintelligibile, quod Deus habeat talem discretionem præsentiæ; nam si vnus Angelus non potest esse in duobus locis discretis, nisi aliquomodo sit præsens medio spatio, quomodo potest id tribui Deo; qui maxime vnus, & simplex est in præsentia, sicut in entitate.

Dices, non posse Deum creare duos mundos 66
ita distantes inter se, vt aliquod corpus reale

existeret inter ipsos; vnde non possunt creari nisi contigui.

67 Sed contra, quia hæc solutio potius cæcutientis est, quam sapientis; quia bene potest Deus creare tres mundos inter se contiguos, & postea annihilare intermedium, in quo nulla est implicatio: post annihilationem autem illius, sine dubio conseruarentur duo illi mundi extremi distantes: ergo sicut modo conseruat illos discretos, diuisos, & distantes inter se; potuit à principio condere, & creare. Deinde quia vnus mundus potest conseruari sine alio, vt de facto contingit, quæ est maxima remotio & distantia: ergo à fortiori potest conseruare illum mundum, etiamsi localiter tantum sit distans ab alio.

68 Vrgetur alio principali argumento, quia actu infinitus est in immensitate Deus non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo, quia non solum est infinitus, quia potest esse præsens, sed etiam quia est actu formalissime præsens: ergo præsentia ipsa infinite præsentem constituit, & reddit Deum actu, sed si non esset præsens spatiis imaginariis omnibus, seu vacuo immenso, non esset infinite præsens ratione præsentiæ: ergo Deus est præsens infinitis spatiis, seu vacuo immenso extra cœlum.

69 Sequela minoris sic probatur; quia ad hoc vt Deus sit infinitus non solum in actu quasi primo debet extendi ad omne pertinens ad illud genus, sed etiam in actu secundo, debet extendi ad infinitum illius generis seu ad infinitum terminum, seu obiectum illius exercitij; v. g. vt omnipotentia in actu secundo sit infinita, & non solum in actu primo debet habere exercitium infinitum, & terminari ad infinitos terminos, & scientia Dei, vt sit actu infinita in esse cognoscentis, debet cognosci infinita; sed præsentia Dei est infinita in actu secundo: ergo debet extendi ad infinita spatia actu; sed non dantur infinita spatia actu, nisi imaginaria & vacua: ergo ideo est infinitus in præsentia, quia est præsens per immensa spatia, sicut mare hoc, quod de facto est actu esset infinitum, si expanderetur per infinita spatia; quare quoad præsentiam semper erit finitum, quoties non fuerit præsens per infinita spatia; sed Deus est immensus, & infinitus in actuali præsentia: ergo ideo est talis, quia actu præsens est infinitis spatiis; sed positiua corpora non sunt actu infinita, & est actu infinitum spatium illud, seu vacuum extra cœlum: ergo non solum corporibus, sed etiam spatio illo infinito est vere præsens Deus, & ad modum maris per totum illud expanditur, quasi concludendo intra se micam, aut punctum huius mundi; quod totum pene eisdem verbis docet Augustinus loco supra citato 7. *Confessionum, cap.* 5. ibi: [concipiebam te domine ex omni parte ambientem eam, & penetrantem; sed vsquequaque infinitum, tanquam si mare esset vbique, & vndique per immensa spatia infinitum solum mare, & habeat intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen plena esset spongia ex omni sua parte ex immenso mari; sic creaturam tuam finitam te infinito plenam per immensa spatia diffuso putabam.] Quid clarius, & euidentius. Quibus accedit Ambrosius *vbi supra*, ibi: [nec enim deus clauditur, sed omnia in se habet, vt solus ineffabilis, & infinitus habeatur, quia in infinitis, & per infinita diffusus.] quadrat cum his Hilarius, *li.* 1. *de Trinit. non longe à principio*, ibi: [atque ita totus ipse intra, extra se continens, neque infinitus, si abesset ab infinitis, & non adesset cunctis, neque cuncta ei, qui infinitus est, non inessent.]

Itaque vt patet ex verbis citatis, ideo deus est infinitus in præsentia hoc est immensus, quia est infinite præsens, & ideo est infinite præsens, quia infinitis, & cunctis spatijs est præsens; sed sola positiua spatia non sunt infinita, sed finita, & sunt infinita spatia negatiua, seu vacua: ergo ideo est infinitus in esse præsentis, seu immensus, quia non solum est formaliter præsens spatiis, seu corporibus positiuis, sed etiam spatiis negatiuis. Præterea; quia vt ex omnibus locis Sanctorum Patrum in prima probatione nostræ conclusionis adductis, Deus non solum est intra, sed est extra mundum, non solum intra cœlos, sed extra illos; quæ veritas adeo clara est, vt non solum S. Patres lumine supernaturali circumfusi viderint clare innitentes *Psalmo* 8. ibi: [eleuata est magnificentia tua super cœlos.] Sed etiam Ethnici philosophi tali splendore orbati, tenuissimaque naturali luce ducti idem docuerint; non semel; vnde Aristoteles 1. *de cœlo cap.* 9. dicit [extra cœlum, vbi neque tempus, neque aliud quidquam ibi est infinita intelligentia] id est deus. Diogenes præterea & Trismegistus, qui dicebant deum esse sphæram spiritualem, cuius centum est mundus, & circumferentia, & periferia extra mundum; nec sufficit respondere, id quod Granados, & alij respondent, videlicet id dici, quia creatis aliis extra cœlum deus esset ibi præsens: quia hoc non est esse extra cœlum, sed solum posse esse extra illud in creatura, quam potest extra cœlum creare, & posse esse in maiori loco; sicut se habet Angelus quando non occupat totum locum, quem potest; tunc enim vere est in determinato loco minori, & non est actu in maiori, licet possit esse in illo; sed deus actu est extra cœlos, & actu est in infinitis spatiis: ergo non ideo taliter est, quia potest creare extra cœlos corpora, quibus præsens sit; quia secundum sententiam Granados & aliorum aduersariorum non potest deus producere infinita corpora, nec entitates actu infinitas: ergo si præsens actu est extra cœlos, & præsens est infinitis, præsens erit formaliter non solum in potentia, sed actu infinito spatio extra cœlum.

Dices spatia illa esse nihil, & fictitia & ideo non posse ibi esse præsentem deum. 70

Sed contra manifeste; quia si illa spatia sumantur vt positiua entia rationis sunt, vt tenebræ, mors, & cæcitas, si autem sumantur, vt negatio, non est quid fictitium, sed à parte rei reperitur, quia sine fictione vlla est verum dicere totum hunc mundum à cœlo Empyreo vsque ad terram non esse infinite extensum: ergo limitate extenditur, ac proinde extra mundum carentia realis datur infinitorum mundorum, quos Deus potest extra mundum producere, sed carentia mundorum realis, & vera, ac sine fictione est vacuum verum, & reale est sine fictione: ergo vacuum illud extra cœlum infinitum non fingitur per intellectum, sed datur à parte rei. Deinde quando dicitur esse nihilum, aut dicitur esse quid chimæricum & hoc est falsum, vt iam vidimus, quia non est fictum, aut dicitur nihilum, quia nihil positiuum est, aut non habet aliquid positiui, & in hoc genere etiam creaturæ possibiles erunt nihil, & reliquæ negationes, & priuationes erunt nihil, quod in rigore sumptum est falsum; imo si dicatur nihil ad modum harum negationum nihil impedit, quominus possit terminare formaliter præsentiam diuinam, quandoquidem potest terminare præsentiam

sentiam creatam Angeli, & mundi, vt patet ex prima ratione pro nostra conclusione; nam scientia diuina actualis, quia infinita est in ratione cognoscentis, terminatur actu, non solum ad entitates positiuas, sed etiam ad omnes negationes, vt ad possibilitates, cæcitates, mortes, & tenebras, ac tandem ad hoc ipsum vacuum extra cœlum existens, & ideo scientia diuina formaliter cognoscit omnia hæc, & Deum respectu illorum formaliter cognoscentem reddit, quia nullis terminis clauditur, sed infinitate gaudet scientia Dei, ac proinde non solum ad positiuas, sed etiam ad negationes debet extendi; quare si Deus solum cognosceret positiuas entitates, & actu non cognosceret etiam priuationes, & negationes dictas, actu non esset omnis eius, nec infinitus simpliciter in ratione scientis.

71 Sed præsentia Dei est infinita in ratione præsentiæ: ergo non solum extenditur ad finita entia positiua, sed etiam ad infinita spatia negatiua, & sic non solum debet reddere Deum præsentem formaliter spatiis positiuis limitatis, & finitis, sed etiam infinitis spatiis negatiuis; sicut scientia non solum ad positiua, sed etiam ad negatiua extenditur, quia in vtraque est eadem ratio formalis, ac proinde debet esse idem effectus formalis extensionis ad positiua, & negatiua.

72 Tandem vrgetur, quia præsentia Dei, qua est præsens rebus omnibus est quoddam reale absolutum attributum Dei, relatiuum tamen secundum dici, per quod habet diuina substantia id, quod omnes aliæ creaturæ habent per vbi intrinsecum; sed res aliæ omnes possunt habere hoc, aut illud diuersum spatium, quibus possint moueri, etiamsi nulla esset res extrinseca, & per quæ taliter sunt in se diuerso modo, vt habeant fundamentum, quod nos necessario concipimus per præsentiam ad spatium imaginarium: ergo Deus per suam naturam habet illud quasi vbi intrinsecum substantiale & infinitum, per quod concipiatur præsens imaginario spatio.

## SVBSECTIO IV.

*Reliqua argumenta proponuntur ad nostram conclusionem roborandam.*

73 QVia sic se habet ante & post ad tempus creatum, & finitum, ac extra, & supra ad locum; sed Deus vere dicitur fuisse ante tempus creatum, non ratione temporalis durationis, sed ratione æternitatis, vt patet ex illo Pauli *ad Ephes.* 1. [elegit nos in ipso ante mundi constitutionem] *& Eccles.* 24. [Ab initio, & ante sæcula creata sum, non dum erant abyssi, & ego iam concepta eram;] vnde Augustinus *lib.* 12. *de ciuit. Dei, cap.* 25. ibi: [si potentiam suam, vt ita dicam fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erant, sicut antequam fierent, non fuerunt, erat tamen antequam fierent, creator eorum; sed ante dico æternitate, non tempore.] Quapropter *Prouerbiorum* 8. dicitur, [ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret, nedum fontes aquarum eruperant, nec dum montes graui mole constiterant, ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat quando præparabat cœlos, aderam &c.] ergo similiter vere dici potest, Deus esse supra cœlum vere præsens, & vere, ac proprie, seu formaliter præsens extra mundum, quamuis non adsit vllum corpus, cui coëxistat quemadmodum ante orbem conditum non fuit tempus, cui ratione æternitatis suæ res ponderet in duratione, & nihilominus dum omnia carebant duratione, & solum dabatur aptitudo, seu capacitas per non repugnantiam vt omnia durarent, Deus actu, & formaliter vere durabat, & non solū dicebatur posse durare, sed potius actu durare per æternitatem quæ superat omnem durationem: ergo similiter Deus per immensitatem, & infinitam præsentiam, quæ superat omnem præsentiam creaturarum erit extra mundum, & extra omnes creaturas positiuas, (vbi nullum est positiuum, sed solum spatium & vacuum negatiuum, cum quadam capacitate per non repugnantiam, vt vere repleatur corporibus, quæ ibi possint esse præsentia) vere, proprie, ac formaliter præsens in spatio illo infinito non minus, ac si esset spatium positiuum; quia omne positiuum creatum comparatum cum Deo, perinde se habet, ac si non esset, quia eo modo quo cōparatur æternitas ad tempora, & durationes, ita se habet immensitas ad loca; sicut enim per æternitatem, quæ est perpetua existentia secundum temporis durationem, quæ existit Deus rebus omnibus durantibus, ita per immensitatem est præsens omnibus rebus existentibus in loco, sed per æternitatem nō tantum Deus coëxistit omnibus temporibus, sed etiam dicitur fuisse ante omnia tempora vere, & formaliter: ergo per immensitatem est præsens formalissime, non solum locis omnibus, sed etiam extra illa vacuis, seu carentiis corporum, quia loca omnia positiua creata comparata cum Deo, ita se habent, ac si non essent, ac proinde non impediunt, quādo non sunt exercitium formale immensitatis Dei, quod nihil aliud est, quam præsentia; sicut carentia existentiæ creaturarū non impedit præsentiam intentionalem scientiæ Dei, per quam est formaliter præsens carentiis existentiæ illarum, cognoscendo illas formaliter.

Consequentia hæc patet, quia sicut æternitas, & scientia sunt infinitæ, ita immensitas: ergo eodem modo de illis, ac de hac est loquendum, ex quo fit, vt per æternitatem Deus, qui fuit ante tempora & extra tempora omnia, dicatur vere fuisse, dum non erat tempus positiuum, sed solum carentia, & negatio realis temporis; ita per immensitatē sit præsens spatiis negatiuis, vbi non dantur corpora positiua, sed solum carentiæ positiuorum entium; nā sicut æternitas est in omnibus finitis temporibus & infinite excedit illa, ita immensitas est in omnibus finitis locis, & infinite superat illa; sicut igitur Dei æternitas comprehendi non potest finitis temporibus, sed est etiam extra illa, id est ante illa, & post illa, quia verum est dicere, ante omnia tempora, & ante omnes durationes creatas vere, & formaliter Deus erat æternus, ac proinde vere, & formaliter per æternitatem durabat; ita etiam se habet immensitas ad finita loca: ergo extra illa omnia ratione infinitæ præsentiæ vere, & formaliter existit Deus præsens non minus, ac si existeret in corporibus præsens illis, quia indignum est, Deū ita concludere vt finibus tam parui mundi, & tam exigui loci terminis concludatur, & concellis definiatur, ac limitetur, vt his aureis verbis expressē docet Augustinus 11. *de ciuit. Dei, c.* 5. vbi probās contra aliquos pertinaciter negantes hanc veritatem, quam propugnamus, sic inquit, [an forte substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinat, nec distendunt loca, sed de ea sicut de Deo sentire dignum est fatemur incorporea præsentia, vbique totam, à tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sumus, vt in vno tantum, atque comparatione ipsius infinitatis tā exiguo loco, in quo mundus est occupatā non opinor eos, in hæc vaniloquia progressuros.] Ecce quomodo D. Augu-

stinus propter infinitatem præsentiæ diuinæ, & propter spiritualitatem illius independentem omnino à corporibus asserit, Deum ita esse in hoc mundo vt non concludatur limitibus eius, nec ita includatur terminis eiusdem, vt vere sit absens ab spatiis infinitis extra mundum, neque illis vere, & formaliter sit præsens; quia ipse insaniam, & vaniloquia vocat, ita iudicare de Deo, vt dicamus ab infinitis locorum extra mundum spatiis absentem esse, & non esse formaliter præsentem, vt patet ex illis verbis, [fatentur in corpore præsentia, vbique totam à tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sumus, vt in vno tantum, &c.

74 Vltimo sic probatur principaliter, quia si Deus vere, & realiter non esset in spatiis imaginariis, sequeretur, Deum posse moueri, & mutari localiter; consequens est contrarium fidei vt patet ex illo loco, ego sum Deus, & non mutor: ergo Deus etiam est in spatiis imaginariis, seu vt melius loquar in vacuo illo immenso, & infinito extra cœlum: sequelam probo, quia Deus sua omnipotente virtute posset in infinitum mouere lapidem incipiendo à conuexo cœli Empyrei extra illud, cum id nullam inuoluat contradictionem dato tali motu, vbicumque esset lapis, etiam esset Deus secundum suam substantiam, quandoquidem est in omnibus rebus creatis; sed lapis esset successiue in alia, atque alia parte spatij quam de nouo occuparet, & desereret aliam; si ergo quis dicat, Deum esse in rebus creatis & non in spatio vacuo, necesse est, vt admittat Deum etiam successiue cum lapide vna deserere quasdam partes spatij, & successiue esse de nouo in aliis, ac proinde moueri.

75 Aliter probat hoc P. Suarez in hunc modum, quia Deus potest operari extra mundum sine vlla mutatione sui: ergo iam actu est extra mundum. Antecedens est euidens, consequentia patet; quia rem esse vbi operatur, non est denominatio extrinseca resultans ex operatione, aut termino eius, sed potius est aliqua proprietas, vel conditio prærequisita ex parte causæ: ergo non posset hæc de nouo conuenire Deo sine sui mutatione, solum enim denominationes extrinsecæ, vel relationes rationis quæ in eis fundantur, possunt de nouo attribui Deo; quia nullam mutationem in eo ponunt, esse autem præsentem per substantiam suam, vbicunque operatur vel operari potest, non est denominatio extrinseca, cum sit veluti conditio in illo prærequisita ante actionem.

Declaratur amplius; nam ante ascensionem Christi, verbi gratia, non erat corpus aliquod extra vltimam sphæram, per ascensionem autem factum est (iuxta probabiliorem sententiam Theologorum,) vt Christi corpus sit supra illam sphæram, ita vt pedes Christi sint supra conuexum eius, atque ita corpus Christi est (vel saltem non repugnat esse) extra totum hunc mundum replens illud spatium, quod antea non replebatur corpore. Nunc ergo etiam est ibi præsens Deus secundum substantiam suam: ergo & ante ex tota æternitate erat ibi præsens: ergo eadem ratione est extra cœlum in omnibus spatiis, quæ in infinitum ibi excogitari possunt. Probatur penultima consequentia, in qua est tota vis; nam si antea non esset ibi præsens, non potuisset incipere ibi esse præsens sine sui mutatione, sicut Christi corpus non potuit incipere esse ibi præsens sine aliqua mutatione, quia antea nullo modo ibi actu erat. Est enim quoad hoc eadem ratio; nam sicut corpus Christi non dicitur ibi esse præsens per denominationem à substantia Dei, sed per aliquid, quod est in ipso quidquid illud sit, quod nomine præsentiæ, aut vbi significatur; ita etiam substantia Dei non dicitur ibi esse præsens per denominationem à corpore Christi, vt videtur per se euidens; nam si cogitatione fingamus substantiam Dei in aliquo definito loco verbi gratia, in stellato cœlo inclusam non posset à Christi corpore extrinsecus denominari præsens ibi, vbi est corpus Christi: ergo denominatur præsens ab aliquo, quod est in ipsa; non posset ergo illud acquirere de nouo sine sui mutatione. Atque hæc ratio potest simili modo fieri de toto spatio, quod nunc repletur corporibus huiusmodi; nam Deus hic nunc est realiter præsens: ergo & ab æterno fuit propter eandem causam, quia scilicet non potuisset ibi de nouo esse incipere sine sui mutatione. Rursus potest simile argumentum fieri de alio mundo, quem Deus creare posset; nam ille mundus esset extra hunc, & ibi esset Deus: ergo esset tunc extra hunc mundum: ergo etiam nunc est propter eandem immutabilitatis rationem.

Vim huius rationis aliqui se eludere putant 76
hoc exemplo; nam Deus de nouo incepit esse in cœlo, & in quacunque re creata sine sui mutatione. Verumtamen non est simile; quia esse in cœlo includit denominationem extrinsecam, vel habitudinem rationis ortam ex præsentia cœli, vt dimanantis à Deo, ex qua dimanatione, vel præsentia solum resultat in Deo relatio rationis, vel denominatio extrinseca, esse autem ibi, vbi est cœlum, vel quælibet alia res creata, non includit denominationem extrinsecam ab illa re, sed solum id, quod ex parte Dei præsupponitur necessario vt hoc ipso, quod res alia ibi existit, & ab eo maneat, dicatur Deus existere in illa, quod fundamentum non posset Deo acquiri de nouo sine mutatione; sicut Deum coëxistere creaturis sub hac denominatione potest incipere de nouo, quia includit existentiam creaturæ, & denominationem ab illa, seu relationem rationis ad illam; fundamentum autem, quod ex parte Dei supponitur; vt necessario coëxistat creaturæ, hoc ipso quod illa existit, non potest de nouo conuenire Deo sine sui mutatione, cum nil aliud sit, quam ipsum existere Dei.

Secundo contra, & meo videri efficacius, quia 77
quando Deus est de nouo in rebus, quæ de nouo creantur, ideo hoc est quia ipsæ res ex parte sua antea non erant; nam si antea fuissent per totam æternitatem, sine dubio Deus fuisset ab æterno in illis, quod autem non fuerit Deus antea in illis non est ex defectu Dei, & immensitatis illius, sed potius ex defectu illarum, immensitas enim de se erat sufficiens, vt Deus esset in illis præsens; si autem ita contigisset hoc negotium, vt antea extitissent, sicut nunc, & nihilominus Deus non fuisset præsens illis, sine dubio non esset absentia illa ex defectu earundem creaturarum: ergo esset ex defectu præsentiæ Dei; vnde vt de nouo existeret præsens in illis, Deus, qui antea non erat in illis præsens necesse esset, vt mutaretur Deus sua præsentia, & reciperet augmentum, & incrementum in illa, ratione cuius de nouo existeret præsens illis, quibus antea præsens non erat, ex defectu sui, quia in tali præsentia non est Deus agens liberum, & sic existentibus creaturis quod non existat in illis talis non existentia, non debet tribui dominio libertatis, sed potius limitationi, & defectui talis præsentiæ, verbi gratia, si existente creatura, non cognosceret Deus illam, vt de nouo cognosceret eandem, deberet mutari talis

lis scientia per argumentum, & incrementum intrinsecum sui. Clarius, si Deus actu non cognosceret priuationes, & negationes, quæ actu dantur, & de nouo cognosceret illas, necessario mutaretur in tali scientia per additionem aliquam, vel augmentum, ratione cuius de nouo res terminaretur ad id, ad quod antea non terminabatur, cognoscendo de nouo illud, quod antea non cognoscebat, teiam si à parte rei daretur antea id, quod de nouo cognoscitur; sed Deus in casibus supra positis de Christi corpore, posito in spatio imaginario, & de productione illius extra cœlum, ratione illorum per vos de nouo est præsens Deus ibi extra cœlum, & illud spatium, cui est præsens, non est de nouo, sed semper ab æterno fuit, & nihilominus ab æterno, & ante productionem, & positionem corporis Christi, ibi non erat intrinsecè præsens Deus: ergo hoc non erat ex defectu talis spatij, sed potius ex defectu præsentiæ Dei: ergo vt de nouo incipiat esse præsens ibi intrinsecè necesse est vt mutetur Deus quoad præsentiam intrinsecè per additionem intrinsecam talis præsentiæ, ratione cuius extenditur de nouo ad illud vacuum, seu priuationem, aut carentiam corporis, vt in exemplo scientiæ circa priuationes patet manifeste.

## SECTIO VLTIMA.

### *Argumenta aduersaria solvuntur.*

78 ANtequam autem solvamus argumenta, aduetrendum est cum P. Suarez, vt tollatur æquivocatio; quia cum dicitur res aliqua esse alicubi vel in aliquo loco, duo posse in hac locutione includi, vnum est intrinseca & absoluta præsentia, quam res ibi habet, aliud est habitudo ad rem aliam, quam contigit, vel quantitate molis, vel quantitate virtutis actiuæ, vel relatiua præsentia substantiæ suæ, vel quantitatis. Hæc duo necessaria sunt in corporibus: quæ circundantur corpore continente, dicitur enim locatum esse in circunscribente medio contractu quantitatiuo, & præterea habet in se suam præsentiam intrinsecam, quæ à nobis explicatur per habitudinem ac centrum & polos mundi; eademque manet etiamsi corpora circunscribentia mutentur, aut fluant, imo etiamsi per divinam potentiam omnia perirent. Et in cœlo Empyreo invenitur hæc præsentia sine corpore circumdante, quia hæc præsentia non refertur ad alterum, cui res dicatur præsens vel per cognitionem, vel per loci propinquitatem, quomodo etiam solet illa vox vsurpari, sed sumitur absolute etsi in usu positum esset dici posset adsentia, quia nihil aliud est; quam rem ibi adesse, ubi esse dicitur, quod in corpore non potest esse corpus extrinsece circumdans, sed aliquid intrinsecum de quo latissime in Physicis & logica. Adhunc ergo modum intelligendum est in rebus spiritualibus, & præsertim in Deo, de quo nunc agimus seruata differentia, & proportione; quia præsentia Dei spiritualis est, & omnino immutabilis, & indefectibilis, contactus vero Dei est virtualis

79 per propriam actionem eius.

Quando ergo dicitur Deus esse extra mundum in spatiis imaginariis, si intelligatur ibi esse; quasi cum habitudine ad aliquid aliud quod continga, est plane falsum & impossibile, & hoc tantum videntur intendisse Doctores citati pro prima sententia; imo neque aliud probant rationes aduersariorum; nam contactus Dei virtualis est ad aliquam ueram rem positiuam quæ in spatio imaginario non est & eodem sensu uerum est quod Tertulianus Augustinus, Theodoretus, & alii Doctores citati à Patre Vasquez asserunt dicendo, Deum antequam mundum creasset, non fuisse in aliquo loco, sed in seipso. Denique eodem sensu uerum etiam est non pertinere ad immensitatem Dei, vt sit in loco infinito, imo nec omnino sic esse in loco, quia immensitas est attributum intrinsece, & necessario conueniens Deo: sic autem esse in loco includit liberam actionem Dei, uero intelligatur Deus esse extra mundum solum per realem, & formalem præsentiæ suam, eomodo, quo explcuimus in nostra conclusione sine habitudine actuali, vt ita dicam ad aliquam rem positivam extra ipsum, solum per adsentiam tali spatio, & vacuo, sic negari non potest, Deum esse extra mundum, id enim tam in doctrina fidei, quam in ratione naturali conuincunt sine dubio ea, quæ pro nostra conclusione adduximus.

Quæ si eodem sensu dicatur, Deus esse in 80
spatio illo immenso, vere etiam dicitur. In æquivoco autē laborant, qui putant illam particulam, esse in spatio, dicere habitudinem ad spatium tanquam ad aliquid distinctum quod contingitur, & ideo argumentantur, hoc repugnare, quia spatium est nihil, non est tamen hic sensus illius loquutionis, sed intransitiue, vt ita dicam sumenda est illa particula, & declaratur optime per ordinem ad conceptionem nostram; quia vbi nos concipimus spatium per modum uacui apti repleri corpore, ibi est præsentissima diuina substantia, totumque illud substantialiter replet; nam quia nos spiritualia hæc non possumus concipere, nisi per ordinem ad materialia, vbi actu non est aliquod corpus, concipimus aptitudinem, vt ibi sit & ibi etiam intelligimus adesse Deum; ad hunc autem præsentiæ modum non est necessarium, vt spatium sit aliquid, præter Deum ipsum positivum, cum non fiat nec realiter contingatur à Deo, sed satis est, vt sit quædam vacuitas apta repleri corporibus, vt per habitudinem ad illa possimus prædictam Dei præsentiam concipere, ac declarare quod potest ex ipsis corporibus non obscure intelligi, nam corpus Christi (prosequendo exemplum supra positum) extra cœlum existens, ibi realiter est præsens absque corpore circunscribente, & replet corporaliter illud spatium, quod occupat, non quia spatium illud prout condistinctū à corpore Christi sit aliquid reale positivum, sed quia per ipsius corporis præsentiam fit corporale spatium, & reale, quod ex se vacuum erat, & nihil, vt ita dicam; ad hunc ergo modum vt substantiā Dei esset ibi præsens antequam ibi ad esset corpus Christi, non est necesse illud spatium esse aliquid reale positivum distinctum à substantia Dei.

Ex quo etiam intelligitur, quid indicent illa 81
adverbia *temporalia & localia*, cum dicimus, Deum fuisse ab æterno, hic, vbi nunc creatus est mundus, vel ibi vbicunque creari posset, aut tunc fuisse quando potuit à Deo creari ante totum tempus reale præteritum; nam sicut illud tunc non significat aliquam durationem, quæ actu extiterit, distinctam à Deo, sed significat ipsammet durationem Dei, ut aptam ad coëxistendum tempori, vel instanti, quod antea esse posset; ita illud ad verbium *ibi*, aut *hic* non

indicat locum realem actu existentem, sed solam præsentiam Dei per immensitatem, vt de se aptam ad coëxistendum localiter cuicunque corpori realiter ibi existenti, quæ omnia indicant infinitam præsentiam Dei, secundum quam intime est in omnibus rebus secundum illud Pauli *Actor.* 17. non longe est ab vnoquoque nostrum, vbi loquitur Paulus de indistantia locali, aut de præsentia intima Dei in nobis, & non de prouidentia aut cura nostrarum rerum, vt aperte exposuit Theophilact. neque aliud sensit Beda; expressius vero Hieronymus *Isaiæ* 66. ait, Paulum protulisse illa verba, [vt Iudaïcum conuincat errorem, qui putant inuisibilem & incorporalem, & incomprehensibilem Deum templo Hierusalem posse concludi.] Vnde illa verba Pauli æquiualere dicit illis, [nonne cœlum, & terram ego impleo.]

81 Quibus positis facile est respondere Sanctis Patribus citatis pro contraria opinione & in primis Tertulianus loquitur eo modo, quo diximus supra, videlicet Deum nullo modo indigere, neque loco, neque mundo, neque creatura aliqua vt sit, sed ibi sufficere ad omnia, & ideo ait, Deus erat solus, & ipse sibi & locus, & mundus; Praxeas enim hæretice iudicabat, Deum non posse esse ante omnia; quia si esset deberet esse in loco positiuo, à quo contineretur; sed nihil erat positiuum: ergo non erat Deus; quam argumentationem refutans Tertulianus, asserit Deum non dependere à loco, neque contineri ab ipso, sed sibi sufficere, ac proinde potuisse esse ante omnem locum positiuum præsentialiter, nihilominus tamen nunquam negauit Tertulianus, Deum præsentem fuisse ante creaturas in toto hoc vacuo, seu spatio, in quo & creaturus erat mundum, & posset creare infinitos mundos. Item negabat Tertulianus, Deum esse in hoc spatio, sicut res materiales sunt in loco, quatenus continentur ab illo, & limitantur ab eodem, dicendo habitudinem ad illum & ideo dicebat, Deum non habere locum, vtique comprehendentem illum, & quem ante creationem rerum posset contingere, cum quo bene stat id, quod in aliis locis à nobis adductis ipse dixerit, videlicet, Deum esse per omnia spatia imaginaria præsentem, vt patet ex nuper dictis in notabili: ad replicam aduersariorum respondeo, Tertulianum, dum dixit, Deum sibi esse locum, non loquutum fuisse de loco proprio, quia idem non potest esse sui ipsius locus, vt patet ex tota Philosophia; locus enim, & locatum distinguuntur realiter, & ideo omnes Doctores etiam aduersarij docent præsentiam, quæ est ratio existendi in loco, esse relatiuam aut secundum esse, aut secundum dici; sed relatiuum non est ad se, sed ad aliud: ergo locus, ad quem est relatiua præsentia, & quem respicit per præsentiam locatum, est distinctus à parte rei ab ipso locato, & præsentia ipsius: ergo si Tertulianus docet, Deum esse sibi mundum & locum, non loquitur de loco proprio, alias etiam loqueretur de mundo proprio, & sic Deus in sententia Tertuliani esset proprie & formaliter congeries hæc elementorum, mixtorum, & cæterarum creaturarum, quod est aperte hæreticum: ergo si de mundo intellecta propositio non sumitur in sensu proprio, neque etiam sumetur in sensu proprio de loco; quia æque, & eodem modo loquitur de mundo, ac de loco, quare sensus Tertuliani est alius ab eo, quem perperam collimant aduersarij, tanquam scopum videlicet Deum nullius re ndigere, neque dependere, vt sit à quacunque creatura, sed potius tam perfecte esse sine omnibus solum, ac cum illis; quia sibi sufficientissimus est; eodem modo respondetur ad Augustinum, & Theodoretum, quibus simul applicanda est solutio in notabili posita.

Ad rationem respondeo negando antecedens; 82
Ad probationem Antecedentis distinguo maiorem, id quod vere nihil est, non potest esse locus, quem contingat virtualiter locatum; & quod contineat positiue illum, vt de vltima superficie corporis continentis docebat Aristoteles, concedo Maiorem, non potest esse locus, cui adsit, & sit præsens vt explicuimus in notabili, nego maiorem. Denique nego absolute minorem; si nihil in toto rigore sumatur, vt patet ex dicendis, *disputat. vltima huius metaphys. de ente rationis*, vbi late explicuimus, quid sit proprie nihil & quomodo distinguatur à negatione, & priuatione, quæ connotat positiuum; cui connectitur, & cui coniungi potest, cum autem vacuum illud sit negatio per modum priuationis, connotans positiuum, cui adiungatur, inde est, quod non sit nihil purum.

Ad probationem minoris dicimus, vacuum illud, licet non sit aliquid positiuum, esse tamen veram, & realem carentiam, sine fictione; quod sufficit vt sit locus, cur præsens sit locatum. Ad probationem maioris respondeo; fictitium esse dicere, locum recipere locatum, sicut falsum est asserere, locum habere rem locatam; locus autem nihil aliud est, quam spatium, cui res locata adest per præsentiam, ad quod non est necesse vt sit positiuum quid, vt late in physicis demonstro, *disput. de loco.* 83

Ad confirmationem, & declarationem respondeo spatium illud imaginarium primario, & essentialiter non consistere in negatione rei locatæ, sed potius in quadam negatione aptitudinis positiuæ ad continendum corpus, & cui possit res spiritualis ita adesse, vt contingat virtualiter illam cum non repugnantia, vt corpora, & res positiue veniant ad illam, & ibi sint præsentes. 84

Secundo alii respondent nihil aliud esse spatium imaginarium, quam carentiam primario & formaliter cuiuscunque corporis quæ per aduentum illius destruitur; vnde ante productionem aëris totum hoc intervallum erat carentia corporis, aduenientе autem aëre, qui corpus est, destrui illam; sed hæc solutio plures patitur difficultates de immobilitate loci; unde ne in illas incidamus, quas late oppugnauimus in physicis persistendum est in prima solutione, & dicendum est, talem carentiam explicandam esse ad modum, quo possibilitatem explicui supra; unde si aliquæ difficultates emergunt, *tract. de* possibilitate solvuntur; hæc autem carentia, aut negatio aptitudinis positivæ ad continendum, &c. de se immobilis est; quia de se, & de sua essentia est locus; qui quatenus talis ex vi suæ definitionis debet esse immobilis, videantur dicta late in Physicis *disp. citata de loco*; cætera autem quæ aduersarij contranos adducunt, in nitruntur falso supposito, videlicet vacuum illud esse non repugnantiam ad essendum, ac proinde esse possibilitatem rei; hoc enim falsissimum est; aliud enim est possibilitas rerum, aliud autem vacuum aptum repleri corpore; unde licet verum sit, quod res non possit esse in non repugnantia ad existendum, tanquam in loco; quia non repugnantia ad existendum est propria vniuscuiusque, locus autem est communis. 85

Deinde unaquæque res potest mutare plures locos per motum localem, possibilitatem autem propriam, seu non repugnantiam ad essendum

non

non potest mutare; quia possibilitas uniuscuiusque rei est de essentia illius, essentia autem est immutabilis, quia est æternæ veritatis præcipue per motum localem, & omnino accidentalem, alias quicunque homo dum moveretur localiter, mutaret essentias, ac proinde destrueretur; quia res sine sua essentia existere non potest; nunc autem etiam si adversarij suis argumentis non obligent ad difficultatem maximam de modo existendi Dei in omnibus rebus, sive positivis, sive negativis, nihilominus tamen ad complementum operis opere prætium duxi agere de illa & de differentia, quæ datur inter præsentiam, ei, & præsentiam creaturarum, tam spiritualium, quam corporearum.

*Explicatur difficultas de præsentia Dei.*

86 Ad quod suppono, omnem præsentiam, siue Angeli sive corporis, per quam res est præsens alicui spatio divisibili esse formaliter divisibilem, constareque partibus realiter distinctis inter se, & ratio est manifesta quia omnis præsentia creaturæ est modus, & non res, vt late egi *in Physicis, & in prædicamento Vbi*; eo quod sit ultima determinatio ad spatium: ergo est pura actualitas sine potentialitate; quare vbi illud, quod actu est, in hac parte spatij, ita est determinatum ad hoc spatium ut non possit esse in alio; quia non habet potentialitatem ad id, quod actu non habet; alias iam non modus, sed res esset: ergo vbi per quod est præsens Angelus, & corpus huic parti spatii distinguitur ab vbi alterius spatij formaliter à parte rei; vnde vbi totale constans ex illis, & per quod totum Angelus est in toto loco continuate, erit formaliter compositum ex pluribus partibus realiter distinctis, ac divisibilibus; quapropter quando Angelus habet totam suam substantiam præsentem in loco extenso, quamvis entitas Angeli nullas habeat partes, nihilominus vbi Angeli habet illas, ita vt licet in illo modo vbi seu præsentiæ non sit vlla extensio ex parte subiecti, quod indivisibile est, est tamē necessaria aliqua extensio seu partim distinctio in tali modo præsentiæ in ordine ad diversas partes loci, seu spatii, cuius signum evidens à posteriori est; quia potest Angelus ommittere; & à fortiori idem est de corpore præsentiam ad vna partem spatij, & consequare ad aliam: ergo signum est, illas partes præsentiæ esse in re distinctas; alias non posset à parte rei una destrui, conservata alia, sicut etiam in anima rationali toti corpori vnita intelligimus modum unionis ad totum corpus, licet non habeat partes ex subiecto, scilicet anima habere tamen illas per habitudinem ad diuersas partes corporis, signumque est quod cum vna pars abscinditur v. g. manus, amittit anima partialem vnionem ad illam partem materiæ, conservata vnione ad reliquas partes corporis: idem ergo proportionaliter intelligendum est de præsentia locali.

87 E contra vero contingit in Deo, quod præsentia Dei nullomodo sit divisibilis, neque composita ex partibus distinctis, sed omnino simplex, & indivisibilis, tum quia identificatur cum ipsa essentia Dei, quia præsentia Dei non est extra Deum sed in Deo intrinsece; quidquid autem est in Deo, Deus est, vt decreuit Concilium Remense contra Gilbertum Porretanum, inde evenit, quod præsentia Dei identificetur cum Deo, & sit Deus: atqui Deus est omnino simplex, & indivisibilis: ergo ipsa præsentia est similiter simplex, & indivisibilis, tum etiam, quia præsentia Dei non est modus sed res perfectissima, ac proinde, licet faciat Deum præsentem vt ita loquar, seu constituat Deum adsentem hic, non est necesse, vt sit ita determinatio ad hunc locum, vt non possit esse alibi; in quo aliquo modo comparatur præsentia Dei non præsentiæ, & vbi angelico, sed potius substantiæ Angeli, quæ quia res est, & non modus, ita est in hoc loco, vt possit esse alibi sine additione, & diminutione; quod è contra contingit in præsentia ipsius Angeli vt iam dixi, ex eo quod modus est: ergo non mirum, quod licet præsentia Dei sit hic & alibi, non sit per distinctionem aprtium, sed per vnam & indivisibilem entitatem, cum extensione tamen virtuali, per quam æquivalet rebus formaliter extensis, & divisibilibus; vnde colligitur notanda differentia inter divinam substantiam, & alias immateriales; nam aliæ cum sunt in loco extenso, ita sunt in illo, vt licet tota sua substantia sit in toto & tota in qualibet parte, nihilominus tamen præsentia talis substantiæ non est tota in toto, & tota in qualibet parte, sed potiùs pars in parte & tota in toto; divina autem substantia ita est in toto loco extenso, vt sicut eandem essentiam totam habet in toto loco, & in qualibet parte, ita similiter eandem habeat indivisibilem præsentiam totam in toto loco, & totam eandem in qualibet parte; quod quidem sicut admiratione dignum est, ita etiam est divina eminentia, & perfectione dignissimum, quia cum in nulla perfectione suas partes habeat, non potest alicubi habere aliquid perfectionis suæ quacunque ratione consideretur, quin ibi etiam totam habeat præsentiam, & ideo vbicumque se exhibet præsentem totam suam immensitatem exhibet, atque hinc etiam intelligitur quod licet interdum nos more nostro loquamur de hac præsentia divina, tanquam de modo, vel dispositione diuinæ substantiæ, vt explicare possimus eius infinitam præsentiam, & immensitatem, re tamen vera non est modus, sed ipsamet divina substantia absque vlla distinctione in re.

Solum supereſt difficultas, quomodo Deus 88
existat de novo præsens formaliter in rebus, quas de nouo creat sine diminutione & additione ex parte Dei.

Aliqui dicunt, hoc contingere, quia talis 89
præsentia Dei in rebus de non creatis est solum denominatio extrinseca ab illis, ad quod sufficit, vt illæ solum mutentur; & non Deus: explicant hoc exemplo turris, vel saxi in medio fluminis persistentis immobiliter; turris enim iam his partibus aëris, iam illis de nouo est præsens, & idem est de saxo respectu aquarū de novo aduenientium, hoc est sine mutatione intrinseca ex parte saxi, vel turris, & solum per mutationem aquarum, & partium aëris.

Sed hæc solutio falso nititur principio, & 90
exemplo, quia turris, aut saxum non est extrinsecè præsens aquæ aut aëri, sicut neque extrinsece est præsens spatio, sed intrinsece est præsens tam aëri, quam spatio; sicut etiam saxum intrinsece est præsens solo, & aquis per distinctas tamen præsentias, quæ separantur inter se; nam præsentiæ ad partes aquæ mutātur ad mutationem aquarum; vnde recedentibus aquis, desinunt præsentiæ ad illas, manente tamen eadem præsentia ad spatium, cum habitudine ad

polos,

polos, & centrum aut secundum esse, aut secundum dici, vt explicui *disputat. de loco*: ergo præsentiæ illæ non possunt deseruire ad explicandam præsentiam Dei; siquidem Deus etiam si intrinsecè, & non extrinsecè sit præsens rebus de nouo existentibus, non patitur diminutionem, additionemve formalem à parte rei præsentiarum sicut saxum, & turris.

91 Sed hoc totum mysterium explicandum est secundum nostra principia per additionem, & diminutionem virtualem, solam Deo conuenientem propter suam eminentiam, de quo quia *disput. de libert. Dei*, data opera latissime nobis agendum est, nihil hic agere operepretium duxi, videantur ibi dicenda, quæ sufficiunt ad præsens negotium, & facile possunt applicari præsenti difficultati.

# DISPVTATIO XVIII.

*De natura intellectus diuini, eiusque intellectione.*

## QVÆSTIO I.

*Vtrum detur intellectualis cognitio in Deo scientifica, infinita?*

### SECTIO I.

*Prima conclusio ponitur.*

1 DE fide est dari in Deo sapientiam; vt patet ex illo *Psalm.* 146. [Sapientiæ eius non est numerus,] & *Sapientia* 9. [qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem.] *Prouerb.* 3. Dominus sapientia fundauit terram, & stabiliuit cœlos prudentia, *Eccles.* 1. sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigauit? *Ad Roman.* 11. O altitudo diuitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei, *ad Colossenses* 2. [in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.]

2 Nomine scientiæ tribuitur Deo in Scriptura cognitio actualis intellectualis, præter duo loca nuper adducta in aliis multis, vt *Psalm.* 72. [quomodo scit Deus, etsi est scientia in excelso.] *Luc.* 12. [scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis,] *ad Rom.* 8. [quos præscíuit, & prædestinauit,] *Psalm.* 138. Tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua; præterea tribuitur Deo scientia per modum habitus. 1. *Regum.* 2. Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes; & *Iob* 12. apud ipsum moratur scientia, & *cap.* 21. nunquid Deum docebit quispiam scientiam: & *Esther.* 14. Domine qui habes omnem scientiam; nam Verbum illud, moratur, habes, denotant permanentem, & quasi habitualem scientiam in Deo reperiri. *Psalm.* 138. aperte hæc veritas demonstratur ibi, mirabilis facta est scientia tua ex me; vbi alia litera, habitans in te scientia per me quasi per radium mirabiliter demonstratur; quem locum Chrysostom. *hom.* 1. *de incomprehensibili Dei natura, circa medium*, ponderans, altiusque repetens superiorem versum, quia terribiliter magnificatus es; sic ait; [quid cum terribiliter dicat, significat? multa sunt quæ licet miramur, non tamen cum timore, verbi gratia, magnifica ædificia columnarum, ornamenta parietum, picturas corporum, flores, & elegantiam miramur. Item maris vastitatem, immensosque gurgites, sed non sine metu, cum eius inspicimus altitudinem. Sic & Propheta cum vastum id immensumque in æternum permanentis diuinæ scientiæ, atque sapientiæ mare inspiciat, vertigine quasi tentatus stupescit, ac summo cum timore demirans recedit, atque exclamat; confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, ac rursus mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.

Itaque in Deo omne genus scientiæ, ablatis 3 omnibus imperfectionibus suam regiam sedem collocauit, quod ex ipso nomine Θεος Græce, Latine *Deus*, mirabiliter demonstratur. Damascenus enim *lib.* 1. *fidei, cap.* 12. *in medio*, Theos, inquit, vel à Thein, id est currere, & disponere vniuersa vel ab *aithein*, id est vrere (Deus enim ignis est, omnem malitiam consumens) vel à *Theaste*, id est intuendo omnia; nam nihil eum latere potest; imo omnium inspector est, secundum illud *Ecclesiast.* 23. Oculi Domini lucidores sunt super solē circunspicientes omnes vias hominum, & profundissimum abyssi; & 44. cognouit enim Dominus omnem scientiam, quod ratiocinando conuincit eleganter Dauid *Psalm.* 93. [dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob, intelligite insipientes, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audiet, qui finxit oculum non considerat,] quod ante dixerat Athanasius, *tract. de definitionibus*, §. *quid est Deus*, & *in quæstionibus de natura Dei, quæst.* 2. qui etiam *in Dialogo primo, contra Macedonium sub initium*, ait: [vocabulum Deus naturam significat, omnia contemplantem, aut peruidentem;] verum hanc ethimologiam fusius, quam cæteri Nizenus exponit, *lib. ad Ablabium*, quod non tres Dij, S. Thomas 1. *contra Gent. cap.* 44. qui omnes videntur hoc accepisse ex Dionysio, *de diuinis omnibus, cap.* 12. *prope medium*, vbi hanc rationem nominis exponens, sic ait, [diuinitas est omnia contemplans pronidentia; atque id perfecta bonitate omnia vndeque lustrans, & complexu suo complens,] cuius vestigiis insistens Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Stromatum, in fine*, ibi: Theos dictus est à Theaste, hoc est videre, & contemplari; vel à Thein, quod est disponere, tanquam expositione, & ordine, & administratione; & Cyrill. *lib.* 1. *contra Iulianum, colum. vltima*, Augustinus *lib.* 7. *confessionum, c.* 9. & *l.* 10. *de ciuit. c.* 29. *prope finem*, Gregor. Magnus, *lib.* 21. *Moralium, c.* 5. Hilarius *lib.* 9. *de Trinit.*

### SECTIO II.

*Secunda conclusio ponitur.*

LVmine naturali demonstratur, Deum habere infinitam scientiam, ita docuit, & demonstrauit Aristoteles, *lib.* 1. *Ethic. ad finem*, & *libro* 1. *Met. in proœmio, cap.* 2. & 3. *Metaphys. cap.* 4. *text.* 15. & *lib.* 12. *Met. cap. penultim. text.* 51. ibi: [siue nihil intelligat, sed ita se habeat, vt dormiens quidnam præcellens erit; seipsum ergo intelligit, si est quidem quod optimum est, & est intel

intellectio intellectionis intellectio. ] *& lib. 10. Ethic. cap. 8. circa medium*, [ viuere ipsos Deos vniuersi putant, quare, & operari; non enim oportet illos, vt Endimionem, aiunt, dormire; viuenti igitur ei cui actio; & multo magis affectio, non tribuitur; quidnam aliud, præter contemplationem restat? quare Dei operatio præcellens, beatitudine contemplatiua, sine controuersia fuerit;] vbi Aristoteles ex perfectissima, & actualissima vita Dei demonstrat, scientiam diuinam; nam si Deus scientia careret, & ad modum dormientis se haberet, nihil perfectionis continere posset in se, quæ diuinitatem indicaret; sed potius instar lapidis vltimam inter entia sedem obtineret; quod est summum absurdum cum Deus omnium rerum perfectissimus sit; hæc enim ratiocinatio in illis verbis aperte continetur; [siue nihil intelligat, sed ita se habeat, vt dormiens quidnam præcellens erit;] Et ideo concludit, se ipsum ergo intelligit, si est quidem quod optimum est: igitur ex infinita perfectione, & excellentia Dei qua res omnes infinito interuallo superat, euidenter demonstratur, Deum scientia, atque sapientia præditum esse; loco autem *ex libro Ethicorum*, aliter argumentatur; videbatur enim sane Philosophus expertus, quandam maximam animi oblectationem ex contemplatione substantiæ Dei, & per eam gradum facit ad contemplandam beatitudinem illam, atque fœlicitatem perennem, qua Deus potitur, atque fruitur, dum se ipsum infinita, & comprehensiua intellectuali cognitione penetrat perfectissime; vnde 12. *met. cap. 7.* disputans, an primus Motor optimam, ac perfectam actualem vitam habeat, summa & perfectissima iucunditate affectam, quæ ducat originem ex sui contemplatione, profert hæc aurea verba, [si ita se habet Deus, sicut nos aliquando admirabile est, quod si magis admirabilius est, at ita se habebit. Itaque lumine naturali notum esse, Deum, sapientia potiri, manifeste ostendit Aristoteles.

5 Idem multis in locis asseruetunt Plato, & Hermes Trismegistus, qui duo Philosophi partim rationis ductu, partim traditione, vel scriptis Hebræorum edocti nostram veritatem tradidere, & præterea addiderunt, mentem, seu verbum, aut sermonem, vel mentalem lucem apud patrem existere affirmarunt, vt de Trismegisto refert Cyrillus, *lib. 1 contra Iulian. colum. vltima*, & de Platone, eiusque discipulis Augustinus *lib. 7. confessionum, cap. 9. & lib. 10. de ciuitate. cap. 29.* & multi alij ex Philosophis; vt refert Didacus Ruiz. *tom. 5. disp. 45. de Trinit. sect.* quam veritatem illis admirandis verbis tradidit Ioannes Euangelista *cap. 1.* sui Euangelij: [in principio erat Deus, & Deus erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt.]

6 Diuus Augustinus *lib. 1. de doctrina christiana, cap. 8. in medio*; tam claram esse sapientiam Dei docet, vt qui eam neget, iure quidem optimo stultissimi nomen mereatur, ibi [nemo est enim tam imprudenter insulsus, qui dicat; vnde scis, incommutabiliter sapientem vitam commutabili esse præferendam? id ipsum enim, quod interrogat, vnde sciam omnibus ad contemplandum communiter, & incommutabiliter præsto est, Deus enim scientia incommutabilis, infinita, atque perfectissima est; & hoc qui non videt, ita est quasi cæcus in sole. ] Quæ verba protulit Augustinus oculos intendens mentis in *Psalm. 93.* vbi prophera David non solum docet Deum esse sapientem, sed etiam tam clare demonstrat, vt qui hoc dogma eat inficias, insipiens maxime, & stultus sine dubio existat: Nam si Deus inquit Propheta, & perfectissima, & vniuersalis causa omnium rerum, debet omnes perfectiones suorum effectuum sine dubio continere: atqui Angeli, & homines scientiam, & sapientiam habent participatam à sempiterno lumine diuinitatis secundum illud Iacobi. [Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum: ] ergo in Deo ablatis imperfectionibus continetur perfectissima scientia, & sapientia: patet consequentia ex duplici principio metaphysico, [nihil est in effectu, quod non contineatur in causa, & nemo dat, quod non habet: ] sed in effectibus Dei continetur scientia, & sapientia, quam tribuit illis Deus: ergo euidenter sequitur, scientiam, & sapientiam in Deo reperiri; cui demonstrationi si aliquis contradixerit, insipientiæ, & ignorantiæ notam incurreret, ac se se in errorum plagas induet, verba Psalmi nuper adducta sic se habent; in quibus integra ratiocinatio, quam in præsenti secimus, liquido, ac candide manifestatur, ibi: [intelligite insipientes in populis, & stulti aliquando sapite, qui plantauit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum non considerat: qui corripit gentes non arguet: qui docet hominem scientiam?] ac si dicat (inquit Chrysostomus) summam insipientiam, & stultitiam esse sibi persuadere perfectissimum Deum, Principem ac præcipuam causam Angelis, & hominibus tribuentem cognitionem euidentem, sensitiuam, & intellectiuam scientificam posse carere infinita, ac perfectissima scientia; quoniam omnis causa principalis, ac potissimum increata, imparticipata, independens, & prima debet in se præhabere formaliter, aut eminenter quamlibet perfectionem, quam causat, Deus autem non solum eminenter: sed potius formaliter debet continere scientiam, & sapientiam; quia scientia, & sapientia secundum suum conceptum præcisum dicit perfectionem simpliciter simplicem; quia scientia secundum suum purissimum conceptum est melior ipsa, quam non ipsa, hoc est quam carentia illius, & quam oppositum illius, videlicet quam error, aut ignorantia; hæc enim est definitio perfectionis simpliciter simplicis quam adducit Anselmus *Prosolog.* sed in Deo datur formaliter omnis perfectio simpliciter simplex: ergo in Deo datur formaliter scientia, & sapientia, præcipue quia nulla possibilis est perfectio, quæ sit altior, & dignior intellectione, siue sapientia, & sic Deo dignissima est.

Vrgetur, ac declaratur, nam delectatio ex suo genere est perfectio nobilissima, [nobiliori enim modo (inquit Philosophus) se habet res existens delectabiliter, quam si existat absque experientia delectationis, cuius signum est, quod omnia, & bestiæ & homines prosequuntur eam. ] Ita Aristoteles 10. *metaphys. & 1. Ethic. cap. 13.* vnde omnes existimant, tantum vitam fœlicem delectabilem esse, & implicat delectationem esse cum infœlicitate: & 1. *Ethic. capit. 3.* refert, in quadam Deorum ara subscriptum esse: Delectabilissimum esse quo quis optat frui: ergo delectatio ex suo genere est perfectissima: ergo reperitur formaliter in Deo: ergo etiam in eo reperitur cognitio perfectissima, quia delectatio, seu voluptas præsupponit necessario cognitionem, quia voluptas est actus appetitus, & perfectissima voluptas est actus perfectissimi appetitus, scilicet voluntatis; vnde volitio erit; sed nihil volitum, quin præcognitum: 7

ergo ante delectationem, & voluptatem præsupponitur cognitio in Deo, non solum eminenter, aut virtualiter, sed etiam formaliter, quia actualis delectatio, seu voluptas non sequitur cognitionem virtualem, aut eminentem, sed potius formalem, & actualem cognitionem; quapropter ex eo quod aliquis habeat intellectum solum sine actuali intellectione, nullam potest habere actualem delectationem & voluptatem in voluntate, vt videre est in pueris in ventre matris existentibus, qui paulo antequam nascantur intellectum habent, qui eminenter, aut virtualiter intellectio est, & nihilominus nullo modo actualiter delectantur, incipit enim delectatio voluntatis, quando datur actualis cognitio de obiecto delectabili: ergo vbicunque datur delectatio formalis, debet dari cognitio; cum autem in Deo detur infinita delectatio, infinita debet dari cognitio intellectualis actu, & formaliter.

8 Hanc rationem principalem etiam indicauit D. Dionysius *lib. de diuinis nomin. cap. 7.* his verbis: [veram, æternamque vitam, & vt sapientem & vt sapientiam ipsam laudemus, atque adeo, vt omnis sapientiæ procreatricem, & omni sapientia, intelligentiaque superiorem sapientia, quæ omni sapientia superior est, & sapientiæ ipsius, & vniuerse, & vniuscuiusque est procreatrix,] ac si dicat, non posse Deum esse conditorem, & creatorem sapientiæ creatæ, seu creaturarum sapientia præditarum, quin in seipso sit sapiens, & contineat sapientiam formaliter, primum quia quidquid est in effectu, continetur in causa; secundum quia continere sapientiam formaliter perfectio maxime laudabilis est; quam veritatem explicat Gregorius Nissenus, *lib. aduersus eos qui ægre ferunt reprehensiones*, ibi: [Deus habens affatim eius nobis parum est largitus, vt illum primam adspiciamus, & agnoscamus rationem rationis datorem.] Vbi ex ratione, & intelligentia quam nobis tribuit causa causarum Deus, inquit Nizenus, debere nos rationem sapientissimam in Deo venerari.

9 Secundo principaliter sic probatur ex D. Augustino, *lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 7.* qua ratione desumpta ex eodē Augustino Angelicus Doctor *1. p. q. 18. art. 3.* vtitur, quia Deus est in perfectissimo gradu essendi; sed perfectissimus gradus essendi est viuentis: ergo Deus est in gradu viuentis; & quidem formaliter, quia si formaliter non esset viuens, non esset in perfectissimo gradu, sed potius esset in gradu imperfectissimo, scilicet inanimatorum, & non viuentium; atqui viuens comparatum cum non viuenti, & cum inanimato est perfectius, & excellentius illis vt ex terminis ipsis patet: ergo Deus potius viuens, quam non viuens, & inanime quid debet esse, præcipue quia si Deus esset non viuens formaliter, nullo modo posset continere viuentia quæ producit, quia non contineret formaliter, seu vniuoce; quia quod formaliter tale non est, formaliter, & vniuocè non potest esse causa effectus formaliter continentis aliquam perfectionem vt ex se patet.

Nec eminenter posset continere viuentia, quia quod eminenter continet aliud est perfectius illo; vnde lux est perfectior calore, quia continet eminenter calorem; sed non viuens formaliter non est perfectius, sed potius imperfectius viuente formaliter: ergo si Deus non esset viuens formaliter, non posset continere eminenter viuens formaliter, ac proinde nullo modo contineret viuentia; sed continet illa: ergo est formaliter viuens; sed non est quomodocunque viuens, sed potius perfectissime viuens: ergo est viuens intellectualiter, quia gradus intellectualiter viuendi est perfectissimus omnium graduum vitæ; vnde Deus erit intelligens cum infinita scientia, & sapientia; verba, quæ hanc demonstrationem continent, prolata à D. Augustino hæc sunt, [illi, qui per intelligentiam pergunt videre quod Deus est, omnibus eum naturis visibilibus, & corporalibus intelligibilibus etiam & spiritualibus omnibus mutabilibus præferunt: omnes tamen pro excellentia Dei certatim dimicant, nec quisquam inueniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes consentiūt, Deum esse quod cæteris rebus omnibus anteponant. Et quoniam omnes qui de Deo cogitant, viuum aliquid cogitant, illi soli possunt non absurda, & indigna de Deo existimare, qui vitam ipsam cogitant, & quæcunque illis forma occurrerit corporis, eam vita viuere, vel non viuere statuunt, & viuentem non viuenti anteponunt, eamque ipsam viuentem corporis formam, quantalibet luce præfulgeat, quantalibet magnitudine præmineat, quantalibet pulchritudine ornetur, aliud esse ipsam, aliud vitam qua vegetatur intelligunt, eamque illi moli, quæ ab illa vegetatur, & animatur, dignitate incomparabili præferunt. Deinde ipsam vitam pergunt inspicere, & si eam sine sensu vegetantem inuenerint, qualis est arborum præponunt ei sentientem qualis est pecorum, & huic rursus intelligentem, qualis est hominum, quam cum adhuc mutabilem viderint etiam huic aliquam incommutabilem coguntur præponere, illam scilicet vitam quæ non aliquando sapit; sed est potius ipsa sapientia, sapiens enim mens, id est adepta sapientia, antequam adipisceretur, non erat sapiens; at vero ipsa sapientia, nec fuit vnquam insipiens, nec esse vnquam potest,] sic Cherubicus Doctor; vbi propter excellentissimam perfectionem Dei concedit ipsi vitam non quancunque, sed intellectualem, quia perfectissima omnium; non mutabilem, sed purissimam, & actualissimam, quæ in sapientia infinita consistit.

Tertiam principalem rationem ad demonstrandam Dei scientiam nobis suppeditat D. Aug. *tom. 3. lib. 15. de Trinit. cap. 4.* his verbis: [vniuersa natura proclamat, habere præstantissimum conditorem qui nobis mentem, rationemque dedit naturalem, qua viuentia non viuentibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, iniustis iusta, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, inuisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris præferenda videamus. Ac per hoc quoniam rebus creatis creatore sine dubitatione præponimus, oportet, vt est, & summe viuere, & (supple; summè) cuncta sentire, atque intelligere, & mori, corrumpi, mutarique non posse; neque corpus esse, sed spiritum omnipotentissimum, iustissimum, speciosissimum, optimum, beatissimumque fateamur:] Quæ ratio in hunc modum formatur; quia omnis substantia spiritualis, & immaterialis perfectissima est viuens intellectualiter; sed Deus est substantia spiritualis perfectissima: ergo viuit vita intellectuali perfectissima, quæ in perfectissima scientia, atque sapientia cōsistit: prima propositio lumine naturali est nota; quia omnis substantia requirit operationem connaturalē, & propriam; hæc autem in substantia spirituali sine vlla cōtrouersia esse non potest alia, nisi intellectio, & volitio: nam operatio illa nō est transiens, hæc namque nisi procedat ab immanente, & interna imperfectissima est, cum tamen perfectissima

10

fectissima debeat esse operatio substantiæ spiritualis vtpote constitutæ in gradu altissimo rerum: igitur operatio substantiæ spiritualis debet esse intrinseca, immanens, & vitalis: operatio autem spiritualis immanens, & vitalis non potest esse alia, nisi intellectio, aut volitio, quia operatio, quæ esse debet in omni substantia spirituali debet esse perfectior omnibus operationibus, quia substantia spiritualis perfectior est substantia non spirituali; nulla autem perfectior operatio assignari potest, quæ tribuatur substantiæ spirituali quam intellectio, nulla igitur esse potest spiritualis substantia, quæ eo ipso non habeat intelligendi virtutem.

Dices, Deum bene posse producere substantiam spiritualem, quæ non sit intellectiua.

11 Sed contra, nam licet fingeremus Deum posse creare substantiam spiritualem non intelligentem, nihilominus euidentissimum est in illo gradu perfectiorem esse substantiam intellectualem, quam eam, quæ aptitudine ad intelligendum caret: ergo substantia perfectissima in gradu spirituali necessario debet esse intellectualis; sed Deus non solum est perfectissima substantia in gradu spirituali, sed etiam infinite perfecta: ergo non solum debet esse intellectualis, sed etiam infinite intellectualis, & sapiens.

12 Declaratur amplius, quia in rebus creatis substantia immaterialis coniunctam habet vitam intellectualem, vt videre est in animabus rationalibus, & Angelis: ergo in Deo, in quo præstantior est simplicitas, & spiritualitas præstantior debet esse vis intelligẽdi formalissime; nec dici potest vitam intellectualem in Deo solum esse eminenter, non formaliter; nam licet vitam creatam pluribus imperfectionibus admixtam solum contineat eminenter; at vero vitam intellectualem infinitam infinite perfectam ab omni imperfectione liberam formalissime habet, quia omnia inferiora quæ in Deo solum eminenter sunt, esse debent in ipso per aliquam formalitatem formaliter existentem: ita creaturas omnes possibiles eminenter continet per omnipotentiam in Deo formaliter existentem; quæ formalitas perfectior est possibilitate creaturarum: ergo si Deus solum eminenter continet perfectionem vitæ intellectualis scientiæ, & sapientiæ in aliqua formalitate, & perfectione formaliter existente in Deo, debet continere illam, quæ sit perfectior omni vita intellectuali, scientia, & sapientia, quæ simul formaliter, neque sit vita intellectualis, neque scientia, & sapientia formaliter; sed nulla perfectio potest assignari in vniuerso, quæ sit perfectior vita intellectuali, & formaliter non sit talis, quæ sit excellentior scientia & sapientia, & non sit formaliter scientiæ, atque sapientiæ perfectio: ergo si Deus continet eminenter scientiam, sapientiam & vitam intellectualem, sine dubio formaliter habebit scientiam, sapientiam, & vitam intellectualem.

13 Quarta ratio sumitur ex Philosopho 7. *Polytic. cap.* 1. vbi sic ait: [Deum esse fœlicem, atque beatum non per aliquid externorum, sed per se ipsum, quia talis est secundum naturam, *& ex secundo, Magnor. Moralium, cap.* 15. vbi hæc profert. [Est iactatus de Deo sermo quod sit sibi satis, neque vllo indigeat, quoniam bona cuncta obtinet Deus.] Ex quibus sic argumentor: Deus est summe, & infinite beatus, ac proinde summa, & infinita beatitudine, & fœlicitate debet frui: sed summa, & infinita beatitudo consistit in summa, ac perfectissima cognitione, & contemplatione; cognitione scientifica, & amore summi, & infiniti boni, quale est ipse Deus: ergo Deus habet summam, & perfectissimam intellectionem comprehensiuam sui ipsius, & perfectissimum, ac infinitum amorem, quo sediligit: Maior certissima est quia summum, & infinitum ens non debet habere carentiam beatitudinis, & fœlicitatis, alias infœlicissimum esset quod est summa imperfectio, & imperfectior esset creaturis à se productis, tanquam à causa, siquidem illæ suam fœlicitatem, & beatitudinem habent; Deus autem nullam obtinet beatitudinem, & fœlicitatem per vos.

Minor illa late demonstrata manet in proœmialibus huius scientiæ. 14

Quinto, & vltimo probatur nostra sententia ex rerum creatione, prouidentia & ordine earundem: Nam vt ait Tullius 1. *de natura Deorum*: [quid enim potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum cœlum adspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod lumen, sapientiamque præstantissimæ mentis quo hæc regantur;] omnia enim creata non casu, & fortuna, sed sapientissime, & prudentissime gbuernantur; cum in omnibus natura constantibus nihil temerarium, aut inordinatum, nihil non probe administratum conspiciamus perfectissimam quãdam sapientiam in rerum administratione suspicimus quam non aliunde, præterquam à diuina quadam mente rebus omnibus prouidente proficisci posse intelligimus, quia omnia, tam parua, quam maxima suis regulis contineri, suis terminis colligi, suo ordine regi, & licet inter se pugnantia, vno fine conciliari aperte & euidenter demonstrat infinitam sapientiam Dei omnia regentis, & gubernantis; nam vt ait Lactantius *lib.* 1. *diuinarum institutionum*, *cap.* 11. [nemo est tam rudis, tam ferus moribus, quin oculos suos in cœlum tollens, tamersi nesciat, cuius Dei prouidentia sapientissima regatur hoc omne, quod cernitur, aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine motu, dispositione, constantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione, nec posse fieri, quod id quod mirabili ratione constat non consilio sapientissimo maiori aliquo sit instructum.

Nauim cum primum cernimus (inquit Chrysostomus) erecta pupi inter medios maris vertices sulcantem recto cursu ad portum properare, statim peritum, ac sapientem nautam in ea esse deprehendimus, qui illius moderationi insistat. Cum vrbem aliquam ingredimur, optimis legibus munitam, in qua cum varia hominum genera sint, qui diuersis plane officiis, ac vitæ rationibus, & muneribus incumbunt; vniuersi tamen summa inter se pace fruuntur, an non optimum, ac sapientem ibi præesse gubernatorem existimamus. Denique quis domum aliquam regiam adit in qua mixta, tum vocum, tum musicalium instrumentorum mira varietatis harmonia compactus, concentus audiatur, qui suauitate ingente aures demulcet, qui protinus institutæ harmoniæ rectorem peritissimũ aliquem esse non sentiat, sapientiam eius non laudet, peritiam eius non miretur? Id enim naturalis hominum discursus, ac ratiocinatio per se gignit: ergo à fortiori nullus erit tam naturæ lumine destitutus, qui cum ingentem hanc mundi nauim recto itinere, ac irrafragabili lege per temporum varietates ad occasum veluti ad portum properare conspicit, summum ac sapientissimum ibi nautam moderatoremque prudentissimum Deum esse non percipiat. 15

16 Age quis est tam vecors, qui cùm hæc magna rerum corpora in hac populosissima, & amplissima mundi vrbe inter se pugnantia nova, ac perpetua pacis, ac amicitiæ lege conciliari animadverterit, statim sapientissimum, prudentissimum, infinita scientia, & cognitione his deum gubernatorem, qui ea imperio coërceat præsidere non existimet? Et quis tandem cœlestium orbium ordinem, astrorum cursum, lunæ vicissitudines, solis itinera, ordinatissimosque rerum omnium motus, ac operationes; ex quibus suavissimus mortalibus, velut concentus redditur, secum animo revoluit, qui horum omnium rectorem, ac ducem infinita sapientia circumfusum deum esse non agnoscat? qua similitudine usus est Cicero de natura deorum his verbis: [qui namque convenit signum, aut tabulam pictam cum aspexeris scire adhibitam esse artem, cumque procul cursum navigii videris quin id ratione, & arte sapientissima moveatur, non dubitare: aut cum solarium, vel descriptum, aut ex aqua contẽplare, intelligere, declarare horas arte, non casu, mundũ autem qui & has ipsas artes & earum artifices, & cuncta denique complectitur consilij, & rationis esse expertem putare? At si diuinam administrationem, & Dei à rebus providentiam sapientissimam secluserimus, quæ in natura excogitari poterit ratio per quam ea, quæ à natura fiunt, administrari dicantur?] Sic ille.

17 Hic præclare Trismegistus *in Primandro, Dialogo* 12. hæc verba protulit: arduum quiddam est ô filij, Deum percipere peritissimum, sapientissimum, hunc quoties intueri volueris, adverte mundi ordinem, atque ordinis eius ornatum; adverte necessitatem illorum, quæ sensu percipiuntur providentiamque cunctorum quæ facta sunt ante, & quæ quotidie fiunt;] hoc enim præclarissimum est divinæ providentiæ signum ipse pulcherrimus, atque inviolabilis omnium rerum ordo in natura conspicuus; neque tandiu tamque immobiliter omnia ordine stato incederent, nisi ea optima divinæ, sapientissimæ providentiæ lege continerentur; quamobrem inter ea, quæ ad Dei sapientiam cognoscendam hominem trahunt, non obscuro loco providentiam collocat, qua universa terrarum sola gubernantur; *in eodem Dialogo*, ipse Trismegistus his verbis: [ex quatuor ergo his fili agnosces, percipiesque Dei sapientissimam scientiam ex ordine scilicet rerum, ex naturali earundem obedientia, ex illius prouidentia, qua singulis quibusque prospicit.] Denique vt illorum errorem sugillet, qui Deum uniuersalium tantum non singularium providentiam gerere putabant *in Dialogo*. 10. *ad Asclepi.* Deum hominis curam agere affirmat his verbis; [neque Deus ignorat hominem sed curam eius habet, ab eoque se cognosci vult.] huc respiciebat Isaias *cap.* 40. quando dicebat, [levate in excelsum oculos vestros, & videte quis creavit hæc? qui educit in numero militiam eorum & omnes ex nomine vocat præ multitudine fortitudinis ac roboris, virtutisque eius.] Vnde Augustinus *sermone.* 15. *de verbis Domini*, [interroga (inquit) mundi ornatum, cæli fulgorem, dispositionemque syderum, & vide si non sensu suo tibi respondeant Dei sapientia nos fecit, & gubernat.]

18 Iure quidem optimo hæc profert Augustinus; nam si rerum naturam, ac mundum ipsum interrogemus, plane se à Dei infinita, ac sapientissima scientia gubernari efficacissima omnipotentia conditam secundum totum, quam etiam secundum partes esse clamat; Etenim elementa, quibus universum constituitur vicissitudine quadam in alterutra transeunt, ac conuertuntur. Terra quippe in aquam, aqua in aërem mutatur, aër rursus in aquam labitur: atque his vicissitudinibus perpetuas rerum generationes fieri exploratum est; cui vero non perspectum sit has vicissitudines tempore mensurari, cum totius mutationis tempus mensura sit? Porro quæ tempore mensurantur, initium habent, neque vllo modo æterna esse possunt: ubi enim mensura, inde æternitas exulet necesse est, quæ omnino immensurabilis est.

Perpendamus singula universa suis temporibus 19
constant, veri succedit ætas, æstati autumnus, autumno hyems ordinatissima volubilitate, & alternatione mirabili; mare suos patitur fluxus, suis regulis, ac mensuris præfixos, aër quoque suas habet ventorum species, quibus modo concitatur, modo demulcetur; hique vicissim quodam ordine dominantur, ab oriente flat subsolanus ventus cardinalis, quia nautis levans dicitur; his cum helespontio, ac vulturno suis collateralibus eam orbis partem sibi vendicat, quà sol in Æquinoctiis oritur, ab Occidente irruit Zephirus, vel Fabonius, cui ab austro Africus coniungitur, Septentrio à Polo procedit, cui Boreas vel Achilo vicinus est versus ortum, Auster, vel Notus à meridie oritur, ab iis tam nubes, quam imbres, tam tempestates, quam tranquillitas educuntur; has porrò mutationes ita præfixo ordine dispositas quis sapientissimo auctore, & gubernatore aliquo prudentissimo carere dicat.

Cæterum constans ipsa terræ stabilitas, ac va- 20
ria illius forma non obscure Dei sapientiam illius opificem, & gubernatricem nobis agnoscendam tradit. Cui enim tam magna hæc, & pulcherrima fabrica admirationem non pariat? Quæso, an nullo auctore factum sit (vt Nazianzeni verbis vtar) vt terra quidem immensi ponderis per se fixa ster, & immobilis; neque cui innittatur, aut in quo gradum firmet, præter Dei voluntatem habeat quidquam? age hæc eadem tellus, quomodo alibi in montium cacumina assurgit alibi in campos funditur, idque specie varia, & multiplici, dum crebra permutatione subinde aliam, atque aliam faciem exhibens; tum est ad vitæ usũ copiosior, tum ipsa varietate oculis gratiosior? Deinde quæ partim pro habitantium vsu attollitur in colles, ipsa deprimitur in valles, diffrahiturque, & partim inhabitabilis iacet; an non hæc divini opificij magnificentiam, infinitam sapientiam, & prudentissimam scientiam ostendunt; quid quod neque ipsa tellus, vt inquit Theodoretus? quamquam per tot annorum millia aratris cindatur, seratur, conseraturque, quanquam conculcetur, effodiatur, radatur imbribus, nubibus subsideat, atque ardoribus atteratur, vllam sui unquam diminutionem perpessa est, minoresve agricolis fœtus aut pauciores educit.

Atqui seminum germina, ac plane mirabilem 21
germinandi modum animo secum versat, qui dei opificis sapientiam non stupeat? nam vt Clemens Alexandrinus *recognitionum lib.* 8. scribit, cum terræ fuerint semina mandata, humorem, quem susceperit gleba, velut uberibus suis seminibus immulget: aquis inest quædam vis spiritus à dei sapientia dati ab initio, cuius ope habitus futuri corporis in ipso statim semine formari incipit, & per culmum spicamque restituit: turgefacto etenim ex humore semi-

num

num grano per angustos quosdam venarum meatus vis illa spiritus, quæ inesse aquis data est, vtpote incorporea, transcurrens ad incrementum semina suscitat, & crescentium species format. Ministerio igitur huiusmodi elementi, cui vitalis ille spiritus insitus semper, & ingenitus est, efficitur vt non solum reparetur, sed vt per omnia similis species & forma his quæ iacta fuerint seminibus redeant; quæ ratio cui vel breuem sensum habenti non aperte declarat, non irrationalis naturæ, sed Dei sapientissimi præsertim id opus esse.

22 Quid de animalibus dicendum (inquit Clemens Alexandrinus *recognitionum lib.* 8.) cum diuina prouidentia factum sit, vt cum temporis senecta resoluerentur, per progeniem reparentur, & mira quadam dispensatione prouidentiæ nascituor pecori lac præparetur in vberibus, ac statim, vt natum fuerit, nullo docente sciat; vbi alimoniæ suæ horrea requirat, gignuntur autem non solum mares, sed & fœminæ; vt ex vtroque possit rursus constare posteritas; sed ne viderentur hæc naturæ quodam ordine potius, quam dispensatione conditoris fieri, pauca quædam ad diuinæ prouidentiæ indicium, immutato prorsus ordine, seruari iussit; nam vt per os concipiat coruus, & per aurem mustella generet, vt aues nonnullæ, sicut gallinæ interdum oua, vel vento, vel puluere concepta pariant; alia quædam animalia marem vicibus alternis in fœminam vertant, & sexum per annos singulos commutent, vt lepores & hiennæ, alia ex fimo boum vt scarabæi, alia ex herbis vt Deocymo scorpius, & rursus herbæ ex animalibus, vt ex corno cerui, vel capræ, Apij, & asparagi, & quid opus est plura enumerare? an non diuinæ infinitæ sapientis prouidentiæ opus est, quæ mutato ordine eo qui à natura datus putatur multimodis differentiis natiuitatem animalium constare voluit, vt ex his non irrationabilis rerum cursus, sed supremæ cuiusdam mentis omnium opificis ratione ductus ostenderetur.

23 Neque hæc solum Dei opificium ostendunt sed ipsa etiam vasta maris profunditas, quod cum ventorum flatibus concutiatur, & tanta turgeat aquarum multitudine non erumpit, non egreditur terminos, non tellurem inundat, sed vinculis immobilibus littori alligatur, & quamvis turgescentibus ac spumantibus vndis, quandoque intumescat; tamen cum primùm littori appropinquat gradum sistit, fluctus frangit, iras remittit, ac tandem placatum retrocedit, quibus sine dubio præsentiam sapientissimi gubernatoris ostenditur, coercentis, ac temperantis ipsius maris impetus, quod his verbis docuit Dauid *Psalm.* 92. [mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus]; quæ vis immensam maris naturam, sic cogit, ac velut sub lege coërcet. Quis illud littore, velut ostijs concluſit, cum erumperet? is plane, qui apud *Iob* ait: [circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia; & dixi vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.]

24 Age vero terra ipsa, & quæ circa eam sunt, relictis ad aëris altiora conscende, atque in eo opificis benignitatem perpende; & quidem ingentes diuitias, adeoque copiosas in eo effusas reperies, vt benignitatem suam ipse conditor nullo dignitatis, nullo fortunæ respectu hominibus communicet: tanta enim est illius amplitudo, vt nullis finibus terminetur, neque certis ætatis gradibus sese impertiat: sed ex quo vt olim Manna quantum satis sit, quisque pro se accipiat, sitque hoc modo ex sortis æqualitate apud omnes gratiosa largitio. Hic volatilis natura suum vehiculum habet, hic venti sedem; hic anni partes commode temperat, animantibus vitam largitur, vel potius coniunctionem animi cum corpore tuetur in hoc corpora; & simul etiam loquendi facultas vigent, in hoc est quidquid aut per se lucet, aut aliunde illuminatur, per huius denique tractum visus velut iaculanter vires suas exercet; hanc vero aeris naturam, vt inquit Theodoretus, quis non admiratur inconsumptam persistere, cum tamen tot numero homines, totque animalia illum spirando, & attrahant, & remittant, solisque adeo feruentes radij permeando trahiciant.

25 At vero non satis est, aerem, & quæ sub eo sunt peragrasse, vt in ijs Deum opificem inuestigaremus sapientissimum, nisi cœlum, ac cœlestia animo perlustremus; in quibus præclariora Dei vestigia splendent. Contemplare ingentem hanc cœli amplitudinem, ambitum, altitudinem, dimensionem: quis eo vsque vnquam peruenit, vt certo docere posset quid cœlum, quid stellæ, quis orbium numerus, quæ illorum materia, quæ effigies, quis color illis insit? an hoc expedire poterit quisquis est sublimiorum istorum professor, cum vix terrestrium rerum certam vllam scientiam attingat? certe vides cœlum hoc quam pulchrum, quam amplum, quam magnificum sit, quemadmodum vario stellarum ordine exornetur, & splendeat, quis illi solem, lunam, ac tantam stellarum multitudinem, tanquam rotæ clauos, aut tabulæ nodos affixit? quis ita firmum ac constans illud perstitit, vt cum iam per sex annorum millia supra nos feratur, haud tamen tam longo temporis interuallo factum sit, vt senescceret, aut dilaberetur, sed quam principio constantiam, ac pulchritudine sortitum est, eandem nunc quoque integerrimam seruet? quis cœlestem hunc ambitum, solis cursum mirabilem iam ab Oriente ad Occidens, iam à Septentrione ad Meridiem deflectens secundum illud *Ecclesiast.* 1. [oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur; ibique renascens girat per Meridiem, & flectitur ad Achilonem, lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur,] Stellarum situm, motus in orbem actos, contrarios quidem, ac diuersos, sed tamen in diuersitate regulam atque ordinem seruantes animo contemplatur, qui non secum ipse ratiocinetur; hæc non à se ipsis, sed ab infinita sapientia Conditoris Regij? quid dubitas in hoc maximo cœlorum opificio, qui magnitudine, nobilitate, præstantia res humanas antecellunt, latentem Dei sapientiam infinitam venerari.

Postremo ad contemplandum hominis constitutionem quæ omnium præstantissima est, quippe 26
qui Dei imago est, in quo velut paruum in alio mundum, ac vniuersas rerum conditarum formas, quasi compendio colligit; ac proinde Microchrosmos nomine insignitur, te ipsum ingredere, ac tecum perpende quanta sis ratione compositus: & hinc præcipue sapientiam ac potentiam Conditoris intelliges; quæ cum ex diuersis substantiis constet, mortali scilicet, & immortali, societatem tamen diuersitas non refugit. Perpende quæso in te ipso sapientissimi Artificis opus, inquit Clemens Alexandrinus *recognitionum, lib.* 8. quomodo ossa, velut columnas quasdam, quibus caro substentetur inseruit; tum deinde æqualis ex vtraque parte

dextera, & leua, mensura seruetur, vt congruat pes pedi, & manus manui deseruiat; digiti quoque digitis, vt singuli ad singulos tota æqualitate concordent; sed & oculus oculo, & auris auri, quæ non solum consona sibi, & concordantia, sed & vsibus necessariis apta formantur; manus quidem vt operi commodæ sint, pedes, vt gressibus, oculi, vt visibus seruiant, superfiliorum exbuuiis custoditi. Aures ad audiendum ita formatæ vt simbalo similes susceptiverbi repercussum sonitum altius reddant, & vsque ad sensum cordis emittant; lingua autem ad loquendum illisa dentibus], plectri reddat officium ipsi vero dentes alij vt incidant, & diuidant cibos, & interioribus tradant, interiores vero vt in modum molæ conficiant, ac comminuant, quo oportunius stomacho traditi coquantur, vnde & mollares appellati sunt, sed & nares commeandi flatus & reddendi, ac recipiendi gratia factæ sunt, vt innouatione spiritus calor naturalis, qui ex corde est, vel accendi, vel refrigerari, cum res poposcerit, queat; pulmonis officio, qui pectore inhærere datus est, vt mollicie sua palpet, & foueat cordis vigorem in quo videtur vita consistere.

27 At quid dicam de substantia sanguinis quam velut fluvius ex fonte procedens, & vno prius alueo inuectus, tum deinde per innumeras venas, quasi per areas derivatus, totam humani corporis terram vitalibus rigat fluentis iecoris ope ministratus, quod ad efficaciam digestionis ciborum, atque in sanguinem mutandorum in dextero latere iacet? Quod si tanta ratione videmus in homine membra disposita, vt cum cæteris omnibus similis habitus videatur, in his tantummodo discrepent, in quibus vsus diuersitatem requirit, & neque in viro aliquid superfluum, aut egens, neque in fœmina quod desit, videamus vel quod abundet; qui ex his omnibus non evidenter agnoscat, infinitæ rationis opus, & sapientiam infinitam conditoris? quis cum Propheta Regio non exclamet: [mirabilis facta est scientia sua ex me;] emicat igitur tam ampla summi opificis majestas in omni, tam supernarum, quam terrestrium creaturarum classe, vt mundus iste divinæ plane specimen operationis sit, ac illius maiestatis insigne; in quo dum opus videtur, præfertur operatoris peritia, & cessante ipso, operationis officio, atque etiam tacente artifice, summa illius sapientia, qui ipsum condidit illum declarat, & operatori Deo operis sui testimonium suffragatur, vt cum vate visibilia intuentes, & ab iis ad invisibilia mentis oculos attollentes verba illa proferamus, [quam magnificata sunt opera tua Domine, omniam sapientia fecisti.]

## SECTIO VLTIMA.

### *Tertia conclusio Ponitur.*

28 IN Deo datur non solum sapientia, sed intellectus: hæc conclusio expresse continetur in scriptura sacra. *Psal.* enim 7. *vers.* 79. hæc habetur, [& in intellectibus manuum suarum deduxit eos;] & *Psam.* 125. ibi [qui fecit cœlum in intellectu,] vbi quamvis Augustinus, & alij Doctores exponant Deum omnia fecisse in sapientia, & in verbo, inde tamen colligitur nomen intellectus aliquo sensu verificari de sapientia diuina. Nec obstat actum ipsum intelligendi multoties significari nomine intellectus, vt *Psalm.* 118. [Da mihi intellectum vt discam mandata tua;] quin potius inde maiori probabilitate colligitur, actualem intellectionem increatam & creatam vim intelligendi aliquid habere commune, ratione cuius appellari possit intellectus cum aliqua præcisione ab actualitate. Clarius tamen hæc veritas continetur *Ecclesiast. cap.* 1. *ibi*: [sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigauit? Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab ævo, fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna.] Ecce quomodo sapientia diuina vocatur aperte intellectus.

Patres etiam, & Ecclesiæ Doctores hanc veri- 29
tatem sine controversia docent, Cyrillus *lib.* 11. *thesauri, in fine totius lib.* dicit [ipse quidem vt intellectus supremus, atque optimus seipsum optime cognoscit] *& lib.* 1. *in Ioann. cap.* 5. de filio tractans ait: [mens, & intellectus in Verbo, si sapientia est, & Verbum rursus, ac sapientia in intellectu conspiciuntur, vbi patrem appellat intellectum, Filium vero, & imaginem Patris intellectum esse dicit.

Damacenus *lib.* 1. *cap.* 15. ibi [dicitur Deus 30
intellectus, & ratio, & sapientia, & potentia, dicitur & sapientia, & sapiens; similiter cum intellectus tum intelligens vita, & viuens] & Dyonisius de divinis nominibus sic ait: [Divina mens diuinus intellectus, omnia continet, & scientiam anticipatam habet] Irenius *lib.* 2. *cap.* 48. *initio*, dicit [Deus totus existens mens, quod cogitat hoc loquitur] mens autem synonymum est intellectus.

Præterea diuinum verbum ex Deo, vel ex Pa- 31
tre tanquam ex mente procedere, hoc est per intellectum generari, docent Nazianzenus, Chrysostomus, Basili. Nizen. Athanas. Dyonis. Cyrillus Alex. Theodoretus Ancyræ Episcopus August. & Fulgentius, quorum Patrum vestigiis insistentes scholastici vnanimi consensu docent, Spiritum sanctum procedere per voluntatem a Patre & Filio, tanquam ab vnico principio; Verbum autem à solo Patre per intellectum generari, quod dogma late continetur in Concilio Florentino in litteris vnionis; vnde D. Thomas. 1. *p. q.* 14. *art.* 2. *in corpore, & lib.* 1. *contra Gent. cap.* 46. *& lib.* 2. *contra gent. cap.* 10. *& de verit. quæst.* 2. *art.* 1. *in sed contra. & in corpore.* Deo concedit intellectum absolute loquendo, & de illo tractat quasi de distincto ab intellectione, seu scientia divina; eodem modo loquuntur Scotus, Ricardus, Alexander, Albert, Enrich. & alii. Probatur ratione, quia in intellectu duplex ratio potest concipi, videlicet ratio potentialitatis, quæ potest recipere realiter actum, quem inse potest producere; & hoc dicit imperfectionem, ac proinde non est concedendum Dei; alia est vis percipiendi veritatem sub hoc præciso conceptu, ratione cuius aliquid potest intelligi ab habente talem vim, & in hoc conceptu nulla involuitur imperfectio, sed potius tota est perfectio sine imperfectione, & necessario est concedenda Deo: quia verum est dicere, Deus intelligit omnia & se ipsum: ergo habet infinitam vim intelligendi, & ideo potest omnia intelligere; quia ab actu ad potentiam evidens est consequentia: ergo concepta hoc modo perfectione intellectus sine vlla imperfectione concedenda est Deo.

QVÆST.

## QVÆSTIO II.

*Virum Deus vltimo, ac formaliter intellectione divina constituatur essentialiter?*

### SECTIO I.

*Sententia adversaria proponitur.*

1 PRIMA Sententia docet, vltimum, ac formalissimum essentiale constitutivum diuinæ essentiæ esse intellectionem divinam, quatenus omnia intelligibilia percipit, & comprehendit; ita multi ex neothericis. Pater Herize *tract. 1. disp. 3. de constitutione naturæ divinæ. cap. 3. 4. & 5.* Frater Martinus de Alvis *tract. 1. de scientia Dei, disp. 2. sect. 5.* & alii qui sequuti sunt Aureolum, Gabrielem.

2 Probat primo P. Herize ex Augustino *6. de Trinit. cap. 6 & 7. & 15. cap. 5.* vbi habet hæc notanda verba: [ non est aliud sapientia eius, aliud essentia cui hoc est esse, quod sapientem esse; ] quibus probatur contra distiguentes essentiam à natura, sapientiam Dei non solum esse de conceptu naturæ, sed etiam de conceptu essentiæ. Legi etiam potest Dionysius *lib. de diuin. nominib. c. 2.* vbi ex professo ostendit, Deum esse essentialiter vitam actualem, & sapientiam. Porro sanctus Maximus apud Euthymium *in Panoplia part. 1. titulo. 5. capite*, cuius initium est; *Deus qui cognitio per essentiam*: & infra *capite*, quod incipit: *Deus proprie*: sic prosequitur; [ Deus propriè nec intelligere dicitur, nec intelligit, ne compositus existimetur; nam quod intelligit coniunctam habet intelligendi potestatẽ, & quod intelligitur potestatem habet coniunctam vt intelligatur, nec intelligentia proprie dicitur; siquidem intelligentia naturaliter habet essentiam subiectam ipsius intelligentiæ susceptricem; reliquum igitur est, vt post hæc, cum non possimus Deum intelligentiam dicere, dicamus eum ipsam per essentiam intelligentiam, & totam intelligentiam solam, atque omnem intelligentiam præstantiorem. ]

3 Secundo probat ratione sic. Natura divina constitui vltimo debet per gradum vitæ intellectualis; sed in Deo non est gradus vitæ intellectualis per modum principij, & actus primi: ergo constitui debet per gradum vitæ intellectualis actualis. In maiori propositione etiam aduersarij conveniunt. Eam tradidit Aristoteles. *12. Metaph. tex. 39. & 51.* vbi non agnoscit in Deo aliam rationem vitæ, & gradum intellectualis, nisi actualem & ipsius intellectionis intellectionem; probatio eius à priori est, quia gradus vitæ est ex suo genere perfectissimus in omni vivente, & cum in Deo, sicut nec in Angelis non sit gradus vitæ vegetativæ, aut sensitivæ formaliter, solum constitui poterit per gradum vitæ intellectualem; porro cum nos agimus de constitutivo per rationem nostram naturæ diuinæ eo modo constituere eam debemus quo constitutas videmus, & consideramus naturas omnes creatas, imo & creabiles; etenim alius modus constituendi naturam commentitius est, & sine vllo fundamento; atqui omnis natura creata constituitur in sua specie per gradum eius perfectissimum: ergo pariter natura divina per rationem nostram constitui debet per gradum ipsius perfectissimum ex iis perfectionibus, quæ formaliter sunt in Deo; sed gradus perfectissimus est gradus vitæ intellectualis, vt modo subsumo ex vera, & communi doctrina: ergo natura divina per rationem nostram constitui debet vltimo per gradum vitæ intellectualis.

4 Tertiò probatur, quia vt docent communiter Sancti, quos sequitur D. Thomas *1. p. q. 13. art. 8.* nomen Deus est nomen significans Dei naturam, sicut secundum omnes sanctos, Deus idem valet ac videns, seu intelligens, vel providens: ergo natura Dei formaliter idem est, ac actu intelligens.

5 Confirmatur, quia Verbum est Filius; ergo ex vi processionis emanat viuens à viuente coniuncto in similitudinem naturæ; evadit vero similis in natura; quia emanat per intellectionem; Dicitur vero emanare per intellectionem, quia Pater ex vi processionis communicat illi eandem numero intellectionem essentialem, quam habet: ergo de primo ad vltimum intellectio est formaliter natura divina; cum Filius non alia ratione ex vi processionis accipiat naturam Patris, nisi quia accipit à Patre eandem Patris intellectionem. Vtraque discursus pars scilicet quod intelligere sit formaliter natura Dei, & quod ideo Verbum sit Filius; quia illi ex vi processionis communicat Pater hanc naturam, quæ est intelligere; est expresse sancti Thomæ *1. p. quæstione 27. art. 2.* inde probantis, Verbum esse Filium; quia intelligere Dei est esse Dei; quod non potest accipi in sensu identico; alias pariter Spiritus sanctus esset Filius; quia velle Dei est etiam identicè esse Dei.

6 Albis non solum docet quidditative constitui Deum per intelligere, sed etiam per velle; ita vbi supra *sect. 6. num. 7. §. dicendum.* probat 1. Nam secundum fidem in Deo est proprie essentia, & proprie vna; Sancti vero, & Ecclesia, dum exprimunt hanc veram essentiam, docent esse vnam sapientiam, vnam volitionem &c. ergo nomine essentiæ secundum Sanctos intelligitur aggregatum vt sic loquar volitionis, & intellectionis.

7 Secundo, nam nomine Dei intelligimus nihil aliud, quam ens summe perfectum, & quo nihil perfectius excogitari potest; sed quidditativus conceptus entis summe perfecti, claudit omnem perfectionem simpliciter simplicem, cuiusmodi est velle diuinum: ergo velle diuinum est constitutiuum quidditatiue diuinæ essentiæ.

8 Confirmatur; concipientes scientiam infinitam, & non concepta voluntate non concepimus omnem perfectionem simpliciter simplicem: ergo non concipimus ens infinite perfectum in omni perfectione formali: ergo non concipimus essentiam Dei, quæ nihil aliud est, quam omnis perfectio simpliciter simplex.

9 Confirmatur, vltimo, si non solum ratione sed etiam re ipsa distinguerentur scire & velle diuinum; non saluaretur totalis essentia Dei in solo scire, quia ibi non esset omnis perfectio simpliciter simplex: ergo perfectio etiam voluntatis pertinet intrinsecè ad essentiam Dei; alias licet scientia Dei, & voluntas distinguerentur non pertineret voluntas ad essentiam: ergo multò magis nunc pertinet ad quidditatiuum conceptum essentiæ Dei; nam quod cum intellectione identicè

identice vniatur, non tollit, quominus intrinsecè pertineat ad essentiam Dei: ergo essentia Dei etiam ratione nostra intrinsecè claudit voluntatem.

## SECTIO II.

*Nostra sententia ponitur & probatur.*

10 PRima conclusio; diuina essentia vltimo, ac formalissime non constituitur per intellectionem diuinam, ita grauissimi Doctores, tam antiqui, quam moderni. Capreolus *in 1. dist. 8. q. 4. art. 1. & disp. 15. q. 1. art. 2.* vbi refellit Aureolum; Caietanus *1. p. q. 1. art. 7.* vbi sapientiam numerat inter attributa, quæ consequuntur Deitatem; & *1. p. q. 14. art. 5. §. Ad hoc igitur*, ait; propositionem hanc, Deus est sua intellectio identicè esse veram non autem formaliter, *& 2. 2. q. 2. art. 1. §. Ad euidentiam*, hæc expressa verba profert: [non ita se habet Deus ad esse sapientem, sicut ad esse verum; quia esse sapientè addit naturam sapientiæ supra naturam Deitatis, licet sint idem realiter;] idem tenet Ferrariensis *1. contra Gent. cap. 45.* Bañez *q. 8. art. 8.* Durand. *in 1. distinct. quæst. 2. art. 1.* ibi: [Exclusis à Deo per rationem intellectu, & voluntate, cum omnibus actibus suis, adhuc esset in diuinis generatio Filij & spiratio Spiritus Sancti, ita quod hæc sunt in diuinis ex fœcunditate naturæ radicaliter, quam fœcunditatem habet ex sua infinitate, & non ex hoc, quod est intelligens & volens;] vbi licet falsam sententiam amplectatur, negans processiones diuinas esse mediis intellectu, & voluntate, plane tamen affirmat actum intelligendi, & volendi distingui ratione ab essentia, seu natura diuina. Ex nostris P. Molina *1. p. q. 2. art. 3. infine*, vbi inter attributa diuina, & affectiones Dei numerat intellectum, voluntatem, sapientiam, bonitatem &c. P. Vasquez *1. p. disp. 119. cap. 3.* hæc expressa verba ponit: Respondeo ita nostro conceptu distingui sapientiam ab essentia Dei, & substantia eius vt nostro more intelligendi non apprehendatur vt Deitas, sed vt aliquid Deitatis, P. Valentia *1. p. disp. 1. q. 26. §. vnico, paulo ante finem* sic ait. Quamuis in essentia Dei vt sic sit summum, & infinitum bonum, tamen in essentia vt sic non possidetur intellectualiter à Deo formaliter loquendo, sed per intellectionem suam, quamuis à parte rei ipsa sua intellectio etiam sit sua essentia; eandem sententiam docet Gillius *lib. 2. tract. 7. cap. 15.* P. Petrus Arrubal. *1. tom. in 1. p. disp. 18. cap. 3.* Pater Ludouicus de Torres *tom. de fide disp. 2. de obiecto formali fidei, lib. 1.* affirmat efficaciter probari ratione. Nouissime P. Alarcon *tom. 1. in 1. p. tract. de scientia Dei.*

## SVBSECTIO I.

*Auctoritate probatur nostra conclusio.*

11 DAmascenus *lib. 1. de fide, cap. 4.* agens de Dei incomprehensibilitate, vbi aperte nostram sententiam his verbis docet, [quæcunque autem de Deo per Theologiam affirmatiuam dicimus non naturam eius, sed ea, quæ sunt circa naturam insinuant; nam siue bonum, siue iustum, siue sapientem, siue quiduis aliud dixeris non naturam dicis Dei, sed ea, quæ sunt circa naturam.] Quid clarius, & euidentius poterat ad nostram sententiam confirmandam inueniri, vbi expresse, & manifeste docet sapientiam Dei eo modo se habere respectu naturæ Dei, sicut bonitatem, & iustitiam, ac proinde bonitatem, iustitiam & sapientiam nullo modo esse naturam diuinam; sed affectiones, attributa, seu proprietates ipsius naturæ, & essentiæ, vt patet ex illis clarissimis verbis; nam siue bonum, siue iustum, siue sapientem, siue quiduis aliud dixeris, non naturam dicis Dei, sed ea quæ sunt circa naturam; ] id est, quæ circunstant naturam vt explicant Clictobæus; atqui ea quæ circonstant naturam, & quæ circa naturam sunt, & non sunt ipsa natura, nullo modo possunt esse vltimum constitutiuum diuinæ essentiæ, & naturæ, quis enim dixit vnquam essentiam diuinam esse circa naturam Dei, & quis potest intelligere, gradum entis, & gradum substantiæ spiritualis non esse naturam diuinam, sed potius circunstare naturam, & esse circa ipsam, quia talia prædicata sunt essentialiter constitutiua diuinæ naturæ, & essentiæ: ergo si D. Damascenus asserit, sapientiam Dei non esse naturam Dei, sed potius esse circa naturam, eo modo quo est circa ipsam iustitia, & bonitas manifeste sequitur, sapientiam diuinam non esse constitutiuum essentiale vltimum diuinæ naturæ.

Respondet Herize ad Damascenum, *vbi supra cap. 1.* his verbis noluisse hunc doctorem non constitui Deum in sua essentia sua sapientia, & bonitate, sed nominibus, & conceptibus, quibus nos significamus, & explicamus naturam Dei per sapientiam, per bonitatem, non eam exprimi, vt est in se, sed attributis quibusdam secundum modum nostrum concipiendi, & per partes: ideoque prius ipse dixerat, conuenientius esse de Deo per omnium ablationem facere sermonem, & infra *cap. 12.* vt nos doceat non bene à nobis explicari naturam Dei per conceptus per quos positiue attribuimus ipsi sapientiam, & bonitatem, sic subdit; [ vniuersum enim id quod est, tanquam immensum quoddam, & infinitum essentiæ pelagus complexu suo continet.] Deinde subiungit, [nec enim in Deo prius essentiam dicere licet, postea bonitatem, ] quæ verba optima sunt ad constitutionem illam physicam essentiæ Dei de qua feci mentionem *cap. 3. num. 9.* non tamen ex his sit non constitui metaphysice naturam Dei intellectione speciali ratione sic ille. 12

Sed contra manifeste, quia S. Damascenus non ideo asserit, aut expellit sapientiam, bonitatem, & iustitiam à constitutione essentiali diuinæ naturæ eo quod nomina sapientiæ, iustitiæ, & bonitatis non explicent naturam prout est in se, vt falso asserit Herize, sed potius quia hæc nomina, sapientia iustitia, & bonitas non significant prædicata quiditatiua naturæ diuinæ, sed proprietates, & affectiones, quæ insunt naturæ diuinæ, explicant, verba Damasceni sic se habent, [quæcúque autem de Deo per affirmationem dicimus, non ipsius naturam, sed quæ circa ipsius naturam sunt, ostendunt; ita siue bonum, siue iustum, siue sapientem, siue quidcunque tandem aliud dicere libeat, non Dei naturam, sed quæ naturæ insunt, exponis, ] sic Damascenus, *cap. 4. in fine*: ergo non propter rationem affirmatam ab Herize in sua solutione asserit Damascenus, non cõstitui Deum per sapientiam, bonitatem, & iustitiã formalissime, & essentialiter, sed potius quia sapientia non est prædicatum essentiale Dei; sed potius attributale & ideo comparat quoad hoc sapientiam iustitiæ, & bonitati; de quibus in tua sententia dicendum est, non ideo

ideo non constituere diuinam naturam, quia non significant ipsam provt est in se, sed potius, quia sunt attributa Dei ad secundarium conceptum ipsius pertinentia; nam iustitia v.g. est virtus voluntatis, seu volitio diuina, & de hac asseris, *disp. 3. de constitutione naturæ diuinæ, art. 4. c. 1.* non posse constituere diuinam essentiam metaphysice; quia spectat ad secundarium conceptum Dei; quia est intellectione posterior ratione nostra cum fundamento in ipso Deo. Sic asseris, *n. 1.* ergo si in sententia Damasceni propter eandem rationem excluditur sapientia à constitutione essentiali, propter quam excluditur iustitia, & iustitia, vt tu asseris non excluditur à tali constitutione, quia nõ significat naturam provt est in se, sed potius quia est attributũ, & posterior essentia, vtpote secundarius conceptus illius: ergo similiter sapientia excludetur à constitutione essentiali diuinæ naturæ, non quia non significat diuinam naturam provt est in se, sed potius quia diuina sapientia est attributum, & secundarius cõceptus Dei; quod tu ipse his verbis doces, [per sapientiam, per bonitatem non eam exprimi vt est in se, sed attributis quibusdam secundum modum nostrum concipiendi: ergo per te sapiẽtia, & bonitas significãt attributa naturæ nostro modo intelligẽdi nõ prædicata essentialia Dei.

14 Præcipue, quia si totus defectus esset in nominibus à nobis impositis, & in conceptibus mẽtis nostræ finitæ, & limitatæ, quæ quatenus talis est, non potest Deum provt est in se significare etiam nullo modo possent cõceptus nostri, & nomina non solum naturam diuinam, sed neque attributa Dei, & prædicata, quæ Dei naturæ insunt significare, quia quicunque cõceptus nostri finiti sunt, & quæcunque nomina à nobis imposita limitata, & omnia prædicata diuina, non solum essentialia, sed etiam attributalia sũt infinita, & illimitata quia sunt ipse Deus; atqui D. Damascenus docet per sapientiam, bonitatem, & iustitiam, licet non significetur natura, significari tamen attributa, quæ naturæ Dei insunt: ergo non ideo Damascenus excludit sapientiam & iustitiam, &c. à constitutione diuinæ naturæ, quia non significant Deum vt in se est, aut diuina secundum suam perfectionem, & proprietatem, sed potius quia sapientia, iustitia, & bonitas non sunt prædicata essentialia, sed attributalia, & secundario conuenientia Deo.

15 Efficacius vrgetur, quia ipse Damascenus, qui dixerat *c. 4.* per sapientiam, & iustitiam non constitui naturam diuinam, dicit *c. 12. eiusdem lib. primi*, naturam, & essentiã Dei constitui proprie per prædicatum entis simpliciter à se & per hoc prædicatum, qui est, quidditatiue constitui Deũ; atqui hæc nomina, ens simpliciter & qui est, &c. etiam quatenus à nobis proficiscuntur sunt finita, & limitata, & non significant naturam Dei provt est in se, in quo conueniunt cum reliquis nominibus, qua nonobstante limitatione asserit per hæc constitui Deum essentialiter, non per sapientiã, iustitiam, & bonitatem: ergo euidenter, & manifeste sequitur, non ideo in sententia Damasceni sapientiam, & iustitiam non constituere diuinam essentiam, quia nomina sapientiæ, & iustitiæ non significant Deũ provt est in se, quia hoc etiam habet nomen ens, &c. sed potius, quia significant prædicata attributalia Dei, & non essentiale constitutiuum illius eo modo quo significat ens, & qui est. Maior patet manifeste ex his verbis Damasceni: [ex omnibus porro nominibus, quæ Deo tribuuntur, nullũ æque proprium videtur, atque entis nomen, quemadmodum ipsemet, cum Mosi in monte oracula ederet, ait, dic filiis Israël qui est misit me, vniuersum enim id, quod est, tanquam immensum quoddam, & infinitum essentiæ pelagus complexu suo continet.]

Ecce quomodo Diuus Damascenus per ens, & per qui est, definit essentiam Dei, dicendo esse ens simpliciter infinitum; & ideo ait, infinitum essentiæ pelagus esse Deum quidditatiue conceptum. Item loquens in eodem capite paulo supra de nominibus significantibus iustitiam, cognitionem, bonitatem, simplicitatem, &c. asserit, illa nomina non significare substantiam, & essentiam Dei, sed potius affectiones, aut operationes Dei, aut quid non sit Deus, quibus dictis docet id quod nuper ex Damasceno ipso adduximus, videlicet, ens & qui est, seu infinitũ essentiæ pelagus quidditatiue Deum constituere; verba Damasceni hæc sunt, [sic itaque existimandum est, ea omnia, quæ de Deo commemorantur, non quid substantiæ ratione sit, significare, verum aut quid non sit explicare, aut affectionem quandam, aut quidpiam eorum, quæ naturam affectantur, aut denique operationem aliquam declarare:] ergo ex Damasceno colligitur clare, sapientiam, iustitiam, &c. non ideo non constituere Deum, quia nomina, per quæ significantur, non significant naturam provt est in se, sed potius quia non sunt prædicata essentialia; sed potius attributalia eo quod sint affectiones, & proprietates essentiæ Dei.

Præterea, quia hoc nomine essentia, & natura 16
vtitur Damascenus ad significandam constitutionem essentialem Dei, vt patet ex *cap. 4.* ibi, *in principio*: [Quid autem ratione essentiæ, ac naturæ sit, nullo omnino modo comprehendi, cognosciue potest,] & *in fine eiusdem capitis*, sic ait [: in Deo autem impossibile quidnam essentia sua, ac natura ipse sit dicere.] Et *c. 12.* concludit, [infinitum essentiæ pelagus complexu suo cõtinet,] vt definitionem quidditatiuam Dei in lucem edat; & nihilominus hæc nomina, essentia, natura, &c. quia à nobis proficiscuntur finitis, limitatis, & imperfectis, non significant naturam Dei provt est in se (in quo non differunt à nominibus, sapientia, bonitas, & iustitia, quæ excludit à definitione Dei:) ergo hoc prædicatum sapientia, sicut & iustitia non excluduntur à Damasceno à constitutione diuini esse propter rationem adductam ab aduersariis, sed potius quia sunt attributa, & conceptus secundarij Dei.

Quod amplius patet, quia ipse Damascenus 17
*eodem c. 12.* postquam definierat Deum per infinitum esse, & docuerat nomẽ ens, primum, & proprium Dei esse, statim dicit nomẽ *Theos*, seu *Deus* esse secundum, & non primum respectu Dei, & explicans quid significet nomen *Deus*, docet significare Deum cognoscentem, comprehendentem, & omnia scientem, & cogitatione sua complectentem; verba Damasceni hæc sunt [secundum nomen est Theos, hoc est Deus, quæ vox, vel à verbo Thein, vel denique ἀπὸ τῆ θεάσθαι, hoc est quod omnia perspiciat. Nihil enim ipsius oculos fallere potest, vtpote rerum omnium inspectorem, perspexit enim omnia, priusquam orientur; ea videlicet citra vllam temporis inter capedinem cogitatione complectens; atque etiam voluntaria sua, temporisque omnis experte cogitatione singula comprehendens,] & infra agens de hac significatione sic ait: operationem indicat:] Ecce quomodo Sanctus Doctor docet, nomen Deus significans sapientiam Dei nõ esse primum respectu Dei, sed secundum; quia cognitio scientifica infinita Dei, quæ sapientia dicitur, est prædicatum secundario conueniens Deo; quia nostro modo intelligendi

gendi non significat naturam Dei, sed operationem ipsius per quam viuit Deus actualiter. Ergo sapientia Dei excluditur à Damasceno à constitutione essentiali Dei, quia non est prædicatum quidditativum, sed attributale, aut secundarium.

18 Verba autem illa, [nec enim in Deo prius ipsius essentiam dicere licet, postea bonitatem, ] non secundum propriam sententiam adducit; sed potius in sententia Dionysij, vt patet ex verbis Damasceni quæ sic se habent, [ vt autem Dionysio placet, neque enim in Deo prius ipsius essentiam dicere licet, ac postea bonitatem; ] vnde illud nomen, bonitas, accipiendum est eo modo, quo solet vsurpari à Dionysio *lib. de divinis nominibus*, ibi enim sæpissime per bonitatem significat infinitudinem simpliciter, seu perfectionem maximam asseitatis convenientem Deo, ratione independentiæ ab alio; quæ vt postea videbimus est vltimum constitutivum essentiale Dei, ac proinde non intelligitur prius constituta essentia, quam detur talis bonitas, sicut essentia hominis non intelligitur ante rationale, quia completa essentia Dei significat rationem vltimo constitutam per bonitatem, seu perfectionem asseitatis, & ideo ait Damascenus, [vt autem Dionysio placet, primarium ipsius nomen, bonus est, nec enim in Deo prius ipsius essentiam dicere licet, ac postea bonitatem. ] Nam bonitas primarium conceptum Dei significat sumpta pro perfectione entis à se, quæ omnia confirmant quæ nuper diximus; vnde licet Damascenus doceat, melius posse nos & certius explicare quid sit Deus per negationes, hoc est per omnium ablationem, quæ creaturis conveniunt, quam per positivas rationes; nihilominus tamen non excludit omnino à definitione Dei essentiali omnia positiva, & affirmativa prædicata, vt videre est ex locis nuper citatis, siquidem per ens à se definit ipsum Deum; solum enim excludit à primaria constitutione Dei perfectiones illas, & prædicata illa affirmativa, quæ non significant primarium conceptum Dei, sed secundarium, qualia sunt, iustitia, sapientia, & reliqua, vt patet ex dictis: ergo non obstante solutione Patris Herize pro nobis est D. Damascenus aperte.

Secundo probatur auctoritate D. Basilij *lib. 1. contra Eunomium.* ibi: [ quæcunque repentina 19
comprehensione simplicia videntur, ac vnica, varia vero ac multiplicia, si subtilius exquirũtur, hæc cum mente dividantur, opinione sola divisa dicuntur, vt tritici simplex intellectus omnibus ineſt, quo id cum occurrerit, statim cognoscimus, cum vero diligentius inquirimus, tunc multarum rerum speculatio accedit, & diversa nomina res ipsas significantia; idem enim triticum, nunc fructum, nunc semen, nunc cibum appellamus. ] Vnde longe inferius infert, quonam igitur pacto non deridendus, si creandi virtutem substantiam esse dicat: si providentiam rursus substantiam, eodem modo præscientiam, & omnem itidẽ operationem substantiam putet; nonne cum de Deo audimus quod in sapientia omnia fecit creatiuam, tunc eius artem docemur, cum autem quod aperit manum suam, & implet bonæ voluntatis providentiam suam, quomodo non furere te perspicimus, si propriam cuique nominũ potestatem ineſſe non putes, sed contra veritatem idẽ omnia posse nomina determinans? ] secundum Basilium igitur non qualiscumque ignorantia, sed furor irrisione dignus est (vt optime aduertit P. Ruiz.) putare synonyma sapientiæ, substantiæ, immutabilitatis, bonæ voluntatis, aliarumque perfectionum diuinarum nomina nec fateri propriam cuiusque nominis potestatẽ ad explicandum peculiare sibi conceptum, qui non explicetur per aliud nomen.

Vrgetur hæc veritas ex Chrysostomo *homil. 1. de incomprehensili Dei natura, non longe ab initio*, 20
agens de Dei substantia, atque sapientia, ibi [non à sapientia substantia, sed ex substantia sapientia est, ] vbi Chrysostomus aperte significare videtur sapientiam esse attributum Deitatis, ab ipsaque essentia Dei quasi emanantem per modum operationis, non quæ vere à parte rei sit talis, aut quod in reipsa procedat à diuina substantia, sed potius per nostrum modum intelligendi. Quod explicans Gregorius Nizenus *in libello de eo quod non sunt tres Dii, parum ab initio*, sic ait, [nomina, quæ Deo attribuimus, non significare naturam diuinam, sed illa quæ ipsam circunstant; vnum ex his nominibus esse illud, quo Deum appellamus ab actu spectandi, & videndi; efficaciam itaque, & non naturam significat nomen Deitatis; videtur enim Gregorius sensisse nomen Dei non tantum impositum fuisse ab operatione intelligendi, sed etiam eam significare, ac propterea esse nomen operationis potius, quam naturæ: ergo tantum abest, vt putaverit per intellectionem constitui naturam diuinam, vt potius propterea dixerit, nomen Dei non significare naturam, quia significat operationem intelligendiã qua sumptum est. Item patet eadem veritas ex August. *5. de Trinit. vbi à cap. 5* sæpe sapientiam Dei eodem modo de Deo affirmari vult ac iustitiam: sed iustitia attributum est: ergo sapientia.

Respondet P. Herize, Augustinum ibi solum 21
sibi velle, has perfectiones non dici de Deo relative, sicut generari & genitum esse.

Sed contra, quia D. Augustinus non solum docet, absolute convenire Deo tales perfectiones, videlicet, sapientiam, misericordiam, & iustitiam, sed etiam affirmat, inter perfectiones absolutas, alias esse primas, & primo constituentes Deum, vt esse, secundum illud, qui est, misit me ad vos; alias vero esse secundas, seu secundario convenientes divinæ naturæ tanquam affectiones, & proprietates illius, & has esse docet, bonitatem, misericordiam, & iustitiam, & postea concludit, sapientiam eodem modo convenire Deo: ergo testimonium D. Augustini non solum probat, sapientiam esse absolutam perfectionem, sed etiam esse attributum, & non quidditativum constitutiuum Dei.

Item Hugo Victorinus *lib. 1. de Sacramentis, p. 6. 6. sub initium* ait: [ voluntas mouet, scientia 22
disponit, potestas operatur. & si horum discretionem proponas, non est posse illud, quod scire, nec scire illud, quod velle, & tamen Deo idem sunt, posse scire, & velle. Dicernit illa ratio, & natura non dividit. ] Tandem Gregorius Nizenus *in posteriori lib. de Trinit. ad Eustathium*, significata nominum Dei secundum diversos conceptus à natura diuina distingui, manifeste docet his verbis; [cum aliquis vnuscuiusque horum nominũ, & ipsius naturæ, circa quam ea nomina intelliguntur, rationem reddit, ac definitionem, non eandem reddit vtrorumque rationem. Quorum autem ratio, & definitio re diversa eorum natura quoque differens est: igitur aliquid aliud essẽtia cuius nõdũ oratio index cogitata atque inventa est, alia vero nominũ, quæ circa eam proferuntur. ] Etiam in præcedenti, quã in sequẽti contextu cõmemoraverat nomina, [ Dei Regis, benefactoris, Iudicis, bonũ iustũ, & quotquot sũt alia talia nomina. ] Significatum autem nominis Dei docet

docet ipse Gregorius Nizenus, esse sapientiam & cognitionem, aut visionem diuini intellectus: ergo sapientia, intelligentia, & cognitio Dei non sunt diuina essentia, aut constitutiuum quidditatiuum Dei, sed potius attributum ipsius.

## SVBSECTIO II.

### *Auctoritate D. Thomæ probatur nostra veritas.*

23 SAnctus Thomas expresse docet, diuinam scientiam, aut cognitionem non constituere Deũ essentialiter, sed potius esse distinctam ab ipsa essentia, 1. *p. q.* 14. ibi: [post considerationem eorum, quæ ad diuinam substantiam pertinent, restat considerandum de his, quæ pertinent ad operationem ipsius, & quia operatio quædam est, quæ manet in operante, quædam vero procedit in exteriorem effectum; primo agemus de scientia, & voluntate; nam intelligere est in intelligente, & velle in volente.] Ecce verba formalia D. Thomæ, vbi manifeste docet, intelligere & velle esse non substantiam, aut quidditatem Dei, sed potius operationem, quæ nostro modo intelligendi fluit ab essentia, & substantia Dei, ita tamen fluit, vt non sit operatio transiens, sed potius immanens in Deo, quia vitalis, in quo ait, distingui intelligere Dei, & velle à creatione quæ non est actio immanens sed transiens, quia fluit à Deo & transit ad creaturas, & concludit D. Thomas, primum sibi agendum esse de intelligere, & velle; deinde de creatione, quia intelligere, & velle manent in Deo, & præsupponuntur necessario ad creationem tanquã causa illius, & hoc quidem post explicata ea, quæ pertinent ad diuinam substantiam, & essentiã, vt patet ex illis verbis. [post considerationem eorum, quæ ad diuinam substantiam pertinent, restat considerandum de his, quæ pertinent ad operationem ipsius, & primo agemus de scientia, & voluntate, &c.] Ergo manifeste, & euidẽter sequitur in sententia Diui Thomæ, intelligere, sicut & velle, distingui, & esse aliud ab ipsa diuina essentia, & ab omnibus constitutiuis diuinæ essentiæ, & ideo docet D. Thomas post omnia constitutiua, seu post omnia ea quæ ad essentiam, & substantiam Dei pertinent, se acturum esse de intelligere, & velle Dei, tanquam de operationibus, quæ fluunt nostro modo concipiendi; sed in sententia D. Thomæ, tum 1. *p.* tum *lib.* 1. *contra Gentes*, nihil operatur, nisi in quantum est in actu, hoc est in quantum præsupponitur constitutum cõplete in suo esse: ergo in tantum intelligit Deus, in quantum præsupponitur adæquate, & vltimo essentialiter constitutus, ac proinde nullo modo constituetur per ipsum intelligere, sicut nec per velle; quia nihil constituitur per id, quod supponit completam constitutionem, & quod sequitur ad illam, vt est operatio.

24 Vrgetur hoc totum ex ipso Angelico Doctore, *q.* 1. *de potentia art.* 1. *ad primũ*, ibi: [essentiam Dei non habere principium, etiam secundum rationẽ, cognitionem vero Dei habere principium secundũ rationem.] Ecce quomodo docet, cognitionem habere principium, non autem essentiam Dei, quia iudicat cognitionem esse operationem, non vero essentiam; vnde aliquod prædicatum concedit per rationem, (scilicet habere principium,) cognitioni, quod non concedit essentiæ; atqui ea distinguuntur, de quibus prædicantur affirmatio, & negatio, quia de eodem non possunt duo contradictoria verificari: ergo intelligere, seu cognitio diuina non est essentia, neque constitutiuum quidditatiuum Dei, nulla enim substantia constituitur per operationem, quia est, aut concipitur per modũ fluxus, sed per prædicatum permanens, & absolutum, quod sit principium operationis, & non operatio ipsa, quod sit radix, à qua fluat operatio; ipsum autem non fluat ab alia radice.

Secundo probatur ex eodem D. Thoma *eadem* 1. 25
*p. q.* 26. *art.* 2. ibi: [in Deo non est aliud esse, & intelligere secundum rem, sed tantum secundum intelligentiæ rationem.] Quid clarius & euidentius? siquidé expresse docet intelligere dei, licet habeat identitatẽ secundum rem cum essentia Dei, ac proinde non esse aliud ab illa, nihilominus tamen nõ habere identitatem, sed potius esse aliud per rationem ab essentia Dei, & inde infert, beatitudinem, quæ est cognitio, conuenire Deo non secundum rationem essentiæ, sed tantum secundum rationem intellectus vt loquitur in solutione primi.

Nec satis est, quod aliqui respondent, scilicet à 26
S. Thoma asseri distinctionem solum rationis ratiocinantis; quia D. Th. eam distinctionem concedit per rationem inter cognitionem & essentiam, secundum quam prædicata contradictoria dicuntur de cognitione, & essentia Dei: atqui huiusmodi distinctio non est rationis ratiocinantis, sed rationis, ratiocinatæ; quia ea quæ solũ distinctione rationis ratiocinantis differunt, non sunt subiecta prædicatorum contradictorie oppositorum, eo quod talis distinctio solum consistat in diuerso modo significandi sine fundamento aliquo; vt quãdo distinguimus Petrum à seipso, quia de Petro, & ipso Petro non possumus contradictoria prædicata enunciare, vt enunciamus de intelligere, & essentia Dei; præcipue quia hæc prædicatio, Petrus est Petrus, est identica, & non formalis; hæc autem Deus est suum intelligere non est identica sed formalis: ergo euidenter sequitur intelligere Dei, & essentiã Dei non solum distingui distinctione rationis ratiocinatis, sed etiam rationis ratiocinatæ. Maior patet, quia S Doctor docet, Deum esse beatum formaliter ratione cognitionis & non ratione essentiæ, essentiã non habere principium, cognitionem vero habere principiũ, quia est operatio; sed hæc sunt prædicata contradictorie opposita: ergo de diuina essentia, & intellectione prædicantur, & enunciantur illa.

Confirmatur; quia in loco adducto *ex q.* 26. op- 27
ponit distinctionem rationis soli distinctioni reali, & ait, essentiam, & cognitionem esse idem re, non vero secundum intelligentiæ rationem: ergo solam identitatem rationis realem asserit, nullam vero identitatem rationis.

Dices, D Th. 1. *p. q.* 14. *art.* 1. *ad primum*, dixisse, 28
scientiam Dei non esse qualitatem, vel habitum, sed substantiam, & actum purum: ergo scientia Dei in sententia D. Thomæ est constitutiuum diuinæ essentiæ.

Sed contra manifeste; quia hoc testimonio & loco 29
non intendit probare D. Th. identitatem formalem inter intellectionem, & prædicata essentialia Dei, sed solum intendit ostendere identitatem realẽ inter naturam Dei, & scientiam, eo quod argumento, quod contendebat in Deo non esse scientiam; quia non est habitus, sufficienter respondebatur per solam identitatem realẽ. Deinde *art.* 4. cum ait, quod intelligere Dei est eius substantia, solum probatur identitas, eo quod scopus D. Thomæ ibi solum erat ostendere, intelligere Dei non esse accidẽs, ad quod sufficit identitas realis. Quapropter immerito asseruntur testimonia hæc contra nos. Porro *eadem* 1. *p. quæst.* 54. *artic.* 2. cum concludit corpus articuli

his verbis:[vnde solum esse diuinum est suum intelligere & suum velle,] nulla ratione vult,naturam Dei constitui intellectione formalissime,& essentialiter;tum quia eodem modo loquitur de volitione,per quam apud aduersarios etiam constans est non constitui naturam Dei; tum denique quia D.Thomas ibi disquirebat, vtrum intelligere Angeli sit eius esse? & disquisitioni respondet negatiue; pro quo statuit discrimen inter intelligere Angeli, & intelligere Dei. Ad discrimen autem, seu differentiam sufficientem constituendam,inter intelligere Dei respectu Dei, & intelligere Angeli comparatum cum substantia Angeli sufficit identitas realis;nec requiritur vt natura diuina constituatur per intellectionem,vt constat.

30 Eodem modo debet interpretari aliud testimonium *quæst.*19. *artic.*1. vbi his verbis finem imponit articulo, [& sicut suum intelligere est suum esse; ita suum velle;] tantum enim abest, vt hæc verba faueant aduersariorum sententiæ, quin potius nostræ sententiæ aperte patrocinentur & contrariam refutet manifeste,quia ita se habet, vt ait D. Thomas ad constitutionem Dei intelligere sicut & velle; atqui velle Dei secundum ipsos aduersarios,& secundum D.Thomam non constituit Deum quidditatiue, & primario, sed potius secundario,& attributaliter:ergo intelligere Dei similiter non constituet Deum primario, & quidditatiue, sed secundario, & attributaliter,alias nulla esset comparatio inter velle diuinum, & intelligere in ordine ad constitutionem Dei.

31 Nec magis efficax est testimonium adductum pro se à P.Herize,sumptum ex 1.*p.quæst.*14.*art.*4. *in corpore, in secunda ratione,* ibi: [cum ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis, vt dictum est ex necessitate sequitur, quod ipsum eius intelligere sit eius essentia esse.]

32 Et ratio est manifesta, quia hic non loquitur de constitutione formali diuinæ essentiæ sed potius de attributali constitutione; quod patet manifeste ex verbis ipsius Herize, *cap.*4. *num.*15. §. *hæc cum ita,* vbi sic ait, [colligo ex eo,quod eodem modo vult esse de essentia Dei intelligere & esse speciem intelligibilem,] atqui esse speciem intelligibilem non pertinet ad primarium constitutiuum Dei, sed potius ad attributale, & secundarium: ergo intelligere Dei similiter non pertinebit ad primariam & quidditatiuam constitutionem Dei, sed potius ad secundariam. Minor hæc sic demonstratur; quia esse speciem intelligibilem in Deo pertinet ad veritatem transcendentalem Dei, & ad esse cognoscibilis, seu ad esse obiectiuum ipsius: atqui veritas Dei, cognoscibilitas ipsius, & ratio obiectiua in ipso non est prædicatum quidditatiuum, & primarium Dei, sed potius attributum, & secundarium prædicatum, ac proinde non pertinet ad primariam, sed ad secundariam constitutionem Dei: ergo esse speciem intelligibilem in Deo non pertinet ad primariam, sed potius ad secundariam, & attributalem constitutionem.D.i.

33 Maior sic probatur, quia veritas transcendentalis, & ratio obiectiua constitui rem, cuius est veritas, tum in esse obiecti motiui, tum in esse obiecti terminatiui; vnde verum, intelligibile, & obiectum, tum mouet potentiam, tum terminat ipsam; atqui esse speciem intelligibilem in Deo,seu gerere vicem illius est mouere potentiam intellectiuam,vt intelligat ipsum obiectum, quod mouet; quia ad hoc dirigitur munus speciei impressæ, vt ita vniatur cum potentia, vt potentia cognoscat obiectum: ergo esse speciem intelligibilem in Deo pertinet ad veritatem & cognoscibilitatem diuinam. Quod patet ex creatis; nam ideo obiectum in creatis mittit speciem impressam in potentiam,&c.quia est cognoscibile,& est verum transcendentaliter; nam si non esset verum,aut cognoscibile, non posset mittere speciem & ipse Deus,quando gerit vicem speciei impressæ in patria exercet tale munus,vt intelligatur,& videatur à beatis; quare tunc exercet quando ita mouet intellectum,vt cum illo producat visionem sui, & cognitionem intuitiuam ipsius; in quo se habet Deus, vt obiectum cognoscibile: ergo esse speciem impressam in Deo pertinet ad intelligibilitatem,& veritatem diuinam.

Minor illa est euidens in sententia omnium,quia 34
veritas transcendentalis,seu cognoscibilitas,vt late supra demonstrauimus, non est quidditatiuum constitutiuum, sed potius attributum entis: ergo veritas & intelligibilitas Dei est attributū, & non primarium, ac quidditatiuum constitutiuum Dei; quia eo modo conuenit formalitas inferiori, quo conuenit eadem superiori, & ideo risibilitas non est constitutiuū essentiale Petri, quia non est constitutiuum essentiale hominis, &c. ergo si veritas non est quidditas entis vt sic, sed potius attributū illius,talis veritas non erit prædicatum quidditatiuum Dei,sed potius attributum ipsius, & ratio à priori est, quia ideo est aliquid cognoscibile, quia est,& non è contra, ideo est,quia est cognoscibile:ergo esse speciem impressam in Deo non pertinet ad primariam, & quidditatiuam constitutionem Dei,sed potius ad secundariam;vnde falsum erit id, quod asserit Herize illis verbis; [si natura diuina habet rationem speciei intelligibilis,aliquomodo, eam habet per naturam, non per aliquid identificatum naturæ,]vt patet ex dictis.

Euidentius vrgeo aduersarios,quia species intel- 35
ligibilis ideo datur, vt producat intellectionem, seu intelligere: cum intellectu, respectu cuius est species impressa:sed D.Thomas asserit essentiam diuinam esse speciem intelligibilem in ipso Deo, vt patet ex illis verbis: [cum ipsa sua essentia sit,etiā species intelligibilis,vt dictum est:] hoc est modo nostro intelligendi: ergo euidenter sequitur ex D. Thoma essentiam diuinā nostro modo intelligendi producere suum intelligere; sed nulla essentia producit suum vltimum constitutiuum,alias idem à seipso produceretur,quia quidquid producit vltimum,ac formale constitutiuum alicuius,producit constitutum per illud, vt late probo *disputat. seqnenti*, agendo de actu libero Dei contra eos, qui constituunt ipsum per connotatum creatum ratione prima.

Ergo intelligere Dei non est formalissimum, & 36
vltimum constitutiuum diuinæ essentiæ, quæ expositio quadrat optime cum locis supra citatis,*ex q.*14.1.*p.* vbi ait intelligere esse operationem prouenientem ab essentia secundum rationem, & *ex q.*1.*de potentia art.*1. vbi ait: [essentiam Dei non habere principium etiam secundum rationem, cognitionem vero Dei habere principium secundum rationem,] videlicet quia procedit ab intellectu diuino & ab essentia diuina vt ab specie impressa.

Tandem locus ille *ex q.*18. D.Thomæ citatus à 37
P.Herize §. *secundum testimonium*, confirmat id quod diximus; nam sicut nos expellimus actuale intelligere à constitutione primaria, & quidditatiua Dei, ita similiter reiicimus ab eadem constitutione actuale viuere Dei: ergo nullus locus reperitur in D.Thoma qui faueat aduersariis, cum omnia pro nobis sint; sed clarius docuit nostram veritatem ipse Angelicus Doctor *eadem* 1. *parte, q.*14.

q. 14. *art.* 4. ibi: [ Sicut esse sequitur formam, ita intelligere sequi speciem intelligibilem, & in Deo non esse aliam formam, & speciem præter essentiam diuinam: ] Ergo sensit expresse intellectionem Dei non esse ipsam essentiam Dei, sed aliquid consequutum ad ipsam, hoc est operationem nostro modo intelligendi fluentem à diuina essentia, tanquam ab specie impressa & intentionali; quam sententiam etiam vt discipulus fidelissimus D. Thomæ sequitur eximius noster Doctor P. Franciscus Suarez nostræ Societatis lumen, & vt inquit P. Herize nostri sæculi orbe plaudente communis magister *in metaphys. tom. 2. disp. 20. sect. 15. num 13.* vbi sic ait: [ nam intellectio diuina non solum habet illud perfectionis, quod nos intelligimus in intellectione vt sic, sed habet totam perfectionem, quæ est in intelligente; nam ita est intellectio, vt sit ipsa substantia intelligens, in qua esse intelligimus, & vim penetrandi seu intuendi obiectum intelligibile, & rationem aliquam continendi intentionali, seu intelligibili modo res cognitas.

Rursus duobus modis potest aliquid à nobis concipi per modum actus primi, vno modo ex parte obiecti, & positiue tribuendo illi formalem rationem actus primi, & hoc modo non tribuitur Deo, alio modo tantum ex parte intelligentis, præscindendo solum vnam rationem ab alia, & hoc modo nos dicimus concipere in Deo aliquid per modum actus primi, concipimus enim in Deo esse vim intelligendi, præscindendo ab actuali intellectione, & ab hoc quod illa vis sit actiua, vel ipsemet formalis actus, & similiter concipitur esse in Deo sufficiens ratio ad repræsentandum intentionaliter omnia obiecta intelligibilia, præscindendo ab hoc quod formaliter, seu actualiter repræsentet. Atque hoc satis est, vt sine falsitate, vel attributione imperfectionis dicatur aliquid concipi in Deo per modum actus primi. Neque quoad hoc est æqualis ratio de intellectione creata, quia hæc non includit omnem perfectionem, & virtutem, quæ ad intelligendum requiritur, quam tamen includit, vt diximus intellectio increata, ] *& num. 15. prope finem.* sic ait, [ quocirca quando concipimus Deum præcisè vt existentem, & non vt intelligentem, illa est vera conceptio, quia non excludimus, nec negamus, sed solem ab explicita, & distincta consideratione præscindimus. ] In quibus verbis aperte continetur veritas nostræ conclusionis, maxime conformis locis supra adductis ex D. Thoma; nam P. Suarez nostro modo concipiendi, & secundum rationem nostram tria posse concipi ait, & præscindi inter se in Deo: Primo vim perceptiuam, & intellectiuam obiecti: Secundo speciem intentionalem: Tertio intelligere, seu intellectionem: ergo modo nostro concipiendi ex verbis P. Suarez intelligere Dei fluit à vi perceptiua seu intellectu diuino, & ab specie intentionali, quæ nihil aliud est, quam ipsa essentia Dei; nam vis intellectiua & species impressa ad hoc constituuntur, vt eo modo, quo fuerint, producant intellectionem; vnde si non producunt, neque ordinantur ad eliciendam intellectionem, superflue constituuntur in Deo; atqui vt supra dixi, essentia diuina non potest constituere suum vltimum constitutiuum propter rationes iam suprapositas; neque essentia diuina, quæ adhuc nostro modo concipiendi est permanens, & omnino absoluta, debet constitui oer operarionem; quia illa per modum fluxus à nobis consideratur, qualis est intellectio, aut intelligere diuinum: ergo intelligere, aut intellectio diuina secundum mentem eximij Doctoris non potest formaliter, & quidditatiue constituere diuinam essentiam.

Deinde P. Suarez cognoscit in verbis relatis actum primum ratione nostra respectu intellectionis actualis: ergo necessario cognoscit vitam intellectualem per modum actus primi, ratione præcedentem actualem intellectionem; ita vt à nobis concipiatur veluti radix actualis intellectionis, & cum ex alia parte nullam in eo actu primo Pater Suarez percipiat imperfectionem, propterquam repugnet formaliter eam esse in Deo, alias non attribueret Deo eum actum primum, si existimaret formalem eius conceptum non posse absolui ab imperfectione, necesse est vt actus ille primus vitæ intellectualis, vt est ratione præcedens, & veluti radix actualis intellectionis sit primum metaphysicè constitutiuum diuinæ naturæ: ergo intellectio actualis pertinere non potest ad primariam constitutionem naturæ diuinæ, sed ad secundariam ex alia priori deriuatam; vnde vt volitio respectu intellectionis pertinet ad secundariam constitutionem, ita intellectio respectiue ad illum actum primum erit veluti secundaria ratio spectans ad solam Dei physicam constitutionem, neque hæc verba P. Suarez opponuntur iis, quæ docet *num.* 15. vt male cogitauit Herize; nam *num.* 15. loquitur de constitutione Dei ex parte ipsius, & quatenus se tenet illa ex parte obiecti, & hoc modo, asserit, intellectionem esse constitutiuam diuinæ essentiæ, verba autem super citata *ex num.* 13. loquuntur de constitutione diuina ex parte modi nostri concipiendi, & ideo modo nostro concipiendi tribuit Deo Pater Suarez actum primum, & actum secundum intellectionis, quod quidem negauit ex parte ipsius obiecti, vt patet ex illis verbis; [ Rursus duobus modis potest aliquid à nobis concipi per modum actus primi, vno modo ex parte obiecti, & positiue tribuendo illi formalem rationem actus primi & hoc modo non tribuitur Deo, vt recte probant argumenta facta: alio modo tantum ex parte intelligentis præscindendo solum vnam rationem ab alia, & hoc modo nos dicimur concipere in Deo aliquid per modum actus primi. ] Concedere autem intellectionem constituere Deum ex parte obiecti, hoc est à parte rei, & negare intellectionem constituere ex modo nostro concipiendi, nullam contradictionem & oppositionem inuoluit; sicut concipere attributa diuina identificata ex parte obiecti, & distincta ex modo nostro concipiendi nullam contradictionem inuoluit, vt tota Theologia docet & manifeste demonstratur in multis aliis exemplis.

Vltimo probatur hæc veritas authoritate Aristotelis *lib. 12. met. cap. 7. à textu 36.* vbi cum dixisset esse aliquid æternum, quod non motum mouet quodque substantia, & actus sit, deinde docuit, intellectionem in hoc æterno esse actum secundum, & intellectionem in hoc æterno esse actum secundum, & intelligibile esse principium illius à quo fluat intellectio: ergo intellectio non est constitutiuum Dei, quia constitutiuum Dei non concipitur vt actus secundus fluens ab aliquo principio, & tanquam operatio, eo modo quo ponitur intellectio diuina ab Aristotele. 38

## SVBSECTIO III.

*Rationibus probatur nostra conclusio.*

39 PRimo sic argumentor; quia vltimum constitutivum alicuius essentiæ debet esse nostro modo intelligendi omnino vnum, & omnino indiuisibile: sed intelligere Dei, & scientia ipsius modo nostro concipiendi non est omnino vnum, sed plura; neque est omnino indivisibile, sed divisibile cum fundamento ex parte ipsius: ergo intelligere Dei non est vltimum constitutivum ipsius: maior est evidens, quia vltimum constitutivum alicuius, quatenus est vltima formalitas ipsius, constituit ipsum in esse vnius, & distincti à quolibet alio; sed vnum vt vnum est indivisum in se, & divisum à quolibet alio: ergo vltimum constitutivum metaphysicum constituit rem inesse omnino indivisæ in se ipsa: ergo ipsum cõstitutivum est maxime vnum, & indivisum; quia nemo dat quod non habet; & quidquid continet constitutum, debet accipere à constitutivo, ac proinde debet contineri in illo, alias si non esset omnino indivisibile, & indivisum, neque ipsum constitutum haberet vnitatem, & indiuisionem; neque posset sisti in constitutione ipsius, sed potius esset procedendum in infinitum, vt ex terminis ipsis patet.

40 Ratio autem à priori horum est, quia omne vltimum constitutivum, sive à parte post, sive à parte ante est terminus in tali constitutione; sed omnis terminus in ea ratione, qua terminus est, est vnum, & indiuisibile omnino, vt videre est in vltimis terminis lineæ, qui sunt puncta, & in vltimis terminis motus, qui sunt mutata esse, & in vltimis terminis temporis, qui sunt instantia, quæ omnia sunt omnino indivisibilia & per se vnitatem habentia, quod amplius patet in constitutione metaphysica hominis, vbi ultima constitutiva illius, tanquam termini totius constitutionis sunt à parte ante vt ita loquar, ens, & à parte post, vt ita dicam, differentia individualis, sed ens, & differentia indiuidualis sunt maxime indivisibilia, & irresolubilia in duos conceptus adhuc modo nostro concipiendi, quare ens quoad expressum adæquate est solum ratio conveniendi, & differentia individualis est totaliter ratio d fferendi quoad explicitum sine ulla conuenientia: ergo vltimum constitutiuum alicuius est omnino indivisibile, & vnum sine vlla pluralitate, & diuisione.

41 Minor prima, & principalis sic demonstratur, quia scientia simplicis intelligentiæ, & scientia visionis, seu libera creaturarum futurarum, & scientia ipsius Dei sunt intellectio, seu intelligere divinum; atqui hæ scientiæ diuiduntur inter se in deo modo nostro concipiendi, & non sunt vnum, sed plura intelligere: ergo intelligere Dei modo nostro concipiendi non est omnino unum; nec omnino indivisibile, sed potius plura, & omnino divisa.

42 Minor illa sic demonstratur; quia inter scientiam simplicis intelligentiæ, & inter scientiam visionis creaturarum, hoc est inter intelligere creaturarum possibilium, & intelligere creaturarum futurarũ aut existentium mediat actus liber voluntatis divinæ; itavt inter vtrumque intelligere interponatur, & intercedat decretum, aut volitio liberæ voluntatis; quod adeo verum est, vt si non daretur tale decretum post scientiam simplicis intelligentiæ, & ante scientiam visionis nullo modo daretur scientia visionis, & ratio à priori est, quia scientia visionis non facit suum obiectum sed obiectum à voluntate cognoscit, & ideo non est practica sed pure speculativa. Itaque non posset dari scientia visionis in Deo, nisi daretur creatura iam futura, & constituta in esse talis per decretum liberum Dei, sed ea, inter quæ mediat aliquid diversi ab illis, dividuntur inter se, & separantur. Exemplo manifesto declaratur; si inter manum, & brachium interponatur cultellus, aut gradius, & inter caput, & humeros detur intercapedo loci, sine dubio dividetur caput ab humeris, manus à brachio: ergo scientia simplicis intelligentiæ: & scientia qua cognoscitur Deus à seipso dividitur à scientia visionis creaturarum futurarum, aut existentium, cum inter eas interponatur, & intercedat, non actus intellectus, seu scientia, sed potius actus voluntatis, qui est diversi ordinis respectu scientiæ: sed ea, quæ dividuntur inter se non sunt indiuisa: sed divisa non sunt vnum, sed plura; ergo scientia Dei, seu intelligere divinum habet pluralitatem, non vnitatem.

Vrgetur, & confirmatur amplius; quia volitio Dei non est vltimum constitutivum divinæ essentiæ formalitet, & metaphysice, quia est intellectione posterior ratione nostra cum fundamento inipso Deo; atqui scientia libera seu intelligere creaturarum futurarum, & existentium est posterius, non solum intellectione necessaria, sed etiam ipsa volitione libera creaturarum: ergo à fortiori intelligere liberum, seu creaturarum futurarum non potest esse vltimum constitutivum divinæ essentiæ formaliter, ac metaphysicè. Minor est certa; quia terminatio intelligere, seu intellectionis creaturarum præsupponit terminationem, non solum scientiæ simplicis intelligentiæ, ad creaturas possibiles, sed etiam decreti liberi ad easdem creaturas futura & existentes. Primum, quia cognoscibilitas necessariorum prior est ratione cognoscibilitate liberorum. Secundum quia prius est, creaturam esse futuram, quam intelligere Dei respectu illius, & quam scientia visionis libera; ideo enim deus intelligit creaturas futuras, quia ipsæ sunt futuræ; atqui prius est decretum liberum Dei, quam futuritio creaturarum, ex eo quod decretum liberum est causa futuritionis earundem, & omnis causa est prior suo effectu: ergo de primo ad vltimum decretum liberum Dei est, prius ipsa scientia visionis. 43

Dices, verum esse quod Deus non constituatur vltimo per scientiam visionis, aut intelligere creaturarum futurarum; ita P. Herize *disp. 3. de constit. naturæ divinæ; art. 4. cap. 1.* 44

Sed contra manifeste; quia ex hac solutione sequitur manifeste intellectionem, aut scientiam constituere divinam essentiam vltimo; quia vltimum constitutivum divinæ essentiæ debet esse proportionatum, & accommodatum divinæ essentiæ: sed diuina essentia est infinita simpliciter in genere essentiæ, ac proinde est omnisessentia: ergo si constituitur per intellectionem, debet per illam constitui, quatenus est infinita simpliciter in esse intellectionis, ac proinde quatenus est omniintellectio; sed sola intellectio divinæ essentiæ, aut creaturarum possibilium, quatenus distinguitur ab intellectione creaturarum futurarum & existentium, non est infinita in omni genere intellectionis, ac proinde non est omni intelle- 45

intellectio; quia omniintellectio includit omnem intellectionem; atqui intellectio necessaria Dei, quatenus distinguitur ab intellectione libera, non includit omnem intellectionem, cum non includat intellectionem liberam, quæ aliqua intellectio est: ergo sola intellectione necessaria non constituitur vltimo diuina essentia, sed potius si constituenda est per intellectionem, debet constitui per omnem intellectionem; sed non potest constitui per omnem intellectionem vt supra probauimus, quia talis naturæ est intellectio diuina, vt sit plures, & non vna: ergo ex vi conditionis intellectionis diuinæ, aut scientiæ perit, vt non constituatur per illam, ac proinde intellectio propter propriam conditionem est incapax constituendi diuinam essentiam.

45 Vrgetur, quia intra diuinam essentiam datur omnis gradus essentiæ; itavt non detur extra illam aliquis gradus essentialis; quia habet infinitatem simpliciter in ratione essentiæ: sed per vos formalitas intellectionis est gradus essentialis: ergo omnis formalitas intellectionis est intra illam essentiam; & si intellectio diuina non est capax vt secundum omnem formalitatem propriam sit intra essentiam, intellectio diuina non erit capax vt sit gradus quidditatiuus essentiæ diuinæ.

46 Præterea, quia Pater æternus in esse talis constituitur per paternitatem in esse Patris infiniti; ita constituitur per illam, vt constituatur per omnem formalitatem Paternitatis, ac per consequens nulla sit formalitas Paternitatis extra Paternitatem per quam constituitur; & idem est de Filio, & de Spiritu sancto quoad filiationem, & spirationem passiuam. Item quia Deus in esse iusti constituitur per iustitiam & in esse misericordis per misericordiam; sicut in esse immensi per immensitatem, intra constitutiuum Dei in tali genere datur omnis formalitas talis constitutiui, & ideo immensitas est omniimmensitas, & iustitia, misericordia, aut bonitas, per quam constituitur in esse boni, &c. non est aliqua ratio bonitatis, sed omnibonitas, neque est aliqua particularis ratio misericordiæ & iustitiæ, sed omnimisericordia, & omniiustitia; vnde si iustitia non posset esse omniiustitia, & misericordia omnimisericordia, non possent esse infinitæ simpliciter in omni genere, ac per consequens non possent constituere deum: ergo si per vos Deus constituitur vltimo essentialiter per scientiam, & intellectionem, illa non debet esse aliqua peculiaris, & determinata sapientia, aut intellectio; sed potius infinita simpliciter in omni genere intellectionis. Vnde si intellectio illa per quam dicitis constitui Deum essentialiter, non est ita infinita simpliciter in omni genere intellectionis, vt sit omniintellectio, includatque omnem formalitatem intellectionis, non poterit formalissime vltimo constituere diuinam essentiam; atqui per vos intellectio, quæ constituit vltimo diuinam essentiam, non est omniintellectio, nec includit omnem formalitatem intellectionis nostro modo concipiendi; siquidem non includit intellectionem futurorum, & existentium, hoc est scientiam visionis liberam: ergo intelligere, seu intellectio diuina non est capax constituendi diuinam essentiam vltimo, ac formaliter in esse talis.

## SVBSECTIO IV.

*Argumentum principale aduersariorum retorquetur contra ipsos*

PAter Herize, & præcipui aduersarij ideo probant intellectionem diuinam constituere vltimo diuinam essentiam, quia diuina intellectio est perfectissimus gradus omnium, qui reperiuntur in Deo, eo quod differentia vltima alicuius debeat esse perfectior omnibus gradibus repertis in illo; ita Pater Herize *tract. 1. disput. 3. de constitut. naturæ diuinæ, cap. 3. num. 13. 9. Denique probo vnica ratione.* 47

Atqui diuina intellectio, seu gradus intellectiuus non est gradus perfectior omni, qui reperitur formaliter in Deo: ergo intellectio diuina non est vltimum essentiale constitutiuum Dei; consequentia est euidens, suppositis maiori, & minori, de maiori nulla est dubitatio. 48

Minor in qua est tota difficultas, sic demonstratur, quia tunc aliquis gradus non est perfectior omni reperto in aliquo subiecto, quando datur in eodem aliquis gradus perfectior illo; sed gradus essendi à se independenter, & imparticipatè, est perfectior in Deo intellectione actuali: ergo intellectio actualis non est perfectior omni gradu existente in Deo. Minor hæc ipsis terminis patet: Tum quia ideo Deus habet infinitatem simpliciter in omni genere entis, habetque omnes perfectiones, etiam intellectionis in summo gradu, tum puritatis, tum excellentiæ, & eminentiæ; quia est ens à se, imparticipatum, & independens, itaque omnibus perfectionibus diuinis tribuit gradus essendi à se excellentiam summam, quam habent; quod non facit intellectio diuina, imo ipsa sicut cæteræ accipit à gradu essendi à se in Deo quamcunque excellentiam, & perfectionem, quam habet. 49

Item, quia ille gradus qui magis proprius est respectu diuinæ essentiæ, & minime est communis creaturis, ac per consequens est vltimum distinctiuum Dei respectu creaturarum est perfectior omni alio qui reperitur in Deo, & est communis ipsi, & creaturis. Itaque quanto minus communis est tanto perfectior est in deo, quapropter gradus substantiæ qui reperitur in deo, est perfectior gradu entis reperto in ipso, quia ens vniuersalius, & communius est; cum conueniat Deo, creatis substantiis, accidentibus, & modis; substantia autem minus communis est, cum solum conueniat substantiis creatis & Deo, & intellectiuus gradus perfectior est in deo gradu substantiali, cum hic vniuersalior, & communior sit; atqui gradus essendi à se omnino independenter ab alio minime est communis deo, & creaturis; quia soli Deo conuenit, & gradus intellectiuus conuenit deo, & creaturis: ergo gradus essendi à se perfectior est in deo gradu intelligendi, quia minus communis est, imo minime communis, sed proprius diuinæ essentiæ. Præterea, quia intellectio diuina conuenit etiam cum accidentibus creatis, siquidem conuenit cum intellectione angelica, & humana, quæ sunt vera, & propria accidentia à parte rei; intelligere enim creatum sine vlla controuersia rerum accidens reale est. 50

Ex alio autem capite formalitas essendi à se cum omni independentia ita est propria dei, vt soli

soli semper Deo conueniat, & conuersim prædicetur de illo, nullique creaturæ conuenire possit: ergo talis gradus est perfectior omni illo, qui reperitur in Deo, quia tanto est perfectior aliqua formalitas, quanto est propria respectu illius subjecti, & essentialiter conuenit ipsi, v.g. rationale est perfectius omni gradu reperto in homine, & intellectiuum simplex in Angelo est perfectius omni formalitate reperta in illo, quia minus commune est aliis, & magis proprium respectu hominis, & Angeli: ergo si gradus essendi à se sine vlla dependentia soli competit Deo, & minime creaturis, intellectio autem non solum competit Deo, sed etiam creaturis, Angelo videlicet, & homini: ergo perfectior gradus essendi à se, quam intellectio diuina; nam hoc, quod est conuenire soli Deo, qui omnium entium perfectissimus est, non potest conuenire gradui essendi à se; aut propter imperfectionem, alias non daretur in Deo; aut propter minorem perfectionem, aliàs non conueniret soli, & proprie habenti summam, & maximam perfectionem; vnde certissimum est ratione huius proprietatis conueniendi soli Deo, quam non habet intellectio gradum essendi à se esse perfectiorem omni alio, etiam intellectione.

51 Nec valet dicere non quamcunque intellectionem constituere Deum, sed intellectionem purissimam, & hanc esse perfectiorem gradu essendi à se, non enim valet dicere hoc, quia etiam pura intellectio non est æque perfecta, ac formalitas essendi à se; tum quia intellectio in Deo recipit puritatem à perfectione essendi à se; ideo enim Deus est actus purus in quacunque perfectione, quia est ens à se; nam si non esset à se, non esset purus actus, & non è contra; ideo est à se, quia est pura intellectio: ergo est radix formalitas essendi à se puritatis in intellectione; nam gradus essendi à se est radix puritatis in volitione, in misericordia, justitia, relationibus, & reliquis attributis; omnia enim purissima sunt, & conueniunt in ratione puritatis cum intellectione diuina: ergo conueniunt in radice talis puritatis cum intellectione diuina; sed reliquæ perfectiones habent pro radice propriæ puritatis gradum essendi à se: ergo etiam intellectio habet pro radice suæ puritatis rationem essendi à se; & ratio à priori est, quia formalitas essendi à se est prima & summa puritas in esse simpliciter sine determinatione, aut limitatione ad aliquam rationem peculiarem essendi; qualis est intellectio, volitio, &c. ergo puritas essendi à se est radix omnium puritatum, sicut infinitudo per essentiam, quæ est ipsa formalitas essendi à se est radix infinitatis, volitionis, misericordiæ, iustitiæ, &c.

52 Tunc etiam propter vniuersaliorem, & ampliorem vt ita dicam puritatem, quam habet formalitas essendi à se, ratione cuius communicat illam, non solum intellectioni, sed etiam reliquis perfectionibus: ergo simpliciter, & absolute perfectior in puritate est gradus essendi à se, quam intellectio.

53 Tandem euidenter hoc demonstratur, quia sicut intellectio diuina est pura, ita etiam asseitas est pura, quia etiam est diuina; vnde in puritate conueniunt, solum enim differunt, quia formalitas puræ intellectionis dicit rationem intelligendi, & pura asseitas præter puritatem dicit rationem essendi à se sine vlla dependentia; sed vt iam supra demonstratum manet, asseitas est perfectior intellectione vt sic propter rationes supra appositas: ergo iam asseitas pura, seu asseitas diuina conueniendo cum intellectione pura, & diuina in ratione puritatis, excedit intellectionem in ratione asseitatis: ergo iam simpliciter perfectior est asseitas pura intellectione pura; vnde puritas asseitatis perfectior redditur per asseitatem, quam puritas intellectionis per intellectionem, cui adiungitur; sicut animal in homine perfectius redditur quasi Physice per rationalitatem, cui adiungitur, quam animal, quod est in equo per equinitatem, cui vnitur; vnde sicut homo perfectior est equo, quia conueniendo in animalitate, superat equum rationalitate; ita asseitas pura superat intellectionem puram, quia conueniendo æqualiter in puritate cum intellectione, superat illam per formalitatem asseitatis.

Declaratur amplius; quia totum hoc concretum asseitas pura secundum omnem formalitatem, quam habet, ita conuenit proprie, & soli Deo, vt nullo modo conueniat creaturæ; è contra vero in hoc concreto; intellectio pura, non omne quod in cluditur est proprium Dei, quia saltem ratio intellectionis est communis Deo, & creaturis: ergo magis proprie conuenit Deo asseitas pura; quia soli Deo conuenit secundum omnem suam formalitatem, quam intellectio pura, siquidem non secundum omnem formalitatem, sed solum secundum aliquam conuenit Deo soli: ergo propter rationes supra positas euidenter colligitur, asseitatem puram esse perfectiorem intellectione pura in Deo: ergo asseitas pura potius est constitutiuum vltimum essentiale, & quidditatiuum Dei quam intellectio pura. 54

## SVBSECTIO V.

*Tertium argumentum principale ponitur.*

QVia illud est vltimum, & quidditatiuum constitutiuum alicuius, in quo radicantur, & cui attribuuntur omnes proprietates, & attributa propria talis subiecti; v. g. rationalitas est constitutiuum vltimum hominis, & sic radicantur in ipsa risibilitas, capacitas doctrinæ, & admirabilitas; & ratio à priori est, quia essentia quatenus talis est, radix proprietatum omnium conuenientium tali essentiæ: ergo vltimus gradus essentiæ, & vltimum constitutiuum illius soli tali essentiæ conueniens, erit radix proprietatum, & attributorum, quæ soli illi essentiæ conueniunt. 55

Atqui omnes proprietates, quæ soli Deo conueniunt non possunt attribui intellectioni, neque possunt radicari in ipsa: ergo intellectio diuina non est vltimum constitutiuum diuinæ essentiæ. 56

Minor sic probatur, quia immensitas, quatenus talis, fœcunditas, & omnipotentia diuina, summa puritas in omnibus attributis, &c. sunt proprietates soli Deo conuenientes, quæ minimè prædicantur de creaturis; atqui hæ proprietates nullo modo radicantur in intellectione, neque conueniunt ipsi ratione intellectionis, & ideo hæ prædicationes, Deus quatenus intelligés, est immensus, est omnipotens, & reliqua sunt materiales, & non formales; vnde si per impossibile Deus esset à se, & non esset intelligens, esset omnipotens, & immensus; quia potentia, & præsentia dantur in rebus, quæ non sunt intellectuales: 57

lectuales: ergo etiam si Deus non esset intellectualis, posset habere præsentiam, & potentiam, & ratione asseitatis, seu infinitatis per essentiam haberet infinitatem in potentia, & in præsentia, & sic absque intellectualitate esset immensus, & omnipotens: ergo nunc licet sit intelligens formalissime non conuenit illi immensitas, & omnipotentia ratione intellectionis: ergo non omnes proprietates Deo conuenientes radicantur in intellectione diuina, & attribuuntur ipsi.

58 Deinde voluntas est attributum vt sentiunt etiã Auctores, cum quibus disputamus & communis schola; notatque in speciali, & late S. Iustinus Martyr *in lib. 1. christianarum, quæst. ad Gentiles, q. 3. in refutatione responsionis Gentilis*: sed voluntas diuina non potest à cognitione diuina, vt à radice manare; sic enim cognitio vere & proprie diceretur volens, & amans; sicut dicitur essentia Dei velle, & amare; quod tamen alienum est à cognitionis formalissima ratione; vnde licet intellectus sit prior in essentia, quam voluntas, & intellectio præsupponatur ad volitionem, nihilominus tamen voluntas non potest manare ab intellectione propter rationem dictam.

59 Imo cum essentia Dei sit principium quo productionis Spiritus sancti, licet mediante voluntate, ipsa quoque cognitio eodem modo foret principium, cum tamen Sancti, & Doctores cognitioni solum tribuant esse principium quo generationis Filij, productionem vero Spiritus sancti referunt ad aliam quasi lineam perfectionis diuinæ, quæ est voluntas, & amor: ergo intellectio diuina non est radix omnium perfectionum soli Deo conuenientium, neque radicantur in ipsa proprietates, quæ Deo quatenus tali conueniunt. Præterea quia circumincessio vnius personæ in alia, & vnitas, seu identitas diuinæ essentiæ cum distinctione reali, & pluralitate personarum. Item quod detur vna persona, quæ tam relatiue, quam essentialiter sit à se & aliæ, quæ relatiue procedant ab alio, essentialiter autem, seu in essentia sint à se. Denique quod vna persona sit omnino improducta, & ideo vocetur prima; secunda producatur à sola prima, tertia procedat à secunda, & prima tanquam ab vno principio; hæc inquam omnia nullo modo possunt attribui intellectioni diuinæ, neque radicari in ipsa: ergo omnes proprietates, & perfectiones soli Deo conuenientes non possunt attribui diuinæ intellectioni: ergo diuina intellectio non est vltimum essentiale constitutiuum diuinæ essentiæ.

Deinde intelligibilitas, seu veritas transcendentalis est alia affectio seu proprietas diuinæ essentiæ, sicut & bonitas: sed intelligibilitas non recte concipitur profluere à cognitione actuali, sed potius præcipitur intellectioni; prius enim est rem esse intelligibilem quam actu intelligi: ergo non omnis proprietas diuinæ essentiæ radicatur in intellectione actuali.

60 Præterea, quia si à vobis quæratur, quæ intellectio sit vltimum constitutiuum Dei; dicitis esse intellectionem purã; atqui non potest esse vltimum constitutiuum secundum vtrumque conceptum, scilicet intellectionis, & puritatis; quia vltimum constitutiuum alicuius quoad expressum, ita debet esse proprium illius, vt nullo modo conueniat reliquis omnibus, à quibus distinguitur, & ideo vltimum constitutiuum dicitur adæquate, & totaliter differentia, quia per totum, quod est in illo differt ab omnibus aliis; vnde perfectas est differentia entis, quia perfectas est id, per quod adæquate distinguitur substantia ab accidenti; quapropter si in aliquo subiecto duplex formalitas reperiatur, alia ita propria adæquate, & totaliter respectu illius, vt alteri nullo modo conueniat adhuc partialiter; & inadæquate cæteris, à quibus distinguitur; & alia formalitas sit in eodem subiecto, quæ licet secundum aliquid illius sit propria talis subiecti, nihilominus tamen secundum aliquam partem illius sit communis aliis; illa, & non hæc erit adæquate differentia: ergo non hæc, sed illa erit vltimum constitutiuum talis subiecti: atqui in Deo datur asseitas, seu independentia, quæ totaliter, & adæquate soli Deo conuenit, & minime creaturis; ita vt totum, & totaliter quod datur in illa quoad expressum sit differentia Dei à creaturis, & in nulla ratione formali expressa illius conueniat Deus cum creatura. Et in ipso datur intellectio pura quæ quoad expressum non est adæquate, & totaliter differentia, siquidem in ratione intellectionis, & intelligentis conueniunt Deus, & creatura, licet differant per puritatem. Itaque in conceptu intellectionis non differt Deus à creatura, sed potius conuenit cum illa, quamuis differat in puritate intellectionis: ergo potius asseitas quia simplicissima, & adæquata differentia Dei est, erit vltimum, & essentiale constitutiuum diuinæ naturæ, quam intellectio pura. Vnde vt negetis asseitatem esse vltimum constitutiuum, non debetis asserere esse intellectionem puram, sed potius puritatem; atqui puritas est communis voluntati, immensitati, & reliquis attributis, quæ sunt etiam perfectiones puræ: ergo si propterea reiicitis asseitatem ab vltimo constitutiuo; quia est communis cæteris attributis, etiam ex vi vestræ rationis debetis excludere puritatem, & intellectionem à ratione vltimi constitutiui, intellectionem, quia est communis Deo, & creaturis, puritatem quia est communis essentiæ, & attributis diuinis.

Præterea, quia puritas intellectionis dimanat 61
nostro modo concipiendi à puritate asseitatis, & essentiæ, quod patet manifeste; nam in eadem essentia non dantur duo prædicata eiusdem rationis, sed omnia sunt heterogenea; quare si reperiuntur in eodem subiecto duæ formalitates similes inter se, ita constituimus illa, vt vna sit prior, alia posterior; vna sit essentialis, alia attributalis, vna sit radix alterius, & alia fluat ab ipsa, saltem nostro modo concipiendi; atqui in Deo datur puritas essentiæ, quæ conuenit illi ratione asseitatis, quia ideo Deus essentialiter est purus, quia non est ab alio, sed à se; Item per vos datur puritas in intellectione: ergo hæ duæ puritates ita se habent, vt vna fluat ab alia, & vna sit essentialis, alia attributalis; sed puritas asseitatis non dimanat ab intellectione, vt patet ex supradictis, neque asseitas & puritas eius potest esse attributum puritatis intellectionis: ergo necessario puritas intellectionis dimanat à puritate essentiæ, & asseitatis: ergo talis puritas non est vltimum constitutiuum diuinæ essentiæ. Illa consequentia à paritate rationis, vt supra diximus, patet discurrenti per cæteras perfectiones diuinas; nam paritas cæterarum perfectionum fluit nostro modo intelligendi ab asseitate; sed non est maior ratio, cur illa, & non puritas intellectionis fluat: ergo fluit: ergo non est vltimum constitutiuum, sed attributum.

## SVBSECTIO VI.

*Quartum argumentum principale ponitur.*

62 QVia in diuinis datur potentia generatiua Verbi, quæ est in gradu intellectiuo formalissime; sed non potest esse alia nisi intellectus, siue formaliter includendo relationem (vt multi asserunt) siue solum connotando illam (vt probabilior sententia affirmat:) ergo intellectus in diuinis est potentia; sed potentia est actus primus: ergo intellectus est actus primus in diuinis; atqui omni actui primo correspondet suus actus secundus, vnus per modum actionis, seu operationis, qui dicitur actu secundus vt quo, alius per modum termini producti, & vt quod; terminus vt quod respectu intellectus paterni eo modo, quo explicuimus secundum varias opiniones est Verbum mentis diuinæ, seu Verbum diuinum productum à Patre, & hoc sine controuersa; terminus autem vt quo, seu actus secundus, vt quo non est alius, nisi intellectio formalis, aut connotando relationem, aut includendo formaliter illam; quia Verbum diuinum producitur secundum fidem catholicam per intellectionem; nam Pater formalissime intelligendo producit Verbum: ergo productio Verbi est formalissima intellectio; vnde omnes Sancti & doctores Ecclesiæ, reddentes rationem, cur secunda persona sit Filius & Verbum, tertia autem non sit Verbum neque Filius, dicunt esse; quia Verbum producitur per intellectionem, Spiritus sanctus per amorem; nam sicut in creatis Verbum mentis producitur per actionem, & operationem intelligendi formaliter; siue per formalissimam intellectionem; ita similiter in diuinis Verbum producitur formalissime per intellectionem; vnde Pater intelligendo se, relationes, diuinitatem, & cætera attributa formalissime generat Verbum; quare licet positum sit in opinione; an generatio ipsa formalissime dicat formaliter relationem, vel connotet illam, nihilominus tamen omnes vnanimi consensu docent, intellectionem diuinam formalissime esse generationem Verbi: ergo intellectio formalissime est actus secundus intellectus formalissime, qui modo nostro concipiendi est potentia intellectiua; & intellectio modo nostro concipiendi fluit ab intellectu, tanquam operatio à sua potentia, & per intellectionem reducitur ad actum secundum intelligendi, & producendi Verbum.

Itaque sicut nunquam desinit intelligere Pater diuinas perfectiones, ita nunquam desinit per intellectum producere formalissime Verbum media intellectione. Quapropter sicut intellectus formalissime est potentia generandi quatenus intellectus; ita intellectio formalissime est generatio ipsa: sed vis generatiua est actus primus respectu generationis: ergo intellectus est actus primus respectu intellectionis, quia intellectio est formaliter generatio, & intellectus est formaliter potentia generatiua; vnde sicut intellectus ex conceptu potentis intelligere, vel quia est vis perceptiua obiecti, reducitur ad intelligendum actu per intellectionem actualem, tanquam ad actum secundum; ita etiam quatenus est vis generatiua, seu potentia generandi reducitur ad generandum actu per formalem intellectionem, quæ formaliter est generatio, connotando solum relationem; quod his verbis docet Pater Suarez *libro 3. de Trinitate, capite 11. numero 7. in medio*, [negamus enim intelligere rationale distingui in Patre etiam ratione ab intelligere essentiali, quatenus est actus intelligendi, sed solum distingui in relatione connotata, seu in modo habendi illud, non datum ab alia persona, sed à se:] ergo intellectus formalissime est potentia generandi, quatenus intellectus respectu generationis, & generatio formalissime est intellectio essentialis solum connotata relatione: ergo intellectus formalissime est potentia respectu intellectionis: sed potentia est actus primus: ergo intellectus est actus primus respectu intellectionis, & intellectio est actus secundus respectu intellectus: ergo intellectio non constituit primario, & essentialiter diuinam essentiam, quia diuina essentia non debet constitui per actum secundum, qui fit per modum fluxus, & operationis, sed potius per formalitatem permanentem, adhuc nostro modo intelligendi; qualis est intellectus, seu gradus intellectiuus.

Explicatur exemplo, ideo enim Thomistæ omnes, & doctores Societatis negant contra Scotum personas diuinas constitui originibus, seu productionibus, ac proinde affirmant constitui relationibus, seu personalitatibus, quia origines, seu productiones considerantur per modum actionis, & fluxus, & non per modum permanentis formalitatis, quod requirebatur ad constituendas personas non fluentes, sed permanentes, adhuc nostro modo intelligendi; sed essentia diuina adhuc nostro modo intelligendi est omnino permanens sine vllo principio, & intelligere diuinum nostro modo intelligendi est per modum fluxus; quia est per modum operationis, & actionis vitalis habentis principium, à quo fluat, vt expresse docuit D. Thomas *prima parte, quæst. 14. in præfatione illius*, intellectionem esse operationem, verbis illis supra citatis, [post considerationem eorum, quæ ad diuinam substantiam pertinent, restat considerandum de iis, quæ pertinent ad operationem ipsius, & quia operatio quædam est, quæ manet in operante, quædam vero procedit in exteriorem effectum; primo agemus de scientia, & voluntate; nam intelligere est in intelligente & velle in voluntate.] Ecce intelligendi, & volendi actus ait esse operationes, & vt operationes esse in deo intelligente, & volente. 63

Quod autem sit operatio habens principium docet expresse, *q. 1. de potentia, art. 1. ad primum*, vt supra citauimus illis verbis, [essentiam dei non habere principium secundum rationem; cognitionem vero dei habere principium secundum rationem:] ergo diuina essentia non debet constitui vltimo per diuinum intelligere nostro modo concipiendi, supposito quod sit actus secundus, præsupponens actum primum intelligendi, vt his verbis docet ipse P. Herize *in hac quæst. c. 1. n. 10. in fine*, [vnde omnes Scholastici, ac præcipue Aureolus, qui dedit initium huic doctrinæ, hoc ipso, quod negarunt actum primum essentiam Dei primum metaphysice constitui intellectione, arbitrati sunt; è conuerso vero scholastici adscribentes Deo actu primum intelligendi, asseruerunt, in eo actu primo constitui naturam Dei & intellectionem actualem extra essentiam Dei considerarunt, & vt solu identice spectantem ad constitutionem naturæ absolutæ.] Quod etiam patet ex iis, quæ diximus supra, tum quando adduximus verba P. Suarez pro nostra conclusione immediate post D. Th. tum ratione prima ad probandam nostram sententiam.

Confirmatur tota hæc ratio; quia actualis 64
cognitio, & intellectio diuina concipitur à nobis

bis vt actus vitalis constituens Deum in actu secundo, viuente intellectualiter formaliter, vt sic; sed omnis actus vitalis nostro modo intelligendi est quidam motus: ergo intellectio concipitur à nobis, & ex parte modi nostri concipiẽdi, non ex parte obiecti, vt motus in Deo consideratur. Maior propositio certissima est ex communi doctrina Philosophi dicentis, non esse melius viuere, quam videre, intelligere; huiusmodi enim actus sunt formaliter vita in actu secundo. Minor etiam est manifesta; quoniam viuens in hoc distinguitur à non viuente, quod illud habet principium mouendi seipsum à seipso; non viuentia autem non mouentur à se, sed à generante; vt patet euidenter ex definitione viuendi, accepta à tota schola, tum Philosophorum, tum Theologorum, quæ sic se habet, [viuere est moueri à seipso] quod adeo verum est, vt D.Th. adhuc viuere diuinum dicat, esse quendã motum 1.p.q.19. art.1. ad 3. [velle, & intelligere diuinum sunt quidam motus, quo Deus mouetur,] à parte rei, æquiualenter videlicet, aut virtualiter; per rationem autem formaliter: ergo omne viuere per rationem nostro modo concipiẽdi est formaliter moueri seu motus: ergo per modum fluxus, seu operationis concipitur à nobis; qua motus est actio, seu operatio; sed essentia diuina est omnino permanens, & nullo modo concipitur per modum fluentis: ergo essentia diuina vltimo non constituitur per viuere vllum, siue sit intelligere, siue velle; alias esset fluens sicut motus, per quem vltimo constitueretur: ideo enim tempus est fluens essentialiter; quia constituitur per formalitatem fluentem vltimo: ergo si diuina essentia constitueretur per motum, qui est fluens formalitas, seu fluxus essentialiter esset fluens, & non permanens, quod est falsissimum: ergo falsa vestra sententia, ex qua id sequitur.

65 Confirmatur totum hoc, ac declaratur amplius. Intellectio diuina concipitur vt motus: ergo vt actus mobilis mouentis se vitaliter ex vi illius, tanquam per motum: ergo ante ipsum motum intellectionis intelligitur mobile, vt potens se mouere per illum: ergo intelligitur Deus, & eius essentia iam constituta; cuius actus concipitur esse ipsa intellectio, & cum prius sit esse perfectum essentialiter, quam operari etiam ad intra; quia vnumquodque agit in quantum est in actu, sequitur manifeste, illam entitatem diuinam, quæ concipitur ante motum, vt mobile potens se mouere per intellectionem ad cognoscendum obiectum, esse essentiam diuinam, & ipsam intellectionem non esse, nec intelligi posse pertinere ad prædicata essentialia mobilis, quæ necessario præsupponenda sunt; quia sicut est intellectio alicuius obiecti, ita debet esse alicuius subiecti, id est alicuius intelligentis intellectio; formaliter enim intellectio, vt diximus, est repræsentatio: ergo alicui debet repræsentare; non certe alterni? principio intelligenti per ipsam: ergo ante actualem intellectionem formaliter est principium intellectiuum, cui repræsentatio obiecti fit per actualem cognitionem.

66 Confirmatur euidentius, quia in Deo vis intellectiua, & potentia intelligendi, siue dicatur potentia logica, siue metaphysica distinguitur virtualiter à parte rei ab actuali intellectione: ergo distinguitur formaliter per intellectum ab illa; consequentia hæc est euidens, quam late demonstrauimus in hac Metaphysica, *disputat. secunda de ente. quæst. Virum ens præscindatur per intellectum, & distinguatur formaliter ab inferioribus,*



quia statim ac datur distinctio virtualis à parte rei inter aliquas formalitates, concipit intellectus distinctionem formalem inter illas cum fundamento; quod non est aliud, quam distinctio ipsa virtualis; vnde distinctio virtualis est quasi potentialis; cui correspondet tanquam actuale exercitium extrinsecum rationis distinctio formalis per intellectum: ergo.

Antecedens sic demonstratur; quia illæ formalitates distinguuntur in Deo virtualiter, quibus conueniunt respectu eiusdem duo prædicata, quorum vnum est affirmatio, & alterum negatio, & communiter vocantur contradictorie opposita; ideo enim in Deo distinguuntur virtualiter, ratio entis, & ratio substantiæ, quia de ente verificatur conuenientia cum accidente, & de substantia existente in Deo negatur conuenientia cum ipso. Item diuinitas distinguitur virtualiter à paternitate, quia diuinitas conuenit Filio, non autem paternitas, quia communicata illi diuinitate, non communicatur ipsi Paternitas; sed vis intelligendi, aut potentia cognoscendi in Diuinis conuenit realiter cum intellectu Angelico; & intellectio diuina actualis non conuenit realiter cum meo intellectu realiter distincto à mea intellectione; nam sicut ego per meum intellectum possum intelligere, & habeo vires ad intelligendum; ita Deus per intellectum potest intelligere; nam si non posset intelligere, non intelligeret, & habet vim intelligendi: ergo Deus per vim, & potentiam intelligendi conuenit cum meo intellectu, & non conuenit per intelligere; quia meus intellectus non est intelligere ipsum: ergo intelligere in diuinis, & vis intelligendi, seu posse intelligere distinguuntur virtualiter; atqui non sunt prædicata disparata, vt de se patet, sed potius prædicata pertinentia sequela: ergo vnum sequitur ex alio; sed non sequitur posse intelligere ex intelligere, aut vis intelligẽdi ex actuali intellectione: ergo è contra actuale intelligere seu actualis intellectio sequitur ex posse intelligere, seu ex vi intelligẽdi: itavt per actualem intellectionem reducatur in actum ipsum posse intelligere; sed posse, quod reducitur per actuale intelligere ad actum, & ad quod sequitur intellectio actualis nostro modo intelligendi est potentia, seu actus primus intelligendi & intelligere comparatũ cum ipso est actus secundus:: ergo iam in Deo datur actus primus, & actus secundus intelligendi; quod his verbis expresse protulit D. Thomas 1. p. q. 41. art. 4. ad 3. [& ideo sicut potentiam ponimus creandi in Deo, ita possumus ponere potentiam intelligendi, aut generandi, vel spirandi, sed intelligere, & velle non sunt tales actus, qui designent processionem alicuius rei à Deo distinctæ, vel essentialiter, vel personaliter, vnde respectu horum actuum non potest saluari ratio potentiæ in Deo, nisi secundum modum intelligendi, & significandi tantũ provt diuersimode significatur in Deo intellectus, & intelligere:] ergo iam in sententia D.Thom. datur actus primus, & etiam actualis intellectio tanquã actus secundus. Quod amplius vrgetur ex D. Th. qui clarissime hanc nostram doctrinam tradit 1.p.q.14. *in præfatione*, vbi sic ait, [post considerationem eorum, quæ ad diuinam substantiã pertinent, restat considerandum de his, quæ pertinent ad operationem eius, &c. vbi cognitionem, & intellectionem vocat operationem.

Quod dilucidius, & euidentius docet *eadem, quæstione art. 4. in corpore* his verbis: [nam intelligere est perfectio, & actus intelligẽtis; hoc autem 68

qualiter sit considerandum est, sicut enim supradictum, est intelligere non est actio progrediens ad aliquid extrinsecum, sed manet in operante, sicut actus, & perfectio eius, provt esse est perfectio existentis; sicut enim esse consequitur formã, ita intelligere sequitur speciem intelligibilem; in Deo autem non est forma, quæ sit aliud, quam suum esse; vnde cum ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis, vt dictum est; ex necessitate sequitur, quod ipsum eius intelligere sit eius esse, & sic patet, quod in Deo intellectus, & id quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omnino vnum, & idem.] Ecce in his omnibus locis D. Thomas asserit, intellectionem esse operationem immanentem, & essentiam esse tum intellectum, tum speciem intelligibilem; sed operatio respectu intellectus, & speciei intelligibilis est actus secundus respectu actus primi: ergo in Deo datur actus primus, & actus secundus intelligendi modo nostro concipiendi, & licet in verbis adductis dicat D. Thomas, quod in Deo intellectus, & ipsum intelligere sint omnino vnum, & idem, illa particula, omnino, non destruit rationem actus primi, & secundi nostro modo concipiendi, neque distinctionem inter intelligere, & intellectum per rationem, sed solum distinctionem à parte rei, vt contendebant aduersarij in eodem articulo. Quod amplius declarat in responsione ad primum his verbis, [ad primum ergo dicendum, quod intelligere, non est operatio existens ab ipso operante, sed manens in ipso,] & ideo docuit Angelicus Doctor *quæst. 1. de potentia, artic. 1. ad primum*, cognitionem Dei habere principium secundum rationem: atqui operatio habens principium sui esse est actus secundus, & principium illius est actus primus: ergo iam in Deo datur modo nostro concipiendi actus primus, & actus secundus intelligendi.

## SVBSECTIO VII.

### *Solutio aduersariorum impugnatur.*

69 PAter Herize vbi supra, *disputat. 2. de natura scientiæ, cap. 3. num. 23. §. his præactis*, ideo negat dari in Deo actum primum, & secundum intelligendi adhuc per rationem; quia nullum est prædicatum proprium actus primi seu potentiæ, quod in suo formali conceptu ex sese non inuoluat imperfectionem. Cum autem ratio nostra Deum vt est in se concipiens adscribere Deo non possit prædicatum, quod ex ratione essentiali inuoluit imperfectionem, ideo nec per rationem constitui potest in Deo potentia intelligendi radicalis, aut formalis, seu actus primus.

70 Sed contra manifeste, quia dupliciter possumus concipere aliquam rationem Deo, primùm solum ex parte nostri modi concipiendi in simplici apprehensione Dei, secundùm ex parte ipsius Dei attribuendo Deo per iudicium talem formalitatem, quam concipimus, verbi gratia, quando concipimus Deum eo modo, quo ab scriptura depingitur, vt ignis consumens, secundum illud: [Deus ignis consumens est;] vel quando consideramus ipsum per modum solis fulgentissimi, vt legitur in sacris libris, [sol iustitiæ Deus noster,] aut tandem quãdo concipimus Patrem æternum per modum senis barba, & capite canum, eo modo quo legitur *in lib. Danielis*; hæ enim formalitates, seu rationes solum se habent ex parte modi nostri concipiendi, & sistunt, vt ita dicam ex parte simplicis apprehensionis; quare si à nobis interrogetur vtrũ Deus sit ignis, sol, aut senex, eo modo quo à nobis concipitur per simplicem apprehensionem! Respondemus sine vlla dubitatione, nullo modo esse ignem, solem, aut senem, sed potius infinitam, spiritualem, & perfectissimam substantiam sine vlla imperfectione corporeitatis, & accidentium, quæ reperitur in sole, igne, & sene. Ecce quomodo aliquid concipimus per simplicem apprehensionem de Deo, quod solum se habet ex parte simplicis apprehensionis, quodque minime attribuimus, sed potius cunctis viribus negamus de Deo, imo oppositum secundum fidem, & lumen naturæ euidens constanter affirmamus de ipso.

71 Ratio autem quare ita concipiamus per simplicem apprehensionem Deum est, quia ipsum imo & res spirituales non possumus in hac vita immediate intuitiue, vt in se sunt, concipere, sed potius abstractiue, ac proinde mediate per creaturas, & per alienas species receptas per sensus secundum illud axioma, [nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu,] quod intelligitur de intellectu in simplici apprehensione, nihil enim apprehendimus per primam cognitionem, nisi quod antea cognouimus per sensus, aut secundum similitudinem eorum, quæ per sensus cognouimus, quæ tamen cognitio postea tum in iudicio, tum in discursu adiuti lumine fidei aut principiis scientiarum corrigimus, vt ita loquar, affirmando oppositum, quod per simplicẽ apprehensionem apprehenderamus, & conceperamus: cum autem omne quod per sensus cognoscimus mediantibus speciebus acceptis ab obiectis, sit corporeum, v.g. sol, homo, senex, & ignis, inde est, quod Deum, & res spirituales ad modũ corporearum necessario apprehendamus, neque possimus aliter concipere res spirituales. Quod adeo certum est, vt nulla dubitatio sit apud omnes Doctores; vnde irrideretur qui diceret, se Deum posse apprehendere non ad modum rei corporeæ, sed potius vt in se est, in quo statim caperetur, & conuinceretur falsitatis solum interrogando ab ipso, vt explicaret nobis talem nouum modum concipiendi inauditum omnibus, cuius oppositum continetur in scriptura, vt patet ex locis nobis adductis.

Itaque necessario, & dum in hac vita sumus per modum rei corporeæ debemus Deum concipere: tunc sic, primus modus concipiendi licet imperfectionem inuoluat non ideo vitandus, neque oppugnãdus viro Theologo, ac Philosopho, tum quia Deus, qui de seipso loquitur in sacra Scriptura vtitur hoc modo loquendi, & explicandi suam maiestatem; quia videt aliter cum hominibus non posse loqui, qui assuefacti rebus corporeis de diuinis nonnisi adsimilitudiné corporis possunt loqui, ac proinde ipsis impossibilia non debent peti; satisfaciunt enim decori diuinitatis, seu obligationi loquendi de Deo, corrigendo per discursum, & iudiciũ id, quod male de Deo in simplici apprehensione concipitur, & fatendo id ita concipere se, quia aliud fragilitas humana nõ patitur; quare qui hunc modum concipiendi oppugnare intendit, docendo esse indignum Deo, fallitur manifeste, alias in Scriptura aliquid indignũ Deo poneretur, quod nõ est dicendũ, præcipue quando excellentia Dei infinita propter summam eminentiã ipsius à nostra tenuissima apprehensione aliter cognosci non potest, esset autem indignũ Deo, si interrogati, an Deus sit corporeus & an sit eo modo quo per simplicẽ apprehensionẽ cõcipimus. Responderemus, Deũ esse corporeũ, & talem, qualem apprehendimus prima operatione intellectus, apprehendi autẽ vno modo

propter

propter nostram fragilitatem, & quia aliter facere non possumus, & fateri per iudicium nostram miseriam, & cernui venerati infinitam illam maiestatem, fatendo millies, Deum minime esse corporeum, sed infinitum ens, spirituale, infinite perfectum sine vlla imperfectione infinitoque interuallo superans nostram tenuissimam capacitatem. Alio concipiendi modo corrigendo id, vt dixi, quod imperfecte per simplicem apprehensionem conceptum erat; nihil indignitatis habet respectu Dei, quod nos secundum vires nostras possimus exequutioni mandare.

72 Quaptopter ipse Deus qui præcipit nobis, vt de ipso ageremus, & ipsum in mente haberemus, & ex alio capite condidit capacitatem, & fragilitatem nostram secundum quam aliter de Deo cogitare non possumus, sine dubio nihil indignum à nobis committi aduersus infinitam perfectionem suam videt, quod euidenter patet; siquidem cognoscendo hoc, proponendoque in scriptura exemplaria quibus vtamur ad loquendum, & & cogitandum de ipso, iubet, & præcipit, vt sic loquamur & sic cogitemus de ipso, dum tamen per iudicium huiusmodi simplicem apprehensionem corrigamus.

73 Itaque, licet imperfectio sit in simplici apprehensione, hic modus cogitandi non est oppugnandus, quia est ineuitabilis; oppugnandus autem deberet esse si modus concipiendi similis in iudicio reperiretur.

74 Tunc sic, actum primum, & secundum concipimus solum in apprehensione; quia cognoscimus intellectum, & intellectionem diuinam per species creaturarum, in quibus datur actus primus, & secundus: ergo non est oppugnandus talis modus concipiendi, quia tota imperfectio illius sistit ex parte nostræ conceptionis, vt docebat P. Suarez, & non est ex parte obiecti, præcipue quia nos, qui ita concipimus, dum accedimus ad iudicium, dicimus & affirmamus in Deo non dari actum primum distinctum à secundo, sed potius esse vnam simplicissimam, & indiuisibilem entitatem: ergo nihil tribuimus Deo imperfectionis. Patet consequentia, quia omne quod tribuitur alicui subiecto, debet esse per affirmationem, & enuntiationem de illo; atqui tota affirmatio est in iudicio & non in simplici apprehensione: ergo etiamsi imperfecte cognoscamus Deum, nullam imperfectionem ei tribuimus, quia simplex apprehensio nihil tribuit obiecto proprie loquendo: ergo propter hanc attributionem falsam cogitatam ab Herize non debet oppugnari talis modus concipiendi, quia qui ita oppugnat, oppugnat nostram fragilitatem, & vult vt aliter quam possimus de Deo loquamur, quod est indignum viro sapienti.

75 Quod sic manifeste demonstratur ad hominem, quia maior imperfectio est in aliquo subiecto esse corpus, quam habere in intellectu actum primum & secundum, & ideo minus imperfectionis habet Angelus, quam lapis, & reliqua corporea, etiamsi habeat ille actum primum, & secundum intelligendi; quia spiritualis est, & non corporeus, & illa habent imperfectionem corporis, quare imperfectius concipit Deum per simplicem apprehensionem, qui considerat ipsum ad modum corporis, quam qui concipit illum, ac si haberet actum primum, & secundum in intellectu. Vnde turpius erraret qui iudicaret Deum, & affirmaret, ipsum esse corporeum quam qui diceret esse spiritualem, & infinitam substantiam habentem actũ primum, & secundum intelligendi; quia primum est summa, & maxima imperfectio, quæ in rebus potest excogitari; secunda autem licet imperfectio sit, nihilominus tamen reperitur in perfectissimis omnium creaturarum v.g. in Angelis; atqui tu ipse, qui oppugnas actum primum, & secundum in Deo solum per simplicem apprehensionem conceptum, concipis, & apprehendis Deum per modum corporis: ergo imperfectius amplecteris, & quod non est ita imperfectum oppugnas.

Quare sicut tu iure optimo irrideres illum, qui 76
multis verbis, & argumentis persuadere contenderet, te non debere apprehendere Deum ad modum corporis, eo quod esset imperfectissimus modus concipiendi; quia talis imperfectio non refunditur in Deum, sed sistit in nostro modo concipiendi, dum tamen in iudicio non tribuamus Deo corporeitatem; præsertim cum aliter Deum apprehendere non possimus propter nostram fragilitatem. Ita similiter nos irridemus illos, qui dicunt, non debere nos per simplicem apprehensionem vim intelligendi diuinam ad modum actus primi, & secundi, cum talis imperfectio non refundatur in Deum, sed sistat in modo nostro concipiendi, præcipue cum in iudicio alleramus nullum dari in Deo actum primum, & secundum: ergo sicut tu sine vlla imperfectione ex parte Dei concipis Deum ad modum corporis, qui est imperfectissimus omnium cognoscendi modus, à fortiori sine vlla imperfectione ex parte ipsius poterimus apprehendere Deum per modum actus primi & secundi, qui modus concipiendi non est æquo imperfectus, ac primus.

Declaro amplius, tu, & omnes Theologi con- 77
cipiunt distinctionem inter attributa diuina, imo inter gradus diuinæ essentiæ, & nihilominus ex tali modo concipiendi, quia solum se habet ex parte conceptionis & sistit in sola apprehensione intellectus; nulla refunditur imperfectioni Deum, quæ sine dubio tribueretur, si à te, & à Theologis omnibus ita affirmaretur per iudicium, sicut concipitur per simplicem apprehensionem; vnde tale iudicium deberet oppugnari, vt impium, ac proinde deberet corrigi, & simplex apprehensio debet defendi, quia licet imperfecta sit, est tamen necessaria propter nostram tenuitatem, & fragilitatem ad intelligentiam mysteriorum nostræ fidei: ergo similiter defendenda est, & non oppugnanda conceptio per simplicem apprehensionem actus primi, & secundi intelligendi in Deo. Nec obstat dicere talem distinctionem conceptam à Theologis in Deo habere fundamentum in ipso, non vero actũ primum, & secundum; quia etiam actus primus, & secundus intelligendi habet fundamentum in ipso Deo, vt iam supra demonstraui.

Deinde, quia etiamsi non daretur fundamentum in Deo ad aliquid, potest illud concipi de Deo cum imperfectione ex parte nostra, & sine vlla imperfectione ex parte ipsius, quia solum sistit, vt dixi in apprehensione simplici, quia ex illa ad obiectum nulla refunditur imperfectio: quod patet euidenter dum concipimus Deum ad modum corporis, in quo nullum est fundamentum ad talem corporeitatem concipiendam, & nihilominus quia in creaturis omnibus, per quas concipimus Deum, & ex quibus accepimus species per sensus ad agendum de Deo, & sine quibus nihil de ipso cogitare possumus, datur essentialiter & necessario corporeitas, sufficit hoc vt sine vlla imperfectione, & sine vlla reprehensione, imo conformiter ad modum loquendi scripturæ accommodatum fragilitati nostræ, necessario, & ineuitabiliter loquamur, & cogitemus de ipso: ergo si in omnibus creatu-

ris non solum corporeis, sed etiam spiritualibus necessario datur actus primus, & secundus in actibus vitalibus, & in potentiis eorum: sine vlla imperfectione, sumpto hoc fundamento, possumus apprehendere Deum sine vlla imperfectione ex parte ipsius ac si haberet actum primum, & secundum intelligendi, quia non est maior ratio vnius, quam alterius; imo si aliqua assignanda est, potius concedenda est ex parte huius conceptionis quam ex parte illius, cum hæc non sit æque imperfecta ac illa, & ex alio capite sit æque necessaria ac eadem.

78 Amplius vrgetur hæc veritas; quia priora sunt secundum Concilium Nizenum necessaria liberis, vtique secundum modum nostrum concipiendi; sed essentia vltimo constituta est maxime necessaria: ergo essentia vltimo constituta, est prior nostro modo intelligendi tam actibus liberis divinæ voluntatis, quam scientia libera: ergo pro illo priori, in quo concipitur Deus in gradu intellectivo, & volitivo, concipitur vt potens velle futura, nondum tamen volens illa actu: ergo similiter debet concipi vt potens cognoscere futura, nondum tamen actu cognoscens illa: patet consequentia; quia gradus intellectivus, qui in Deo concipitur pro illo priori est in ordine ad intelligendum futura, & existentia; sicut etiam est vis intelligendi Deum ipsum, & creaturas futuras; sed respectu creaturarum futurarum & existentium non est actualis cognitio; quia non datur actu obiectum illius cognitionis, & non potest dari actualis cognitio sine obiecto; quia est terminatio ad illud; cum autem pro illo priori non detur creatura futura, aut existens, nullo modo datur obiectum scientiæ visionis illius, ac per consequens non datur actualis scientia visionis: ergo datur posse, seu potentia ad actu cognoscendum, quia illa potentia, seu illud posse vtpote necessarium, & minime liberũ præintelligitur ad omnem actum liberum, & ad omnem futuritionem, ac proinde est in illo priori, quo necessaria præcedunt libera, postea autem quando decernit Deus futuras creaturas, actu cognoscit illas: ergo nostro modo concipiendi transit Deus de posse cognoscere futuras creaturas ad actu cognoscere illas: atqui actu cognoscere est actus vitalis intelligendi, & cognoscendi: ergo datur in Deo transitus de potentia vitali ad actum vitalem secundum; sed non potest dari talis transitus de posse ad actum, quin detur actus primus cognoscendi, & intelligendi: ergo Deus nostro modo concipiendi habet actum primum intellectus.

79 Vrgetur manifeste; quia plurima Deus non scit hac scientia libera, quæ tamen posset scire: ergo est in actu primo sciendi respectu eorum. Antecedens probo; quia plura Deus potest creare, quod nunquam creaturus est, quæque si creare decrevisset; hoc ipso cognoscerentur à Deo scientia libera, quæ tamen modo non cognoscit: ergo multa hac scientia non cognoscit Deus quæ potest scire; consequentia etiam videtur manifesta; quia actus primus sciendi nihil est aliud, imo neque esse potest, quam potentia indifferens ad sciendum, & non sciendum, quæ ita non scit aliqua, quæ potest scire; sed Deus respectu obiectorum, quæ posuimus pro illo priori ante decretum liberum habet potentiam cognoscendi, cum indifferentia ad sciendum, & non sciendum illa; imo & infinita, & post decretum liberum scit aliqua quæ posset non scire, si creare illa non decrevisset, & non scit alia, quæ posset scire per scientiam visionis, si scire decrevisset illa: ergo habet actum primum sciendi.

Respondet P. Herize *tract. 1. disp. 2. cap. 2.* 80
*num. 8. §. ad secundum*, his verbis: illa propositio æquivocationem continet & omnino distinguenda est, quam plurima Deus non scit hac scientia libera, quæ tamen posset scire, si illud, non scit, negat ex parte Dei aliquam formalitatem scientiæ, seu repræsentationis in ordine ad quam Deus ipse non sit in actu, sed in potentia, falsa est propositio; si vero solum neget ex parte creaturarum obiectiuam determinatam veritatem absolutam; vera est propositio. Etenim Deum scire quid complexum est, & ex parte Dei importat actualem scientiam ex parte obiecti actualem cognoscibilitatem, complexum hoc absolute deficit; vnde in rigore negandum absolute est, Deũ scire illa quia vt deficiat absolute, sufficit defectus ex parte, non vero deficit ex parte scientiæ actualis in Deo, sed potius ex parte actualis cognoscibilitatis in obiecto.

Sed contra manifeste, & primo contra hanc 81
solutionem insurgunt omnia argumenta, quæ infra à me proponuntur contra eandem solutionem Patris Herize, qua applicando illam ad actus voluntatis diuinæ docet, actum liberum esse quid complexum ex creatura, & ipsa entitate Dei; quod efficaciter oppugno ex natura actuum vitalium, ibi late dicta videantur, quibus supersedeo sciens, & prudens, ne eadem prolixe repetantur; sed intellectio diuina creaturarum futurarum est actus vitalis perfectissimus divinæ naturæ: ergo non potest esse complexum ex divina natura, & ex creatura futura quatenus cognoscibilis.

Deinde quia nulla est formalitas inter eas quæ 82
assignantur ab Herize, per quam constituatur formaliter Deus in esse cognoscentis, non cognoscibilitas creaturæ, quia hæc non est actualitas cognoscendi ex parte Dei, sed potius ratio obiectiva potentialis, vt possit cognosci ab ipso Deo, neque natura ipsa diuina prout concipitur secundum se, quia secundum se solum est posse cognoscere creaturas futuras, & actuales, & ideo natura secundum se divina, quantum est ex parte sua sine vlla additione, neque reali, neque rationis concipitur eodem modo post actum liberũ divinæ voluntatis, ac ante illum, vt his verbis docet P. Herize, vbi supra *eodem cap. 2. num. 4. §. verum doctrina hæc.* [Modo suppono cum ipso P. Molina, communiorique Theologorum sententia, tempestate nostra omnino ab omnibus affirmata, nempe decretum liberum, & scientiam liberam nihil reale intrinsecum addere, volitione necessariæ, & scientiæ necessariæ, sive, dicas id esse re ipsa distinctum, sive solum ratione; etenim si affirmas id esse reipsa distinctum, evertis diuinam simplicitatem; si dixeris sola ratione esse distinctum, & nihilominus fieri quandam additionem rationis, cum nec additio, nec diminutio realis fieri possit rei per suammet realitatem, quantumvis tu eam in varios dividas conceptus plane affirmas cõtra ipsum lumen naturæ.]

Ecce quomodo docet hic auctor, scientiam liberam creaturarum futurarum nihil addere supra naturam divinam, neque re, neque ratione distinctum, sed natura divina ex se ante actum liberum divinæ voluntatis non erat actualis cognitio creaturarum futurarum, quia pro illo priori non

daba

dabatur obiectum actualis cognitionis, sine quo non datur actualis cognitio in Deo; vnde hæc est vera causalis, ideo cognoscit Deus creaturas futuras, quia ipsæ futuræ sunt in seipsis: ergo natura diuina quantum est ex se, & ex parte suæ intrinsecæ formalitatis est indifferens, vt cognoscat, & non cognoscat creaturas futuras; quare si dantur, cognoscit illas; si non dantur, non cognoscit easdem; vnde pro priori ante decretum liberum absolute non scit futuras creaturas actu, & nihilominus ante decretum, & pro priori illo non potest negari, quin possit Deus cognoscere creaturas futuras: vnde Deus quantum est ex se præscindit à cognitione actuali creaturarum futurarum, & minime præscindit à posse cognoscere illas: atqui post decretum liberum divinæ voluntatis nihil additur adhuc per rationem intrinsecum divinæ naturæ, sed solum additur futuritio creaturarum: ergo nullo modo datur actualis cognitio futuritionis; patet hæc consequentia, quia post actum liberum solum datur adhuc nostro modo concipiendi ex parte Dei natura ipsius, quæ quaternus intrinseca entitas est solum posse cognoscere creaturas; ex parte creaturarum solum datur adhuc modo nostro concipiendi intelligibilitas sine alia formalitate præter illam, quæ nihil aliud est, quam potentia passiua, seu posse cognosci: ergo nostro modo intelligendi solum datur, & posse cognoscere, & posse cognosci; sed ex duplici posse solum non potest coalescere actu cognoscere: ergo secundum vestra principia non potest saluari actualis scientia diuina: patet consequentia, quia actualis scientia diuina distinguitur virtualiter à parte rei, & formaliter nostro modo concipiendi à posse cognoscere, & à posse cognosci: ergo præter posse cognoscere, & posse cognosci addenda est alia formalitas distincta ab illis, per quam de potente cognoscere transeat Deus nostro modo concipiendi ad actu cognoscere creaturas futuras, & actuales, vt possit denominare creaturas futuras, quæ ex se cognoscibiles sunt actu cognitas: patet consequentia, quia quando aliqua formalitas distinguitur à potentia vt transeat potentia ad actum illius formalitatis, debet fieri additio illius supra potentiam: sed formalitas actualis cognitionis distinguitur virtualiter, & formaliter ab ipsa potentia cognoscendi, & ab ipso obiecto cognoscibili: ergo quando actu cognoscit Deus tale obiectum, additur virtualiter à parte rei formalitas cognitionis intrinsece cognoscenti, & extrinsecè obiecto, & formaliter per intellectum.

83 Minor illa sic demonstratur, quia creatura convenit cum Deo à parte rei per suum intellectum, & potentiam intelligendi, hoc est intellectus creaturæ convenit cum posse intelligere diuino, & non convenit cum actuali cognitione diuina; quia noster intellectus non est actualis cognitio; sed convenire, & non convenire à parte rei, vt patet ex sæpe dictis indicat distinctionem virtualem à parte rei inter perfectiones diuinas, & distinctionem formalem rationis ratiocinatæ inter easdem: ergo posse intelligere creaturas futuras, & actu intelligere easdem distinguuntur virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum.

84 Vrgetur, ex posse cognoscere diuino creaturas possibiles, & ex posse cognosci illarum præcise, & formaliter sine vlla additione aut interuentione alterius formalitatis intrinseca naturæ diuinæ, nõ potest coalescere actualis cognitio necessaria Dei; quia actualis cognitio Dei distinguitur virtualiter à posse cognosci diuino, vt patet ex conuenientia, & non conuenientia, quæ datur cum posse intelligere diuino, & posse intelligere creaturæ simul cum intellectione actuali eiusdem, eo modo quo nuper argumentum confecimus; quapropter inintelligibile est, quod ex posse intelligere, & ex posse intelligi ex parte obiecti, scilicet creaturæ possibilis consurgat in Deo sine vllo addito realiter formaliter, vt est certum, neque virtualiter, aut formaliter per intellectum denominatio cognoscentis formaliter actu creaturas, quia nulla potest resultare denominatio sine aliqua forma à qua sumatur illa; sed inter illas formalitates, quæ assignantur nulla est à qua possit sumi denominatio actu cognoscentis: ergo per illas formalitates præcise sine vlla alia additione non potest denominari Deus actu sciens creaturas possibiles. Patet consequentia; quia omnes illæ formalitates solum sunt potentiales, scilicet posse cognoscere, & posse cognosci, & denominatio, quæ actu resultat non est solum posse cognoscere; sed actu cognoscere creaturam possibilem: ergo hæc denominatio nullo modo potest resultare in Deo præcise ex illis formalitatibus sine vlla additione saltem per rationem.

Deinde, quia denominatio posse cognoscere 85
petit necessario cognoscibilitatem, seu posse cognosci in obiecto, & posse cognoscere in Deo; sed actualiter cognoscere est distincta denominatio in Deo: ergo petit distinctam formalitatem præter illas, à qua proueniat scilicet actualem terminationem, quasi activam ex parte Dei intrinsecam ipsi, & actualem terminationem extrinsecam passivam ex parte creaturæ possibilis. Patet consequentia, quia distincta denominatio petit distinctam formam, quia denominatio est quasi effectus formalis formæ; sed distinctus effectus formalis petit distinctam formam: ergo distincta denominatio in Deo, qualis est actu cognoscere creaturas possibiles petit actualem cognitionem ex parte Dei, & non sufficit posse cognoscere ex parte ipsius: ergo ex solum posse cognoscere ex parte Dei creaturas possibiles, & solum præcise ex posse cognosci ipsarum non potest resultare denominatio actu cognoscentis illas necessario.

Quod amplius vrgetur, quia in Deo datur posse cognoscere creaturas possibiles, & actu cognoscere illas necessario, & hæ formalitates distinguntur virtualiter à parte rei in Deo, & formaliter per intellectum; sed distinctis formalitatibus distinctæ denominationes correspondent: ergo posse cognoscere diuino creaturas possibiles, & actu cognoscere illas correspondent distinctæ denominationes scilicet posse cognoscere, & actu cognoscere: ergo actu cognoscere non correspondet formalissime, & præcise potentiæ cognoscendi in diuinis, sed potius actuali intellectioni distinctæ à posse cognoscere virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum. Deinde sicut in Deo datur formalitas distincta ab actuali cognitione, scilicet posse cognoscere, ita similiter in obiecto datur duplex formalitas distincta, correspondens vtrique formalitati diuinæ, scilicet posse cognosci & actu cognosci; prima formalitas est intrinseca creaturæ, scilicet veritas transcendentalis, quæ quatenus attributum entis est intrinseca illi. Secunda formalitas est extrinseca, quæ provenit ab actuali intellectione diuina. Prima formalitas est necessaria, cum prima formalitate diuina ad

deno

denominandum Deum potentem cognoscere creaturas.

Itaque hæc denominatio Deus potest cognoscere creaturas possibiles petit necessario vtrumque, scilicet & naturam diuinam, & intelligibilitatem creaturarum: sed præter illam denominationem datur alia in Deo, scilicet actu cognoscere creaturas possibiles, à qua denominantur creaturæ actu cognitæ: ergo hæc denominatio distincta à prima petit distinctionem in Deo formalitatum; quia vt dixi, distincta denominatio petit distinctam causam vel quasi causam denominandi; atqui neque in natura diuina neque in obiecto assignatis diuersitatem, quia ad vtramque denominationem, scilicet potentis cognoscere, & actu cognoscere tribuitis eamdem omnino naturam diuinam, sine vlla differentia ex parte sui adhuc per rationem, & eandem intelligibilitatem creaturæ sine vlla distinctione ex parte ipsius: ergo ex vestra sententia non potest dari duplex denominatio in Deo, sed vnica; atqui hoc est falsum, vt experientia patet; ergo assignandum est aliquod discrimen, hoc non est ex parte obiecti: ergo debetis assignare ex parte ipsius naturæ diuinæ, quia non est aliud, ad quod recurramus; hæc autem differentia consistit in hoc, quod ad primam denominationem requiritur formaliter potentia terminandi, seu tendendi vitaliter ad obiectum; ad secundam autem requiritur actualis terminatio vitalis intrinseca in ipso Deo, quia est vita perfectissima Dei, nam vita Dei non est solum posse viuere, aut posse intelligere sed potius actualiter viuere intelligendo, & amando; atqui actualis vita non est denominatio extrinseca, sed intrinseca: ergo terminatio actualis, quæ est actuale inelligere est intrinseca formalitas in Deo.

86 Quod autem differentia, & distinctio ad has denominationes non sit ex parte obiecti, sic euidenter demonstratur. Quia in obiecto solum datur cognoscibilitas, & actuale cognosci; sed cognoscibilitatem assignatis ad denominationem potentis cognoscere, & eandem assignatis ad denominationem actualiter cognoscendi: ergo nihil diuersum assignatis ex parte obiecti, nec potest assignari actualiter cognosci, quia actualiter cognosci est effectus formalis extrinsecus actualis cognitionis diuinæ; atqui effectus formalis alicuius formalitatis non potest assignari pro constitutiuo formali suæ causæ, quia omnis causa est prior suo effectu, & quod est prius non dependet, neque constituitur à posteriori, de quo multa dicam *disputatione sequenti, de actibus liberis*: ergo actu cognosci in obiecto non potest assignari ad denominationē cognoscentis actualiter, ac proinde ad talem denominationem, vt distinguitur à denominatione potentis cognoscere nulla datur differentia ex parte obiecti: ergo quærenda est ex parte diuinæ naturæ intrinseca ex parte ipsius, quæ nihil aliud est, quam actualis intellectio distincta à posse intelligere creaturas possibiles.

Dices, in Deo nullo modo distingui posse cognoscere creaturas possibiles ab actuali cognitione illarum.

87 Sed contra; & insurgunt nuper dicta, videlicet quod non possit dari duplex denominatio in Deo, scilicet potentis cognoscere, & actu cognoscere; [illegible] falsum: deinde quia vt ta, quorum vnum est affirmatio, & alterum negatio illius; sed de posse cognoscere creaturas possibiles necessario, & de actuali cognitione diuina verificantur huiusmodi prædicata simul respectu eiusdem intellectus Angelici, quatenus distinguitur à parte rei à sua intellectione; nam posse cognoscere in diuinis conuenit realiter cum tali intellectu, & actualiter cognoscere non conuenit realiter, sed potius differt ab intellectu angelico vt sic: ergo posse intelligere creaturas possibiles, & actu intelligere illas distinguuntur necessario, aut formaliter, ex natura rei, aut virtualiter à parte rei; aut saltem minimum ratione ratiocinata per intellectum; & si in hac materia non concludit hoc argumentum, ratione illius non potest concedi distinctio aliqua inter attributa, relationes, & essentiam, vt efficaciter contendunt aduersarij, præcise propter hanc ratiocinationem, sed posse intelligere, & actu intelligere, seu actualis intellectio se habent, vt actus primus & secundus: ergo iam in Deo datur actus primus, & secundus nostro modo concipiendi in intellectione necessaria: ergo à fortiori in intellectione libera, vbi magis vrgent argumenta, vt patet ex dictis.

Ex quibus amplius sic confirmo nostram sentē- 88
tiam explicādo applicandoq; difficultatē scientiæ liberæ, sicut datur in Deo posse cognoscere creaturas possibiles, datur etiā posse cognoscere creaturas futuras & actuales; & sicut datur in Deo actu cognoscere creaturas possibiles; ita datur in ipso actu cognoscere creaturas futuras, & existentes; & sicut posse cognoscere creaturas possibiles distinguitur ab actu cognoscere illas in diuinis; ita similiter posse cognoscere creaturas futuras, & existentes distinguitur ab actu cognoscere easdem propter conuenientiam; & non conuenientiam, &c. sed actu cognoscere distinctum à posse cognoscere creaturas possibiles est formalitas intrinseca vitalis in Deo, & non solum denominatio extrinseca ab obiecto: ergo similiter actualiter cognoscere creaturas futuras, & existentes est actualis intrinseca fotmalitas, & non solum denominatio extrinseca, aut complexum ex natura diuina, & obiecto. Patet consequentia, quia ideo in cognitione necessaria actualiter cognoscere est intrinseca formalitas, & non complexum ex obiecto, & natura diuina; quia cognoscere actualiter creaturas possibiles est viuere diuinum, seu vita actualis diuina, quæ quatenus talis petit adæquate esse intrinsecam; sed etiam cognoscere actualiter creaturas futuras, & existētes est vita diuina, seu viuere actuale diuinum: ergo non potest esse denominatio extrinseca, aut complexum formaliter ex obiecto & natura diuina; quia non est maior ratio vnius, quam alterius. Minor illa sic probatur; quia vita diuina, seu viuere actuale est intelligere infinitum includens ommem rationem intellectionis, ac proinde est omniintelligere, aut omnis intellectio, hoc est intellectio omnium intelligibilium; sed intelligere aut intellectio creaturarum futurarum, & existentium, est verum, proprium, & formalissimum intelligere: ergo est vere proprium, & formalissime viuere diuinum.

Exemplo probatur, in Angelo posse intelligere 89
est posse viuere, & actu intelligere est actu, & formalissime viuere: sed tam intelligere creaturam possibilem, quam existentem, est verum intelligere [illegible] est verum viuere; itaque sicut intelligere possibilem in Angelo est formaliter intrinseca Angelo, eo quod vita

vita est; ita similiter intelligere creaturam existentem in Angelo est adæquate intrinseca formalitas in ipso; quia adæquate est vita actualis sine eo quod inter vtrumque intelligere quoad hanc rationem intrinsecæ formalitatis detur discrimen, aut differentia aliqua; quia vbicunque datur eadem ratio formalis, debet dari idem effectus, vel quasi effectus formalis, & non diversus: sed in vtroque intelligere Angeli datur eadē ratio formalis vitæ quæ ex sua natura petit esse adæquate intrinseca: ergo in vtroque intelligere datur ratio adæquate intrinseca.

90 Tunc sic, sicut intelligere creaturas possibiles in Deo est viuere in Deo formalissime, & quia est viuere formalissime est adæquate ratio intrinseca in Deo; sed etiam intelligere creaturas existentes est formalissimum viuere diuinum, vnde à cognitione huiusmodi, & à cognitione creata præscinditur ratio communis vitæ actualis vt sic: ergo cognoscere in Deo creaturas futuras, & existentes adæquate, & formaliter est intrinseca ratio, & minime denominatio extrinseca ab obiecto; vnde intelligere diuinum creaturarum futurarum & existentium non solum addit obiectum creatum, vt male docebat Herize, sed etiam modo nostro intelligendi formaliter & virtualiter à parte rei actualem tendentiam, terminationem vitalem, & vitalem repræsentationem, seu perceptionem actualem futuri, & existentis obiecti; quapropter sicut in creatis cognoscere actu obiectum addit supra posse cognoscere formaliter à parte rei repræsentationem actualem vitalem distinctam formaliter à parte rei à posse cognoscere, & intrinsecam respectu intellectus; ratione cuius per solam positionem posse cognoscere, & per solam positionem obiecti cognoscibilis sine additione formalitatis dictæ non posset intelligi actualis cognitio; quia actualis cognitio distinguitur formaliter à parte rei intrinsece à posse cognoscere, & extrinsece à posse cognosci obiecti.

91 Ita similiter actu cognoscere creaturas existentes aut futuras addit supra posse cognoscere in Deo, non formaliter à parte rei, sed solum virtualiter, formaliter tamen per intellectum actualem repræsentationem intrinsecam vitalem perceptionem, tendentiam seu terminationem intrinsecam vitalem actualem; sine quibus nullo modo potest constitui in esse actu intelligentis, & cognoscentis, quapropter sine hac tendentia, & actuali repræsentatione vitali virtualiter, & æquialenter addita intrinsece supra posse intelligere nullo modo potest esse Deus actu intelligens, etiam si millies ponatur obiectum intelligibile, & assignetur posse intelligere; quia actualis intellectio, tendentia, & repræsentatio vitalis distinguitur virtualiter à parte rei intrinsece à posse intelligere creaturas futuras, & existentes, & formaliter realiter ab obiecto.

92 Tandem, quia obiectum solum concurrit terminatiue, & non formaliter ad constitutionem potentiæ in esse viuentis; quia constitutio viuentis est intrinseca, & immanens formaliter adæquate, licet terminatiue, & obiective sit extrinseca, hoc est licet petat pro termino & obiecto formali extrinsecam rationem, quæ terminet constitutionem intrinsecam adæquate viuentis; v. g. Petrus videndo parietem viuit vita sensitiua, & quia viuere est formaliter adæquate intrinsecum, licet obiectiue, & terminatiue sit extrinsecum, paries nullo modo concurrit formaliter ad constitutionem Petri videntis, sed solum terminatiue, & obiectiue terminando extrinsece visionem adæquate intrinsecā actualem, & idem est de intelligere, velle & reliquis quod etiam contingit per vos, & per omnes in intelligere, seu cognoscere necessario Dei, ad quod formaliter non concurrit obiectum, sed solum terminatiue extrinsecè, hoc est terminando solum totam & adæquate intrinsecam intellectionem necessariam, in cuius formalem, & intrinsecam seu essentialem constitutionem non ingreditur obiectum, quia est viuere formaliter.

Atqui intelligere creaturas futuras, & existentes est viuere formaliter in Deo: ergo ad constitutionem talis intellectionis diuinæ, aut diuini intelligere non concurrit formaliter obiectum intelligibilitas nimirum futuritionis, & existentiæ, sed solum terminatiue, & obiectiue, hoc est terminando extrinsece totam & adæquate intrinsecam intellectionem illarum totaliter se habentem intrinsece ex parte Dei, tanquam formalitatem non admittentem in sui formali constitutione intelligibilitatem creaturarum futurarum, & existentium; (quia aliunde, & non ab obiecto, scilicet per repræsentationem, & tendentiam vitalem reperitur constituta in Deo) requirentem tamen vt terminum extrinsecum suæ tendentiæ vitalis ipsum obiectum, seu intelligibilitatem creatam: ergo falso asserit Herize intellectionem diuinam actualem, seu scientiam visionis creaturarum futurarum formaliter solum addere, tanquam formale constitutiuum scientiæ ipsam intelligibilitatem obiecti; quia vitale adæquate non potest formaliter per non vitale, quale est intelligibilitas obiecti constitui. 93

Vrgetur, & declaratur amplius; quia nulla relatio, vel quasi relatio formaliter potest constitui in suo esse per suum terminum, licet terminatiue, & obiectiue constituatur per illum, præcipue in relationibus transcendentalibus, vel quasi transcendētalibus, aut in formalitatibus connexis cum obiectis; v. g. omnipotentia, licet terminatiue petat creaturas possibiles, non tamen formaliter constituitur per illas, & idem est de exemplaribus diuinis, seu de scientia simplicis intelligentiæ; nam scientia leonis possibilis, aut exemplar illius; licet requirat pro termino, & obiecto leonem; formaliter tamen nō constituitur in suo formali esse per leonem, quia est relatio, aut secundum dici, aut transcendentalis ad leonem; quapropter secundum nostram fidem catholicam certissimum est, licet pater petat necessario filium vt terminum, & filius patrem eodem modo. Spiritus sanctus vtrumque tanquam terminum suæ relationis, quatenus sunt vnum principium; nihilominus tamen neque Patrem constitui formaliter in esse Patris per Filium, neque filiationem per paternitatem, neque spirationem passiuam per relationem spiratoris actiui; itaque nulla relatio, siue sit secundum esse, siue secundum dici constituitur formalissime in suo esse per suum terminum vel obiectum. 94

Et ratio euidens à priori est est; quia unum oppositum formaliter non constituitur per alterū sibi oppositum, licet extrinsecè respiciat illud, vt videre est in frigiditate respectu caloris, in tenebris respectu lucis, in vno con- 95

tradictorio respectu alterius ; sed relatio est opposita suo termino : ergo nullo modo potest constitui formaliter per suum terminum. Minor est certa ex omnibus Doctoribus sequentibus Aristotelem, qui posuit quatuor genera oppositorum scilicet contrariorum, privativorum, contraditoriorum, & relativorum: ergo relatio est opposita suo termino ; de quo latissime ago in Logica prædicamento de relatione. Maior illa est certa, quia vt duo prædicata concurrant ad constitutionem vnius debent simul coniungi, & existere in eodem subiecto constituto per illa ; quia omnis constitutio est per vnionem, aut identitatis, aut coniunctionis ; sed duo opposita non possunt simul coire in eodem subiecto, sed potius ex vi suæ definitionis mutuo se expellunt, & excludunt, quia [ opposita sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt: ] ergo duo opposita nullo modo possunt formaliter constituere vnum, & à fortiori vnum oppositum non potest constitui ab alio ; quia constitutivum non solum est simul cum constituto, sed etiam essentialiter, & formaliter intra ipsum, quod nullo modo potest contingere in vno opposito respectu alterius.

96 Sed scientia, intelligere, & intellectio divina est relatio, aut secundum dici, aut transcendentalis, ad suum obiectum ; vnde scientia Dei respectu creaturarum, aut quæ cognoscit creaturas formaliter & per se quatenus illas cognoscit, non est ad se, sed ad aliud : ergo est opposita suo obiecto, & intellligibilitati illius, præcipue si obiectum est creatum, quia scientia diuina, infinita & increata opponitur obiecto finito, & creato : ergo formaliter non constituitur per suum obiectum, & intelligibilitatem illius, licet terminative petat, & requirat illum.

97 Atqui scientia visionis, seu intellectio divina actualis per quam Deus cognoscit creaturas futuras & existentes, est vera & propria scientia infinita, & increata Dei, seu verum, & proprium intelligere diuinum increatum, & imparticipatum seu infinitum habens pro obiecto intelligibilitatem creatam finitam, & limitatam : ergo est formalitas ad aliud, ac proinde est relatio, aut secundum esse, aut secundum dici habens pro termino oppositio relativo formaliter talem intelligibilitatem creatam : ergo euidenter & manifeste sequitur scientiam visionis formaliter non constitui à cognoscibilitate creaturæ futuræ, & existentis licet petat terminative illam: ergo præter cognoscibilitatem creaturarum ; & præter posse cognoscere ex parte Dei requirit formaliter aliquid, per quod formaliter constituatur in esse actualis intellectionis, & ratione cuius nostro modo intelligendi transeat Deus formalissime de potente intelligere ad actu intelligere, quod nihil aliud potest esse, nisi actualis tendentia vitalis, actualis vitalis terminatio seu actualis repræsentatio, & preceptio vitalis ad æquata obiecti creati ; atqui actualis intellectio, repræsentatio, & tendentia vitalis est actus secundus intelligendi comparatus cum posse intelligere, & posse intelligere comparatum cũ actuali intellectione, seu tendentia â vitali est actus primus : ergo iam datur in Deo nostro modo concipiendi actus primus, & secundus ad intelligendum, non obstante solutione futili aduersariorum.

98 Quam veritatem alio modo vrgeo ; quia hæc obiecta, quæ Deus facere decrevit, ita Deus noscit ab æterno esse futura scientia libera, vt posset etiam ab æterno non cognoscere vt futura ea scientia ; etenim si non hæc, sed alia creare decreuisset, vt poterat, non hæc, sed alia cognosceret hac scientia: ergo hæc scientia distinguitur nostro modo intelligendi ab illa ; siquidem hæc existit, & illa non existit nostro modo concipiendi, quia eadem formalitas non potest esse eadem respectu duorum contradictoriorum ; sed homo futurus, homo non futurus sunt duo contradictoria obiecta: ergo eadem omnino adhuc per rationem non potest esse scientia vtriusque, sed diversa virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum ; v. g. odium & amor in voluntate diuina non sunt idem formalissime, sed potius distinguuntur virtualiter à parte rei, & formaliter per rationem ; quia habent pro obiectis formalitates contradictorie oppositas, scilicet bonum, & non bonum ; sed scientia de futuro & non futuro habent pro obiectis formalitates contradictorie oppositas : ergo non est una, & eadem virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum, sed potius ita distinguuntur tales scientiæ ratione obiectorum, vt existente vna, non existat alia simul, sicut contingit in odio, & amore Dei ; ergo tales scientiæ sunt plures, & non vna nostro modo intelligendi cum fundamento in re ipsa, eo modo quo contingit in odio, & amore.

99 Atqui in Deo posse intelligere contradictoria, scilicet futurum, & non futurum, adhuc per rationem non est plura, sed vnum ; sicut voluntas diuina est una adhuc per rationem, quæ potest amare, & odio habere, & ideo est actus primus: ergo etiam posse intelligere futurũ & non futurũ est actus primus respectu intellectionis futuri, & intellectionis nõ futuri; vt in creatis posse intelligere hoc, & intelligere oppositum; quia est vnum, quod reducitur ad actum secundum intelligendi hoc, & illud, & radicantur in ipso posse, tam hoc, quam illud intelligere, est actus primus respectu illorum; sed in divinis datur vnum posse intelligere, quod reducitur ad intelligendũ hoc & poterat reduci ad intelligendum oppositũ: ergo sine dubio est actus primus, quod pro aliquo priori antequam haberet actum secundum sciendi hæc obiecta nostro modo intelligendi fuit in potentia ad illa cognoscẽdum, & non cognoscendum : ergo etiam fuit ab æterno in diuino intellectu aliqua reductio, seu processus ex potentia ad actum, & determinatio ex actu primo secundi ad actum secundum : consequentiæ factæ manifestæ videntur confirmatæ ex dictis.

## SVBSECTIO VIII.

*Vltimum argumentum principale ponitur.*

110 QVia diuina essentia vltimo constituta est obiectum primarium divinæ intellectionis : ergo divina intellectio non constituit primario & formaliter vltimo diuinam essentiam. Maior est evidens, admittiturque ab aduersariis ; quia inter obiecta divinæ scientiæ datur duplex genus obiectorum, aliud creatum aliud increatum ; sed creatum non est primarium obiectum, sed secundarium : ergo primarium est increatum ; inter increatas autẽ perfectones essentia diuina vltimo

vltimo constituta est formale, & principalius obiectum, & hoc sine controuersia.

101 Consequentia in qua est tota difficultas, sic monstratur; quia obiectum est prius cognitione talis obiecti; sed quod est prius non constituitur à posteriori: ergo essentia diuina quæ quatenus obiectum primarium diuinæ cognitionis, & intellectionis diuinæ est prius illa, nullo modo potest constitui ab eadem vltimo, & formaliter. Maior est euidens, & patet 1. ex D. Th. *lib. 3. contra gent. cap. 26.* vbi in secunda ratione cum dixisset, obiecta esse naturaliter priora actibus potentiarum, infert obiectũ voluntatis esse prius eius actu atque adeo actum voluntatis non posse esse primum volitum, & ratione tertia agens de actu intellectus ait [in omnibus potentiis, quæ possunt conuerti in suos actus, fertur primo in obiectum, & postmodum in suum actum; si enim intellectus intelligit, se intelligere, prius oportet ponere quod intelligat rem aliquam, & consequenter, quod intelligat, se intelligere; nam ipsum intelligere quod intellectus intelligit, alicuius obiecti prioris est; vnde oportet quod vel procedatur in infinitum vel si est deuenire ad primum intellectum, hoc non erit primum intelligere, sed aliqua res intelligibilis.] Qua ratione probatur manifeste à D. Thoma intelligibile diuinum saltem ratione præsupponi debere ad actualem intellectionem Dei, at proinde primum obiectum diuinæ intellectionis esse prius ipsa intellectione; quod amplius declarat his formalibus verbis Paulo supra, [in omnibus potẽtiis obiecta sunt naturaliter priora actibus illarũ potentiarũ, sicut motor naturaliter prior est quã motus eius mobilis:] ergo secundum D. Th. nullo modo potest dubitari, quod obiectum vt sic intellectionis vt sic sit prius sua intellectione; sed quidquid conuenit superiori, conuenit omni cõtento sub illo secundum illud axiomadici de omni; sed obiectum primariũ diuinæ intellectionis est aliquod obiectum contentum sub obiecto vt sic: ergo obiectũ primarium diuinæ intellectionis est prius nostro modo intelligendi ipsa intellectione. Ratio autem huius à priori est.

102 Quia omnis terminus formalis est prior terminata ad ipsum; quia omne specificatiuum, vel quasi specificatiuum est prius nostro modo concipiendi specificato; sed terminus relationis, seu obiectũ intellectionis vt sic est specificatiuum, vel quasi specicatiuum relationis, & intellectionis, vt sic (omnis enim cognitio, relatio, vel quasi relatio est, vt supra dixi inordine ad suum obiectum:) ergo obiectũ vt sic, seu terminus relationis scientiæ, aut intellectionis vt sic est prius nostro modo cocipiendi ipsa intellectione terminata ad ipsum.

103 Confirmatur; illud est prius alio, quod est omnino independens ab illo, & quod nullo modo exigit aliud ad sui definitionem, cognitionẽ, & intelligentiam; & è contra; illud est posterius, quod nullo modo potest intelligi, aut concipi sine alio; vnde adhuc in diuinis prius est prædicatum entis, quam substantia; quia ens concipitur sine substantia, & potest definiri sine ipsa; substantia autem nullo modo potest concipi sine ente: atqui intellectio diuina nullo modo potest cõcipi, neq; definiri: sine obiecto primario, obiectũ autẽ primariũ intellectionis diuinæ non petit ad sui definitionem, & intelligentiã intellectionem diuinã, & sic potest definiri sine illa; quapropter Aristoteles in prædicamento relationis dixit, tertium genus relationis, quod est cognoscentis ad cognoscibile esse mensurabilis ad mensurã, mensurabile autem non posse intelligi sine mensura; mensuram vero non indigere vllo modo mensurabili, nec ad sui cognitionem aut definitionem, nec ad sui existentiam & ideo concludit, mensuram esse absolutum conceptum nullam dicentem relationem ad mensurabile; mensurabile autem dicere relationẽ ad ipsam; & sic hoc tertiũ genus esse relationum non mutuarum: ergo omne obiectum primarium est prius nostro modo concipiendi intellectione terminata ad ipsum; quare verificaturæ hæc causalis; ideo cognoscitur obiectum, quia est obiectum, quod à contrario sensu est falsum ideo est obiectum, quia cognoscitur. sed particula, quia, quia est causalis denotat prioritatem in eo, respectu cuius verificatur, & posterioritatẽ in alio, quia omnis causalitas conuertitur cum prioritate, eo quod causa, vel quasi causa est prior suo effectu: ergo si particula, quia, denotat causalitatẽ obiecti respectu intellectionis; omne obiectum erit prius respectu omnis intellectionis.

Minor prima, & præcipua primi syllogismi sic 104
probatur; ideo enim causa non potest constitui à suo effectu, quia causa est prior illo, & ideo essentia non potest constitui à sua proprietate, quia est prior illa, & ens non potest constitui ab inferioribus eius; quia est prius illis; & ratio est; quia id quod est prius est ante posterius, & intelligitur ante illud; atqui constitutum non potest intelligi ante constitutiuum; quia constitutiuum est de essentia constituti, & res nullo modo potest intelligi sine sua essentia: ergo quod est prius non potest constitui à posteriori.

Secundo. Quia idem respectu eiusdem non po- 105
test esse prius, & non prius non potest esse posterius, impossibile enim est idem simul esse, & non esse atqui si prius constitueretur à posteriori, prius esse: prius, & non prius: posterius esset posterius & non posterius respectu eiusdem simul: ergo prius non constituitur à posteriori. Minor sic probatur; quia id quod constituitur, vel causatur aut quasi causatur ab alio, est quasi effectus illius, & effectus, vt effectus non est prius, sed posterius causa, seu constitutiuo: ergo si prius constituitur à posteriori, prius quia constituitur ab ipso, vel quasi causatur ab eodem, non est prius respectu illius, & posterius, quia constituit: vel quasi causat prius, non erit posterius respectu prioris: sed per vos est prius, & ideo dicitis prius constitui à posteriori, & è contra: ergo idem respectu eiusdem simul est prius, & non prius, posterius, & non posterius.

Prima consequentia est euidens; quia syllo- 106
gismus est in forma, & figura; & patet maifestè, quia quidquid conuenit superiori, conuenit omni contento sub illo. atqui obiecto, vt sic quia est prius sua intellectione conuenit non constitui per illam, seu repugnat constitui per eandem: ergo omni obiecto contento sub obiecto vt sic conuenit non constitui per suam intellectionem seu per intellectionem terminatam ad ipsum primario. Tunc sic diuina essent a est aliquod obiectum contentum sub obiecto vt sic: ego conuenit illi, quod non constituatur per diuinam intellectionem terminatam ad ipsum; seu repugnat illi constitui per diuinam intellectionem.

Respondet P. Herize *cap. 3. n. 16. §. ad 3. argu-* 107
*mentum*, negando intellectionem Dei supponere diuinam intelligibilitatem obiectiuam.

108 Sed hæc responsio refellitur manifeste, & evidenter rationibus nuper positis, quas quia non vidit, ideo negat consequentiam.

109 Sed casu negato supponamus per possibile, aut impossibile intelligibilitatem diuinam terminantem vt obiectum primarium divinam intellectionem, non supponi ad illam, minimum erunt simul intelligibilitas divina & intellectio, quia nullus adhuc cæcutiens poterit dicere, obiectum primarium divinæ intellectionis quale ait Herize, esse essentiam Dei, esse posterius ipsa intellectione; quia nullus ausus est dicere huc usque specificativum, vel quasi specificatiuum alicuius cognitionis esse posterius ipsa, aut mensurabile antecedere mensuram. Itaque secundum aduersarios, si rationabiliter sit ipsis loquendum, ne tot absurda multiplicent, supposito, quod negant obiectum esse prius cognitione, dicendum est, neque cognitionem esse priorem obiecto, neque obiectum esse prius cognitione, sed vtrumque simul adhuc nostro modo concipiendi.

110 Quo supposito sic argumentor, intellectio diuina est simul cum intelligibilitate diuina; sed essentia diuina est prior intelligibilitate divina: ergo de primo ad vltimum essentia diuina est prior intellectione divina: consequentia est evidens; quia quoties aliquid est prius aliquo, etiam est prius alio quod est simul cum illo: vt patet exemplo clarissimo. Deus est prior natura essentia Angeli; sed natura Angeli est simul cum essentia, & ideo Deus etiam est prius natura quam natura Angeli. Item Petrus est prior duratione Ioanne, Ioannes est simul duratione Francisco, & ideo necessario Petrus debet etiam esse prior duratione Francisco, sicut quia quātitas tripalmaris superat magnitudine bipalmarem A, etiam debet superare bipalmarem B, quia est æqualis cum illa: ergo similiter si aliqua sunt æqualia in duratione, hoc est sunt simul duratione, aut quacunque ratione, & alia formalitas excedit illa, simul debet excedere in prioritate alia simultatea cum illis.

111 Sed essentia divina est prior intelligibilitate diuina, & intellectio divina est simul cum intelligibilitate: ergo sine dubio essentia diuina erit prior intellectione divina. Minor illa est manifesta; quia omnis essentia est prior suo attributo; vnde ens est prius bonitate, & unitate; diuinitas est prior misericordia, & immensitate quia diuinitas est essentia, immensitas, & misericordia attributa; sed intelligibilitas diuina & veritas transcendentalis est attributum divinæ essentiæ, sicut intelligibilitas vt sic est attributum entis vt sic: ergo essentia divina est prior intelligibilitate diuina.

112 Vrgetur tota hæc ratio formando argumentum ex verbis supra citatis D. Thomæ *lib. 3. contra gent. cap. 26.* supra citatis; quia natura, & essentia diuina necessario est primum intelligibile, quia est primum ens; eo enim modo convenit rei intelligibilitas, quo est; attributum enim mensuratur cum essentia, cuius est attributum; vnde quia Deus est infinitus habet infinitam intelligibilitatem, misericordiam, & iustitiam: ergo si Deus est primum ens, erit primum intelligibile; sed actualis intellectio non potest esse primum intelligibile; sicut volitio actualis non potest esse primum volibile, quia essentialiter præsupponit aliquod obiectum bonum, cuius sit volitio, vt his verbis docet D. Thomas [ obiectum igitur voluntatis est prius naturaliter, quam actus eius; primum igitur eius obiectum præcedit omnem actum ipsius: non potest ergo actus voluntatis primum volitum esse.] Ita etiam actualis intellectio esse non potest primum intelligibile, quia essentialiter præsupponit aliquod obiectum intelligibile, cuius sit intellectio, & actualis vitalis repræsentatio: ergo actualis intellectio non potest esse essentia ipsa divina.

In qua ratione notandum est, quemadmodum 113
intellectio divina necessario est intellectio directa, ita etiam esse reflexam, & supra seipsam cadere, ita etiam diuinam volitionem non tantum esse volitionem directam, sed etiam reflexam; nam sicut Deus intelligit suam cognitionem, ita etiam ipse Deus amat suam volitionem; quemadmodum autem vt intelligatur in Deo ratio volitionis, necessario intelligenda est quædam ratio antecedens obiecti boni, vt ita volitio sit talis obiecti, & postea reflectat supra se ipsam, eadem ratione vt intelligatur in Deo intellectio, antecedere debet aliqua ratio entis intelligibilis, ex quo veluti sequatur intellectio non solum talis obiecti, sed etiam sui ipsius; involuit enim contradictionem esse aliquam intellectionem, aut volitionem, quæ adæquate sui tantum sit intellectio, aut volitio sine aliqua ratione antecedentis obiecti. Itaque esse potest intellectio, & volitio, quæ sit tantum alterius intellectio, & volitio, non autem sui ipsius tantum; & ratio est manifesta; quia sicut cognitio directa præsupponit obiectum quod repræsentat, ita etiam cognitio reflexa præsupponit directam; quia directa est obiectum reflexæ: ergo de primo ad vltimum, sicut directa non potest esse sine aliquo obiecto antecedenti, ita non potest esse reflexa sine cognitione directa antecedenti: ac proinde obiectum directæ cognitionis debet esse prius reflexa cognitione; sed essentia divina est obiectum primum, quia est primum intelligibile: ergo est obiectum directæ cognitionis: ergo essentia diuina non est cognitio ipsa. Patet consequentia; quia si essentia diuina esset ipsa congnitio, esset obiectum reflexæ cognitionis: sed obiectum reflexæ cognitionis non est obiectum primum, sed secundum, quia obiectum reflexæ cognitionis est directa cognitio præsupponens iam primum obiectum; atqui Deus non potest præsupponere quatenus prima essentia, & primum ens est aliud primum intelligibile, quia nullum est primum intelligibile, nisi primum ens: ergo Deus non potest esse cognitio secundum nostrum modum concipiendi, nam omnis cognitio adhuc quatenus cognoscibilis præsupponit aliud intelligibile: sed essentia diuina, quia est primum ens ac per consequens primum intelligibile non præsupponit alivd intelligibile; alias esset, & non esset primum intelligibile, & primum ens: ergo manifeste sequitur essentiam diuinam nullo modo esse intellectionem diuinam terminatam ad ipsam.

Præterea bene potest esse intellectio, & volitio, 114
quæ essentialiter sit non solum obiecti antecedentis, sed etiam sui ipsius, fieri tamen non potest vt aliqua sit ratio intellectionis aut volitionis, antequam non præcedat ordine rationis obiectum intelligibile, & volibile: sed omnis intellectio divina est vera, & propria intellectio: ergo omnis intellectio diuina præsupponit obiectum intelligibile; sed omne, quod præsupponitur ad aliud est prius: ergo obiectum intelligibile primum diuinæ cognitionis est prius ipsa cognitione diuina, sed essentia diuina completa, & adæquata

quata est obiectum, seu primum intelligibile respectu cognitionis, & intellectionis diuinæ: ergo est prius illa, & illa posterior respectu eiusdem: ergo diuina essentia nullo modo est intellectio diuina; patet consequentia, quia idem non potest esse prius, & posterius respectu eiusdem simul; prius enim & posterius opponuntur oppositione relatiua; opposita enim distinguuntur, ac proinde vnum non est aliud; sed diuina essentia quatenus primum intelligibile & primum obiectum diuinæ intellectionis, est prior diuina intellectione, & diuina intellectio simul est posterior diuina essentia: ergo diuina essentia nostro modo intelligendi non est sua intellectio diuina.

Quod argumentandi genus tanquam euidens vsurpauit S. Iustinus martyr. *lib. christianar. quæstion. ad gentes, q. 3. in refutationem responsionis Græcorum*, vbi probat, voluntatem Dei distingui ratione ab ipso Deo, Deumque per rationem non esse suam intellectionem sumit pro medio ad hoc demonstrandum, Deum esse primum obiectum suæ voluntatis. Verba Sancti Martyris hæc sunt: [quomodo igitur idem est cum essentia voluntas, cum voluntas, & quod voluntate expetitur, aliud, & aliud sit, sicut sensus, & id quod sub sensum cadit, &c.] ergo tota ratio, propter quam Sanctus Doctor probat euidenter, voluntatem diuinã & volitionem non esse essentiam diuinam est quia essentia diuina est primum obiectum primæ voluntatis, & volitionis; sed etiã essentia diuina completa, & vltimo constituta, (quia aliter non est essentia diuina; sicut essentia hominis non vltimo completa, & constituta, hoc est deficiente vltimo constitutiuo, rationalitate nimirum, non est essentia hominis, essentiæ enim vt ait Philosophus, sunt sicut numeri in quibus ablata quacunque vnitate, non est idem, sed alius numerus; ita ablato quocunque prædicato, & præcipue vltimo non est eadem essentia) est primum obiectum diuinæ intellectionis: ergo essentia diuina vltimo constituta, & completa nullo modo est intellectio diuina, neque intellectio diuina est essentia diuina, neque constituit ipsam, quia sequitur ex ipsa, vt ait D. Thomas 1. *p. q. 14. art. 4.* his verbis: [sicut esse sequitur formam, ita intelligere sequitur speciem intelligibilem, & in Deo non esse aliam formam, & speciem, præter essentiam diuinam]: atqui id, quod constituit aliud non sequitur ad constitutum, sed potius antecedit illud, & constitutum sequitur ad constitutiuum, vt rationale non sequitur ad hominem, neque asseitas sequitur ad Deum, sed potius homo sequitur ad rationale, & Deus ad asseitatem; & ratio à priori est, quia omne constitutiuum modo nostro concipiendi se habet vt causa, vel quasi causa constituti; atqui omnis causa, vel quasi causa est prior effectu, vel quasi effectu; sed quod est prius non sequitur ad posterius, sed potius posterius sequitur ad prius: ergo nullum constitutiuum sequitur ad constitutum, sed potius constitutum sequitur ad constitutiuum: sed intellectio diuina sequitur ad essentiam diuinam: ergo essentia diuina nullo modo constituitur per intellectionem diuinam vltimo, sed est attributum, seu operatio diuinæ essentiæ; vnde essentia non est sua intellectio. [Quod sic demonstratur, quia impossibile est id, quod repræsentatur esse formalissime idem, quod repræsentationem eius; sed essentia diuina est id, quod repræsentatur per cognitionem, & cognitio est id quod repræsentat essentiam, seu repræsentatio essentiæ: ergo omnino impossibile est essentiam diuinam repræsentatam per intellectionem esse omnino idem adhuc per rationem cum intellectione diuina repræsentante ipsam. Minor, & consequentia sunt euidentes. Maior demonstratur; quia ea quæ sunt diuersæ rationis, & definitionis distinguuntur ratione, & non sunt omnino idem formalissime, ac proinde impossibile est omnino habere formalissimam identitatem inter se; sed repræsentatio, & repræsentatum sunt diuersæ rationis, & definitionis: ergo impossibile omnino est id, quod repræsentatur esse formalissime & omnino idem. Minor sic probatur, quia obiectum sic definitur: est id, quod percipitur à potentia mediante repræsentatione, & sub hac ratione non est aliquid vitale in actu secundo; repræsentio vero est actuale exercitium vitæ, & ipsa vitalis perceptio; sed hæ sunt diuersæ definitiones: ergo repræsentatio, & repræsentatum sunt diuersæ rationis, & definitionis.

Vrgetur; quia omnis repræsentatio est ordo, aut habitudo in ordine ad repræsentatum, aut secundum esse, aut secundum dici; sed omnis ordo, & habitudo distinguitur saltem ratione à termino suo: ergo omnis repræsentatio distinguitur ab eo, quod repræsentatur per illam. 115

Tandem demonstratur hæc veritas cum Patre Granado; quia cum dicitur diuina cognitio esse idem omnino, quod eius formale obiectum scilicet essentia diuina, aut nomine essentiæ significatur natura Dei prout est radix diuinorum attributorum, quæ sunt veluti affectiones eius, aut significantur omnes diuinæ perfectiones quæ Deum essentialiter constituunt, ac proinde omnia attributa simul cum illorum radice; sed neutrum dici potest: ergo diuina cognitio non est idem omnino ratione nostra cum diuina essentia. Maior, & consequentia patent. Minor probatur quoad primam partem, quia si idem omnino sit cognitio, quod essentia prout radix attributorum, non illa, sed solum attributa erunt obiectum formale proprie, & rigorose loquendo, etenim cognitio necessario respicit, vt supra dixi, aliquod obiectum formale directe ab illa repræsentatum, alioqui solum erit reflexa, & non directa; sed si diuina essentia, vt radix attributorum sit idem omnino, quod cognitio, seu intellectio, perinde erit essentiam cognosci à cognitione, atque cognitionem cognosci à se ipsa: ergo erit cognitio reflexa comparatione essentiæ: ergo aliud formale obiectum, quod directe repræsentet, asserendum est, quod nullum esse potest, nisi attributa: cum ergo absurdum sit obiectum primarium diuinæ cognitionis non esse essentiam, quæ est veluti radix cæterarum perfectionum, quæ in Deo sunt, asserendum consequenter est, essentiam, & cognitionem distingui ratione, & non esse omnino idem. 116

Secunda pars minoris sic probatur; nam si cognitio diuina sit formalissime idem, quod omnia attributa; cum hæc etiam in sententia aduersariorum à se inuitem distinguantur ratione ratiocinata, necesse est, ipsam quoque diuinam cognitionem esse multiplicem secundum rationem, & vnam esse idem omnino, quod attributum cognitum per illam; alteram idem, quod alterum, & sic tot esse cognitiones, quot perfectiones diuinas, ex quo vlterius infertur volitionem diuinam esse idem omnino, quod cognitionem voluntati, immensitatem esse formalissime cognitionem ipsius, & sic de reliquis diuinis perfectionibus, ac per consequens omnia attributa diuina esse formalissime idem quod cognitionem; vnde cum 117

Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio per voluntatem eadem veritate, & proprietate procedet per intellectionem; cum tamen certa Patrum, & Theologorum doctrina sit procedere solum per voluntatem, & cum Verbum procedat à Patre per intellectionem veriſſime & formaliſſime dicetur, per voluntatem procedere cum hæc formaliſſime ſit idem ac intellectio; cum tamen certum ſit, ſolum produci Filium formaliſſime ex vi proceſſionis per intellectionem: ergo intellectio nullo modo eſt eſſentia diuina, neque conſtituitur eſſentia per illam; quod ſic patet, quia illæ formalitates diſtinguuntur inter ſe & non ſunt omnino idem; quæ pluribus conceptibus melius intelliguntur, quam vnico, ſupponendo tales formalitates vere, & realiter conuenire obiecto cognito: ſed intellectio diuina, & eſſentia vere realiter Deo conueniunt; & melius intelligitur Deus vtroque conceptu intellectionis, & eſſentiæ, quam ſolo conceptu intellectionis, vel ſolo conceptu eſſentiæ: ergo intellectio, & eſſentia non ſunt omnino idē. Maior eſt clara, vt videre eſt in immenſitate, miſericordia, iuſtitia, & reliquis comparatis cum diuina eſſentia; & è contra, quia natura, & eſſentia diuina, ſeu diuinitas ſunt omnino idem ſine vlla diſtinctione adhuc per rationem non intelliguntur melius tribus illis conceptibus, quam vnico, ſiue hic ſit diuinitatis, ſiue naturæ, &c. Minor colligitur ex generali doctrina S. Thomæ 1. *parte, quæſt.* 13. *artic.* 4. & 12. ſed magis aperte, *eadem prima parte, quæſt.* 28. *artic.* 2. *ad* 3. vbi ait: [quod ſi in diuina perfectione nihil plus contineretur, quam quod ſignificat nomen relatiuum, ſequeretur, quod eſſe eius eſſet imperfectum vtpote ad aliquid aliud ſe habens; ſicut ſi non contineretur ibi plus, quam quod nomine ſapientiæ ſignificatur non eſſet aliquid ſubſiſtens:] ergo ſolo conceptu, aut nomine intellectionis, & ſapientiæ non intelligitur eſſentia, ſiue ſubſtantia Dei, hoc enim ſonant illa verba, [non eſſet aliquod ſubſiſtens,] ac proinde non ita perfecte penetratur perfectio illius rei, quæ Deus eſt.

118 Vrgetur amplius, quia dictiones reduplicatiuæ vt bene aduertit Pater Ruiz, vim habent reflectendi ſupra rationem formalem: ergo quotieſcumque prædicatum idem, quod affirmatur de vna formalitate cum reduplicatione, non poteſt affirmari de alia, manifeſtum indicium eſt, illas formalitates non eſſe omnino idem; ſed idem prædicatum quod affirmatur de intellectione, & ſapientia cum reduplicatione prout intellectio eſt, non poteſt affirmari de eſſentia prout eſſentia eſt: ergo. Minor probatur: quia intellectio prout intellectio eſt, tendit in obiectum verum, prout eſt verum, proponit voluntati bonum amandum eſt productio, per quem formaliter procedit Verbum: ſed hæc omnia non poſſunt reduplicatiue dici de eſſentia, quia eſſentia, quatenus eſſentia eſt quid abſolutum omnino permanens, & primum conſtitutiuum perſonæ producentis Verbum, & per conſequens primum conſtitutiuum Verbi procedentis à Patre, & ſic noſtro modo concipiendi ipſum intelligere concipitur vt operatio ſequens ipſam eſſentiam, & eſſentia, vt principium ſine principio talis operationis, vt quo, vt patet ex ſupracitatis verbis D. Thomæ: ergo eſſentia non eſt omnino idem formaliſſime, quod intellectio, neque intellectio formaliſſime prædicatur de eſſentia, ac per conſequens non erit formaliſſimum conſtitutiuum illius, quia hoc formaliſſime prædicatur de conſtituto. Item cognitioni diuinæ attribuimus reduplicatiue relationem, & habitudinem ad obiectum, non autem eſſentiæ quod ſufficit ad diſtinctionem, & non prædicationem formalem vnius de alia; quia reſpectus conuenientes vni formalitati, & non alteri, vt Athanaſius docet *Dialogo primo, de Sancta Trinitate*, probant diſtinctionem rationis ratiocinatæ inter illas, & negationem vnius reſpectu alterius; explicat hoc negotium iſto exemplo Athanaſius: Vt granum frumenti dicitur, & eſt tum ſemen, tum fructus non vt res alia, & alia aliud enim declarat ſemen, aliud fructus; quoniam ſemen quidem futuræ culturæ ſemen, ad ipſamque refertur, fructus vero eſt præteritæ culturæ fructus.

Ergo huiuſmodi reduplicationes ſenſum formalem continentes, indicant manifeſtè diſtinctionem inter eſſentiam, & intellectionem. 119

Dices; modus arguendi fundatus in huiuſmodi reduplicationibus, neque grauitatem in ſe continet, aut vim ſeu efficaciam ad probandum intentum diſtinctionis.

Sed contra manifeſte, quia S. Doctores, Patreſque Eccleſiæ huiuſmodi argumentationibus vtuntur contra hæreticos ad probandam diſtinctionem rationis ratiocinatæ inter eſſentiam & perſonam: ergo non ſolum auctoritatem, & grauitatem continent, ſed etiam vim, robur, & efficaciam ad concludendum intentum, alias grauiſſimi æque ac ſapientiſſimi Patres diuino Spiritus ſancti lumine circumfuſi non vterentur eiuſmodi arguendi genere. Antecedēs patet manifeſte ex Athanaſio, *orat.* 4. *contra Arrianos, col.* 3. vbi ſic ait: [quamquam, alius eſt filius, quatenus eſt genitus, attamen idem exiſtit, quatenus eſt Deus;] & ex Chryſoſt. *hom.* 1. *in Ioan.* ibi: [omnibus Patrem eſſe conſtabat, ſi non vt Patrem, ſaltem vt Deum;] quæ omnia confirmantur ex modo loquendi grauiſſimo Concilij Remenſis, ibi: [eſſe in Deo id, quod eſt ſapiens, & id quo eſt ſapiens:] ergo Concilium diſtinguit inter ſapientem & ſapientiam; ſed non diſtinguit realiter; quia potius condemnauit Gilbertum Porretanum fingentem talem diſtinctionem realem; & ideo concludit, [ſicubi vero dici Deum ſapientia Dominum, ſapientia ſapientem, magnitudine magnum, credimus non, niſi ea ſapientia quæ eſt ipſe Deus ſapientem eſſe.] Ecce quomodo Concilium primo modo loquendi, ſignificat diſtinctionem rationis inter ſcientiam, & Deum ſapientem conſtitutum per illam; quia illi modi loquendi diſtinctionem indicant vt quando dicimus, Deus miſericordia eſt miſericors, iuſtitia eſt iuſtus, & bonitate eſt bonus ſine dubio diſtinctionem conſtituimus inter illas perfectiones, & ipſum Deum conſtitutum per eaſdem: ergo ſi Concilium aſſerit in diuinis non ſolum dari Deum, qui conſtituitur per ſapientiam in eſſe ſapientis, ſed etiam ſapientiam ipſam, per quam conſtituitur, ſine dubio conſtituit aliquam diſtinctionem inter ſapientiam, & Deum non realem formalem vt patet ex verbis ſecundis concilij: ergo per rationem.

Quod vtrumque fecit data opera Concilium. 121
Nam Gilbertus Porretanus, vt perſuaderet ſuam diſtinctionem realem docebat, aut negandas eſſe omnino perfectiones in diuinis, tam relatiuas, quam abſolutas, aut ſi ponuntur, debere diſtingui formaliter realiter; quia ſi realiter non diſtinguuntur, dicebat ipſe, ſed ſunt omnino idem realiter, idem prædicabitur de Paternitate, & de eſſentia; vnde ſi eſſentia communicatur filio, communicabitur etiam paternitas; & ſi Spiritus ſanctus procedit per eſſentiam, etiam procedet per intellectionem, & ſapientiam; ſed hoc eſt falſum,

falsum, alias sicut Filius est Deus formalissime, ita formalissime esset Pater, & sicut Spiritus Sanctus est spiratus, erit etiam genitus, & Filius; ne igitur hæc absurda sequantur, dicendum erit vobis (inquiebat Gilbertus) aut fateri debetis distingui realiter formaliter relationem à diuinitate, essentiam à sapientia, aut nullo modo dari in Deo sapientiam, Paternitatem, &c.

122 Sanctum vero Concilium, vt hæc sophismata Gilberti dilueret, & ipsum ab his tenebris errorum separaret, docuit primum sapientiam, relationem & cæteras perfectiones diuinas dari in Deo vere, & realiter. Deinde docuit, tales perfectiones non distingui realiter formaliter à diuina essentia; vt patet ex secundis verbis à me citatis, & ideo ait: [credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse, iustum esse à iustitia, quæ est ipse Deus, &c.] Et nihilominus docuit adhuc posita tali non distinctione reali formali, sed potius identitate formali, & reali posse bene compati, quod diuinitas communicetur Filio, non communicata Paternitate; & quod Spiritus Sanctus procedat formalissime, tanquam per radicem, vt quo, per essentiam mediante voluntate, & non mediante intellectione; quia ad hoc sufficit (docebat Concilium) quod relatio æquiualeat à parte rei distinctæ perfectioni ab essentia, & quod sapientia æquialenter distinguatur ab essentia; ratione infinitæ eminentiæ, & excellentiæ diuinæ cum summa perfectione, & actualitate eiusdem, quæ distinctio virtualis, aut æquialentiæ est sufficiens fundamentum ad veritatem illarum prædicationum; & vt intellectus noster distinguat vnam formalitatem ab alia: & ideo docebat, Gilbertum fateri debere identitatem formalem realem inter perfectiones diuinas; ne derogaretur simplicitati diuinæ, neque læderetur omniidentitas diuina, & simul fateri debere veram existentiam diuinarum perfectionum in Deo, cum aliquali distinctione virtuali à parte rei, & formali per intellectum; quod vt significaret, sic ait [esse in Deo id quod est sapiens, & quo est sapiens.]

Ex quo amplius colligebat Concilium, sicut distinctio realis formalis maxime lædit simplicitatem diuinam, ita è contra distinctionem rationis, & virtualem nihil derogare tali simplicitati, vtpote quæ consistit in quadam summa, & excellentissima identitate Dei cum omnibus formalitatibus realibus, quæ de illo dicuntur; quemadmodum Cyrillus Alexandrinus *lib. 6. Thesauri, cap. 3.* significat contra Arrianos his verbis: [si aliud est apud Deum præscire, aliud velle; neque hinc simplicitas eius læditur; erit similiter aliud generare, aliud spirare, aliud creare, aliud facere in Deo; nec vlla propter hoc compositio erit;] quia talis distinctio æquiualentiæ clarius ostendit excellentiam diuinæ simplicitatis, & eminentissimæ identitatis, quæ ita perfectionem omnem complectitur, vt absque vlla reali pluralitate, & multiplicitate æquiualeat omnibus rebus distinctis inter se; ratione cuius excellentiæ prouenit impossibilitas exhauriendi totam intelligibilitatem diuinæ perfectionis per vnum, aut alterum conceptum, propterea que requirit infinitos, vt melius penetretur.

## SECTIO III.

*Vltima conclusio ponitur.*

VOlitio diuina non est constitutiuum meta- 123
physicum diuinæ essentiæ; & primo probatur hæc conclusio eisdem argumentis, quibus supra probaui intellectionem diuinam non posse constituere diuinam essentiam; tum propter diuisionem, & pluralitatem volitionum, quæ ratio continetur in primo argumento; ibi enim probavi, intellectionem non posse esse vltimum constitutiuum, quia vltimum constitutiuum alicuius essentiæ debet esse omnino vnum indiuisum, & indiuisibile; atqui volitio diuina, sicut intellectio non est vna sed plures virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum: nam odium, & amor, volitio, & nolitio respectu eiusdem obiecti; v.g. hi duo actus, volo creare mundum, nolo creare mundum, & loquor de vno, & eodem mundo, non solum distinguuntur virtualiter, sed etiam opponuntur, & ideo non potest Deus simul velle creare mundum, & simul nolle creare ipsum mundum, quia se excludunt virtualiter ab eadem voluntate Dei, conueniendo sub ratione volitionis, quæ rationes concludunt manifeste oppositionem virtualem à parte rei, & formalem per intellectum illorum actuum; quia opposita sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt; sed ea, quæ opponuntur, distinguuntur, ac proinde plura sunt: ergo volitiones diuinæ sunt plures, & non vna, sunt diuisæ, & non sunt vna indiuisibilis formalitas nostro modo concipiendi: ergo non potest esse vltimum constitutiuum Dei.

Tum etiam, quia volitio diuina non est forma- 124
litas perfectissima omnium, quæ reperiuntur in Deo; cum intellectio, & asseitas sint perfectiores ipsa volitione, vt applicanti secundam integram rationem meam qua probo asseitatem esse perfectiorem intellectione, manifeste patebit, & præterea comparanti intellectionem cum volitione sine dubio liquefiet illam esse perfectiorem hac propter rationes omnes, quibus hoc probo *lib. de anima*, & propter alias, quibus vtitur ad idem in tantum P. Franciscus Suarez. Tum etiam, quia volitio non est radix omnium proprietatum Dei, v.g. immensitatis, omnipotentiæ, vt ratione tertia pro nostra conclusione *sect. præcedenti* probaui in intellectione non radicari huiusmodi perfectiones, quæ à fortiori potest applicari volitione diuinæ, & præterea id euidenter patet, si volitio consideretur respectu intellectionis, quæ cum præcedat volitionem ipsam, secundum illud axioma, nihil volitum, quin præcognitum, non potest oriri aut facere, adhuc nostro modo concipiendi, vt attributum ab essentia, ab ipsa volitione.

Itaque omnes rationes *sect. præcedenti* positæ 125
possunt facile applicari ad probandum, volitionem diuinam non posse vltimo constituere diuinam essentiam: ergo illa metaphysice vltimo non constituit quidditatem Dei; præter illas autem rationes sic argumentor; quia gradus volitiuus est secundarius & non primarius in substantia intellectuali, sed vltimum constitutiuum diuinæ essentiæ debet esse primarium, & non secundarium prædicatum: ergo volitio, seu gradus volitiuus non potest quidditatiue vltimo constituere diuinitatem. Maior est clara; quia gradus volitiuus

est

est appetitiuus: sed gradus appetitiuus est secũdarius respectu cognoscitiui, vt ex Philosopho omnes Doctores docent: ergo gradus volitiuus non est primarius sed secundarius gradus. Minor sic probatur; quia maior est euidens ipsis terminis; quia ille gradus est secundus, & est secundarius qui præsupponit aliũ, cũ quo connectitur necessario, tanquã cum conditione prærequisita; sed gradus appetitiuus præsupponit cognoscitiuum, sicut appetitio præsupponit cognitionem necessario: ergo gradus appetitiuus est secundarius, & non primarius.

116 Et hac ratione licet in homine, & in Angelo detur gradus volitiuus, & intellectiuus, nullus huc vsque constituit pro primario, & vltimo cõstitutiuo gradum volitiuũ, sed potius intellectiuũ; quia hic putatur principalis ille accessorius ille secundarius, iste primarius: ergo similiter in Deo non potest constituere diuinam essentiam volitio, aut gradus volitiuus, quia eodem modo militant rationes ad excludendam à constitutione diuinæ essentiæ volitionem in diuinis, ac in creatis.

117 Quinto sic argumentor, quia si volitio, aut gradus volitiuus non solũ vltimo, sed alio quocumq; modo constitueret diuinã essentiã & naturam in Deo processio Spiritus sancti esset generatio: sed secundũ fidẽ catholicã Spiritus S. non generatur: ergo gradus volitiuus non constituit diuinã naturã, & essentiã. Sequela maioris sic probatur; quia illa est generatio, ex vi cuius formalissimè producitur terminus, cui formaliter communicatur diuina natura, aut gradus essentialis illius, quia communicato vno, communicantur omnes; sed Spiritui sancto ex vi suæ productionis communicatur gradus volitiuus, qui per vos est ipsa natura diuina, & constitutiuum essentiale illius, ac per consequens illa communicatur: ergo processio Spiritus sancti est generatio.

118 Dices, ex hac ratione sequi contra nostrã primã conclusionẽ intellectionem diuinã esse vltimum constitutum diuinæ naturæ, quia Verbum diuinũ vere generatur à Patre quia producitur per intellectionem; quod inde prouenit, quia communicatur illi gradus intellectiuus, aut intellectio, qua communicata, communicatur diuina natura, & essentia formaliter, ac proinde producitur vt Filius.

119 Sed contra, quia nos non ideo dicimus, Verbum diuinum generari formaliter, & procedere vt filium ex vi suæ processionis, quia communicatur illi præcise intellectio, aut gradus intellectiuus sine asseitate; sed potius quia illi communicatur formalissime ex vi suæ processionis; non intellectio primario, quia hæc concipitur à nobis per modum operationis quasi fluentis à suo gradu; sed quia communicatur gradus intellectiuus contractus per asseitatem vltimo; nam sicut Pater, qui generat Verbum, non solum est substantia intellectualis vt sic, ac proinde persona, sed potius substantia intellectualis à se independens omnino, in qua datur essentia diuina formaliter constituta per gradum intellectiuum, tanquam per rationem superiorem, contractum tamen per rationem asseitatis, tanquam per differentiam vltimam metaphysicam Dei. Ita similiter quando generat Verbum, quia intendit producere personam sibi omnino simillimam, non solum producit illud communicando ipsi gradum intellectiuum (quia ex vi solius talis gradus Verbum non esset omnino simile Patri; siquidem non haberet omnem gradum, quem habet Pater essentialiter, videlicet gradum asseitatis, & independentiæ) sed etiam gradum asseitatis contrahentem vltimo gradum intellectiuum, & vltimo constituentem personam in esse Dei; nam cum productio Verbi, & generatio ipsius sit intellectio diuina nostro modo concipiendi fluens, non ab intellecto vt sic, sed à gradu intellectiuo increato, & à se, inde est quod ex vi diuinæ intellectionis medio gradu intellectiuo, seu intellectu formaliter à se omnino independente communicetur à Patre Filio talis gradus intellectiuus à se omnino independens, qui formaliter sit essentia diuina vltimo constituta per gradum asseitatis, contrahentem formaliter ad hanc constitutionem vltimam (vt ita loquar) exercendam gradum intellectiuum, qui non potest vllo modo communicari per intellectionem diuinam, & increatam, nisi communicetur gradus asseitatis, qui formaliter contrahit intellectiuum, vt dixi.

Quo manifeste patet, non ideo dici Verbum gnenerari à Patre, quia ei communicetur intellectio, aut solum gradus intellectiuus, tanquam vltimum constitutiuum diuinæ naturæ, sed potius quia ei communicatur gradus substantialis intellectiuus vltimo formalizatus per asseitatem, & independentiam, nam generatio, seu intellectio diuina per diuinam, & intellectualem substantiam à se communicat Verbo substantiam intellectualem formaliter à se; quia non potest imperfectissima, & increata communicatione communicari vnus gradus sine alio, cui formaliter coniungitur ille, videlicet gradus intellectiuus, qui est superior, & vniuersalis sine inferiori formalizante, & formaliter contrahente illum; nam generationi Verbi, quatenus intellectio est, correspondet communicatio gradus intellectiui, & quatenus increata est, correspondet communicatio asseitatis, & formalitatis increatæ vltimo constituentis diuinam naturam, quæ formaliter communicatur ex vi formalissimæ, ac diuinæ generatio is, & sic Verbum diuinum qui ita generatur, est perfectissime, ac omnino simile Patri in natura; quia habet ex vi suæ generationis formalissime naturam diuinam, quæ est in Patre secundum omnem formalitatem constituti-
uam illius vltimo. 130

Si autem per impossibile communicaretur Verbo ex vi suæ productionis gradus intellectiuus sine asseitate; licet esset Filius, non tamen esset perfectè Filius, quia non assimilaretur formaliter ex vi suæ productionis Patri perfectissime in natura secundum omnes formalitates illius; siquidem non communicaretur illi natura secundum omnes eas, cum deficeret asseitas; nihilominus tamen vt dixi, esset Filius; quia formaliter communicaretur illi natura secundũ aliquos gradus essentiales, videlicet substantiæ viuentis intellectualis; v.g. in multis generationibus creatis cõtingit vbi productum accipit gradũ viuendi, & sentiẽdi qui sunt essentiales naturæ producẽtis & ideo dicitur Filius, licet non perfecte Filius, quia non accipit per productionẽ eandem naturam, secundum omnes gradus, quos habet in Patre.

Spiritus autem sanctus neque perfecte, neque 131
imperfecte dicitur Filius; quia formalissime ex vi suæ productionis non accipit naturam diuinã in aliquo, aut in omnibus gradibus essentialibus constituta, sed solum gradum volitiuum, seu appetitiuum talis naturæ, qui est secundarius, vt supra dixi, quia procedit per volitionem tanquam per productionem, non fluentem nostro modo intelli-

intelligendi à gradu intellectiuo, neque à Patre, vt in tali gradu constituto, sed potius à Patre vt habente gradum volitiuum consequutum ad gradum intellectiuum à se, & ideo formaliter non communicatur illi asseitas, quia asseitas non formalizat, aut formaliter contrahit gradum secundarium vti est volitiuus, sed potius gradum primarium & essentialem, qualis est intellectiuus; nam voluntas diuina nostro modo concipiendi sequitur essentiam diuinam iam habentem asseitatem, & constitutam per se per omnimodam independentiam suppositam ante voluntatem in natura, & essentia. Itaque infinita voluntas, hoc est formalitas quædam habens omnem perfectionem, tam intensiuam, quam extensiuam in genere volendi, & appetendi, & ideo denominata omnivoluntas est quæ est potentia, per quam producitur Spiritus sanctus, & ideo Spiritus sanctus solum habet ex vi suæ productionis gradum volitiuum: atqui gradus volitiuus nullo modo est quidditatiuus, neque essentialis, neque constituës diuinam naturam: ergo ex vi processionis non communicatur Spiritui sancto diuina natura, vt natura est, aut secundum completam rationem sui aut secundum incompletam; & ideo neque perfecte, neque imperfecte est Filius; Verbum autem diuinum, quia procedit à Patre formalissime per gradum intellectiuum à se, qui est natura vltimo completa, & constituta, media generatione, seu intellectione diuina, communicatur ei natura diuina formalissime, non quia communicetur ei intellectio actualis: sed quia communicatur ipsi gradus intellectiuus, non præcise, & solus, sed quatenus est à se, & increatus formaliter.

132 Ergo optime saluatur cum nostro modo defendendi vera ratio filiationis in Verbo, non tamen in Spiritu S. cum Spiritui sancto, vt dixi, nullo modo formaliter communicetur natura diuina secundum aliquod prædicatum essentiale; sed solũ secundũ attributũ naturæ, scilicet secundũ gradũ volitiuũ, quod è contra contingit in Verbo, qui vere est Filius, & vere generatur eo quod ei cõmunicatur non solũ intellectio diuina (quod nõ sufficeret ad rationẽ formalem generationis, quia nostro modo concipiendi formaliter, & virtualiter à parte rei non est natura diuina, sed operatio illius) sed etiam gradus intellectiuus formaliter à se, & increatus; asseitas enim cum prædicatũ vltimũ essentiale sit, formaliter contrahit metaphysice gradũ intellectiuũ, qui est superius prædicatũ essentiale, & ideo formaliter cõmunicato gradu intellectiuo per intellectionem, non vt sic, sed diuinã, cõmunicatur formalissime gradus asseitatis, qui cõtrahit formaliter gradũ intellectiuũ, & non volitiuũ, quia gradus volitiuus non est essentialis, sed attributalis; quapropter Spiritui sancto, cui cõmunicatur gradus volitiuus formalissime attributũ, & non natura, seu essentia, neq; adæquate, neque inadæquate cõmunicatur, quibus facillime soluitur tota difficultas aduersariorum.

133 Vrgetur, quia gradus intellectiuus à se constituit naturã diuinã secundũ asseitatẽ, vt differẽtiã completã metaphysice: ergo gradus volitiuus non ingreditur metaphysicã constitutionẽ; consequentia est nota; nã vt duæ differentiæ cõpletæ realiter distinctæ vnã per se essentiã non cõstituunt, ita nec duæ differentiæ cõpletæ virtualiter distinctæ in diuinis possunt essentiã Dei, per se vnã cõstituere; probo hãc cõsequentiã nã hæc distinctio virtualis diuina æquialet reali creaturarum quo ad munera distinguendi: ergo vt in creatis duæ differentiæ compleræ realiter distinctæ, vt optime notat P. Herize, vnam essentiã per se non constituunt; ita nec in diuinis duæ differentiæ completæ virtualiter distinctæ: antecedens est clarum, quia gradus intellectiuus ex propria ratione est differentia completa; nec enim est vt materia, & forma, quæ sunt entia, ex se incompleta; ideoque non constituit vnum per se cum subiecto: ergo multo potiori ratione gradus intellectiuus in Deo est ens completum, quia à Deo omnis ratio entis incompleta remouenda est; vnde licet naturæ diuinæ accedat subsistentia virtute ab ea distincta, at non complet illam in ratione naturæ, sed personæ, supponit autem completam in ratione naturæ: ergo gradus intellectiuus, & differentia asseitatis in Deo quæ pertinet ad constitutionem naturæ diuinæ, eam constituit vt differentia completa.

Nec obstat habere se vt partem metaphysicam, 134
quatenus identificatam cum prædicatis quibusdã communibus vt Deum plene constituat, quia pars metaphysica in Deo (vt patet ex dictis in antepræd icamentis, seu differentialis est ens completum, eique tota natura rei respondet ex parte obiecti, quatenus talem differentiam transcendunt omnia prædicata superiora.

Dices, volitiuum gradũ ingredi debere naturæ 135
diuinæ constitutionem; quia natura Dei constitui debet perfectiori modo excogitabili continente omnẽ perfectionem simpliciter simplicem.

Sed contra; quia hæc ratio probat etiam immensitatem iustitiam, & misericordiam pertinere ad essentialem constitutionem naturæ Dei; sed hoc est falsum: ergo illa ratio probat plus quam intendit; cum autem quod multum probat, nihil probet, inde est, vt supra dictum nullius roboris sit. Maior sic probatur; quia immensitas, misericordia, & iustitia sunt perfectiones simpliciter simplices; sed per vos omnes perfectiones simpliciter simplices pertinent ad constitutionem essentialem: ergo supradictæ pertinent. Maior est certa; quia omnia prædicata absoluta in diuinis sunt perfectiones simpliciter simplices, quia vnũquodque est melius ipsum, quam non ipsum, & quam oppositum ipsius, quæ est definitio perfectionis simpliciter simplicis: sed immensitas, misericordia, & iustitia sunt prædicata absoluta: ergo sunt perfectiones simpliciter simplices. Minor illa sic probatur; quia non omnes perfectiones quæ sunt in Deo, sunt prædicata essentialia, & quidditatiua metaphysice, cum alia sint essentialia, alia attributalia, aliàs daretur essentia sine attributis, aut proprietatibus, quod est falsum in tota latitudine entis: atqui non est maior ratio de aliis, ac de immensitate, misericordia, & iustitia: ergo.

Vltimo si probatur; quia prius est in quo- 136
cumque ente esse aliquid vltimo constitutum, & completum, quam quod operatur, quia omne quod operatur, operatur inquantum est in actu; sed volitio diuina nostro modo concipiendi est operatio: ergo ante volitionem supponitur Deus iam vltimo constitutus: ergo non constituitur per volitionem diuinam.

Quod autem volitio sit operatio patet mani- 137
feste; quia volitio fluit à voluntate diuina tanquam à potentia, per quam producitur à Patre, & Filio Spiritus sanctus; sed omnis productio procedens à potentia est operatio: ergo volitio est operatio in diuinis, saltem nostro modo concipiendi.

Dices, voluntatem non se habere vt potentiam, 138
sed vt actum respectu productionis Spiritus S.

139 Sed contra manifeste, quia implicat, aliquâ vim productiuam dici principium termini vt quod ab illa orti per modum actus, & non per modum potentiæ, alias etiam in creatis quælibet productio diceretur esse principium productiuum rei productæ, quod absurdissimum est: cum ergo voluntas Patris & Filij sit principium producendi Spiritum sanctum per volitionem, tanquam per actum notionalem; sequitur necessario esse in Deo voluntatem per modum potentiæ, etiam respectu actus modo nostro concipiendi.

140 Deinde; quia in Deo non solum datur velle actualiter sed etiam datur posse velle, ita vt posse velle distinguatur à velle actualiter virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum. Quod demonstrant omnes rationes supra positæ, quibus supra probauimus, posse intelligere, & actu intelligere distingui virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum: atqui posse velle comparatum cum actuali velle, & quatenus distinguitur ab actuali velle, est potentia, & actuale velle est actus talis potentiæ saltem nostro modo intelligendi, quod patet manifeste, non solum in creaturis, sed etiam in Deo; nam quia datur in Deo creare, & posse creare, distincta inter se, & præterea datur terminus creatus, vel obiectum, ad quod tendit talis creatio, posse creare est potentia, creare est operatio, quia mediat inter potentiâ, & terminum creatum: sed in Deo datur posse velle, & posse producere Spiritum sanctum, & datur volitio ipsa, seu productio media nostro modo intelligendi inter posse producere & posse velle, & inter terminum productum; itavt quasi fluat ab illo posse vt quo ad hoc, vt terminus fluat, vt quod: ergo posse velle, & posse producere comparentur cum vtroque, tanquam principium: ergo est potentia, & productio, & volitio operatio.

141 Præcipue, quia omnis actus vitalis nostro modo concipiendi, quia est motus à se, eo modo quo supra explicui, est operatio: sed volitio est actus vitalis: ergo volitio est operatio in diuinis nostro modo intelligendi, & principium à quo fluit est potentia.

142 Respondet P. Herize, in Patre ipsam paternitatem, & in filio ipsam filiationem cum volitione esse principium producens potius, quam productiuum Spiritus sancti; nec in Patre & Filio esse potentiam respectu volitionis notionalis adhuc secundum nostrum modum concipiendi; sed solum respectu Spiritus sancti, respectu cuius proprie non est dicenda potentia, sed productio.

143 Sed contra, quia hoc est contra totam rationem principij productiui, & producentis; tum quia producens, vt producens duo dicit necessario, & posse producere, & actu producere; nam bene valet est producens: ergo potest producere. Sicut est volens: ergo potest velle; vnde ab actu ad potentiam euidens est consequentia; sed illud posse in diuinis distinguitur virtualiter ab actu producere; quia de ipsis verificantur prædicata affirmatiua, & negatiua; quia posse velle in diuinis, & producere conuenit realiter cum posse velle, & producere in creatis; & tamen actuale velle & producere in diuinis non conuenit realiter cum posse velle, & producere creaturarum; quia realiter posse velle, & producere distinguitur ab ipsa productione, & volitione actuali in creatis: ergo posse velle in diuinis, & posse producere se habent vt potentia, & actus, & vt productiuum, & productio; quia quatenus distinguuntur, habent ordinem prioris, & posterioris: ergo ordinem principij, & operationis, vt patet ex supradictis: ergo non est negandum in Deo modo nostro concipiendi dari voluntatem Dei per modum potentiæ, & per modum operationis fluentis ab illa potentia, & ideo omnes Theologi concedunt in Patre, & Filio absolute esse potentiam respectu Spiritus sancti; vnde D. Thomas *prima parte, q. 41. artic. 4.* concedit in Patre, & Filio potentiam ad actus notionales, quia sicut relatio supponit actum productionis, vt rationem fundandi, ita actus, seu productio supponit potentiam actiuam, à qua fit, & sicut necesse non est, actionem, quæ fundat relationem realem distingui realiter ab ipsa relatione, ita necessarium non est potentiam, à qua est generatio seu productio, distingui realiter ab ipsa generatione: ergo recte dici potest, esse in Deo potentia volitiua secundum rem respectu actuum notionalium & essentialium; sicut dicitur esse rationem fundandi secundum rem, vel fundamentum relationis Spiratoris actiui; ratione cuius inquit S. Thomas nuper citatus, Patrem, & Filium habere Spirationem actiuam, quia producunt Spiritum sanctum, & tamen Pater, & Filius non distinguuntur à productione actiua Spiritus sancti realiter: ergo similiter dicere possumus: Pater & Filius habent potentiam spirandi; quod à posteriori colligimus, quia spirant actu Spiritum sanctum; & sicut in Patre, & Filio datur triplex relatio, Paternitas videlicet, filiatio, & Spiratio actiua, etiamsi spiratio actiua, non distinguatur realiter à filiatione, & Paternitate; ita similiter nostro modo concipiendi datur potentia spirandi, à qua modo nostro concipiendi fluat spiratio actiua.

Nec valet dicere, dari in Deo magnam imperfectionem si ponatur potentia, & actus secundus, & dicatur actum secundum fluere à primo, sic Herize. 144

Non enim hoc valet dicere; quia aperte est contra principia ipsius Herize *tract. secundo, disputatione decimasexta, de libertat. volitionis diuinæ, capite decimo, numero 69. §. ergo sit manuductio*, vbi ait, volitionem diuinam fluere virtualiter ab essentia diuina, vt à principio, his verbis: [ vt in creatis voluntas libera nostra ab anima fluit prius intellectu affecta per modum accidentis, & formæ inhærentis fluxu reali, si realiter ab ipsa distinguitur; ita debemus intelligere à Deo intellectione actuali essentialiter constituto ( secundum nostram sententiam *disputatione tertia, capite tertio,* ) fluere virtualiter actualem volitionem rerum omnium: ] atqui volitio non distinguitur realiter ab essentia Dei, sed identificatur cum illa, & nihilominus virtualiter à parte rei, & formaliter nostro modo concipiendi fluit, & emanat volitio ab essentia diuina sine vlla imperfectione ex parte Dei, vbi debes concedere sine dubio potentiam in essentia diuina, seu actum primum, à quo emanet ipsa volitio, vt actus secundus, & conceptus secundarius, quia id quod fluit ab alio, connotat id à quo fluit, tanquam principium talis fluxus: sicut id, quod producitur ab aliquo, connotat id à quo producitur, tanquam principium eius, quia nihil aliud est principium, aut potentia, nisi primum in aliquo ordine; quod est potens vt ab eo oriatur, aut fluat aliquod; sed essentia diuina intellectione constituta est id, à quo fluit volitio diuina virtualiter: ergo est principium, & potentia talis 145

fluxus

fluxus virtualis, quia aliter non potest hoc concipi: ergo falso arguis, dicendo, fluxum virtualem volitionis à voluntate arguere imperfectionem; nec etiam debet arguere imperfectionem ex parte obiecti, sed solum in modo nostro concipiendi, quod volitio afficiat voluntatem divinam, & vniatur ipsi per modum actus vt denominet illam formaliter volentem; nam supposito, quod fluit, vt actus virtualiter, debet fluere vitali modo vniendo se potentiæ per modum formæ, alias formaliter non esset volens ex vi talis actus; quia potentia, vel quasi potentia non constituitur formaliter viuens in actu secundo, nisi per actum vitalem sibi vnitum intrinsecè, & informantem ipsam.

146 Quod hoc totum debes concedere necessariò in volitione respectu essentiæ; nam volitio diuina fluit ab essentia virtualiter, vt essentia per volitionem constituatur intrinsecè volens, actualiter, & non potentialiter, ac proinde viuens actualiter: ergo per modum actus vitalis, & formalitatis immanentis in ipsa intrinsecè: ergo talis volitio nostro modo concipiendi vnitur per modum formæ cum essentia; quia ex essentia, & volitione fluente ab illa resultat hoc concretum volens; sed in omni concreto datur materiale & formale, quod vniendo se per modum formæ tali materiali formalizet illud; atqui in illo concreto, essentia volens, essentia non est formale, tum quia supponitur ante volitionem, tum quia illi vltimo aduenit volitio: ergo volitio ipsa est formale; sed non extrinsecum formale: ergo intrinsecum sed non intrinsecum per identitatem virtualem, neque formalem per intellectum: ergo per vnionem virtualem, & formalem rationis; sed non per vnionem partis integralis: ergo per vnionem actus & potentiæ: ergo talis vnio inter perfectiones diuinas, licet indicet imperfectionem in nostra cognitione, nullam tamen imperfectionem refundit in Deum: ergo similiter fluxus volitionis à voluntate per modum actus secundi recepti primi vniendo se illi per modum formæ potentiæ, licet indicet imperfectionem ex parte nostræ conceptionis, nullam tamen indicat ex parte obiecti.

147 Dices cum Patre Herize volitionem respectu essentiæ diuinæ non esse actum informantem adhuc nostro modo concipiendi, sed potius actum subsistentem.

148 Sed contra; quia vel quando dicis, volitionem diuinam nullo modo esse actum informantem, sed subsistentem, dicis nullo modo vniri volitionem cum essentia, licet ab illa virtualiter fluat, sed solum extrinsecè assistere illi; hoc autem est falsum, quia ex essentia diuina, & volitione diuina resultaret vnum ens per accidens solum, & non vnum concretum intrinsecum viuens; patet consequentia, quia ex duobus entibus non vnitis inter se non resultat vnum concretum intrinsecum, viuens, aut vitale, etiam si vnum fluat ab alio, verbi gratia, ex Deo & creatura fluëte ab eo, Angelo nimirũ non resultat vnum ens per se, quia non vniuntur intrinsecè inter se; è contra vero ex personalitate Verbi diuini, & humanitate creata Christi resultat vnum concretum personale intrinsecum, quia vniuntur personalitas Verbi, & humanitas intrinsecè; sed per vos volitio diuina, quæ est actus subsistens completus, & essentia diuina, à qua fluit, non vniuntur intrinsecè, & per se, quia solum volitio assistit extrinsecè essentiæ: ergo non resultat vnum concretum intrinsecum ex illis; sed potius vnum ens per accidens, vt ex pluribus Angelis resultat vnum ens per accidens, quæ sunt plura entia completa sine vnione, ac proinde cum diuisione; quia diuisio datur inter duo, inter quæ non datur vnio; quia diuisio est carentia vnionis, aut per modum negationis, aut per modum priuationis: ergo similiter in nostro casu, si non vniuntur volitio, & essentia Dei, diuiduntur, & separantur, & ex alio capite sunt completæ formalitates: ergo nullo modo constituunt vnum concretum intrinsecum, sed potius vnum ens per accidens; neque Deus potest esse volens intrinsecè, & formaliter, quia actus assistens non constituit formaliter concretum intrinsecum; quis enim vnquam dixit, intelligentiam extrinsecè assistentem cœlo, constituere cum ipso quoddam concretum per se intrinsecum? & ponamus casum qui de facto contingit in Beatis; nam intellectio Dei, & volitio diuina intime est præsens intellectui, & voluntati animæ, sicut toti substantiæ Beati, & nihilominus non constituitur voluntas volens, & intellectus intrinsecè intelligens, & viuens formaliter intrinsecè, quia intellectio, & volitio diuina sunt actus subsistentes, & non intrinsecè vniti per modum actuum vitalium talibus potentiis, sed solum extrinsecè assistunt illis. Si autem per impossibile vnirentur formaliter per modum actus talibus potentiis, sine dubio ex illis resultaret vnum concretum intrinsecum, videlicet viuens & intelligens.

Atqui per vos volitio diuina est solum actus 149
extrinsecè assistens essentiæ diuinæ, & non vnitur nostro modo concipiendi cum tali essentia intrinsecè, & formaliter per modum formæ potentiæ: ergo essentia diuina non viuit formaliter per talem volitionem, neque est volens formaliter: sed hoc est falsum: ergo volitio non solum assistit nostro modo concipiendi essentiæ diuinæ, sed intrinsecè vnitur illi per modum actus vitalis potentiæ vitali, & hoc sine imperfectione ex parte Dei, cum imperfectione tamen ex parte nostræ conceptionis.

Vrgetur, quia nullus est Theologus, qui non 150
fateatur in Deo diuinam essentiam, cuius proprietates essentiales, & personales assignant, quasi deitatis passiones, vel attributa vt immensitas, iustitia, bonitas, &c. quæ attributa inter se, & ab essentia diuina formaliter distincta pene omnes concedunt, quorum aliqui asserunt, formaliter omnia inter sese mutuo includi & in essentia, & rursus essentiam in quolibet, quasi quid transcendens imbibi; alij vero docent formaliter inter se, & ab essentia mutuo excludi; omnes tamen docent, quodlibet attributum habere prædicatum aliquod speciale, quod ab essentia, & à reliquis distinguatur, & quod fluat saltem nostro modo concipiendi ab essentia per quandam virtualem emanationem, non quidem transeuntem, sed potius formaliter immanentem, & intrinsecè constituentem in esse vnius per se concreti, ratione vnionis intrinsecæ cum ipsa essentia, verbi gratia, Deus est sapiens, & omnipotens, bonus, & immensus; quia siue immensitas formaliter sit bonitas, siue formaliter sit Deitas, siue non, est tamen prædicatum, quo Deus formaliter redditur præsens omnibus rebus, quod non præstaret formaliter sola Deitate, etiam si hæc includatur in illa, saltem implicite, & sic in reliquis attributis.

151 Ita similiter dicimus actum primum in Deo esse prædicatum quoddam, quo Deus dicitur potens velle, seu quo est intellectiuus, hoc est habens capacitatem ad intelligendum, & idem est de voluntate, & sicut omnes Theologi concedunt ex parte principij primi intellectionem, saltem vt conditionem ad actum volitionis notionalis vel essentialis, siue includatur in intellectione Deitas, siue non; ita etiam nos dicimus ex parte actus primi vt principij primi, & potentiæ esse voluntatem, quæ est radicale principium, & potentia volitionis, seu radix volitionis quæ est actus secundus vitalis supponens primum, à quo est, vel cuius est actus.

## SECTIO VLTIMA.

*Argumenta aduersaria soluuntur.*

152 AD locum D. Augustini respondeo, S. Doctorem solum identitatem formalem à parte rei intendere illis verbis; & idem dicimus de Dionysio, & Maximo, similes enim omnino loquutiones vsurpant, dum de aliis perfectionibus diuinis agunt, quæ tamen secundum aduersarios quidditatiue metaphysice non constituunt diuinam essentiam; vnde S. Nizenus loquens de veritate Dei, & immensitate ipsius sic ait: [immensus est, verus est, iustus est, non quod aliud, & aliud sit iustitia, immensitas, & essentia; immensus enim, iustus, & verus per essentiam est; quare sua immensitas, veritas, & bonitas sua essentia est.] Et idem docet *libro 9. contra Eunomium*; neque aliter loquitur S. Maximus adductus à Ioanne Cyparisiota *decad. 10. capite 4.* dum loquitur de omnipotentia Dei, quæ in sententia aduersariorum attributum, & non essentiale constitutiuum metaphysicum; vnde ait, [potentiam Dei non esse aliud, quam eius substantiam, & essentiam:] & in vniuersum, S. Cyrillus apud eundem Cyparisiotam *capite 7.* inquit, [non est quidquam aliud ipse, & aliud quid & aliud Pater, & aliud Verbum in ipso Deo, idem enim Verbum & diuinitas sunt; simplex enim & sine compositione est diuinitas cum relatione; licet relatio à relatione, persona à persona, mirabiliter discretione reali secernatur.] Ecce quomodo inter relationem, & essentiam, quæ non est de essentia diuinitatis petit identitatē, eodem modo ac inter perfectiones alias, imo addit statim; [non aliter diuinitas cum sapientia quam cum misericordia, quam cum iustitia, quam cum sapientia vnum est; simplex enim, & sine compositione est.] Vbi solum asserit identitatem, quæ excludat omnem compositionem, non autem quæ indicet constitutionem quidditatiuam metaphysicam; alias non solum sapientia, sed & relationes & cætera attributa metaphysice essentialiter constituerent diuinam essentiam quod ipsi aduersarij negant; quia quoad hoc eodem modo loquitur S. Doctor de sapientia, ac de illis; vnde S. Augustinus, & S. Leo Papa enumerantes sapientiam cum aliis diuinis perfectionibus, scilicet æternitate, immensitate, veritate, & iustitia, eodem modo loquuntur de identitate istarum ac de identitate sapientiæ: ergo sicut non propterea concedunt immensitatem, misericordiam, iustitiam, &c. metaphysice constituere diuinam essentiam; ita etiam non concedunt de sapientia; imo S. Dionysius aliquando asseruit, bonitatem Dei non esse posteriorem essentia Dei, vbi si loquitur de bonitate eo modo, quo supra explicuimus, pro nobis est; si autem loquatur de bonitate, vt est attributum, aperte manifestat S. Doctorem solum loqui de rebus vt sunt à parte rei, ac proinde negat dari prioritatem inter essentiam, & bonitatem; nam si nostro modo concipiendi loquendum sit, non potest dubitari, quin essentia prior sit bonitate sumpta pro attributo.

Ad secundum argumentum ex ratione petitum 153
nego maiorem, quia Deus non constituitur metaphysice vltimo per vitam intellectualem, sed potius per asseitatem quæ solum Deo conuenit, cum vita intellectualis etiam creaturis conueniat. Item distinguo Minorem, ex parte obiecti, & à parte rei concedo; modo nostro concipiendi, nego, vt patet ex supradictis; vnde fallitur Herize dicendo, omnes conuenire in hoc, quod Deus constituatur vltimo per gradum intellectualem; nam licet omnes Doctores concedant constitui quidditatiue, & essenialiter per talem gradum, nihilominus probatiores Doctores negant vltimo constitui per illum; vt patet ex rationibus à nobis adductis, quia impossibile est, vt aliquid vltimo constituatur per aliquam formalitatem, cum qua conuenit cum aliis, à quibus vltimo distinguitur; nam potius vltimum distinctiuum debet assignari pro constitutiuo vltimo, quam aliud, quod non est vltimum distinctiuum, cum autem gradus intellectiuus non distinguat vltimo, ideo non assignatur à nobis, vt vltimum constitutiuum essentiale, etiam si vt constitutiuum quidditatiuum superius assignetur.

Ad probationem à priori nego vniuersaliter, 154
rationem vitæ ex suo genere esse perfectissimam omnium, quæ reperiuntur in Deo, quod in secunda ratione pro nostra conclusione adducta aperte demonstrauimus; nam asseitas perfectior est intellectione, & gradu intellectiuo in diuinis: ergo illa, & non hic debet vltimo constituere Deum.

Præterea maxime fallitur Herize, dum ait eo 155
modo debere nos constituere Deum vltimo, quo videmus constitutas creaturas, aliàs non esset vltima constitutio diuina; nam constitutio vltima debet esse per aliquod prædicatum, quod soli Deo conueniat, & non creaturis: ergo ad inuestigandam hanc vltimam constitutionem omnino recedendum nobis est à constitutione vltima creaturarum; sicut quando agimus de vltima constitutione hominis, debemus omnino recedere à constitutione reliquorum animalium; vt distinguamus eum ab illis; imo non videtur hæc doctrina Herize constare cum principiis eiusdem, nam ipse docet nullam creaturam constitui vltimo per intellectionem, & ex alio capite affirmat, Deum cōstitui vltimo per intellectionē, addendo hæc verba, in quibus est oppositio, & contradictio cum dictis principiis: [porro cum nos agimus de constitutiuo per rationem nostram naturæ diuinæ, eo modo constituere eam debemus, quo constitutas videmus, & consideramus naturas omnes creatas, imo & creabiles, etenim alius modus constituendi naturam commentitius est, & sine vllo fundamento; atqui omnis creatura constituitur per gradum eius perfectissimum: ergo pariter natura diuina per rationem nostram debet ita constitui, &c.] Ex his contra te sic argumentor.

Per

156 Per te cum agimus de constitutiuo per rationem nostram naturæ diuinæ, eo modo constituere eam debemus, quo constitutas videmus, & consideramus naturas omnes creatas, imo, & creabiles, etenim alius modus constituendi naturam commentitius est, & sine vllo fundamento; atqui in tota latitudine entis creati, aut creabilis nulla creatura est, neque excogitari potest, quæ constituatur per intellectionem actualem, sed potius per gradum intellectiuum: ergo constitutio tua exorbitans ab hac regula vniuersalissima per te erit commentitia, & ficta sine fundamento; quare quidquid respondeberis ad hoc argumentum, respondebo tuo, & sic aut contradictionem involuit ratiocinatio tua, aut nihil probat contra nos.

157 Deinde concedo libenter consequentiam illam penultimam, videlicet quod Deus constituatur vltimo per gradum omnium perfectissimum, qui reperiuntur in ipso formaliter: deinde nego minorem; nam falsum includit tum dicendo gradum intellectiuum in Deo esse perfectiorem gradu aseitatis, vt probaui ratione secunda supra citata, & similiter fallitur aduersarius, dicendo ex communi sententia Doctorum vera gradum intellectiuum perfectiorem esse omni contento in Deo; potius enim veritas dictat asserendum sine vlla dubitatione, gradum aseitatis perfectiorem esse intellectiuo, ac proinde ipso constitui debere.

[158 Deinde non possum non mirari, quod Auctor alioqui sapiens, & Doctus ad probandum *tract. 1. disp. 2. c. 3. num. 24. §. His præiactis* non dari in Deo actum primum intelligendi, hæc verba proferat, quibus totam suam ratiocinationem fundet; [sed ratio nostra Deum vt est in se concipiens, adscribere Deo non potest prædicatum, quod ex ratione essentiali involuit imperfectionem: ergo nec per rationem constitui potest in Deo potentia intelligendi radicalis, aut formalis;] nam illud principium falsissimum est; tum quoad primam partem, tum quoad secundam, in prima enim supponit, nos Deum cognoscere vt est in se, & ideo ait [ratio nostra Deum vt est in se concipiens,] & ideo eruit in conclusione, non debere nos, qui in hac vita sumus, concipere in Deo actum primum, & secundum, falsitas autem huius suppositi manifeste, & euidenter patet, quia cognoscere Deũ vt in se est, est cognitio intuitiua Dei, ac proinde est visio beatifica, vt patet ex Ioanne Euangelista 1. *Epist. cap. 3.* ibi [cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus Deũ sicuti est.] Vbi definiens D. Ioan. visionem beatificam, seu intuitiuã Dei, asserit esse cognitionem Dei, sicuti est, & vt in se est, ex qua veritate colligit D. Thomas 3. *p. q. 5. art. 3.* non posse beatum cognoscere in Deo vnam perfectionem non cognita alia, quia cum videat intuitiue Deum, necessario cognoscit ipsum vt in se est, sed in se non habet vnam perfectionem sine alia: ergo beatus non concipit vnam perfectionem sine alia, quia iam conciperet Deum, non vt est in se, sed aliter, ac est: verba D. Thomæ sic se habent, [qui cognoscit eum vt est in se, impossibile est quod circumscribat aliquid à Deo per intellectum, & aliud remaneat, &c.] Ecce Angelicus Doctor visionem beatificam definit, dicendo esse cognitionem Dei, vt est in se: quod ipse P. Herize probat latissime *tract. 4. disp. 50. cap. 1.* sed præcipue *cap. 2. per totum*, vbi ait, visionem intuitiuam Dei nihil aliud esse, quam cognitionem ipsius, vt est in se, ex qua definitione concludit idem quod S. Thomas collegerat, videlicet non posse vnam perfectionem concipere beatum, non concepta alia; atqui secundum fidem catholicam non potest dici, in hac vita nos habere visionem beatificam, præcipue quando loquimur de conceptione nostra naturali, vt late probat ipse Herize *disp. 36. cap. 1.* ergo nos non concipimus, neque cognoscimus Deum vt est in se, quia abstractiue, & non intuitiue cognoscimus eum, hoc est per alienas species: ergo falsum est suppositum talis propositionis loquentis de nobis, [ratio nostra Deum vt est in se concipiens.] Quæ vera esset, si loqueretur de beatis, ac proinde falsa est tota illa minor, quæ falsitate suppositi imbuitur, & inficitur necessario secundum illud axioma Dialecticorum, ex falso non nisi falso. Deinde falsitas secũdæ partis patet manifeste; quia quando nos concipimus in Deo actum primum, non attribuimus Deo talem imperfectionem actus primi, vt supra late demonstraui contra ipsum Herize, solum remanet illa imperfectio ex parte nostræ conceptionis, videantur supradicta, & aduertatur, si argumentum alicuius momenti esset, probare etiam nullo modo posse concipi Deum ad modum lucis solis, &c. quod est absurdum; vnde argumentum hoc tantum probat, vt nihil probat.

Vnde fatemur quidem Deum esse purissimum actum, quatenus in eo nulla realis potentia datur, quæ perficienda sit per intellectionem realiter productam ab ea, distinctam ab eadem, & receptam in ipsa, quod vero nos ratione nostræ fragilitatis, & imperfectionis distinguamus actum primum, & secundum, nihil derogat diuinæ perfectioni, neque dedecet purissimam actualitatem, diuinæque Maiestatis excellentiam, neque est maior ratio, cur non dedeceat Deitatem esse actum primum à quo virtualiter fluat volitio diuina vt aduersarij concedunt quam esse actum primum intellectum diuinum respectu intellectionis diuinæ, & voluntatem respectu volitionis, vt ab eis fluant virtualiter volitio, & intellectio; vnde sicut in primo modo, licet detur imperfectio ex parte nostræ conceptionis, non tamen attribuitur Deo talis imperfectio; ita similiter in secundo, neque vlla ratio disparitatis poterit assignari, cur dedeceat Deitatem esse radicale principium intellectionis, & non dedeceat, esse radicale principium bonitatis, immensitatis, relationis, & modo nostro concipiendi; nam huiusmodi attributa sunt extra essentiam Deitatis metaphysice conceptam, & tamen Deitas sine illis realiter esset valde imperfecta, vt probant latissime P. Suarez, Vasquez Ruiz *tomo de volunt. disp. 3 sect. 3. num. 26. & tomo de Trinit. disput. 29. sect. 3. & 4.* & nouissime Alarcon *tract. de Trinit. disp. 2. cap. 13.* Sicut ergo naturam Angeli explicamus per gradum intellectiuum substantialem distinctum ab intellectione actuali realiter; ita in Deo nostro modo concipiendi metaphysice, & præcise explicamus essentiam non per intellectionem increatam, (quia illam concipimus per modum operationis, quæ quatenus talis supponit essentiam actu vltimo complete constitutam, vt videmus in creaturis secundum illud axioma, omne quod operatur, operatur in quantum est actu, id est in quantum supponitur iam complete constitutum, tum, vt sæpissime explicat Angelicus Doctor *lib. contra Gentes*, præcipue *quarto*, sed potius per gradum substantialem intellectiuum non in hoc gradu sistentem, & præcise conceptum, sed potius vltimo formalizatum per aseitatem, vt sæpe docui.

Ad tertium argumentum respondeo, Patres, 159

& Doctores Ecclesiæ asserere Deum significare naturam diuinam, non secundum prædicata quidditativa, sed potius secundum operationem illius, vt expresse docet S. Damascenus *lib. 1. fidei, cap. 12.* vbi loquens de hoc nomine, Deus, sic ait [ eo non significari, quid Deus sit, sed operationem eius, nempe cognitionem. ] Quid clarius, & euidentius? unde alibi docet ex Dyonisio nomen Deus, secundum esse respectu Dei, quia secundario conuenit Deo, eo quod operationem significet; nomẽ autem primum asserit esse [ qui est à se: ] ergo ex nomine Dei nihil potest colligere argumentum.

160 Ad confirmationem concedo antecedens, & consequens; ad id autem, quod ponitur §. dicitur vero emanare: dico Verbum diuinum emanare per intellectionem; quia Pater ex vi processionis, vt per productionem communicat illi eundem gradum substantialem intellectivum à se, quem habet in seipso, & ex hac parte formalissime Verbum diuinum procedit, vt filius, & vt simile in natura Patri; unde nostro modo concipiendi non dicitur Verbum diuinum accipere communicatam à Patre intellectionem tanquam naturam diuinam, sed potius tanquam operationem; diuinam autem naturam accipit communicatam, quia formalissime ei communicatur mediante intellectione gradus intellectivus à se substantialis. Exemplo declaratur hoc: quia vnus homo non dicitur filius alterius, quia accipit à Patre operationem, per quam producitur, sed potius, quia accipit ab eo naturam substantialem, viuentem, intellectualem, media tali operatione, & productione; quia talis operatio, & productio realiter non est constitutivum viventis intellectualis essentialiter: ergo similiter licet Pater communicet Filio in diuinis, vt vere communicat, non tamen formalissime ideo dicimus communicare ipsi naturam diuinam, sed potius operationem; dicimus autem communicare illam formaliter, quando communicatur ex vi talis intellectionis gradus intellectivus à se substantialis, quia primario constituitur natura divina per illum; & hæc est genuina mens D. Thomæ 1. *p. q. 27. art. 2.* vnde fallitur Albis docendo, S Thomam ideo asserere, Verbum diuinum esse Filium genitum à Patre quia intelligere divinum est formalissime metaphysice, & non solum identice essentia Dei, alias sibi manifeste contradiceret Angelicus Doctor, siquidem 1. *p. in præfatione quæstionis 14. & toto art. 4. eiusdem quæstionis, & quæst. 1. de potentia*, docet intelligere, & velle Dei non esse essentiam Dei, sed operationem ipsius, vt patet ex supradictis: ergo ne hoc absurdum sequatur, dicendum est Albis non penetrasse mentem tanti Doctoris; neque hunc locum cum aliis contulisse, vt ex toto contextu verborum D. Thomæ nucleum verum, & non fictum eruueret; hoc enim reprehendit axioma illud Iurisperitorum [ inciuile enim est, nisi tota lege perspecta iudicem iudicium ferre. ]

161 Ad primum argumentum secundæ sententiæ concedo antecedens, & distinguo consequens, intelligitur aggregatum, vt sic loquar volitionis, & intellectionis si sumatur essentia metaphysice & formaliter, nego; si sumatur integraliter, aut physice, concedo, & in hoc sensu non solum volitio & intellectio, sed etiam omnia attributa constituunt Deum, quia quidquid in Deo est, Deus est.

162 Ad secundum argumentum respondeo, dupliciter posse considerari Deum primo metaphysice, ac præcise quatenus est radix attributorum, &c. & hic est sensus, de quo hic controvertitur, & secundum hunc modum concipiendi, & in ratione radicis est essentia, qua alia excogitari non potest, etiam si non concipiantur in illo conceptu attributa omnia, quia est infinita simpliciter, cui debentur per identitatem omnes perfectiones simpliciter simplices ratione asseitatis, & ratione talis perfectionis nullo modo potest alia essentia comparari cum ista, quia omnis alia finita, limitata, & imperfectissima est, imo ipsa diuina essentia quatenus radix metaphysica, & quaternus nostro modo concipiendi eminenter continet cæteras perfectiones à se virtualiter fluentes, si comparetur cum seipsa, quatenus iam in se habet formaliter omnes perfectiones, quæ ab ipso fluere concipiuntur, & quatenus non solum radicaliter, sed formaliter est sapiens, bona, immensa, &c. non dicitur essentialiter, sed solum integraliter non methaphysice, sed physice minus perfecta, quia hoc secundo modo concepta essentia non addit aliquod prædicatum essentiale, sed solum proprietates & attributa; quapropter, si primo modo concipiatur, est quædam essentia, qua alia excogitari non potest perfectior; si autem secundo modo non solum essentialiter, & methaphysice, sed etiam physice, & quasi integraliter est perfectior infinite quacũque excogitabili distincta ab ipsa; ad hanc autem constitutionem non solum requiritur intelligere, & velle, sed etiam misericordia, iustitia, relationes, &c. Vnde argumentum illud maxime redolet inefficaciam Authoris.

Ad confirmationem concedo antecedens, & 163
consequens primum; distinguo vltimum consequens; non concipimus essentiam Dei integraliter, & physice concedo, non concipimus essentiam Dei metaphysice, concipiendo sapientiam radicalem à se, hoc est gradum intellectiuum substantialem increatum, nego consequens; si autem adversarius loquatur de sapientia formali, alsero etiamsi aliquis concipiat sapientiam, non solum præcisam à volitione, & reliquis attributis, sed etiam simul cum illis; non concipere essentiam metaphysicam Dei, sed solum operationes, & attributa Dei; quia essentia Dei formalissime neque per intellectionem, & volitionem, neque per reliquas perfectiones attributales constituitur, sed solum per substantiam intellectivam à se; unde quando dicit adversarius, essentiam Dei nihil aliud esse, quam omnem pefectionem simpliciter simplicem, si loquatur de essentia integraliter, aut physice concepta, concedo; si loquatur de essentia metaphysice nego; metaphysice enim concepta essentia solum includit gradum entis, substantiæ vitalis, gradum intellectualitatis à se; intellectionem autem aut volitionem nullo modo includit in primo conceptu, tum quia intellectio, & volitio nostro modo concipiendi est operatio, quæ oritur à potentia intellectiva in diuinis, & volitiva, vt expresse docet D. Thomas. 1. *p. q. 25. art. 1. ad 3.* vbi cum dixisset, non salvari ratione potentiæ in Deo in ordine ad divinas actiones immanentes, sic statim limitat, [ nisi forte secundum modum intelligendi, pro vt divina essentia, quæ in se simpliciter præhabet quidquid perfectionis est in rebus creatis potest intelligi & sub ratione actionis, scilicet intellectionis, & volitionis, & sub ratione potentiæ; sicut etiam intelligitur; & sub ratione suppositi habentis naturam, & sub ratione naturæ. ] Eandem

ibi: [respectu actuum intelligendi non potest saluari ratio potentiæ in Deo nisi secundum modum intelligendi, & significandi tantum, prout diuersimode significatur in Deo intellectus, & intelligere, cum tamen ipsum intelligere Dei sit eius essentia, vtique à parte rei non habens principium.] Quid euidentius, & clarius, seu distinctius poterat loqui D. Thomas, siquidem asserit à parte rei intelligere diuinum esse idem quod essentiam, ac proinde non esse operationem realiter, neque potentiæ rationem habere essentiam respectu intellectionis; nihilominus tamen modo nostro concipiendi ait Angelicus Doctor essentiam esse potentiam, & intellectionem esse operationem, ac proinde essentiam, & operationem esse actum primum, & actum secundum eodem modo loquitur 2. *contra Gentes, cap.* 10. ibi: respectu actionum immanentium intelligendi, & volendi non datur in Deo potentia, nisi secundum modum intelligendi,] quod clare etiam docet *in* 1. *distinct.* 42. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 4. ibi: [Deus non agit operatione media, quæ sit aliud ab essentia sua, sed suum esse est suum operari, & suum operari est sua essentia, nihilominus tamen essentia significatur vt principium, & eadem ratione potest significari potentia vt principium operandi, vtique respectu intellectionis.]

164 Tum etiam; quia intelligere nostro modo concipiendi præsupponit esse completum essentiale, vt supra demonstrauimus; quia intellectio in diuinis præsupponit primum intelligibile, & primum intelligibile præsupponit primum esse, quia primum esse est essentia, & intelligibilitas passio.

165 Opponit nobis Fasolius *q.* 1. *de Dei perfectione, art.* 2. *dub.* 7. D. Augustinum *lib.* 14. *de Trinit. cap.* 8. *in fin.*, vbi gradum intellectiuum docet esse principalem in homine, & in eo reperiri imaginem Dei, quod probat, quia [quamuis mens humana non sit eius naturæ, cuius est Deus, imago tamen naturæ eius, qua natura nulla melior est ibi quærenda, & inuenienda est in nobis, quo etiam natura nostra nihil habet melius.] Et ipse Augustinus citatus à D. Thoma 1. *p. q.* 93. *art.* 2. *lib.* 83. *quæstion. q.* 51. *post principium*, ait [res, quæ tantummodo sunt, nec tamen viuunt, aut sapiunt, non perfecte, sed exiguè sunt ad similitudinem Dei, quæ viuunt, & non sapiunt, paulo amplius participant similitudinem, quæ sapiunt ita illi similitudini proxima sunt, vt in creaturis nihil sit propinquius;] Et inde statim colligit, nihil homine esse Deo coniunctius, si igitur secundum Augustinum creatura magis assimilatur Deo in sapiendo, siue intelligendo, quam in viuendo, imo nulla maior similitudo esse potest, quam in intelligendo: ergo essentialis gradus magis proprius, & præcipuus Dei non est esse, aut vita, sed intelligere: ergo hoc est concipiendum, vt gradus maxime proprius, ac proinde vt vltima differentia constitutiua diuinæ essentiæ.

166 Sed contra, quia ex his verbis D. Augustini manifeste colligitur, neque gradum intellectiuum, neque intellectionem esse vltimum constitutiuum diuinæ essentiæ, quod sic euidenter demonstratur, quia D. Augustinus inquit, creaturam intellectualem maxime assimilari Deo, tum in gradu intellectiuo, tum in intellectione ipsa euidenti, vt patet ex illis verbis, [quæ sapiunt, ita illi similitudini proxima sunt, vt in creaturis nihil sit propinquius,] sapere enim non solum gradum intellectiuum significat quasi in actu primo, sed potius intellectionem euidentem, & scientificam: ergo intellectio diuina conuenit cum intellectione creaturæ, & idem est de gradu intellectiuo: sed differentia vltima Dei nullo modo potest conuenire cum creaturis: ergo gradus intellectiuus, & intellectio sub ratione intellectionis non potest esse vltimum constitutiuum Dei. Minor sic demonstratur; quia vltimum constitutiuum Dei, quatenus distinguitur à constitutiuis superioribus & communibus Deo, & creaturis est pura, & adæquata differentia totaliter distinguens Deum à creaturis, ita vt per illam quoad explicitum omnino differat Deus & distinguatur, seu disconueniat respectu creaturarum; sed id per quod aliquid pure, totaliter & adæquate distinguitur ab alio nullo modo potest conuenire illi à quo distinguitur, vt videre est in rationalitate hominis, quæ quia differentia vltima est, nullo modo conuenit aliis ab ipso hon ine, & constitutiuum vltimum Seraphini soli illi, & nulli alteri conuenit, quia est vltima, & pura differentia illius, quapropter si conueniret aliis, nullo modo esset vltima differentia, & vltimum constitutiuum; quapropter viuere non est vltimum constitutiuum Dei; quia non solum Deo, sed multis aliis à Deo conuenit; ergo vltimum constitutiuum nulli præter Deum debet conuenire, quia est pura differentia Dei, quapropter in Deo triplex genus prædicatorum quidditatiuorum concedimus, scilicet primum vt ens, quod ita est pura conuenientia, vt per illud nullo modo differat Deus, sed potius adæquate conueniat cum omnibus rebus creatis, aliud prædicatum est inter primum, & vltimum, videlicet intercedens, quod neque est pura conuenientia, nec pura differentia, sed mixtum ex conuenientia, & differentia; quia per illud partim conuenit Deus, partim differt, vt viuens, quia per illud conuenit cum omni creatura viuente substantiali, differt tamen per illud à substantiis non viuentibus; pura autem, & vltima constitutiua ratio est tertium genus prædicati, quod immediate, & adæquate opponitur primo prædicato constitutiuo, in hoc quod illud est totum, & totaliter ratio conueniendi, aut pura conuenientia sine vlla ratione differentiæ ex parte sua, hoc autem è contra est totum, & adæquate ratio differendi, id est omnimoda, & pura differentia sine vlla ratione conuenientiæ quoad expressum; vnde quasi indiuisibile concipitur, & irresolubile in duos conceptus, alterum conuenientiæ, alterum disconuenientiæ; ex quo euidenter colligitur à differentiis vltimis quoad expressum non posse præscindi aliquam rationem communem, & sic à rationalitate, & irrationalitate nihil commune potest abstrahi, vt ex certa & communi metaphysica suppono, alias daretur processus in infinitum.

Sed gradus intellectiuus & intellectio actua- 167
lis non est pura disconuenientia, & differentia, neque per illam adæquate, & totaliter differt Deus ab omni creatura, sed potius partim conuenit cum aliquibus, videlicet cum homine, & Angelo, partim per illam differt à non intellectiuis creaturis: ergo sicut, quia non est pura, & adæquata conuenientia cum omnibus creaturis, non est primum constitutiuum Dei; ita similiter quia non est pura differentia non est vltimum constitutiuum Dei, ac proinde docet D. Augustinus locis citatis creaturas perfectissimas conuenire cum Deo in ratione intelligendi, & intellectiui: ergo tantum ab-

est

est, quod verba D. Augustini faveant adversariis, quin potius labefactent evidenter eorum falsitatem; sicut etiam locus D. Thomæ citatus ab eodem Fasolio *num.* 53. pro se nobis maxime patrocinatur, propugnatque nostram veritatem, oppugnatque adversariorum falsitatem; verba Angelici Doctoris continentur *1. p. q. 26. art. 2. in corpore*, ibi: [beatitudo significat bonum perfectum, intellectualis naturæ; & id, quod est perfectissimum in qualibet intellectuali natura, scilicet intellectualis operatio, secundum quam capit quodammodo omnia.] Ecce D. Thomas intelligere Dei vocat operationem, in qua consistit, vt ipse ait, beatitudo Dei formalis; sed beatitudo formalis, quæ est operatio præsupponit essentiam beati vltimo constitutam per alia prædicata essentialia distincta ab operatione; quia omne quod operatur, est in actu, antequam operetur, vt docet ipse Angelicus Doctor *lib. 1. contra Gentes, cap. 4. & lib. 2. cap. 5. & quæst. 1. de veritate, art. 2. & quæst. 1. de potentia, art. 4. ad 3.* ergo euidenter sequitur ex D. Thoma, & ex ipsorum adversariorum sententiis intellectionem diuinam non esse vltimum constitutiuum diuinæ essentiæ.

## QVÆSTIO VLTIMA.

*Vtrum Deus constituatur per asseitatem, seu esse infinitum simpliciter per essentiam.*

### SECTIO I.

*In qua sententia aduersaria proponitur.*

PRIMA Sententia docet infinitatem per essentiam esse à se, seu independentiam simpliciter, ita P. Hurtado in metaphysica *disp. 20. de Deo sect. 2. num 20.* & omnes illi, qui docent, intellectionem actualem esse vltimum constitutivum Dei. Probatur primo, quia vltimum constitutiuum Dei essentiale metaphysicum non debet conuenire aliis distinctis ab essentia; sed esse à se, aut infinitudo per essentiam non solum convenit essentiæ diuinæ metaphysice conceptæ, sed etiam omnibus attributis, & relationibus, quia hæc est vera propositio, Paternitas est ens à se, misericordia est infinita per essentiam, iustitia est omnino independens in omni genere causæ: ergo asseitas non est vltimum constitutivum divinæ essentiæ. 1

Confirmatur, ac declaratur; nam licet iste conceptus sit proprius solius Dei, & per illum possit à creaturis distingui, non tamen sufficit, quia opus est, vt eum concipiamus quidditatiue in aliqua differentia quasi completa, quæ sit radix, & origo attributorum; non enim sufficit quiuis conceptus proprius ad constituendam naturam, sed ille, qui non attribuitur aliis, neque ab eis oritur ratione nostra, sed à quo cæteri vt patet tum in homine, cuius risibilitas non est quidditatiuus illius conceptus, quia oritur ex rationalitate; tum in Deo, cuius relationes, & iustitia non sunt quidditatiuus illius conceptus: Recurrendum ergo ad primam vnam radicem cæterorum; nam conceptus secundarij sunt attributa, quia attribuuntur primario; attribui autem est eos adscribi primario, illum reddendo pro prima radice cæterorum; vt quare Deus se amat? quia se cognoscit; ecce amor attribuitur cognitioni, tanquam rationi in propositione causali; cognitio autem non attribuitur amori tanquam rationi, est enim mala causalis hæc; ideo Deus se cognoscit, quia se amat: ergo cognitio non est attributum amoris; sicut amor cognitionis. Vbi aduerte, actualem nostram considerationem nihil interesse conceptus primarij, au secundarij, nisi in quantum ex parte ipsorum præbetur fundamentum, quo per virtualem distinctionem intellectus ita est ratio amoris, ac si physice esset illius principium, si realiter distingueretur. Quæritur ergo conceptus ille, à quo orirentur cæteri absoluti, tanquam à vera causa, si essent realiter distincti; ille enim erit ratione nostra radix cæterorum: igitur ens à se non esse conceptum, cui cæteri attribuuntur; patet, quia relatio formaliter, vt relatio est ens à se, & tamen vt relatio formaliter non est ratio, cui attribuatur amor, scientia visionis, prouidentia, &c. ergo ens à se non est, cui attribuuntur cæteri conceptus. Patet consequentia, quia si illi tribuerentur, vbicumque esset attribuerentur; cur enim magis hîc, quam alibi? antecedens patet, quia relatio vt relatio tantum seruit oppositioni relativæ, & constituit originem activam, aut passivam; nam filiatio v. g. non est ratio formalis, cui attribuatur iustitia, sicut neque cæteris relationibus: ergo natura Dei in ratione naturæ aliquid addit supra ens à se, cui cæteri conceptus attribnautur.

### SECTIO II.

*Nostra sententia ponitur, & probatur, primo auctoritate.*

CONclusio: Deus vltimo & formalissime constituitur per asseitatem, quæ infinitas per essentiam simpliciter est. Probatur primo auctoritate D. Augustini, qui volens assignare distinctivum proprium Dei respectu creaturarum, omniumque rerum, quæ non sunt Deus; docet nihil aliud esse, quam imparticipationem ab alio, seu à se, his verbis. *lib. de cognitione veræ vitæ, cap. 7.* [Porro summus spiritus, sicut à nullo intellectu valet proprie cogitari, ita nulla definitione potcrit proprie definiri, vel determinari. Si autem aliquis insipiens, tantum desipiat, vt Deum esse diffidat, hunc solum vere esse, & alia omnia ab ipso habere esse hac ratione colligat omnis substantia, aut per se subsistit, aut per aliud; sed hunc mundum non subsistere qui contendit hic fatuus in nihilum tendit; mundum autem non per se subsistere constat, dum eum ratio cœpisse doceat, partibus enim constat; omne autem quod partibus coniungitur, vel in partes resolvitur, ab aliquo vtique coniunctionem, vel resolutionem patitur; mundus ergo non per se subsistit, & ideo sequitur, quod creatura sit, creatura autem ad aliquid, scilicet ad creatorem refertur, solus ergo creator per seipsum & in seipso existit; omnis autem creatura per ipsum susistit, si enim ab alio esse habet, tunc Deo maius est, à quo hoc habet, quod Deo inconveniens est, & cum nihil præter Creatorem, & creaturam existat, si Deus per seipsum non habet 3

bet esse, necessario consequitur, vt per creaturam existat, quod inconuenientissimum est. Amplius, substantia mundi in diuersa genera, & in differentes species diuiditur, & his singulis bonum inuenitur; omne enim vtile bonum, vniuersa quippe vtilia considerantur, & ideo singula bona comprobantur; omne autem bonum, aut per se bonum est, aut per aliud: sed diuersa bona participatione vnius boni imparticipati bona esse necesse est. Diuersitas quippe recipit maius, & minus. Nam quantum ad genus lapis est minus bonum, &c.] Et paulo infra [restat igitur his maximum & summum bonum, de quo omnibus inferioribus profluat bonum ipsumque à nullo profluat, quia summum, & ideo non ab alio, sed à se; & hoc bonum Deus est, de quo quasi de fonte cuncta bona profluunt, & in eundem cuncta refluunt, hic solus vere est, & ideo veritas est; creatura autem ei collata quasi non est, omne enim quod ex nihilo esse cæpit, in nihilum redigi poterit; sed omnis creatura ex nihilo à Deo producta ad aliquid esse est producta: igitur si ei comparatur nihil esse probatur: nulla ergo mens, Deum esse dubitat, per quem alia cuncta esse considerat, ipsum à nullo, cuius essentia est initio, & fine caret.] Sic Augustinus, vbi clarissimis verbis vltimum constitiuum diuinæ naturæ ab omni distincto à Deo distinguens ipsum, assignat asseitatem, independentiam, seu infinitatem simpliciter, quæ concordant ijs, quæ protulit ipse Augustinus *in quæstiuncul. de Trin.* Vbi ad quæstionem, *an aliquid distet à Deo?* Respondet his verbis [quia Deus eo ipso quod est, viuit, & eo quo viuit, intelligit, & eo quo intelligit, potest esse, & eo quo potest esse, necessario est, quia à se igitur est.] Vbi suo ordine annumerans prædicata essentialia Dei ponit rationem entis primo, & deinde gradum vitæ; non autem ipsum viuere actu, & ideo ait [quo viuit] scilicet gradum vi uendi, & post gradum vitæ ponit gradum intellectiuum illis verbis, [eo quo intelligit] & tandem concludit totam illam coordinationem prædicatorum terminari vltimo, & compleri per asseitatem, tanquam per vltimum constitutiuum diuinæ essentiæ, vt patet ex illis verbis, [& eo quo potest esse, necessario est quia à se igitur est;] quapropter de mente tanti Doctoris nullo modo potest dubitari.

4 Eandem veritatem expresse docuit D. Gregorius Nizenus, *lib. de hominis opificio, cap. 16.* vbi rationem vltimam per quam Deus à creatura secernatur, assignare volens, ac proinde per quam vltimo constituatur, sic ait, [quid igitur in quo naturæ diuinæ, & eius, quæ ad diuinam est conformata discrimen perspici potest? illud vero in eo perspicies, quod Dei natura extitit increata independensque; hominum vero per creationem orta, hoc deinde discrimen alia quædam consequuntur.] Quid clarus, & euidentius ad nostram veritatem roborandam poterat inueniri? vbi S. Doctor peculiare discrimen Dei respectu creaturarum docet oriri ex independentia, & asseitate Dei, & dependentia creaturarum, & hoc vocat discrimen præcipuum, primarium, ac proinde quidditatiuum, & essentiale, ad quod alia quasi accessoria discrimina consequuntur, scilicet per attributa virtualiter dimanantia ab asseitate, vt immensitas, omnipotentia, &c. vt patet ex illis verbis, [quod Dei natura existit increata, & independens, hominum vero per creationem orta; hoc deinde discrimen alia quædam consequuntur;] idque adeo verum credidit Cyrillus Alexandrinus, vt ipsam diuinitatis essentiam contraponat rationi esse creati, & dependentis; sic enim ait, *lib. 3. de Trinit. versus finem*, ibi: [diuinitas, proprietas Dei est, quemadmodum & creatum esse creaturæ,] quasi propria ac prima ratio diuinitatis sit ipsum esse increatum; sicut primaria ratio, & quasi vltima creaturæ in ordine ad creatorem est ipsum esse ab alio, seu esse participatum.

Dices esse increatum proprie negatione consistere; omnis autem negatio supponit rationem positiuam: ergo ratio esse increati non est prima in Deo. 5

Respondeo, ipsam negationem, quoniam ens verum non differt primario, & vltimo ab aliis entibus per negationem, sed ratione aliqua positiua essentiali intrinseca, & propria quam cum nos lateat immediate in se, per negationem illam increati, imparticipati explicamus, & meliori modo per asseitatem, quod est positiuum vocabulum, quod significat primarium, proprium, & vltimum constitutiuum Dei, per quod principalius, & vltimo secernitur Deus à creatura: explicamus igitur per negationem, quæ ad illum proxime sequitur id, ad quod illa sequitur; vnde quod præcipue Deo tribuimus, est ens non ab alio, sed à se, quibus verbis describimus positiuum essendi modum Deo proprium; & ideo si increatum, & imparticipatum sumatur in vi legationis, non debet assignari pro vltimo constitutiuo Dei essentiali, quia hoc potius quid non sit Deus, quam quid sit demonstrat, vt optime docuit Damascenus *Orthodoxæ fidei, lib. 1. cap. 4. in medio*, his verbis, [quemadmodum nec cum eum ingenitum, principijque, ac mutationis, & corruptionis expertem dicimus; hæc enim non quid sit, sed quid non sit indicant;] & ideo *cap. 12.* sic ait *prope initium* [quo circa si in creatum ac principij expertè esse substãtiales Dei differentias dixerimus, sic itaq; existimandum est ea omnia, quæ de Deo commemorantur, non quid substantiæ ratione sit, significare, verum aut quid non sit explicare;] quam veritatem probat Anselmus *in Monolog. cap. 5. & 6.* Ricardus de S. Vict. *lib. 2. de Trin. cap. 11. 12. & 13.* D. Bern. *lib. 5. de considerat. cap. 6.* ex illa Christi domini responsione ad Iudæos interrogantis *Ioann. 8.* [Tu quis es; principium, qui & loquor vobis;] nam solum id est verum principium, à quo cætera incipiunt, & ipsum à nullo omnino est, vt patet ex definitione Aristotelis, *5. Physice. cap. 5.* dicentis principia esse quæ nec ex seipsis, nec ex aliis, sed ex ipsis omnia fiunt, & ideo quidquid habet causam, principium habet, & ipsum non est simpliciter, & absolute principium; sicut nulla creatura potest esse simpliciter principium; quare Deus ita est à se vt nec à causa extrinseca dependeat, nec à termino extrinseco originem habeat, quæ perfectio propria, & vnica Dei positiua est & non negatio, vt dixi, quod vt denotarent multi Patres Ecclesiæ, & tollerent æquiuocationem docebant, & explicabant hanc perfectionẽ, ac si Deus à seipso positiue esset, hoc est modo aliqua originis; vnde Hieronymus in id *Ad Eph. 3.* [Ex quo omnis paternitas, &c.] sic ait Deus sui origo est, suæque causa substantiæ] similiter fere loquitur Augustinus *lib. 83. quæstionum, quæst. 17. & lib. 7. de Trinitat. cap. 1. ad finem*, & Lactantius *lib. 1. instit. cap. 7.* quam opinionem ex parte docuit

Henric. adducitque verba Anselmi *in Monolog. cap.* 7. vbi hanc quæstionem tractans ipse Anselmus in hunc modum interrogat, [quomodo ergo tandem esse intelligenda est per se, & ex se si nec ipsa se fecit, nec ipsa sibi materia extitit, nec ipsa se quomodolibet, vt quod non erat, esset adiuvit?] cui interrogationi respondet, traditque solutionem, sumpto exemplo à luce, quæ est forma lucentis in hunc modum; [nisi forte eo modo intelligendum videtur quod dicitur; quia lux lucet, vel lucens est per seipsam, & ex se ipsa, quemadmodum enim sese habent ad invicem lux, & lucere, & lucens, sic sunt ad inuicem essentia, esse, & ens;] sed ne aliquis perperam intelligat ita esse Deum à se vt seipsum producat, ideo Bernardus *lib. 5. de considerat. cap. 6.* sic ait [à se cæpit nihil, nisi forte quis putaverit quod non erat dare sibi potuisse, vt esse inciperet aut fuisse aliquid antequam esset, quod vtrumque quia ratio non consentit, constat nihil sibimet extitisse principium,] vbi à parte D. Bernardus reprehendit eos, qui ita intelligunt, Deum esse à se, vt se fecerit, aut produxerit; quod omnino esse impossibile demonstrat, alias Deus fuisset antequam esset, quæ demonstratio vsurpatur etiam à D. Hieronymo *in expositione Epistolæ ad Rom. cap.* 1. ibi: [quod vero non seipsa fecerint, manifestum est, quia si se ipsa fecerunt, iam erant antequam fierent, vt se facere possent, quod valde absurdum est dicere. Itaque hæc positiva perfectio Dei ita est intelligenda, vt Deus non se produxerit influendo in seipsum, sed potius ita esse à se, idest ex sua essentia habere esse explicatum hoc per negationem essendi ab alio quibus verbis exprimitur quædam eminentia positiva Dei sola, & propria ipsius, quæ nostro modo intelligendi non repugnat, vt dicamus, Deum esse à se tanquam à ratione formali, (vt bene notat P. Christophorus Gillius) quemadmodum ea quæ pertinent intrinsece ad essentiam concipere, ac nominare solemus per modum formæ adhuc in divinis, vnde diuinitatem Dei formam appellavit Paulus Apostolus *ad Philippen.* 2. nam quemadmodum Socrates ab humanitate, tanquam à causa formali habet, vt sit homo, ita essentiam Dei concipimus vt causam formalem ipsius esse, quoniam sicut se habet vita ad viuere, & lux ad lucere, ita essentia ad esse.

7 Verum enim vero maximum discrimen versatur inter hæc cum modo creaturis, modo Deo adscribuntur, in creaturis enim ipsum vivere à vita, lucere à luce & esse distinguitur ab essentia; in Deo autem nulla est inter ea distinctio, & ita non admittitur in diuinis vera ratio causæ formalis, sed solum metaphorica, & nostro intelligendi modo, quo res dicuntur esse à se, ac per se; cum prædicatur de ipsis aliquid pertinens intrinsecè ad essentiam, qua ratione homo dicitur rationalis à se, & per se; quia rationalitas est quasi forma intrinsecæ essentiæ.

8 Et hoc credo intellexisse Hieronymum, cum dixit Deum sibi esse causam, ut sit, hoc est quia intrinsece, & ab essentia sua habet vt sit, quod patet manifeste ex similitudine ignis, qua vtitur, nam ait ignem à se esse calidum; alia non à se sed ab igne, quia ignis per naturam suam, & non alterius extranei participatione calidus est, [cætera, quæ ex igne calefiunt, calorem illius mutuantur;] in hoc sensu concedi potest, Deum esse à se positive, non ita vt verba illa à se indicet causalitatem, vel originem sed rationem formalem intrinsecam, qua Deus nostro intelligendi modo est ipsum ens; ad quod tendit similitudo Anselmi sumpta à luce, quæ dicitur lucens à se.

Prævidens autem S. Doctor non esse adæquatam similitudinem in rebus creatis ad exprimenda diuina, statim initio præmisit, vnde id conici possit, inquiens [nisi forte eo modo intelligendum videtur quod dicitur, quia lux lucet, vel lucens est per seipsam,] itaque solum vult, quemadmodum lux est formalis ratio intrinsecè lucentis cum distinctione, ita sine vlla distinctione essentiam Dei esse rationem formalem intrinsecam eius, quod est, & in hunc sensum dixit Ricardus *lib. 1. de Trinit. cap. 12. & 13.* quod essentia diuina à semetipsa habet totum, quod habet; vnde Magnus Dyonisius *cap. 3. de divinis nominibus* inquit, [nam Deus non quoquo pacto est ens, sed simpliciter, & incircunscripte totum à se in se esse pariter ambit, & præambit, super apprehendens.] Ob eandem causam Athanasius oratione contra idola, satis post medium, Deum vocat ipsam essentiam, non de foris, sed ab intrinseco, his verbis [Deus autem, qui est ipsa essentia intrinsece, & non de foris, nullis partibus coalescit; quapropter, & eius ratio ipsum esse à se est;] quasi dicat, Deum non habere esse ab extrinseco aliquo principio neque habere emendicatam ab alio essentiam vt creaturæ, hoc enim sonant illæ particulæ de foris, sed ab intrinseco; quia quod ab alio extrinseco advenit, causatur, & producitur, non ab intrinseco, sed de foris venit; vnde in Deo non est vlla ratio formalis, qua sit, quæ non sit ipsum esse ipsius, & proinde quia partes non habet, totum suum esse est; quod significare volens Philo *lib. 1. Allegoriar sacræ legis*, ita docuit sibi ipsi locus est & ipse seipso plenus, sibique sufficiens, vtpote vnus, & totus ipse ens;] si quid in creatura maxime non est ipsa locus eius est, qui illam ambit extrinsecus; & ideo Philo vt ostenderet, Deum esse maxime eundem sibi & totum, quod est etiam sibi locum esse dixit. 9

Illustris locus est apud Bernardum *lib. 5. de consideratione, cap. 6.* vbi sic habet; [si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris in hoc verbo instauratur, quod ex se est, nempe hoc est ei esse quod hæc omnia esse, si & centum alias addas, non recusasti ab esse si ea dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti, si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse, nonne in cõparatione huius, quidquid hoc non est, iudicas potius non esse, quam esse.] vnde Gregorius Magnus, *l. 16. moralium. c. 16.* super illa verba, ipse enim solus est, expresse docet, Deum esse à se, & hoc tam proprie Deo conveniens vt nulli præter ipsum congruat, quærens enim cur, cum tot aliæ res sint, Deus solus esse dicatur *Exodi.* 3. [Ego sum, qui sum:] respondit his verbis [sunt hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, & in gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt, solus ille est, qui à se & non ab alio est.] Hoc idem docent Hieronymus super illud ad *Ephes. 3.* sed clarius Damascenus *libro. 1. cap. 8.* appellans Deum ipsammet essentiam, & causam subdit [vtpote quæ nec esse suum, nec quidquam eorum quæ est, ab alio habeat: verum ipsa potius iis, quæ sunt essentiæ, iis, quæ vitam habent vitæ 10

iis,

ijs, quæ ratione vtuntur, rationis scaturigo sit:] id ipsum volunt ij, qui idcirco Deum proprie, ac simpliciter appellari volunt ens; quod ipse sit ens à se, cætera eius participatione, ita Anastasius Sinaïta *lib. 2. de Fidei dogmatibus*: [Deus sane solus est ens, proprie sumptum, quod pari modo, se semper habeat, nec mutetur, si quid præterea in eius participium venit, vt vocetur ens, non statim primitiue est ens, sed participatio eius, qui proprie, & primitiue, forte autem singulariter, & solitarie est ens.] Itaque contraponit ens per participationem enti, quod proprie, & primitiue est ens quod Gregorius, vbi supra appellat ens principaliter, id vero solum est, quod non habet esse ab alio, sed à se; nam si ab alio habet, id vtique est primitiue, ac principaliter, vt enim ait August. *lib. 83. quæst. q. 2.* non est intelligibile, quod causa excedat suum effectum in entitate, ac perfectione; & ita excluditur à Deo participatio formæ extrinsecæ.

11 Deinde Deus se ipso est quidquid est, atque adeo non per participationem formæ intrinsecæ, ac tandem ideo Deus est, quale actu est, quia ex se excludit omnem dependentiam, & participationem, & ideo ipsi debentur omnes perfectiones quia ab alio non est, neque alio indiget ad sui esse. Ita August. *lib. 2. de Trinit. cap. 4. lib. de triplici habitaculo, cap. 6. & lib. De essentia diuinitatis, cap. 2.* Hilarius *lib. 7. de Trinit. & lib. 8. ante medium*, Cyrillus Alexandrinus *lib. 9. de adorat. in Spiritu, & Veritate, inter principium, & medium*, Bernard. *serm. 80. in Cantica, lib. 5. de considerat. cap. 7. & tract. de diligendo Deo, versus finem*, & in particulari Cherubicus Doctor Augustin. excludendo à Deo omnem imperfectionem, quæ reperitur in creaturis, & tribuendo ipsi omnem perfectionem, attribuit hoc, quia in se non admittit dependentiam, & participationem ab alio *lib. 11. de Ciuit. cap. 10.* concludit, secundum hoc ergo dicuntur illa simplicia, quæ principaliter, vereque diuina sunt, nec aliorum participatione, ibi; [omnes perfectiones, vel sapientia, vel iustitia, vel beatitudo sunt;] vnde ipse August. *lib. 6. de Trinit. c. 4.* sic ait, Deo hoc est esse, quod est fortem esse aut iustum esse, aut sapientem esse, quia ex se habet esse, participationem excludens in esse.] Tandem eodem modo D. Athan. *oratione contra idola, prope finem,* clarissime nostram veritatem docet, his verbis [non ex eo, quod aliqua ex parte istarum communionem adipiscatur, aut ista aliunde aduentitia, aut superuentitia eius naturam ambiant, qualis sunt qui istarum rerum participes fiunt, ac propterea sapientes, fortes, rationales, efficiuntur; sed quod per se sit ipsissima sapientia, ipsissima ratio essendi ex se, non aliunde, & ab alio.]

12 Ex his omnibus Sanctorum Patrum sententiis tria colligo manifestissime, primum, quod id, per quod vltimo distinguitur Deus à creatura nõ sit alia perfectio præter asseitatem, independentiã omnimodam, & imparticipationem absolutam. Ex quo sic argumentor. Vltimum & primarium distinctiuum Dei à creaturis secundum omnia hæc loca Sanctorum Patrum est asseitas; sed ex tota Theologia & Methaphysica vltimum, & primarium distinctiuum, ad quod sequitur negatio identatis cum alio, seu distinctio formalis, quasi specifica, & vltima est vltimum constitutiuum rei, vt discurrenti super omnia genera entium patet: ergo secundum omnes Patres, & Doctores Ecclesiæ citatos, vltimum, & primarium constitutiuum Dei est asseitas infinitudo per essentiam, seu omnimoda independentia ab omni causa.

Deinde aduertendum est, tot Sanctos, tot & tam variis locis de tot, ac tam variis rebus agẽtes tam vnanimi consensu conuenire sine vlla differentia & discrepantia in assignando pro vltimo distinctiuo asseitatem, & independentiam sine eo quod quantum ad hoc munus aliquam mentionem, aut memoriam fecerint sapientiæ, intellectionis, volitionis, &c. quod euidentissimum argumentum est ad conuincendum quemcunque etiam pertinacissimum de mente horum Doctorum in eo quod sine dubio pro certissimo, & euidentissimo habuerint, asseitatem esse vltimum præcipuum, & quidditatiuum constitutiuum Dei. Nam si aliud sentirent, saltem aliqua vice, aut occasione hac, vel illa inter tot loca, & verba sine dubio dixissent. 13

Accedit ad hoc, quod quando loquuntur de vita, & sapientia Dei, aut asserunt illam esse communem perfectionẽ Deo, & creaturis, aut conuenire ipsi tanquam prædicatum contrahibile per asseitatem, & ideo prius annumerant, tanquam vniuersalius prædicatum gradum viuendi, deinde gradum intelligendi, tandem gradum asseitatis & imparticipationis: ergo manifestè, aperte colligitur] asseitatem, seu infinitatem per essentiam conuenire Deo tanquam vltimum, quidditatiuum ac propriissimum constitiuum Dei. 14

Secundum enim quod colligo est, S. Patres verbis supra citatis asseitatem assignasse, tanquam radicem vltimam omnium perfectionum attributalium, quæ soli conueniunt Deo, vt proprietates, & quasi affectiones diuinæ essentiæ, per quas à posteriori distinguitur Deus à reliquis rebus distinctis ab ipso; quare vt ex nuper citatis locis D. Augustini, & reliquorum Sanctorum Patrum patet, ita Deo attribuere sapientiam formalem distinctam à gradu intellectiuo, iustitiam, misericordiam, ac tandem fœcunditatem infinitam, tum ad intra, tum ad extra, vt ipsæ radicentur in diuina essentia ratione asseitatis, & imparticipationis, seu independentiæ in omni genere causæ; ideoque docent Deum esse omnibus perfectionibus decoratum, quia infinitus est per essentiam; vnde S. Dionysius 9. *de Diuinis nominib.* agens de excellentia, & infinita perfectione, quam magnitudinem appellat, inquit: [ac magnus quidem Deus dicitur, tum ex sua magnitudine, quæ se, & cum omnibus, quæ magna sunt, communicat, & per omnem magnitudinem diffundit, atque extendit, locum omnem continet, omnem numerum superat, omnem infinitatem transilit; tum ex summa vi, actionisque magnitudine, ac numeris, quæ ab ipso, quasi fonte manant, ipseque à nullo fonte fluit. Quibus non solum infinitatem immensitatis, sed etiam potentiæ, sapientiæ & reliqua Deo attribuit, quia eam infinitudinem habere putat: quarta est omnium bonorum foris, vt nullius alterius indigens sit: eodem sensu Greg. Nazianzenus *orat. 38.* Deum appellauit Pelagus quoddam essentiæ immensum, & interminatũ; quia à se est, quæ verba etiãsi Nicetas in illud eiusdem orationis [Deus & erat, &c.] de immensitatis & indefinitate æternitatis, incõprehẽsionis in terpretari videatur, reuera infinitatem asseitatis simpliciter, & per essentiam Dei significãt, proxime namque dixerat Nazianzenus, Deum in monte Sina se ipsum appellasse nomine, qui est, videlicet qui

ita est, vt à nullo alio sit, vt indicaret in seipso complecti vniuersum, quod est; nomen enim qui est, vt optime explicat Augustinus, *tract.* quo de hac particula egit; ideo de Deo inter cætera propriissime dicitur, quia ipsum per essentiam & ex se esse significat, quam sententiam Nazianzeni explicat *eodem loco* Nicetas his verbis: [ at Deus semper est, & vt cum diuiniloquo Dionysio dicam vniuersam essentiam in seipso complectitur: ego enim inquit scriptura, sum primus, & ego postea, & ante me non est alius Deus, nec post me futurus est: tota enim essentia illius, nec principium habens, nec finem habitura, quasi vastum quoddam pelagus essentiæ est & perfectionis; ] vbi quamvis Nicenas ad durationis infinitatem respexerit infinitatem tamen simpliciter secundum esse, hoc est asseitatis, & independentiæ, in modum à nobis expositum, etiam intellexit; illis enim verbis, antea non est Deus ] dignitatis, independentiæ, & asseitatis infinitatem expressit, perinde namque est dicere ante me non est Deus; atque à me ipso sum, & à nulla alia causa essentiam, & esse accipio; quia hæc potissima, & prima omnium infinitas est, ad quam cæteræ infinitates, & perfectiones sequuntur, & ex qua reliqua attributa secundum rationem proficiscuntur; quæ omnia ita docet expresse D. Damascenus vt transcripsisse videatur ex Nazianzeno; verba Damasceni *lib. 1. fidei, cap. 12. in medio*, hæc sunt: [ ex omnibus porro nominibus quæ Deo tribuuntur, nullum æque proprium videtur, atque entis nomen, quemadmodum ipsemet cum Moisi in monte oracula ederet, ait dic filiis Israël, qui est, misit me; vniuersum enim: id quod est, tanquam infinitum quoddam essentiæ pelagus complexu suo continet nullius indigentia laborat. ] Ecce quomodo D. Damascenus tanquam proprium, & vltimum constitutivum Dei assignat, immo & magis peculiare Dei, vt patet ex illis verbis, [ ex omnibus porro nominibus, quæ Deo tribuuntur, nullum æque proprium videtur. ] Infinitatem per essentiam nullius causæ indigam, cui in toto illo capite attribuit Damascenus sicut & Nazianzenus omnes perfectiones, & attributa divina soli Deo conuenientia.

16 Atqui prædicatum illud essentiale, quod est radix proprietatum alicuius est vltimum constitutiuum essentiale illius: ergo infinitudo per essentiam, asseitas, seu independentia ab omni causa secundum sanctos Doctores est vltimum constitutiuum diuinæ essentiæ.

17 Tertium, quod colligo, est sanctos Patres, qui de asseitate, & sapientia loquuntur, dum agunt de sapientia, variare in hoc, quod sapientiam, quandoque doceant esse diuinam substantiam, quandoque affirment esse quasi accidens fluens à diuina essentia, quod ita concordari debet, vt à parte rei identificetur cum substantia Dei, per intellectum autem quasi fluere ab essentia dicatur, dum vero agunt de asseitate semper loquuntur de illa, ac de prædicato essentiali, vt patet ex Damasceno *lib. 1. fidei, cap. 4. prope finem*, ibi: [ quæcunque autem de Deo per affirmationem dicimus non ipsius naturam, sed quæ circa ipsius naturã sunt, ostendunt, ita siue bonum, siue iustum siue sapientem dicere libeat non Dei naturam, sed quæ naturæ insunt, exponis. ] Ecce quomodo Damascenus loquens de sapientia, sicut de bonitate, & iustitia ait, non esse naturam, sed affectionem, circunstantiam, & quasi proprietatem, qualificatiuam naturæ; è contra vero agens ipse S. Doctor *cap. 3. eiusdem libri 1. fidei, in fine*, de asseitate, seu de esse increato Dei, ait esse quidditatẽ ipsius his verbis, [ increatus ergo omnino summus ille opifex, hoc autem quid tandem aliud esse queat, quam Deus; ] quod etiam expresse docet *cap. 10.* loquens de esse increato, seu asseitate sub nomine infinitudinis per essentiam his verbis: [ vniuersum enim id, quod est tanquam infinitum essentiæ pelagus complexu suo continet ] & paulo infra [ Anarchum porro, hoc est ortu carens, & increatum, quod quid Dei est. ] Ecce per asseitatem essentiam demonstrat.

18 Augustinus etiam eodemmodo loquendi utitur eandem differentiam ponens inter asseitatem & sapientiam nostro modo intelligendi *lib. 15. de Trinit. cap. 5.* ibi: [ quidquid secundum qualitates illic dici videtur (vtique secundum nostram rationem) secundum substantiam, vel essentiam esse intelligendum, videlicet secundum rem. ] Explicans autem, quæ sint hæc, quæ modo nostro intelligendi qualitates videntur, sic ait *lib. 6. de Trinit. cap. 4.* [ Deo hoc est esse, quod est fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse, &c. idem docet *cap. 10. & lib. 7. cap. 1. secundo 4. & 6. & lib. 8. cap. 1. & lib. 15. cap. 6. & lib. de speculo, cap. 33. & lib. 8. de civit. cap. 6.* & ex ipso Beda in illud *ad Rom. 1.* Inuisibilia enim ipsius. Fulgentius *lib. 1. ad Trasimundum. & lib. 2. ad eamdem, in responsione 7. contra Arrianos.* Boetius *lib. 1. de Trinit.* Hugo de Sancto Vict. *in summa*: Quod adeo verum est vt D. Augustinus, & cum eo Bernardus, *serm. 80. in Cantica post medium*, doceant, sapientiam, iustitiam, magnitudinem, & bonitatem Deo conuenire dicant, eo quod ipse sit à se, ac si tales perfectiones, vt attributa, & quasi qualitates qualificativas proprietates iudicent esse respectu vltimi constitutiui Dei independentiæ nimirum, & infinitatis per essentiam, quam asseitatem appellamus, verba Bernardi hæc sunt: [ nec enim aliunde bonus, quam vnde magnus, nec aliunde iustus, ac sapiens, quam vnde magnus, ac bonus, nec aliunde denique simul hæc omnia, quam vnde Deus, & hæc quoque non, nisi à seipso. ] Ecce asseitatem vocat id ratione cuius quasi pullulant in Deo perfectiones sapientiæ, iustitiæ, & bonitatis, ac proinde nostro modo concipiendi illas vt affectiones, asseitatem vero, vt substantiam, & essentiam concipimus; quod etiam clare docuit Ricardus de Sancto Vict. *lib. 1. de Trinit. cap. 13.* ibi, [ vt igitur habeat non nisi à semetipsa quod habet de ipsa potentia, quod habet de ipsa sapientia necesse est. ]

19 Ex quibus evidenter colligitur vltimum, ac præcipuum essentiale constitutivum Dei non esse sapientiam, iustitiam, bonitatem &c. sed solum asseitatem, seu infinitatem per essentiam, quia si sapientia talis esset, non solum à parte rei, sed etiam nostro modo intelligendi, vt substantia, & essentia concipi deberet, eo modo quod asseitate dicitur ab ipsis: ergo si vniformiter asserunt asseitatem esse (quomodocunque sumatur, sive à parte rei, sive per intellectum,) substantiam, quidditatem, & essentiam, sapientiam autem asserunt, quasi qualitatem esse essentiæ: ergo manifeste sentiunt Doctores non sapientiam, aut aliam perfectionem, sed potius asseitatem esse vltimum, propriissimum, essentiale constitutivum Dei.

SVB

## SVBSECTIO I.

*Auctoritate D. Thomæ, & Aristotelis probatur eadem veritas.*

20 DIuus Thomas *lib. 1. contra Gentes, cap. 22.* loquens ratione tertia, in fine de quidditate, & essentia Dei quatenus propria ipsius est, sic ait: [Deus autem est prima causa non habens causam: igitur ista quidditas, quæ acquirit esse aliunde, non est quidditas Dei; necesse est igitur, quod Dei esse quidditas sua sit,] vtique sine causa, & non aliunde, & ratione 6. sic concludit; [amplius omnis res est per hoc, quod habet esse; nulla igitur res, cuius essentia non est suum esse, est per essentiam suam, sed participatione alicuius, scilicet ipsius esse; quod autem est per participationem alicuius non potest esse primum ens; quia id, quo aliquid participat ad hoc, quod sit, est eo prius: Deus autem est primum ens, quo nihil est prius; Dei igitur essentia est suum esse: hanc autem sublimem veritatem Moyses à Domino est edoctus, qui cum quæreret à Domino Exodi 3. dicens, si dixerint ad me Filij Israël, quod est nomen eius; quid dicam eis. Dominus respondit: ego sum qui sum; sic dices Filiis Israël qui est misit me ad vos, ostendens suum proprium nomen esse, qui est,] videlicet primum ens omnem participationem excludens à se, vt patet ex primis verbis huius sexti argumenti D. Thomæ, eodem modo loquitur, *lib. 2. contra Gentiles, capite 15. argum. 4.* ibi, [item quod per essentiam dicitur est causa omnium, quæ per participationem dicuntur, sicut ignis est causa omnium ignitorum in quantum huiusmodi, Deus autem est ens per essentiam suam, quia est ipsum esse; omne autem aliud ens est ens per participationem.]

21 Et tandem *lib. 3. contra Gentiles, cap. 66. ratione 6.* sic ait: [Præterea quod est per essentiam tale, est propria causa eius, quod est per participationem tale, sicut ignis est causa omnium ignitorum; Deus autem solus est ens per essentiam suam, omnia autem alia sunt entia per participationem.] In quibus omnibus locis soli Deo conuenire docet esse impartipatum, seu infinitatem per essentiam, quam aseitatem vocamus, & hoc, non tanquam aliquam proprietatem, sed potius tanquam distinctiuum essentiale, & radicem omnium attributorum soli Deo conuenientium, sed hæc omnia sunt prædicata quidditatiua differentiæ vltimæ essentialis, seu vltimi, & propriissimi constitutiui alicuius subiecti, vt ex dictis liquet, ex terminis patet, & ex dicendis amplius manifestabitur; ergo secundum D. Thomam aseitas, infinitudo simpliciter, seu esse per essentiam est vltimum constitutiuum Dei.

22 Nec minus clare docuit hanc veritatem Aristoteles *libro 2. de cœlo, text. 63.* his verbis: [& autem quod optime se habet, nihil actione opus est, est enim ipsum id cuius gratia.] Quibus verbis aperte docet Philosophus, Deum à se & non ab alio esse, nullamque causam, tam efficientem, quam finalem habere, ac proinde non per participationem, sed potius per essentiam esse, vnde negat Aristoteles, Deum actione ad sui esse indigere vlla, vt patet ex illis verbis. [nihil actione opus est:] & hoc attribuit Deo, tanquam propriissimum prædicatum, ratione cuius illi conuenit esse optimum & esse vltimum finem, cuius gratia cætera fiunt, vt liquet ex verbis illis: [optime se habet, est enim ipsum id, cuius gratia.] rationem autem horum attributorum, & perfectionem tribuens à priori, profert illa verba, & autem quod nihil actione opus est. Quorum verborum permixtum positorum, si ad claritatem reducatur sensus hic est, quia Deus nulla actione agentis indiget, minimeque esse participatum habet ab alio, sed potius à se est ens infinitum per essentiam est optimum, ac infinite, & summe perfectum, causa tam efficiens, quam finalis omnium rerum distinctarum à Deo: ergo si Aristoteles pro prædicato proprio essentiali, quod sit radix attributorum omnium, & perfectionum, quæ de Deo verificantur, assignat aseitatem, infinitatem per essentiam: euidenter, & manifeste sequitur illam esse vltimum constitutiuum essentiale Dei.

## SVBSECTIO II.

*Rationibus demonstratur nostra veritas.*

PRimo, quia illud est vltimum constitutiuum alicuius subiecti essentialiter, quod quidditatiue ita illi conuenit, vt sit radix omnium proprietatum talis subiecti: sed aseitas, aut infinitudo per essentiam est huiusmodi respectu Dei: ergo aseitas est vltimum essentiale constitutiuum Dei. Maior est euidens, & ab aduersariis admittitur, quia proprietates soli subiecto conuenientes radicantur in essentiali prædicato, non communi, vel vniuersali; (alias tales proprietates non solum tali subiecto; sed etiam reliquis conuenientibus cum illo conuenirent; ideo enim sensus non solum homini, sed etiam aliis animalibus conueniunt, quia radicantur in prædicato quodam essentiali communi illis) sed proprio, vltimo, & particulari, vt videre est in homine, cuius risibilitas, capacitas disciplinæ, & admirabilitas, quæ sunt proprietates illius, non radicantur in aliquo prædicato communi essentiali, sed in proprio, & vltimo illius, videlicet rationalitate, quæ vltimo constituit hominem est radix illarum proprietatum, & sic de cæteris: ergo illud est vltimum constitutiuum alicuius subiecti esse essentialiter, &c. 23

Minor in qua est tota difficultas sic demonstratur primo, quia vnicum medium à priori quod omnes Theologi inuenerunt ad demonstrandum, Deo conuenire omnia attributa, & infinitas perfectiones, verbi gratia, immensitatem, fœcunditatem ad intra, & ad extra infinitam, omnisimplicitatem & reliqua, est solum aseitas, quare primum à posteriori ex illo principio, quidquid primo producitur, ab alio producitur, negando, & excludendo processum in infinitum, demonstramus dari quoddam ens à se imparticipatum, & omnino independens ac per consequens infinitum per essentiam, quam infinitatem, & aseitatem, non aliter, nisi vt dictum est potest demonstrari à priori, & per causam, vt videre est in D. Thoma *lib. 1. contra Gentes per totum*, in Patre Suarez 2. *tom. Metaphys. disp. 29. & 30.* & patet ex dictis à me *in principio huius tractatus, de Deo*, quod adeo verum est, vt nullus hucusque veritatem hanc in dubium ausus fuerit reuocare. 24

Demonstrato autem hoc prædicato aseitas per euidentem, & manifestam conclusionem à priori demonstrauimus, conuenire Deo attributa ipsius, 25

& perfectiones sibi soli conuenientes, proprietatesque ipsius, v.g. omnipotentiam, immensitatem, omnisimplicitatem, omniidentitatem inter absoluta prædicata Dei, &c. nam quidquid à se est, & non ab alio, non est à quo limitetur in aliqua perfectione, aut in aliquo gradu illius, siue in quacunque ratione, tum extensiua, tum intensiua eiusdem: ergo habet omnem & quamcunque in summo gradu, quia non est maior ratio, cur habeat vnam, quam aliam; sed fœcunditas ab extra infinita, quæ omnipotentia dicitur, omnibonitas, immensitas, omnisimplicitas, & reliqua sunt perfectiones simpliciter simplices, summe, & infinite vnaquæque in suo genere: ergo ratione asseitatis cóueniunt Deo omnes hæ perfectiones: ergo asseitas est radix inter prædicata essentialia Dei, à qua nostro modo intelligendi profluunt hæ veritates, & ratione cuius conueniunt Deo ipsæ; vnde hæc est vera causalis, Deus est infinitus in genere sapientiæ, quia est infinitus simpliciter per essentiam, sicut Deus est infinitus in genere potentis, & fœcundi ad extra, quia est infinitus per essentiam: ergo infinitudo per essentiam simpliciter est quasi radix, & ad modum causæ habendi Deum illas perfectiones, & è contra est falsa sumptam toto rigore, & à priori hæc causalis; ideo Deus est à se, quia est omnipotens, aut immensus, vt omnes etiam aduersarij concedunt, imo euidenter non potest demonstrare à posteriori per effectus adæquatam rationem omnipotentiæ, quia nullus est effectus, quem cognoscamus adæquatum esse exercitium omnipotentiæ; quia vltra quamcunque creaturam à se factam potest Deus amplius, & amplius facere; imo multi grauissimi Doctores, vt vidimus in Physicis *tractatu de infinito*, negant posse adhuc per potentiam absolutam fieri aliquod infinitum in actu simul ne exhauriatur omnipotentia Dei, vt docet Pater Suarez: ergo nullum est adæquatum exercitium omnipotentiæ, per quod possimus demonstrare à posteriori immediate infinitatem potentiæ Dei: ergo etiam per omnipotentiam non possumus immediate demonstrare Deum esse.

26 Quapropter sola vnica restat via demonstrandi Deum per creaturas, vt inquit Paulus *ad Rom. 1.* Inuisibilia Dei per ea, &c. videlicet adiungendo illis duo principia, vnum positiuum & alterum negatiuum, de quo supra late egimus, scilicet quidquid producitur, ab alio producitur, & in causis, & effectibus subordinatis non posse dari processum in infinitum, per quæ media demonstramus, vt nuper dixi primum ens, quod non est ab alio, sed à se, cui propter hanc perfectionem conueniunt reliquæ, quæ de Deo proprie, & peculiariter prædicantur.

27 Secundo, quia vt ait Philosophus *lib. 2. met. c. 3.* quod est optimum in vnoquoque genere est mensura cæterorum; sed infinitudo simpliciter per essentiam in ordine infiniti est optima: ergo est mensura omnium infinitatum, quæ Deo conueniunt: sed omnis mensura est causa, vel quasi causa; ideo enim obiectum est causa vel quasi causa specificatiua potentiæ, vel intellectionis, quia est mensura illius, & sic potentia, & actus dicunt relationem ad obiectum, mensurabilis ad mensuram, & ideo lux solis est causa lucis lunæ, & reliquorum, quia est mensura illius, & ideo est mensura, quia est optima in genere lucis: ergo de primo ad vltimum quod est optimum in aliquo est causa cæterorum: ergo infinitudo per essentiam, quæ est optima in genere infinitudinis est radix, vel quasi causa cæterarum infinitatum seu infinitarum perfectionum Deo conuenientium.

Tertio sic probatur; quia omne prædicatum es- 28
sentiale Deo conueniens eo modo, quo ipsum fuerit, est radix aliquarum formalitatum per modum attributi; vnde quia ratio entis est prædicatum essentiale communissimum Deo, & creaturis est radix vnitatis, veritatis, & bonitatis quæ sunt attributa communissima, & quia substantia est prædicatum essentiale Deo non ita commune, & vniuersale, ac est ens, est radix suppositalitatis, quæ est proprietas, seu attributum minus commune, quam veritas, vnitas, & bonitas. Tandem quia gradus intellectiuus est minus communis, quam gradus substantiæ & entis, licet communis sit Deo & creaturis perfectissimus, v.g. Angelo, & homini est radix intellectus, voluntatis, & memoriæ, proprietatum, seu attributorum minus communium, quam perseitas, veritas, vnitas, & bonitas sunt, communium tamen, seu conuenientium cum intellectu, memoria, & voluntate creatis.

Sed in Deo datur tanquam prædicatum essen- 29
tiale asseitas, omnimoda independentia, seu infinitudo simpliciter per essentiam; quia essentia diuina, vt distinguitur à quocunque attributo metaphysice, & formalissime non est ab alio: ergo à se non est dependens vllo modo: ergo est independens, præcipue quia ens vt sic, quod est prædicatum essentiale omni enti, diuiditur tanquam per differentias essentiales immediate, & adæquate oppositas per asseitatem, & abaleitatem, hoc est per esse creatum, & increatum quæ omnibus entibus à parte rei existentibus conueniunt, tanquam differentiæ essentiales, quidditatiue constituentes omnia entia; sed essentia diuina quatenus essentia metaphysica est verum ens reale à parte rei: ergo vel à se, vel ab alio essentialiter, sed non ab alio: ergo à se: ergo asseitas est prædicatum essentiale Dei quatenus tam formaliter, quam virtualiter, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco non fluit ab alio; atqui talis asseitas ita soli Deo conuenit, vt nulli alteri præter Deum possit conuenire: ergo est radix proprietatum & attributorum soli Deo, & nulli præter ipsum conuenientium & ita reperitur in Deo, vt minime sit commune creaturis: ergo est radix aliquorum attributorum minime communium Deo, & creaturis; tum quia omnis essentia est primus conceptus, seu primum constitutiuum rei; sed ad omne primum sequitur secundum; nam secundum supponit primum; vnde secunda vnitas primam præsupponit: ergo ad omnem essentiam sequitur aliquis conceptus secúdarius: sed attributa, & proprietates sunt secundarij conceptus rei: ergo ad omnem essentiam, seu gradum essentialem sequuntur attributa & proprietates; tum etiam quia omnis essentia est radix formalitatum non essentialium ab ipsa immediate dimanantium; sed asseitas omnimoda est prædicatum essentiale respectu Dei, ita soli illi conueniens, vt nullo modo alteri præter Deum conueniat: ergo ad ipsum tanquam ad radicem, & primum conceptum sequuntur proprietates, & attributa, seu secundarij conceptus, quæ soli Deo, & non alij præter ipsum conuenire possint.

Atqui omnipotentia, immensitas, omniiden- 30
tas, fœcunditas infinita ad intra, ratione cuius datur mysterium Trinitatis, omnisimplicitas, &c. sunt attributa ita propria Dei vt nullo modo sint communia creaturis, & ita soli Deo conueniunt, vt nulli præter ipsum conuenire possint: ergo asseitas

asseitas omnimoda independentia, seu infinitudo simpliciter per essentiam est radix harum proprietatum, & attributorum Dei.

31 Vltimo, quia semper formalitas, quæ dimanat ab essentia, seu prædicato essentiali sibi correspondente, est eiusdem, vel similis denominationis cum tali gradu; vnde intellectus, & intellectio, qui quasi dimanant à gradu intellectiuo habent similem denominationem ipsi; sed infinitudo omnipotentiæ, & infinitudo scientiæ, seu scientia infinita, & fœcunditas infinita ad intra, immensitas, seu infinitudo præsentiæ in rationem finitudinis, seu denominatione illius assimilantur asseitati, quatenus est infinitudo per essentiam: ergo virtualiter à parte rei, & formaliter nostro modo concipiendi est radix illarum infinitudinum: ergo asseitas est vltimum constitutiuum diuinæ naturæ. Nam vt patet ex verbis Hurtado supracitatis, opus est, vt aliquis conceptus sit vltimum constitutiuum essentiæ, vt eum concipiamus quidditatiue per modum radicis, & originis attributorum; non enim satis est quivis conceptus proprius ad formalissime & vltimo constituendam essentiam; sed ille, qui non attribuitur aliis, neque ab eis oritur, ratione nostra, sed à quo cæteri, vt patet tum in homine, cuius risibilitas non est quidditatiuus illius conceptus; quia oritur ex rationalitate; tum in Deo, cuius relationes, & iustitia non sunt quidditatiuus illius conceptus: ergo ad assignandum vltimum constitutiuum quidditatiuum Dei, defœcatis, depuratis, & circumscriptis aliis, deueniendum est ad vnam primam radicem cæterorum, cuius luculentam causam, & rationem tribuit Angelicus Doctor, *lib. 2. contra Gentes, cap. 26.* in hunc modum, quia conceptus secundarij sunt attributa, quia attribuuntur primario; attribui autem est eos adscribi primario, illum reddendo pro prima radice cæterorum; cognitio autem nostra ita procedit in Deo assignando virtualem emanationem, vt id quod emanat dicatur attributum, & id à quo dimanat dicatur prædicatum essentiale, sicut emanatio formalis à parte rei est causa vt id à quo aliquid emanat sit essentia, & id quod emanat sit attributum: sed asseitas nostro modo concipiendi est conceptus ita primarius, & proprius Dei vt ab illo cætera attributa diuina dimanent per intellectum formaliter, sicut virtualiter à parte rei, imo ab ipsa orirentur, vel fluerent formaliter, tanquam à vera causa, si formaliter à parte rei distinguerentur ab ea: ergo asseitas est vltimum constitutiuum diuinæ naturæ, eo quod induat modo nostro concipiendi formaliter, & à parte rei virtualiter rationem radicis cæterorum.

## SVBSECTIO III.

### *Solutio Patris Hurtado ponitur & refellitur.*

32 REspondet Hurtado asseitatem non esse radicem cæterorum, nec conceptum, cui cæteri attribuantur, tribuit rationem quia licet relatio sit ens à se, nihilominus illi non attribuuntur vt radici cætera attributa, vt amor, scientia visionis, &c. ergo asseitas non est prædicatum, cui attribuuntur cæteri conceptus, quia si illi attribuerentur vbicunque esset attribuerentur.

Sed contra manifeste, quia duplex est asseitas, alia particularis, alia perfectissima, & in omni genere, quæ vniuersalissima asseitas dicitur, prima asseitas est quæ tantum excludit emanationem aut productionem formaliter ab alio, & hæc conuenit formalissime attributis, & essentiæ, & hæc asseitas excludit omnem causalitatem ab alio; vnde etiam conuenit relationibus diuinis, quia licet formaliter producantur, nullo tamen modo causantur formaliter; itaque omnis conceptus diuinus, siue primarius, siue secundarius immediate, & formaliter est à se, quia immediate, & formaliter est increatus, & imparticiparus, seu independens, ratione cuius distinguitur à creatura. 33

Alia asseitas est, quæ excludit ab eo in quo est omnem emanationem, dependentiam, productionem, & causalitatem non solum formaliter à parte rei, sed etiam virtualiter, & formaliter per intellectum, itavt conceptus ille, cui conuenit talis asseitas ita sit primum, vt neque formaliter à parte rei, nec formaliter per intellectum, imo neque virtualiter realiter præsupponat alium primum distinctum, siue formaliter, siue æquivalenter à quo vno ex his modis dictis emanet, & causetur, seu producatur, & hæc asseitas ita vniuersaliter sumpta opposita omni abalieitati nuper dictæ, nullo modo conuenit attributis, videlicet omnipotentiæ, iustitiæ, & misericordiæ; imo neque relationibus diuinis, sed solum essentiæ diuinæ metaphysicè, & præcise conceptæ; nam licet relationes, & attributa Dei à parte rei formaliter non emanent à diuina essentia tanquam à radice, nihilominus tamen, in omnium sententia emanant tanquam à radice virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum à gradu essentiali vltimo Dei tanquam à prima radice intrinseca: ergo in hoc sensu attributa, & relationes dicuntur ab alia, vtique non formaliter, sed virtualiter distincto: ergo non mirum; quod relationi, & attributis non conueniat esse radicem cæterorum, quia neque relationes, neque attributa habent omni-asseitatem, seu vniuersalissimam rationem asseitatis, quæ optima est in genere asseitatis, ac proinde debet esse radix, & quasi causa virtualiter cæterarum asseitatum in particulari genere asseitatis constitutarum. Et ratio est, quia omne particulare continetur sub vniuersali, mensuratur ab illo, regulatur ab eodem, & quasi radicatur in ipso, & hæc est ratio quare omnia indiuidua continentur sub specie, & omnes species sub genere, quia species comparata cum indiuiduis est vniuersale, & indiuidua particularia illius, sicut species sunt particularia comparatæ cum genere; vnde particulares veritates indiuiduorum radicantur, & continentur in speciebus, & regulantur à veritate illarum, quapropter ideo hæc est vera propositio, Petrus est animal rationale, quia hæc est vera omnis homo est animal rationale, vna autem veritas particularis, neque mensuratur neque regulatur per aliam, ac proinde non radicatur in ipsa, & ideo falsa est hæc propositio causalis, ideo est verum dicere Petrum esse animal rationale, quia est verum dicere Ioannes est animal rationale; præterea vna perfectio creata particularis non radicatur, nec fluit ab alia necessario, verbi gratia, perfectio Gabrielis Angeli non radicatur, neque fluit à Michaële, quia tam particulare est Michaël ac Gabriel, nihilominus tamen omnes perfectiones creaturarum fluunt à Deo tanquam à primo fonte, & radicantur in ipso tanquam in prima radice, quia Deus non solum habet hanc, vel illam particularem rationem perfectionis, sed

ita vniuersalissimam, vt non solum formaliter contineat omnem increatam perfectionem, sed etiam eminenter omnem creatam, itaque ad vniuersalissimam rationem in vnoquoq; genere continentem omnem perfectionem illius debent reduci particulares, vnum autem particulare non necessario reducitur ad aliud.

34 Atqui licet relatio habeat aliquam asseitatem, videlicet formalem à parte rei, non emanandi ab alio, nihilominus tamen non habet asseitatem, etiam virtualem, & formaliter per intellectum per quam etiam excludat emanationem virtualem ab essentia, tanquam à prima radice, & tanquam à primo principio, vel actu primo; at vero essentia diuina, vt distinguitur ab attributis non solum habet asseitatem formalem à parte rei, sed etiam virtualem, & formalem per intellectum, itaque omnem asseitatem habet, quia est radix prima omniũ attributorum, & perfectionum essentialium, quæ per ipsam à priori demonstrantur; itemque relationum diuinarum propter quod magnus Dionysius *cap. 2. de diuinis nominibus, part. 2.* Filium & Spiritum sanctum vocat fœcundæ deitatis germina plantata diuinitus, & veluti flores, & Cyrillus, *lib. 3. thesauri, cap. 3* Spiritum sanctum fructum diuinæ essentiæ & passim Patres, & Doctores Patrem vocant principium filij, & Spiritus sancti ratione essentiæ fœcundæ: ergo essentia diuina ita est prima radix, seu primus conceptus Dei, vt omnes secundarij ab ipso quasi dependeant; nam quidquid supponit aliud ad sui intelligentiam, aliquo modo dependet ab illo tanquam à primo: atqui diuina attributa supponunt essentiam diuinam, nec enim sapientia, iustitia, æternitas, & similia esse, aut intelligi possunt sine illa, cuius propriæ sunt: ergo ab illa sunt, &c. & ab illa nostro modo intelligendi formaliter, & virtualiter à parte rei fluunt: ergo virtualiter nostro modo concipiendi non habent attributa omnem asseitatem, licet habeant aliquam peculiarem scilicet formalem, negando omnem causam formaliter.

35 Essentia autem ita habet omnem asseitatem & ita vniuersaliter est à se, & ita est primus conceptus, vt neque formaliter à parte rei, neque formaliter per intellectum, neque tandem virtualiter realiter dimanet ab alio priori, quia omnibus modis essentia est prior: ergo non mirum, quod essentiæ diuinæ omnia attributa adscribantur, & in ipsa radicentur, ratione huius vniuersalissimæ asseitatis, licet relationi non attribuantur omnia attributa ex eo quod habeat particularem asseitatem solum, & non vniuersalissimam: exemplo declaratur hoc. Nam si aliquis interrogaret cur omnes flores, & fructus arboris mali punici, videlicet vltimo radicentur in trunco, non autem omnes in hoc, vel illo ramo, cum ramus etiam habeat rationem radicis respectu huius fructus, horum florum, & foliorum, facilis esset responsio, videlicet quod truncus habet vniuersalissimam rationem radicis, ratione cuius vniuersalitatis debent, omnia in arbore dimanantia ipsi trunco adscribi, & in ipso radicari, licet non radicetur vnus ramus in alio, nec flos, & fructus aut folium vnius rami in alio, eo quod licet habeat aliqualem rationem radicis, non habet omnem, & vniuersalissimam, sed potius ita particularem, vt sit æqualis cum ea, quam habet alius ramus; vnum enim æquale non est necesse, vt adscribatur alteri, aut attribuatur ipsi, neque vnum particulare est necesse, vt radicetur in alio particulari, licet propter hanc, vel illam causam extrinsecam aliquando radicetur; quæ si aliter contingeret, vel è contra eueniret, poterat id particulare quod radicatur in alio, esse radix ipsius, cuius tota ratio est negatio vniuersalis radicis.

Deinde vnus homo necessario non dependet ab alio, neque fluit necessario ab ipso, quapropter hic homo Petrus videlicet, qui producit Paulum, posset si voluisset Deus, produci à Paulo, nihilominus tamen omnes creaturæ debent produci necessario à Deo, ita vt nec diuinitus possit aliter contingere; cuius discriminis ratio est, quod Deus est radix vniuersalis, seu continet omnem rationem entis, & est primum ens simpliciter, cum autem creatura respectu alterius non sit huiusmodi, inde est, quod necessario non petat esse radicem alterius sibi æqualis, &c.

Sed sola diuina essentia vt distinguitur ab attributis est prima ratio omnimodo, tam virtualiter, quam formaliter à parte rei, & per intellectum, in quo excedit omnia attributa, ac proinde habet omnem rationẽ asseitatis & negat vniuersaliter abaleitatem; vnum autem attributum non continet omnem asseitatem, sed solum aliquam peculiarem, vt iam explicui, & vnumquodque attributum in solo suo genere cum æqualitate respectu alterius; nam ita est à se formaliter iustitia, sicut relatio Paternitatis, & ita habet asseitatem misericordia, sicut sapientia, neque vna est à se propter aliam. 36 37

Ergo non mirum quod omnia attributa radicentur in essentia, ratione illius vniuersalissimæ, & omniasseitatis, & quod vnum attributum non radicetur in alio.

Secundo, respondeo in sententia probabilissima eorum qui dicunt, essentiam diuinam transcendere omnia attributa, & relationes, & in hac opinione concedamus vnumquodque attributum habere omnem asseitatem; in hoc autem casu dico, vnumquodque attributum habere huiusmodi vniuersalem asseitatem, non ratione sui secundum id explicitum, quod addit supra diuinitatem, sed ratione diuinitatis, & diuinæ essentiæ formalissimæ constitutæ vltimo per asseitatem hanc, & ratione sui formalissimæ habentis illam, quam per transcendentiam communicat attributis; attributa enim secundum explicitum per quod distinguuntur ab essentia diuina transcendente ipsa non dicunt esse à se formaliter, sed potius habere omnem perfectionem illius attributi, tam intensiuam, quam extensiuam, quæ infinitas attributi dicitur; verbi gratia, iustitia, misericordia diuina secundum expressum, quod addunt supra rationem asseitatis diuinæ essentiæ, solum dicunt, & exprimunt omnimisericordiam, & omniiustitiam, hoc est inclusionem vt ita dicam omnis perfectionis, tam extensiuæ, quam intensiuæ illarum per quam habent pro obiecto adæquato non hoc, vel illud exercitium, miserendi, aut puniendi; sed omne, in quo distinguuntur virtutes diuinæ quoad expressum à iustitia; & misericordia creata, quia hæc non sunt omnium misericordia, & omniiustitia, sicut diuina, hoc est infinita, tam intensiue in ratione misericordiæ, & iustitiæ, sed potius sunt limitata iustitia & limitata misericordia limitatam intensionem, & extensionem habentes. 38

Ergo non mirum, quod omnia attributa, quæ asseitatem habent, non à se, sed ab essentia, & in illa quasi dependent ab ea, attribuantur ipsi radicentur in ipsa, licet nullo modo vnum attributum adscribatur alteri, & radicetur in altero; siquidem 39

siquidem vnum attributum non accipit perfectionem ab altero.

40 Vltimo respondeo in sententia P. Vasquez negantis, essentiam diuinam transcendere attributa, & relationes vllo modo, relationem diuinam solum identice, & materialiter, & non formaliter, aut virtualiter esse à se; quia talis asseitas neque quoad expressum, neque quoad confusium misericordiæ conuenit, aut relationi; nam relatio adæquate distinguitur virtualiter à parte rei à diuinitate, & formaliter per intellectũ distinctione excludentis ab excluso; cum autem asseitas solum cõueniat diuinæ essentiæ formaliter, & formaliter nullo modo attributis, & relationibus; quia relationes diuinæ formaliter non sunt respectus à se, nec formalitates à se, sed potius formalitates, & respectus entis à se, seu primi simpliciter, Dei nimirum; inde est, quod omnia attributa entia attribuantur essentiæ à se; quia ratione asseitatis est mensura illorum & fundamentum, cui innittuntur illa nostro modo intelligendi; sicut substantiæ innittuntur accidentia à parte rei,) licet vnum attributum non radicetur in alio, neque attributa absoluta in relationibus: ergo nullius momenti est solutio Patris Hurtado ad soluendam difficultatem nostri primi argumenti.

## SVBSECTIO IV.

*Alia argumenta principalia ad probandam nostram veritatem proponuntur.*

41 SEcundo sic argumentor principaliter, quia illud est vltimum constitutiuum essentiæ Dei quod fuerit perfectius omnibus prædicatis essentialibus, quæ reperiuntur in ipso formalissime: sed asseitas, aut infinitudo per essentiam est perfectior omni prædicato essentiali reperto in Deo: ergo asseitas, seu infinitudo per essentiam est vltimum constitiuum diuinæ naturæ. Maior est euidentissima; ideo enim P. Herize *tract. 1. disp. 3. cap. 3. num. 13. §. Denique*; probat intellectionem diuinam esse vltimum constitutiuum diuinæ naturæ, quia iudicat esse perfectionem omni prædicato essentiali existente in Deo, & hoc similiter omnes aduersarij affirmant; & ratio est manifesta, quia in perfectissimo ente, quod est magis proprium prædicatum est perfectius omnibus existentibus in ipso, vt in homine rationalitas est perfectior omni formalitate reperta in eodem, quia rationalitas est prædicatum magis proprium homini, quia soli illi, & non aliis conuenit; nam propter quod vnumquodque tale & illud magis; sed ratione vltimi constitutiui ens perfectissimum superat in perfectione omnia alia imperfectiora se; conuenientia secum in reliquis prædicatis existentibus in ipso. Itaque perfectius, & imperfectius æqualem perfectionem habent in prædicatis vtrique communibus; solum autem est perfectius illo ratione vltimi prædicati constitutiui: ergo vltimum constitutiuum erit perfectius omnibus aliis prædicatis communibus.

42 Minor sic probatur, quia gradus intellectiuus, seu intellectio superat in perfectione omnia alia prædicata formaliter reperta in Deo, vt omnes concedunt & asseitas, seu infinitudo per essentiam superat in perfectione gradum intellectiuum seu intellectionem, vt à me late probatum est *quæstione superiori*, dum rectorsimus argumentum Patris Herize contra ipsum: ergo de primo ad vltimum etiam superabit omnia prædicata in perfectione, quæ superantur in eadem ab intellectione secundum illud axioma; si vinco vincentem te, à fortiori vincam te.

Tertio principaliter sic argumentor; quia id, 43
per quod vltimo, & totaliter distinguitur Deus à quocumque distincto à se, & per quod cum nullo alio conuenit, est constitutiuum vltimum Dei; sed asseitas est prædicatum, per quod essentialiter vltimo distinguitur Deus ab omnibus creaturis, & ita conuenit Deo vt per asseitatem, seu per infinitudinem per essentiam cum nulla creatura conueniat, sed pure, & totaliter differat: ergo asseitas est vltimum constitutiuum diuinæ essentiæ. Maior est certa, vt videre est in rationalitate hominis, quæ est vltimum constitutiuum illius; quia est pura, & vltima differentia, per quam differt homo à cæteris; sed id, per quod vltimo distinguitur aliquid ab aliis est vltima differentia essentialis illius: ergo id, per quod vltimo distinguitur aliquid ab aliis, est vltimum constitutiuum illius, quod distinguitur, & ratio est manifesta; quia inter prædicata constitutiua alicuius duplex genus reperitur, aliud per quod conuenit, siue cum his, siue cum aliis; aliud per quod pure differt ab omnibus: atqui illa prædicata, per quæ subiectum conuenit, non sunt vltimo constitutiua illius: ergo restat, vt id prædicatum, per quod omnino, ac pure differt ab omnibus, sit vltimum constitutiuum talis subiecti.

Minor prima, & præcipua est clara; quia asseitas, seu infinitudo per essentiam ita soli Deo 44
proprie conuenit, vt nulli alteri præter Deum conueniat, vt discurrenti per omnia genera entium patet, & ratio est manifesta, quia ens vt sic adæquate diuiditur in creatum, & in increatum; ita vt præter hæc duo membra in tota latitudine entium nullum aliud detur, atqui asseitas nullo modo conuenit enti creato, alias non esset ens creatum, sed increatum, quod continetur sub secundo membro: ergo solum restat, vt asseitas conueniat soli enti increato; sed ens increatum est Deus: ergo asseitas, seu infinitudo per essentiam ita conuenit soli vt per illam cum nullo alio distincto à se conueniat, sed potius totaliter, & adæquate differat.

Vltimo sic probatur, quia asseitas est prædi- 45
catum quoddam, in quo sistit, & terminatur tota constitutio quidditatiua Dei; sed huiusmodi prædicatum est vltimum respectu constitutionis diuinæ: ergo asseitas est vltimum constitutiuum diuinitatis. Minor est manifesta; quia id est vltimum in aliqua progressione prædicatorum, in quo sistit & terminatur tota illa progressio, vt videre est in homine & Angelo, & ex ipsis terminis liquet; quia vltimum nihil aliud est, quam id, vltra quod res non progreditur; atqui vltra id, in quo sistit, & terminatur progressio prædicatorum essentialium, illa non progreditur: ergo id, in quo sistit & terminatur constitutiuo essentialis Dei, est vltimum illius.

Maior, in qua est difficultas, sic demonstra- 46
tur primo, quia id, quod fuerit indiuisibile prædicatum quoad expressum, & irresolubile in duos conceptus, & non fuerit primum

constitutivum Dei est id in quo sistit, & terminatur constitutio Dei: sed asseitas, quod expressum est omnino indiuisibile prædicatum, & omnino irresolubile in duos conceptus, & ex alio capite non est primum in constitutione diuina: ergo est vltimum, hoc est, in quo sistit & terminatur tota constitutio essentialis Dei. Maior est certa, quia inter prædicata, per quæ quidditatiue constituitur Deus, datur duplex, aliud diuisibile, & resolubile in duos conceptus, qualia sunt omnia intermedia, & quæ posita sunt inter ens vt sic, & vltimum constitutiuum; & hæc non sunt indiuisibilia omnino quoad expressum, nec irresolubilia in duos conceptus, sed potius diuiduntur, & partiuntur per intellectum in illos, quia omnia prædicata intermedia Dei quoad expressum constant ratione conueniendi, & differendi, ratione communi, & particulari, vt gradus intellectiuus v. g. constat ratione viuendi, seu gradu vitali, & ratione percipiendi veritatem, per quam differt à viuentibus non cognoscitiuis, substantia in Deo constat ratione entis, & ratione perfeitatis, ac proinde duobus conceptibus constant omnia illa, in quos potest diuidere intellectus ea, & resolvere sine ulla implicatione, & difficultate.

47 Alia prædicata sunt in Deo, quæ sunt omnino indiuisibilia, & hæc sunt solum duo, primum videlicet, & vltimum, illud quia est pura & adæquata conuenientia sine aliqua ratione differentiæ, v. g. ens vt sic, per quod Deus ita convenit cum omnibus, vt ex vi illius formaliter à nullo differat: hoc est quia est pura, & adæquata differentia sine vlla conuenientia vt supra dixi: ergo id, quod fuerit indiuisibile prædicatum &c. Sed asseitas non est ratio conueniendi cum creaturis, sed potius quoad expressum est pura ratio differendi, ac proinde est omnino irresolubilis, & indiuisibilis in duos conceptus, & non est primum constitutiuum Dei; quia primum constitutivum est ens vt sic, alias asseitas esset pura convenientia Dei cum creaturis sine vlla ratione differentiæ, quod est falsum: ergo.

48 Secudo, quia constitutio diuina incipit ab ente vt sic, tanquam à primo omnium prædicatorum, & progreditur per substantiam viuentem, intellectualem, in quibus non sistit, quia sunt rationes conueniendi cum creaturis: ergo aliud est præter illa, in quo debeat sistere constitutio diuina; sed non est aliud, nisi infinitudo per essentiam, aut asseitas, quia sola asseitas, & infinitudo per essentiam soli Deo propriissime convenit, ac proinde est totalis adæquate, & pura differentia: ergo aseitas est id, in quo sistit.

## SECTIO VLTIMA.

*Argumenta aduersaria soluuntur.*

49 AD primum argumentum respõdeo cõcedendo maiorem, & distinguo minorem: sed asseitas cõvenit omnibus attributis, si asseitas sumatur pro vt excludit omnem emanationem tam formalem, quam virtualem à parte rei, nego minorem, vt patet ex supradictis, quia hæc soli essentiæ convenit; attributa enim sunt ab essentia virtualiter per æquivalentiam distincta ab illis; unde attributa solum habent asseitatem provt opponitur emanationi aut productioni formali, quia, formaliter à parte rei neque producuntur, neque emanant, sed potius negant processionem ab alio omnibus modis formalem, & realem, quia omnibus modis formaliter realiter identificantur cum essentia; unde quando damus vel assignamus pro vltimo constitutiuo diuinæ essentiæ asseitatem, non est hæc, neque alia quæcunque particularis, sed potius vniversalissima, & eminentissima asseitas negans omnem tam virtualem, quam formalem emanationem ab alio, seu productionem ab illo; ratione cuius essentia diuina est primum simpliciter & omnibus modis infinitum per essentiam, quod non habent attributa; quia virtualiter sunt secundarij conceptus. Præterea huic argumento tribuendæ sunt omnes solutiones, quas supra posui, dum refelli hoc argumentum Hurtado, præcipue illa, quæ concedendo transcendentiam, tribuitur à me; in qua concedo, attributa esse formaliter à se, non ratione sui, sed ratione essentiæ transcendentis illa.

Ad confirmationem respondeo, asseitatem conuenientem Deo esse radicem omnium attributorum, quæ de Deo cum veritate prædicantur, vt late probaui in prima ratione pro mea conclusione posita. Ad vltimam partem illius confirmationis quæ incipit à §. Igitur ens à se patet ex nuper dictis; quia relatio non est à se eo modo, quo explicuimus conuenire essentiæ Dei; & casu negato, quod conueniat illi formaliter, dico non conuenire relationi ratione sui, sed ratione essentiæ transcendentis ipsam.

## DVBIVM

*Appendix in quo consistat ratio vitæ diuinæ.*

## SECTIO I.

*Sententia aduersaria proponitur.*

PRIMA Sententia docet, vitam Dei consistere formaliter in hoc quod habeat perfectionem ab intrinseco sine motu; ita vt per illam particulam, sine motu, distinguatur vita increata à vita creaturæ, quæ consistit in hoc videlicet quod sit perfectio ab intrinseco per motum ab vtroque vita abstrahitur secundum hanc opinionem ratio vitæ in communi, quæ nihil aliud est, quam habere perfectionem ab intrinseco vt sic; hanc sententiam docet P. Hurt. *lib. de anima, disp. 3, sect. 1, subsect. 1. §. 1.* non enim probat illam, sed solum soluit obiecta contra ipsam. 1

P. Arriaga *disp. 2. de anima, tota sectione 1.* confuse maxime loquitur de vita; nam licet distinguat duplicem vitam, aliam Physicam, aliam intentionalem, & vitam intentionalem dicat esse appetere, & cognoscere, nihilominus tamen non explicat, quid sit ratio generica vitæ communis cognitioni, & appetitioni; quia neque cognitio est vita per differentiam cognoscendi, alias appetitio non esset vita, neque appetitio est viuere propter differentiã appetendi, alias cognitio non esset vita cui non cõuenit talis differentia: ergo ratio generica vitæ conveniens vtrique in aliqua formalitate consistit distincta formaliter per intellectum, & virtualiter à parte rei à ratione appetitionis, & cognitionis, sicut animal vt sic 2

vt sic distinguitur à parte rei virtualiter ab homine, & leone: ergo hæc ratio ita distincta deberet explicari ab hoc auctore, quod illi conuenientius foret, quam aserere id, quod docet in fine illius sectionis, videlicet plantas vere viuere Physice, & hominem vere viuere, non solum intentionaliter, sed etiam Physice, quatenus vegetatur. Item Deum vere viuere intentionaliter, & nihilominus vitam Dei, & vitam plantæ, seu hominis vegetatiuam nullo modo conuenire in ratione communi vitæ, sed potius vitam Dei, & vitam plantæ esse æquiuocam, sicut vox *canis* est æquiuoca respectu cœlestis, & marini, & gallus respectu, auis, & hominis galli; ratio à priori ex dictis constat inquit Arriaga *Subsect.* 4. *num.* 74. quia vita physica consistit in ea augmentatione per intussumptionem, intentionalis autem in cognitione, & amore obiecti, quæ duo nullam habent conuenientiam, nisi in ratione entis, quæ non est conuenientia in conceptu viuentis: ergo Deus vt intelligens non conuenit cum planta in ratione vitæ. O pulchra ratio digna tanto Auctore.

## SECTIO II.

### *Nostra sententia ponitur.*

3 PRima conclusio; non bene explicatur à P. Hurtado vita Dei per hos formales terminos, videlicet habere perfectionem ab intrinseco sine motu, quæ sententia licet à me refutata est late *lib. de anima*, nihilominus tamen in præsenti eam sic oppugno breuiter; quia impossibile est, quod Deus viuat (non identice, quia de hoc non loquimur,) sed formaliter per prædicatum aliquod quod conuenit Deo ratione entis vt sic communis vniuoci Deo, & creaturis non viuentibus; sed præsentia Dei conuenit Deo ratione entis simpliciter existentis communis Deo, & creaturis non viuentibus: ergo ratione præsentiæ non viuit Deus formaliter; sed præsentia Dei conuenit Deo ab intrinseco sine motu: ergo habere aliquam perfectionem ab intrinseco sine motu non est viuere formaliter in Deo; quia si esset viuere, vbicumque esset, diceretur vita formaliter; cur enim magis hic, quam alibi? præcipue quia ratio formalis, & essentialis nunquam mutatur. Maior prima est certissima; quia quando alicui subiecto conuenit aliquod prædicatum, aut aliqua formalitas propter aliquam rationem communem illi, & aliis, non solum tali subiecto sed reliquis conuenientibus cum illo, conuenit talis formalitas vt videre est in homine, cui quia conuenit subsistentia ratione substantiæ realis communis lapidibus, & arboribus, non solum conuenit subsistentia homini, sed etiam lapidibus & arboribus conuenientibus in tali ratione. Item quia conueniunt Deo veritas, bonitas, & vnitas ratione entis vt sic, non solum conueniunt Deo talia attributa; sed etiam omnibus creaturis conuenientibus cum Deo in illis rationibus, & hoc fundatur in illo axiomate euidenti, dici de omni, id est quidquid conuenit superiori aut alicui ratione superioris, conuenit omni contento sub illo; sed creaturis non viuentibus & conuenientibus cum Deo in ratione entis simpliciter existentis nullo modo conuenit, nec potest conuenire ratio viuendi, aut viuere formaliter; ergo impossibile est quod Deus viuat ratione prædicati communis entis simpliciter existentis Deo & creaturis non viuentibus, alias non solum Deo, sed creaturis non viuentibus etiam conueniret, quod est impossibile, vt probatum manet.

4 Minor illa est certa; nam vt supra demonstraui, vbi, seu præsentia in tantum conuenit subiecto, in quantum est ens actu, seu in quantum non est in statu puræ possibilitatis. Itaque sive sit Deus, sive sit creatura, necessario debet habere vbi, seu præsentiam eo quod actu existat, seu habeat entitatem oppositam, vt ita dicam enti potentiali, seu puræ possibilitati rei; sed hoc nihil aliud est, quam esse ens simpliciter existens: ergo præsentia, seu vbi conuenit Deo in quantum est ens simpliciter existens, ac proinde ratione entis existentis communis Deo, & creaturis non viuentibus. Patet hoc; quia non solum Deus, sed etiam creaturæ non viuentes sunt entia simpliciter existentia: ergo conueniunt simpliciter Deus, & creaturæ non viuentes in ratione entis simpliciter existentis, hoc est actu habentis esse, & non de præterito, aut futuro ad quod sequitur præsentia seu vbi formale: ergo præsentia, seu vbi conuenit Deo ratione entis simpliciter existentis communis Deo, & creaturis non viuentibus.

5 Seconda minor est euidentissima; quia omnis formalitas diuina conuenit Deo ab intrinseco sine motu; sed præsentia est formalitas diuina: ergo conuenit Deo ab intrinseco sine motu.

6 Præterea, quia esse substantiam in Deo non est viuere in Deo, nec prædicatum vitale, & à fortiori ratio entis vt sic, quæ formaliter reperitur in Deo non est viuere in Deo; sed ratio entis, & ratio substantiæ conueniunt Deo ab intrinseco sine motu; quia Deus ratione immutabilitatis negat, & excludit à se in quocunque prædicato quamcunque mutationem, motum, & vicissitudinis obumbrationem: ergo habere perfectionem ab intrinseco sine motu non est viuere, neque est prædicatum vitale. Maior est certa; quia gradus vitæ contrahit rationem substantiæ, & entis in Deo; vnde prior est ratio entis, & substantiæ, quam ratio vitæ, & vitalitatis; nam illi gradus sunt priores, & contrahibiles per posteriores qui sunt vniuersaliores, latius patent, & pluribus conueniunt, quam alij, vt gradus vitæ vniuersalior, & prior est, quam gradus intelligendi adhuc in Deo; quia cum pluribus conuenit Deus per gradum vitæ, quam per gradum intelligendi; sed cum pluribus conuenit Deus per rationem entis, & substantiæ, quam per gradum vitæ vt ex terminis patet: ergo gradus entis, & substantiæ in Deo vniuersalior est, ac proinde prior gradu vitæ, & ideo ratio entis, & substantiæ contrahitur per gradum vitæ: sed contractio est addendo supra aliquam rationem communem formalitatem, quam talis gradus ex se non habet: ergo gradus entis, & substantiæ in Deo, qui contrahitur per gradum vitæ, & ratione talis contractionis additur illi ratio vitalitatis: ergo gradus substantiæ, & entis in Deo formaliter non sunt vitales ex se: ergo euidenter sequitur Deum formalissime non viuere ratione entis, & substantiæ.

7 Ex quo etiam patet manifeste, rationem communem vitæ Deo,& creaturis male assignari à P. Hurt. quia creatura habet ab intrinseco veritatem,bonitatem, & vnitatem, & lapis non solum habet talia attributa ab intrinseco,sed etiam subsistentiam; & grauia,& leuia habent grauitatem, & leuitatem;sicut materia prima habet ab intrinseco quantitatem, & nihilominus neque materia prima viuit per quantitatem,neque lapis per subsistentiam,neque materialia entia, aut immaterialia viuunt per bonitatem, veritatem & vnitatem: ergo habere perfectionem ab intrinseco non est viuere vt sic.

8 Deinde; quia habere perfectionem ab intrinseco vt sic,vel est nullo modo habere illam ab alio; vel est ita habere vt sibi, & in se producat talem perfectionem;sed neque primum,neque secundum potest dici: ergo perfectio ab intrinseco in hoc sensu concepta non est vita. Minor quoad primam partem sic probatur(& videtur directe contra Hurtado, qui in hoc sensu ait viuere esse perfectionem ab intrinseco ; vnde *disp. 3. subsect. 1. §. 13.* docet, Deum viuere per omne prædicatum sibi intrinsecum ; quia omne prædicatum Dei ita est perfectio ab intrinseco,vt sit ens increatum & nullo modo productum ab alio, quia si hoc esset verum,nulla creatura haberet vitam, sed solus Deus; sed hoc est falsum, vt patet ex ipsis aduersariis concedentibus veram vitam creaturis: ergo falsa est minor quoad primam partem.

9 Sequela Maioris sic demonstratur; quia in illo sensu vita est perfectio increata,& imparticipata, increatum enim est id, quod nullo modo est ab alio productum; ideo enim Deus dicitur ens creatum,quia à nullo alio habet esse participatum, & causatum: sed nulla creatura potest habere vitam, seu perfectionem omnino improductam ab alio, increatam,& imparticipatam; siquidem omnis vita creata formaliter est vita secunda, & participata,& sic formaliter opponitur vitæ diuinæ,& non solum materialiter;vnde necessario debet dependere à Deo produci, & participari ab eodem; sed Deus est aliud ab omni creatura : ergo omnis vita creaturæ est producta ab alio, etiamsi sit producta ab ipsa creatura : ergo nullo modo potest dici,quod vita non solum Dei; sed potius vita vt sic sit perfectio ita ab intrinseco,vt neget omnem productionem ab alio ; nam in hoc sensu vita vt sic conuertitur cum vita Dei, quæ non est communis Deo,& creaturis.

10 Neque in secundo sensu potest dici vitam vt sic esse perfectionem ab intrinseco; quia iam vita vt sic non contraheretur ad Deum,quia Deo repugnat habere vitam, quam sibi producat & in se causet, aliàs vita diuina distingueretur ab ipso Deo ; quia quidquid producitur, & causatur ab aliquo distinguitur realiter ab illo;ideo enim Pater æternus distinguitur realiter à Filio, licet non causet illum ; quia vere & realiter producit ipsum, & ideo essentialiter distinguitur à parte rei Deus à creatura, quia producit, & causat ipsam sed per vos vita petit vt causetur, & producatur à viuente : ergo vita petit vt distinguatur realiter à viuente:atqui diuina essentia essentialiter est viuens, & repugnat omnino illi habere vitam realiter distinctam à se, & realiter causatam, & productam à seipsa : ergo repugnat vitam vt sic ita esse ab intrinseco, vt producatur, & causetur à viuente,distinguaturque realiter ab eodem : ergo falsum est dicere, ideo vitam vt sic dici perfectionem ab intrinseco ; quia ipsam sibi producit,& in se causat viuens.

Dices, vitam vt sic seu perfectionem ab intrinseco vt sic non esse in specie,& in particulari aliquam ex his rationibus à nobis assignatam, sed potius rationem communem vtrique abstrahentem à primo,& secundo modo habendi ab intrinseco perfectionem. 11

Sed contra, quia ab improducto omnino, seu incausato & à producto non potest præscindi aliqua ratio communis ; sed prima ratio habendi ab intrinseco est ratione improductionis,ex eo quod sit improducta, increata, & incausata perfectio; secundus modus habendi ab intrinseco talem perfectionem est producendo in se,& sibi causando ; itaque ideo dicitur perfectio ab intrinseco, quia est producta,& causata à seipso : ergo à primo,& secundo modo habendi ab intrinseco perfectionem non potest abstrahi ratio communis vtrique, ac proinde vita vt sic non poterit consistere in habendo perfectionem ab intrinseco communi primo & secundo modo.Maior est certa ; quia ab vltimis differentiis Dei, & creaturæ non potest præscindi aliqua ratio communis, quia vltimæ differentiæ Dei, & creaturæ ita pure differunt inter se, vt minime conueniant,& ideo supra aduerti, vltimam differentiam Dei esse omnino indiuisibilem, & irresolubilem in duos conceptus. Itaque in omnium sententia quæcunque differentia vltima ita est pura, & mera ratio differendi, vt nihil involuat similitudinis cum alia differentia vltima sibi opposita, vt videre est in rationalitate, & irrationalitate, in quibus nullus metaphysicus assignauit rationem similitudinis, ac proinde omnes negant posse præscindi aliquam rationem communem vtrique, quia talis præcisionis nullum datur fundamentum, scilicet similitudo, & hoc non propter aliam rationem, nisi quia sunt differentiæ vltimæ,sed perfectio ;improducta, increata, & incausata est differentia vltima Dei, & perfectio causata, producta, & participata est differentia vltima creatæ, per quam differt à Deo : ergo ab improducto omnino incausato, & imparticipato, quod est primus modus habendi perfectionem ab intrinseco, & à producto,causato, & participato, quod est secundus modus habendi perfectionem ab intrinseco non potest præscindi aliqua ratio communis vtrique : ergo non bene assignatur pro vita vt sic ratio communis abstracta à producto, & improducto significata per illos terminos perfectio ab intrinseco vt sic. 12

## SVBSECTIO I.

### *Modus loquendi Patris Arriaga refutatur.*

CErtè improbabilius loquitur P.Arriaga,quá P.Hurtado, quia non loquitur consequenter ad propriè principia,imo ad principia communia, quibus ipse vtitur,tum hîc,tum in Logica ad probandam rationem communem præcisam à multis particularibus, & vt hoc clarum fiat,propono argumentum ipsius,quo probat, *disp.2.de anima, n. 72. subsect. 5. sect. 1.*ad probandum vere dari rationem communem vitæ intentionalis Deo,& creaturis ; verba eius hæc sunt, in fine illius numeri;sicut ens est Deo, & creaturis ratio communis,imo & vniuoca, vt diximus in Logica ; quia vero Deus & creaturæ sunt entia ; diuerso tamen modo participatur ratio entis à Deo,& creaturis; ille 13

ille enim est ens à se, hæ vero ens ab illo quæ sunt differentiæ contrahentes rationem entis. Idē dicito de hac ratione vitæ intentionalis, ideo per te ratio entis est communis Deo, & creaturis, quia Deus est vere ens, & creaturæ vere, & proprie ens; licet Deus sit ens à se, & creatura ens ab alio; quod non tollit vniuocationem rationis communis vtrisque, quia hoc quod est à se, vel ab alio sunt differentiæ; sed Deus etiam habet vitam proprie, vere & realiter; creatura etiam verbi gratia, planta, & homo quatenus vegetatur, habet propriam, veram & realem vitam, licet Deus habeat intentionalem, & homo seu planta habeat vitam physicam tanquam differentias: ergo euidenter sequitur ex tuis principiis, & ex tua ratione dari non solum rationem communem vitæ Deo, plantæ, & homini; sed etiam vniuocam; quia vbi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis: atqui tota ratio formalis propter quam datur conceptus communis vniuocus Deo, & creaturis in esse entis per te est, quia Deus est vere ens, & creatura est vere ens intrinsecè, atqui per te creatura vere, & intrinsece viuit, & Deus vere, & intrinsece viuit: ergo datur eadem ratio formalis viuendi vt sic, ac proinde dabitur idem effectus, vel quasi effectus formalis, scilicet ratio communis vniuoca vitæ, quæ ratiocinatio meo videri ad hominem est euidens, & vrgetur ex verbis antecedentibus, quibus in hunc modum probat hic Author vitam intentionalem esse communem vniuocam Deo, & creaturis, verba eius sunt; [Probatur facile, quia vere illis proprie conuenit cognoscere, & appetere, in quo consistit hæc vita, licet hæc ratio communis cognoscendi, & appetendi diuerso modo contrahatur ad Deum, ac ad creaturas; Deus enim cognoscit, & appetit sine forma superaddita, creaturæ vero per aliquid à se productum, & in se receptum, in quo consistit differentia specifica inter Deum, & creaturas sic ille: quæ verba ita retorqueo; vere, & proprie conuenit Deo viuere provt abstrahit à cognoscere, & appetere ne dicas illam vitam esse appetere, & cognoscere; quia appetere, & cognoscere sunt duæ species vitæ intentionalis, quæ distinguuntur realiter in creaturis; vnde ab vtrisque abstrahitur ratio communis vitæ intentionalis, quæ proprie conuenit Deo.

Item creaturæ, verbi gratia, plantæ, & homini vegetanti vere & proprie conuenit ratio vitæ non intentionalis, sed physica, itavt Deo conueniat vita perfectissime contracta per differentiam intentionalis, & creaturæ conueniat ratio vitæ, contracta per differentiam physicam; quæ exercetur in augmentatione per intussumptionem; sed illa ratio intentionalis, & hæc ratio physica sunt differentiæ, quas addunt Deus, & creatura supra rationem vitæ; rationes autem differentiæ non tollunt conuenientiam in ratione superiori, ac proinde neque præcisionem illius rationis superioris, & communis vtrisque, ideo enim appetere, & cognoscere sine forma superaddita, & appetere & cognoscere per formam superadditam non impediunt, quominus Deus, & creatura conueniant in ratione vitæ vt sic, & vt præscindatur vniuoca ratio vitæ vt sic; quia illæ sunt differentiæ per te: ergo quod Deus viuat intentionaliter & creatura viuat physice non tollit, quominus creatura, & Deus conueniant in ratione vitæ vt sic communi vtrisque & vniuoca eisdem; nam magis expresse, & immediate opponuntur viuere per formam superadditam, & viuere non per formam superadditam quam viuere physice, & intentionaliter, & nihilominus talis oppositio non tollit conuenientiam ratione vitæ; quia est oppositio differentiarum, quæ non tollit quod in Deo, & in creaturis detur vere, & proprie viuere, quod est ratio communis vitæ: ergo à fortiori viuere intentionaliter, & viuere physice non impediet quominus Deus, & creatura conueniant in ratione vitæ vt sic, quia illa est oppositio differentiarum, &c. quæ non impedit quod Deus vere viuat, & creatura viuens physice, vere, & proprie viuat; ac proinde non tollet quod præscindatur ratio communis vniuoca vtrisque.

Præterea, & efficacius; quia ipse P. Arriaga 14
in Logica, *disputatione* 11. *sectione* 4. *numero* 40. ideo probat, rationem entis esse communem Deo, & creaturis vniuocam, quia probat solum hoc tollere vniuocationem, inter duo, scilicet quod in vno ex illis detur metaphorica ratio, in alio vero propria; atqui in creatura viuente physice licet non detur vita intentionalis, vita tamen physica est vera, & propria vita; sicut vita Dei est vera, & propria vita: ergo potest præscindi ab illis ratio propria uitæ vt sic, abstrahens à physica, & intentionalis sicut per te abstrahitur à Deo & à creatura ratio entis vt sic etiamsi Deus sit ens increatum, & creatura ens creatum, quia licet creatura non sit ens increatum est vere proprie, & sine metaphora ens; sicut Deus licet non sit ens creatum, est nihilominus sine vlla metaphora ens; atqui; licet vita physica creaturæ non sit intentionalis, & increata, est tamen vere, & proprie sine metaphora vita; sicut vita Dei, licet non sit vita physicæ, est tamen vere, & proprie sine metaphora vita: ergo à paritate rationis euidenter sequitur, vitam Dei, & vitam creaturæ conuenire vniuoce in ratione vitæ, vt sic abstrahenti à physica, & intentionali, creata & increata; quare si tu negas hanc ratiocinationem debes negare omnia tua argumenta, imo & negare nullam posse dari rationem communem præcisam ab aliquibus particularibus, siue in ratione substantiæ, siue in ratione viuentis, animalis, hominis, &c. quapropter negare debes præcisiones & abstractiones omnium generum, & specierum.

In particulari autem discursu, quo vteris, *eadem disputatione* 11. *Logicæ, sectione* 1. *subsec.* 2. 15
*numero* 9. & 10. ad probandum præscindi ens à Deo, & creaturis, vtor contra te ad probandum præscindi vitam vt sic à vita physica, & intentionali Dei, & creaturæ, sola mutata materia; vbi supponis, non dari præcisiones obiectiuas; quod ad præsentem casum ego etiam suppono; quia præscindere animal, verbi gratia, à rationali, nihil est aliud quam concipere confuse animal in ordine ad operationes sentiendi, non concipiendo explicite in ordine ad ratiocinationem; ideoque ita vt non possem dicere, sitne rationale an irrationale; vel quid sit esse rationale, vel irrationale, etiam si ex parte obiecti eodem modo tangatur rationalitas quo animalitas, & è contrario. At hoc idem posse in vita eiusque differentiis reperiri, nullatenus negari potest; quid enim prohibet, me concipere creaturam, & Deum quatenus possunt viuere, affirmando hoc ipsum de illis non cogitando, an viuant physice, an intentionaliter, aut quid sit viuere physice, vel quid sit viuere intentionaliter; similiter concipiendo vitam, non cogitando an viuere illud sit Dei, an

creaturæ? imo ignorando prorsus, vt contingere potest, an Deus viuat, & quis sit conceptus proprius vitæ creatæ? & hoc habet ille conceptus, quo solum explico perfectionem simpliciter simplicem quo actu tam nihil explico de vita Dei, & de vita creaturæ, de vita physica, & de vita intentionali, quam dum dico, animal est principium sentiendi; nihil explico de rationalitate, vel irrationalitate, vt ex terminis euidenter constat; non ergo minus præscinditur vita vt sic à physica, & intentionali; à creata, & increata, quam animal vt sic à rationali, & irrationali: ecce tota tua argumentatio, quam euidentem vocas: ergo mea argumentatio, quæ etiam hæc est, euidentissime concludit contra te; si autem negas hanc ratiocinationem esse euidentem eodem modo negabo tuam euidentiam habere; quod non debes consentire: ergo si hic bene discurris, sine dubio perperam ratiocinaris, quando negas posse præscindi rationem communem vitæ ab homine vegetante, & à Deo intelligente.

16 Deinde secundum tuum discursum, quo vteris ad idem probandum in medio numeri decimi §. veniamus ad sententiam, supponendo dari præcisiones obiectiuas, accommodo tibi, & in te contorqueo; sicut enim animal est indifferens, vt sit rationale, vel irrationale, ita vita vt sit Physica, vel intentionalis; vt sit creata vel increata; sicut animal potest cognosci, non cognito rationali, & irrationali, ita vita non cognita ratione physica, vel intentionali, creata, vel increata; & sicut homo est similis equo in animalitate, & non in rationalitate; ita homo est similis Deo in ratione vitæ, non vero in vegetatione, aut intussumptione, & hoc modo possunt cætera argumenta, quæ afferri possunt ad probandas eas præcisiones in omnibus rationibus communibus eadem via commendari ad nostrum propositum; ecce nostra ratio confecta eodem modo, ac conficitur à Patre Arriaga sua solum mutata materia de ente in vitam. Vnde solutiones, quas applicare voluerit huic nostri rationi, sine dubio erunt arietes, & balistæ seu tormenta ænea, quibus labefactabuntur argumenta propria.

17 Hucvsque ad hominem; ostensiue autem sic demonstro contra Arriagam: quia planta ex parte obiecti concepta, & homo quatenus vegetatur non est mortuus, item homo quatenus intelligit non est mortuus: ergo conueniunt homo quatenus vegetatiuus, & Deus quatenus intelligens in ratione non mortui, hoc est in negatione mortis; sed negatio mortis est negatio negationis, ac proinde est positiua ratio primatio, quia qui negat negationem, affirmat: ergo Deus, & homo conueniunt in positiuo prædicato negante, & excludente mortem, hoc est in conceptu positiuo opposito morti; sed conceptus positiuus excludens positiue mortem, & oppositus immediate morti est vita, quia mors, vt mors ex sua immediata definitione est priuatio vitæ: ergo Deus intelligens, & homo vegetans conueniunt in ratione vitæ vt sic; siquidem conueniunt in excludendo, & opponendo se morti, cum hoc tamen discrimine, quod Deus excludit mortem per rationem vitæ vt sic contractam ad perfectissimam rationem vitæ increatæ, seu contractam ad differentiam intentionalem; homo autem quatenus vegetatur, sicut planta excludit mortem per vitam physicam. Itaque siue hoc, siue illo modo excludant, conueniunt tamen in conceptu positiuo excludente mortem siue excludant illam vt negationem, siue vt priuationem, qui conceptus est vita vt sic abstrahens à physica, & intentionali: ergo manifeste sequitur, Deum, hominem, & plantam conuenire in ratione vitæ vt sic communi Deo, & creaturis.

Vrgetur, ac declaratur; quia hæc est euidens ratiocinatio, quia Deus & homo conueniunt in excludendo inhærentiam positiue, conueniunt in conceptu positiuo opposito inhærentiæ; sed conceptus positiuus oppositus enti inhærenti, siue aptitudinaliter, siue actualiter & ipsi inhærentiæ est substantia & subsistentia: ergo Deus & homo euidenter conueniunt in ratione substantiæ, & subsistentiæ. 18

Clarius, omnes creaturæ conueniunt cum Deo in conceptu negante repugnantiam ad existendum; sed conceptus negans repugnantiam ad existendum, quia est negatio negationis est positiuus, ac proinde est conceptus entis realis, quia est potens existere: ergo conueniunt omnes creaturæ cum Deo in ratione potentis existere, ac proinde in ratione entis realis: ecce quomodo argumentum fit euidens ad probandum, Deum & creaturam conuenire in aliquo conceptu positiuo opposito; quia conueniunt in exclusione alterius oppositi; sed homo vegetans, & planta, quæ vegetatur, & Deus quatenus intelligit, conueniunt in opposito mortis, & in excludendo illam, hoc est in excludendo negationem seu carentiam vitæ, siue voces illam mortem, siue non, quæ est opposita vitæ immediate: ergo conueniunt in opposito negationis vitæ, seu in opposito mortis immediato; sed oppositum immediatum mortis, & negationis vitæ est vita, vt ex terminis patet: ergo euidenter sequitur à paritate rationis, plantam, & hominem, quatenus regenerantur, conuenire cum Deo quatenus intelligit in ratione vitæ vt sic, abstrahente à vegetatiua, & cognoscitiua. 19

Vrgetur amplius; homo sub ratione viuentis vegetatiue differt à lapide non viuente, & Deus etiam quatenus intelligit, differt à substantia non viuente v.g. à lapide: ergo Deus, & homo conueniunt in differendo à substantia non viuente, seu sunt similes in dissimilitudine à lapide, quatenus est substantia non viuens; sed illa differentia à lapide, & substantia non viuente communi Deo, homini, & plantæ est conuenientia in ratione vitæ, & illa dissimilitudo fundatur in similitudine vitæ communis Deo, homini, & plantæ: ergo planta, homo & Deus participant rationem vitæ à vita vt sic: ergo iam datur vita vt sic communis Deo, plantæ, & homini vegetanti. 20

Ex quo manifeste, & euidenter sequitur vitam vt sic non esse nomen æquiuocum respectu Dei plantæ, & hominis, quia nomen æquiuocum significat ea, quæ nullo modo conueniunt in aliquo obiecto significato per tale nomen, quia impositum est illud ad significanda entia, quatenus maxime differunt sine alia conuenientia, præter eam solum, quæ datur in nomine; vnde definiens Philosophus æquiuoca sic ait: [æquiuoca sunt, quorum nomen est commune, ratio vero substantiæ omnino diuersa;] quod manifeste videtur, ac perspicitur in hoc nomine *canis*, quod impositum est ad significandum tria subiecta, v.g. stellam, animal latrabile, & pecus squameum, seu piscem, vnumquodque secundum propriam differentiam, & omnia quatenus inter se omnino differunt sine vlla conuenientia; quod forte accidit, quod non 21

ab

ab vno sed à pluribus idem nomen impositum est, sine eo quod conuenirent ad talem impositionem fortuito, & casu, & vnusquisque volens significare illud subiectum, quod sibi apparebat secundum propriam differentiam, & vt discriminabatur ab alio quocunque, non attendendo ad id, quod alius impositor significare intendebat, dum imponebat nomen canis alteri omnino diuerso subiecto, & ideo vocantur à Philosopho huiusmodi impositiones æquiuocæ à casu, & hoc præcipue contingit, quãdo idem nomen à diuersis nationibus ad varia significanda imponuntur, quæ non à concilio, sed à casu tale nomen inuenerunt, vt videre est in hoc nomine: concepto: quod Hispani imposuerũt acutæ vitæ, aut profundæ cogitationi, Barbari autem, quos in hoc Perubio Chixos vocamus iuxta Quitensem Prouinciam commorantes, significant per illud nomen partem illam interiorem animalis in pectoris medio appensam, quam cordis nomine insignimus, quod vtraque natio sine vllo consilio, aut conuenientia fecerunt, solum casu, & fortuito, & ideo æquiuoca à casu propriissime dicuntur: Aliquando etiam ab eadem natione imponitur idem nomen diuersis rebus propter aliqualem similitudinem, saltem exteriorem, & quia non d tur conuenientia intrinseca dicuntur etiam æquiuoca.

22 Tandem à Sapientibus data opera ad subtiliter ventilandas quæstiones & controuertendas materias, & vt doceant clare, & distincte essentias, & differentias rerum, & vt doceant quid sit ratio formalis vniuoci, & analogi, imponunt idem nomen diuersis, & distinctis rebus, quod nomen opponunt vniuoco, & inter vniuocum, & æquiuocum constituunt analogum, cuius naturam recte explicant, explicatis vniuoco, & æquiuoco, tanquam extremis, imo naturam vniuoci recte explicant, explicando prius naturam æquiuoci extreme oppositam vniuoco; quia per cognitionem vnius extremi sæpissime cognoscitur alterum, vt tenebras cognoscimus cognoscendo lucem; oppositorum enim eadem est disciplina, & ratio, &c.

23 Ecce hæc omnia genera æquiuocorum conueniunt in hoc, quod multa subiecta significentur per idem nomen, quatenus per se differunt, & non quatenus conueniunt intrinsece in aliqua ratione communi alias non æquiuoca, sed aut vniuoca, aut analoga essent.

24 Sed hoc nomen, vita, (quatenus præscinditur à nominibus physico, & intentionali, creato, & increato; quibus potest adiungi, quando dicimus; vita physica, vita intentionalis, vita hominis, & plantæ, videlicet vita creata, & vita increata) significat quoddam prædicatum positiuum immediate oppositum morti, aut carentiæ vitæ, in quo conueniunt planta, homo, & Deus, & per quod remouent à seipsis mortem & carentiam vitæ, & conueniunt in tali remotione & non significat talia subiecta, quatenus inter se differunt: ergo vita non est nomen æquiuocum, sed potius omnino vniuocum; sicut animal est vniuocum, & non æquiuocum; quia significat subiecta quatenus conueniunt, & non quatenus primo differunt, quia cum Deus realiter viuat; item & planta; non est illis commune solum nomen; viuens enim vt significat rationem communem vitæ, magis commune significatum habet, quam gallus respectu hominis incolentis Galliam, & gallinacei, quod enim ea voce significatur, non est diuisibile logicè, nec commune metaphysice; quia immediate amplectitur hominem, & Gallum in nulla ratione intrinseca conuenientes; at vero viuens est logice diuisibile in Deum, & plantam; quia planta & Deus conueniunt ex parte obiecti in ratione viuentis: ergo viuens non est æquiuocum: probo antecedens; primum, quia planta habet prædicatum vitæ similius vitæ Dei, quam lapis; hic enim tantum conuenit cum Deo in ratione substantiæ; vltra hoc planta est substantia viuens, & Deus est substantia viuens: ergo in hoc conceptu conueniunt, & sunt similes.

## SVBSECTIO II.

*Positiue, & affirmatiue conclusiones nostræ ponuntur.*

PRima conclusio: in Deo datur vera, & perfecta vita: conclusio est de fide; probatur primo, *Deut. 32.* viuo ego in æternum, *& Psalm. 83.* [cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum,] *& Io. 14.* [ego sum via, veritas, & vita] *& Apoc. 4.* [adorabant viuentem in sæcula sæculorum,] *& Ecclesiast. cap. 7.* ibi: [hoc habet plus eruditio, & sapientia quod vitam tribuit possessori suo,] quæ loca considerans D. Augustinus, *lib. 15. de Trinitate, cap. 5. sub initium*, sic ait. [quis enim vel vnum Deum, quod est ipsa Trinitas, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum audeat dicere, aut non viuentem, aut nihil sentientem vel intelligentem, aut in ea natura, qua inter se prædicantur æquales, quemquam esse eorum mortalem, siue corruptibilem, siue mutabilem,] quibus consonat Nyssenus *orat. catechet. capite 1.* ibi: nefas est enim putare, Verbum citra omnem vitam consistere instar lapidum. Idem docet Nazianzenus *orat. 15.* quæ est secunda de pace, Cyrill. *in Ioan. lib. 1. cap. 9. & Dialogor. de Trinitate, lib. 7.* Athan. *orat. 5. contra Arrianos, propius ad medium, quam ad finem*, adducto testimonio ex 1. *Ioan. 1.* quod erat ab initio, &c. Damascenus *lib. 1. fidei cap. 15.* Chrysost. *tom. 1. homil. in id Psal. 24.* dirige me. Gregor. *lib. 18. moral. cap. 27. & cap. 34.* Isidorus *lib. 7. ethymol. cap. 1.* Anselmus *in Monolog. cap. 14.* & Aristoteles *lib. 2. de cælo, text. 17.* [Dei operatio immortalitas est; hoc autem est vita sempiterna. Itaque necesse est, motum sempiternum Deo inesse, *& libro 10. Ethic. capite 8. circa medium*, ibi: viuere ipsos Deos vniuersi putant; quare & operari non enim oportet, illos vt Endimionem aiunt dormire,] *& 12. lib. met. text. 39.* ibi: degentia vita, qualis nobis paruo tempore optima illi est; siquidem ita semper illud est; nobis autem profecto id impossibile est, speculatio optimum, & magis delectabile est; si igitur ita bene se habet Deus semper vt nos aliquando admirabile est; quod si magis adhuc admirabilius est, at ita se habet; cæterum vita quoque profecto inexistit, siquidem intellectus operatio vita est. Ille vero est actus, actus vero per se illius vita optima, & perpetua est. dicimus itaque Deum sempiternum, optimumque viuens esse, quare vita, & æuum continuum & æternum Deo inest, hoc enim est Deus. 25

Prima demonstratio ad probandam hanc veritatem sumitur ex D. Dionysio *lib. de diuinis nominibus, cap. 6. initio*: [nunc nobis laudanda est æterna vita, ex qua ipsa vita, omnisque vita pendet, & à qua in omnia, quæ qualemcunque vitam degunt, vita pro modo cuiusque diffunditur, rursus vitam vita omnisuperiorem, diuinamque vitam ipsius vitæ vitalem causam esse dicimus.] Et concludit 26

dit caput illud his verbis, [ vita quæ vitam superat, vitæque est principium vt vniuersa, omnisque vita spectatur, & celebratur, atque vt nihil requirens, aut potius vitæ plena ipsa vita dicitur, & vt omni vita, vt ita dicam vitalior, superiorque vita.] In quibus verbis hanc demonstrationem continet, Deus est causa, & principium totius vitæ; sed nihil est in effectu, quod non contineatur in causa: ergo vita continetur in Deo; sed non continetur solum eminenter: ergo continetur formaliter. Minor hæc sic probatur; quia vita secundum se est perfectio simpliciter simplex; sed perfectio simpliciter simplex formaliter continetur in Deo: ergo in Deo formaliter est vita, quam rationem supra late proposuimus, & infra etiam proponetur, dum de voluntate diuina agendum erit, videantur ibi dicta.

27 Secunda demonstratio sumitur ex verbis Diui Augustini *lib. 15. de Trinit. cap. 4.* vbi sic ait; [quoniam rebus creatis creatorem sine dubitatione præponimus, oportet vt esse, & summe viuere, atque intelligere in ipso fateamur.] Ex quibus sic argumentor; quia Deus est omnium creaturarum excellentissimum ens: ergo perfectiones, quæ in omnibus creaturis admixtæ imperfectionibus reperiuntur defæcatæ, & depuratæ ab imperfectionibus in excellentissimo, & summo gradu perfectionis debent reperiri in Deo: atqui viuere, intelligere, & esse sunt perfectiones in creaturis admixtæ imperfectionibus: ergo deputatæ ab illis reperiuntur in Deo in summo gradu perfectionis.

28 Vltimo probatur à D. Thoma *lib. 1. contra Gent. cap. 92. ratione 2.* ibi: [adhuc viuere secundum hoc aliquibus attributum est, quod visa sunt per se, non ab alio moueri, & propter hoc illa, quæ videntur per se moueri, quorum motores vulgus non percipit, per similitudinem dicimus viuere sicut aquam viuam fontis fluentis; non autem sisternæ, vel stagni stantis, & argentum viuum, quod motum quemdam habere videtur, proprie enim illa sola per se mouentur, quæ mouent se ipsa composita ex motore, & moto, sicut animata; vnde hæc sola proprie viuere dicimus; alia vero omnia ab aliquo exteriori mouentur; vel generante, vel remouente prohibens, vel impellente. Et quia operationes sensibiles cum motu sunt, vlterius omne illud, quod agit, se ad proprias operationes; quamuis non sit cum motu, dicitur viuere; vnde intelligere, appetere, & sentire actiones vitæ sunt; sed Deus maxime non alio, sed à seipso operatur cum sit prima causa agens maxime: ergo competit ei viuere; diuinum enim esse omnem perfectionem essendi comprehendit, viuere autem est quoddam esse perfectum; vnde viuentia in ordine entium non viuentibus præferuntur diuinum: ergo esse est viuere ipse: ergo est viuens.

## SVBSECTIO III.

### *Vltima conclusio ponitur.*

29 VIta Dei in hoc consistit, quod sit in vltimo actu æquialente motui, vel operationi, ad quem virtualiter se reducat, hanc conclusionem docet P. Suarez *tom. 2. metaphys. disput. 38. sect. 13. §. quomodo Deus viuat*: his verbis; recte enim ex hac obiectione intelligitur, esse longe diuersum diuinæ, & creatæ substantiæ viuendi modum, & quod de diuinis attributis positiuis diximus, in hoc manifestissimum esse, scilicet secundum modum, quo sunt in creaturis non esse in Deo formaliter, sed eminenter; esse autem in Deo formaliter secundum modum altiorem, qui omnem imperfectionem creaturarum excludat in modo: ergo vitæ, quem creaturæ habent, duo considerare licet, vnum quod existentes in suo naturali statu sese actuant, vel aliquomodo se perficiendo, vel in se ipsis alia repræsentando per cognitionem, vel in ea tendendo per appetitum perfectum; aliud est, quod hæc efficiunt per veram causalitatem, & motionem, qua se ipsa mouent vel proprio motu, vel saltem mutatione perfectiva, prius hoc perfectionis est, & nullam includit, vel supponit imperfectionem, nisi quatenus includit posterius, id est quatenus illud actuare se est per veram causalitatem: hæc ergo imperfectio tollenda est à vita Dei, & solum id, quod perfectionis est, illi est tribuendum, atque ita concipiendus est Deus vt actualissime habens totam illam perfectionem, quam habet viuens, cum se se actuat intelligendo, vel cognoscendo secluſa illa imperfectione distinctionis, & causalitatis inter actum, & potentiam; cum ergo nonnulli Theologi more Platonico, dicunt Deum viuere, quia perpetuo se mouet per operationem immanentem perfectiuam, quam ex se, & ex interna natura habet, & non aliunde, loquuntur late de operatione magis quantum ad modum significandi, & concipiendi nostrum, quam secundum rem, ita vt in operatione non includatur efficientia, nec realis dimanatio, sed solum illa actualis perfectio, quam non, nisi per modum operationis, aut motus explicare non possumus.

Addere posset Theologus, etiam esse in Deo ad intra veras, & reales processiones, quæ manifestissime sunt actus vitæ, veruntamen illæ superant rationem naturalem, & per se non sunt necessariæ ad intelligendam essentialem vitam Dei; nam hic Deus vt sic est essentialiter viuens, etiamsi vt sic nihil ad intra producat, & similiter sint tali essentia vna tantum persona subsisteus intelligeretur, esset viuens ex vi talis essentiæ, sicut etiam nunc Spiritus sanctus perfectissime viuit, licet nihil ad intra producat, & filius intelligendo viuit, quamvis intelligendo non producat processiones: ergo illæ per se, ac formaliter non erant necessariæ ad vitam, esse tamen non potuissent, nisi in natura viuente, & fœcundissima, & ideo nobis, qui eas credimus, recte declarant perfectissimam vitam diuinæ naturæ. Sic ille, vbi vitam diuinam explicat per sese actuare, & per actualem perfectionem, æquialentem motui, & ideo asserit, non nisi per modum motus à nobis posse explicari, quod etiam docuit P. Didacus Ruiz *tomo de scientia Dei, disput. 93. sect. 3. num. 1.* ibi, [ Respondetur ampliandam esse significationem vocabuli, vt motus appelletur quilibet actus agentis, quantumcunque perfecti, & actualiter operantis, quapropter motus in hoc sensu valet idem, quod operatio, licet vt plurimum magis stricte, magisque proprie soleat accipi motus. 30

Probatur hæc sententia auctoritate Aristotelis, qui loquens de vita Dei 12. *metaphys. text. 39.* sic ait; [ cæterum vita quoque profecto inest; siquidem intellectus operatio vita est, ille vero est actus, actus vero per se illius vita optima, & perpetua est.] Ecce quomodo Aristoteles loquens de vita Dei asserit esse actum perfectissimum, & optimum, qui conuenit Deo per modum operationis, non quidem vt sit proprie motus sed quod æquialeat

æquiualeat motui quia ita est in vltima illa actualitate, vt se habeat, ac si per motum formalem reduceretur ad actum.

31 Idem docet D. Thomas *prima parte, quæst.* 18. *art.* 1. *in corpore*, ibi; [ ex quo patet, quod illa proprie sunt viuentia quæ seipsa secundum aliquam speciem motus mouent, siue accipiatur motus formaliter, sicut motus dicitur actus imperfecti, id est existentis in potentia, siue motus accipiatur communiter provt motus dicitur actus perfecti provt intelligere, & sentire dicitur moueri, vt dicitur in tertio de anima. ] Ecce vbi D. Thomas recognoscit duplicem actum, alium, qui est imperfectus, & est motus proprie, ac formaliter; quia est actus entis in potentia secundum quod in potentia est, & hic motus licet sit vita creaturarum non potest esse vita Dei, quia Deus incapax est actus imperfecti; alius actus est perfectus, qui non est motus formaliter, imo illum contraponit motui formali D. Thomas, nihilominus tamen vocat motum communiter, quia licet non sit motus, nihilominus æquiualet motui; vnde motus virtualis dicitur, quia motus oppositus formali motui erit virtualiter, aut æquiualenter motus, qui modus frequentissimus est D. Thomæ ad significandas res virtualiter tales; nam *eadem prima parte, quæstione trigesimanona*, vt significet distinctionem virtualem, quæ datur inter relationes diuinas, & diuinitatem; contraponit illam distinctioni formali à parte rei, & asserit communiter, vel aliquomodo posse dici distinctionem: ergo si actum perfectum, & vltimum, quem vocat vitam perfectam, contraponit motui formali, &c. ergo in sententia Diui Thomæ erit motus virtualis, aut æquiualenter, qui erit vita Dei, eum vita Dei sit actus perfectus sine imperfectione vt *articulo tertio, eiusdem quæstionis* 18. *in fine articuli*, docet Diuus Thomas; his verbis: [ illud igitur, cuius sua natura est ipsum eius intelligere, & cui id, quod naturaliter habet non determinatur ab alio, hoc est quod obtinet summum gradum vitæ; tale autem est Deus, vnde in Deo maxime est vita, vnde Philosophus 12. *metaphysicæ* ostenso, quod Deus sit intelligens, concludit, quod habeat vitam perfectissimam, & sempiternam, quia intellectus eius est perfectissimus, & semper in actu, ] qui actus est sine motu formali, ac proinde sine imperfectione; quia autem talis actus est cum motu virtuali vocatur ab eodem Angelico Doctore *libro primo, contra Gentiles, capite* 97. *ratione secunda, in fine*, operatio sine motu, his verbis: [ vlterius omne illud, quod agit se ad proprias operationes, quamvis non sit cum motu, dicitur viuere; vnde intelligere, & appetere actiones vitæ sunt: sed Deus maxime, non alio, sed à seipso operatur cum sit prima causa agens maxime: ergo competit ei viuere.]

32 Explicatur, & probatur nostra conclusio; aduertendo dari in Deo duplicem perfectionem aliam, quæ non est actus vltimus, sed primus, vt verbi gratia, omnipotentia, quæ est actus primus actionum transeuntium, verbi gratia, productiounm creaturarum, & ideo nomine potentiæ significatur, quia totum esse illius perfectionis consideratur à nobis, & explicatur per modum virtutis productiuæ, cuius terminus est extra Deum, quia autem potentia quatenus potentia seu virtus factiua alicuius non concipiatur per modum actus vltimi, sed potius per modum actus primi ordinati nostro modo concipiendi ad actum vltimum, ideo absolute, ac simpliciter dicitur potentia, seu principium actus non actus; vltimus; aliæ perfectiones in Deo sunt actus vltimi, vt est præsentia, seu vbi infinitum, per quod Deus est in omnibus rebus intime præsens illis dicitur actus vltimus, quia non ordinatur ad vlteriorem actum sed potius ipsum ex suo munere constituit Deum vltimo, & formaliter in esse præsentis; hic autem actus, licet vltimus sit excluditur à ratione viuendi sicut præcedens, ille quia non est vltimus, quod requiritur necessario ad vitam actualem, vt patet ex verbis Philosophi, & D. Thomæ adductis; hic quia licet sit actus vltimus, nihilominus tamen non æquiualet motui per quem virtualiter se mouet id, quod viuit, & ratio est manifesta, quia præsentia sequitur ad existentiam, & ad rationem entis, & ideo concipitur ante omnem vitam, quia gradus entis simpliciter est prior in Deo prioritate vniuersalitatis, & constitutionis, ac proinde subsistendi consequentia, vnde bene valet; est viuens: ergo ens; non autem è contra est ens: ergo viuens; vnde consequenter sequitur gradum entis esse ante principium motus, quo res se potest mouere, quia principium, quo se res potest mouere incipit à gradu viuendi, qui sequitur ad gradum entis; quapropter inter se conuertuntur viuens, & se mouens, vnde vt aduertit D. Th. supra, quidquid mouetur & nescimus, an sit ab alio, vel ignoramus principium talis motus vocamus viuum, vt argentum viuum, aquam viuam, imo si à longe videamus corpus immotum, nihil de illo vitale prædicamus, statim autem, ac videmus, moueri, & non videmus principium extrinsecum talis motus, dicimus esse vitale: ergo ante gradum viuendi non cõcipitur motus, neque actus mouendi se, vnde cum præsentia sequatur ad gradum entis, qui est ante gradum vitæ, necessario dicendum est, præsentiam non esse actum, quo se mouet res præsens: ergo nõ est viuere, tertius modus perfectionis est in Deo, qui est actus vltimus, quia est vltima actualitas perfectissima nostro modo cõcipiendi prouenies ab actu primo, vt v. g. intelligere, velle, & recordari; dicuntur actus vltimi hæ perfectiones, quia vltimo actuatur Deus per illas, & nõ ordinatur ad vlteriorem actum per easdẽ; sunt autem æquiualentes motui quo res se mouet, quia virtualiter profluunt, & æquiualenter emanant à voluntate, intellectu, & memoria Dei, vnde Deus per intellectionem, & volitionem sine vlla imperfectione distinctionis realis, receptionis, causalitatis & mutationis formalis se habet ac si à potentia in actum à seipso reduceretur, vnde se habet per summam eminentiam ac creatura per imperfectionẽ dum vult, & intelligit, quapropter sicut creatura quãdo vult & intelligit, ita intra se operatur formaliter, vt se reducat de actu primo in actum secundũ mouendo seipsam formaliter, ita Deus altiori modo per actũ perfectissimum, & simplicissimũ in pura, & vltima actualitate consistentẽ ita se habet, ac si formaliter operaretur intra se, & formaliter se moueret, ac reduceret de actu primo in secundũ quod nihil aliud est, quã motio, & reductio virtualis, & per æquivalentiam, quod explicuit Philosophus *libro* 2. *de cœlo, text.* 12. ibi, Dei operatio immortalitas est; hoc autem est vita sempiterna, itaque necesse est motum sempiternum Deo inesse, ] *& libro* 10. *Ethic. capite octauo, circa medium*, ait, [ viuere ipsos Deos vniuersi putant, quare & operari? qui modus loquendi etiam in Scriptura reperitur. *Sapientiæ enim* 7. dicitur, [ omnibus mobilibus mobilior est Sapientia, ] mobile autem intelligi-

tur aptum moueri à seipso, quando perfectissimũ est mobile, dicitur autem mobilis Sapientia, vt inquit D.Thomas, non quia in se moueatur formaliter, sed quia quatenus intelligit omnia sine vllo modo per suam eminentiam ita se actuat, vt per motum actuari solet creatura intelligens, & quia sapientia Dei nunquam cessat à cognitione, quasi sit in continuo motu describitur, quo superat omnia mobilia, quæ in perpetuo, & perenni motu esse non possunt, eo quod defatigentur, quod non cadit in Deum, quod explicatur optime per verba supradicta, videlicet omnibus mobilibus mobilior est Sapientia, quæ mobilitas, vt explicatur à D.Thoma per supradictam virtualitatem, & æquiualentiam summa perfectio est, cuius carentia esset imperfectio in Deo; nam licet motus formalis imperfectio sit in creatura, motus tamen eminentialis, virtualis, & æquiualentiæ summa perfectio est; sicut extensio, & diuisibilitas formalis est imperfectio in creatura, nihilominus tamen extensio virtualis sine dubio est summa perfectio creatoris, ita similiter perennis operatio intra se continuus sine interruptione motus, non formalis, sed virtualis, eminentialis, seu æquiualentiæ summa perfectio est, ratione cuius Sancti Patres aliquando tribuunt motum Deo ne scilicet ipsum consopitum tanquam in somno ab operationibus vitalibus vacantem conciperemus, & ob hanc causam Philosophus, *lib.* 12. *Metaphysicæ, text.* 51. asseruit, Deum esse in perpetua vigilia, quia nimirum est actus secundum operationes imminentes intellectus, ac voluntatis, ita Gregorius Nazianzenus *orat.* 42. *quæ est secunda in Pascha, satis ante medium*, Augustinus *lib.* 8. *de Genesi ad litt. cap.* 20. D.Dionysius, *cap.* 1. *de cœlesti Hierarc. & cap.* 9. *de diuinis nominibus*. Tertulianus *lib.* 2. *aduersus Marcionem cap.* 16. Gregorius Magnus, *lib.* 20. *Moralium, cap.* 25. *in id Iob* 30. [mutatus es mihi in crudelem,] D.Thomas 1. *p. quæst.* 9. *art.* 1. *ad primum, & in primo distinct.* 8. *quæst.* 3. *art.* 1. *ad secundum*, quæ loquutiones non possunt intelligi de mutatione formali, cum Deus de seipso dicat: ego sum Deus & non mutor, & in canonica à Iacobo proferatur, [in quo non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio.]

33 Vnde eleganter Nizenus *lib. de orat. versus finem*, in hæc verba prorumpit, [quia ad omnẽ mutationem firmus, & immobilis est qui non potest reperire melius in quod transeat,] & ideo merito dicebat Plato *Dialogo* 2. *de Republica, versus finẽ*, quod si Deus mutaretur, fieret deterior, hoc autem si quis admittat, iam concedat necesse est, Deum non esse primam, ac infinitam bonitatem; igitur si in cognitione Dei, & in volitione ipsius secundum Scripturam, & Patres concedendus est motus, vt talis cognitio sit viuere Dei, & non est concedendus motus formalis, vt patet ex dictis, concedendus erit sine dubio motus virtualis, per quem Deus se æquiualenter moueat, & virtualiter reducat ad actum perfectissimum; & se constituat in vltima actualitate, per quam vt docebat P.Suarez, Deus sese actuat; vnde S.Thomas docet, Deum se mouere his verbis: [nam illud maxime omnium mouet se, quod ex seipso habet adminicula omnia quomodocunque ad motum concurrentia (hoc est siue virtualiter, siue formaliter) sed Deus est huiusmodi: ergo ipse maxime omnium se mouet,] vtique virtualiter, & ideo viuit intelligendo, & volendo.

34 Itaque hic vltimus actus, & vltima perfectio Dei vita perfectissima eiusdem est, quia formaliter est actus, & habet formalissimam entitatem, seu actualitatem, per quam æquiualet motui creaturarum quod docuit illis verbis Pater Suarez, [& quod de diuinis attributis positiuis diximus, in hoc manifestissimum esse, scilicet secundum modum, quo sunt in creaturis non esse in Deo formaliter, sed eminenter; esse autem in Deo formaliter secundum modum altiorem, qui omnem imperfectionem creaturarum excludat.] Vnde licet ad vitam diuinam intercedat æquiualentia, & virtualitas, non sunt ad æquiualendum vitæ vt sic, quia in Deo non solum est vita æquiualenter, sed formaliter, sed ad æquiualendum imperfectionibus creaturarum in vita earum. Est autem formaliter vita in Deo ratione actualissimæ, & formalissimæ perfectionis, quæ propter suam formalem excellentiam æquiualet motui in creaturis. Itaque ratio formalis vitæ est illa formalis actualitas, in qua fundatur talis æquiualentia, quæ non potest fundari in aliis perfectionibus propter rationes supra positas, & ideo formaliter huiusmodi perfectio est intellectio, & volitio, quæ necessario viuere est, seu vita actualis, quæ denominatio intelligendi, & amandi non potest tribui aliis perfectionibus diuinis, quæ sequuntur gradus communes Deo, & creaturis non viuentibus: ergo illæ perfectiones non possunt esse vita, neque æquiualere motui à seipso, quia creaturæ viuentes in similibus formalitatibus solum mouentur à seipsis formaliter, & non in aliis, quæ sequuntur gradus communes rebus non viuentibus, homo enim, & Angelus se formaliter mouent intelligendo, & amando: ergo Deus quatenus intelligit, & amat, seu vult, cum non possit se mouere formaliter, se mouebit virtualiter, aut æquiualenter; quod sufficit, vt sine imperfectione creaturarum sicut viuit & intelligit formaliter, ita formaliter viuat; in quo est summa eminentia, & excellentia purissimæ, & actualissimæ vitæ diuinæ; nam habere quidquid perfectionis est in formalitatibus, & prædicatis creaturarum sine imperfectionibus illarum indicat infinitatem simpliciter per essentiam, quæ petit summam puritatem, & actualitatem, excludentem omnem imperfectionem, quæ sequitur in creatura potentialitatem, cui immergitur.

Ex quibus omnibus patet nullius esse momenti 35
id, quod aliqui asserunt, vitam scilicet diuinam non vocari realem, sed intentionalem; nam vita diuina realis est, & simul intentionalis; quia reale non opponitur intentionali, sed potius vitæ fictæ; quis enim negabit secundum principia veræ philosophiæ, intellectionem, & volitionem creatam, quæ vita intentionalis est, esse realem; cum non sit ficta, sed vere existat à parte rei.

Ergo similiter vita Dei, licet sit intentionalis, 36
hoc est cognoscitiua, & appetitiua, realis erit nihilominus.

Ex his omnibus facile erit, assignare vitam 37
actualem vt sic provt abstrahit à creata, & increata; nam cum viuere creatum sit actuare se per motum formalem, & viuere increatum sit actuare se per motum virtualem aut æquiualentem, viuere vt sic erit actuare se abstrahendo à motu formali, & virtuali. Quare manifeste colligitur, dari conuenientiam vniuocam inter vitam diuinam, & creatam, siue illa sit physica, siue intentionalis, quia omnes conueniunt in ratione actuandi se provt explicatum est, vnde in augmentatione viuentium, & datur duplex conceptus, alius actuandi se, seu vltimæ actuali

actualitatis, per quem conuenit creatura cum Deo; alius taliter actuandi se, per quem differt ipsa creatura à Deo; [talis autem modus actuandi se, quem differentiam vocamus, est per intus sumptionem se actuare, quæ differentia non tollit, quominus Deus & creatura conueniant in ratione actualitatis vt sic, seu actuandi se; Vnde P. Arriaga perperam arguit ratione, quam ipse à priori vocat, dicendo vitam physicam consistere in augmentatione per intus sumptionem, intentionalem autem in cognitione & amore; & ideo non habere conuenientiam, nisi in ratione entis quæ non est conuenientia in conceptu viuentis; ratione cuius concludit male, Deum vt intelligentem non conuenire cum planta in ratione vitæ.

38 Nam licet verum sit, quod vita physica consistat in tali augmentatione, & quod talis vita secundum quod est augmentatio reduplicando supra differentiam non conueniat cum vita intentionali; nihilominus tamen hæc dissimilitudo ratione differentiæ non tollit, quominus detur in vita physica aliquis conceptus contractus per talem differentiam, & qui ex suo conceptu non includat illam, quia differentiæ sunt extra rationem superioris, v. g. Deus, homo, & Angelus conueniunt in ratione intelligendi vt sic, licet non conueniant in ratione taliter intelligendi; nam si homo sumatur quatenus intelligit ratiocinando, nullo modo conuenit cum Deo; quia in Deo neque vmbra, neque vestigium ratiocinationis datur, ex eo autem, quod in tali ratione intelligendi, scilicet per discursum formalè non conueniat homo cum Deo, non debet hæc irrationalis consequētia colligi: ergo homo nullo modo conuenit cum Deo in ratione intelligentis vt sic; alias ex eo quod homo sit ens creatum compositum ex materia, & forma; in quibus rationibus nullo modo cōuenit cum Deo, posses tu hanc consequentiam colligere: ergo homo non conuenit cum Deo in ratione entis vt sic, aut ratione substantiæ vt sic; certe tunc dignus esses irrisione; ex eo quod confunderes rationes communes; & quia non distingueres conceptum superiorem ab inferioribus; quid enim tu diceres, si audires, dicentem; homo est animal rationale; equus autem non est rationalis sed brutum: ergo homo, & equus nullam conuenientiam habent in ratione animalis vt sic? certe rideres talem obliuionem arguendi secundum bonas regulas Dialecticæ: ergo similiter irridendus est, qui dicit; vita physica consistit in ea augmentatione per intus sumptionem, intentionalis autem in cognitione, & amore objecti: ergo nullo modo conueniunt in ratione vitæ; confundis enim differentias augmentationis, & perceptionis, seu appetitionis, per quas totaliter differunt hæ vitæ; cum ratione vitæ vt sic, seu actuandi se, quæ est ratio communis, in qua conueniunt vita physica, & vita intentionalis, & quæ de se non inuoluit differentias, sed potius præscindit ab illis; & contrahitur per eas ad constituendas species vitæ; quæ licet secundum differentias non conueniant, conueniunt tamen in ratione viuendi vt sic, seu actuandi se, provt abstrahit ab actuatione per intus sumptionem, & ab actuatione per appetitionem, aut perceptionem objecti. Item sicut non bene valet, intellectio in ratione percipiendi objectum, non conuenit cum volitione: ergo non conueniunt in ratione vitæ; ita etiam non valet futilis illa, ac puerilis argumentatio, quæ vix videtur salutasse limina Dialecticæ; vita physica non conuenit cum intentionali in ratione augmentatione per intus sumptionem: ergo non conuenit cum illa in ratione vitæ vt sic, quatenus est operatio, aut actuatio sui, quæ dicitur operatio vt sic immanens, provt abstrahit ab operatione includente motum formalem, aut virtualem; quæ diuiditur in operationem eminentialiter, aut virtualiter immanenter, æquiualendo motui; & sic conuenit Deo; vnde cum dicitur à Diuo Thoma, & ab aliis, Deum viuere; quia mouet se, aut operatur intra se, non debet intelligi cum imperfectionibus creaturarum quales sunt, vel transitus ab vna operatione ad aliam, vel ab otio ad opus, vel cum distinctione inter operationem & operantem; nihil enim horum in Dei vita inveniri potest; dicitur ergo operari intra se vitali modo, aut mouere se, quia perfectionem illam actualem, quam habent viuentia creata, dum vitaliter in seipsis operantur cum efficientia ipsius operationis hanc habet Deus totam sine illa imperfectione per substantiam, & essentiam suam; vnde substantialis vita Dei hoc differt à substantiali vita creaturæ, quod hæc videtur posita in duplici habitudine transcendentali ad operationē scilicet principi actiui operationis circa se, & simul etiam receptiui. Deus autem vita est substātialis absolutissime, & simplicissime, nimirum vt per se, & suam essentiam habeat perfectā actualitatē quam nos in operatione esse intelligimus, vnde vt purius loquamur potius debemus dicere vitam Dei esse puram, & simplicissimam actualitatē vltimam, qua se actuat, quam esse operationem, aut motum per quem se moueat qui hic secundus modus loquendi minus habet decentiæ, & perfectionis, ac proinde absolute ad simpliciter loquendo, non est admittendus motus in Deo, quare non mihi placet Pater Valencia, qui probans dari vitam in Deo, 1. *parte disputat.* 1. *quæstione* 18. *de vita Dei, punct.* 1. §. *possumus*, sic ait; [vita est tum natura, cuiuscunque rei; quæ seipsam moueat, tum etiam motus ipse, seu operatio immanens procedens à tali natura; sed Deus maxime omnium seipsum mouet intellectione, & volitione nimirum, quæ sunt motus immanentes: ergo Deus maxime omnium habet vitam.]

Nam scriptura, quia absolutè dicit; Deum esse omnino immutabilem: [ego sum Deus, & non mutor.] & alibi etiam vmbram motus excludit à Deo, [in quo non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio] absolute reprehendit ita motum sine additō introducentes in Deum, quare motus nullo modo est adscribendi ipsi, nisi cum addito, vel metaphoricè, vel virtualiter, aut æquiualenter, vt admittitur dolor, pœnitentia, &c. quia motus proprie est actus entis in potentia secundum quod in potentia est, quod maximam imperfectionem includit, ac proinde omnino remouendum est à Deo, vtpote tanta Maiestate omnino indignum, quod sæpe notarunt, & aduerterunt P. Ecclesiæ, Origenes *homil.* 27. *in Numeros*, optimam regulam tradidit ad huiusmodi loquutiones sine periculo intelligendas, ibi: [hæc omnia, in quibus, vel mutari, vel lugere, vel gaudere, vel odisse, vel lætari dicitur Deus tropyco, & humano more accipienda sunt ab Scriptura dici, aliena porro est diuina natura ab omni passionis, & permutationis

tationis affectu ; in illo semper beatitudinis apice immobilis , & inconcussa] perdurans, ] similia dicit Basilius in id *Psalmi* 37. [ Domine ne in furore tuo arguas me, inconuenientia autē, quæ ex tali modo loquendi sequātur sic proponit Tertulianus *libro* 2. *aduersus Marcionem* , [ si Deus mutatur , irascitur , & æmulatur , & extollitur , & exacerbatur : ergo & corrumpitur : ergo & morietur, quod inconueniens etiam eruit Augustinus *libro quarto* , *de Trinitate* , docens, omne mutabile esse corruptibile ; vnde *libro* 5. *de Trinitate, capite secundo* , sic ait : [ aliæ essentiæ , vel substantiæ accipiunt accidentia , quibus in eis fiat , vel magna , vel quantacunque mutatio ; Deo autem aliquid huiusmodi accidere non potest, & ideo sola substantia , vel essentia , quæ est Deus , incommutabilis omnino est , ] quod ante docuerat Hylarius enarrat. in *Psalmum* 2. ibi, [ beata illa perfecta , æternaque virtutis bonitas non patitur conuersionem , nec demutatur ex alio in aliud motu accidentis instinctus,] idem Anselmus *in Monolog. capite* 24. Hugo Victor. *libro* 7. *eruditionis Didascal.* qui est de Trinitatis per visibilia agnitione, *capite* 20. vnde Cyrillus Alexand. de generatione Verbi loquens sic ait , [ hominis quidem natura ad nihilum redigitur , moritur , & corrumpitur , quia ante mutatur , ante nuncium enim mortis, & corruptionis videmus mutationem ; quid enim mirum si ex nihilo producta corruptioni subijciatur ; Deus autem viuus , & immortalis semper vnus, semper idem , sine vlla transmutatione perseuerans.]

Itaque caute loquendum est , dum motus nomine vtimur, dum de Deo loquimur ; quia phrasis absolute prolata imperfectionem sonat , quia dicit , produci realiter vnum ab alio per causalitatem : ergo si Deus comparatione suæ cognitionis nullo modo est causa productiua aut receptiua , nullo modo erit principium se intentionaliter mouendi per illam , quia intellectio diuina absolute , ac simpliciter sumpta est ipsa simplicissima essentia Dei sine vlla distinctione ab ipsa , alias existens in ipsa essentia simplicitatem tolleret diuinam , & compositionem imperfectam introduceret , quapropter in Deo non motus simpliciter , sed purissima actuatio, seu actualitas concedenda est , & ideo vt dixi, actuactio vt sic,seu operatio immanens eo modo, quo explicuimus, diuiditur in operationem , seu actuationem virtualem motum includentem , & hæc est vita Dei, & in actuationem formalem motum includentem , quo se ab intrinseco mouet creatura cum imperfectionibus vere , & proprie principij productiui , causatiui , & receptiui intra seipsam , quod nullo modo potest reperiri in vita Dei , quæque quantumuis diminutionem excellentiæ , & potentialitatis immersionem includant , propriissime tamen sunt respectu creaturæ , quæ in actu primo viuendi aliis imperfectionibus similibus circundatur, per quas omnino differt à Deo : ergo non mirum , quod vita Dei summe perfecta sit in pura actualitate consistens, è contra creaturæ vita maximis imperfectionibus plena sit.

# DISPVTATIO XIX.

## *De existentia , & perfectione diuinæ voluntatis.*

## QVÆSTIO I.

### *Vtrum detur in Deo voluntas.*

### SECTIO I.

#### *Conclusio ponitur.*

CONclusio : in Deo datur proprie , ac formaliter voluntas; hæc veritas aperte definita est in Scriptura: *Psalm.* 113. dicitur , [ Deus autem noster in cœlo omnia quæcunque voluit fecit , simulacra gentium , argentum & aurum, ] vbi Propheta Dauid pulchra anthitheſi declarat ingens discrimen inter verum Deum , & idola , seu fictos Ethnicorum Deos , nam hi instar auri , & argenti nulla voluntatis excellentissima perfectione gaudent , ac proinde nequeunt cultores liberare, Deus autem verus voluntate omnipotenti præest rebus omnibus , maximumque auxilium præbet cultu, ac veneratione reuerentibus ipsum , quia ad nutum suæ voluntatis omnia operatur , exequutionique extemplo mandat , quod expresse docuit Paulus *ad Ephes.* 1. *cap.* ibi : [ secundum propositum eius , qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ , ] vbi Apostolus agit de arcano ac profundo mysterio diuinæ prædestinationis, & electionis, vt late probauimus in materia *de prædest. quæst.* [ Vtrum electio ad gloriam sit ante præuisa ] merita , & secundum aliorum explicationem loquitur de electione diuinæ vocationis ad fidem , & gratiam , quæ sane tametsi videatur nobis vt quædam sors fortuita secundum illud Psalmi , si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ posteriora dorsi eius in pallore auri,à Deo vero procedit ex decreto,& proposito prudenti , & diuino consilio habito:ergo manifeste docet Paulus in Deo dari perfectissimam voluntatem liberam. Quam etiam veritatem proclamat Scriptura aliis perspicuis & claris locis, aut euidentibus indiciis innuit, vt *ad Roman.* 12. vt probetis, quæ sit voluntas Dei,& *ad Ephes.* 1. prædestinauit nos secundum propositum voluntatis suæ. & *infra* ; vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ. *Psalm.* 29. vita in voluntate eius , in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem , *Sapientiæ* 11. subest enim tibi, cum volueris posse , quomodo , quomodo autem posset aliquid permanere nisi tu voluisses,*Ps.* 103. omnia quæcunque voluit,fecit,*Genes.* 27. voluntas Dei fuit vt cito mihi occurreret,& *cap.* 45. non vestro consilio,sed Dei voluntate huc missus sum. Similiter *Matth.* 26. ibi, non sicut ego volo , sed sicut tu, & *Lucæ* 22. non mea voluntas , sed tua fiat , & *Ioan.* 5. non quæro voluntatem meam sed eius,qui misit me, &c.

Deinde

2 Deinde etiam confirmant hoc decreta Conciliorum contra hæreticos Monothelitas Appollinaristas, Monophisitas, definientia in Christo Domino dari duas naturas, & duas voluntates, divinam videlicet & humanam.

3 Quæ veritas de se adeo euidens est vt à Philosophis Ethnicis solo lumine naturali ductis aperte tradatur; v. g. ab Aristotele, qui *lib. 12. met. cap. 7.* disputans, an Dens optimam, ac perfectam actualem vitam habeat summa voluptate, ac perfectissima iucunditate affectam? hæc verba profert; [si ita se habet Deus, sicut nos aliquando, admirabile est, quod si magis adhuc, admirabilius est; at ita se habet iucunditas in voluntate cum fœlicitate in scientia quidem necesse est;] vbi Aristoteles plane, & aperte fatetur Deum iucundissima vita composita ex contemplatione scientiæ & fruitione voluntatis gaudere, & *lib. 7. Ethic. cap. vltimo*, & *lib. 10. cap. 8.* sic ait: [quod si alicuius natura sit simplex, semper eadem operatio iucundissima erit; idcirco Deus vna semper simplicique gaudet voluptate;] sed voluptatis affectus sine dubio est actus voluntatis: ergo in Deo datur perfecta voluntas, cuius actus sit cumulus omnium voluptatum. Præterea *lib. de mundo ad Alexandrum, prope finem*, ait, [Deus omnia, quo vult mouet, & arbitratu suo omnem Rempublicam temperat;] cuius vestigiis insistit Marcus Tullius Cicero, *toto lib. 2. de natur. Deorum*, vbi late probat omnia vniuersaque mundi machinã Dei voluntate gubernari. Item Socrates apud Platonem *in Alcibiade. 1. sive de natura humana, in fine* præcipit in faciendis esse præfandum [si Deus voluerit,] ab omnibusque rebus mentem abstrahere, & convertere ad Deum docet; & *in Timæo, sive de natura*; Deus creator à se creatos Deos, id est Angelos sic alloquitur, [non estis penitus immortales, neque penitus indissolubiles, non tamen soluemini nec mortis sortem sequemini, cum mea voluntas maius adhuc, & præstantius vinculum vobis conjgerit] imo omnes Philosophi in hanc vnam veritatem conspirarunt, nullo dempto, inter quos etiam Poëtas numero, teste Marco Tullio; *lib. . de natura Deorum*, vt serio omnes hortarentur docerentque in negotiis arduis, magnique ponderis, vt primum à Deo immortali ducerent principium, cuius nomine omnia negotia ad exitum fœlicem perducuntur: imo cunctarum gentium consensus, & lux à natura indita Dei volitionem ostendit; sive quando verum Deum colunt, sive quando superstitionibus, & inanibus sacrificiis idola prosequuntur, quia frustra vel iratos Deos placare sacrificiis, vel ab illis impetrare beneficia contenderent, & conarentur nisi putarent Deo potestatem esse volendi, quia concedere possent quidquid abeo enixe petitur, & postulatur; præcipue quia nemo est, qui non intelligat tam inferiora, quam superiora vniversum mũdum constituentia divinæ voluntatis imperio, & nutu gubernari.

## SVBSECTIO I.

### *Rationibus demonstratur, dari in Deo voluntatem.*

4 PRima ratio sit; quia Deus est primum ens & prima causa omnium rerum, ac proinde omnis perfectio, quæ est in effectu Dei continetur in ipso Deo, ablatis imperfectionibus creaturarum; sed inter effectus Dei datur aliquis, qui habet voluntatem; v. g. homo: ergo perfectio voluntatis reperitur in Deo ablatis imperfectionibus; quæ reperiuntur in homine & in voluntate illius, ita vt ratio perfectionis simpliciter quæ reperitur admixta imperfectionibus in voluntate hominis, reperiatur formaliter in Deo; imperfectiones autem, quibus admiscetur illa ratio perfectionis virtualiter, seu eminenter contineantur in ipso, & in ipsius omnipotentia, quia quatenus entia creata debent produci ab ipso, & nihil producitur quin contineatur in producente.

Vrgetur; quia ideo demonstramus dari in Deo rationem substantiæ formaliter secundum rationem præcisam substantiæ, eminenter secundum rationes particulares, quibus admiscetur ratio substantiæ vt sic in creaturis, (quæ quia imperfectionem dicunt in se, non possunt formaliter contineri in Deo) sed tantum virtualiter; quia Deus producit multos effectus, qui sunt vere, & proprie substantiæ; sed etiam Deus producit plures effectus, scilicet homines, qui habent veram, & propriam voluntatem: ergo vera, & propria voluntas reperitur formaliter in Deo secundum quod dicit rationem perfectionis simpliciter. 5

Declaro amplius hoc, quia omnis perfectio participata reperitur in eo, à quo participatur modo proportionato ipsi agenti, à quo participatur; vnde quia sapientia creata est participata à Deo; item misericordia, iustitia, & reliquæ virtutes, reperiuntur in Deo, quia participantur ab ipso; sed voluntas creata est perfectio participata à Deo: ergo est in Deo proportionato modo perfectioni ipsius, & secundum exigentiam excellentiæ ejusdem; atqui continere formaliter rationem voluntatis secundum quod dicit perfectionem sine imperfectione est proportionato modo diuinæ excellentiæ continere, sicut continere eminenter imperfectiones creatæ voluntatis, & non formaliter, est continere cum proportione ad propriam excellentiam: ergo Deus continet formaliter rationem voluntatis. 6

Confirmatur; quia Deus, vt supra demonstrauimus, est summe, & infinite perfectus ac proinde continet omnem perfectionem: sed habere voluntatem est perfectio simpliciter simplex: ergo Deus continet voluntatem formaliter. Minor sic probatur. Quia vt supra *tract. de ente vt sic, quæst.* vtrum præscindatur ens simpliciter, nihil aliud est perfectio simpliciter simplex vt docet Anselmus, quam id quod melius est ipsum, quam non ipsum, & quam oppositum ipsius; sed dubitari non potest quin Deum posse velle, & amare sit melius, quam non posse, & se diligere quia infinitum bonum melius sit, quam amore se non prosequi: ergo tale posse est perfectio simpliciter simplex: sed posse velle, & amare est voluntas: ergo voluntas formaliter est perfectio simpliciter simplex. 7

Dices, voluntatem solum contineri in Deo eminenter.

Sed contra, quia eminenter, & non formaliter contineri aliquid consistit in eo, quod altior, & dignior aliqua perfectio sit, quæ causat, quam illa quæ causatur; sed nulla possibilis est perfectio, quæ sit altior, & dignior, quam principium volitivum & volitio præcise, & abstracte considerata secundum rationem perfectionis 8

sine imperfectione: ergo volitionem, seu voluntatem continet Deus non solum eminenter, sed formaliter.

9 Declaratur amplius, quia continere libertatem formaliter, & non solum eminenter est perfectio simpliciter; vnde melior, quam si non contineretur formaliter, sed solum eminenter, quia dicit dominium perfectissimum, & indifferentiam perfectissimam; vnde anima rationalis secundum essentiam præcise concepta, quatenus distinguitur realiter à libertate, non est tam perfecta, ac quando concipitur cum libertate formali; vnde si per possibile vel impossibile Deus tolleret libertatem formalem ab anima, & conseruaret animam sine illa imperfectior esset anima in eo statu se ipsa, ac in altero, in quo haberet libertatem formalem, sicut imperfectior esset anima sine intellectu formali se ipsa, quam cum illo; sed anima vt sic considerata sine libertate formali, quatenus est radix substantialis illius continet eminenter libertatem, quia passiones, & proprietates in essentia eminenter cõtinetur: ergo continere formaliter libertatem est perfectius, quam solum eminenter continere illam, ac proinde continentia formalis libertatis, & non solum eminentialis est concedenda Deo, sed libertas formalis est voluntas formalis cum indifferentia, & dominio ad vtrumlibet: ergo in Deo non solum eminenter, sed formaliter datur voluntas.

10 Quod à posteriori ostenditur manifeste: quia homo creatus ad imaginem, & similitudinem Dei appellatur potissimum propter libertatem arbitrij, & propter intellectum, qui continentur in homine formaliter: ergo propter voluntatem formaliter contentam in ipso; atqui exemplar ad cuius imitationem fit aliqua imago debet formaliter continere id, quod efficitur in imagine: ergo Deus, qui est exemplar, ad cuius perfectionem fabricatur imago hominis formaliter continens voluntatem, habet etiam voluntatem formaliter.

11 Secundo sic argumentor principaliter; quia Deus est substantia viuens intellectualiter, sed substantia viuens intellectualiter non solum includit intelligere, sed velle formaliter; ergo Deus non solum includit intellectum, & intelligere, sed etiam voluntatem, & velle formaliter. Maior est certa, vt patet ex dictis. Minorem sic demonstro; quia vita adæquata intellectualis vtrumque actum complectitur, sicut perfecta beatitudo vtrumque actum continet; vnde si Deus solum se intelligeret, & non se amaret ac se frueretur, ex suique amore oblectationem, voluptatem haberet, ac iucunditate infinita non perfunderetur, non beatus complete simpliciter, & absolute, sed potius incomplete & secundum quid diceretur beatus, imo miserrimus omnium esset Deus; siquidem existeret in statu maxime sibi violento, quia præter naturam, imo contra naturam intellectualem, ac proinde contra impetum internum illius est non posse amare id, quod vt bonum iudicatur; sicut nullam voluptatem, gaudium, & fruitionem habere dicit statum imperfectissimum; atqui si Deus non haberet voluntatem, nullam voluptatem, nullum gaudium, nullam iucunditatem, & delectationem haberet, nec posset habere, quia sunt actus voluntatis: ergo esset in statu miserrimo, & maxime violento quod est falsissimum.

12 Tertio sic argumentor principaliter; quia omni formalitati obiecti correspondet potentia proportionata illi; vnde quia Deus est summe intelligibilis, & verus, correspondet in Deo potentia intellectiua, & intellectio, quæ comprehendat omnes gradus intelligibilitatis diuinæ, & adæquate penetret omnes formalitates illius secundum quod intelligibilis est: sed in Deo datur bonitas, & amabilitas summa, & infinita: ergo debet correspondere in Deo tali rationi obiectiuæ aliqua potentia, seu actus comprehensiue attingens omnes formalitates talis bonitatis, & perfectionis; sed nulla potentia, neque actus est comprehensiue attingens bonitatem formaliter infinitam secundum quod talis est, & distinguitur à diuina intelligibilitate, nisi voluntas infinita, ac summus, & infinitus amor: ergo in Deo datur voluntas infinita formaliter, & summus ac infinitus amor.

Vrgetur: quia Deus quando se cognoscit, vi- 13
det in se pelagus, & abissum infinitarum perfectionum, vt inquit Damascenus *lib. 1. de fide*: ergo videt se esse obiectum infinite perfectum, ac proinde infinite bonum: sed infinite bonum est infinite amabile, ac dignum infinito amore: ergo talis cognitio diuina iudicat, debere amari infinito amore tale obiectum, ac per consequens iudicat, dari talem potentiam, quæ debeat amare infinite, ac summe tale obiectum; sed nulla est in rerum natura potentia, quæ summe, infinite, & comprehensiue possit amare Deum, præter ipsum, quia omnis amor creaturarum est finitus, & limitatus: ergo in Deo datur infinita voluntas, & infinitus amor, qui suam infinitam bonitatem, & perfectionem adæquate, & comprehensiue amet.

Præterea; quia omnipotentiæ, vel quasi potentiæ passiuæ correspondet potentia actiua, vel 14
quasi actiua; v.g. quia ex parte creaturarum datur possibilitas, ex parte Dei correspondet potentia actiua, quæ reducat talem possibilitatem in actum, & quia in Deo datur infinita intelligibilitas per modum potentiæ passiuæ, correspondet ex parte ipsius Dei infinitus intellectus per modum potentiæ actiuæ, quæ actu amet, & prosequatur cognitione ipsam, sed etiam in Deo, quatenus bonus, & infinite perfectus est datur infinita bonitas, quæ synonime infinita amabilitas est vt late *disp. de bonitate entis* demonstrauimus; quæ est quasi potentia passiua, vt ametur: ergo in tota latitudine entis correspondet illi aliqua potentia, vel quasi potentia actiua, vel aliquis actus proportionatus tali potentiæ passiuæ; sed actus proportionatus potentiæ passiuæ amabili est amor, & volitio formalis, & actus proportionatus infinitæ amabilitati, ratione summæ, & infinitæ perfectionis est infinita volitio, & infinitus amor; quia finitus amor non habet proportionem adæquationis, & comprehensionis cum infinita bonitate; quia finiti ad infinitum nulla datur proportio æqualitatis: ergo in tota latitudine entis datur infinita volitio, & infinitus, ac summus amor comprehensiue amans diuinam bonitatem; sed non potest dari in creatura aliqua, vt ex terminis patet, quia actus infinitus adæquatus cum infinita bonitate non est proportionatus creaturæ: ergo talis actus formaliter datur in Deo.

Quarto sic argumentor, quia Deus est omni- 15
potens, & infinite productiuus, ac proinde infinita potest producere, & non dicitur infinite potens, quia actu producit quidquid potest producere; cum videamus multa posse producere Deum, quæ actu, & simul non producit, non quia ex parte creaturarum detur resistentia; quia nihil est quod possit resistere voluntati eius, sed potius

dicitur

dicitur omnipotens, quia quidquid vult, potest producere secundum illud, omnia quæcunque voluit fecit in cœlo, & in terra; & illud *Sapientiæ* 12. [ subest tibi, cum volueris posse; ] vnde Augustinus *in Enchiridione, cap. 96.* ait: [ nec enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest: ] ergo in Deo datur voluntas formaliter, & huic rationi supersedeo, quia de illa longius agemus *quæstione sequenti*; ad probandum dari in Deo libertatem formalem.

## SECTIO II.

### *Ratio D. Thomæ explicatur, ac defenditur.*

16 HAc ratione demonstrat D. Thomas 1. *p.* dari in Deo voluntatem, *quæst. 19. art.* 1. cuius verba hæc sunt. [ Respondeo dicendum in Deo voluntatem esse, sicut & in eo est intellectus, voluntas enim intellectum consequitur; sicut enim res naturalis habet esse in actu per suam formam: ita intellectus intelligens actu per suam formam intelligibilem, quælibet autem res ad suam formam naturalem hanc habet habitudinem, vt quando non habet ipsam, tendat in eam, & quando habet ipsam, quiescat in ea, & idem est de qualibet perfectione naturali quod est bonum naturæ; & hæc habitudo ad bonum in rebus carentibus cognitione, vocatur appetitus naturalis; vnde & natura intellectualis ad bonum apprehensum per formam intelligibilem, similem habitudinem habet, vt scilicet cum habet ipsum, quiescat in illo; cum vero non habet, quærat ipsum, & vtrumque pertinet ad voluntatem. Vnde in quolibet habente intellectum, est voluntas, sicut in quolibet habente sensum, est appetitus animalis; & sic oportet in Deo esse voluntatem, cum sit in eo intellectus; & sicut suum intelligere est suum, esse ita suum velle. ]

17 Quæ ratio in hunc modum ad formã reducitur; quia in omni ente datur appetitus qui sequatur formam proportionatam tali appetitui; sed in ente intellectuali datur forma intellectualis, per quam constituitur in esse intellectivi, quæ vel sit forma, vel quasi forma, seu vt melius loquar, ratio formalis intellectivi: ergo in eo datur appetitus intellectivus sequens rationem formalem intellectivi; sed appetitus intellectivus tendens in bonum apprehensum, & intelligibile, est voluntas: ergo in ente intellectivo datur voluntas formaliter; atqui Deus est summum & infinitum intelligens formaliter: ergo habet summam, & infinitam voluntatem formalem.

18 Aliter in hunc modum à Patre Herize formatur ratio D. Thomæ. Quæcunque res talem habet naturalem habitudinem ad suam formam, per quam cum illa caret, tendit in ipsam, & cum possidet, quiescit in ipsa: sed res intellectu prædita, est in actu per formam intelligibilem, hoc est per cognitionem, non aliter ac omnis alia res per suam formam: ergo sicut in rebus naturalibus est appetitus naturalis ad bonum, ita in rebus cognoscentibus est habitudo ad bonum apprehensum: igitur est appetitus rationalis, per quem cum habet bonum apprehensum, quiescit in illo per gaudium, cum caret eo, quærit ipsum per desiderium, ac subinde in Deo vbi est intellectus, ita est voluntas, sicut in omni habente sensum, est appetitus animalis.

Sed vt meum iudicium proferam, tam mea explicatio, quam explicatio Patris Herize ita enucleant mentem D. Thomæ, vt neque mea adæquate exhauriat plenum sensum illius, neque Patris Herize explicatio, quia in corpore articuli duæ partes reperiuntur, obscuræ quidem, quarum primam mea explicatio declarat, & secundæ partis nucleum in lucem edit discussio Herize, ac proinde duæ illæ rationes ita se habent, vt amicè se protegant, & foueant, & ad invicem se confirment. 19

Tota difficultas huius rationis D. Thomæ consistit in hoc quod monstretur connexio necessaria inter formam intellectivam, & appetitum, vt ex tali forma appetitus per necessariam consequẽtiam, & illationem eruatur: ego autem relictis aliis minùs efficacibus quales sunt eæ, quas P. Ruiz. *disp. 1. de volunt. sect. 1 à n. 29. vsque ad 31.* inclusive adducit, hanc meo videri efficacissimam propono, quia omne intelligens per intellectionem, per quam constituitur, vel cognoscit obiectum, quod est commodum, & conveniens cognoscenti, vel quod est disconveniens, & incommodum ipsi; sed bonum conveniens, & commodũ alicui est amabile ab ipso, cui conveniens est. & id quod est disconveniens est odibile illi; sed id quod est amabile ab aliquo, potest amari ab ipso; quia vt supra probauimus impossibile est, vt aliquid sit capax passiue vel quasi passiue alicuius actus, & quod non detur capacitas actiua vel quasi actiua ad reducendum talem capacitatẽ passiuam ad actum, & ideo impossibile est, vt color, & lux habeant visibilitatẽm, seu capacitatem passiuam vt videantur ab oculis, & quod oculi non possint actiue videre talem lucem & colorem: ergo si id quod commodum, & bonum est mihi est capax, vt ametur, prosequatur & appetatur à me, impossibile erit, quod ex parte mea non correspõdeat capacitas quasi actiua, quæ amet, prosequatur, & appetat illud; & econtra, si id quod est disconueniens, & incommodum mihi, est odibile, & fugibile vt ita dicam, ex eo quod natura quod sibi incommodum est, respuit, atque refugit: ergo ex parte mea debet dari capacitas actiua, vt commodum amem, & incommodum, seu disconveniẽs fugiam, & odio habeam; sed hæc capacitas actiua est voluntas, seu appetitus rationalis: ergo appetitus rationalis datur necessario vbi datur forma rationalis, cui conueniens, vel disconueniens sit bonum, vel malum. Ratio autem à priori horum est; quia omne ens inclinatur, & tendit in propriam conservationem & bonum, nam sicut intellectio tendit in verum, spirituale, aut corporeum, ita inclinatio spiritualis tendit in bonũ sibi conveniens v.g. in propriam perfectionem, & conservationem, quæ est maximum bonum alicuius: ideo enim graue tendit in locum infimum & leve tendit in locum supremum, vtpote in propriũ centrum, & regionem, quia in illo conservatur. Item in animalibus datur inclinatio ad cibum & ad potum, quæ inclinationes vocantur sitis, & fames, quia cibus, & potus sunt conuenientes animali ad propriam conservationem. 20

Tandem, ideo aqua quando guttatim decidit, vt in rore matutino videre est, conglobatur & se ad sphericam figuram contendit redigere, habetque inclinationem ad illam, quia talis figura aptior est ad conservationem propriam. Itaque omne ens habet inclinationem ad propriam cõservationem, & perfectionẽ: sed omne intelligẽs est perfectum

ctum ens: ergo quatenus tale habet inclinationem, & tendentiam ad proprium bonum; quod sibi repræsentatur vt tale; quia bonum, & commodum, siue conducens ad conseruationem, vel delectamentum entis intelligentis in tantum proxime est tale & potest mouere inclinationem illius, in quantum apparet ipsi, repræsentatur eidem, & quasi approximatur ipsi; sed hoc totum fit, quatenus cognoscitur ab eodem: ergo omne ens intelligens in tantum inclinatur in bonum, in quantum cognoscitur vt tale. Itaque actualis inclinatio necessario, & connaturaliter præsupponit cognitionem boni, in quod debet inclinari: ergo etiam potentia ad talem inclinationem petit necessario potentiam ad cognitionem boni, ad quod datur potentia inclinatiua; quia sicut se habet actus secundus, ita se habet actus primus; sed actus secundus inclinationis connectitur necessario cum actu secundo cognitionis: ergo etiam actus primus inclinationis connectitur necessario cum actu primo cognitionis. Quæ omnia his verbis docuit D. Thomas *lib. 1. contra Gent. c. 72.* qui optime explicat id, quod docuerat *1. p.* ratione, quam explicare contendimus. [Illud, quod consequitur omne ens, conuenit enti in quantum est ens, quod autem est huiusmodi, oportet quod in eo maxime inueniatur quod est primum ens; cuilibet autem enti competit appetere suam perfectionem, & conseruationem sui esse, inclinarique in illam, vnicuique tamen secundum suum modum, intellectualibus quidem per voluntatem, animalibus per sensibilem appetitum; carentibus verò sensu per appetitum naturalem, aliter tamen quæ habent, & quæ non habent per appetitiuam virtutem sui generis desiderio tendunt ad acquirendum quod eis deest, quæ autem habent, quietantur in ipso, hoc igitur primo enti, quod Deus est deesse non potest; cum igitur ipse sit intelligens, inest sibi voluntas, quæ placet sibi suum esse, & sua voluntas.] Angelicus ergo Doctor duas alta mente considerare videtur formas, atque ad singulas earum suum quoque sequi appetitum seu potentiam inclinatiuam, quoniam omnis forma sibi annectit necessario inclinationem ad bonum, & commodum, hoc est ad omne conueniens rei per formam constitutæ, tanquam ad medium suæ conseruationis ad quam naturaliter vnaquæque res inclinatur; quia id, quod inclinatur ad finem inclinatur etiam ad medium proportionatum tali fini. sed bonum conueniens conseruationi rei est medium ad talem conseruationem: ergo sicut res constituta per formam intellectualem inclinatur ad conseruationem suam, ita etiam inclinatur ad bonum proportionatum tali conseruationi. Talis autem inclinatio est appetitus proportionatus formæ per quam constituitur appetens; sed appetitus proportionatus formæ intellectuali, est appetitus intellectualis, scilicet voluntas: ergo omne constitutum per rationem formalem intellectualem necessario habet appetitum intellectualem, seu voluntatem. Nam omne constitutum per rationem formalem intellectualem per actum talis formæ attingit obiectum verum, & bonum, & per illam tale obiectum quasi appropinquat cognoscenti vt appetitus feratur in ipsum in quantum suppposito conueniens est; ex hoc fit, formam intellectualem dicere connexionem necessariam cum appetitu intellectuali.

21 Ratio autem in qua hoc totum fundatur, est; quia obiectum formæ intellectualis, scilicet verum intelligibile necessario connectitur cum bono intellectuali; ita vt id, quod est verum, sit etiam bonum, sicut est ens; sed quidquid datur ex parte obiecti refunditur in id, quod tendit ad obiectum, & omni formalitati obiectiuæ correspondet formalitas ex parte tendentis ad obiectum, per quam actu tendat in illud; sed obiectum entis intellectualis non solum est verum adæquate, & totaliter conceptum, sed etiam bonum: ergo ex parte entis intelligentis non solum datur potentia ad attingendum illud obiectum vt verum, quæ est intellectus, sed etiam potentia, quæ tendat in illud vt bonum, quæ nihil aliud est, quam voluntas, & sicut ex parte obiecti datur conneixo necessaria inter formalitates obiectiuas correspondentes potentiis tendentibus in illas, ita etiam potentiæ, intellectus nimirum, & voluntas, quæ tendunt in illas formalitates, habent connexionem necessariam inter se.

Quod à posteriori euidenter conuincitur; quia 22
actus intellectus connectitur necessario cum actu voluntatis vel cum exercitio illius, siue sit negatiuum, siue positiuum: ergo potentiæ talium actuum necessario connectuntur inter se; quia nihil continetur in actu secundo, quod non contineatur in primo; vnde ad actum perfectissimum intelligendi necessario annectitur actus perfectissimus voluntatis, vt his verbis docet D. Thomas, vbi supra *4. argumento, capitis 72.* [intelligere quanto perfectius est tanto delectabilius est intelligenti; sed Deus intelligit, & suum intelligere est perfectissimum: ergo intelligere est ei delectabilissimum, delectatio autem intelligibilis est per voluntatem (hoc est actus voluntatis,) sicut delectatio sensibilis est per concupiscentiæ appetitum:] ergo ad intelligere sequitur necessario actus voluntatis, ac proinde habent necessariam connexionem inter se: ergo etiam intellectus necessario connectitur cum appetitu intellectuali, seu voluntate.

Tandem sic probatur supradicta connexio in- 23
ter intellectum, & voluntatem; quia omne obiectum est quasi forma extrinseca respectu illius, cuius est obiectum; sed ens intellectuale est obiectum rei constitutæ per formam intellectualem, non solum vt est intelligibile, sed etiam vt est conueniens, bonum seu finis illius; quia omnis res tendit in proprium finem, & obiectum, vt formalizetur, & vt ita dicam, extrinsece compleatur: sed omnis forma est attingibilis, & vnibilis à re cuius forma est: ergo non solum verum, vt verum potest attingi ab ente intellectuali, sed etiam bonum, vt bonum; sed bonum vt bonum, & finis vt finis sub tali ratione formali non attingitur ab intellectu, sed à voluntate: ergo in omni ente intelligenti datur non solum intellectus, cuius actione vniatur cum obiecto vt vero; sed voluntas etiá, cuius actu vniatur cum obiecto bono, vt bono, & medio, quo acquirat finem, & perfectionem, seu complementum extrinsecum vel quasi extrinsecũ.

Tunc sic, Deus est perfectissimum intelligens, & 24
etiam perfectissimum obiectum, quod non solum est verum, sed etiam bonum infinitum: ergo non solum debet attingere se, vt verum, & infinitum intelligibile, sed etiam vt infinitum bonum amabile, sibique conueniens, delectabile, & honestum: ergo non solum Deus habet intellectionem, per quam se attingat vt verum vitaliter, & quasi sibi vniatur intentionaliter, sed etiam volitionem, & amorem, per quem sibi vniatur vt obiectũ bonũ.

Quod amplius declaratur ex ipsa ratione cau- 25
sandi in Deo qua vtitur ipse Angelicus Doctor *ratione 5. eiusdem capitis 72.* ibi: [forma per intellectum

tellectum considerata non movet, nec aliquid causat nisi mediante voluntate, cuius obiectum est finis, & bonum, à quo mouetur aliquis ad agendum; vnde intellectus speculativus non movet, neque imaginatio pura absque æstimatione boni, vel mali: sed forma intellectus divini est causa motus, & esse in aliis, agit enim res per intellectum, oportet igitur quod ipse sit volens.]

## SVBSECTIO VLTIMA.

*Aliquæ obiectiones contra dictas rationes ponuntur, & diluuntur.*

26 PRimò, quia gradus intellectivus vt sic præscindit à gradu volitiuo vt sic, atque ideo gradus intellectivus est superior gradu volitivo: ergo licet in creaturis intellectualibus, quæ de facto dantur, detur simul intellectus & voluntas, nihilominus bene poterit dari, & produci aliqua creatura intellectualis, quæ non sit volitiva, licet sit intellectiva.

27 Vrgetur ac declaratur amplius; quia id quod prius est non dependet à posteriori: sed gradus intellectiuus est prior volitiuo: ergo gradus intellectiuus non dependet à volitiuo; sed id quod non dependet ab alio, potest dari sine illo, à quo non dependet: ergo gradus intellectiuus potest dari sine volitiuo.

28 Secundo confirmatur, quamquam principium intelligendi in creatura rationali coniungatur cum intellectiuo per discursum; item cum cognoscitiuo per sensum materialem, quia tamen principium illud ex se præscindit à cognitione discursiua, & materiali in Angelo est principium intelligendi seiunctum à discursu, vt plures opinantur, & materiali cognitione certum est: ergo pari ratione, quoniam gradus intelligendi præscindit à gradu volitiuo, poterit ab eo seiungi per potentiam absolutam; nec consequentia formata ex illo ad hoc cuidens erit.

29 Ad primam nego gradum intellectiuum præscindere à connexione cum volitiuo; nam licet non includat intrinsece gradus intellectiuus, seu intellectus volitionem, aut voluntatem, nihilominus tamen annotat illam tanquam terminum suæ connexionis necessariæ; quam necessariam connexionem supra efficaciter demonstrauimus. Exemplum huius habemus in relatione tam prædicamentali, quam transcendentali; nam licet potentia visiua non includat obiectum in se intrinsece, nihilominus connotat illud tanquam terminum suæ tendentiæ, & relationis: ergo licet intellectus non includat voluntatem, nihilominus tamen poterit connecti cum voluntate, & connotare necessario ipsa, sicut paternitas non includit filium, licet connotet illum, vt terminum essentialem suæ specificationis.

30 Ad secundam obiectionem concedo intellectum non dependere à voluntate, si præcise loquamur de intellectu, & voluntate vt sic, etsi loquamur de dependentia à priori, nihilominus tamen intellectus connectitur necessario cum voluntate, vt v. g. omnipotentia diuina non dependet à creaturis possibilibus, & nihilominus connectitur cum illis, & connotat necessario illas; sicut possibilitas, creaturarum non dependet ab omnipotentia, & nihilominus connectitur cum illa, ita vt non possit dari creatura possibilis sine omnipotentia, essentia non dependet à priori à proprietate, neque materia prima à quantitate, neque natura à subsistentia, & nihilominus illæ non possunt existere sine his propter connexionem necessariam, & naturalem inter ipsas: ergo licet intellectus non dependeat à voluntate propter connexionem necessariam, quam habet cum illa, non poterit esse sine voluntate, & minimum sine connexione cum illa.

Ad secundam confirmationem dicimus principium intelligendi præscindere à principio ratiocinandi, quod à posteriori colligimus, quia videmus prædicatum intelligendi, (quia communis est, vtpote conueniens pluribus, quam convenit prædicatum ratiocinandi, siquidem convenit Deo, Angelis, & hominibus, & prædicatum ratiocinandi solum hominibus, & maximum Angelis in aliquibus casibus, minime autem Deo) esse vniversalius: sed quod vniuersalius est potest cognosci sine minus vniuersali, hoc est sine particula, & ideo ens cognoscitur sine substantia, & substantia sine corpore &c. quod cognoscitur sine alio, præscindit ab illo: ergo ex hoc euidenter colligitur intellectivum præscindere à discursivo, seu ratiocinativo: sed intellectivum vt sic non est vniuersalius, neque communius volitiuo; sicut verum non est vniuersalius bono, sed potius æque patet vnum, ac alterum, & vtrumque est adæquata passio entis: unde in quocunque reperitur intellectivum, reperitur volitivum: ergo non præscindit intellectivum à volitiuo. 31

## QVÆSTIO II.

*Vtrum detur in Deo libertas, & in quo consistat actus liber Dei?*

## SECTIO I.

*Sententiæ aduersariorum proponuntur.*

PRIMA Sententia docet, nullomodo dari in Deo liberum actum voluntatis: pro qua sententia citatur Auerroes, Auicena, Porphyrius, & Theophrastus, cuius verba refert Cartusianus *lib. 1 sententiarum, distinct. 45. q. 1. colum. 3.* quibus adiungunt multi Aristotelem Peripateticorum principem, de quo hæc verba profert P. Ruiz *tom. de volunt. Dei, disp. 7. sect. 1.* nec dubitari potest, quin Aristoteles multis in locis, libertatem Deo negare videatur, quam tamen alibi concedit, quod indicium est ambigui, & nutantis animi, qui paruo momento huc, atque illuc impellitur contrariis argumentorū ponderibus.] S. Thomas 2. *contra Gent. cap. 23.* sentit Aristotelem penitus libertatem diuinam è medio subtulisse, quando suppresso nomine dixit, Philosophum posuisse Deum producere res ex necessitate naturæ, quia quidquid vult, vult de necessitate absoluta; hæc sententia manifesta est; quoniam 8 *lib. Physic text. 9. & 15. & text. 52. & 53.* docet Aristoteles, quod primum mouens sit incapax mutationis, ac proinde semper in seipso perseverare in eadem dispositione, & ex hoc colligit semper ab æterno & in æternū movere, semperque res omnes ab illo prorsus eodem modo procedere, ac proinde tam mundum, quam cœli motum æternum esse, vinacitatem vero quam in his rebus inferioribus cernimus, provenire ex dissimilitu- 1

dine, ac diuersitate partium orbium cœlestium quæ diversimode per motum applicatæ diversos effectus causant. Et *lib. 9. metaphys. tex. 17.* dicit in æternis nihil esse in potentia, sed omnia in actu; vnde infert non esse timendum, quod cælum quiescat, quia neque ipsum neque motor eius est in potentia ad non movendum, & inde *lib. 12. Metaphys. cap. 6.* concludit, non satis esse ponere substantiam æternam potentem mouere, sed oportere vt sit actu mouens ex necessitate, ita vt motio eius sit substantia eius. Alia multa reperiuntur in operibus Aristotelis, ex quibus manifeste colligitur, Deum agere necessitate naturæ determinatum, in eandem sententiam descendisse videtur Plato in Thimeo, Socrates, & alij. Ex Christianis in hoc errore fuit Petrus Abailardus dicens, Deum non posse facere nisi ea, quæ facit; quod idem postea docuit Vvichleph *in Trialogo, cap. 10. & vndecimo*, in eundemque miserrime incidit Lutherus *art. 36.* dicens, veram esse Vviclephi sententiam; & vt refert Bellarminus *tom. 3. lib. 3. de gratia, & libero arbitrio. cap. 15.* Bucerus *lib. de concordia doctrina, cap. de libero arbitrio.* Calvinus *lib. 1. institutionum, cap. 16. §. 3.* docent Deum agere necessario quidquid potest agere, nec aliud facere posse.

2 Secunda sententia quam recentiores quidam defendunt, docet in Deo non reperiri aliam rationem libertatis respectu eorum, quæ extra se vult, nisi quia iudicat illa non habere necessariam connexionem cum fine; sed esse secundum se indifferentia, iudicat tamen ordinabilia esse ad finem & iudicat esse ordinanda; ita hanc sententiam defendunt expresse Vanez *1. p. q. 19. art. 10. dub. 2. post solutionem argumentorum in 3. documento, & sequenti parapho.* Primum est, & parrapho Iam vero. Idem docet Cabezudo *in fine totius quæstionis 2. de auxiliis*, quam inseruit *3. parti, quæst. 62.* Didacus Albarez *lib. 3. de auxiliis, disp. 22. num. 36.* Ledesma, *quæstione vnica de auxiliis art. 10 diffic. 1.* quam sententiam defendunt vt inferant, non auferri libertatem humanam quacunque Physica prædeterminatione, licet nostram volitionem inferat per antecedentem necessitatē, dūmodo retineatur in intellectu iudicium de indifferentia mediorum ad finē.

Probant suam sententiam, quia Deus ita est infinite perfectus, & ita purissimus actus vt nullam potentialitatem admittat; sed si haberet indifferentiam formalem ad volendum facere mundum, & ad volendum non facere illum, esset capax potentialitatis: ergo Deus non habet indifferentiam formalem ad volendum creare mundum, & ad volendum non creare illum. Maior est certa secundum fidem. Minor sic probatur: Quia illud est obnoxium potentialitati, quod est capax habendi aliam perfectionem, quam de facto habet; sed si Deus haberet indifferentiam supradictā esset capax perfectionis volendi nō creare mundū, quam non habet nunc, cum habeat oppositam: ergo esset obnoxius potentialitati.

## SECTIO II.

*Aliorum opiniones concedentium veram indifferentiam in Deo, & constituentium eam in denominatione extrinseca, ponuntur.*

4 TErtia sententia docet actum liberum Dei formalissime constitui per entitatem divinam & per entitatem creatam eo modo, quo Durandus, Hurtado, Arriaga, & alij asserunt relationem creatam prædicamentalem esse vtrumque extremum, entitatem nimirum Patris, & Filij formaliter sine alio superaddito adhuc per rationem; vnde P. Alarcon *1. p. disp. 4. cap. 8. tract. 3. de volunt. Dei, num. 3.* qui hanc sequitur sententiam ita ait; [meum igitur in hac controversia scholastica iudicium esto, volitionem liberam Dei formaliter esse actum intrinsecum diuinæ volitionis, quo necessario se amat Deus, connotato tamen, & requisito extrinseco obiecto, & termino creato defectibili physice realiter formaliter, ratione cuius volitio formalis Dei dicitur libera volitio, vel nolito creaturæ, ita vt deficiente termino illo creato, volitio intrinseca Dei, neque dicatur, neque reipsa sit volitio vitalis actualis talis creaturæ.

5 Eandem sententiam docet P. Herize *disput. 16. capite 10.* Arrubal, & P. Didacus Ruiz, qui prius hanc sententiam oppugnauerat, in eandem incidit, vt notat P. Alarcon vbi supra *numero 51. §. hanc eandem*; P. enim Ruiz *tom. de voluntate disput. ... sect. 3. num. ...* asseruerat actum liberum constitui terminatione ad obiectum, quibus verbis vestigiis Patris Suarez videbatur insistere; explicans autem *numero 13.* quid sit hæc terminatio, hæc verba profert, [Inquiris, quid sit hæc terminatio, quæ adesse, & abesse potuit volitioni divinæ? respondeo esse denominationem extrinsecam;] sic ille. Ratione autem horum verborum manifeste colligitur iam in sententiam, & opinionem denominantium extrinsecè inclinari, quam ipse docuerat, fauere opinioni concedenti solum methaphoricam libertatem in Deo.

6 Hæc sententia sic explicata probatur primo argumento, quod euidens vocant aduersarij; quia omnis nova & realis denominatio supponit nouam aliquam realem additionem, vel mutationem; vnde sumatur de nouo talis denominatio; quia intelligi non potest, quod eisdem rebus eodem modo se habentibus, & immutatis, aliqua denominatio realis de novo resultet; sed quod Deus amet de nouo hanc creaturam est denominatio nova, & realis; ergo formaliter resultat per aliquam mutationem, & additionem factam in aliquo extremo; sed non est facta in Deo secundum illud: ego sum Deus, & non mutor, & secundum illud, in quo non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio: ergo resultat per additionem, & mutationem factam in creatura; ergo actus liber Dei formalissime constituitur per entitatem diuinam, & extrinsecam mutationem creaturæ.

7 Confirmatur: quia hac ratione non intelligitur Deus velle aliquid libere, nisi dando aliquid esse ipsi creaturæ; sed esse in creatura est extrinsecum respectu ipsius Dei: ergo Deus non vult formaliter libere per solum esse intrinsecum divinum; sed etiam per aliquid extrinsecum ex parte creaturæ.

8 Secundò probatur à Patre Alarcon sic; quia Verbum diuinum, seu subsistentia eius quia personalitas infinita est absque ulla sui mutatione intrinseca dicitur modo terminare personaliter, & constituere suppositum reale humanitatis Christi, quod antea non constituebat ratione vnionis hypostaticæ existentis intrinsecè in sola ipsa humanitate, quæ unio prorsus est extra essentiam

&

& personalitatem Verbi, & tamen illa definiente, non terminat, & astante terminat, quæ terminatio ex parte Verbi concipitur à nobis vt relatio rationis, quia non est aliquid intrinsecum in Verbo, sed solum suæ personalitatis formalitas connotata extrinseca vnione humanitatis ad ipsum Verbum; alias si in Verbo esset aliquid intrinsecum, vel ipsi Verbo, mutaretur; quia aliter se haberet nunc, ac antea Verbum: ergo sicut terminatio actualis Verbi respectu humanitatis constituitur formalissime, non solum per entitatem Verbi, sed etiam per vnionem extrinsecam ipsi, & intrinsecam in humanitate, similiter actus infinitus diuinæ voluntatis constitueretur in esse actus liberi per entitatem diuinam & extrinsecam entitatem creaturæ contingentis; & de novo factæ.

Tertiò, sic probatur; quia eadem scientia diuina indiuisibiliter, formaliter, intrinsece inuariata dicitur scientia simplicis intelligentiæ, & visionis; & eadem dicitur præscientia & cognitio existentium, & præteritorum, non per aliquam sui variationem, sed solum per extrinsecam mutationem obiecti, quod in statu possibili terminans scientiam Dei, facit illam simplicem, & idem obiectum translatum ad statum existentiæ in aliqua differentia temporis facit eandem scientiam visionis, qui status existentiæ vt futuræ, & modo non existentis, facit eandem scientiam esse præscientiam, quæ desinit esse præscientia respectu eiusdem obiecti actu in præsenti existentis, quo transacto dicitur scientia præteritorum. In quibus omnibus casibus simplex cognitio scientiæ visionis præscientiæ, &c. Sunt denominationes defectibiles, quæ sumuntur formaliter ex eadem cognitione intrinseca Dei, & ex connotatis diversis extrinsecis: ergo similiter eadem indivisibilis volitio intrinseca Dei, qua Deus infinite se amat, quia est volitio infinita non minus ac scientia indivisibiliter eadem est volitio totius volibilis, & nolitio totius nolibilis; ita tamen, vt dicatur, & sit volitio huius volibilis; requirat necessario hoc obiectum amabile, sine quo non esset illius volitioi vnde creatura contingens requiritur, vt connotatum extrinsecum ad complendam, & constituendam formaliter diuinam volitionem in esse liberæ formaliter.

10 Quartò exempla creata adhiberi possunt, quæ licet creata sint, tamen Physosophicam viam parant ad intelligenda diuina; neque operæ prætium putabo minimum si decretum diuinum difficilius non explicuero, quam à Philosophis explicantur res naturales; eadem indivisibilis realis entitas, quæ ante positionem termini extrinseci non erat relata, per positionem illius de novo fit relata. Item in probabili opinione sancti Thomæ Pater creatus per primam productionem vnius filij habet in se relationem paternitatis, quæ producto secundo filio, invariata existens, facit patrem illius secundi, sicut primi; quia vt dicatur Pater secundi, nihil requiritur intrinsecè, sed tantum extrinseca positio secundi, & multi alij docent relationes indentificari cum fundamentis intrinsecè, quæ non denominantur ab illis, nisi existente termino extrinseco, cuius positione sola dicitur, & est aliud extremum relatum ad illum.

Præterea multi docent species Angelorum esse vniuersales, v. g. vnam eandem repræsentare omnes homines existentes, & futuros; secus possibiles; quod si denuo aliquis futurus esset, eadem species invariata intrinsecè existens illum repræsentaret sola positione ipsius futuritionis: efficacius vrgeo; eadem actio indivisibiliter manens dicitur in primo instanti productio, & in sequenti tempore perseverans, dicitur conservatio, quæ denominationes nihil addunt intrinsece entitati actionum, nisi extrinsecam assistentiam alicuius extremi, ratione cuius realiter eadem actio, quæ non erat conservatio sic esse dicitur, cum tamen illi realiter nihil intrinsecè accrescat, nisi relatio rationis per intellectum à nobis concepta. 11

Hæc exempla, & his similia sexcenta manifeste ostendunt, esse aliquas formas, quæ præbent aliquem effectum formalem subiecto cui insunt, dependenter tamen ab aliquo extrinseco, à quo etiam talis effectus formalis sumitur extrinsecè, non quod talis forma realiter referatur ad tale obiectum extrinsecum, sed quia forma illa talis virtutis est, vt non denominet sic, vel aliter, nisi sic, vel aliter existente obiecto extrinseco, in ordine ad quod denominat, quod propterea dicitur connotari; sicut subsistentia diuina est forma faciens formaliter personam, non quamlibet naturam, sed rationalem tantum; Ita diuina volitio intrinseca Dei, qua Deus infinite se vult, quia est volitio infinita indivisibiliter eadem volitio posito extrinseco termino contingenti, dicitur actus liber Dei, quo ablato, iam non manet actus liber, ac proinde talis volitio non aliter erit in Deo, quam fuerit extra Deum ipsa creatura volibilis, si hæc fuerit volibilis contingenter, & volitio illius erit contingens; si illa necessaria fuerit, etiam eius volitio erit necessaria & non libera. 12

Nec propterea timendum est, ne aliquis asserat, actiones, vniones, & alios modos non esse aliquid realiter distinctum ab agentibus, vel extremis; sed agere nihil aliud esse, quam agens, & connotatus terminus, hoc enim non est timendum, quia dicitur absq; e fundamento, nos enim ponimus formam intrinsecam, scilicet volitionem Dei qua Deus se vult, & est formalis volitio; sed quia infinita debet esse totius volibilis: quare hoc posito, dicitur huius, & sic de reliquis exemplis; at vero ignis secundum se formaliter non est actio respectu sui nec respectu alterius; unde quando dicitur formaliter agere, debet dari forma actionis; hæc non est ipse ignis producens, nec productus; ergo debet esse media inter vtrumque denuo adueniens, non solum quoad esse, sed quoad denominare. Similiter anima rationalis secundum se non est vnio formalis; sicut nec materia: ergo quando vtraque dicitur vnita realiter per informationem, vnio formalis debet esse aliquid distinctum ab ipsa anima, connotante materiam, & econtra: ergo modus vnionis formalis realiter ab vtraque distinctus, est adueniens, & sic de reliquis. 13

Tandem sic probatur, quia libertas diuina constituitur in actu secundo per id, quod formaliter contingens est, ac per consequens per id, quod potest esse, & non esse; sed solum mutatio creaturæ extrinseca Deo potest esse, & non esse, quia quidquid in Deo intrinsece est, quia omnino à se est, omnino necessarium est, & ideo nullo modo potest esse & non esse: ergo volitio 14

libera

libera in quantum libera formalissime constituitur per extrinsecam mutationem Dei, & nullomodo per aliquid intrinsecum illius.

15 Maior sic probatur, quia denominatio volendi libere potest esse, & potest non esse in Deo; sed posse esse, & posse non esse est contingens formaliter: ergo denominatio, seu ratio liberi constituitur per aliquid contingens. Maior sic demonstratur; quia qui nunc est in gratia amatur à Deo, iustus enim, & gratus Deo dilectus est, & postea quando peccat, non diligitur à Deo, quatenus peccator est & habet peccatum; alias Deus diligeret peccatum: ergo denominatio, & ratio volendi potest abesse, & adesse à Deo ac proinde contingens est.

## SECTIO III.

### *Quarta sententia ponitur, & præcipue mens Patris Vasquez elucidatur.*

16 THomistæ vnanimi consensu asserunt, actum liberum Dei constitui formaliter per relationem, & habitudinem rationis, nec quidquam aliud addere ad volitionem necessariam per quam se Deus diligit; hoc excogitarunt, vt facile occurrerent toti difficultati; quoniam additio entis rationis non indicat realem potentiam passivam nec mutabilitatem, nec compositionem, nec carentiam realis perfectionis; ita Capreolus *in primo dist.* 45. *q.* 1. *art.* 2. Ferrara *lib. contra Zent. cap.* 75. *&* 76. Hispalensis *in ea distinct. & art. notabili* 2. Zumel *art.* 2. *in* 3. P. Molina. 1. *p. q.* 19. *art.* 3. *disp* 2. *post refutatum Caietanum, & passim. q.* 14. & ab ipso appellatur communis in nostra Hispania; [ quod mirabile est vt inquit P. Herize; ea fuit horum Thomistarum auctoritas dum in ea plus operæ dabatur armis, quam literis, cum tamen tam sit aliena ab omni veritate, ac solido fundamento; in quam sententiam sine dubio velit, nolit Alarcon inclinatur P. Vasq. 1. *p. disp.* 80. *cap.* 2. qui his verbis propriæ opinioni lucem offendere nititur. [ Est igitur voluntas libera Dei, essentia diuina significata per modum actus vitalis, & effectus eliciti, cum re vera sit ipsamet substantia Dei; includit tamen habitudinem etiam quandam rationis ad res futuras, quæ libere Deo conuenit; sicut etiam reslibere futuræ sunt. Cum enim hæc relatio consurgat ex fundamentis non necessariis, nempe ex rebus ipsis, & obiectis futuris; ipsa etiam habitudo libere Deo conuenit, non intrinsece, sed extrinseca solũ denominatione, quã Deo conuenire, & non cõuenire non est absurdũ: ergo cũ velle liberum Dei non solam includat essentiam, sed cum tali respectu, etiam si libera voluntas Deo possit adesse, & abesse; nihil sequitur absurdi, quod diuinæ simplicitati, & immutabilitati repugnet.

17 Eodem modo de præscientia philosophati sumus *dip.* 68. *cap.* 3. *&* 6. videlicet eam esse ipsam substantiam Dei, quæ alias cognitio est creaturarum possibilium, addito respectu solum rationis ad res futuras, quarum dicitur præscientia, ita vt si res futuræ non essent, Deo quidem deesset præscientia, sed non scientia; sic igitur si res futuræ non essent, non esset in Deo libera voluntas, quæ significatur cum illo respectu libero; esset tamen voluntas complacentiæ, ipsa nimirum essentia diuina cum respectu rationis necessario ad res possibiles: sicut ibidem de scientia rerum possibilium diximus. ]

Et in fine illius capitis sic ait: quo autem pacto Deus seipsum determinet ad hoc potius, quã ad illud ineffabile sane est: nisi quod nostro modo intelligendi intelligamus essentiam Dei, quæ est eius voluntas habere circa futura peculiarem rationem voluntatis cum respectu illo rationis; habemus ergo ex omnibus, quæ dicta sunt, voluntatem liberam Dei, qua se vult communicare extra, prout libera est, non esse aliquam in Deo perfectionem; nam vt talis includit respectum rationis ad creaturas futuras, neque vero S. Thomas vsquam docuit, esse aliquam Dei perfectionem velle se aliis communicare, vt recte admonet Ferrara *cap. illo* 75. solum enim dixit, bono quatenus perfectum est, id convenire, hoc est actum proprium boni, & perfecti esse aliis suam bonitatem impertire, & ita quamlibet rem non tantum sibi desiderare suam perfectionem, sed aliis etiam se communicare; quo circa Caietanus non probat ex doctrina S. Thomæ id quod contendebat. 18

Ex quibus verbis Patris Gabrielis Vazq. manifeste colligitur, secutum fuisse hunc Auctorem opinionem Thomistarum, primo quia pro sua sententia citat Ferrariensem *eodem capite* 2. *n.* 7. ibi, hanc sententiam tradit Ferrariensis *cap. illo* 75. nec vero contrarium docuit Gregorius *in primo dist.* 47. *quæst. vnica, post septimum conclusionem*, vbi P. Gabriel Vazq. totum suam opinionem late explicatam tribuit Ferraræ, & Gregorio; sed indubitatum est apud omnes Doctores Ferrariam, cum cæteris Thomistis asseruisse, actum liberum Dei constitui per habitudinem, seu relationem rationis, & ideo P. Franciscum Suarez *in metaphy. disp.* 30. *Sect.* 9. *n.* 30. *§.* omissa primum tanquam choriphæum citat Ferrariam, his verbis: [ tractanda est altera sententia de respectu rationis, quam fere alii sequuntur vt Ferrara *primo contra gent.* Sylvester, &c. eodem modo affert pro hac sententia P. Herize. *tract.* 2. *disp.* 16. *cap.* 3. ibi: non dubitauerint affirmare libertatem Dei, vt comparatur ad creaturas solum afferre respectum rationis, eam docuere Ferrara *lib.* 1. *contra.* Gent. Capreolus *in* 1. &c. quem etiam refert pro hac sententia P. Didacus Ruiz. *tom. de volunt. disp.* 11. *sect.* 1. *n.* 1. ibi; frequentior Thomistarum sententia fuit hæc; [ volitio libera Dei supra volitionem necessariam addit tantummodo relationem rationis ad aliquod obiectum creatum, & quantum ad hanc relationem potuit non esse volitio libera, quamuis tota realis entitas volitionis liberæ, sit necessaria, ita vt non potuerit non esse hanc sententiam expresse docuit Capreolus *in* 1. *dist.* 45. quem sequitur ibidem Dela. *q.* 1. Sylvester *in constat.* 1. *p.* Ferrari. *lib.* 1. *contragent.* ] Idem facit Granados 1. *p. disp.* 5. *sect.* 3. *n.* 15. etiam Arrubal 1. *p. disp.* 54. *cap.* 3. P. Valencia *eadem.* 1. *p. disp.* 1. *q.* 19. *puncto.* 4. Bellarmin *tom.* 3. *lib.* 3. *de Gratia*, Salas. 1. 2. *tract.* 3. *disp.* 1. *sect.* 8. *§.* 7. *&* quotquot de hac materia scripserre. Idem etiam docent hi auctores de Gregorio: ergo sine dubio P. Vazquez hanc opinionem Thomistarum sequutus est. 19

Deinde; quia nullus ex Thomistis, neque tam clarius verbis, neque tanta repetitione, neque in tot locis vt P. Vazquez docet, actum liberum addere relationem rationis: ergo si P. Vazq. licet tam clare loquatur, & asserat decretum Dei liberum constitui formaliter explicatur, & asseri- 20

tur

tur ab aduersariis pro relatione rationis intellexisse denominationem extrinsecam realem à creaturis, etiam omnes Thomistæ, qui obscurius in hac materia ipso P.Vasquez loquuntur, poterunt explicari, & poterit affirmari de eis à fortiori loquutos esse de denominatione extrinseca reali; quod quam sit ridiculum dicere, nullus est qui non videat; siquidem hæc opinio de ente rationis pluribus ab hinc annis maxime valuit & floruit, & inter puros Thomistas in suo virore perseuerat; quare qui hanc opinionem negauerit fuisse Thomistarum, etiam poterit lucem meridianam inficias ire: quare si de sententia Thomistarum non est dubitandum,à fortiori non poterit in dubium reuocari sententia Patris Vasq. de ente rationis.

Nec mirum, quod hic Author in hanc sententiam inclinauerit,siquidem tot Auctorum ac Doctorum authoritate fulsita est, & ab innumeris Theologis sequuta, præcipue cum P. Vasq. quam plures pure Thomisticas sententias tueatur, ac defendat; v.g. quod idem corpus circunscriptiue non possit esse in duplici loco adhuc diuinitus; quod eadem materia non possit informari duplici forma; quod idem effectus non possit à duplici causa totali produci, etiam per potentiam Dei absolutam quod peccatum, & gratia adhuc supernaturaliter non possint esse in eodem subiecto simul, &c. ergo qui has sententias tam mordicus sequutus fuit,non mirum, quod istam de habitudine rationis amplexus fuerit.

21 Præcipua vero ratio,quæ maxime mouet ad asserendum P. Vasquez fuisse huius sententiæ est; tum quia claritas, & perspicuitas ingenij tanti Doctoris adeo elucet in omnibus eius operibus; vt obscuris aliorum Doctorum sibi aduersantium opinionibus,vt ipsas oppugnet lucem clarissimam offendat, & clarius eas doceat, quam proprij auctores, ac proinde pene omnes facilitate docendi superet, quo posito quis poterit sibi persuadere in re tam graui, qualis est hæc de actibus liberis adeo obscure & confuse (præter proprium morem) loquutum fuisse tam diligendum Doctorem, vt denominationem extrinsecam realem appellet tot vicibus, tot propositionibus ens rationis,seu habitudinem, & ordinem rationis: præcipue cum sine vllo labore,aut difficultate, sicut tu asseris, decretum liberum Dei constitui per connotata extrinseca, aut denominationem extrinsecam realem potuerit ipse eodem modo loqui, vt solitum morem clare explicandi in negotio, vbi necessaria magis est claritas in loquendo, quam in cæteris disputationibus, ne confusio ingeratur legentibus; quid ni oblitus ne est P. Vasquez denominationis extrinsecæ realis, aut in mentem eius non venerunt connotata extrinseca realia? quæ toties,& explicuit docte,& acute refellit & erudite docuit, vt nec verbum quidem dum suam sententiam explicare conatur de eis agat, certe non est hoc credibile,neque contra ius,fasque sententiam Thomistarum tanto Doctore est priuanda, aut expolianda quando in tantam formam hæc opinio, quæ iam iam inter neotericos semimortua,ac pene sepulta manet, merita sit,tantum Doctorem, mæcenatem & fautorem nanciscì, & comparare.

22 Tum etiam, quia ipse P.Vasquez pro constanti principio habet 1.p. *disp.*101. & 1.2. & 3.p. & passim vbi hoc negotium occurrit,nullam causam posse compleri ad producendum in genere causæ efficientis aliquem effectum per ipsum effectum productum; quod demonstrat exemplo visionis; visio enim non potest complere potentiam visiuã eo modo,quo completur per speciem impressam in esse causæ efficientis, & producentis ipsam visionem: sed creatura omnis quæ potest connotari ab actu libero, est effectus in genere causæ efficientis eiusdem decreti liberi: ergo in sententia Patris Vasq.non potest ipsa creatura constituere, & complere actum liberum Dei,quæ causat efficienter ipsam, &c. ergo falso asserit Alarcon P. Vasquez pro relatione rationis, qua docet constitui actum liberum, intellexisse creaturam connotatam.

Vt autem hæc omnia clarius pateant, aduerte, 23
non solum Thomistas,sed etiam Scotum in 1. *dist.* 39. huic sententiæ fauisse,& ideo omnes Scotistæ, vt docet P. Suarez supra *citata disp.* in hanc sententiam inclinant, inter quos expresse Lychetus eam tenet *dist.*45.vbi Gabriel,Ocham,& alij Nominales idem docent: ergo non mirum quod in hanc sententiam tot, ac tam grauium Doctorum sese induerit P. Gabriel Vasquez.

Fundamentum huius opinionis nullum aliud 24
est,nisi oppugnatio earum, quæ asserunt, addere aliquid liberum decretum distinctum à parte rei supra voluntatem; ex qua oppugnatione necessario sequi videtur hæc sententia;quia cum vere,ac proprie Deus velit libere creaturas, & absolute loquendo potuerit non velle, necesse est, vt actu velle creaturam aliquid addat,præter posse velle, seu præter actum volendi necessarium, quo Deus amat se ipsum; sed non addit aliquid reale: ergo necesse est,vt addat aliquid rationis.

Secundo sic probatur; quia intellectus noster 25
nunc intelligit duas res sine relatione rationis, & sine fundamento illius, & deinde inter duas illas aliquem respectum rationis inuenit, non onere gratis confictum,sed habens fundamentum necesse est vt talis respectus vltimo,& formaliter constituat id,quod habet fundamentum ad illum: sed intellectus noster concipit Deum secundum omnia, quæ necessario illi conueniunt in sua æternitate,& vt sic non concipit in eo relationem vllam rationis contingentem,& defectibilem, nisi forte necessariam ad creaturas possibiles; deinde vero concipit Deum vt amantem v.g. Petrum,quem ad æternam gloriam eligit, & tunc concipit relationem rationis ad illud,& præterea concipit fundamentum illius relationis de nouo consurgentis, per quam ita terminatur ad creaturas, vt potuerit non terminari ad illas quæ est ratio formalis libertatis, quæ in indifferentia formali ad vtrumque consistit: ergo actus liber Dei formalissime constituitur per relationem rationis.

Vltimo: quia actus liber Dei, quo prædestinat 26
v.g non est ad se,& absolutus, sed potius relatus ad prædestinatum,nimirum D.Petrum: ergo actus ille liber per relationem constituitur; quia omne, quod est ad aliud relatiuum est, ac proinde relatione constitui necesse est, sed non constituitur per relationem realem, quia Deus absolutus est, (vt mordicus tenet, & defendit P. Vasquez) ab omni reali respectu,& ab omni connexione, tam tam ad creaturas possibiles, quam ad creaturas actuales,& futuras; vnde etiam si creaturæ possibiles non essent possibiles, & per impossibile rederentur impossibiles, nihil reale, aut absolutum, aut respectiuum tolleretur à Deo, & de facto licet tollatur existentia creaturæ, aut futuritio illius, & de futura, & existenti in non futuram, & non existentem reddatur: er-

go talis relatio quam formaliter dicit actus liber, est respectus rationis, & hæc ratio est maxime ad mentem Patris Gabrielis Vasquez, quia ex intimis eius principiis deducitur, & conuenit cum explicatione illa, quam ponit *cap. 2. supra citato, num. 13.* ibi: [nihilominus nos, quibus non licet aliter de Deo loqui, quam instar rerum creatarum, quas videmus, & experimur, dicimus ipsum libere volentem, & tanquam causam libertam nominamus confuso quodam conceptu, cumque in re prius natura, & causalitate solum sit diuina essentia in se considerata sine actu libero elicito, qui possit adesse, & abesse, quam per modum actus, & decreti liberi, tamen pro hoc statu Deum intelligimus tanquam causam rerum futurarum, ac si apud se sicut nos actu aliquo libere decreuisset ex eo quod ipsa essentia Dei in se non habeat vllam connexionem, aut relationem cum creaturis necessario vt sint, sed cum eis libere comparatur: non quia in Deo sit actus liber, qui possit in Deo non esse, sed quia actus, qui in Deo necessario est, libere comparatur cum creaturis, cæterum hoc modo, licet assignemus libertatem in Deo comparatione facta cum obiectis, & rebus creatis, tamen non assignamus sufficientem rationem ex parte Dei; cur nunc actu libero efficaci referatur ad has potius, quam ad illas, siquidem idem omnino in se manens poterat eas non velle, quas vult; quare cum rem exactius enodare contendimus, difficultatem prædictam euadere non possumus; cæterum tamen est, non posse nos tribuere varias denominationes voluntati diuinæ, nisi per respectum aduersario modo se habentes, qui sit respectus rationis, cum rebus autem absque vlla variatione semper eodem modo nostro more loquendi comparari debeat.]

## SECTIO IV.

*Sententia Patris Suarez ponitur.*

27 TOmo *secundo, mei disput. 30. sect. 9. à num. 35. vsque ad 44. inclusiue*, eximius Doctor explicans suam sententiam circa decretum Dei liberum asserit, libertatem actus totaliter, & adæquate esse intrinsecam Deo, ita vt nihil sit in tali actu, quatenus constituitur inesse liberi, quod sit extrinseca denominatio in Deo proueniens, ac resultans à creatura, sed potius esse essentiam diuinam, quatenus intrinsece terminatur ad creaturas existente extra Deum, & ratione huius terminationis intrinsecæ asserit, compleri, & constitui actum voluntatis diuinæ inesse volitionis, aut nolitionis liberæ formaliter; primum, & secundum docet his verbis, *num. 36. §. 2. dicendum, in medio*, [multo magis, cum constituatur Deus volens creaturas simplicissimo modo tanquam purus actus solum constituitur solo reali, & intrinseco velle (id est adæquate.) Tandem hoc est euidentissimum in scientia; nam Deus non intuetur creaturas, vt existentes in aliqua differentia temporis, nisi per scientiam suam, tanquam per formam realem, & intrinsecam sibi, & non per aliquid extrinsecum, vel per aliqua entia rationis; nam Deus vere, & realiter iudicat de rebus creatis, vt existentibus, & apprehendit, ac intellectualiter repræsentat illas; totum autem hoc est reale absolutum & intrinsecum Deo: est ergo in ipso per aliquid reale, & intrinsecum ipsi: ergo per intrinsecam scientiam ipsius. Sic similiter amat Deus creaturas per intrinsecum actum, & non per aliquid extrinsecum: tertio, dicendum est, Deum eodem omnino actu simplicissimo indiuisibili, & absque vllo reali augmento, vel diminutione eius velle omnia, quæ vult, & nolle quæ non vult, siue necessario, siue libere ea velit; cum ergo amat Deus alia à se, non alio actu, nec per aliquid additum actui vult, sed illomet, quo se amat, & quo posset non amare alia, si vellet,] vnde Pater Suarez latissime probat, actum liberum formaliter non constitui per aliquid extrinsecum, quia adæquate, & totaliter est intrinseca entitas ipsius actus necessarij *eadem sect. 9. n. 5. & n. 32.*

Vltimum docet hic Auctor, *num. 41.* his verbis: [ex quo intelligitur aliter dici, liberum amorem Dei, quam dicatur amor creaturæ, hic enim dicitur liber, quantum ad esse, non vero quantum ad terminari tali modo ad tale obiectum (loquor de amore non vt cogitatione abstrahitur in communi: hic enim indifferens est, vt ad hoc, vel illud obiectum terminetur, quæ magis est indifferentia generis, quam libertatis, sed loquor de actu amoris, vt realiter existente in particulari) hic ergo dicitur liber quoad esse, quia ita est à sua causa vt ex vi eius posset non esse; non est autem liber quoad terminari, quia si est, necessario terminatur ad tale obiectum tali entitati actus adæquatum. At vero diuinus amor est liber, non quoad esse, sed quod terminari respectu creaturarum; nam ille amor secundum suam totam entitatem & perfectionem necessario est, neque in hoc potest habere indifferentiam, quia esset magna imperfectio; tamen in terminari habet indifferentiam, non quidem respectu primarij obiecti, quod est ipsemet, seu diuina essentia; quia necesse est, vt ad aliquod obiectum necessario terminetur ad illud scilicet, cum quo habet intimam, & necessariam connexionem, vel potius vnitatem; sed indifferentiam habet respectu secundariorum obiectorum, cum quibus non habet necessariam connexionem, nec ab illis vllo modo pendet, *& in fine numeri 42.* sic ait: [vnde cum dicitur Deus posse velle, & non velle, illud posse non dicit potentiam actiuam, vel passiuam, sed solum dicit indifferentiam eiusdem actus, vt ad hoc obiectum terminetur, vel non terminetur,] *& num. 43.* concludit his verbis: [sic denique intelligitur optime in libertate diuina distinctio, & oppositio actuum secundum rationem sine vlla reali contrarietate, vel distinctione, quia nimirum idem est omnino actus secundum rem, qui sine vlla additione, ac varietate terminatur, & sic ratione distinguitur vnus actus ab alio, & vt terminatur ad hoc, vt aliqua res sit & existat, dicitur amor, aut volitio, provt vero terminatur ad non esse talis rei, dicitur nolitio eiusdem rei, & metaphorice odium, non inimicitiæ, sed abominationis.] Sic magnus Suarez.

Aliqui neoterici, vt huic sententiæ lucem tri- 29
buant, dicunt esse posse contingentia in prædicato intrinseco alicuius rei, sine vlla contingentia in entitate rei, aut physica mutatione eius, hoc autem posito facile explicant vt aduertit P. Herize, qua ratione prædicatum intrinsecum volentis creare mundum Deo possit competere contingenter, & nihilominus, si condere mundum noluisset, nihil de diuina entitate desideraretur, nullaque in ipso eueniret physica mutatio, illud autem ponendum esse ostendunt variis exemplis probabiliter admissis ab Authoribus, nec parum videri debet improbabilis sententia, licet difficile mysterium actuum liberorum cum probabilitate tueri,

tueri ; exempla sunt quæ supra adduximus pro sententia extrinsecè denominantium de relatione, conseruatione , & cæteris, præter quæ aliud adducitur. Quod euidens vocatur ab aduersariis sumptum ex veritate formali propositionis , quæ licet intrinseca sit , variatur tamen per solam mutationem extrinsecam obiecti , & præterea alterum exemplum in medium proferunt , ex omnipotentia Dei petitum ; de qua duplex est sententia , prima affirmat ipsam eum habere ordinem transcendentalem ad creaturas , qui sufficiat ad probandum defectum alicuius perfectionis in omnipotentia , si per impossibile aliquæ, vel aliqua ex creaturis possibiles non essent. Secunda absoluit omnipotentiam , ab omni ordine transcendentali, atque asseuerat eandem perseueraturam entitatem , atque perfectionem in omnipotentia, licet omnes creaturæ possibiles non essent , nihilominus hoc prædicatum intrinsecum potentis producere creaturas Deo non competeret : ecce ergo adest , & abest prædicatum intrinsecum ratione connotati extrinseci absque mutatione entitatis omnipotentiæ:in hac sententia quam hodie plures recipiunt & defendunt.

Denique in potentia obedientiali tam actiua, quam passiua similis formatur instantia ; quoniam vtraque potentia est intrinseca , & indistincta , nec habet ordinem transcendentalem ad actum supernaturalem ; connotat vero ex parte Dei , seu formæ potentiam coagendi , seu informandi superiorem , & eleuantem ; ita vt sublata connotatione , nequeat dici creatura potens obedientialiter , posita autem dicatur ; quod si hæc opinio probabilis est , ea sola defenduntur actus liberi diuini, nimirum manente eadem entitate in Deo denominari volentem ; cum connotat creaturam cum aliquo speciali ordine ad existentiam , & non denominari , cum non connotat. Itaque ait hæc sententia , ipsum simplicissimum actum esse necessarium , vt comparatur ad Deum esse liberum , vt ad creaturas , eodemque se diligere propter se vt finem , creaturas propter Deum vt media , sine aliqua additione , nec per rationem ; quia autem libertas Dei non est potentiæ , sed actus , hinc est , quod cum nulla additio fiat , cum creaturas libere amat , potuerit etiam sine diminutione entitatis non eas amare ex eo quod posset non terminari ad illas ; ac proinde nec Deum constituere volentem illas creaturas, quoniam actus ille diuinus non tribuit necessario adæquatum quasi effectum formalem Deo, sed cum dependentia ab aliqua connotatione creaturæ extrinsecè , hoc vero licet à nobis non intelligatur tribuere debemus actui libero diuino ratione infinitatis , atque eminentiæ in modo libertatis , tametsi vero omnis forma creata necessario tribuat adæquatum effectum formalem subiecto proportionato , vt cernere est in actu libero nostro in voluntate existente , hoc vero propter eminentiam diuinæ liberratis , quæ non est in ordine ad actum, neque speciem sumit ab obiectis , nec ad ea ordinatur , sed absolutissime ea respicit;Itaque hæc sententia à Patris Herize sententia, Alarcon , & Arrubal differt in hoc , quod actus liber , licet petat connotatum extrinsecum in ordine ad quod constituatur , tanquam causa in ordine ad effectum , nihilominus tamen non constituitur per illud, tanquam per formale constitutiuum, sed per terminationem intrinsecam ad connotatum illud, seu effectum, itavt tota constitutio formalis actus liberi consistat in illa terminatione intrinseca, quæ potest esse in Deo ; ratione cuius potest actus Dei terminari,& non terminari ; eo quod totam indifferentiam,quam requirit necessario libertas habeat Deus non in entitate actus,sed in terminatione illius.

## SECTIO V.

### *Vltima sententia ponitur.*

CAietanus *prima parte , quæstione 19. articulo secundo & tertio, & tertia parte, quæst. 1. articulo primo*, asserit,actum liberum addere à parte rei aliquid intrinsecum supra entitatem actus necessarij,& hoc intrinsecum esse perfectionem contingentem , ac proinde posse adesse , & abesse à Deo, cum vero dicit, deesse à Deo posse intelligendus est Caietanus absolute , ac simpliciter, quatenus ex æternitate potuit non esse in Deo volitio ad creandum mundum, non tamen ex suppositione , quod ipsum semel condere voluerit; nam hoc pugnat cum perfecta immutabilitate diuina ; quod autem possit adesse à Deo , non iudicat incommodum,quoniam est perfectio libera, quæ est conditio diminuens , *in articulo autem tertio*, §. ad hoc est dicendum, hanc perfectionem actus liberi dicit tantum esse extensiuam ; quoniam perfectio intensiua amoris diuini ab ipso Deo : desumitur hæc sententia Caietani sic probatur ; quia effectus hic formalis , verbi gratia, volendi creare hunc mundum, non conuenit Deo necessario : ergo non potest formaliter prouenire à perfectione simpliciter necessaria ; quia effectus oppositus non potest prouenire à causa illi opposita , verbi gratia , album non potest prouenire à nigredine : sed effectus contingens , seu libere est oppositus causæ formali necessariæ simpliciter : ergo non potest à parte rei prouenire ab entitate simpliciter necessaria. Ergo prouenit à causa formali formaliter contingenti superaddita realiter supra actum necessariũ diuinum;sed non potest esse huiusmodi nisi possit adesse & abesse à Deo:ergo. 30

Confirmatur, quia impossibile videtur vt eadem forma secundum eandem omnino rationem realem det aliquam intrinsecam denominationem, & quod eadem omnino manens, & eodem modo informans, seu quasi informans, aut coniuncta supposito possit non dare illam denominationem:sed Deus denominatur volens creaturam ab aliqua forma,seu quasi forma reali,& intrinsece existente in ipso : ergo impossibile est quod illa denominatio proueniat ex vi solius perfectionis formalis & essentialis necessario conuenientis Deo.Probatur consequẽtia:quia hæc denominatio seu quasi effectus formalis non cõuenit necessario Deo:ergo non potest formaliter prouenire à perfectione simpliciter necessaria;nam hæc cum sit eadem & eodem modo coniuncta Deo,non potest nisi eandem necessariam denominationẽ semper tribuere.Alias eadem forma eodẽ modo vnita posset nouum, vel diuersum quasi formalem effectum tribuere, quod intelligi non potest.Vt si voluntas mea habeat vnũ & indiuisibilem actum immutatum , & sine vlla additione,& eodem modo illam afficientem, intelligi non potest quod nunc constituat illam formaliter volentem tale obiectum, & tamen quod eodem modo manens possit non constituere volentem illud obiectum. 31

Secundo sic argumentor,quia in æternitate voluntas diuina prius tatione,quam velit hoc, vel illub obiectum extra se intelligitur potens ad volendum , vel nolendum illud , alioquin non esset 32

set libera, & in illo signo intelligitur cum tota perfectione, quæ necessario est in ipsa, & deinde intelligitur actu volens tale obiectum: ergo necessario est vt aliquid reale Deo addi intelligatur, à quo talis denominatio, & quasi informatio orta sit; patet consequentia, quia illa denominatio non est rationis, sed realis, quia vere, & in re ipsa Deus vult & amat, & est noua; si non duratione, saltem naturæ ordine & separabilitate, quia absolute loquendo posset non esse in Deo: ergo necesse est vt veniat à forma reali intrinseca, & ex se ipsa separabili ab omni re, & perfectione, quæ necessario conuenit Deo.

33 Vrgetur, quia hæc additio quæ in æternitate intelligitur fieri Deo per actum liberum secundum diuersa signa rationis talis est, quæ si in tempore fieret realiter, mutaret Deum: ergo non est tantum additio rationis, sed vera, & realis; patet consequentia, quia per solam additionem rationis non mutaretur Deus realiter, vnde multi respectus huiusmodi illi ex tempore conueniunt. Antecedens vero probatur; quia alias non esset inconueniens, Deum velle libere aliquid in tempore de nouo, nec esset inconueniens illam additionem fieri Deo extra æternitatem; nam sola mutatio realis est, quæ tollit quominus detur actus liber Dei in tempore.

34 Vltimo sic probatur, quia si relatio paternitatis in Deo non esset actu, & statim in alia duratione esset, vel posset esse, sine dubio quando actu esset, adderetur à parte rei supra entitatem intrinsecam Dei; neque sola diuinitas sine additione à parte rei relationis supra ipsam diuinitatem sufficeret, vt intrinsece daretur relatio, quæ antea non erat, quia relatio est formalitas intrinseca in ipso Deo, & non denominatio extrinseca: atqui actus liber Dei, quatenus vitalis est, est perfectio intrinseca in Deo, quæ potest esse & non esse in ipso: ergo quando est in ipso actu debet esse per additionem à parte rei supra entitatem necessariam Dei.

35 Neque sufficit sola diuinitas sine tali additione ad constituendum Deum in esse libere volentis; quia forma, quæ non est similis effectui formali, non potest constituere talem effectum formalem: sed effectus formalis, aut liber actus, quatenus liber est, est contingens, & ideo ita est in Deo, vt posset non esse, & diuinitas, quia est omnino necessaria ita conuenit Deo, vt non possit vllo modo non conuenire, quia implicat contradictionem non conuenire: ergo talis effectus formalis, qui est actus liber Dei non potest prouenire in Deo à diuinitate.

36 Vrgetur, quia quando non datur effectus formalis in aliquo subiecto, siue sit diuinum siue creatum, est quia non datur in illo forma vel quasi forma talis effectus formalis; quia existente forma in subiecto capaci illius, non potest non dari effectus formalis illius, v. g. Verbum diuinum ab æterno non fuit vnitum humanitati, hoc est defuit ille effectus formalis, vnitum videlicet, & hoc quia deficiebat ab æterno vnio: quare si ab æterno existeret vnio Verbi diuini ad humanitatem, eo modo quo in tempore existit, necessario daretur tale concretum, seu effectus formalis: atqui in Deo nunc deficit hoc concretum, seu hic effectus formalis, Deus volens creaturas esse quæ non existunt, ideſt pure possibilibus & quæ non habent existentiam actu, & poterat esse talis effectus, scilicet Deus volens: ergo deficit, quia deficit forma, seu ratio formalis constitutiua illius; atqui nullo modo deficit diuinitas, alias deficeret Deus nunc: ergo deficit alia formalitas, quæ posset esse in Deo, & nunc non est, ac proinde vt adesset illa, deberet fieri additio à parte rei talis formalitatis contingentis supra diuinitatem à parte rei.

## SVBSECTIO VI.

*Prima conclusio ponitur & probatur.*

IN Deo datur proprius actus liber: hæc conclusio est de fide, & lumine naturali euidens Prima pars sic probatur ex illo *Psalmi* 93. Deus vltionum libere egit: vbi licet primario significetur libertas à timore, coactione, & acceptione personarum, supponitur tamen virtualiter, & includitur ibi libertas ab impossibilitate, & necessitate determinante ad vnam partem contradictionis; talis enim necessitas, aut impossibilitas, si Dei voluntatem & operationem alligaret ad vnam partem, non esset possibile timore concuti, vel coactione, vel acceptione personarum ab vltionibus cohiberi, propterea quod laudaretur inaniter libertas à coactione, timore, & acceptione personarum. 37

Quibus consonat manifestissime illud *Sapientiæ* 12. [non quia impotens erat in bello subijcere impios iustis, aut bestiis sæuis, aut verbo duro simul exterminare, sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ non ignorans; tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos, subest enim tibi, cum volueris posse;] vbi apertissime declaratur dominium voluntatis diuinæ cum indifferentia ad operandum vel non operandum prout voluerit, vt patet ex illis verbis: [non quia impotens erat in bello subijcere impios iustis, aut bestiis sæuis &c. sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ;] ac si diceret, ita se habere Deum circa impios, vt licet eos posset bello bestiis, & aliis huiusmodi exterminare, & destruere propter nefanda scelera eorum, nihilominus tamen ad ostendendam suæ misericordiæ, & libertatis excellentiam infinitam, & summe perfectam eminentiâ illis tribuisse tempus, vt respiscentes, & pœnitentiæ, ac lactymarum efficaciâ, ac virtute anteactæ vitæ peccata decerent ad melioremque frugem sese conuerterent, quæ potentia cum indifferentia orta ex plenissima cognitione liquido manifestatur illis verbis: [non ignorans; tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, subest enim tibi cum volueris posse.] 38

Sed libertas formaliter consistit in dominio voluntatis circa proprios actus puniendi, vel non puniendi, miserendi, vel non miserendi, cum indifferentia plena ad operandum, vel non operandum quod voluerit, & eo modo quo voluerit: ergo euidenter & manifestè declaratur his verbis libertas, qua gaudet Deus circa creaturas. 39

Quibus verbis alludere videtur Paulus *ad Rom.* 9. ibi: [cuius vult miseretur & quem vult indurat;] & iterum, [an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam:] Nec discordat ipse Apostolus 1. *Corinthior* 12. ibi: [diuidens singulis prout vult;] hoc est vt exponit Ambros. *secundo de fide, cap. 3.* pro libero voluntatis arbitrio non [pro necessitatis obsequio.] 40

Dices

Dices his locis solum probari Deum habere indifferentiam, & actum liberum, non tamen proprium.

41 Sed contra, quia absolutus, ac simpliciter modus loquendi, quo Deo attribuitur tale Dominium, & indifferentia ad operandum, & non operandum provt voluerit & quando voluerit manifeste demonstrat in supradictis verbis Deum habere propriam, & perfectam libertatem cum propria, & rigorosa indifferentia ad vtrumlibet: nam libertas actus voluntatis sequitur in perfectione, & proprietate ipsum actum voluntatis, amoris diuini; sed Deus habet actum voluntatis; & amoris perfectissimum, & propriissimum: ergo etiam habet propriissimam, & perfectissimam libertatem illius. Maior patet manifeste *ex Ieremiæ* 31. ibi. [ & in charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans: ] alia versio, in charitate perfecta amplexatus sum te; sed charitas perfecta est proprius & perfectus amor: ergo in Deo datur proprius actus amoris, & non proprius & metaphoricus; per illam autem particulam, attraxi te miserans, optime denotatur libertas, & indifferentia circa creaturas, quia actus misericordiæ, & liberalitatis radicem libertatis indicat in miserente; Minor illa sic probatur; quia id quod metaphoricum, & improprium est in aliqua ratione perfectum in ea ratione esse non potest; vnde licet amœnitas prati perfecta sit in esse amœnitatis, & floriditatis, nihilominus tamen in esse risus per perfectionem habere non potest, quia perfectio supponit veritatem, & proprietatem; quapropter vt inquit Hieronymus ad Paulinum adeo necessitudinis, & connectionis vinculo perfectio cum veritate copulatur, vt ista ruere non possit quin illa eodem labefactata motu concidat; vnde sine dubio irrideretur à sapientibus ludibriumque deberet hominibus ratione vtentibus, vt inquit Seneca, qui assereret hominem esse perfectam arborem inversam, cuius nulla alia ratio est nisi metaphora quæ in hac denominatione intercedit. Ergo id, quod imperfectum est, in aliquo genere proprium, & rigorosum debet esse in illo genere, sed ex verbis Ieremiæ constat actum charitatis, & actum libere misericordiæ; quo creaturæ diliguntur à Deo, esse perfectum actum charitatis, & misericordiæ: ergo manifeste sequitur, talem actum esse proprium & non metaphoricum.

42 Clarius autem hæc omnia patent ex illo *Daniel.* 3. [ potens est Deus nos de manibus tuis ô Rex liberare; quod si noluerit statuam tamen, quam feciſti non adoramus; ] in quibus verbis aperte docet Scriptura Deum habere omnipotentiam indifferentem ad liberandum, & non liberandum; quia potuit non liberare; cum expresse doceat Scriptura potuisse fieri vt Deus nollet liberare tres pueros de fornace, quos tamen liberare voluit, & re ipsa liberauit, cui consonat illud *Esther* 13. [ non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris salvare nos, continuo liberabimur, ] hic præter quam quod significatur potuisse Deum non facere quod fecit, habetur etiam vocabulum decernendi, quod proprie ad liberum arbitrium pertinet: ecce manifeste in his omnibus contra Thomistas ostenditur expressa, ac formalis indifferentia voluntatis diuinæ, quia nihil aliud est indifferentia formalis, quam ita facere aliquid vt possit facere oppositum, & ita velle aliquid vt posset nolle id ipsum; sed Deus ita se habet, vt quando liberat pueros, & vult liberare illos, potuerit nolle liberare eosdem: ergo Deus habet formalissimam, & rigorosissimam indifferentiam in voluntate; quod etiam clare traditur *Sapientiæ* 11. [ non erat impossibilis manus tua immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones ] non tamen immisit; quare poterat facere, quod non fecit; *ibidem* [ misereris omnium, qui omnia potes dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam; ] at certe non vere dicitur dissimulare peccata is, qui non punit, quia non potest, sed is, qui cum possit non vult: in quibus verbis multis modis declaratur indifferentia formalis dei, & libertas diuinæ voluntatis, quia dicitur Deum moveri pœnitentia ad dissimulandum peccata: ergo supponitur libertatis indifferentia in tali voluntate; quia id, quod libertatem non habet, nullo modo veri potest ad agendum, aut non agendum dissimulando peccata cum potuisset pœnas sceleribus debitas infligere; præcipue cum hæc motio ad dissimulandum sit ratione misericordiæ; quæ quia virtus moralis est essentialiter petit in miserente libertatem, cum moralitas libertatem essentialiter requirat.

Accedunt ad hæc verba illa; quæ habentur 43
*Matth.* 3. [ potens est deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ; ] in quem locum Hieronymus Chrisostomus Theophilatus, necnon Ambrosius *in capur* 3. Lucæ scribunt, ex veris, proprieque dictis lapidibus posse Deum excitare filios Abrahæ, quamvis nunquam id fecerit. *Mat.* 19. [ facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum; ] *& paulo post* [ apud homines hoc impossibile est; apud Deum omnia possibilia sunt. ]

Nec valet; si quis dicat posse fieri, vt came- 44
lus transeat per foramen acus si redigatur ad subtilitatem tenuissimam fili, quemadmodum olim Pelagiani dicebant posse diuitem saluum fieri, si venditis omnibus, pauper fieret, alioqui non posse hoc (inquam) non valet quoniam Dominus ait, hoc impossibile esse hominibus, Deo autem esse omnia possibilia. Non est autem impossibile hominibus efficere vt camelus transeat per foramen acus, si ad fili tenuitatem antea redigatur. Itaque Sanctus Gregorius Nazianzenus ex hoc Evangelij testimonio affirmat *lib.* 4. *de Theologia*, posse Deum facere vt camelus manens camelus transeat per foramen acus; quod tamen nec fecit nec vnquam fortasse faciet.

Vrget etiam illud *Mat.* 16. [ an putas, quia 45
non possum rogare Patrem meum & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum: ] ergo habebat Christus potestatem orandi Patrem, vt mitteret ad se plusquam duodecim legiones Angelorum. Item Pater etiam poterat mittere, & tamen neuter fecit quod poterat facere: ergo habebat Christus, & habet Deus indifferentiam formalem ad vtrumque.

Respondet Vuichleph, potuisse Christum à 46
Patre legiones petere, non à quibus defenderetur, sed quæ sibi eo tempore adessent, potuisse quoque Patrem mittere eas legiones, si voluisset, sed non potuisse velle.

Sed hæc responsio digna suo authore, ineptis- 47
sima est, primum enim certum est hoc loco non

agi de simplici assistentia Angelorum,sed de præsidio adversus vim, quæ in Christum parabatur. Dicuntur enim hæc verba Apostolo Petro, qui nitebatur gladio Dominum protegere, vt intelligeret non esse corpus Christo tali defensione, qui aliam longe maiorem haberet in promptu si vellet orare.

48 Deinde esto de simplici assistentia ageretur adhuc probamus, posse Deum facere, quæ non facit, quia potuit mittere plusquam duodecim legiones Angelorum, quæ Christo assisterent, quas tamen non misit.

49 Deinde Deum potuisse si vellet, sed non potuisse velle ineptissime dicitur, nisi Christum ipsum inepte loquutum esse dicamus. Voluit enim Christus docere se libere, non autem coactum subire mortem, id autem demonstrat ex eo quod poterat facile à Patre præsidium multorum millium Angelorum impetrare; quæ Christi demonstratio nihil valeret, si Pater non poterat velle mittere præsidium, quod petebatur. Vide Hieronymum, & Chrisostomum in commentario ad hunc locum.

50 Tandem probatur veritas nostra ex verbis Christi Domini *Marci.* 14. ibi: [ Abba Pater omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, ] perspicuum est ex hoc loco possibile Deo fuisse transferre calicem passionis à Christo; quod tamen factum non esse scimus, & *ad Romam.* 1. reprehendit Apostolus Gentiles, quod cum Deum cognouissent non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt, sed non debetur gratiarum actio, nisi ei qui libere agit, & beneficia præstat, cum possit non præstare: ergo Deus libere agit, & libere procurat.

51 Præsertim hæc omnia confirmantur, quia Deo attribuit Scriptura sacra electionem vnius præ alio, vt 1. *Corinthiorum. &c.* [ quæ stulta sunt mundi eligit Deus, vt confundat Sapientes ] & 2. *ad Thessalonicenses,* 2. [ nos autem debemus gratias agere Deo semper, quod elegerit vos primitas in salutem: ] atqui eligi non potest bonum quod absolute necessarium est eligere, seu ut melius loquar, appetere; sed illud tantum bonum est obiectum electionis quod possibile est eligi, & non eligi, vt constat ex Aristotele 3. *Ethic.cap.2 & 5. & lib.5.elenchor. cap.* 8. ergo ita eligit Deus, vt posset eligere, & non eligere; sed hoc est habere propriam indifferentiam libertatis: ergo in Deo datur proprius actus liber cum indifferentia ad vtrumque.

52 Nec potest dici non habere plenam indifferentiam libertatis, quia non potest peccare; quia talis indifferentia ad peccandum sicut est indifferentia ad malum, & imperfectissimum omnium, quale est peccatum, ita est imperfectione plenissima indifferentia, ac proinde in Deum vtpote infinite perfectum non cadit illa, quia loco illius habet Deus plenum, & perfectissimum dominium cum plena indifferentia ab bonum, & cum pleno dominio ad faciendum quidquid voluerit de creaturis, in quo infinitæ libertatis, & indifferentiæ maxime fulget excellentia; nam sicut non posse mentiri in Deo non diminuit omnipotentiam; ita non posse peccare non minuit indifferentiam libertatis; quod his aureis verbis docuit D.Augustinus *lib.22.de civit.Dei,cap.vltimo,* [ Deus ipse quoniam peccare non potest, nunquid liberum arbitrium habere negandus est. ]

53 Dices, Scripturam Sacram lato modo loqui de indifferentia ad volendum, & nolendum, quam tribuit voluntati diuinæ.

54 Sed contra, quia non licet Scripturæ verba Patrumque testimonia absolute loquentia trahere ad significatum improprium, vel secundum quid, aut quodammodo verificatum, quando constanter, & vniformiter plurimis in locis absolute, simpliciter ac sine addito repetuntur, & eorum libri, vel contextus non sunt proverbiales, sed doctrinales; nec præbent indicium impropriæ loquutionis,vt docet Doctor maximus Hieronymus, *epist. ad Eutropium,* & colligitur aperte ex Concilio Tridentino *decreto de Sacris scripturis*, alias nulla firma regula daretur intelligendi, & interpretandi scripturas, imo potius ansa tribueretur errotibus; sed hæc omnia reperiuntur in testimoniis asserentibus, Deum voluisse facere quæ potuit non facere, & in docentibus Dei voluntatem esse liberamergo non sunt explicanda de sensu improprio, & lato.

Præcipue, quia ipsi aduersarij nunquam audent negare absolute libertatem diuinam, tam expresse positam in locis supra citatis, solum enim explicare intendunt loca illa, vt aliquomodo verificentur.

56 Sed quod non proprie sed metaphoricè dicitur, negare possumus absolute, ac simpliciter, loquendo verius, quando negamus, ac quando affirmamus, sicut verius est Deum non dolere, nec pœnitere; quia non nisi metaphorice dolet, & pœnitet; quapropter si Deus non nisi metaphorice vel improprie vult producere potius has creaturas, quam illas, negare possumus hoc absolute loquendo, & verius loqueremur dicentes, Deum non velle creaturas producere, quas potuit non producere, quod falsissimum est: ergo signum evidens est propriam indifferentiam non metaphorice, sed proprie convenire Deo, quandoquidem omnes liberum amorem efficacem circa creaturas affirmant esse in Deo, & tamen in ipso non esse propriam tristitiam, pœnitentiam, aut alios affectus huiusmodi docent omnes scholastici, apud quos improprietas, & metaphora notata in prædictis affectibus iræ, vel tristitiæ convinci talem improprietatem, aut metaphoram in libero Dei amore non reperiri, sed potius maximam proprietatem, quæ proprietas, & indifferentia diuinæ voluntatis traditur, quoties homines dicuntur esse in manu Dei, sicut lutum in manu figuli, quia de figulo nullus dubitat, habere plenam indifferentiam cum pleno dominio libertatis ad faciendum de luto quidquid voluerit: ergo si in Scriptura comparatur in hoc Deus figulo, evidens est propriam indifferentiam,& libertatem tribuere ipsi Deo; verba scripturæ sunt illa Ieremiæ 18. [ nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israël ait Dominus? ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel; ] idem significatur verbis Isaiæ c. 45. væ qui contradicit figulo suo,testa de samiis terræ: numquid dicit luctori suo, quid facis, & opus tuum absque manibus est.] *Ecclesiastici.* 33. [ quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud, & disponere omnes viæ eius secundum dispositionem eius; sic homo in manu illius, qui se fecit, ] & *ad Rom.* 9. clarius, & evidentius:[ an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud

aliud autem in contumeliam ] quod explicans Athanasius *orat. 2. contra Arianos, prope medium, & orat. 4.* fuse, & frequenter docet Deum non necessitate operari, sed quando voluit, creavisse mundum, cum potuisset antea creare, aut nunquam creare & ideo ait, [ deliberare, & diligere in utramque partem momenta sua habet, & ea affectio in naturam rationalem cadit.] Ita declarat indifferentiam diuini arbitrij, quam etiam suo & Apostoli more nomine beneplaciti, & voluntatis intelligit *orat. 4. contra Arianos*; quod etiam facit Iustinus *q. 114. ad Orthodoxos*, his verbis: [ actionis diuinæ potentiam non naturali necessitate, sed proprio consilio libertatis constare.] Gregorius Nyssenus *lib. 6 Philosophiæ, qui est de fato. cap. 40.* ait: [ non enim necessitati Deus paret, neque fas est dicere eius voluntatem necessitati seruire, etenim necessitatis ipse author est, ipse Deus non solum extra omnem necessitatem locatus est, sed etiam eius dominus, & author est: cum enim sit potestas, & natura liberæ potestatis nihil, neque naturæ necessitate, neque legis sanctione facit, sed omnia sunt illi contingentia, etiam quæ sunt necessaria, ] id est etiam illa, quæ necessario sequuntur ex causis naturalibus, & quæ necessario perseverant, quoniam sunt naturaliter incorruptibilia, comparatione tamen diuinæ voluntatis contingentia sunt; quoniam potest illam non producere, & potest iam producta annihilare. Deinde monet propter huiusmodi libertatem ostendendam mutasse Deum in aliquibus rebus naturæ cursum, vt iuvando cursum solis, aut lunæ consistere.

57 Quod eisdem pene verbis docet Augustinus *lib. 6. de Genes. ad litt. cap. 14.* ibi; [ restat igitur, vt ad vtrumque modum habiles creaturæ sint, sive ad istum, quo vsitatissime temporalia transcurrunt, sive ad illum, quo rara, & mirabilia fiunt, sicut Deo facere placuerit, quod tempori congruat. ] Porro creaturæ non essent ad vtrumque modum habiles, si Dei voluntas; & potentia non esset ad vtrumque modum indifferens, siue ad seruandum ordinem communis providentiæ, sive ad facienda pro libito miracula; vnde concludit *cap. 15.* [ Manifestum est etiam sic non factum esse hominem, contra quod erat in illa prima conditione causarum: quia ibi erat etiam sic fieri posse, quamvis non ibi erat, ita fieri necesse esse, hoc enim non erat in conditione creaturæ, sed in placito libero Creatoris, cuius voluntas rerum necessitas est; ] quod si diuina voluntas fuisset necessario determinata, vt vellet hominem sic & non aliter condere in ea conditione causarum fuisset, ita fieri necesse esse, nec hoc esset positum in placito creatoris.

## SVBSECTIO VNICA

### *Rationibus demonstratur veritas.*

58 ET primo pro hoc negotio militat omnes demonstrationes, quibus supra probavimus dari in Deo voluntatem; ex eo quod voluntas reperiatur in effectibus Dei, quæ nihil habent, nisi participatum à Deo, à quo necessario debent participare perfectiones suas; sicut est voluntas; quæ secundum se, & in statu præciso ab imperfectionibus est perfectio simpliciter simplex, ac proinde debet reperiri in Deo, sed libertas, & indifferentia formalis dominij reperitur in effectibus creatis à Deo participata ab ipso, quia nihil est in effectu, quod non contineatur in causa; & ex alio capite libertatis indifferentia cum pleno dominio ad vtrumlibet, est perfectio simpliciter simplex, si concipiatur præcisa ab imperfectionibus: ergo formaliter reperitur in Deo.

Vrgetur, quia Deus ita debet esse perfectissimum ens, vt aliud eo perfectius excogitari non possit, sed si Deus non haberet libertatem formalem, aliud ens posset excogitari perfectius deo scilicet illud, quod haberet omnem perfectionem, quam habet Deus, & præter illam etiam libertatem, quæ vbicunque reperitur, magna perfectio est, quam qui neget expoliari deberet ipsa in pœnam tanti delicti suffurandi laudem, & excellentiam ab arbitrio; cuius euidens signum est, nullum hominem rationis compotem velle pro quocunque bono commutare libertatem, ut concinit Poëta. 59

*Non bene pro toto libertas venditur auro.*

Ergo hæc maxima perfectio non debet negari 60
Deo, sed potius perfectissima est ipsi concedenda, etiam si illam non intelligamus; nam difficilius intelligimus mysterium Trinitatis, & nihilominus illud negare non audemus, sed potius fatemur illud, & nostram simul ignorantiam confitemur; quapropter quod Theologus cordatus debet facere, est excogitare modum quemdam Deo dignum conformemque manifestari, & infinitæ perfectioni divinæ, & nullo modo lumini naturæ bonæ philosophiæ, rectæque metaphysicæ repugnantem, quem si inuenire non potuerit Cherubinorum Isaiæ ante conspectum Dei facies suas velantium vestigiis insistens suamque ignorantiam patefaciens in illud trisagium prorumpat, Sanctus, Sanctus, Sanctus; additis illis verbis, quam incomprehensibilia sunt iudicia tua, & inuestigabiles viæ tuæ.

Secundo sic demonstratur principaliter ex ef- 61
fectibus omnipotentiæ proprietas indifferentiæ, & libertatis diuinæ; quia omnipotentia Dei tam extensive, quam intensiue infinite perfecta est in sua virtute productiva, ac proinde efficacissima; & omnium excellentissima, sicut scientia & voluntas, & quidquid in Deo est; nam sicut Deus est infinitus per essentiam, ita etiam omnipotentia, & reliqua attributa summam infinitatem habent, quatenus proportionantur cum essentia: ergo vltra hæc quæ produxit Deus per suam omnipotentiam potest producere perfectiora, & meliora; quoniam in his productis non ostendit aut exercet totam, & adæquatam infinitam virtutem, tam intensivam, quam extensivam: ergo libere hæc produxit, & indifferenter, ac proinde habebit indifferentiam, & libertatem in producendo; probo consequentiam, quia si produxisset ex necessitate naturæ, operaretur secundum vltimum potentiæ suæ, tum in velocitate producendi, tum in numero, & quantitate creaturarum, tum in qualitatibus, & perfectionibus secundum earum capacitatem; quia neque ab intrinseco limitari posset, quoniam for. t agens necessarium neque ab extrinseco, quoniam infinitæ potentiæ est, cui nulla finita potentia resistere potest, & nulli extrinseco agenti subiectam potentiam habet, ac proinde produxisset ab æterno simul, aut simul in principio

temporis orbes cœlestes, & terrestres, homines, &c. in multitudine infinita, & species rerum, quibus constarent perfectiores, atque perfectiores sine termino, & indiuidua harum specierum non tantum qualitate perfectiora, & numero infinita: ergo ex successiuo modo producendi vnam rem post aliam, quando ex parte ipsarum nulla datur repugnantia, vt simul producantur, & ideo sæpissime simul producuntur, verbi gratia duo homines, duo leones, duæ pluuiæ, aut guttæ aquæ; item ex vno duntaxat orbe producto, ex speciebus in eo, & ex indiuiduis specierum in ipso, & ex qualitate singularium in hoc pondere, numero, & mensura, quibus hæc omnia condita sunt manifesta demonstratione ostenditur diuina libertas, & indifferentia, seu dominium, quo determinatur Deus ad successiue producendum vnum indiuiduum post aliud, quando simul poterat producere infinita.

62 Vrgetur, quia cognitio diuina ipsam voluntatem, & omnipotentiæ actionem præcedens indifferenter ipsi proponebat omnium rerum producibilitatem, tam earum, quæ fuerunt, sunt, & erunt, quam earum, quæ nunquam producentur: ergo si has potius, quam illas elegit ad producendum, & alias multo perfectiores reliquit in pura possibilitate, signum euidens est, summam libertatem habere ad producendum, & summam indifferentiam, & dominium in eligendo hoc potius, quam illud; nam si ageret Deus necessario determinatus, nulla ratio reddi posset, quare determinatus fuerit ad has, & non ad illas, quare elegerit has, & non illas, & ex alio capite has eadem, quas produxit, varie gubernare, ac conseruare, vel destruere possit, nulla reddi potest ratio, cur hac ratione & non alia eis prouideat? eas gubernet? & moderetur? ergo ex creatione, & modo creandi, ex electione prouidentiæ, atque gubernatione creaturarum, quas habemus euidenter ostenditur diuinæ libertatis indifferentia formalis.

63 Vrgetur, quia si Deus sine libertate ageret ex necessitate naturæ, nulli essent in vniuerso effectus contingentes, quod est contra veram Philosophiam, & experientiam; sequela patet, quia si prima causa ex necessitate ageret quantum posset ageret, ac proinde nulla causa secunda ei posset resistere: ergo tanta necessitate moueretur, quanta prima causa moueret, atque ita absoluta necessitate vnum ex alio sequeretur.

64 Dices, Deum agere ex necessitate naturæ, non absolute, & simpliciter respectu potentiæ suæ, sed duntaxat agere ex necessitate iuxta finem apprehensum, vt v. g. si dicamus, Deum ex necessitate mouere cœlum tanta velocitate, & non maiori; non quia absolute non possit velocius mouere, aut maiorem imprimere impulsum, sed quia apprehendit hanc velocitatem esse conuenientem cœlo, & mundo, & necessitate naturæ id operatur, quod necessitas finis exigit; atque in hunc modum interpretatur Aristotelis sententiam Zonzinas 12. *metaphys. q.* 39. & 4.

65 Sed contra, quia hæc sententia vt optime aduertit P. Suarez, est erronea in fide & lumini naturæ contraria, quod euidenter demonstrat sic. Primo, quia si diuina potentia non est limitata ad definitum effectum; v. g. ad hanc motus velocitatem, neque voluntas diuina natura sua potest esse determinata ad volendam illam ex necessitate, & non maiorem, neque minorem. Cur enim, aut vnde talem determinationem habet? Dices habere illam ex fine, verbi gratia, quia talis motus expedit ad bonum vniuersi quod Deus intendit.

Sed contra, nam de hoc ipso fine inquiram, 66
cur voluntas diuina sit determinata ad volendum ex necessitate hoc vniuersum, & bonum eius, cum potentia Dei non sit ad hoc limitata, sed possit aliud vniuersum, vel simile, vel perfectius efficere. Deinde in hoc eodem vniuerso posset diuina sapientia alios modos inuenire componendi motus cœlorum cum maiori vel minori velocitate, ex qua consurgeret proportio æque vtilis ad conseruationem vniuersi ac est illa, quæ nunc in cœlis reperitur: est igitur ille modus determinationis diuinæ prorsus irrationalis. An vero sit sufficiens ad intentionem Aristotelis, infra ostendam.

Secundo repugnat etiam diuinæ perfectioni, 67
nam ex illa positione sequitur, Deum non tam velle, & operari ex rationali voluntate, quam veluti naturali instinctu: quæ est magna imperfectio multum accedens ad imperfectionem brutorum, & à perfectione intellectualis naturæ declinans. Declaratur sequela: nam Deus est potens ad producendos hos Angelos, & innumeros alios, & licet non necessario determinetur, vt velit creare omnes quos potest, nihilominus ex naturali necessitate determinatur, tum vt iudicet hos sibi esse creandos, & non alios, & vt velit hos, & non alios creare; hæc autem determinatio non oritur ex ratione aliqua à Deo cognita, quæ illum ex necessitate mouere possit; nam sicut cognoscit creationem horum esse sibi possibilem, ita & aliorum: & sicut in his manifestat bonitatem suam, ita faceret in aliis, & fortasse perfectius, si illi essent perfectiores: ergo illa determinatio non potest reduci, nisi in aliquem veluti naturalem instinctum diuinæ naturæ. Nec in hoc est simile de determinatione ad se amandum; quia illa reuera fundatur in obiecti dignitate, & necessitate ab ipso Deo cognita, & ideo ita est naturalis, vt sit etiam rationalis, & perfectissima. Quod in obiecto creato dici non potest; quia nulla maior necessitas reperitur in his Angelis, quam in aliis possibilibus.

Atque hinc sumitur ratio à priori, quia nul- 68
lum bonum extra Deum cognoscitur ab ipso, vt necessarium vel ad suum esse, vel ad suam felicitatem, vel ad suam consummatã perfectionem: ergo voluntas eius nullo modo determinatur necessario ad volendum aliquod ex his bonis. Antecedens constat ex dictis in superioribus; ideo enim probauimus, Deum esse bonum sibi sufficiens, nullamque veram perfectionem illi accrescere ex hoc, quod velit creaturas. Consequentia autem probatur, quia motus voluntatis sequitur rationem, & ideo necessario non amat, nisi necessarium bonum, quamobrem dici solet, ex indifferentia iudicij oriri libertatem voluntatis; ex indifferentia (inquam) obiectiua, ita enim vno verbo recte exponitur, ideest ex eo quod obiectum volendum indifferens, seu non necessarium iudicatur; vnde etiam intelligitur, (quod maxime hanc veritatem confirmat) libertatem circa talia obiecta ad magnam perfectionem pertinere, quia posse vnumquodq; amare iuxta mensurã, vel proportionem suæ bonitatis, magna est perfectio: sicut ergo necessario amare necessariũ bonũ magna perfectio est, ita bonum non necessariũ nõ necessario amare, sed pro iudicio rationis & dominio libertatis, maxima perfectio est: non potest ergo Deo denegari,

eo

eo vel maxime quod creaturæ intellectuales hac fruuntur libertate, & perfectione, quæ licet in eis habeat aliquas imperfectiones adiunctas, non sunt tamen de ratione libertatis vt sic: non potest ergo talis perfectio Deo denegari ; à quo enim illam participarent creaturæ, si Deus illa careret, vt supra diximus, & è conuerso nulla creatura rationalis habet illam naturalem determinationem ad volendum aliquod obiectum, ex iis, quæ ex se necessaria non sunt, sed vel æque amabilia, si considerentur vt fines, vel æque eligibilia, si considerentur vt media : cur ergo tribuetur Deo talis determinatio, cum ad perfectionem non spectet?

69 Tertio contra Thomistas inclinantes in sententiam aduersariorum, quos iam impugnauimus, sic argumentor, quia opposita sententia sibi in terminis contradicit ; nam impossibile omnino esset Deum iudicare, cognitionemque diuinam proponere ipsi, creaturas non habere necessariam connexionem cum fine, sed potius ex se habere indifferentiam si non esset in Deo ratio libertatis in voluntate, præter indifferentiam obiectiuam cognitionis.

70 Verbi gratia exemplo hoc declaratur; nam si in Deo nulla ratio libertatis reperitur in voluntate, & solum datur illa cognitio cum indifferentia proponens, necesse est omnino ex suppositione talis cognitionis, vt non sit in volitione, nec fuerit possibilitas, vt non vellet producere Petrum, quare necessarium fuit hic, & nunc producere Petrum, & impossibile non producere ipsum, quia ex suppositione efficacis volitionis Dei, necessario sequitur productio, ac per consequens sequitur manifeste, hanc veritatem præcessisse cognitam à diuino intellectu, vnde necessarium esset, vt Deus vellet creare, & de facto crearet Petrum, cuius contradictorio iudicio deciperetur Deus, nimirum si iudicaret Michaëlem non habere necessariam connexionem cum Deo, sed esse secundum se indifferentem, vt Deus illum creare velit, aut nolit creare sed potius velit non creare illum.

71 Declaratur amplius labefactando fundamentum aduersariorum, quia si eminentissima, & excellentissima perfectio eo quod nullam admittat potentialitatem, ideo non fuit indifferens, vt eadem intellectione manente vellet aut nollet producere Petrum, propter eandem omnino rationem intellectus diuinus nullam habuit indifferentiam vt iudicaret Michaëlem, verbi gratia, aut Petrum non esse creandum, & vt imperium productionis omitteret ; quod si intellectui Dei, licet actui purissimo possibile fuit non imperare productionem Petri, nec iudicare illum esse creandum, potiori iure conueniet voluntati possibilitas nolendi producere Michaëlem, aut Petrum, sed volendi non curare illum.

72 Vnde ipsi aduersarij propriis verbis omnem prorsus indifferentiam auferunt à Deo, tam quantum ad actus volitionis, & intellectionis, quam quantum ad operationes ad extra, & effectus creatos ; quia nihil est vnde pullulet indifferentia in Deo ; nam imprimis diuinus intellectus necessario determinatur ad iudicandum creare Petrum esse possibile, & dignum opus infinito artifice. Deinde Petrum esse de facto producendum iudicare aut imperare non potest diuinus intellectus, nisi dependenter à diuina voluntate determinante se ad volendum creare Petrum : ergo si à diuina voluntate auferris omnem indifferentiam formaliter ad volendum, vel non volendum creare Petrum supposita cognitione, quæ præcedit in intellectu, iam voluntas necessario determinata est, vt velit creare, & consequenter intellectus diuinus necessario determinatus est ad creationem imperandam, & asserendam, & creatio necessario erit, ac proinde omnis tolletur indifferentia à Deo, quod non est tutum in fide, præcipue quia sequitur manifeste ex ipsorum modo loquendi, voluntatem diuinam non posse continere intellectum diuinum, ne imperet creationem Petri ; nam si posset eo ipso haberet aliam rationem indifferentiæ, præter cognitionem illam obiectorum, non habentium necessariam connexionem cum fine.

Tandem, quia humanæ libertati non sufficit 73
cognitio intellectus proponens rationes boni pro vtraque parte contradictionis, & iudicans vtramque posse eligi, sed præterea requiritur in voluntate indifferentia vt posita illa conditione, & cæteris omnibus requisitis ad volendum tale obiectum possit velle, & non velle illud obiectum, vt late demonstrabitur à nobis *disput. de omnipot.* infra ponenda contra prædeterminantes physice : ergo similiter in Deo non sufficit, vt ex dicendis postea amplius patebit.

Declaratur ; quia vel quando dicitis, totam indifferentiam Dei reperiri in intellectione & non in voluntate, asseritis nullum habere dominium Deum circa suas operationes ad producendas has, vel illas, & ita producere has, vt posset non producere illas, & sic omnino tollitis maximam perfectionem diuinam, nimirum libertatem omnem à Deo, quod est hæreticum, vel solum dicitis, indifferentiam, & dominium, quod nos ponimus in voluntate ; vos ponere in intellectu, & ratione illius posse Deum cum summa indifferentia, & dominio operari ad placitum suum, & hoc erit solum quæstio de nomine, & solum erit disputare, an libertas plena, & perfecta consistat in intellectu, & non in voluntate, quod non est ad rem, neque ad propositum huius quæstionis.

## SECTIO VII.

*Nostra secunda conclusio ponitur.*

ACtus liber Dei non constituitur formaliter, & 74
vltimo per creaturam, itavt ex entitate diuina, & ex creatura adæquate coalescat decretum liberum Dei ; hæc est plausibilior sententia quam defendit inter multos Pater Franciscus Suarez, *in Met. disp.* 30. *sect.* 10. *per totam*, & probatur hac demonstratione.

Nulla causa efficiens adhuc per potentiam Dei 75
absolutam potest seipsam primo causare, itavt eadem formalitas sit causa & effectus sui ipsius ; sed si actus liber Dei constitueretur vltimo & formaliter per creaturam, ipse actus liber Dei esset causa efficiens sui ipsius in prima causatione : ergo actus liber Dei non potest constitui formalis sine vltimo per creaturam.

Maior est euidens in metaphysica secundum lumen naturæ, & in fide catholica certissima secundum lumen supernaturale reuelationis diuinæ. Fundamentum, cui innititur hæc veritas, est euidentissimum illud principium, quidquid producitur ab alio producitur ; quod tum in creatis, tum in diuinis verificatur ; quapropter persona diuina producta distinguitur realiter à producente ; vnde Filius non potest à seipso produci, vt producitur à Patre ; in creatis vero quidquid primo causatur, sine vlla dubitatione, aut tergiuersatione omnino distinguitur realiter à causante ; quia

causa & effectus sunt prior, & posterior natura; ac proinde dicunt relationē prioritatis & posterioritatis inter se, ratione cuius dicunt oppositionē relatiuā adinuicem, quæ est oppositio realis: sed omnis oppositio realis relatiua dicit distinctionē realē inter opposita, siue sint creata, siue diuina, vt patet ex illo euidentissimo principio, in diuinis omnia sunt vnum vbi non obuiat relationis oppositio; ratio autem à priori omnium est, quia idem non potest habere esse ante seipsum, alias idem secundum esse separaretur à seipso, quia daretur, quando idem non datur; vnde esset & non esset idem, sed omnis causa habet esse ante effectum primo causatum: ergo idem non est causa sui ipsius.

76 Minor prima, & præcipua, in qua est tota difficultas sic demonstratur, quia illa causa, quæ primo causat vltimum constitutiuum alicuius, est causa constituti per tale constitutiuum; sed si actus liber Dei constitueretur vltimo, & formaliter per creaturam, causaret primo suum ipsum vltimum constitutiuum: ergo causaret seipsum primo. Minor sic probatur; quia actus liber Dei seu Deus quatenus libere volens, primo causat omnem creaturam, tam actualem, quam futuram; sed creatura per vos est vltimum constitutiuum Dei libere volentis, quatenus talis est, seu actus liberi formaliter: ergo si Deus libere volens constituitur vltimo per creaturam Deus libere volens, vel actus liber Dei causaret primo vltimum, ac proprium constitutiuum sui ipsius.

77 Maior illa est euidens, ideo Petrus Pater est causa hominis geniti, non quia causet materiam, aut animam rationalem, sed quia causat vltimum constitutiuum hominis geniti, scilicet vnionem, & compositionem, per quam vltimo constituitur homo genitus in esse compositi, & ideo Deus est causa Christi, quatenus persona composita est, non quia causauit Verbum diuinum, sed quia causauit vnionem hypostaticam, per quam vltimo constituitur persona composita Christi; quare si per impossibile Deus non causaret humanitatem, quam de facto causauit, dum tamen solum causaret vnionem hypostaticam propter rationem dictam, causaret sine dubio Christum Dominum, &c. & Pater æternus, licet non sit causa Filij, vt fides catholica docet, & licet realiter non producat naturam diuinam, quæ est in Filio, quia illam communicat duntaxat ipsi, nihilominus producit Filium, seu Verbum diuinum, quia producit vltimum constitutiuum illius, filiationem nimirum; & è contra, ideo Petrus nullo modo potest in prima productione, seu causatione sui producere vnionem essentialem inter propriam animam rationalem, & corpus, per quam essentialiter, & vltimo constituitur in esse talis compositi; quia Petrus non potest esse causa sui ipsius; nam si vnionem per quam constituitur essentialiter, primo posset producere, seipsum posset primo causare; sicut Pater eius primo ipsum causat, licet non causet materiam, & animam rationalem illius; quia primo producit talem vnionem inter illas partes: ergo id, quod primo causat, constitutiuum vltimum alicuius, causat etiam ipsum constitutum per illud.

78 Maior illa est de fide vt patet ex *Psal.* 17. ibi: [saluum me fecit, quoniam voluit me; *& Sapientiæ* 11. quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses;] expressius, & clarius patet ex illo Pauli, [qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ;] quem locum eleganter expendit Chrysostomus *hom.* 2. *in epist.* 1. *ad Ephes.* & inter alia ait, [omnino iuxta liberum Dei propositum fuisse homines prædestinatos, & omnia creata producta;] & idem docet Ambrosius *lib.* 1. *de fide*, Hieronymus, & Gregorius, & P. Suarez doctissime versat *in opusculis*, hæc verba *relectione de libertate diuina, disputat.* 1. *sect.* 1. in qua tres excogitauit eius expositiones, & post duas priores merito reporbatas, tertiam iam adstruit, in qua, vt Paulus explicet quod dixerat, nimirum forte nos esse vocatos, ne quis putaret vocationem, & prædestinationem contingenter, & à casu à Deo habitam adiecit: [omnia Deum operari secundum consilium voluntatis suæ;] hoc est secundum consilium intellectus acceptatum à voluntate sua; quod consilium beneplacitum Dei est; nam phrasis hæbrea solet loco adiectiui ponere aliud substantiuum in casu gignendi; exemplum est in eodem Paulo *ad Colossens.* 1. ibi: [Et transtulit in regnum filij dilectionis suæ,] hoc est sibi dilectissimi: ergo suscepto prudenti consilio per mentem, & approbato per voluntatem omnia producit in tempore; vnde productiones omnium rerum in tempore causantur, & dependent à libero decreto Dei, quod fuit ab æterno & permanet in tempore.

Deinde patet hæc veritas clarissime ex illo Ioannis, [sine ipso factum est nihil,] quem locum declarans Athanas. *orat.* 4. *contra Arianos*, sic ait; [opera omnia creata operationesq; omnium causarum voluntate libera, placitoque emerserunt; vniuersaque rerum natura cupidine, qua cupit Deus bene condita est,] ratione cuius Damascenus *lib.* 1. *de fide, cap.* 8. ait: [creatio vero à Deo, cum voluntatis opus sit, non causatur, nisi Deo volente libere secundum consiliū voluntatis suæ; Deus enim volens solum de nihilo adesse cuncta produxit,] quibus consonat Gregorius Nizenus in Ieremiam, dicens: [illud nobis positum constitutumque sit in natura diuina cum voluntate ita concurrere potestatem, vt Dei potestatis mensura sit ipsa voluntas libera;] non quia non possit plura, quam vult, sed quia voluntas limitat, ac determinat potestatem, ne faciat quidquid potest, sed tantum quod vult, & paulo inferius ait: [potentia voluntas est, eodemque momento prospicit, quomodo res fiant & occasiones probet, vt cogitata sint facta,] *& infra* [sapiens ipsius voluntas potestate factorum est declarata, & effectrix ipsius potestas in ipsius sapiente voluntate perfecta est.]

Clarissime etiam docet hanc veritatem, *prima* 79
*Epist. ad Corinth. cap.* 12. *vers.* 11. ibi: [hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.] Quæ verba expendens Prosper ex mente Augustini *lib. sententiarum, sententia* 57. *&* 58. ibi: [ordo temporum in æterna Dei sapientia sine tempore est, neque aliqua sunt apud illum noua quæ fecit, quæ futura sunt; voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium, spiritualiumque motionum; nihil enim fit visibiliter, & sensibiliter quod non de inuisibili, & intelligibili summi Imperatoris aula, aut inueatur, aut permittatur secundum ineffabilem iustitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum, & retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadam, immensaque republica.] Vnde Augustinus inquit, [hoc non erat in conditione creaturæ, sed in placito creatoris, cuius voluntas rerum necessitas est,] [*& capite* 18. *eiusdem libri sexti de Genes. ad litt. in fine*, sic ait: [illas nimirum causas sic abscondit, vt ex eis esse necesse sit hoc, quod ex istis fecit, vt esse possit;] distinguit

eum

enim ibi duplex genus causarum, aliud continet causales rationes, quas mundo Deus indidit, & & inseruit atque præfixit; alias vero causas Deus in sua voluntate seruauit, & abscondit, quæ sunt decreta libera ipsius.

Concordat etiam illud *Deuteronomij* 7. [Nec elegit Dominus, vt sis ei populus peculiaris, non quia, &c. sed quia dilexit vos Dominus] *& ad Ephes.* 2. ] Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, & cum essemus mortui in peccatis conviuificauit in Christo.] *& Ioan.* 3. sic Deus dilexit mundum vt filium suum Vnigenitum daret] causalitas etiam significatur illis verbis *ad Hebræ.* 12.] quem diligit Dominus, castigat. ] Quæ loca respiciens Irenæus *lib.* 2. *aduersus hæreses*, *cap.* 2. sic ait: [si autem non præter voluntatem eius, sed volente, & sciente, iam non Angeli, vel mundi fabricator causæ erunt fabricationis istius, sed voluntas Dei ipse in semetipso omnia prædestinans fecit, quemadmodum voluit omnibus consonantiam, & ordinem suum, & initium creationis donans.] Aduerte, voluntatem Dei non esse causam ita indifferentem, vt non à se, sed ab alio determinetur ad actionem, & productionem rerum; sed per seipsam determinari ad modum, ordinem, & initium creationis, quantitatem, qualitatem, ac tempus, cæteraque circunstantias; non ergo determinatur Dei voluntas ab effectu, sed potius ex intrinseca determinatione voluntatis à seipsa profluit determinata actio, & productio vt optime docuit D. Clemens Romanus *lib.* 3. *recognitionum*, *propius ad medium quam ad principium*, ibi: [provt voluerit Creator Deus, ita & erunt illa, quæ creat, neque enim sub lege est virtus Dei, sed lux creaturis suis, voluntas eius est]; creaturis autem irrationabilibus non est lex obligando sub culpa, & pœna, sed est lex efficaciter determinando, & imperando, vt fiant sicut ipse vult fieri: ergo Dei voluntas est causa determinans, vt res fiant, sicut vult eas fieri; vt docet D. Iustinus *in quæst.* 3. *Christiana ad Gentiles*, ibi: [si Deus facit quia est, coacte facit, quæ facit; si autem facit sponte, quia vult, sponte facit quantum vult, & quale vult, & quando vult.

80 Sed clarius omnibus & evidentius docuit D. Thomas 1. *p. q.* 19. *art.* 4. cuius titulus est; *Virum voluntas Dei sit causa rerum*, cui titulo respondens *in corpore articuli*, sic ait: [dicendum quod necesse est dicere, voluntatem Dei esse causam rerum, & Deum agere per voluntatem non per necessitatem naturæ vt quidam existimauerunt quod quidem apparere potest tripliciter; primo quidem ex ipso ordine causarum agentium, cum enim propter finem agat intellectus, & natura, vt probatur *in secundo Phys.* necesse est vt agenti per naturam prædeterminetur finis, & media necessaria ad finem ab aliquo superiori intellectu; sicut sagittæ prædeterminatur finis & certus modus à sagittante; vnde necesse est, quod agens per intellectum, & voluntatem sit prius agente per naturam. Vnde cum primum in ordine agentium sit Deus, necesse est quod per intellectum, & voluntatem agat primo ex ratione naturalis agentis, ad quod pertinet vt vnum effectum producat, quia natura vno, & eodem modo operatur, nisi impediatur & hoc ideo, quia secundum quod est tale agit; vnde quandiu est tale, non facit nisi tale; omne enim agens per naturam habet esse determinatum, cum igitur esse diuinum non sit determinatum, sed contineat in se totam perfectionem essendi, non potest esse quod agat per necessitatem naturæ, nisi forte causaret aliquid indeterminatum, & infinitum in essendo, quod est impossibile; non igitur agit per necessitatem naturæ, sed effectiones determinatæ ab infinita ipsius perfectione procedunt secundum determinationem voluntatis, & intellectus ipsius. Tertio ex habitudine effectuum ad causam, secundum hoc enim effectus procedunt à causa agente, secundum quod præexistunt in ea; quia omne agens agit sibi simile. Præexistunt autem effectus in causa secundum modum causæ; vnde cum esse diuinum sit ipsum eius intelligere, præexistunt in eo effectus eius secundum modum intelligibilem, & per modum intelligibilem procedunt ab eo, & sic per consequens per modum voluntatis. Nam inclinatio eius ad agendum, quod intellectu conceptum est, pertinet ad voluntatem; voluntas igitur Dei est causa *rerum & in parrapho*, *sed*, contraponit authoritatem Sapientiæ 11. qua mouetur D. Thomas ad docendam suam conclusionem, verba Scripturæ sunt; quæ iam supra posuimus, videlicet [quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses.]

Ratione autem naturali sic demonstratur; quia 81
nulla creatura est à se, sed à Deo, alias non esset creatura, sed Deus, quia quod à se est, non est ens creatum, sed increatum: ergo omnis creatura qua talis est, à Deo debet esse; atqui non est à Deo nolente, vt ex terminis patet, neque à Deo volente necessario, vt patet ex supradictis, quia Deus productiones creaturarum non vult necessario, quod in hunc modum demonstrat D. Thomas, quia Deus non habet necessariam connexionem cum creaturis futuris, & existentibus: ergo non vult illas necessario; sed libere, antecedens est certum, cum nihil boni intrinseci accrescat Deo ex creaturis, neque aliquid ei deesse possit, licet creaturæ non existerent aut non essent futuræ; alioqui Deus non esset sibi omnino sufficiens, quod est contra naturam Deitatis, & contra celebrem illam significationem nominis Dei *Sadai*, quod significat sibi esse sufficientissimum, nulliusque creaturæ indignum, vt canebat Rex Propheta; *Ego dixi Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges*; consequentia vero probatur; quia quando aliquis vult finem, non est necessitatus ad eligenda media, sine quibus ille finis obtineri potest; v. g. licet quis deambulare velit, non propterea necessario equum ascendet, quia equus non est medium necessarium ad deambulationem: ergo licet Deus amet, & quidem necessario bonitatem suam, vt vltimum finem, non ideo necessario vult existentiam creaturarum, aut futuritionem earumdem, quia sine illis hæc bonitas diuina, & omnis Dei æterna fœlicitas consistere potest: ergo creatura est à Deo volente libere: ergo Deus libere volens formaliter est causa creaturæ, quod patet manifestissime; nam hæc est vera causalis, ideo hæc creatura potius quam illa est natura, & actualis, quia Deus vult illam fore futuram, & actualem, & non è contra, ideo Deus vult fieri talem creaturam futuram, quia illa iam futura, & actualis est, alias ipsa esset futura à se, & non à Deo, ac proinde necessario, & non contingenter esset futura, & actualis, & sic nullo modo potuisset esse non futura, & actualis; imo destrueretur ipsa futuritio; quia in simpliciter necessariis à se datur pura actualitas sine vera futuritione, vt videre est in tribus diuinis personis; vnde creatura esset Deus, quia esset à se omnino necessario pure

actualiter

actualiter sine dependentia à Deo; sed hoc est aperte hæreticum : ergo nulla creatura futura vel actualis est à se, sed à Deo libere volente: ergo Deus libere volens, quatenus talis, seu liberum decretum Dei est causa omnis creaturæ futuræ, vel actualis.

Dices, terminum actionis esse tanquam à causa à Deo libere volente, non autem ipsam creationem creaturæ, seu productionem, quia hæc complet ipsum actum liberum.

81 Sed contra manifeste; & redit idem argumentum supra actionem seu creationem, quod conuincebat in termino talis creationis; nam propterea non solum extitit creatura, sed etiam creatio, qua producitur illa, ac proinde Deus creauit mundum, quia Deus voluit libere eum creare; sicut voluit libere mundum existere, & sic creatio datur à parte rei in tempore, quia ab æterno voluit Deus pro tali tempore, vt creatio oriretur à sua omnipotentia, & è contrario non propterea voluit creationem mundi seu creare mundum, sicut nec propterea voluit existere mundum, quia creauit mundum, aut quia mundus extitit, aut quia creatio erat mundi; itaque transiens actio creationis, aut existentia creata mundi non fuerunt causa propterquam voluerit creare mundum : ergo ex parte Dei extitit volitio efficax libera creandi mundum, à qua volitione prouenit creatio & existentia mundi, & inde resultat in Deum denominatio extrinseca, vel relatio rationis, quæ iam inuenit plene, & complete constitutam Dei volitionem efficacem; per quam fuit causa creationis, & ideo nihil attinet ad illius volitionis constitutionem.

83 Vrgetur; quoniam efficax volitio creandi mundum est ratio formalis ex parte causæ primæ determinans causam vt producat mundum, quem posset non producere]: ergo prædicta volitio tota integra complens Deum in ratione]causæ liberæ, erit etiam causa talis creationis, & productionis. Antecedens patet; quia quod effectibus affert necessitatem vt producantur, & existant, id determinat causam, vt producat, & vt actio oriatur à potentia causæ (quia nulla maior determinatio potest reperiri quam illa, quæ necessitatem affert:) sed volitio efficax libera creandi mundum affert mundo necessitatem vt producatur, & existat quêadmodum D. August. docet, *libro 6. de Genes. ad litt. cap. 15. 17. & 18. & lib 2. de Trinit. cap. 6.* vbi distinguit duplex genus causarum, aliud continet inquit causales rationes, quas mundo Deus indidit, & inseruit, atque præfixit; alias vero causas Deus in sua voluntate seruauit, & abscondit: de istis ergo causis, *cap. 15. in fine*, dicit: [hoc non erat in conditione creaturæ, sed in placito creatoris; cuius voluntas rerum necessitas est,] *& cap. 18. in fine*, illas nimirum causas sic abscondit, vt ex eis esse necesse sit hoc, quod ex istis fecit vt esse possit.

## SVBSECTIO II.

*Secundum argumentum principale ponitur.*

84 QVia effectus alicuius causæ non potest complere ipsam causam, & constituere illam in esse necessario ad productionem talis effectus, alias ille effectus ante se esset completus, & non esset ante se prioritate reali naturæ : non esset ante se realiter; vt ex se patet, esset ante se realiter, quia omne, quod se habet ex parte causæ in actu primo, necessario debet antecedere effectum quatenus procedit à tali causa, vt sic completa; sed ille effectus quatenus est complementum suæ causæ requiritur ex parte causæ in actu primo, eo quod compleat talem causam in esse potentis producere ipsum effectum : ergo talis effectus debet antecedere seipsum prioritate reali naturæ, quatenus complet suam causam; quia causa non incompleta, sed completa præcedit prioritate naturæ effectum : ergo ipsum complementum præcedit suum effectum, sed creatura est complementum suæ causæ, id est actus liberi : ergo creatura præcedit natura seipsam quod est omnino absurdum, vt patet ex axiomate supra posito, quia quidquid producitur ab alio, complete constituto in esse potentis producere producitur; vnde causa completa est opposita relatiue suo effectui, ac proinde distinguitur realiter ab illo, adhuc quatenus completa, &c.

Atqui omnis creatura futura, vel actualis est 85
effectus Dei libere volentis : ergo non potest constituere Deum complete libere volentem. Minor illa patet ex supradictis. Maior autem exemplo visionis, & speciei impressæ est clarissima; visio enim, & intellectio non possunt complere potentiam visiuam & intellectiuam, vt species impressa ad producendam seipsam visionem, & intellectionem, vnde in omnium sententia species impressa distinguitur realiter à visione, & intellectione, quia species impressa complet potentiam visiuam ad producendam visionem, & vtraque constituunt vnum principium visionis productiuum, ac proinde vtrumque debet distingui à visione realiter.

Exemplo certissimo in fide nostra ostenditur 86
hæc veritas, quia non solum Pater æternus distinguitur realiter ab Spiritu sancto, sed etiam Verbum diuinum seu filius æternus, & ratio est, quia non solum Pater, sed etiam Filius est principium productiuum Spiritus sancti, itavt Pater, & Filius sint vnum principium tertiæ personæ : atqui non solum entitas causæ, sed etiam complementum causæ sunt vnum principium adæquatum effectus: ergo non solum entitas causæ, sed etiam complementum illius in esse causæ debet esse distinctum ab effectu realiter, sed id quod distinguitur realiter ab aliquo, non est illud ipsum, à quo distinguitur : ergo effectus non est complementum suæ causæ, neque complementum est effectus illius, sed actus liber Dei, & complementum talis actus liberi, hoc est actus liber completus est causa omnis creaturæ : ergo nulla creatura est complementum actus liberi Dei.

Respondet Pater Herize talem causam dependere ab actu Dei, quatenus actus est sufficiens constituere actum illum in esse efficacis actus.

Sed contra manifeste primo. Quia illa creatura futura, vel actualis non solum est effectus actus sufficientis, sed etiam actus liberi efficacis, quatenus talis in suo ordine; sed vt patet ex dictis effectus nullo modo constituit suam causam : ergo creatura futura, vel actualis non constituit actum liberum efficacem. Maior sic probatur, quia causa illius creaturæ non est actus inefficax : ergo est actus efficacissimus. Patet consequentia; quia inter actus diuinæ voluntatis efficaces, & inefficaces, seu sufficientes nullum datur medium; sed creatura futura, vel actualis non est effectus actus inefficacis : ergo est effectus actus efficacis. Minor illa sic proba- 87
tur,

tur, quia actus inefficax non habet infallibilem effectum, imo nullum habet effectum, licet quantum est ex vi illius actus posset habere effectum; sed illa creatura futura est effectus infallibilis, & infallibiliter ponendus: ergo non est effectus actus inefficacis, seu sufficientis. Maior sic patet; actus ille, quo vult Deus omnes homines saluos fieri est inefficax; circa non saluandos, & quia talis est non habet effectum exequntioni mandandum, & ideo beatitudo Iudæ, aut Diaboli neque est futura, neque actualis, & ratio euidens est; quia si ex vi alicuius decreti Dei sequitur effectus infallibiliter talis, actus infallibiliter decreuit fieri, & quia sic decretum est, sic factus est effectus: ergo manifeste sequitur tale decretum fuisse efficax, & non fuisse inefficax, seu sufficiens; si enim non fuisset efficax, quomodo infallibiliter haberet effectum; quia conditio manifesta est vt detur efficientia effectus, & non detur efficacia in causa.

88 Exemplo manifestissimo hoc demonstratur; quia sicut se habet efficacia auxilij in esse auxilij, ita se habet efficacia actus voluntatis Dei in esse talis actus; sed in confesso est apud omnes auxilium illud esse efficax, & non inefficax, ad quod sequitur infallibiliter effectus: ergo similiter illud decretum erit efficax, ad quod infallibiliter tanquam ad causam sequitur effectus, & sicut euidens est, quod sicut efficacia auxilij habetur in ordine ad effectum vt ad terminum, non tamen constituitur in esse efficacis ab ipsa entitate effectus, quia nulla causa constituitur à suo effectu; sic similiter licet efficacia decreti sumatur in ordine ad futuritionem, vt ad terminum, hoc est, quod talis efficacia sit causa infallibilis talis effectus, nihilominus non constituitur ab ipsa mutatione futura, sicut etiam potentia intellectus sumitur in ordine ad intellectionem, non tamen constituitur ab ipsa intellectione in esse intellectus.

89 Contra secundo, quia actus absolute decernens sine aliqua conditione futurum effectum, antecedit ipsum effectum vt futurum; & vt actualem, quia est causa transitus effectus à possibilitate ad futuritionem; sed actus absolute decernens sine aliqua conditione futurum effectum absolutè, ac simpliciter est efficax, vt fatetur ipse P. Herize: ergo actus absolute efficax antecedit effectum futurum, & actualem: ergo non constituitur ab effectu in esse efficacis. Maior certissima est, quia actus, quo decreuit Deus dare primum auxilium efficax ad contritionem, v. g. in D. Paulo dum persequuturus Christianos se in Damascum conferebat, est actus absolute decernens sine conditione antecedens futuritionem talis auxilij; quia exequutio illius non dependet à libertate hominis, quæ poterat esse sola conditio, licet contritio sequuta tale auxilium libere fiat ab homine pœnitente: ergo actus absolute decernens sine aliqua conditione, &c.

90 Tertio contra, quia efficacia decreti est efficacia actus voluntatis, quatenus distinguitur ab efficacia omnipotentiæ, ac proinde est idem cũ ipso actu voluntatis; sed mutatio creaturæ non constituit per vos decretum Dei in esse actus voluntatis: ergo non constituit ipsum actum in eo, quod est idem cum ipso scilicet in esse efficacis. Maior sic probatur, quia nihil aliud est efficacia actus, nisi quod ita absolute, & infallibiliter decernat rem, vt non possit aliter euenire in potentia consequenter: sed absolute decernere in actu est idem, quod talis actus voluntatis; sicut ardenter amare nihil aliud est in actu, quam talis perfectio entitatiua actus: ergo efficacia actus diuini est idem cum entitate actus voluntatis. Minor illa sic probatur; id quod constituit actum intrinsece est entitas ipsa actus, & est idem cum ipso actu; sed efficacia actus constituit decretum illud in esse intrinseco: ergo est idem cum ipso. Minor sic probatur; quia omnis perfectio quæ datur in actu in ordine, vel quasi ordine ad obiectum constituit actum intrinsecè in esse actus, quia ordo, seu connexio actus cum obiecto, aut perfectio illa explicata per ordinem ad obiectum est intrinseca ipsi actui; vt videre est in relatione amoris, vt sic, quæ quia est in ordine ad obiectum, est intrinseca actui voluntatis; sed efficacia actus, quia est absolute decernere obiectum, vt sine ordine aliquo infallibiliter fiat, est in ordine, aut quasi ordine ad obiectum: ergo est intrinseca perfectio illius.

Dices, efficaciam actus non esse intrinsecam rationem actus, quia actus ille constituitur in esse efficacis per efficientiam omnipotentiæ.

Sed contra, quia hoc est impossibile: nam etiam 91
ipsa efficientia omnipotentiæ est effectus efficacis liberi; nam si non præcessisset actus efficax decernens, non daretur talis efficientia omnipotentiæ, nam ex actu inefficaci non sequitur efficientia actualis omnipotentiæ; vnde euidenter colligimus à posteriori ex efficacia, seu efficientia omnipotentiæ, quæ sequitur ad actum voluntatis consequi ad illum, quatenus efficacem & maxime talem; atqui effectus, vt iam probauimus, non potest constituere causam sui ipsius: ergo non potest efficientia omnipotentiæ constituere actum efficacem liberum.

Vrgetur, & explicatur amplius; nam decretum 92
liberum Dei respicit vt obiectum & vt effectum, non solum existentiam rei creatæ, sed etiam creationem, & productionem eiusdem, vt Sanctus Thomas docet *1. p. q. 23. art. 2. ad 3.* nam quando vult Deus existere creaturam in tali tempore efficaciter, vult etiam efficaciter & libere productionem, seu actionem, per quam existere debet talis res; quia sicut non potest esse existentia rei sine existentia, & productione: ita etiam non potest velle efficaciter solam existentiam rei; sed etiam existentiam ipsius, & actionem, per quam debet produci talis res, & ideo quando D. Thomas explicat decretum liberum Dei pro directo obiecto illius, ponit creationem, seu productionem & in obliquo id, quod per talem productionem producendum est, v. g. Deus voluit ab æterno creare hunc mundum, vbi mundus creãdus ponitur accusandi casu, ac proinde in obliquo, & post ipsam creationem, creationem autem ponit primario directe significando illam per infinitiuum *creare*: ergo sicut existentia rei, quia dependet à decreto libero, vt effectus à causa, non potest constituere ipsum decretum, neque in esse efficacis, neque in esse liberi; ita similiter productio, aut creatio ipsius existentiæ non poterit constituere actum liberum, neque in esse efficacis, neque in esse liberi; quia etiam creatio, seu productio dependet vt effectus à causa ab actu libero efficaci; ex eo quod vt talis creatio in tempore oriatur & fluat ab omnipotentia, necesse est, vt præcesserit ab æterno decretum efficax liberum Dei, determinans talem actionem in tempore fluere ab omnipotentia.

Vlterius efficaciter confirmatur; quia Deum 93
efficaciter velle facere non est idem, quod Deum facere, sed si productio, seu creatio constituerer

stitueret diuinam volitionem liberam efficacem, idem esset velle facere, & facere: ergo creatio, seu productio non constituit ipsam volitionem liberam efficacem in esse efficacis liberæ. Maior est certa ex Scriptura; quia in ea semper Dei velle constituitur diuersum ab actuali operatione, seu actuali facere, vt *Psal.* 113. & 134. [omnia quæcunque voluit fecit in cœlo, & in terra] *Iudith.* 9. hoc factum est, quod ipse voluisti *Ioann.* 5. [Filius quos vult, viuificat.] & *ad Rom.* 9. [Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat.] & *Psalm.* 17. [Saluum me fecit, quoniam voluit.] Et ratio quare scriptura faciat diuersum facere à velle efficaciter facere est, quia vt supra vidimus, & late demonstrauimus ipsa Scriptura facit ipsum velle efficax, & asserit esse causam ipsius facere, quod patet manifeste per particulas quibus vtitur, dum loquitur de facere, & de velle efficaciter facere, quæ particulæ causales sunt, vt patet ex modo proposito loco *Psalmi* 17. [Saluum me fecit, quoniam voluit] particula enim illa quoniam causalis est, & est synonyma particulæ, quia, ac si dicat fecit Deus salutem meam, quia efficaciter voluit illam: atqui particula, quia, est causalis, ac proinde debet intercedere inter causam, & effectum; vnde hæc est falsa propositio, homo est prædestinatus, quia Ioannes currit, aut quia Turca viuit, aut ideo Deus est immensus, & infinitus quia Petrus legit librum; & tota ratio est, quia legere librum, currere Petrum, Turcam viuere non sunt causæ prædestinationis diuinæ, & diuinæ essentiæ: ergo si est vera hæc propositio, Deus saluum facit, quia voluit saluum facere, velle saluum facere erit causa facere, vel faciendi saluum; sed causa efficiens vti est hæc distinguitur tanquam excludens ab excluso ab effectu: ergo velle salvum facere, & saluum facere actu ex Scriptura distinguentur tanquam excludens ab excluso, & non erunt idem.

94 Dices hanc loquutionem intelligendi non de velle efficaci, ac proinde dicere scripturam esse causam efficientem ipsius facere saluum.

Sed contra manifeste & euidenter; nam illud est velle efficax, & non inefficax, ad quod velle infallibiliter sequitur effectus, vt postea latius demonstrabimus: sed Scriptura ait iam de facto Deum saluum fecisse David, & tribuens causam saluum faciendi, ait esse volitionem diuinam, quæ præcessit, & ideo ait [saluum me fecit, quoniam voluit:] ergo illud velle, quod est causa salvum faciendi non est inefficax, sed proprie efficacissimum: ergo velle efficax Dei distinguitur tanquam excludens ab excluso ab ipso saluum facere: ergo non sunt idem velle efficaciter
95 saluum facere, & ipsum saluum facere.

Minor prima, & præcipua sic demonstratur; quia ideo concurrere omnipotentiam, & facere illam effectum sunt idem, quia supra omnipotentiam nihil addit aliud præter facere; quando dicitur concurrere; sed per te quando dicitur Deum actu velle facere, nihil addit, neque intrinsecum neque extrinsecum, nisi ipsum facere: ergo si velle facere constituitur per ipsum creare, & facere formaliter, idem erit velle facere, & facere.

## SVBSECTIO II.

*Tertium argumentum principale ponitur.*

QVia hic est articulus de fide actualem prædestinationem & absolutam electionem ad gloriam esse decretum liberum Dei ab æterno; ac proinde actum æternum liberum ipsius, & non temporalem, seu in tempore de nouo existentem in Deo: sed si decretum liberum prædestinationis constitueretur formaliter, & vltimo in esse liberi per creationem, & productionem actualem, siue gloriæ siue cuiuscunque termini creati, electio, seu prædestinatio absoluta, & libera Dei non esset ab æterno, neque æterna, sed in tempore de nouo esset: ergo prædestinatio libera Dei, seu actus liber absolute prædestinandi non constituitur formaliter per creationem, seu actionem Dei actualem producentem, seu efficientem aliquem terminum creatum. Maior quoad primam partem est certa, & probatur primo ex illo Pauli *ad Ephes.* 1. [Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem] & subdit inferius. [Qui prædestinauit nos.] Vtique tunc, quando nos elegit, vnde subdit inferius: [prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ:] ergo electio & prædestinatio est ab æterno, & hoc sonat ille modus loquendi ante mundi constitutionem; vnde *ad Corinth.* 2. sapientia incarnata dicitur [prædestinata ante sæcula in gloriam nostram,] quibus locis omnes Patres agnoscunt prædestinationem esse æternam, & Augustinus *de prædestinat. Sanctor. cap.* 10. & *de bono perseuerant, cap.* 14. Fulgentius *lib.* 1. *ad Manimum cap.* 12. & 13. & hanc rationem tribuunt: quia illa particula *præ*, significat antecessionem diuinæ prædestinationis ad effectum eius, qui est transmissio in gloriam, quæ mediante gratia in tempore fit, illa autem antecessio non potest esse per durationem finitam, quia non est maior ratio de hac duratione finita quam de alia, ac proinde debet esse antecessio per æternitatem; quia nihil potest conuenire Deo ex tempore præter denominationes extrinsecas prouenientes ex actuali effectione, seu creatione quæ constituunt Deum efficientem seu creantem actu; prædestinatio autem non dicit huiusmodi denominationem, cum antecedat existentiam effectus creati, ad quem dicit habitudinem tanquam propria, & completa causa efficiens illius: ergo necesse est vt conueniat Deo ante temporis initium; vnde acute Henricus *quodlibeto* 9. *q.* 1. distinguit in Deo duplices relationes rationis, quædam sunt, quæ secundum rem præsupponuntur aliquomodo in creatura, & per quandam correspondentiam, vt ipse ait, formantur in alio extremo, scilicet Deo, & huiusmodi sunt relatio Creatoris, Domini, & similes, quæ actionem transeuntem consequuntur; aliæ vero sunt, quæ per se primo formantur in ipso Deo, vt relatio prædestinantis, eligentis, &c. in hoc ergo genere collocandus est hic respectus, quem intelligimus consequi ad determinationem liberam: fundamentum ergo eius non in aliqua re extrinseca, sed in ipso Deo quærendum est, & sine dubio ita esse videtur; nam Deus ex se solo se libere determinat, vt hoc velit potius, quam illud; & ideo non videtur ille respectus, seu denominatio posse prius in alio fundari, quam in ipsomet Deo, in quo est magna differentia inter volitionem liberã, & scientiã, etiã quatenus dicitur scientia visionis, & dicitur aliquo-

96

modo

modo contingens, aut libera, quatenus posset sub tali ratione non esse, si res non essent futuræ. [Intercedit ergo differentia inter hanc scientiam, & voluntatem quod scientia vt ex simplici intelligentia fiat visio, & præter res possibiles se extendat ad repræsentandas res existentes, supponit in obiecto aliquam varietatem pro aliquo tempore, cui æternitas coexistit, vel saltem supponit aliquod decretum liberum divinæ voluntatis, & ita ibi intelligi potest extra ipsam scientiam aliquod principium formale illius denominationis; at vero in voluntate nihil supponi potest, sed omnis varietas, quæ in obiectis intelligi potest ab ipsa voluntate trahit originem; quia ipsa voluntas efficax est causa completa, & adæquata illius varietatis, & mutationis, & ratio à priori est, quia scientia etiam vt terminata ad talia obiecta contingentia non est in se formaliter libera, sed necessaria ex præsuppositione talis obiecti existentis, vel futuri: at vero voluntas vt terminata ad talia obiecta est formaliter libera, & ideo illa relatio, seu denominatio in scientia posset intelligi per modum respectus resultantis necessario in ipsa, posito altero extremo, scilicet obiecto scibili in esse veri, seu scibilis: In voluntate autem non potest ita intelligi, sed primo, ac per se originem trahit ab ipsamet voluntate, omnibus aliis eodem modo se habentibus, & ideo intime in illa esse debet fundamentum talis denominationis; vnde ad talem denominationem libere volentis, & prædestinantis non indiget aliqua creatura, nec potest vllo modo indigere illa; quia est ante omnem creaturam futuram, & existentem, ratione cuius ab æterno est & æterna dicitur; vt optime docuit Augustinus *lib. de prædest. & gratia, cap.* 5. explicans illa verba [elegit nos ante mundi constitutionem], ibi: [quæcunque omnino sunt, quæ temporum motibus agitantur ab eo principio, in quo erat verbum & verbum erat apud Deum vsque in finem omnium sæculorum, adhuc nec sperantur futura nec præterita transierunt; sed in præsentia diuinitatis præsenti semper luce cernuntur, antequam faceret nos præscivit nos, & in ipsa nos præscientia cum nondum nos fecisset, elegit. Sed à quo hoc fieri potuit nisi ab eo, qui vocat omnia, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt; Apostolus enim dicit, qui elegit nos ante mundi constitutionem intra mundum facti sumus; atque ita vno, eodemque nec transeunte, nec futuro, sed continuo tempore vel si quo alio modo dici potest, si tamen apud Deum est & præscire, & facere, & eligere & præscientia sua immutabiliter permanente eligere faciendos, quos facturus fuerat eligendo.]

Vnde ipse Augustinus ponderans verba illa *Ioan.* 17. [clarifica me tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui prius quam mundus esset apud te,] & in particulari enucleans verba illa prius, quam mundus esset apud te; sic ait, *tract.* 105. *in Ioan.* [intelligamus prædestinationem claritatis humanæ, quæ in illo est naturæ ex mortali immortalis apud Patem futuræ, & hoc iam prædestinando factum fuisse antequam mundus esset, quod in mundo etiam suo tempore fieret. Si enim de nobis dixit Apostolus, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ab ipso æterno cur abhorrere putatur à vero, si tunc Pater caput nostrum glorificavit, quando nos in ipso, vt membra eius essemus, elegit;] in quibus duobus locis aperte D. Augustinus docet, prædestinationem & electionem tum Christi Domini, tum omnium electorum ita fuisse ante sæcula, & ante mundum factum vt fuerit ab æterno; nam D. Augustinus ait, prædestinationem eo principio fuisse, in quo Verbum diuinum productum est, vt patet *ex loco de prædest. & gratia, cap.* 5. *mper adducto*, ibi: [ab eo principio, in quo erat Verbum, & Verbum erat apud Deum vsque in finem omnium sæculorum: atqui Verbum diuinum est generatum ab æterno: ergo decretum diuinum eligendi, & prædestinandi est ab æterno.

Quæ omnia clarissime docuit D. Chrisostomus *hom. il.* 7. super illa verba Pauli *ad Corinth.* 1. quam prædestinavit Deus ante sæcula, his verbis: hoc Paulus in præsentia ostendere annittitur, quod scilicet semper nos dilexit à principio Deus, etiam nondum editos; nullo namque pacto, nisi nos dilexisset diuitias suas nobis prædestinasset. Noli igitur reputare, quæ interea subortæ sunt inimicitiæ, cum longe antiquior amicitia fuerit. Quod autem ante sæcula inquit, æternum significat, etenim alio in loco his verbis vtitur, qui est ante sæcula. Inuenietur igitur & Filius hic æternus.] Ponderanda sunt illa verba, quod autem ante sæcula, vsque ad illa [filius hic æternus;] quæ evidenter probant, prædestinationem & electionem ab æterno fuisse, sicut Verbum; sed clarissime nostram sententiam docet Leo Papa IV. seu vt melius loquar, Concilium Valentinianum sub ipso Leone *cap.* 3. *post medium* ibi: [de hac immobilitate præscientiæ, & prædestinationis Dei, per quam apud eum futura iam facta sunt apud Ecclesiastem bene intelligitur dictum, cognovi quod omnia opera, quæ fecit Deus perseuerent in perpetuum] & Bernardus *sermon.* 7. *in Psalm. qui habitat*, sic ait; in his duobus fidelis quædam constituta est connexio vel vt cuiusdam æternitatis ad æternitatem, id est magnificationis ad prædestinationem. Quarum equidem sicut prædestinatio nullo est præcisa principio, sic & magnificatio nihilominus nullo vnquam fine claudenda. [Quid clarius, & evidentius? vbi mellifluus Doctor Bernar. comparat prædestinationem cum glorificatione in æternitate, qua vtraque suo genere gaudet, & dicit sicut glorificatio, seu magnificatio, ita est æterna à parte post, vt in perpetuum, & sine fine duret pari ratione prædestinationem ita esse æternam à parte ante vt sine principio durationis existat ab æterno, ut patet ex illis verbis: [sicut prædestinatio nulla est præcisa principio, sic, & magnificatio nihilominus nullo vnquam fine claudenda.] Quod confirmat *sermon.* 23. *in Cantica*, ibi: [generatio cœlestis æterna prædestinatio est, qua electos suos Deus dilexit, & gratificavit (ideſt omnium maximam gratiam electionem nimirum ad gloriã illis impertituseſt) in dilectofilio suo ante mũdi constitutionem. Magis abunde, & copiose prædestinationis æternitatem tractat *sermon.* 78. *in Cant.* notentur sola hæc verba ex toto illo sermone, [prædestinatio, non dico ab ex ortu Ecclesiæ, sed ne à mundi principio quidem, principium habuit, non denique à tempore illo, vel illo ante tempora est sane secũdum prædestinationem, nunquam Ecclesiæ electorum penes Deum non fuit.] 47

Nec minus clare Fulgentius *lib.* 1. *ad Monimum cap.* 7. *sub initium*, ibi: [prædestinationis nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur, sed misericors, & iusta futuri operis divini sempiterna dispositio 48

præ licatur; vtrumque autem prædestinando Deus præparauit in illa incommutabili voluntate, in qua sic futurum effectum hominis renouandi disposuit, vt eius voluntas in opere nouo noua esse non possit,] *& cap.* 12. inquit : [ in illa quippe immobilitate Concilij sui secundum bonum placitum eius, quod proposuit in eo indispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo quæ in cœlis,& quæ in terra sunt. In ipso ex æternitate dispositionis suæ in prædestinatione iam fecit,quæcunque effectu operis sui tempore congruo facienda disposuit, in qua æternitate incommutabilis voluntatis suæ creator ille iam fecisse dicitur, quod in creatura mutabili provt oportune faciendum disposuit, sic rite dispositum facit ;] nec minus aperte *lib.* 2. *ad eundem* authoritate Scripturæ,Augustini, & Prosperi confirmat & inter alia hæc profert : [ prædestinationem Dei nihil aliud esse nisi præparationem operum eius, quæ in æterna sua dispositione, aut misericorditer se facturum præsciuit, aut iuste.] & Isidorus *lib.* 1. *sentent. cap.* 18. *in medio*, ibi : [cur futura quasi præterita scribuntur, nisi quia ea, quæ adhuc facienda sunt in opere, iam facta sunt in diuina prædestinatione ? nobis igitur temporaliter accidunt quæ conditori omnium sine tempore prouidentur. ] Aduertantur illa verba, sine tempore prouidentur, & illa Fulgentij diuini sempiterna dispositio prædicatur ; quæ si aduertantur solum in eis nostra veritas aperte perspicietur, quibus congruunt verba Augustini *Epist.* 57. *ad Dardanum* : [ quomodo ergo Dei filios, nisi secundum prædestinationem, secundum quam & Apostolus dicit, quod nos elegerit Deus sempiterne in Christo ante constitutionem mundi sine tempore. ] *& Epist.* 59. *ad Paulinum*, imo ipse Paulinus *epist. ad Alip. quæ inter epistolas Augustini est* 35. sic ait : [ qui nos ab origine mundi prædestinauit sibi, in quo facti sumus antequam nati ; quia ipse fecit nos, & non ipsi nos, qui fecit quæ ventura sunt ; ] vnde Anselmus super illud *ad Rom.*8. [ quos præsciuit, & prædestinauit. ] notat ab æterno præsciuisse, & præparasse gratiam alludendo ad verba illa Chrysostomi, [quid est elegit in ipso ? per fidem in ipsum Christus hoc præclare gessit prius quam facti essemus, imo vero prius quam constitutus esset mundus ; ] illud prius quam constitutus esset mundus ex Augustini sententia explicat D. Prosper *lib. sentent. sent.* 57. *&* 58. [ ordo temporum in æterna Dei sapientia sine tempore est ; nec aliqua sunt apud illud noua qui fecit quæ futura sunt; ] qui vestigiis Ambrosij insistit, qui ita loquitur ; [ quos ergo Deus vocare dicitur, sempiterne electos perseuerant in fide ; hi sunt, quos elegit ante mundum in Christo, vt sint incontaminati coram Deo in charitate; hoc est vt amor Dei sanctam illis faciat conuersationem; ] in quibus omnibus per illa verba, ante mundum, sine tempore, priusquam mundus esset, sempiterne, &c. aperte demonstratur decretum prædestinationis,& electionis fuisse ab æterno.

99 In quibus tum Sancti Patres, tum D. Paulus, cuius mentem enucleare intendunt alludere videntur ad verba Christi Domini, *Mat.* 25. [possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi ; ] & ad illa *Apocalip.* verba respiciunt etiam Patres, [quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni qui occisus est ab origine mundi, ] & ad illa *cap.* 17. *Apocalip.* [quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi ,] vbi Scriptura per tales modos loquendi includentes longissimam durationem, quæ est ab initio mundi, significat id, quod ab æterno fit ; vt intelligentiæ nostræ sese attemperet, qui vix aliquid cogitare possumus ante mundi creationem; ita scriptum est *Psalm.* 89. [ à sæculo, & vsque in sæculum tu es Deus,& *psalm.* 92 [à sæculo tu es] cum soleat etiam dicere, ante sæcula. *Mich.* 5. [ & egressus eis ab initio à diebus æternitatis] 1. *Ioan.* 1. [quod fuit ab initio,quod audiuimus] itaque ab initio, & à constitutione mundi idem sunt,ac ab origine;nam vtroque loco est in Græco: ἀπὸ καταβολῆς κόσμου : ergo ex his omnibus colligitur, prædestinationem, & electionem fuisse ab æterno, quod adeo certum esse asserit P. Suar. vt sit dogma de fide his verbis *tom.* 1. 1. *p. lib.* 1. *de prædest. cap.* 1. *num.* 4. ibi : nam ad hoc significandum verbo, destino, addita est particula *præ* circa quam est breuiter aduertendum posse significare, vel solam antecessionem æternitatis ad tempus, vel etiam ordinem aliquem seu prioritatem rationis inter ipsos actus diuinæ scientiæ, & voluntatis, & hoc posteriori modo sumitur à multis Theologis, & in quo sensu non est res pertinens ad fidem, saltem aperte definitam : igitur vt assertio posita fidei certitudinem habeat, sumenda est particula *præ*, vt dicat solum antecessionem æternitatis ad tempus, quo sensu procedit optimè ratio facta, estque non solum certa, sed etiam euidens suppositis dogmatibus de glorificatione iustorum. ]

Sic Suarez *num.* 4. *&* 5. & ratio videtur esse, quia si Deus aliquid in tempore de nouo decerneret prædestinando, & eligendo necessario mutaretur afferretque Deo vicissitudinis obumbrationem, prima quidem illatione variaretur Deus mutatione inconstantis animi, ex qua sequeretur vlterius realis mutatio physica diuinæ substantiæ; Quod optimè ex aduersarijs nostris docuit P. Herize *tract.* 1. *disp.* 2. *de natura scientiæ Dei c.* 2. *num.* 13. ibi : [ ad exemplum, quod in confirmationem adducitur, satis responsum est, sed id difficile ibi est explicatu, quare Deus non possit in tempore velle aliquid libere de nouo, quando hæc volitio nihil reale addit volitioni necessariæ ? consulto suppono Deum non posse velle aliquid de nouo in tempore, licet non me lateat oppositum dixisse Antonium Delphinum *lib. de rerum euentu, cap.* 23. quia continet quod supponimus veritatem de fide certam, *ex cap.* 23. *Numerorum*, *& cap.* 19. *Prouerbior. vt in tract. de voluntate*, probo ex professo *disp.* 20. *cap.* 1. in qua re non est contemnenda doctrina subtilis Henrici *quodlib.* 9. *q.* 1. de quo iam fecimus mentionem. Distinguit is Auctor respectus rationis, qui primo incipiant à creatura, quia ipsa refertur ab Deum, & protinus per quandam correspondentiam alij intelliguntur resultare in Deo.

Alij sunt respectus, qui per se primo in Deo formantur, vt respectus eligentis, prædestinantis, &c. de prioribus concedit in tempore de nouo Deo aduenire posse, de posterioribus negat, & bene quia id verum est, cæterum non reddit rationem discriminis. Pater Molina supra adductus dicebat, licet ex acquisitione horum respectuum in Deo non fieret mutatio propria, fieret tamen quædam vicissitudinis obumbratio, quæ ex Iacobo *c.* 2. non minus pugnat Deo, quam propria mutatio; verum responsio hæc in eo defectuosa est, quod distinguit præter mentē Iacobi vicissitudinis obumbrationē à propria mutatione, & supponit esse aliquid minus illa, vicissitudinis namq; obumbratio mutatio vera est per successionē vmbræ significata. Iacobus Deum

Deum vocauerat Patrem luminum instar solis; ar ne in hoc ipso decipiamur, monet Deum non pati mutationes perpetuas, quas sol patitur sæpe obumbratus; Augustinus *in lib. de speculo apud Deum*, (inquit) non est transmutatio, & ideo apud Deum cursus temporis, diei, noctisque alternatione nequaquam variatur. Ratio à priori est; quia inter immutabilitatem, & veram mutationem nullum inuenies medium, etenim aut per vicissitudinis obumbrationem adquiritur aliquid reale, vel solum aliquid rationis: si primum vera est mutatio, si secundum nihil obstat immutabilitati, & nunquam redditur ratio, quare obstet, Pater Franciscus Suarez 2. *tom. Met. disputat.* 30. *sect.* 9. §. *ad tertiam difficultatem*, fusè pariter ac docte tractat rem hanc, aliorum refert & refellit sententias. Ego solum id, quod mihi verius videtur sic propono; concedo nihil fieri contra Dei immutabilitatem directe, & immediate, ex eo quod Deus in tempore aliquid decerneret; inde tamen in Deo probari vitium morale, & animi inconstantiam directe, & immediate, & indirecte physicam mutabilitatem.

Vt id explicem, sumo scientiam simplicis intelligentiæ antecedere omnia decreta diuinæ voluntatis illamque proponere rerum omnium amabilitatem, & modos eas producendi, rationesque, & motiua, quibus voluntas Dei moueri poterat ad ea producenda, aut non producenda. Præsupposita hac scientia ratione nostra possumus considerare diuinam voluntatem se gerere tribus modis in æternitate erga hæc obiecta, primo suspendendo omne decretum liberum, & remittendo determinationem in tempus; secundo, partim quædam decernendo ab æterno, & quædam alia prætermittendo decernenda in tempore; tertio, denique simul ex æternitate decernendo omnia producere, quæ producturus est in tempore, & decernendo non producere, quæ non producturus est. Modo ostendo hoc tertio modo se gerere debuisse Deum, vt immunis esset à vitio inconstantiæ. In suspensione omnis actus, primo est imperfectio potentialitatis, secundo quod tunc non esse creaturarum non esset directe voluntarium Deo, quod absurdum reputatur à Theologis, vt tacto in materia de voluntate Dei, *disputat.* 19. *cap.* 5. Tertio formo hoc argumentum: vel cognouit Deus ex æternitate suam voluntatem in tempore determinandam in aliquam partem vel non cognouit; si non cognouit, probatur imperfectio in scientia; cum aliquod ex iis extremis sit determinate cognoscibile; si cognouit, cum nulla sit ratio boni in dilatione determinationis ad tempus, nec illi possit repræsentari à scientia non potuit Deus non statim ac proponuntur obiecta decernere, imo est ratio mali, scilicet carentia exercitij libertatis, perfectionis nempe positiuæ pro tota æternitate à parte ante, ] sic Pater Herize vbi asserit esse de fide decretum prædestinationis non fieri in tempore, sed ab æterno fuisse, vt patet ex illis verbis; [ quia continet veritatem de fide certam, *ex cap.* 23. *Numerorum, & cap.* 29. *Prouerb.*] & etiam efficaciter probat; vt patet ex toto contextu verborum illius.

100 Secundo etiam patet eadem veritas ex eodem Patre Herize *tract.* 3. *disput.* 22. *cap.* 1. vbi sic ait: [ caput primum prouidentiam, & prædestinationem esse actus Dei immanentes & æternos; conclusionem in titulo præfixam quoad prædestinationem habet S. Thomas *quæst.* 23. *artic.* 2. & paulo inferius idem docuit Paulus 1. *ad Corinth.* 2. ibi: [ loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram; ibi agit de prædestinatione Christi, quam vocat absconditam, quia est latens in mente Dei ante omnem æternitatem, vt recte ait Tertulianus *lib.* 5. *in Marcionem, cap.* 6. ibi: sed de significantiis obumbrata, in quibus sapientia Dei deliteſcebat inter perfectos narranda suo in tempore; proposita vero in proposito Dei ante sæcula; quæ vltima vox vere æternitatem significat. Augustinus in præfatione in Psalmum vltimum explicans illud Pauli *ad Rom.* 8. nam quos præscinit, hos prædestinauit, vocauit, iustificauit, glorificauit; acutè animaduertit Paulum distinxisse præscientiam & prædestinationem à vocatione, iustificatione, & glorificatione; sic dicens, prædestinatio nostra non in nobis facta est, sed in occulto in eius præscientia; tria vero reliqua in nobis fiunt. vocatio, iustificatio, & glorificatio: Denique Fulgentius, *lib. de incarnat. Verbi, in fine*, dicens, veritatem prædestinationis sine errore negari non posse, qua nos inquit ante mundi constitutionem prædestinatos testatur Apostolus: nolo plura, res enim perspicua; sed obijcies primo, prædestinatio non est solum præscientia, sed etiam præparatio beneficiorum Dei secundum definitionem Augustini: licet ergo præscientia sit actus immanens, atque æternus; præparatio vero, videtur temporalis, & externa, quippe quæ versatur circa rem existentem, & eam disponit ad finem: ergo prædestinatio non est actus immanens, & æternus.

Obijcies secundo; prouidentia non est actus 101
immanens, & æternus: ergo nec prædestinatio, has proposui obiectiunculas, vt rem magis expedirem. Ad primam obiectionem duplex præparatio distinguenda est; alia interna existens in actibus intellectus, & voluntatis artificis, alia externa, vt quando artifex dolat signa ad efformandam effigiem, hæc ab illa proficitur, veluti à propria causa; prædestinatio vero, & prouidentia non est præparatio externa; est enim hæc effectus eius sed interna, quæ est actus immanens, & æternus, licet vero versetur circa media, quibus subiectum dirigitur in finem; non vero circa subiectum futurum ex æternitate.

Ad secundam obiectionem negandum est omnino antecedens, vt constat ex S. Thoma in *artic.* 2. verba retuli in principio huius nostri capitis, qui vt probet prædestinationem esse actum immanentem, vtitur medio ex prouidentia deprompto, quatenus prædestinatio est pars eius, & ait prouidentiam non esse in rebus prouisis, sed in mente prouisoris; ad probationem iam dixi prouidentiam, licet demus versari circa media tantum, ratione solum supponere subiectum futurum ex æternitate, non vero actu temporaliter existens.

## SVBSECTIO III.

*Secunda pars maioris principalis probatur.*

EX Paulo *ad Rom.* 8. [ scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, 102
iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti, ] vtique [ secundum propositum liberum voluntatis Dei, ] non ex aliqua necessitate, vnde subdit, [ nam quos præscinit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, indicans differe etiam inter verum

Filium, & fratres eius, quod ille solus talis est per naturam & ex necessitate; ij vero prædestinatione, ac proinde libera Dei voluntate. Vnde Paulo inferius prædestinatos vocat electos Dei, dicens: [quis accusabit aduersus electos Dei;] electio autem actus liber est: ergo & prædestinatio; quod apertissime idem Paulus confirmat *ad Ephes.* 1. dicens: [prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ; quibus verbis voluntatem Dei liberam significauit, vt patet ex supradictis, vbi probauimus, dari libertatem in Deo, & hunc locum maxime illustrat P. Suarez ad hunc propositum *in opusculis, in propria relectione, de libert. Dei.*

103 Idem docent Augustinus, Prosper, Fulgentius, & alij dicentes: [ea Deum prædestinasse, quæ fuerat ipse facturus:] quomodo loquitur etiam Damascenus *lib. 2. de fide, cap. 30.* est autem de fide certum, quæ Deus facit, libere facere: ergo quæ prædestinat, libere prædestinat; item prouidentia Dei libera est: ergo prædestinatio, quin potius vt Augustinus sæpe docuit in hoc actu maxime cernitur libertas diuinæ voluntatis, quia non solum liberum ei fuit prædestinare, aut non prædestinare, sed etiam pro libera voluntate sua hunc potius, quam illum prædestinauit; propter quod etiam vocatur hoc opus maximum opus gratiæ, & liberalitatis ab Augustino *de prædestin. Sanctorum, cap. 15.*

104 Atque hinc oritur quod licet certissimum sit, prædestinationem esse in Deo, omnino tamen incertum nobis sit, an prædestinatio sit huius, vel illius hominis, quo sensu definiuit Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 12. & can. 15. & 16.* neminem posse esse certum de sua prædestinatione absque speciali reuelatione. Ratio enim est, quia hoc pendet ex libera Dei voluntate, cuius determinationem nos cognoscere non possumus, donec vel effectum eius completum videamus, vel reuelationem eius habeamus; effectus autem prædestinationis non completur vsque ad gloriam, & ideo in hac vita sine reuelatione cognosci non potest: præterea quia prædestinatio est voluntas de dono supernaturali; sed donum supernaturale creatum non potest Deus velle necessario, sed libere; quia non est debitum alicui entitati: ergo prædestinatio est libera respectu Dei, & hoc omnes scholastici, nullo dubitante tanquam articulum de fide docent, vt videre est in Patre Suar. *lib. 1. de essentia prædestinationis, cap. 3. num. 3.* ibi: Primo ergo dicendum est absolute, ac simpliciter loquendo, prædestinationem non conuenire Deo necessario, sed esse actum liberum Dei, est res de fide certa,] & P. Didacus Ruiz *tom. de prædest. disp. 1. sect. 4. num. 3.* ibi: [Dico igitur primo prædestinationem in Deo esse: est de fide; prædestinationis autem fides multa sanctarum authoritate scripturarum munita est, vt Prosper ait in eodem *1. cap. Gallor. post medium.* idque dictum est optimo iure; quia licet expresse prædestinandi verbum paucis legatur in locis, nimirum *Romanor. 8. & 1. Corinth. 2. ac Ephes. 1.* cæterum ex aliis quamplurimis locis euidenter colligitur, in quibus asseritur, nomina quorumdam scripta esse in cœlis, vel in libro vitæ; vel aliquos esse electos à Deo, vel à Patre trahi, & dari Filio, vel regnaturos cum Deo, vel eis paratum esse regnum ab origine mundi vel Deum, quibus vult misereri, & quos vult indurare, vel à peccatis mundare, & liberare vel sortem mittere, vel mercedem, brauium, aut præmium aut retributionem promittere vel reddere, vel generationem Dei seruare quosdam, vel ex Dei semine natos, vel filios Dei fieri vel ipsorum esse regnum cœlorum, aut terram viuentium, vel visuros esse Deum, aut Regem, & eiusmodi verba quam plurima.

Quod etiam docet ipse Herize vbi supra, imo 105
omnes aduersarij, qui nostram sententiam tuentur; quia tam clara sunt scripturæ loca, tam manifesta Conciliorum testimonia, tam perspicuæ traditiones Ecclesiæ, quibus hæc veritas aperte, & manifeste continetur, vt ipsi nemo non solum catholicorum, imo neque hæreticorum expresse negare ausus fuerit, vt docet P. Ruiz *disp. 1. de prædest. sect. 5. num. 1. in principio.*

Ego autem data opera tam longe, ac late probaui hanc veritatem, tum quia vis tota nostri syllogismi huic veritati adæquate, & totaliter innititur; vnde si hoc pro certo, ac rato statuatur, irrefragabilis videtur totius discursus vis, & fortitudo, tum etiam quia licet nullus catholicorum expresse neget veritatem hanc, attamen aliqui scholastici apprimè catholici ex nostris aduersariis re ipsa negant hanc veritatis certitudinem, vt possint defendere suam opinionem; qua docent actu liberos Dei constitui formaliter non solum per entitatem diuinam, sed etiam per actionem extrinsecam, aut terminum illius; vt autem hoc vnicum effugium illis præcludatur operæ pretium duxi tam firmis fundamentis corroborare & confirmare veritatem hanc huc vsque ab initio Ecclesiæ sine vlla dubitatione, & tergiuersatione pro dogmate fidei diuinæ reuelationi innitente habitam, & receptam, à nulloque non solum non negatam, imo neque in dubium reuocatam. Ex quibus colligere possumus, imo clare perspicere quantum humana machinetur mens, si præmatur alicuius rei abstrusa difficultate.

## SVBSECTIO I.

*Reliquæ propositiones primi Syllogismi demonstrantur, & solutiones aduersariorum refelluntur.*

Minor sic demonstratur, quia constitutum es- 106
sentialiter & formaliter non potest dari in aliqua mensura durationis, in qua non dantur omnia constitutiua formalia, & essentialia illius: sed si decretum liberum Dei prædestinandi homines constitueretur formaliter, & essentialiter per actualem creationem, seu productionem termini creati, & producti omnia constitutiua formalia, & essentialia talis decreti prædestinandi non essent ab æterno, neque in illa mensura durationis, quæ ab æterno dicitur: ergo si decretum liberum Dei cõstitueretur per actionem, seu productionem formaliter, & essentialiter non esset ab æterno tale decretum Dei, nec posset cum veritate dici, Deum ab æterno prædestinasse libere, & absolute homines ad gloriam. Maior est certa; ideo enim Antichristus non est nunc actu existens, quia omnia constitutiua illius non sunt actu; imo D. Petrus non est actu, quatenus hic homo, vel hoc totum compositum, quia actu non existunt omnia constitutiua essentialia D. Petri, licet existant principaliora constitutiua illius; nam existunt anima D. Petri in cœlo, & corpus in terris, & quia solum deficit vnio, quæ est minimum inter constitutiua illius, non datur D. Petrus nunc, & ratio est à priori quia res non potest esse sine essentia adæquata illius, quia essentia est id, sine quo nec esse nec intelligi potest res; ergo constitutum non potest esse

esse in ea mensura durationis, in qua non sunt omnia constitutiua essentialia illius. Minor illa est euidens, quia ab æterno non est actualis creatio, seu productio rei, quod est de fide ex illo *Genes.* 1. In principio creauit Deus cœlum & terram, in quo loco fundabantur D. Athanasius, Augustinus, & Hieronymus, ad conuincendum Arium, qui dicebat, Verbum diuinum fuisse ab æterno, & nihilominus esse creaturam, & non consubstantialem Patri, vnde sic argumentabantur: Omnia entia creata sunt in tempore de nouo producta, quia in principio creauit Deus, &c. sed per vos Verbum diuinum non est in tempore, sed ab æterno productum: ergo Verbum diuinum non potest esse creatura, & sic concludebat Athanasius, [quomodo Verbum creatum si ab æterno productum,] sed quod constituit liberum decretum Dei prædestinandi per vos est creatio, seu productio: ergo ab æterno deficit aliquod constitutiuum ipsius decreti prædestinandi: ergo si constituitur per creationem, seu productionem actus dei liber prædestinandi ab æterno non habet omnia constitutiua formalia, & essentialia propria, nam deficiente vno non sunt omnia; sed deficit actualis creatio (quia creatio essentialiter connotat terminum existentem, & coexistentem; nam in bona Philosophia actuale fieri est simul duratione, instanti, in quo cum termino existente, & producto, licet sit prius aliqua prioritate à quo) quæ est vnum ex constitutiuis essentialibus, & formalibus prædestinationis, per quam libere eligit Deus ad gloriam: ergo ab æterno non sunt omnia constitutiua essentialia, &c.

107 Responderi potest huic argumento ex doctrina Patris Herize, prædestinationem ab æterno non esse efficacem, sed sufficientem, efficacem autem esse in tempore, ac proinde vt constituatur in esse efficacis indigere actione ad extra Dei, sine qua nullo modo potest constitui actualis prædestinatio in esse efficacis; fundamentum huius solutionis tradidit hic auctor *tract. 2. disput. 16. de libert. volitionis diuinæ, cap. 10. n. 74.* ibi: [vlterius considera vt in libertate creata potentia ipsa est principium liberum comparatione obiectorum, quæ cum indifferentia proponuntur, & necessarium comparatione obiecti necessarij, ita in Deo, in quo nulla est potentia in ordine ad actũ immanentem, & receptum, ipse actus subsistens virtualiter ab intellectione emanans, est actus necessarius comparatione bonorum Dei intrinsecorum, & liber comparatione bonorum limitatorum; cum autem dico esse liberum, non intelligo in ordine ad denominationem obiecti, quæ præcedit omnem effectionem, aut specialem dependentiam creaturæ in ordine ad existentiam ab eo actu, quoniam hæc denominatio sic intellecta, nec in creatura libera est nedum in Deo, etenim licet facultas ipsa creata in se sit simul necessaria, & libera in ordine ad diuersa, at nullam tribuit obiecto, quod respicit denominationem liberam ante omnem actionem producentem actum liberum; sed hoc obiectum denominat amabile necessario illud amabile libere; at in iis denominationibus ante influxum indifferentem in actum nulla subest libertas, contingentia, & indifferentia nulla, ita actus ille Dei denominat amata necessario bona sibi intrinseca, amata libere bona extrinseca omnes creaturas, omnes negationes earum; item odio habita libere omnia mala tum physica tum moralia, non tamen ita, vt in his denominationibus vt sic ante productionem, aut nouum statum creaturæ in ordine ad existendum sit aliqua contingentia, aliquod exercitium diuinæ libertatis *tract. de scientia Dei, disp. 2. cap. 2.*

Dixi actum hunc liberum, vt præcedit actionem contingentem, & scientiam vt præcedit existentiam obiecti denominare Deum actu sufficienter libere volentem creaturas, & actu sufficienter scientem existentia creata, eo quod Deus in se, seu ex parte sua habet sufficientem formam intrinsecam ad has denominationes actuales, deesse autem denominationem efficaciter libere volentis, & scientis, eo quod hæ denominationes vltra formam dei intrinsecam addunt, aut actionem contingenter procedentem à Deo, aut aliquam specialem dependentiam, aut ordinem ad nouum esse existentiæ; vt iam explico, doctrinam huius adnotationis eleganter docuit Sanctus Thomas 1. *lib. contra Gent. cap. 82.* vbi contendens probare nullam esse in Deo denominationem facultatis volendi ex eo quod nulla est huiusmodi potentia; ita scribit; quasi consideretur (intellige Deus) in potentia ad vtramque vt primo sit volens potentia vtrumque, & postmodum volens actu, sed semper est volens actu quidquid vult, non solum circa se, sed etiam circa causata. Cum autem dicit circa causata, non est mens post causata ea actu velle, antequam vero causaret, esse in potentia ad uolendum: cum autem absolute negauerit potentiam in deo, tum ante creaturarum causationem, tum post illam non potuit habere hunc intellectum, sed illud circa causata specificatiue sumendum est, hoc est semper esse Deum in actuali denominatione amantis omnia quæ sunt causata, in quouis statu sint, neque ea amabilia in potentia denominare posse.

Ex hoc vlterius infertur discrimen maximopere notandum inter denominationem creatam amantis libare & amati ex parte obiecti, & inter denominationem amantis libere sufficienter, & obiecti sic amati increatam, quod denominatio creata præsupponit naturæ exercitium libertatis, quod consistit in egressione contingenti actionis à principio indifferenti; denominatio autem increata non præsupponit tale exercitium, imo præsupponitur ad illud, vt principium exercitij libertatis: licet ergo in neutra harum denominationum formaliter, & immediate inueniatur exercitium libertatis, & in hoc conueniunt: at differunt in eo, quod denominatio, seu forma creata denominans libere, amans, & obiectum libere amatum non est principium liberum, sed necessarium: vnde quidquid ab ea fit, vt habitus, & species, necessario fiunt; amor vero increatus denominans Deum libere amantem sufficienter creaturas, & obiecta creata libere amata, est principium indifferens, & quasi liberum in actu primo, & quidquid ab eo efficitur in creaturis, libere efficitur,] sic Pater Herize.

Contra hanc autem solutionem fundatam in 108
verbis huius auctoris sic insurgo, quia quando dicitur prædestinatio, esse ab æterno, tantum sufficiens, & non efficax libere, vel hoc intelligitur itavt ab æterno actu non prædestinauerit Deus, actu eligendo libere B. Virginem tum ad maternitatem dei, tum ad gratiam, & gloriam; sed solum ab æterno se habuisse Deum in actu primo, & pro tunc solum dicatur potens Deus prædestinare in tempore actu B. Virginem, & actu de nouo eligere in tempore. Vel hoc non dicatur, sed potius ab æterno actu prædestinasse B. Virginem, & ab æterno actu elegisse ipsam ad maternitatem diuinam, licet talem maternitatem non fuerit B. Virgo adepta ab æterno, sed in tempore. Si primum dica-

tur

tur expresse contradicitur locis sacræ Scripturæ supra positis, & Sanctorum Patrum testimoniis expressis, in quibus omnibus non solum definitur ab æter o Deum potuisse prædestinare, seu in actu primo prædestinasse, hoc est ab æterno habuisse Deum actum primum prædestinandi; quia de hoc quis poterat dubitare? solum enim hoc decernunt illa testimonia, Deum nimirum non solum potuisse, sed actu prædestinasse, & elegisse actu per decretum liberum omnes saluandos ad gloriam, & B.Virginem ad maternitatem, &c. neque agunt talia testimonia de sufficientia tantum in actu primo diuinæ voluntatis ad prædestinandum, sed potius de actuali prædestinatione, vt iam dixi, vt patet ex modo loquendi Pauli, qui vtitur verbo de præterito significante actum, non potentiam & ideo ait, elegit nos ante mundi constitutionem; loquimur Dei sapientiam, quam prædestinauit Deus ante sæcula; & *ad Rom.8.* quos autem prædestinauit, vocauit, &c. quæ verba si in proprietate accipienda sunt, non possunt intelligi de sufficientia solum, & de potentia duntaxat ad prædestinandum, sed potius de actuali libero decreto prædestinandi: ergo falsissime dicitur ab æterno non dari actualem prædestinationem, & actuale decretum liberum eligendi ab æterno.

Deinde quia D.Paulus asserit, prædestinationem, quæ ab æterno facta est, esse beneficium speciale circa saluandos, quod non communicatur reprobis; atqui potentia solum, seu sufficientia ad prædestinandos homines non est beneficium speciale respectu saluandorum, verbi gratia, respectu B.Virginis, D. Petri, &c. quia potentia ad prædestinandum, & ad eligendum non est solum respectu saluandorum, sed etiam respectu reproborum, quia Deus non solum est potens ab æterno prædestinare D.Petrum, & B.Virginem, sed etiam omnes reprobos, in quo consistit actualis gratia, seu specialis, aut peculiare beneficium circa prædestinatos, quod cum Deus potens fuerit ab æterno prædestinare omnes, etiam reprobos noluerit illos prædestinare, sed solum hos, qui saluandi sunt de facto: ergo talis electio, & prædestinatio, de qua loquuntur scripturæ, & Patres, & de qua dicunt, fuisse ab æterno, & ante mundi constitutionem non est solum potentia ad prædestinandum, sed potius actuale decretum liberum prædestinandi, de quo Antonius Delphinus *lib.de rerum euentu, pag.23.* licet non audeat dicere de facto esse de nouo in tempore, nihilominus docet, potuisse Deum pro suo libito, & ad ostendendam suam libertatem suspendere ab æterno vsque ad tempus, & in tempore prædestinare, quod P.Herize, vt patet ex verbis ipsius supra positis adhuc sub ista conditione reprehendit, & probat vbi supra, nullo modo posse Deum prædestinare in tempore de nouo, nec in tempore velle aliquid libere, quod ab æterno non voluerit, & ipse Patet Herize efficaciter probat (cuius probationes supra posuimus sumptas *ex tractatu 3. disputat.22. de prædestinat. cap.1.*) prædestinationem actualem esse ab æterno, & æternam & non in tempore factam, quod non deberet, nec esset necesse probari de potentia, & sufficientia ad prædestinandum, quia nemo etiam ligneus, aut lapideus poterat dicere, potentiam ad prædestinandum, & sufficientiam ad eligendum non fuisse ab æterno, sed in tempore de nouo; nam si euidens est lumine naturali Deum esse ab æterno, & voluntatem diuinam ac intellectum diuinum, quæ sunt posse sufficiens ad prædestinandum, euidenter sequitur tale posse sufficiens esse ab æterno, & non posse esse de nouo in tempore, alias Deus à seipso, & à sua voluntate separaretur realiter.

Vnde si ab Antonio Delphino interrogaret aliquis, an voluntas, & intellectus diuinus, hoc est posse prædestinare potuerit pro libito diuino non esse ab æterno, sed de nouo in tempore, certe rideret tanquam stultissimam hanc interrogationem, & sine vlla dubitatione assereret, voluntatem diuinam, seu posse prædestinare necessario esse ab æterno, & nullo modo posse esse de nouo in tempore, sicut Deus, qui est idem cum voluntate, & posse prædestinare necessario est ab æterno: ergo quando Scriptura sacra, Patres, & Doctores, imo & ipse P.Herize asserunt, electionem, & prædestinationem ad gloriam, non esse de nouo in tempore, sed ab æterno, non loquuntur de potentia, aut sufficientia ad prædestinandum, sed potius euidenter, & clare de actuali prædestinatione, actuali electione, & actuali decreto, quo prædestinat saluandos ad gloriam; vnde duplex dogma fidei in supradictis testimoniis continetur; primum, quod actualis prædestinatio sit ab æterno, hoc sonant illa verba, elegit nos ante mundi constitutionem, vt supra late probaui.

Secundum dogma est tale actuale decretum, vel 119
talem actualem prædestinationem fuisse liberam ab æterno, esseque non actum necessarium, sed maxime liberum; quia vt supra etiam late demonstraui, ita elegit Deus, vt potuerit non eligere, & ita actu prædestinauit B.Petrum, vt potuerit velle non prædestinare illum, quæ est indifferentia formalis quæ formaliter est libertas: ergo solutio non potest subsistere, si doceat per illum modum loquendi quoad sufficientiam ab æterno non fuisse actuale decretum liberum, sed solum potuisse esse actuale decretum liberum, vt patet ex ipso Patre Herize, *locis supra citatis*, ad longum à me adductis, ne dubitaretur de mente huius Doctoris, vnde si in aliis locis oppositum doceat, vt videtur docere *tract.2.disputat.16.num.75.cap.10. in fine, illius numeri*, ibi: [amor vero increatus denominans Deum libere amantem sufficienter creaturas, & obiecta creata libere amata, est principium indifferens, & quasi liberum in actu primo, & quidquid ab ipso efficitur, libere efficitur in creaturis:] sine dubio sibi euidenter contradicit. Præterea quia D.Paulus, & Sancti Patres asserunt, prædestinationem actualem ab æterno tale esse beneficium, & talem gratiam, vt per illam discriminentur saluandi à condemnandis, & ideo hortantur Patres, & Scriptura sacra vt gratias agant immensas Deo pro tam insigni beneficio prædestinati, sed posse sufficienter prædestinare quatenus distinguitur ab actuali prædestinatione, & electione non est speciale beneficium, & gratia prædestinatis collata discriminans ipsos à reprobis, sed potius est attributum quoddam diuinum necessario Deo conueniens, & non libere Deo commune reprobis, & prædestinatis: ergo loca D.Pauli, & Scripturæ, Sanctorumque Patrum dicentia, Deum elegisse & prædestinasse saluandos libere, & gratuito ab æterno non possunt intelligi de sola sufficientia, & potentia ad prædestinandum, sed necessario intelligenda sunt de actuali libero, & efficaci decreto Dei, per quod elegit Deus determinatos homines, & Angelos, reiectis & reprobatis cæteris.

Si autem solutio Patris Herize non intelligatur de sola potentia ad prædestinandum, sed potius de actu formalissimo libero prædestinandi, & hoc decretum vocetur à Patre Herize solum sufficiens, & non efficax, nullo modo soluit vim no-

stri

stri argumenti, sed potius dat manus coactus vi illius, quia iam concedit, actum formaliter liberum saltem inefficacem, non posse constitui formaliter, & essentialiter ab actione creata seu ab aliquo connotato extrinseco physico, quia per vos ab æterno datur actu, & non in potentia solum, verum & proprium, decretum formalissime liberum, & ab æterno actu nulla est creatura nec connotatum extrinsecum creatum: ergo ab æterno actu non constituitur decretum formalissime liberum ab aliqua entitate creata, quia si ab illa constitueretur vt supra in hac demonstratione Theologica ostendi, aut deberet actu ab æterno esse creatura illa, vt actualiter constitueret decretum liberum formaliter, & essentialiter quia constitutum non potest actu esse sine omnibus constitutiuis essentialibus, & formalibus ipsius, aut si hoc non posset esse, quia in principio creauit Deus cœlum, & terram, ipsum decretum liberum non fuisset actu ab æterno, sed necessario deberet esse in tempore de nouo, vt constitueretur à creatura, quæ non est ab æterno, sed in tempore de nouo, vt ex terminis patet.

110 Atqui nulla creatura est actu ab æterno per vos & per fidem catholicam, & per vos etiam secundum fidem decretum liberum formalissime est actu ab æterno: ergo euidenter, & manifeste sequitur per claram, & apertam consequentiam ex vi demonstrationis Theologicæ deductam decretum liberum Dei formalissime, vt tale non constitui formaliter, & essentialiter per aliquid creatum extra Deum.

## SVBSECTIO V.

### *Adhuc probatur decretum efficax, quatenus tale non constitui per extrinsecam connotationem.*

111 QVia prædestinatio actualis quæ nunc datur (etiam latè probauimus, ex eo quod fuerit ab æterno, non constitui formaliter per creaturam) est non solum inefficax aut sufficiens actus liber Dei, sed etiam efficax: ergo etiam efficax actus liber Dei non constituitur formaliter per creaturã aut creatum connotatum; hæc consequentia supposito antecedenti est euidens; quia prædestinatio est actus liber Dei efficax; sed prædestinatio non cõstituitur per rationem aliquam creatam: ergo actus liber Dei efficax non constituitur per aliquam rationem creatam. Antecedens illud non solum est certum apud omnes Doctores, cuius oppositũ videtur minimum temerarium, sed etiam expresse, & clare docetur à P. Herize, *tr. 3. disp. 22. de natura prædest. t. 7. n. 68.* ibi: [rursus dicitur ex massa perditionis prædestinatio, quia licet Deus ante peccatum originis voluerit liberaliter omnibus conferre gratiã, & gloriam, quantum est ex se: at ordo ille præordinationis fuit sine effectu, & interceptus per peccatum. Vnde efficax prædestinatio, quæ modo est, initium habuit post peccatum originis secundum magis probabilem sententiam.] Et *eodem tract. 3. disp. 21. de existentia prædest. c. 4.* cuius titulus est, *Aliquot discrimina inter prouidentiam, & prædest. n. 20. in pr.* sic ait: [Secundum discrimen est, quia est prouidentia efficax, prædestinatio semper reipsa obtinet suum particularem finem, sc. eius vero prouidentia,] *& num. 23.* sic ait: [sed dices iterum ex Caietano quælibet prouidentia Dei perfectissima est, at de ratione prouidentiæ perfectissimæ est ne frustretur fine à se intento: ergo omnis prouidentia Dei assequitur finem particularem. Respondeo, distinguendo minorem; de ratione perfectissimæ prouidentiæ efficacis (vt est prædestinatio,) est cõsequi finem intentum, concedo, inefficacis, nego; neque enim in prouidentia idem est efficacia, & perfectio illius, sed debita ordinatio mediorum conducentium in finem secundum exigentiã creaturæ circa quam versatur prouidentia, imo forsam in effectibus, qui pendent à causa libera necessarium est, ne præintendatur efficaciter ante præuisionem actus liberi, si indifferentia causæ liberæ illæsa seruanda est.]

Ecce quomodo hic Auctor aperte sentit, prædestinationem actualẽ, quæ ab æterno est, esse efficacem; & amplius patet. Nam definiens ipse voluntatem efficacem, *eod. tr. 3. disp. 23. n. 101.* sic ait: [est denique efficax intentio finis, cum ipsum assequitur,] clarius loquitur per hæc verba, [in qua maior est controuersia, & vim facio, vt eam ostendam in hoc, quod electio illa est omnino absoluta, & nullam ex parte obiecti admittat conditionem, quã Deus spectet, aut respiciat vt decernat decreto absoluto, & efficaci fore gloriam secundum realem existentiam in certo, & determinato tempore,] *& paulo post*, [nisi verbis ludant inter voluntatem absolutam, & efficacem ex sua natura, & conditionatam, & inefficacem hoc agnoscant discrimen necesse est, quod illa vult rem esse nulla expectata conditione & ideo efficaciter pergit ad exequutionem eo tẽpore, quo decreuerit esse vimq; habet determinandi potentiam exequutricẽ; hæc vero spectat conditionẽ, & non vult esse rem nisi sub tali conditione, ideoque inefficax est in exequutione vsque dum purificata conditione transeat in absolutam:] sed electio prædestinatorum ad gloriã, quæ prædestinatio dicitur est absoluta præordinatio Dei quæ non expectata aliqua conditione dirigitur in vitam æternam in re ipsa consequendam vt P. Herize, *tr. 3. disp. 21. de existentia prædest. c. 1. n. 2.* [hic obserua hanc nominis prædestinatio præsens significationem nonnisi apud Paulum reperiri in sacra Scriptura, ni fallor; ea vero est præordinatio Dei, qua creatura intellectualis per media infallibilia gratiæ dirigitur in vitam æternã, re ipsa consequendam, vt ex professo explico *disp. 22.* Post Paulum, Concilia, & Patres Ecclesiæ, atque Doctores scholastici hac vtuntur significatione tam frequẽter, vt nomen hoc simpliciter prolatum sine addito propriam solum prouidentiam prædestinatorum significet;] *& tota disp. 23. à cap. 1. vsque ad 13.* probat ideo prædestinationem, seu electionem saluandorum ad gloriam non posse esse ante præuisa merita; quia est absoluta, & efficax voluntas dandi gloriã prædestinatis, & si esset ante præuisa merita, non minus tolleret libertatẽ, quam efficax physica prædeterminatio, & de voluntate inefficaci, qualis est illa, quã explicuit Paulus per illa verba; vult Deus omnes homines saluos fieri, asserit esse ante præuisa merita quia non est infallibilis, efficax, & absoluta; vnde *cap. 9.* hunc titulum ponit: [caput nonum intentionem omnino absolutam gloriæ ante merita prædestinati pugnare cum libertate eam acquirendi, & admittendi,] *& numero 98. eiusdem capitis noni, §. denique*, sic ait; Denique obserua consulto in titulo capitis me notasse, nos agere de electione omnino absoluta. Nam per illud, omnino, excludere intendo omnem conditionem ex parte obiecti, vt in progressu magis declaro; loquimur etiam de electione absoluta, atque efficaci ex natura sua, hoc est, quæ vim habeat exequendi obiectum, si sit in valente illud exequi,

exequi, & non impedibili, vt est in Deo; neque enim agimus de alia absoluta simplici complacentia, qua solum complacet voluntas in obiecto secundum se, nec procedit ad exequutionem, nec vim habet determinandi potentiam exequutricem eius, in quo est, nam hæc extra hanc controuersiam est secundum vtrosque opinantes. Nec denique agimus electione absoluta, & efficaci denominatiue ab effectu in repositio secundum sententiam asserentem actum liberum in ratione liberi compleri per extrinsecum connotatum, atque adeo eum dici efficacem, qui effectum habet, inefficacem, qui non habet; quoniam in ea sententia difficultas hæc locum non habet, his obseruatis: contendo non aliter hanc electionem absolutam omnino adimere libertatem prædestinato ad comparandam, & amittendam gloriam, quam adimat physica prædeterminatio ad eum actum, ad quem prædeterminat, & formo argumentum in hunc modum, quod illa absoluta electio sit, aut non sit in Deo non est in potestate prædestinati, sed nec quod ea posita, seu in sensu composito gloriam non consequatur est in potestate prædestinati: ergo hæc electio omnino absoluta pugnat cum prædestinati libertate.

Præterea *eodem tract. 3. disp. 22. cap 7. num. 68.* explicans vltimam particulam definitionis prædestinationis, sic ait: [Demum dicitur per infallibilia media gratiæ; quia prædestinatio certissima est, & semper consequitur finem vitæ æternæ:] ergo ex sententia huius auctoris prædestinatio est efficax; quia vt ipse ait *disp. 21. cap. 8. num. 20.* in hoc distinguitur prædestinatio à prouidentia communi, [quod prædestinatio, quia est prouidentia efficax semper reipsa obtinet suum particularem finem, secus vero prouidentia:] Sed magis data opera docet Herize *tract. 2. disp. 17. cap. 3.* dari in Deo actus efficaces, & inefficaces, & inefficacem ait esse voluntatem illam communem reprobis, & prædestinatis; efficacem autem appellat prædestinationem, seu electionem ad gloriam; quæ veritas aperte docetur ab omnibus Doctoribus Ecclesiæ, vt videre est in Sancto Fulgentio *lib. de fide ad Petrum, cap. 33.* ibi: [firmissime tene, & nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo, neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinauit ad regnum cœlorum, neque quemquam eorum, quos non prædestinauit ad vitam vlla posse ratione saluari:] quibus verbis alludit ad locum illum *Ioann. 10.* [Quos Pater dedit mihi nullus rapiet de manu mea;] vnde Augustinus definiens prædestinationem sic ait [prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicunque liberantur;] dicitur enim certissime liberantur, quia prædestinatio ratione propriæ efficacitatis, & infallibilitatis consequitur finem proprium; vnde ipse Augustinus *lib. de correptione, & gratia, cap. 14. prope initium* ait: [cui volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium; sic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem; de his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult; non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo, & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult cum vult facit.]

Idem docet Prosper ad Rufinum *de libero arbitrio, propius ad finem, quam ad medium*, & Hieronymus *ad Ephes. 1.* ad illa verba; [qui vniuersa operatur secundum consilium voluntatis suæ;] & D. Thomas *1. p. q. 103. art. 8.* docet expresse efficacem voluntatem non posse frustrari, & postea asserit prædestinationem non posse frustrari: ergo prædestinatio, seu electio ad gloriam est efficax, & omnino absoluta, vnde D. Fulbertus Brixiensis Episcopus sic ait; ideo diximus, tantam ibi esse virtutem voluntatis, quanta est voluntas ipsa virtutis, quia cui semper subest, cum volet posse, non aliud est in illo velle, quam posse, posse enim efficacissimum indicat velle efficacissimum, dum præparat homines ad gloriam per eligentem voluntatem, cui nullo modo possit resisti secundum illud *Genes. 50.* num Dei possumus resistere voluntati. *Iudith. 16.* [Tibi seruiat omnis creatura tua, quia dixisti, & facta sunt, misisti spiritum tuum, & creata sunt, & non est qui resistat voci vitæ.] *Esther. 13.* [In ditione tua cuncta sunt posita & non est qui possit tuæ resistere voluntati.] *Isaiæ 46.* [Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet, vocans ab oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ,] *Psalm. 113. & 104. & Iob. 9.* [Deus cuius iræ nemo resistere potest.] *Iob. 41.* [Quis enim resistere potest vultui meo.] *Psalm. 75.* [Tu terribilis es, & quis resistet tibi.]

Ecce quomodo Sancti Patres, & Doctores Ecclesiæ Scripturæ apertis locis nitentes docent, prædestinationem esse volitionem æternam, absolutam omnino efficacem, & infallibilem, vnde sapientissimus Ruardus *art. 7. de libero arbitrio, multo propius ad medium, quam ad principium cap. vltima propositio, sine*, his verbis definit prædestinationem [prædestinatio est efficax ordinatio & directio electorum per media congrua ad salutem æternam,] quod aliis verbis docuit Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de gratia, & libero arb. cap. 9.* ibi: [prædestinatio est prouidentia Dei, qua certi homines misericorditer selecti per infallibilia media in vitam diriguntur, vnde P. Didacus Ruiz *disp. 1. de prædestin. sect. 9. n. 1.* sic ait; [duo sunt potissima discrimina prædestinationis à prouidentia, quibus alia quædam annectuntur: Primum ac celeberrimum est, efficacitas prædestinationis ratione cuius finem intentum assequitur infallibiliter, ineuitabiliter, & indeclinabiliter, vt constat ex receptissima definitione prædestinationis, quam tradit Augustinus *lib. de bono perseuerantiæ, cap. 14.* & sequuntur alij Patres, & omnes scholastici *supra sect. 7. citati*, præscientia, & præparatio beneficiorū Dei, quibus certissime liberantur quicunque liberantur. Quales autem sit efficacitas ista, & vtrum causet merita, vel causet solam gloriam post præuisa merita, & aliæ difficiles quæstiones ea de re tractabuntur sequentibus disputationibus: in præsenti solum asserimus tanquam exploratum, & ab omnibus concessum prædestinationem non esse, nisi hominis, qui re ipsa consequitur salutem.

Ecce quomodo Auctor hic maxime fide dignus, & qui pene omnes assidua lectione auctorum, indefessaque in euoluendis doctorum sententiis diligentia superat, docet hic, omnes scholasticos in hanc sententiam conspirasse, vt doceant, prædestinationem esse efficacem actum libertatis diuinæ, quod etiam docuit expresse Pater Suarez *lib. 1. de essentia prædestinationis, cap. 4. n. 4.* ibi: [hoc maxime videtur pertinere ad vsum vocis, & ideo satis probatur ex vsu, eo modo loquendi Theologorū omniū, potest autē reddi ratio ex his, quæ notat D. Thomas

Thomas *quæst. 23. artic. 1.* nam prædestinatio proprie significat ordinationem efficacem alicuius in vltimum finem superantem naturam eius.]

112 Idem docent S. Thomas *3. p.* & cum eo omnes Thomistæ nullo dempto super *quæstionem 2. articulo 10.* & super *quæstionem 6. artic. 6. & prima parte*, dum agunt de prædestinatione, D. Bonauentura, *in secundo distinction. 27. dub. 1. circa litteram*, Scotus *in primo*, & cum eo omnes Scotistæ, Durandus *in tertio distinction. 2. quæst. 3.* Ricardus *in tertio*. Et ex nostra Societate pene omnes, quos legerim, videatur Pater Valentia, *tom. 1. disput. 1. quæst. 23. de prædest. toto punct. 5.* P. Molina *prima parte*, P. Vasquez, *ibidem*, P. Granad. Fasolius, & reliqui, & manifesta ratione sic demonstratur.

113 Quia prædestinatio, & electio, verbi gratia, Beati Petri distinguitur in Deo ab æterno à voluntate, quæ datur etiam ab æterno in Deo, qua vt ait Paulus, voluit Deus omnes homines saluos fieri; sed hæc voluntas est inefficax ab æterno: ergo prædestinatio, & electio absoluta omnino, infallibilisque Petri ad gloriam est efficax omnino ab æterno; vnde illa non dicitur efficax sola extrinseca connotatione creaturarum; quia actus efficax intrinsece affert alium modum volendi diuersum à modo actus inefficacis, hic enim sistit in affectu erga obiectum; ille vero vlterius exigit ipsius obiecti productionem; itavt eo actu posito, & permanente non possit non mandari exequutioni, quod volitum est si ex parte exequentis adsit potestas: ergo complacentia non potest reddi actus efficax. Et confirmatur; nam posito actu inefficaci manet voluntas omnino indifferens ad vtramque contradictionis partem; neque ex vi illius determinatur ad agendum vt in nobis perspicue opponitur: posito autem actu efficaci, determinatur voluntas, nec potest non mandari exequutioni, quod volitum est, si adsit exequendi potestas: ergo duo illi actus longe diuersi sunt, nec vnus potest quasi conuerti in alterum ob extrinsecam connotationem creaturarum.

114 Vrgetur, ac declaratur amplius, quia ex effectibus distinctis colligitur distincta causa; sed posita voluntate inefficaci omnium hominum gloriæ ab æterno ex vi illius in tempore non ponitur gloria; quia inefficax est, & posita electione D. Petri ad gloriam ab æterno volente in tempore produci talem gloriam ab omnipotentia infallibiliter in tempore datur talis gloria: ergo quia talis electio ab æterno erat efficax, quia si ab æterno non esset efficax, eo modo quo est prima voluntas antecedens circa omnium hominum gloriam, non sequeretur talis gloria infallibiliter: ergo talis consequutio gloriæ est effectus illius actus liberi existentis ab æterno, itavt adæquatæ causa talis effectus sit illa absoluta electio, & prædestinatio: sed talis exequutio, aut retributio gloriæ non potest oriri ab illo actu, vt ab inefficaci, quia ex actu inefficaci nullus effectus sequitur, vt videre est in voluntate antecedente circa gloriam omnium hominum, ex qua nulla gloria sequitur in effectu: ergo talis exequutio gloriæ infallibilis D. Petri oritur à tali voluntate eligente & prædestinante D. Petrum ab æterno, vt ab actu libero efficaci: patet consequentia, quia non datur medium à parte rei inter actum efficacem, & inefficacem: sed talis actus ab æterno non est inefficax, quatenus causa talis consequutionis gloriæ: ergo est efficax ab æterno, antequam in tempore detur talis consequutio gloriæ, licet ab æterno non sit actu efficiens, quia hoc extrinsece prouenit ab ipsa efficientia temporali; sed causa vt iam late demonstrauimus, non potest constitui ab effectu, & constitutum actuale ab æterno non potest dici tale per aliquid, quod actu non est ab æterno, sed in tempore: ergo prædestinatio, seu electio absoluta, & efficax, quatenus talis non constituitur per aliquam actionem creatam, aut per terminum productum per illam.

115 Tandem, quia Deus ex æternitate habuit scientiã intuitiuam, & visionis de rebus futuris, & quæ ex possibilitate seu ex statu illius transierunt ad statũ futuritionis; itaq; Deus ab æterno videt tales creaturas esse futuras, & tales non esse futuras, sed quas videt futuras, videt non esse à se tales, sed potius à Deo per voluntatem, & decretum liberum constituentes eas in esse futurarũ: ergo ex vi talis decreti, tanquam ex vi causæ videt ab æterno transire aliquas creaturas ab statu puræ possibilitatis ad statum futuritionis; sed etiam videt, non posse ità transire ex vi actus inefficacis ab æterno existentis: ergo videt, & cognoscit cum summa veritate illum actum liberum ab æterno actu existentem in ipso, ex vi cuius tribuitur futuritio aliquibus possibilibus esse omnino absolutum, & omnino efficacem.

116 Declaratur amplius, quia non solum in tempore, sed etiam ab æterno sequitur aliquis effectus ex voluntate absoluta, v. g. ex electione D. Petri ad gloriam, scilicet futuritio gloriæ D. Petri, & futuritio omnium hominum saluandorum gloriæ non datur ab æterno ex vi voluntatis illius inefficacis supradictæ: ergo ex differẽtia horum effectuum futuritionis colligitur euidenter à posteriori diuersitas, & differentia formalissima, quæ datur in illis actibus liberis, qui sunt causæ, ex quibus oritur futuritio, & non futuritio; vnde si quæras quare ab æterno futura est gloria D. Petri vel quæ causa est, quæ futuritionẽ tribuit tali gloriæ ab æterno, & si iterum quæras, quæ est causa ob quam non datur futuritio in gloria omnium, sine dubio respondere debes; quia respectu gloriæ D. Petri datur voluntas absoluta sine aliqua conditione cui respondet effectus ille infallibilis futuritionis gloriæ D. Petri; & respectu gloriæ omniũ hominum non datur absoluta voluntas, sed inefficax volũtas ab æterno: ergo tota causa, quare illa voluntas non tribuit futuritionem est, quia est inefficax ab æterno: ergo si non esset inefficax, tribueret futuritionem ab æterno; sed in actibus à parte rei, quando non datur inefficacia, datur necessario efficacia; quia inter efficacem, & inefficacem, seu non efficacem non datur medium à parte rei eo modo, quo in animalibus à parte rei non datur medium inter rationale, & irrationale, & in entibus à parte rei non datur medium inter possibile, & impossibile: ergo talis actus tribueret futuritionem formalissime si esset efficax: ergo hæc causalis est vera; quia efficax est actus, tribuit futuritionem; sed causalis æquiualet vniuersali.

Vnde erit vera hæc propositio, omnis actus tribuens futuritionẽ suo obiecto, est efficax ab æterno; sed absoluta voluntas dandi gloriam D. Petro quæ non datur de nouo in tempore, sed ab æterno est tota, tribuit futuritionem gloriæ D. Petri, quam habet pro obiecto: ergo talis voluntas omnino absoluta, quæ ab æterno datur, & non datur de nouo in tempore; quia ab æterno tribuit futuritionem & non tribuit futuritionem de nouo in tempore, ab æterno est efficax, & non de nouo in tempore, & ab æterno non est actualis productio Dei: ergo actus efficax liber Dei in quantum talis non constituitur per creationem Dei; sicut nec potest

constitui per futuritionem creaturæ ; quia ipsa futuritio est effectus voluntatis Dei efficacis , & ideo non potest oriri ab actu inefficaci ; sed effectus non constituit causam efficientem, à qua oritur , & ideo Petrus , qui est filius non potest constituere suum Patrem in esse causæ talis filij ; nam quod est prius non constituitur à posteriori ; sicut negatio futuritionis non potest constituere formalissime à priori in esse actus inefficacis distincti ab actu efficaci voluntatem illam qua vult Deus omnes homines salvos fieri ; quia talis negatio est effectus talis voluntatis : ergo voluntas illa absoluta gloriæ D. Petri , & voluntas illa inefficax gloriæ omnium hominum constituuntur à priori , & distinguuntur à priori per aliquid distinctum ab effectis eorum ; vnde aliquid est distinctum ; per quod constituuntur actus ille volendi gloriam omnium hominum, & actus volendi gloriam D. Petri ; in quo debent opponi,sed non est aliud , nisi efficatia , & inefficatia illorum : ergo duo illi actus in seipsis considerati provt prioritate naturæ præcedunt suos effectus futuritionis ,& negationis futuritionis ab æterno , & provt prioritate æternæ durationis præcedunt actiones actuales , & terminos existentes productos per illas ita se habent, vt unus sit efficax , & alter inefficax : ergo falsissimum est dicere , actum efficacem , & inefficacem non esse ab æterno tales , sed constitui per actionem. &c.

117 Confirmatur ; quia si Dei volitio efficax libera non est plene constituta , nisi per relationem rationis , hoc est vt ipsi explicant per extrinsecam denominationem ab effectu , vel ab eius productione transeunte , consequens erit productionem transeuntem ad extra priorem esse, quam efficax volitio Dei constituta sit in ratione volitionis liberè , ac determinate versantis circa determinatum obiectum. Sequela probatur ; quia productio transiens ad extra est prior , quam extrinseca denominatio , vel connotatio productionis ; etenim hæ resultant ex illa. Quapropter eadem productio prior erit , quam volitio sit constituta per denominationem , aut connotationem.

118 Consequens autem esse falsum probatur *primo Ioannis* 4. [ in hoc apparuit Charitas Dei in nobis , quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum vt viuamus per eum ; in hoc est Charitas : non quasi nos dilexerimus Deum ; sed quoniam ipse prior dilexit nos , & misit filium suum &c. ] *& versus finem eiusdem capitis* [ nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos ; ] quo circa transiens actio , qua Deus in nobis producit nobiscum charitatis actum , quo diligimus Deum & denominatio , seu connotatio inde resultans non est prior quam actus Charitatis divinæ , per quem nos diligit , & vult in nobis causare dilectionem Dei.

119 Prioritas eadem significatur *Ioan.* 15. [ non vos me elegistis, sed ego elegi vos ] nam *Deuter.* 26.Moyses ait [Dominum elegisti hodie.] Quamobrem Apostoli Dominum Iesum Christum elegerunt libere sed non priores elegerunt , sed prior eos elegit Deus , vt ipsi eligerent : ergo libera electio fuit prior in Deo , quam productio creatæ electionis ad extra.

120 Præterea probatur ; quia nisi concedatur ex parte Dei volitio libera , per quam vt per efficientem causam determinentur primario tales effectus reales , & ex consequenti determinentur omnes extrinsecæ denominationes , seu connotationes provenientes ab illis effectibus realibus, erit impossibile rationem reddere , quare mundus in tali instanti creatus fuerit potius , quam antea , vel postea,quare pars hæc materiæ sub forma aquæ , non vero sub forma terræ , vel aëris fuerit producta ; quare non fuerit producta alia materia possibilis , & alia forma terræ , & aquæ possibilis. Idem interrogare licebit de cæteris omnibus effectibus ; etenim se ipsos determinare nequeunt , ac proinde necessario supponunt priorem determinationem in volitione efficaci Dei ; quod si prædicta determinatio est prior, non est denominatio ab effectibus proueniens , quoniam istæ sunt posteriores.

Deinde probatur ; Quia si decretum efficax 121
creandi mundum , de formali diceret extrinsecam denominationem provenientem à mundo creando , sequeretur , Deum determinari à mundo, vt illum velit creare ; & illum de facto creet ; nec habuisse Deum potestatem determinandi se ad creationem , atque potestatem se continendi à tali determinatione. Nam si Deus prius natura se determinat , non expectata determinatione, quæ prouenit à mundo creando ; iam hæc determinatio est ante omnem denominationem extrinsecam prouenientem à mundo creando : consequenter igitur hæc determinatio erit intra Deum increata , & divina.

Vrgetur amplius ; quia si actus divinæ volun- 122
tatis compleretur per creaturam , neque in tempore , neque ab æterno daretur decretum efficax liberum Dei , nec haberet formalem libertatem , nec radicalem Deus ; sed hoc est hæreticum , & non est affirmandum à Catholico : ergo neque illud , ex quo sequitur hæc hæresis. Minor patet ex supra dictis ; sequela Maioris vbi est difficultas , sic ostenditur ; quia libertas actualis, & formalis decreti debet esse in aliquo subiecto , vel quasi subiecto , quod sit capax illius libertatis : sed nihil est , in quo secundum adversariorum sententiam , & veritatem manifestam possit esse libertas divina actualis : ergo in nullo est:ergo nulla est libertas actualis & formalis in Deo. Minor sic probatur ; quia non est in entitate Dei cum illa ex eo quod sit ens necessarium,non sit capax illius , non in mutatione facta in lapide , quia talis mutatio non est actus voluntatis divinæ , cum non sit perfectio immanens , nec increta , quod requiritur ad actum volitionis , vt ex se patet : ergo non informatur libertate divina , neque in illis est ; Tandem actus liber Dei non potest consistere in toto illo coniuncto , quia ex actu necessario , & ex entitate creata , quæ non est actus voluntaris , imo imperfectissima entitas non potest resultare decretum liberum Dei : ergo

## SVBSECTIO VI.

*Argumentum principale ponitur.*

QVia actus voluntatis diuinæ est vita actualis 123
Dei,sed decretum liberum divinum est actus voluntatis Dei ; ergo decretum liberum divinum est vita actualis Dei. Tunc sic vita actualis Dei non potest constitui aliqua entitate creata ; sed decretum liberum est vita actualis Dei &c. ergo decretum liberum Dei non constituitur formali

maliter aliqua entitate creata. Maior secundi syllogismi, in qua est tota difficultas sic demonstratur; quia vita actualis Dei est infinita, ac simpliciter simplex perfectio Dei; sed infinita, ac simpliciter simplex perfectio non potest constitui formaliter, & essentialiter per aliquam creaturam, aut per aliquod prædicatum formaliter creatum: ergo vita actualis Dei non potest constitui per creaturam aliquam. Minor sic probatur; quia perfectio simpliciter simplex infinita debet esse ex integra causa talis, id est, omne constitutiuum illius debet esse infinitum, & perfectum, & quod euidentius est, nullum constitutiuum illius debet esse finitum, & imperfectum; nam si aliquod constitutiuum illius est imperfectum & finitum, totum constitutum ex tali prædicato finito, & imperfecto erit finitum, & imperfectum, & non infinitum, & perfectum; nam ad hoc, vt in aliquo toto detur denominatio perfecta, debent omnia constitutiua esse perfecta; vt autem detur denominatio imperfecta, sufficit vt quodcunque constitutiuum sit imperfectum: totum hoc fundatur, & innititur principio, seu axiomate illo accepto à D. Dionysio *de diuinis nominibus*, & tanquam veritate certissima recepto ab omnibus Theologis, bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu; vt videre est in homine, qui non dicitur spiritualis, licet perfectiorem partem scilicet animam rationalem habeat pure spiritualem, ex eo quod habet imperfectius constitutiuum corporeum, scilicet materiam primam; vnde quia denominatio spiritualis est perfecta, & bona simpliciter, & bonum debeat sumi ab integra causa, & non detur integra causa spiritualis in homine constitutiua illius; inde est quod non denominetur spiritualis totus, sed potius denominetur materialis totus, & corporeus, quod est denominatio imperfecta; quia ad illam ex eo quod mala sit, sufficit quicunque defectus, & vt quodcunque constitutiuum sit imperfectum.

Item ipse homo est mortalis, & non immortalis, est simpliciter corruptibilis, & non incorruptibilis ex eo solum, quod vnum, & hoc minimum constitutiuum sit corruptibile, & videlicet vnio, quæ solum modus est, licet duo præcipua constitutiua hominis, materia prima videlicet, & anima rationalis sint incorruptibiles. Itaque certissimum est omne constitutum simpliciter perfectum debere habere omnia constitutiua perfecta, & sine dubitatione nullum constitutiuum debet habere imperfectum, etiam si alia habeat perfecta constitutiua; quia potius ab imperfecto constitutiuo denominabitur imperfectum, quam à perfectis perfectum; nam perfectum est numeris omnibus absolutum, id est vniuersaliter debet esse tale; atqui quando deficit aliquid, non est numeris omnibus absolutum; quia omne, & vniuersale includit totū; nam ex defectu cuiuscunq; particularis falsificatur vniuersale; vnde si in vno solo homine deficiat albedo, falsificabitur propositio vniuersalis, omnis homo est albus; quia omne includit totum: ergo si perfectum simpliciter est vniuersaliter tale, & omnibus numeris absolutum in nullo numero, seu in nullo constitutiuo debet deficere, vt verificetur.

124 Sed si infinita perfectio simpliciter simplex Dei constitueretur aliqua creatura, haberet aliquod cõstitutiuum, non infinitum, & illimitatum, neque perfectum simpliciter, sed potius finitum, limitatū, & perfectum simpliciter: ergo infinita simpliciter simplex perfectio Dei non potest constitui ab aliqua creatura. Minor est euidens, quia omnis creatura est simpliciter imperfecta, limitata, ac finita; ergo si constitueretur infinita, ac simpliciter simplex perfectio Dei, aliqua creatura, haberet infinita perfectio Dei aliquod constitutiuum simpliciter imperfectum, finitum, ac limitatum: consequentia illa patet manifeste; quia illud constitutū est simpliciter & absolute imperfectum, quod constituitur aliquo constitutiuo imperfecto; sed Dei perfectio per vos constituitur per creaturam, quæ est imperfecta simpliciter: ergo tota illa perfectio est imperfecta simpliciter, finita, & limitata; sed infinita perfectio Dei non potest este imperfecta simpliciter, &c. alias esset imperfecta, & perfecta simul, esset Deus, & non esset Deus: ergo infinita perfectio Dei non potest constitui per creaturam.

Maior illa, videlicet quod vita actualis Dei sit 125
perfectio simpliciter simplex, est euidens; quia omne, quod est formaliter in Deo commune toti Trinitati, ac proinde absolutum prædicatum est perfectio simpliciter simplex infinita in Deo, vt videre est in omnipotentia, sapientia, substantia, &c. quæ prædicata, quia sunt formaliter in Deo, constituendo formaliter ipsum, tanquam communia prædicata respectu omnium personarum, & non propria solum respectu alicuius personæ, sunt perfectiones simpliciter simplices; sed etiam vita actualis, ac formalis est formaliter in Deo, & constituit ipsum formaliter in esse viuentis actualis formaliter, & vita actualis non est propria solius alicuius personæ, sed potius est commune prædicatum respectu omnium personarum; vnde vnica est vita actualis in tribus personis: ergo vita actualis in Deo est perfectio simpliciter simplex infinita. Deinde quia perfectio simpliciter simplex est illa, quæ in quocunque subiecto est melior ipsa, quam non ipsa (hoc est quam negatio illius) & quam oppositum ipsius, quam definitionē omnes Theologi sumpserunt ex D. Anselmo *in Proslogio, c. 5.* de qua late egimus *disp. 2. Met. quæst. Vtrum præscindatur eus simpliciter à differentiis*; vnde sapientia Dei est perfectio simpliciter simplex, quia melius est habere sapientiam quam carere illa, & quam habere errorem, & ignorantiā, quæ opponuntur sapientiæ, & idem est de omnipotentia, iustitia, & reliquis; sed melius est Deo habere vitam actualem, quam carentiam vitæ, & quam esse inanime in Deo: ergo vita actualis in Deo est perfectio simpliciter simplex; imo habere vitam actualem in actu vltimo sine vlla formali potentialitate est perfectius, & melius Deo, quam habere veram, realem, & formalem potentialitatē, sicut melius est in Deo habere existentiam, & actum essendi quam habere potentialitatem ad existendum; quia potentialitas, vt supra demonstraui, imperfectionem dicit: ergo vita actualis purissima sine vlla potentialitate est perfectio simpliciter simplex.

Maior prima, & præcipua sic probatur; quia vita 126
diuina adæquata vtramq; rationem debet amplecti, intellectionis nimirū, & volitionis; cum in omni subiecto intellectuali coalescat vita illius adæquate ex perceptione veritatis obiecti, & ex prosequutione actuali bonitatis illius; sed perceptio actualis est intellectio, & prosequutio bonitatis est actus voluntatis: ergo vita actualis subiecti intellectualis est actus volūtatis, & actus intellectus, & ex vtroq; coalescit, sicut in subiecto sensitiuo coalescit vita illa adæquata actualis; & in actu secundo, ex cognitione sensitiua, & actione immanenti appetitiua, licet cognitio sit potior & primaria ratio, & secundaria respectu illius sit appetitio; quod patet clarissime, nam actus voluntatis est actus vitalis, & terminus vitalis intrinsece; atqui talis actio

vitalis, & terminus sunt vita actualis, sicut quia intellectio est actio vitalis, & terminus vitalis est actualis vita intellectualis: ergo similiter actus voluntatis est actualis vita in Deo; præcipue quia in Deo licet dentur voluntas, & intellectus, quæ possint dici vita Dei, non sunt provt in Deo potentia à parte rei distinctæ realiter ab actuali volitione, & ab actuali intellectione, sicut distinguuntur in creaturis, quia dicit imperfectionem talis modus distinctionis, ac proinde intellectus Dei est ipsa actualis intellectio à parte rei, & voluntas diuina est idem realiter cum actuali volitione diuina, quæ sunt adæquata vita intellectualis Dei; vnde Deus nec solum viuit intelligendo, nec solum viuit actualiter volendo, sed volendo, & intelligendo simul.

127 Confirmatur tota hæc ratio principalis; quia omnis perfectio simpliciter simplex, quæ in Deo datur, est adæquate spiritualis simplicissima sine vlla compositione reali; sed vita actualis Dei est perfectio simpliciter in Deo: ergo est adæquate spirituali, adæquate infinita, & simplicissima sine vlla compositione reali; ideo enim omnipotentia Dei, misericordia, iustitia, & reliqua attributa sunt simplicissimæ perfectiones sine vlla compositione reali, & adæquate spirituales, quia sunt perfectiones simpliciter simplices in Deo: sed vita actualis Dei v.g. actualis volitio, & actualis intellectio est perfectio simpliciter simplex in Deo: ergo est simplicissima sine vlla compositione reali, & adæquate spiritualis. Tunc sic si actualis volitio libera Dei constitueretur formaliter per creaturam esset composita realiter, & non esset adæquate spiritualis, sed potius adæquate diceretur corporea, & materialis; sed hoc est summum absurdum aperte demonstratum: ergo actualis vita, quæ est actualis volitio libera Dei non constituitur formaliter per creaturam. Minor illa iam satis demonstrata manet, & præterea sic efficaciter conuincitur, quia quotiescunque immediatum subiectum actualis vitæ est spirituale, vita etiam illius spiritualis est & non corporea; & è contra quotiescunque subiectum immediatum, quod viuit, est materiale & corporeum; vita etiam materialis, & corporea est; v.g. quia Angelus viuit intelligendo, & amando per intellectionem, & volitionem, & ipse qui ita viuit est adæquate spiritualis, etiam actualis vita eius adæquata intellectio nimirum, & volitio est adæquate spiritualis, & quia anima rationalis totaliter, & adæquate est spiritualis, quæ est immediatum subiectum intellectionis, & volitionis humanæ, etiam illa est spiritualis adæquate; & è contra quia sensatio habet pro subiecto immediato totum leonem in sententia Thomistarum, & in nostra sententia materiam primam, qui totaliter sunt corporea subiecta, ipsa etiam sensatio adæquate materialis, & corporea est, & licet homo secundum totum quod habet, non sit corporeus; quia tamen immediatum subiectum viuendi sensitiuè sunt potentiæ materiales, & corporeæ, ipsa sensatio materialis, & corporea est; sed Deus immediate & formaliter viuit volitione actuali libera: ergo volitio actualis libera est adæquate & totaliter spiritualis, sicut Deus qui viuit per illam est adæquate spiritualis.

Maior illa sic demonstratur, quia si actualis volitio libera Dei constitueretur vltimo per creaturam, vniretur creatura cum entitate ipsius voluntatis diuinæ ad faciendum vnum actum liberum voluntatis; vnde resultaret ex vnione vtriusque vnum totum compositum reale; quia compositum realiter nihil aliud est nisi vnum resultans ex duabus entitatibus realiter vnitis, quia compositio realis est distinctorum realiter vnio: ergo si volitio libera Dei constituitur vltimo per creaturam additam supra voluntatem diuinam, actus liber Dei non erit simplicissimus, sed compositus realiter, ex entitate enim creata, & diuina non potest coalescere vnum totum simplicissimum, sed necessario compositum; ideo ex hypostasi Verbi, & ex natura humana non resultat vnum totum simplicissimum; sed potius compositum, quia illud coalescit ex entitate creata, & ex entitate diuina inter se vnitis; sed per vos actus liber Dei, qui est actualis vita ipsius constituitur ex entitate diuinæ voluntatis, & ex creatura, seu actione creata: ergo non est simplicissimus actus, sed compositus realiter.

Et ratio euidens illius non simplicitatis, sed com- 128
positionis est, quia illa ratio, quæ simplicissima est, habet summam identitatem inter prædicata, quibus in illo esse simplicissimo constituitur; ita vt si non habeat illam omnimodam identitatem, sed potius distinctionem realem non erit omnino, & simpliciter simplex; vt videre est in substantia Angeli essentialiter considerata: quia omnia prædicata essentialia illius habent identitatem inter se sine distinctione reali, & è contra Angelus in esse suppositi, seu personæ non est simplex, sed compositus realiter, quia constituitur in tali esse per substantiam, & suppositalitatem distinctas realiter, & inter se vnitas: sed actus liber Dei constitueretur ex duabus entitatibus, creata nimirum, & diuina, quæ nullo modo identificantur inter se, sed potius distinguuntur realiter: ergo esset compositus realiter.

Dices: ad hoc vt aliquid sit compositum rea- 129
liter, & non simplex necesse est vt constitutiua illa, quibus constituitur sint realiter vnita, sed actus liber Dei constituitur duobus prædicatis, quæ non vniuntur inter se: ergo non est compositus realiter.

Sed contra, quia quando duo ita concurrunt, 130
vt inter se non vniantur, & sunt entia completa discreta manent, diuisa, & separata, quia diuisio, discretio, & separatio est carentia vniomis; ideo enim duo homines, duo lapides, & duo Angeli sunt discreti, quia sunt entia completa, & nulla vnione per se inter se copulantur, ac proinde ex tribus illis binarijs fit vnus aceruus & ens per accidens: sed actus liber Dei per suo constituitur ex duabus entitatibus completis carentibus vnione: ergo actus liber Dei est aceruus duorum, & ens omnino per accidens, ac proinde est imperfectior, quam si esset compositus ex creatura, & Deo, quia imperfectiùs est aceruus, & ens omnino per accidens quam ens per se compositum; vnde ex hac parte imperfectior erit actus liber Dei, quam actus liber Angeli, siquidem actus liber Angeli licet sit compositus, est ens per se, quia ex qualitate speciei expressæ, & ex actione vitali producente illam, quæ inter se vniuntur per se, resultat vnum ens per se vitale; sicut v.g. ex ipso Angelo, & creatione, qua producitur, quia per se vniuntur inter se, resultat vnum ens per se; imo in sententia multorum ex aduersarijs actus vitalis Angeli est adæquate, & essentialiter sola qualitas, quæ est adæquate simplicissima, & spiritualis; sed quod est adæquate simplicissimum, & spirituale, est perfectius ente omnino per accidens: ergo actus vitalis Angeli perfectior erit actu vitali Dei.

Alij respondent, actum vitalem Dei esse vnum 131
ens per se, quia vere creatura, & Deus vniuntur inter se, & per se.

Ergo

Ergo talis actus vitalis Dei v. g. volitio elementi, lapidis, arboris, leonis &c. erit simpliciter corporeus, & materialis, ac proinde excedetur ab actu vitali Angeli, nec erit proportionatus Deo, qui est subiectum immediatum illius; quia corporeus actus cum subiecto immediato adæquate spirituali, vt supra demonstravimus, nullã habet proportionem: ergo non potest esse actus vitalis Dei compositus ex lapide, & voluntate Dei; quia vt iam dixi actus vitalis Dei non potest esse simpliciter corporeus; sequela illa sic demonstratur; quia illud est simpliciter corporeum compositum, quod vel omnes partes habet corporeas, vt leo, arbor, & lapis; vel licet habeat vnam spiritualem, aliam habet corpoream; sed actus liber Dei, quia constituitur ex Deo & creatura licet habeat vnam rationem constitutivam spiritualem, scilicet Deum & voluntatem divinam, nihilominus vltimum constitutivum illius, quod est creatura lapis videlicet, vel leo est simpliciter, & adæquate corporeum; ergo totum compositum ex lapide & Deo, quod dicitur actus liber ipsius, est simpliciter corporeum & materiale. Deinde sequitur actum liberum Dei esse simpliciter corruptibilem; quia creatura à qua constituitur, corruptibilis est; quia ad hanc denominationem vtpote imperfectam sufficit, quod vnum constitutivum sit corruptibile, vt videre est in homine.

133 Deinde colligitur ex illa sententia perfectionẽ divinã realem provt nunc est in rerum natura, talẽ esse vt partim necessario sit partim potuerit nõ esse, & sit contingens formaliter quod admittere non est minus absurdum in simplicitate, quam per modum compositionis, vtcumque enim intelligatur includit imperfectionem, & diminutionem quandam in ipso esse, quoad eam partem, vel quasi partem, quæ ex eo quod creatura est, posset non esse; vnde quo magis hæc compositio imperfecta attribuitur ipsimet simplici entitati Dei eo cum maiori absurditate, & inconvenienti illi attribuitur.

134 Præter quam quod maiorem repugnantiam, & impossibilitatem involuit, quod entitas Dei, quæ in omnibus perfectionibus, etiam minimis comparatis cum aliis maioribus, vt videre est in relationibus, in præsentia, & aliis habet infinitam simplicitatem, perfectionem, & incorruptibilitatem in perfectissima omnium perfectione, vt est volitio libera, & scientia Dei habeat compositionem realem, materialitatem, corruptibilitatem, & alias imperfectiones; quod omnino incredibile est; nam si illa entitas habere debet vnum simplicissimum esse adæquate spirituale, & infinite perfectum, vtpote ens à se, & non ab alio, sine dubio in vita actuali intellectuali habebit infinitam perfectionem sine vlla imperfectione: ergo sine compositione, corruptibilitate materialitate, &c.

135 Tandem sequitur, quod Deus sit ens incompletum perse, hoc est pars per se, quod est summum absudum, eo quod Deus sit completus, ex eo quod est omnino perfectus, & omnibus numeris absolutus; ratio enim incompleta per se imperfecta; est vnde incompletum imperfectius est completo.

136 Quod autem sequatur Deum esse incompletum, sic patet, quia nihil aliud est incompletum, & pars per se, quam id, quod ordinatur ad componendum vnum per se, & quod de facto componit vnum per se completum; pars enim dicitur in ordine ad totum & incompletum in ordine ad completum; sed voluntas Dei, quæ est ipse Deus componit cum creatura actum liberum Dei qui est vnum totum per se: ergo Deus, seu voluntas diuina est ens incompletum per se.

Vltimo confirmatur Argumentum principale; 137
quia omnis actus vitalis est immanens adæquate, & totaliter immanenter existens in viuente; viuens enim vt sic est quod viuit per suum actum intrinsece tanquam per intrinsecam perfectionem ipsius, quia sive virtualiter, sive formaliter; vt supra explicuimus, movetur à seipso; vnde viuere vt sic moveri à se est.

Sed actus voluntatis vt sic est actus perfectis- 138
simus & adæquate vitalis: ergo est actus perfectissime intrinsece & immanenter existens in volente vt sic: sed decretum liberum Dei, quo prædestinauit v. g. Christum Dominum ad esse Filij Dei est actus adæquate voluntatis: ergo est actus adæquate vitalis, ac proinde adæquate & totaliter immanens intrinsece in ipso Deo. Minor illa sic demonstratur; quia voluntas divina formaliter non solum est voluntas, sed etiam est libertas, & indifferentia, unde adæquate sumpta voluntas habet vtramque rationem & voluntatis, & libertatis: ergo actus diuinæ prædestinationis non solum est actus voluntatis quatenus volitio, sed etiam quatenus liber, quia secundum rationem volitionis correspondet formalitati voluntatis, & quatenus liber correspondet formalitati libertatis, vnde nulla est perfectio in actu libero prædestinationis, seu formalitas quæ non sit intra gradum volendi, & cui non correspondeat formalitas voluntatis: ergo actus diuinæ prædestinationis adæquate, & totaliter quatenus libera volitio est, est actus voluntatis.

Confirmatur hoc totum, ideo volitio libera ho- 139
minis, & Angeli, imo & volitio necessaria vtriusque est immanens adæquate, & totaliter in Angelo, & in homine; item volitio, & intellectio Dei, qua se amat, & intelligit, sunt adæquate immanentes in Deo intrinsece; quia sunt vitales, & ideo creatio, seu productio Angeli, productio hominis, & lapidis non sunt intrinsece immanentes in ipso Deo, sed potius actiones transeuntes, & ideo loquutio Angeli non est actio immanens, sed transiens, quia non sunt actiones vitales, sed causalis æquialet vniversalis: ergo omnis actus vitalis est actus intrinsece immanens in viuente per talem actum, & perfectissime, immanenter que, ac intrinsece existens in viuente; sed omnis actus voluntatis, sicut omnis actus intellectus habet adæquate, & totaliter rationem actus vitalis, quia voluntas est adæquate, & totaliter formalitas vitalis: ergo omnis actus voluntatis est immanens intrinsece in volente, neque vlla ratio potuerit tribui discriminis, cur intellectio, & volitio in Angelo, & homine debeat adæquate immanere in Angelo, & homine, & aliæ actiones nõ, nisi quia sunt vitales adæquate, sed actus liber Dei est adæquate vitalis, quia est adæquate actus voluntatis diuinæ, quæ est facultas adæquate vitalis; sicut actus liber voluntatis hominis, & Angeli sunt adæquatè vitales, quia sunt actus adæquate voluntatis liberæ, quæ adæquate, & totaliter est vitalis, nam voluntas, sicut & intellectus, aut formaliter, aut virtualiter emanant, vel radicantur in gradu intellectivo; qui adæquate, & totaliter est vitalis: ergo actus liber Dei adæquate, & totaliter est immanens in ipso Deo, adæquateque ac totaliter existens intrinsece in ipso.

Dices,

Dices, intellectionem & volitionem liberam Angeli & hominis ideo esse adæquate immanentem in Angelo, & homine, non quia est vitalis, sed quia est creata, imperfecta.

Sed contra, quia volitio Dei, qua se amat, & intellectio, qua se intelligit, non est creata & imperfecta, & nihilominus est immanens in Deo, & intrinsece existens in ipso, non propter aliam rationem, nisi quia est actus vltimus vitalis: ergo ratio quare intellectio, & volitio creata sunt adæquate immanentes in volente, ac intelligente, non est quia sunt limitatæ, & imperfectæ; sed quia sunt vitales, vnde sicut volitio, & intellectio creata tam libera, quam necessaria conueniunt intrinsece cum volitione, & intellectione necessaria Dei in ratione vitali, ita etiam conueniunt in ratione actus immanentis, vnde communiter dicitur omnem actionem vitalem esse immanentem, vnde non potest præscindi à ratione actus vitalis vt sic ratio actus immanentis, quia sunt sinonymæ rationes; sed actus liber voluntatis diuinæ est actus adæquate, & totaliter vitalis: ergo est actus adæquate, & totaliter immanens in Deo.

141 Tunc sic, si actus liber Dei constitueretur per actionem creatam vltimo, ac formaliter non esset adæquate immanens nec adæquate vitalis in Deo, sed hoc est absurdum vt probatum manet: ergo actus liber voluntatis Dei non constituitur per actionem creatam, seu creaturam aliquam. Maior illa sic probatur, quia ex parte mutationis creaturæ, seu actionis creatæ non est intrinsece actus in Deo, cum creatio illa, seu mutatio, quæ constituit actum liberum non sit intrinsece in Deo, sed extra Deum quia est actio transiens: ergo actus liber Dei ex omni parte constituente ipsum non est intrinsece immanens in Deo, ac proinde non est vitalis adæquate, & totaliter, quia cum denominatio, & constitutio immanentis, & vitalis sit perfecta debet esse ex integra causa, & ex integro constitutivo illius; sed si constituitur ex actione transeunte, quantum est ex vi illius, non existit immanenter in Deo; ergo ex omni parte, & constitutivo non est immanens, & vitalis in ipso.

Dices, actum voluntatis non esse adæquate vitalẽ, licet actus intellectus sit adæquate vitalis, ac proinde nõ est adæquate immanens in volẽte.

Sed contra manifeste, quia actus voluntatis, 142 licet nostro modo intelligendi non sit æque perfectus, ac actus intellectus nihilominus, non solum actus intellectus, sed etiam volitio sunt adæquatum exercitium gradus intellectiui; sed gradus intellectiuus est vitalis adæquate cum sit constitutum ex gradu viuentis, & ex differentia intellectualitatis, quæ est quasi forma proportionata contrahens gradum viuentis vt sic, vnde debet totus ille gradus intellectivus esse vitalis adæquate; sicut quia gradus viuentis constituitur ex gradu substantiæ, & ex differentia viuendi, quæ est quasi forma proportionata tali gradui, totus ille gradus adæquate est substantialis, & minime accidentalis: ergo similiter si gradus intellectiuus constituitur ex gradu viuenti, & ex differentia proportionata tali gradui, totus gradus intellectivus erit adæquate, & totaliter vitalis: sed exercitium alicuius proportionatum ipsi; debet habere eandem rationem, ac gradus, cuius exercitium est: ergo si actus voluntatis est exercitium gradus intellectivi, quatenus vitalis est, sine dubio actus voluntatis liber erit adæquate & totaliter vitalis.

Nec valet dicere, licet actus voluntatis sit vitalis, nihilominus quatenus liberum non posse esse vitalem.

Sed contra manifeste, quia sicut voluntas in ac- 143
tu primo non extrahitur à ratione potentiæ vitalis propter libertatem in actu primo, ita etiam actus secundus voluntatis non extrahitur à ratione actus vitalis propter rationem liberi in actu secundo, imo sicut libertas in actu primo indicat manifeste, & evidenter, actu potentiam, cui conuenit formaliter necessario esse potentiam vitalem, quia libertas in actu primo non solum est ita propria potentiæ vitalis, vt nullo modo possit conuenire potentiæ non vitali; sed etiam est perfectissima proprietas potentiæ maxime vitalis, ratione cuius voluntas dicitur regina, & imperattix inter omnes potentias; imo D. Augustinus *lib. 1. de Gen. ad litter. cap. 3.* dicit; præcipue hominem esse ad imaginem & similitudinem Dei, qui est ens perfectissime viuens, quia participat à Deo potestatem, & dominium supra omnes actiones, & supra omnes appetitus, & operationes. Ita similiter ratio libertatis in actu secundo immediate elicitive indicat actum, cui convenit immediate esse non solum formalissime vitalem, sed esse totaliter, & adæquate perfectissime vitalem: ergo falsissimum est dicere, quod ratio libertatis in actu secundo extrahat actum liberum à ratione vitalis, ac proinde falsum erit dicere, quod extrahatur ratione libertatis à ratione immanentis intrinsece, quin potius dicendum est, libertatem immediate, & elicitiue vt ita dicam conuenientem actui libero, constituere ipsum in ratione perfectissimi immanentis, & intrinsece respectu volentis; sed actus prædestinationis diuinæ v. g. est infinite, & perfectissime liber: ergo ratione talis libertatis est infinite, & perfectissime vitalis, ac proinde perfectissime infinite, & adæquate vitalis; & per consequens adæquate, & totaliter immanens, & intrinsece existens in ipso Deo: ergo intrinsece, & adæquate est Deus; quia secundum Concilium Remense quidquid in Deo est, Deus est: sed si constitueretur per actionem transeuntem, aut per terminum creatum, nec esset adæquate, & totaliter Deus, vt videre est in Christo Domino, quia in tali decreto esset actio ipsa quæ non est Deus, sed creatura, nec esset adæquate immanens; quia talis acto, à qua constituitur, est actio transiens, & manens extra Deum: ergo ne hæc absurda sequantur dicendum est, actum illum liberum Dei minime constitui per actionem, aut terminum, seu rem aliquam creatam. 144

Vltimo vrgetur; quia Deus ex eo quod infinitus, & independens est à creaturis, non indiget illis ad constitutionem & complementum suarum perfectionum, alias ex se non esset sufficiens sibi, neque independens in perfectionibus suis à creaturis; vnde de primo ad vltimum si indiget, & eget creaturis non erit Deus; quia Deus quatenus talis propter suam infinitam perfectionem non ab alio, sed à se nullius creaturæ indigus est; quod expresse docuit Propheta Rex [Deus meus es tu, quia bonorum meorum non indiges;], vbi ponderanda est illa causalis, quia, per quam significat Dauid, ideo Deum esse Deum, qua nulla creatura indiget; è contra vero si indigeret, non esset Deus; & sic Deus non cognoscit, nec est sapiens per sapientiam creatam, neque Pater æternus refertur ad Filium per creatam relationem aut constituitur in esse Patris per creaturam; quia in esse Patris est Deus à se omnino inde

independens,& per consequens nullius indigens; sed etiam Deus in volendo , & prædestinando homines v. g. est infinite perfectus independens, nullius indigens, à se omnino : ergo Deus non prædestinat, neque vult per creaturas,neque completur in esse volentis , nec decernentis per illas; imo si per impossibile scientia visionis creaturarum compleretur , & constitueretur à priori per creaturam futuram, quam videt; quia ex eo quod creatura futura est , videt illam futuram ; vnde aliquomodo futuritio creaturæ antecedit ipsam scientiam , & sic non potest esse vera hæc causalis , ideo est futura res, quia videt Deus illam; sed potius è contra est verum , vt iam dixi ; nihilominus tamen nullo modo potest actus liber Dei decernens,& faciens creaturæ futuritionem, & existentiam , quia est vera causa talis futuritionis vnde est vera hæc causalis ; ideo creatura est futura ab æterno , & existens in tempore,quia ab æterno Deus decrevit libere esse futuram , & in tempore existentem, & econtra est falsissima hæc causalis ; ideo Deus ab æterno voluit libere creaturam esse futuram , & existentem in tempore quia creatura futura erat & existens in tempore: ex quo euidenter sequitur actum liberum Dei efficacem , ex quo oritur futuritio , & existentia creaturæ , quæ nullo modo oritur ab actu inefficaci , esse causam talis futuritionis; & existentiæ ac proinde esse priorem prioritate naturæ futuritione , & prioritate durationis æternæ existentia ipsa , sed quod est prius non dependet à posteriori , & causa non constituitur à suo effectu : ergo actus liber Dei efficax qui talis est quatenus causa futuritionis , & existentiæ, & in quo distinguitur ab actu inefficaci non constituitur à creatura,siue futura,siue actuali.

Dices , licet creatura non constituat actum liberum nihilominus esse conditionem quasi à priori, vt constituatur actus liber Dei, & sic non mirum quod tribuamus rationem existentiæ decreti respiciendo connotatum extrinsecum creatum.

145 Sed contra manifeste,quia absolute tam repugnat , vt aliquis effectus constituat suam causam in esse, quod habet, & per quod produxit effectum, & influxit in illum , quam quod sit conditio , vt existat , & sit causa prior illo effectu , & debeat præsupponi completa ante illum de nouo productum à tali causa vt videre est , quia tantum repugnat v. g. quod filius , aut substantia genita à Patre constituat ipsam substantiam generantis , quam quod sit approximatio , media qua auus filij approximetur ad producendum Patrem talis filij, vnde qui diceret , ignem productum B, ab igne producto esse conditionem , vt producatur de novo ignis A, qui producit etiam de novo ignem B, sine dubio irrideretur à sapientibus ; & ratio manifesta à priori est. Quia omne quod est prius causa alicuius effectus , à fortiori debet esse prius ipso effectu causato à tali causa : v. g. quia apprehensio obiecti boni est prior volitione illius , etiam debet esse prior habitu producto per talem volitionem ; quare sicut avus est prior Patre ; ita imo à fortiori debet esse prior nepote , idest filio filij avi ; quod fundatur in illo axiomate si vinco vincentem te , à fortiori vicã te omnibus circunstantiis eodẽ modo se habentibus,sed conditio se habens ex parte causæ ad productionem effectus est simul cum ipsa causa , ac per consequens est prior ipso effectu : ergo ipse effectus non potest esse conditio se habens ex parte causæ ad productionem sui ipsius , & à fortiori non potest esse conditio antecedens productionem suæ,causæ quia iam ipse effectus esset prior sua causa, ac proinde prior se ipso : ex quo sequeretur idem esse prius , & posterius respectu sui ipsus , sed hoc est maximum absurdum, quia prius refertur ad posterius , sed omne,quod refertur ad aliud est relative oppositum respectu illius , vt videre est in Patre æterno , qui relative opponitur filio,eo quod referatur ad illum : sed id , quod relatiue opponitur alteri , distinguitur realiter ab illo: ergo id quod est prius respectu posterioris distinguitur realiter à posteriori , & non est idem cum illo , quia quæ distinguuntur non sunt idem : ergo idem non potest esse prius , & posterius respectu sui ipsius : ergo idem non potest esse effectus causæ, & conditio se habens ex parte causæ ad productionem ipsius effectus & multo minus poterit esse conditio necessaria ad productionem causæ talis effectus, & antecedens productionem talis causæ.

## SVBSECTIO VIII.

*Argumentum principale ponitur.*

146 QVia omnis denominatio extrinseca actualis debet provenire ab aliqua forma actualis præcedente ipsum denominatum ab illa;sicut verbi gratia visio præcedit esse visum , quod denominatur ab ipsa visione , & dexteritas præcedit dexterũ,quod constitur à dexteritate; & ratio evidens est,quia ratio illa,quæ cõstituit aliquod formaliter , est causa formalis illius ; forma autem est prior suo effectu , quia omnis causa habet prioritatem respectu illius.

147 Sed nulla est creatura, quæ præcedat decretum liberum Dei & à qua denominetur.& constituatur in genere causæ formalis tale decretum : ergo nullo modo constituitur extrinsece decretum à creatura. Minor sic probatur ; Nam vel constituitur decretum à creatura possibilis vt sic ; & hoc non ; tum quia alias illa non esset denominatio libera , sed necessaria , vti est possibilis creatura quia eo modo est effectus, quo est forma, à qua essentialiter,& formaliter constituitur , tum etiam quia esset indifferens,& communis omni rei possibili,præter quam quod cum illud decretum non terminetur primario & per se ad possibilitatem , non potest denominari ab illa ; denominatur autem possibilitas decreti à possibilitate mutationis , si aliquid dicendum esset probabile. Vel provenit talis denominatio , & constitutio decreti à creatura ut existenti , vel futura aliquando , & hoc etiam dici non potest , quia omnis creatura tam futura , quam actualis originem ducit ab ipso decreto iam libero ; est enim creatura vt sic eo quod Deus per volitionem suam liberam libere vult eam esse : ergo denominatio , quam Deus , vt actu volens dicit ad talem creaturam non potest deriuari à creatura vel existenti , vel futura.

148 Quod sic demonstratur , Quia Deus ex se solo se libere determinat,vt hoc velit potius,quam illud,& ideo non videtur sumi talis denominatio libera decreti antecedens ad omnem mutationem creatam ab aliqua creatura futura, vel actuali ; in quo est maxime differentia inter votitionem liberam decernens existentiam rei , & inter scientiam etiam liberam,quod scientia vt ex simplici intelligentia fiat visio , & prætet res possibiles se extendat ad repræsentandas res

existentes supponit in obiecto aliquam varietatē pro aliquo tempore, cui æternitas coexistit; vel saltem supponit aliquod decretum liberum diuinæ voluntatis, & ita ibi intelligi potest extra ipsam scientiam aliquod fundamentum, vel principium illius denominationis. At vero in volitione nihil supponi potest sed omnis varietas, quæ in obiectis intelligitur, ab ipso actu libero trahit originem.

149 Et ratio à priori est, quia scientia etiam vt terminata ad talia obiecta contingentia, non est in se formaliter libera, sed necessaria ex præsuppositione talis obiecti, vel existentis, vel futuri; at vero voluntas vt terminata ad talia obiecta est formaliter libera; & ideo illa denominatio in scientia potest intelligi per modum cuiusdam respectus resultantis necessario in ipsa, posito altero extremo, scilicet obiecto scibili in esse veri, seu scibilis, in voluntate autem non potest ita intelligi, sed primo, ac per se originem trahit ab ipsamet voluntate omnibus aliis eodem modo se habentibus, & ideo intime in illa esse debet fundamentum talis denominationis.

150 Vrgetur amplius eadem prima, ac præcipua maior, quia velle, amare, & similes denominationes, cum sint vitales, non possunt esse omnino extrinsecæ: ergo vel Deus non amat, vel amat per amorem, qui in ipso intrinsece est. Præterea, quia facere illo modo, cum indifferentia scilicet agendi, & non agendi, & nihilominus determinare se ad agendum immediate ac formaliter per ipsammet actionem extrinsecam, est modus intelligibilis, ac impossibilis, & quamuis esset po . bilis esset imperfectissimus.

151 Primum patet; quia non intelligi potest, solem non esse naturaliter determinatum ad illuminandum, etiam applicato passo & concurentibus illis ad agendum requisitis, & tamen se se determinare ad illuminandum solum per illuminationem, quæ in passo recipitur; cur enim determinatus est nunc & non antea? sane non potest reddi ratio, quia nunc illuminat; huius enim rationem quærimus, quam oportet ex parte ipsius agentis reddi, quia supponimus non determinari ab alio, per actionem autem mere extrinsecam non potest se determinare, si alioqui erat indifferens; quia per illam non potest velle, nec in se habere determinationem ad agendum, in quo est magna differentia inter voluntatem, & similia agentia; nam voluntas actione sua interna vult non solum obiectum, sed ipsammet actionem, & ideo potest per illam se determinare.

152 Secundum patet, quia ille modus determinationis potentiæ indifferentis re vera non esset per modum actus vitalis, sed solum per modum actionis extrinsecæ; hic autem modus imperfectus est. Præterea non posset intelligi in tali modo actionis quod esset proprie, & formaliter propter finem ex intentione & relatione agentis; nam illa relatio non est necessaria, sed libera; potest enim Deus vnum effectum propter varios fines operari, hæc autem denominatio, seu connotatio non est formaliter in ipsa actione extrinseca, imo nec semper in illa apparet: ergo non potest talis modus operandi propter finem ex sola extrinseca denominatione Deo tribui, sed potius è contrario per denominationem ab actu interiori dei externa eius actio dicitur esse propter talem finem ergo nullo modo defendi potest prædicta sententia.

## SVBSECTIO IX.

### *Argumentum principale ponitur.*

QVia per vos mutatio extrinseca, quæ requiritur ad constitutionem actus liberi 153
Dei, debet esse extrinseca respectu Dei, & intrinseca, ac physica respectu creaturæ, sed in effectibus præsertim moralibus potest Deus multa libere velle, quæ non faciunt in rebus specialem mutationem physicam realem: ergo non est illa necessaria ad actum liberum Dei. Minor in qua est difficultas sic probatur, quia Deus potest tranferre dominium alicuius, quod habet aliqua persona, in aliam personam, vt contingit in Ægypto, Deus enim transtulit dominium, quod habebant Ægyptij circa suas opes ad Hebræos; & nihilominus in hoc casu nulla resultavit in hominibus aut rebus specialis mutatio intrinseca physica, & ratio à priori, quæ me maxime mouet, est non solum hic, sed in condonatione extrinseca, de qua Subsectione sequenti agemus data opera; quia tales formalitates dominij &c. sunt morales & non physicæ; ac proinde non Physice, sed moraliter debent destrui.

Deinde interrogo ab aduersariis, quæ mutatio 154
facta fuerit in Ægyptiis, quando ab iis ad Hebræos translatum fuit dominium opum.

Dices, factam fuisse reuelationem à Deo intimantem translatum esse dominium ab ipsis ad 155
Hebræos. Sed contra manifeste, quia talis relatio impediret finem intentum à Deo de spoliatione Ægytiorum per Hebræos; nam si Ægyptiis constaret media illa reuelatione de tali translatione dominij in Hebræos, minime sponte mutuas tribuerent gazas Hebræis simulatè ab Ægyptiis petentibus sine animo iterum ipsis Ægyptiis reddendi illas: ergo nullius momenti est reuelatio ficta ab aduersariis in ordine ad Ægyptios, etiam si apparenter defendi possit ex parte Hebræorum, præsertim, quia vt omnes Doctores Ecclesiæ August. Hieronym. Gregorius, Ambrosius, Cyprianus & reliqui, nulla fuit facta reuelatio Ægyptiis, quia indigni erant alloquutione diuina: ergo talis reuelatio non erat necessaria ad constituendum decretum illud transferendi dominium.

Dices, ad illud decretum sufficere reuelationem factam Hebræis.

Sed contra, quia decretum adæquatum, illud, 156
de quo loquimur, non solum respiciebat Hebræos, sed etiam Ægyptios, vnde terminabatur adæquate ad vtrosque: ergo mutatio, quæ deberet constituere adæquate ipsum decretum non solum debebat fieri in Hebræis, sed etiam in Ægyptiis, sicut quia ipsum decretum habet pro obiecto adæquato, non solum Hebræos, sed Ægyptios, tendentia illius non solum debet esse in ordine ad Hebræos, sed etiam ad Ægyptios; sed mutatio extrinseca in obiecto huius decreti adæquate constituit ipsum decretum per vos: ergo sicut obiectum adæquatum huius decreti non solum sunt Hebræi sed etiam Ægyptij, ita similiter mutatio, quæ constituit adæquate tale decretum non solum debet fieri in inadæquato obiecto, quales sunt

sunt Hebræi, sed etiam in adæquato, quales sunt Hebræi, & Ægyptij simul; sed per vos non est mutatio necessaria in Ægyptiis, sed solum in Hebræis: ergo euidenter sequitur per talem mutationem adæquate non constitui decretum liberum, nec esse necessariam ad talem constitutionem; nam si esset necessaria in vtroque esset necessaria; sicut quia tendentia illius decreti est necessaria ad constitutionem illius decreti, vt constituatur adæquate illud, non solum requiritur tendentia ad Hebræos, sed etiam tendentia ad Ægyptios; & si non est necessaria tendentia ad Ægyptios, Ægyptij non essent obiectum per se talis decreti: sed mutatio per vos ex parte obiecti necessario, & formaliter requiritur ad constitutionem huius decreti: ergo talis mutatio necessaria non solum erit in Hebræis, sed etiam in Ægyptiis, quia obiectum per se talis decreti non solum sunt Hebræi, sed etiam Ægyptij, sed per vos saluatur decretum sine mutatione ex parte Ægyptiorum, licet sint obiectum per se: ergo etiam potest saluari sine mutatione ex parte Hebræorum, etiam si Hebræi sint obiectum per se, quia non est maior ratio vnius, quam alterius; quia tam per se obiectum illius decreti sunt Ægyptij, ac Hebræi, ac proinde poterit saluari decretum, & constitutio illius formalis sine mutatione vlla extrinseca ex parte obiecti.

157 Deinde probo nullius momenti esse reuelationem illam factam Hebræis ad hoc vt per illam constituatur decretum liberum, per quod transfertur dominium ab Ægyptiis ad Hebræos; quia per illam reuelationem non transfertur dominium ad Hebræos; sed potius supponitur iam translatum dominium ante illam reuelationem, ac proinde supponitur adæquate constitutum decretum de tali translatione; nam illa reuelatio declarat dominium esse translatum, ac proinde reuelat decreuisse Deum complete, & adæquate transferre tale dominium; vnde habet pro obiecto ipsum decretum, de translatione dominij, sed obiectum alicuius cognitionis, seu reuelationis non constituitur per illam, sed potius supponitur ad illam; quia quod est prius non constituitur per posterius: ergo decretum liberum, quod est obiectum talis reuelationis, non constituitur per talem reuelationem, verbi gratia scientia visionis in Deo non constituit futuritionem, neque decretum liberum de futuritione, quia tam futuritio, quam decretum liberum de illa sunt obiectum illius; & vt sic præsupponuntur ad illa, cognitio enim pure speculatiua non facit, aut constituit obiectum, sed supponit iam constitutum, quia id, quod mere speculatiuum est, nihil operatur in obiecto, sed reuelatio illa habebat pro obiecto dominium translatum iam factum per decretum, ac proinde erat pure speculatiua de tali obiecto: ergo neque constituebat decretum, neque dominium translatum.

158 Tum etiam, quia formaliter aliud est velle transferre dominium, aliud velle reuelare talem translationem per decretum antecedens; vnde illa mutatio reuelationis non respondet priori voluntati, sed huic posteriori, nos autem contendimus, illam priorem voluntatem habere sine mutatione reali in obiecto intrinsece, & physicè.

159 Deinde interrogo, an si statim ac Deus voluit efficaciter, & dixit, fiant Hebræi domini diuitiarum, & priuentur Ægyptij dominio illarum, antequam aliqua fieret reuelatio; vel allo-



querentur Hebræi Ægyptios; fuerint facti vere domini Hebræi, & priuati tali dominio Ægyptij, vel non? hoc secundum falsum est; alias decretum efficax Dei frustraretur, & non mandaretur exequutioni, eo modo, quo decernitur, decernitur enim translatio dominij absolute sine conditione & non transfertur dominium sine conditione loquutionis: ergo primum dicendum est, ac per consequens non dabitur mutatio ad illam volitionem, præcipue cum non dependeat Deus in tali opere à voluntate Hebræorum, & Ægyptiorum; cum sit Dominus absolute illatum rerum, & dominij earundem; præcipue cum vt probatum est, talis mutatio & loquutio non sit ad transferendum dominium; quia talis reuelatio reuelabat, translatum iam esse.

Præsertim, quia talis reuelatio, quæ pertinaciter petitur ab aduersariis, non erat necessaria, nisi vt Hebræi non operarentur ex ignorantia invincibili cogitantes, non esse translatum dominium, sed cognitio tollens ignorantiam inuincibilem circa aliquod obiectum, vel de aliquo obiecto, supponit iam tale obiectum constitutum: ergo talis reuelatio supponebat decretum, & translationem dominij iam esse factam, ac proinde de illa illuminabat Hebræis, vt expelleret ignorantiam de ipsa, ne operarentur cum ignorantia circa talem translationem, sed potius possent operari libere sine vllo scrupulo cognoscendo iam esse factam supradictam translationem, & ipsos esse constitutos Dominos omnium diuitiarum Ægyptiorum. 160

Sed vt funditus hæc solutio de reuelatione labefactetur, certissimum est, expulsionem ignorantiæ non esse necessariam ad translationem dominij, sed solum ad rectum vsum talis dominij, vt operarentur, non tanquam fures, sed tanquam vere domini: ergo si Deus statim ac decreuit, transferre dominium in Hebræos, decerneret, vt ante vsum talis dominij operarentur, tam Hebræi, quam Ægyptij, ita vt nullo modo possent mandare exequutioni proprium dominium; tunc enim sine dubio transferretur dominium, & nullo modo erat necessarium decretum reuelandi talem translationem, quia superfluum esset decretum illud reuelationis, & superflua esset reuelatio ipsa, siquidem reuelatio illa erat solum necessaria ad hoc, vt recte operarentur Hebræi, si operaturi essent; sed supposito decreto de morte ipsorum ante operationem eorundem & ante vsum talis dominij, & de exercitio talis vsus esset impossibilis operatio illa præcipue, si Deus decreuisset vt potuit decernere, nullo modo concurrere, sed potius omnino subtrahere concursum ad talem operationem: ergo esset omnino superflua talis reuelatio, & frustra poneretur decretum de tali reuelatione; vnde daretur primum decretum sine secundo decreto; sed ad illud primum non esset necessaria illa reuelatio, neque alia mutatio potest assignari ad constitutionem illius decreti: ergo iam datur decretum liberum Dei sine vlla mutatione physica intrinseca in creatura. 161

Alij respondent, illum motum localem, per quem se conferebant ad domos Ægyptiorum Hebræi, & locutiones illas, quibus petebant ab illis diuitias, fuisse mutationem factam ex vi decreti transferendi dominium opum. 162

163 Sed contra manifeste, quia tunc per illum motum localem, & loquutiones solum se disponebant Hebræi, vt in possessionem illorum bonorum ingrederentur; minime autem per illas loquutiones, & dispositiones Domini efficiebantur; quia iam ante loquutiones, & motum localem facti erant domini, & habebant plenum dominium diuitiarum; imo quia iam ante sciebant esse veros dominos illarum diuitiarum, faciebant quantum poterant, sive loquendo, sive se conferendo ad domos Ægyptiorum, vt constituerentur in possessione diuitiarum, quarum dominium illis tribuerat Deus; alias peccarent mortaliter, si se conferrent ad Ægyptios, mutuo peterent diuitias illas, &c. antequam essent domini illarum; sed non peccarent vt omnes Doctores asserunt: ergo evidenter sequitur illos antequam loquerentur cum Ægyptiis, & se ad domos eorum conferrent, aliaque id genus fecerint, jam habuisse dominium illarum rerum, quarum possessionem per talia media comparare intendebant; ideo enim instigabantur à Deo, vt peterent, & acciperent gazas ab Ægyptiis animo iterum non reddendi eas, quia in Hebræos transtulerat Dominus dominium circa tales opes; eoque vere, & realiter Domini reddebantur: ergo causa talis motus localis, & loquutionis, vt possessione fruerentur bonorum, quæ mutua acceperant ab Ægyptiis, erat dominium iam translatum antecedenterque illis tributum; quia talis mutatio non sequebatur ad volitionem transferendi dominiu, sed potius ad decretum tribuendi possessionem ipsis; quod decretum distinctum est à prima volitione; sicut distinguitur voluntas causæ à voluntate effectus: ergo mutatio illa non correspondebat voluntati transferendi dominium sed potius voluntati tradendi possessionem; vnde in exequutione mutationes illæ non fiebant ad dominium acquirendum, quod iam ante illas comparaverant, sed potius ad possessionem consequendam; itaque illa mutatio non fiebat per voluntatem Dominoe reddendi Hæbræos, sed per novum & distinctum actum diuinæ voluntatis nostro modo intelligendi: ergo sistendo præcise in priori actu, seu decreto, ille habetur sine mutatione Dei, vel hominis; & cum sit efficax suum effectum habet: ergo decretum liberum Dei non constituitur necessario per aliquam mutationem physicam extrinsecam, imo potius dicendum est nunquam constitui per illam, sed maximùm talem mutationem esse effectum subsequutum ad decretum, tanquam ad causam, ratione cuius nullo modo potest decretum constitui per illam, quia vt iam supra demonstravimus, causa efficiens nunquam constituitur per proprium effectum.

164 Sed demus, talem solutionem aliquid valere ad translationem dominij, nihilomnus tamen nullius momenti est in ordine ad remissionem pœnæ temporalis debitæ pro peccato in purgatorio solvendæ, nam sine dubio potest Deus illam totam gratis remittere sua libera voluntate de qua nemo negat, posse à Deo fieri sine mutatione physica peccatoris, & tamen fit per actum liberum; neque ibi est necessaria revelatio aliqua; quia non est necessaria ad tollendam conscientiam erroneam; vnde sine vlla scientia in hac vita talis remissionis potest homo in fine vitæ invenire se liberum ab illo reatu, etiam si in vita ignoraverit talem solutionem, & fortasse ita de facto fit per oblationem sacrificij, vel per aliquid aliud simile: eodem enim modo potest fieri argumentum in remissione pœnæ, quæ vni fit propter satisfactionem alterius; nam posset Deus non acceptare illam satisfactionem pro alio, sed tantum pro ipsomet operante: nunc autem ita illam acceptat ut habeat illum effectum in alio, & non in ipso operante: ergo necessario hoc referendum est ad liberam Dei voluntatem cum diverso respectu morali sine alia mutatione intrinseca reali, & physica creaturæ. Denique nunc per infusionem talis gratiæ in tali Sacramento remittitur peccatum veniale, & tamen posset eadem gratia cum tota reali mutatione infundi sine remissione illius culpæ venialis; quia nec potest in hoc assignari implicatio contradictionis, nec formalis repugnantia inter gratiam illam, & veniale peccatum; vt omnino necessarium sit illa infusa expelli hoc: ergo decretum illud existeret cum solo hoc effectu morali sine vlla nova mutatione physica intrinseca reali.

Non minus efficacia argumenta sumi possunt 165
ex effectibus positiuis; aliquando enim Deus confert beneficium homini petenti ratione petitionis, qui respectus ad petitionem liber est Deo, & tamen ratione illius nulla mutatio realis fit in effectu, quia totus ille cum omnibus intrinsecis conditionibus eius posset à Deo effici sine respectu ad hominis petitionem.

Dices, non existente petitione hominis pos- 166
se Deum absolute idem dare sine tali respectu, tamen si dat existente petitione hominis, necessario tribuit propter illam, & ita non reddit hoc modo sine vlla speciali mutatione.

Sed contra, quia existente petitione potest 167
Deus omnino illam non acceptare, nec beneficium conferre: ergo etiam potest non acceptare orationem, vt propter illam det, & nihilominus dare propter suam bonitatem, & puram liberalitatem. Similia argumenta sumi possunt ex aliis effectibus, quos Deus confert, vel propter meritum præsertim de congruo; vel propter aliquam dispositionem, vel propter promissionem, & pactum ex quadam morali obligatione, vel propter aliquas causas non physicas, sed morales, vt ipsi adversarii arbitrantur esse sacramenta; nam in his omnibus requiritur diuersus respectus & moralis modus operandi ex volitione diuina absque novis mutationibus realibus Physicis.

Præterea multæ sunt volitiones Dei liberæ quæ 168
per seipsas non faciunt mutationem physicá; nam voluntas, quæ datur in Deo circa omnipotentiá, qua applicat ipsam ad hoc, vt operetur, & imperat ipsi ab æterno vt in tali tempore influat in effectú infallibiliter, & nihilominus non datur mutatio aliqua in omnipotentia: quia ipsa est idem, quod Deus, & Deus non est mutabilis, sed immutabilis omnino; nam iuxta veriorem opinionem illa mutatio, quæ fit in effectibus, non correspondet divinæ voluntati immediate, sed potius diuinæ potentiæ; quia diuina voluntas non est, quæ immediate facit mutationes in creaturis, sed potius per volitionem applicatur diuina omnipotentia exequutiua à qua immediate profluunt creaturæ, & mutationes earum: ergo prius secundum rationem quam omnipotentia influat & ab ipsa dimanent mutationes, intelligitur consummata, absoluta, & vt ita dicam terminata, ac finita tota formalissima via volun

voluntatis, & nihilominus nulla datur mutatio ex vi illius, sed ex vi omnipotentiæ imperatæ à voluntate; quia si ex vi volitionis formalissime daretur mutatio, potius daretur illa mutatio in omnipotentia, ad quam immediate, directe, ac formaliter dirigitur volitio imperans omnipotentiæ, & applicans illam; quod est omnino absurdum, quam in creaturis ad quas mediate tantum ordinatur: ergo decretum liberum Dei non constituitur per mutationem extrinsecam physicam.

169 Efficaciter amplius vrgetur; quia Deus ordinauit incarnationem, vel passionem Christi ad redemptionem nostram, qui finis omnino extrinsecus erat Incarnationi, & passioni, quæ tamen in se eadem omnino esset sine ordine ad talem finem.

170 Dices, aliquid peculiare additum esse Incarnationi ex vi illius finis, scilicet modus in carne passibili. Sed hoc nihil refert, quia non solum ille modus sed ipsamet incarnatio ordinata est ad talem finem, imo idemmet modus, & ipsa Christi passio potuit ordinari, aut permitti à Deo sine tali fine propter alias causas, ita vt omnia, quæ in Christi passione contigerunt, eadem omnino fierent, solumque deesset ordinatio ad talem finem.

171 Dices, semper in re ipsa, seu ipsi medio aliquid peculiare addi ex vi talis intentionis, & ordinationis ad talem finem, vt in prædicto exemplo additum est; quod Christus ipse obtulerit passionem suam propter redemptionem nostram; quod non potuit oriri, nisi ex eo quod Deus ordinasset passionem eius in eum finem, & ita semper saluari potest, quod ordinatio diuina vnius rei ad extrinsecum finem causet in re aliquid speciale, quod non posset, nisi ex illo fine oriri.

172 Sed contra; & quidquid sit de illo peculiari exemplo, an scilicet verum sit, non potuisse Christum in voluntate humana habere illum actum referendi passionem suam in nostram salutem, nisi diuina voluntas eandem passionem in eundem finem præordinasset; nam fortasse potuit de potentia absoluta aliter contingere; quidquid (inquam) de hoc sit nihil obstat, quominus ipsa Christi passio extrinsecus sit relata in finem redemptionis per diuinam voluntatem prius quam per humanam illa: ergo relatio est prorsus extrinseca sine vlla mutatione, quæ in ipso medio fiat; imo illa alia relatio quæ per specialem actum voluntatis humanæ Christi facta est, fuit quasi nouum medium ex eodem fine redemptionis à diuina voluntate præordinatum.

173 Addere etiam possumus alia exempla, in quibus ex parte causæ secundæ nihil peculiare fit, quo medium ordinetur ad finem à Deo intentum, sed solum diuina ordinatio, seu intentio intercedat sine qua posset fieri totum id, quod in re fit propter alium finem; v. g. cum Deus permittit peccatum in prædestinato vt sit ei occasio maioris boni, illa permissio, seu carentia auxilij efficacis potest esse in sententia Patris Herize medium ad salutem prædestinati, ad quem finem à nullo alio nisi à Deo ordinatur, & tamen eadem omnino permissio esse posset sine tali fine. Similiter permisit Deus venditionem Ioseph factam Ægyptijs à fratribus eius ex intentione exaltandi Ioseph um, & per eum saluandi multos populos, vt dicitur *Genes.* 50. & ex intentione etiam repræsentandi in ipso venditionem Christi, ad quos fines fuit medium ordinatum tam permissio, quam etiam ipsa venditio quoad actionem physicam, & moralem, & tamen nullus ordinauit illum actum in talem finem, nisi Deus sua volitione, nihilque in re ipsa fuit in tali actu, quod non posset esse sine ordinatione ad talem finem: ergo Deus potest habere aliquem actum circa obiectum sine intrinseca, & physica mutatione illius.

174 Vltimo vrgetur hoc argumentum ratione, tum à priori, tum à posteriori; à priori quia Deus non tantum est perfectum agens in ratione causæ physicæ, sed etiam in ratione causæ moralis; & ideo tam ex parte effectus, quam ex parte modi vtramque causalitatem per suam liberam voluntatem exercere potest: ergo non tantum physicos effectus, qui per reales mutationes fiunt, sed etiam morales, qui non semper illas mutationes requirunt efficere potest.

175 Explicatur; nam voluntas diuina eo quod est summe libera, & summus, ac purissimus actus, summamque habet perfectionem tam in, potestate & libertate volendi, quam in modo, simul potest & velle libere obiecta creata, & tamen illa velle absque vlla sui mutatione, seu reali additione illi facta: ergo ex eadem summa perfectione, potestate, & libertate potest velle hoc medium propter hunc, vel illum finem extrinsecum pro suo arbitrio, & sine vlla mutatione, vel reali additione, quæ in ipso Deo fiat, quia hæc repugnat perfectioni eius, neque etiam est necesse vt aliquid speciale addatur ipsi rei, quæ est medium præter ipsum esse eius, quia hoc non requiritur ex vi solius ordinationis in extrinsecum finem, neque ad illam aliquid semper conducit.

176 Nec potest dici hoc implicare contradictionem, alias eodem modo dicere quis posset Deum non esse agens liberum, quia implicat contradictionem sine imperfectione mutabilitatis habere libertatem, sicut ergo quamvis humana ratio non satis comprehendat, quomodo illa duo simul in Deum conueniant, nihilominus nec negat, nec negare potest, quia vtrumque per se spectat ad perfectionem simpliciter, ita in proposito sentiendum est, cum ad eius perfectionem pertineat quod sic patet, quia ad perfectionem diuinæ voluntatis pertinet non tantum posse libere & efficaciter velle obiecta, seu effectus, sed etiam fines eorum & ordinationem vnius in alium: ergo potest hoc libere facere sine speciali mutatione reali.

177 Antecedens patet, tum quia in Angelo, vel homine v. g. hoc spectat per se ad perfectionem, tum etiam quia in hoc ostenditur maius dominium voluntatis in actionibus, seu effectibus suis: consequentia vero probatur, quia ordinatio alicuius rei in extrinsecum finem per se non ponit mutationem aliquam in tali re, vt in humanis etiam actionibus videre licet.

178 Dices, quamvis homo, vel Angelus hoc faciat per solam extrinsecam denominationem, vel habitudinem, Deum tamen semper id facere per intrinsecam mutationem, & hoc esse maioris perfectionis.

179 Sed contra, quia ad perfectionem quidem pertinet posse facere hoc per intrinsecam mutationem, quando & fini, & effectui consentanea est tamen quod illa mutatio fiat per ipsammet intentionem præcise conceptam, & non per voluntatem exequentem ad perfectionem non referre, sicut non refert ad perfectionem diuinam, quod Deus mutet intrinsece obiectum per cognitionem suam, vt differat à creatura, quæ non mutat intrinsece obiectum, sed constituit extrinsece cognitum.

180 Deinde dicitur, quamvis posse facere illam mutationem,

tationem, quando est oportuna, sit perfectionis, tamen quando necessaria non est non posse sine illa ordinare medium ad finem non pertinere ad perfectionem, sed potius ad limitationem dominij, & potestatis, tum quia sæpe ordinatio in finem, nec requirit, nec admittit talem mutationem vt patet in exemplis positis supra, & in eo quod Scriptura dicit, propter electos breuiabuntur dies illi, quæ enim specialis mutatio fieri potuit in illa temporis præfinitione propter electos, quæ sine hoc fine fieri non posset.

181 Tum etiam quia vel facta illa mutatione, res manet intrinsece, ac necessario ordinata in talem finem, vel adhuc finis est extrinsecus; si primum dicatur, reuera Deus nunquam ordinat proxime rem aliquam in extrinsecum finem; neque ad hoc habet libertatem; quod est summum absurdum; si vero dicatur secundum: ergo necessaria est noua ordinatio libera, quæ non habet specialem mutationem. Tum denique, quia in his, quæ natura sua videntur per se ordinata; vt sunt verbi gratia, supernaturalis gratia, & gloria est necessaria voluntas quasi elicita directe tendens in ipsum finem, quia Deus non dicitur intendere finem solum, quia vult rem quæ natura sua tendit in talem finem; nam hic est imperfectus modus operandi propter finem: ergo necesse est, vt ipsum finem in se directe vellet, vnde posset Deus alicui dare gratiam sine vllo proposito, neque efficaci, neque inefficaci dandi gloriam, imo cum proposito nunquam dandi illam, sed solum conferendi gratiam propter actus virtutis, & propter intrinsecam perfectionem eius: ergo etiam in his, quæ videntur per se ordinata dare vnum propter aliud est specialis voluntas libera Dei, cui noua mutatio non respondet.

182 Rationem autem à posteriori sic formo; quia voluntas creata potest hoc modo operari, & referre media ad finem: ergo multo magis hoc potest voluntas diuina. Antecedens constat; quia eandem actionem dandi aliquid potest voluntas humana velle, & imperare ex intentione huius vel illius finis absque eo quod actio illa alia sit, vel aliter fiat in re, ac physice; sed solum moraliter per denominationem ab actu voluntatis; consequentia autem probatur, quia hoc pertinet ad perfectionem diuinæ voluntatis, vt eminentiori modo possit quidquid creata voluntas potest, quod imperfectionem non includat.

183 Dices, hoc contingere in humana voluntate, quia efficit diuersos actus, quibus exteriorem actionem potest in diuersos fines referre, & ita ab eis potest denominari exterior actus ordinatus in hunc, vel illum finem; quod in voluntate diuina non habet locum.

184 Sed contra, quia in hoc consistit eminentia diuinæ voluntatis, vt sine his imperfectionibus possit quidquid creata voluntas recte operans cum illis potest, præcipue cum non sit perfectior creata voluntas in exercitio suæ libertatis.

## SVBSECTIO X.

*Ex condonatione extrinseca peccati nostra veritas probatur.*

185 PRobatur primo, quia ad remissionem peccati habitualis requiritur volitio diuina, seu decretum liberum remittens tale peccatum habituale; quia iniuria diuina, quale est tale peccatum, non potest condonari sine decreto libero Dei remittente illud, & condonante ipsum; sed ad decretum illud remittens, & condonans non sequitur, & vt melius loquar per potentiam Dei absolutam potest non sequi mutatio physica intrinseca in peccatore, cui diuinitus remitteretur, & condonaretur tale peccatum, licet de facto sequatur mutatio physica; quia coniungitur cum priuatione gratiæ habitualis: ergo tale decretum essentialiter non constituitur per mutationem physicam; nam si essentialiter constitueretur per illam adhuc de potentia Dei absoluta non posset reperiri sine illa; quia res sine constitutiuo essentiali adhuc diuinitus non potest consistere, vt homo sine anima rationali. Minor sic probatur, quia eo modo requiritur mutatio ad destructionem alicuius, quod potest per se destrui & non per accidens, quo est ipsa res, quæ destruitur per talem mutationem: sed peccatum habituale, quod destruitur, est solum adæquate, & totaliter ens morale sine vlla ratione physica: ergo sola mutatio moralis requiritur ad peccati destructionem & minime physica intrinseca. Maior est certissima; quia si res, quæ destruitur, est extrinseca solum, requiritur duntaxat mutatio extrinseca in subiecto, in quo talis ratio destruitur, & ideo vt in aliquo destruantur esse visum, esse intellectum, esse amatum, esse dexterum, non requiritur mutatio intrinseca in subiecto, sed sufficit mutatio extrinseca; vnde homo, qui de viso transit in non visum, & de dextero transit ad non dexterum, non transit intrinsece, sed extrinsece; atqui transitus ille est mutatio: ergo per mutationem extrinsecam mutatur de viso ad non visum, cum autem per talem mutationem, aut transitum destruatur res illa extrinseca, euidenter sequitur rationem extrinsecam destrui per mutationem extrinsecam sine mutatione vlla intrinseca.

Item, quia debitum quod resultat ex iniuria 186
facta alicui, vel ex promissione, aut pacto iustitiæ contractum est debitum morale, & quia seruitus & dominium sunt rationes morales, destruuntur per solam mutationem moralem, vt videre est in toto regno Galliæ, vbi nulla datur seruitus mancipij in persona catholica, quod adeo verum est, vt si aliquis catholicus, qui mancipium sit, ingrediatur Galliæ regnum, statim extinguitur illa ratio seruitutis, & mancipij non per mutationem physicam, in mancipio intrinsecam, sed per mutationem duntaxat moralem: quod patet euidenter, quia talis mutatio fit per legem, quæ in Gallia introducta, & stabilita est: atqui lex est tantum causa moralis, & non physica: ergo mutationem physicam non potest efficere, quia id quod non habet aliquod esse, non potest producere, & causare illud: ergo si lex non habet esse physicum in esse legis, non poterit causare mutationem physicam, sed tantum moralem, ac proinde per solam mutationem moralem destruetur ratio seruitutis, quod etiam patet in iniuria condonata ab vno homine respectu alterius, cuius debitum extinguitur in iniuriante, non per mutationem physicam intrinsecam factam in ipso, sed solum per mutationem moralem.

Tandem si res, quæ destruitur per se sit intrin- 187
seca physica, vt est intellectio in intellectu, aut vnio animæ rationalis in homine, non potest destrui per solam mutationem, aut moralem, aut extrinsecam, sed necessario est mutatio intrinseca, & physica in illo, in quo destruitur ratio intrinseca, & physica.

Ratio autem à priori est, quia mutatio accipit 188
esse,

esse, & denominationem ab eo, quod destruitur per talem mutationem, & ideo mutatio, per quam destruitur homo, vocatur mutatio substantialis, & mutatio, per quam destruitur accidens, vocatur corruptio accidentalis: ergo euidenter sequitur eo modo debere esse mutationem, per quam destruitur aliqua ratio, qualis fuerit ipsa ratio destructa per talem mutationem.

189 Vrgetur, & explicatur amplius ex ipsis aduersariis, ideo enim in sententia Patris Vasquez peccatum originale, potest extingui, si formaliter sumatur, & non vt nunc contrahitur, & quatenus includit priuationem gratiæ habitualis, sed si aliter esset dispositum, quia peccatum originale sic formaliter sumptum est morale quid in anima, & non includit rationem aliquam physicam, & quia nunc includit priuationem physicam gratiæ, non potest vllo modo destrui nisi per mutationem physicam: ergo eo modo, quo fuerit res, quæ destruitur, debet esse mutatio, per quam destrui dicitur.

190 Minor prima & præcipua, in qua est tota difficultas, sic probatur; quia si in peccato habituali daretur aliqua ratio physica, ratione cuius non esset peccatum adæquate, & totaliter morale, aut esset aliqua ratio positiua, aut priuatiua, sed neque positiua, nec priuatiua physica: ergo nihil est in peccato physicum, ac proinde tota ratio erit moralis. Minor quoad primam partem de positiuo est euidens, quia in peccato habituali nihil datur, nisi macula, dignitas ad pœnam per aduersarios, & iniuria contra Deum offensum, quæ possint esse positiua ratio; sed hæ omnes rationes solum sunt morales, & minime physicæ, quod sic patet, quia macula illa, dignitas, &c. quæ in peccato habituali reperiuntur ratione peccati actualis relinquuntur, sed peccatum actuale non produxit, aut reliquit in animo aliquid positiuum, quod remanere possit habitualiter: ergo macula, dignitas, &c. quæ relinquuntur ratione peccati actualis, non sunt ratio positiua physica. Minor hæc sic probatur, quia peccatum actuale, aut est commissionis, aut omissionis; peccatum autem omissionis, vti priuatio nihil potest producere positiuum in animo physicum; quia in priuatione nullo modo continetur entitas positiua; cum autem causa non possit dare quod non continet, aut producere quod non præhabet, inde est quod priuatio non possit producere aliquid positiuum physicum.

191 Peccatum autem commissionis est actus vitalis: atqui actus vitalis peccaminosus non potest producere, nisi habitum vitiosum, qui minime est macula, neque iniuria Dei, ac proinde non est peccatum habituale: ergo peccatum commissionis nihil positiuum physicum potest relinquere, aut producere, quod possit esse peccatum habituale.

192 Vrgetur, & explicatur amplius, quia macula, & iniuria Dei non remanent, nec relinquuntur in anima ratione boni, quod est in actu peccati commissionis, quodque materiale dicitur & est positiua entitas, quia existente eodem positiuo actus peccati, si detur ignorantia inuincibilis aut inaduertentia, non relinquitur iniuria Dei, aut macula peccati, sed ratione formalitatis peccati, quæ est malum formaliter, & quo maculatur ipsa anima, relinquitur habitualis macula, & iniuria Dei: atqui talis formalitas aut est priuatio, vt in nostra sententia, & sic nihil positiuum potest producere, vt iam dixi; aut est ens rationis, vt multi ex aduersariis asserunt; ens autem rationis non potest producere ens reale positiuum physicum; vt de se patet, quia in ente fictitio non continetur vt in causa ens reale verum; aut est denominatio extrinseca quæ vt talis nullum esse intrinsecum physicum positiuum potest producere, vt immediata, & formalis causa, licet esse possit conditio, sine qua non causa producat, vt videre est in approximatione agentis ad passum, quæ quia denominatio extrinseca est, non potest esse ratio producendi, sed solum conditio: ergo peccatum actuale nullo modo potest producere, neque ratione illius potest produci, manere, aut relinqui in anima ratio positiua intrinseca, physica, & realis, quæ macula, iniuria, & dignitas ad pœnam sit. Item neque est priuatio physica; nam interrogo ab aduersariis, cuius priuatio physica sit?

Respondent, esse priuationem gratiæ habitualis.

Sed contra primo, quia si peccatum habituale 193
diceret priuationem gratiæ habitualis, nullo modo posset tolli, adhuc de potentia absoluta, nisi per solam infusionem gratiæ habitualis; quia priuatio vnius formæ nec diuinitus potest tolli, nisi per formam, cuius priuatio est manente subiecto, in quo datur talis priuatio, verbi gratia manente aëre, nec de potentia absoluta Dei possunt tolli tenebræ, quæ sunt priuatio lucis, nisi per solam informationem lucis in aëre, & ratio euidens à priori est, quia priuatio lucis est absentia lucis in aëre; atqui adhuc si per potentiam Dei absolutam non ponatur lux in aëre, etiam si ponatur quæcunque alia forma, abest lux ab aëre, ac proinde datur absentia lucis in aëre; vnde necessario priuatio lucis: sed per aduersarios potest tolli peccatum habituale diuinitus non solum per infusionem habitus, sed etiam per infusionē actus supernaturalis, vt asserit clarissime P. Vasquez 2. *tom. 1. secundæ disput. 207. cap. 1. num. 8. §. Restat*, his verbis: Restat igitur vt asseramus, mutationem peccatoris, quam diximus esse necessariam, vt deleatur peccatum mortale illius, debere esse ad formam supernaturalem, non quamcunque, sed eam, quæ ex se sufficiat constituere hominem iustum, sanctum, & amicum apud Deum; qualis est iustitia inhærens, & infusa; siue illa sit habitus, siue actus, qualem diximus esse contritionem dilectione charitatis formatam; sic ille: ergo peccatum habituale non dicit priuationem gratiæ habitualis. Nec etiam dicit priuationem gratiæ actualis, quia etiam ipse P. Vasquez asserit, posse peccatum habituale diuinitus tolli per solam infusionem gratiæ habitualis sine actu aliquo ex parte peccatoris.

Secundo contra; quia si in peccato daretur se- 194
cundum se priuatio gratiæ, aut habitualis, aut actualis, lumine naturæ cognosci non posset; sed hoc est falsum, cum peccati grauitas lumine naturæ cognoscatur, cognitaque fuerit à Philosophis Ethnicis, vt patet ex Aristotele, qui libris Ethicor. latissime egit de peccatorum grauitate; quod etiam liquet ex Seneca innumerabilibus in locis suæ Philosophiæ, & epistolarum *ad Lucil.* ex Epicteto Philosopho, Plutarcho, Platone, & aliis, & quod caput est, patet manifeste ex toto iure ciuili, quo Romanorum Ethnicorum tempore conditum est; in quo innumerabiles pœnæ ponuntur contra peccata, & scelera, vbi grauitas pœnæ secundum gradus assignatur grauitati culpæ.

Tandem efficacius patet ex Decalogo, qui lex 195
naturalis vocatur, ratione cuius peccatum, quia est contra ipsum seu contra legem naturalem vocatur ab omnibus Doctoribus etiam aduersariis,

(vt

(vt ex à me dictis late materia de peccatis patet, *disputat. 1. de oppositione peccatorum cum ratione, quæst. 4.* in quo consistat oppositio peccati cum conscientia, & cum lumine naturæ,) quapropter D. Paulus vocat Ethnicos inexcusabiles, quia sese peccatorum cœno ingurgitauerint, renunciauerintque rationi naturali; verba Pauli continentur loco illo sæpe citato à nobis, [ inuisibilia enim Dei per ea, quæ facta sunt, &c. *epist. ad Rom. c. 1.* ergo signum euidens est peccatum non includere tanquam prædicatum essentiale formale gratiæ sanctificantis supernaturalis priuationem. Maior sic probatur; quia nulla priuatio potest cognosci impossibili existente cognitione formæ, cui opponitur, vt de se patet; quomodo enim potest cognosci cæcitas, si sit impossibilis cognitio visus, & ratio est, quia totum esse priuationis est in ordine ad formam oppositam, qua priuat; sed impossibile est quod lumine naturali cognoscatur gratia sanctificans, & actualis gratia supernaturalis ab aliqua creatura: ergo impossibile est lumine naturali cognoscere priuationem gratiæ sanctificantis ac proinde peccatum, quod per vos constituitur per priuationem gratiæ sanctificantis. Minor hæc sic probatur; quia obiectum supernaturale essentialiter, & intrinsece est supra omnia principia naturalia: ideo enim lumine naturali non potest cognosci mysterium Trinitatis, quia est supernaturale, ac proinde supra omnia principia naturalia, & ideo etiam, vt fide sanctum est contra Pelagium viribus naturæ non potest creatura operari actum contritionis supernaturalem, neque comparare gratiam habitualem, quia est supernaturalis, ac proinde supra omnia principia naturalia; sed cognitio naturalis est secundum principia naturalia, & profecta ab illis: ergo quod est supernaturale intrinsecè & essentialiter est supra omnem cognitionem naturalem, ratione cuius impossibile erit cognosci, & attingi lumine naturali.

196 Dices, peccatum esse priuationem physicam gratiæ, & priuationem rectitudinis moralis, cognoscique vt huic opponitur, licet non cognoscatur, vt opponitur gratiæ.

197 Sed contra primo: ergo non cognoscitur peccatum essentialiter; patet hæc consequentia, quia non cognitio prædicato essentiali alicuius, etiam si alia cognoscantur, non cognoscitur illud, quod per tale prædicatum essentiale essentialiter constituitur, verbi gratia, si aliquis homo à longe videatur, etiam si in ipso cognoscatur ratio entis, & substantiæ corporeæ, non tamen cognoscitur homo, quia non cognoscitur ratio animalis rationalis, quod est prædicatum essentiale hominis; essentia enim, vt ait Aristoteles, est sicut numerus, quæ per ablationem, vel additionem alicuius prædicati essentialis mutatur, vt numerus ita vt iam non sit illa essentia, sed alia; atqui per vos non cognoscitur in peccato priuatio gratiæ sanctificantis, quæ est prædicatum essentiale peccati: ergo non cognoscitur peccatum.

198 Secundo contra, quia vna priuatio physica non potest physice opponi formaliter duplici formæ non subordinatæ; sed vnum peccatum mortale, verbi gratia, homicidium, aut furtum est vna priuatio specie infima: ergo nequit opponi gratiæ, & iustitiæ, quæ sunt duæ formæ specie non subordinatæ. Minor hæc sic probatur; quia vnum specie infimum & individuum peccatum vnam individuam specie infimam formalitatem debet habere, præcipue si talis formalitas est completa in sua ratione, sed priuatio rectitudinis est vna formalitas completa, ideoque illa sola complet peccatum mortale actuale: ergo peccatum solam habet pro ratione formali priuationem rectitudinis, aut dissonantiam contra rationem vt Pater Vasquez asserit, & non simul priuationem gratiæ habitualis, alias idem subiectum duplici completa ratione formali essentialiter constitueretur in esse talis, quod est absurdum.

Explicatur amplius quia tota essentia, & formalitas peccati habitualis formalissime sumpta debet per vos mensurari ex formalitate peccati actualis, quia ratio formalissima peccati habitualis est ipsum peccatum actuale formalissimum moraliter permanens, aut est id quod relinquitur moraliter ex vi formalissimæ rationis peccati actualis; sed in peccato actuali formaliter sumpto non datur duplex formalitas, dissonantia videlicet contra rationem, vel priuatio rectitudinis, & simul priuatio gratiæ habitualis: ergo similiter in peccato habituali formaliter sumpto non datur duplex formalitas adæquata, dissonantia contra rationem videlicet vel priuatio rectitudinis, & simul priuatio gratiæ habitualis, vel actualis gratiæ supernaturalis. 199

Dices, subordinari in genere quatenus conueniunt in ratione boni, gratiam videlicet sanctificantem, & rectitudinem seu rationem naturalem, cui opponitur dissonantia, ac proinde etiam subordinari duplicem priuationem rectitudinis, & gratiæ habitualis, &c.

Contra; quia hac etiam ratione subordinantur iustitia & fortitudo, & tamen non ideo homicidium priuatiue physice opponitur fortitudini, & iustitiæ: ergo similiter peccatum habituale non opponetur priuatiue physice rectitudini, & gratiæ habituali ex eo solum quod conueniant sub ratione boni vt sic. 200

Deinde, quia conuenientia duorum in ratione communi non est propria sub ordinatio, alias leo, & equus quia conueniunt in ratione animalis subordinarentur essentialiter, quod est falsissimum: ergo similiter ex eo quod priuatio gratiæ, & priuatio rectitudinis conueniant in ratione priuationis vt sic, non subordinabuntur; sed demus subordinari essentialiter, nihilominus non subordinantur tanquam rationes incompletæ, & partiales constituentes vnam rationem completam gratia, & rectitudo, & per consequens neque vtriusque priuatio subordinantur, vt rationes incompletæ, sed potius subordinabuntur vt completæ: ergo ratione talis subordinationis non sufficiunt ad constituendam, neque possunt constituere vnam entitatem, neque vnum peccatum, v. g. homicidium; hæc consequentia sic patet euidenter; quia scientia subalternata, & subalternans subordinantur essentialiter, & nihilominus quia talis subordinatio est rerum completarum ex talibus scientiis subalternante, & subalternata non potest constitui vna specie infima scientia: ergo similiter etiamsi gratia, & rectitudo subordinentur essentialiter, ratione cuius etiam vtriusque priuatio habeat subordinationem talis subordinatio non sufficiet ad constituendam vnam infimam specie formalitatem; quia talis subordinatio est rationum completarum. 201

Vltimo contra, quia peccatum mortale v. g. homicidij est nunc eiusdem rationis quoad formalissimam rationem suam, ac esset in pura natura, si homines in illa conditi essent; sed peccatum in pura natura non diceret priuationem gratiæ sanctificantis: ergo neque nunc dicit priuationem illius quoad formalissimam, & essentialem ration- 202

nem

nem peccati. Maior est certa; quia peccatum mortale non variatur quoad essentiam, & prædicata essentialia, sicut neque reliquæ rationes per solam mutationem extrinseci status, & per solam extrinsecam denominationem ordinationis hominis ad finem supernaturalem beatitudinis; quia denominatio illa extrinseca minimè conducit ad rationem essentialem intrinsecam & formalem peccati mortalis ac proinde ablatio denominationis illius non tollit rationem formalem peccati, sed potius per accidens se habet ad illam; sicut verbi gratia, esse dexterum in pariete, aut esse visum per accidens se habent ad destruendam, & mutandam rationem formalem albedinis existentis intrinsece in pariete: ex eo quod esse dexterum vel esse visum sunt denominationes extrinsecæ in pariete, vbi est intrinseca ratio albedinis, sed homo peccator, qui nunc est, solum addit supra hominem peccatorem existentem in pura natura ordinationem illam extrinsecam Dei per actum ordinantem illum ad beatitudinem, propter quam ordinationem dicitur elevatus homo ad ordinem gratiæ, & finis supernaturalis per auxilia diuina prouidentia præparata, ratione cuius habet debitum habendi gratiam habitualem; quia adiutus est iuvamine supernaturali auxiliorum Dei: ergo peccatum mortale est eiusdem rationis nunc in homine peccatore quoad intrinsecam rationem, & formalitatem eius, præcipue, quia homicidium, furtum, & alia id genus peccata adæquate prohibentur lege naturali; vnde lex Decalogi formaliter est lex naturalis, & sic naturaliter prohibet omnia illa peccata, & ratio est quia illa adæquate quoad essentiam, & prædicata essentialia formalissime, & immediate opponuntur naturali conscientiæ, lumini rationis, & rectitudini naturali: ergo euidenter sequitur formalissime adæquate, & essentialiter nihil includere supernaturale, neque respicere immediate aliquid supernaturale, sed potius adæquate, & totaliter consistere in sola dissonantia, aut priuatione rectitudinis naturalis: ergo eiusdem speciei intrinsece, & formalissime esset peccatum in pura natura, ac est nunc in statu elevationis; & ratio est manifesta, tum quia si includeret aliquid supernaturale non prohiberetur adæquate & totaliter lege naturali; quia naturale nec prohibitiue, nec directiue, aut præceptiue attingit aliquid supernaturale, quia supernaturale est supra omnia principia intrinseca naturalia; tum etiam, quia ad peccatum prohibitiue contentum in Decalogo, faciendum secundum omnem grauitatem illius essentialem sola lux naturalis, & vires naturales sufficiunt.

Vnde Ethnici cui nulla illuminatione supernaturali illuminati fuerunt ducti tamen lumine naturali ipsaque cognoscentes furtum, & alia id genus peccata, ipsaque facientes, operique, aut exequutioni mandantes, & vsque ad mortem perseuerantes in peccatis, essentiali pœna damni æqualiter puniuntur cum catholicis notitiam habentibus de rebus supernaturalibus; sed pœna damni, quæ consistit in carentia visionis, & amoris supernaturalis correspondet essentiæ peccati adæquate: ergo essentialiter, & adæquate, seu totaliter peccatum commissum est ab illis Ethnicis & in hoc æqualiter se habuerunt cum catholicis; quia alias essentialis pœna non correspondaret æqualiter catholicis, & Ethnicis, quia inæquali culpæ non potest correspondere æqualis pœna; quia iam iudex iniuste procederet; vnde Ethnicos vltra condignum puniret; sed non iniuste procedit Deus puniendo æquali essentiali pœna, sed iustissime: ergo euidenter sequitur æqualem quoad essentiam culpam commisisse Ethnicum, & catholicum; & nihilominus Ethnicus nullam notitiam habebat priuationis gratiæ: ergo manifeste sequitur, priuationem gratiæ non ingredi essentiam peccati; quia si ingrederetur non imputaretur tota grauitas essentialis Ethnico; quia id solum imputatur ad pœnam, quod voluntarie committitur, & id voluntarie committitur, quod cognoscitur, quia voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione: atqui Ethnici non cognoscebant priuationem gratiæ supernaturalis, eo quod gratiam ipsam non cognoscebant, neque in notitiam gratiæ supernaturalis venerant: ergo peccatum commissum quoad priuationem gratiæ erat illis inuoluntarium, & non liberum, ac proinde quoad illam rationem non deberet imputari illis ad pœnam, vnde si priuatio gratiæ est pars essentialis, seu inadæquatum essentiale constitutiuum peccati, inadæquate tantum debet peccatum illis imputari ad pœnam, ac per consequens non deberet pœna adæquata essentialis peccati, quæ infligitur catholicis, illis infligi; sed secundum iustissimum iudicium Dei adæquata essentialis pœna infligitur vtrisque: ergo euidenter sequitur in culpa fuisse essentialiter æquales, ita vt vtriusque æqualiter fuerit adæquata essentia peccati voluntarie commissa, ac proinde æqualiter essentialiter cognita quoad essentiam; sed non fuit æqualis culpa tam in cognitione, quam in voluntaria commissione secundum priuationem gratiæ supernaturalis: ergo patet, & manifeste sequitur, priuationem gratiæ non ingredi constitutionem essentialem peccati, sed potius sine priuatione tali adæquate consistere essentialiter peccati malitiam.

Quod autem æqualis pœna essentialis tam 203
catholico, quam Ethnico, imo quam paruulo peccato solum originali infecto infligatur, manifeste patet, quia pœna damni essentialis, & correspondens essentiæ peccati nihil aliud est, (vt inquit Diuus Thomas *quæstione octogesimaseptima, articulo quarto, in prima secundæ*, & quod caput est, ita à tota Ecclesia, tanquam dogma fidei admittitur) quam totalis & adæquata carentia beatitudinis supernaturalis; itaque omnes damnati totaliter, & adæquate carent in facto esse beatitudine supernaturali, & ipsa adæquate, ac totaliter priuantur; sed in priuatione adæquata, & totali in facto esse non datur magis, & minus; vnde vnus mortuus non est magis mortuus, quam alius, quia mors est priuatio totalis adæquata in facto esse vitæ; nam priuatio totalis, & adæquata excludit quidquid est formæ oppositæ: sed in tali exclusione non potest dari magis & minus; quia illa exclusio est omnis exclusio; in omni enim, quod includit, quidquid est illius generis, non datur magis, nec minus: ergo in priuatione totali, & adæquata quæ est omnis exclusio formæ non datur magis, & minus: sed pœna damni in quocunque damnato est omnis exclusio totalis, & adæquate beatitudinis: ergo in pœna damni respectu omnium non datur magis, ac minus, ac proinde omnes damnati tam Ethnici quam catholici sunt æquales in pœna essentiali correspondenti essentiæ culpæ; & sic omnes erunt æqua-

les in essentia culpæ, licet non sint æquales in aliis accidentibus culpæ, quibus correspondet pœna sensus; ratione cuius magis pœnæ sensus infligitur Catholico, quam Ethnico ratione voluntariæ amissionis gratiæ, quæ non constituit essentialiter culpam, sed accidentaliter.

Minor liquet, quia homo in pura natura non esset eleuatus ad ordinem supernaturalem gratiæ, vt ex ipso nomine puræ naturæ constat, ac proinde non haberet debitum, seu obligationem habendi gratiam habitualem; vnde carentia illa gratiæ, quam haberet, non esset per modum priuationis, neque carentia debitæ formæ: sicut carentia, quæ datur nunc in homine viatore videndi Deum, non est per modum priuationis, sed negationis proximè, ac formaliter, vnde nullo modo esset ei peccaminosa, nec deberet imputari ei ad culpam; vnde peccatum habituale mortale minime includeret essentialiter in pura natura priuationem gratiæ formaliter, in quo nulla dubitatio potest reperiri, ac proinde neque nunc debet includere formaliter, & essentialiter illam, quia nunc peccatum commissum; & tunc perpetratum quoad prædicata intrinseca, & essentialia essent eiusdem speciei: ergo nihil physicum includit peccatum essentialiter, vnde non erit physica mutatio in peccatore necessaria ad destructionem peccati habitualis.

204 Quod amplius vrgetur in eo casu, in quo homo haberet gratiam habitualem cum peccat supponendo id, quod materia de peccatis *disp. 1. q. 6.* late probauimus, posse videlicet Deum conseruare gratiam non obstante peccato mortali, qui casus maxime extrinsecus est ad præsentem quæstionem, ac proinde ad intelligentiam formalissimam huius quæstionis sine inconuenienti potest supponi: ex hoc enim supposito certissime conuincitur maculam relictam ex peccato actuali non includere physicam priuationem gratiæ, quomodo ergo forma & priuatio eiusdem possent esse simul, adhuc diuinitus in eodem subiecto; vnde non est necessaria infusio gratiæ habitualis diuinitus ad expulsionem peccati; nam in dicto casu, in quo nollet Deus priuare habitu gratiæ hominem actu peccantem per eandem gratiam ibi conseruatam sine noua intrinseca mutatione posset peccatum remittere, vel immediate post cessationem ab actuali peccato, vel post aliquod tempus ab ipso Deo præscriptum; nam si Deus pro tempore, quo peccatum committitur, desiuisset conseruare habitum gratiæ postea infundendo eundem habitum sine vllo actu peccatoris, vel immediate post actum peccatum, vel denique post aliquod tempus Dei arbitrio præscribendum, posset ipse illud peccatum expellere: ergo idem potest facere per eundem habitum conseruatum; quia non est minus dignus, & potens habitus hic conseruatus, quam de nouo infusus ad remissionem peccati.

205 Dices verum esse quod mutatio physica non sit necessaria ex eo quod peccatum includat priuationem gratiæ, sed solum ex eo capite vt tale peccatum constituatur in statu, in quo remissibile sit; nam peccatum quandiu est voluntarium est irremissibile, & ideo fieri non potest, vt actuale peccatum quandiu durat, remittatur; postquam autem peccatum commissum transiit, semper manet voluntarium, quandiu homo, qui illud commisit, voluntatem circa illud non mutat per retractationem; non potest autem voluntatem suam retractare nisi per mutationem physicam actus voluntatis à se procedentis, & ideo peccatum in eo statu permanens semper est irremissibile: ecce solutio tutissima aduersariorum & vt ipsi aiunt suæ fœlicitatis palladium.

Sed contra, & subito ruit suo ipso pondere huius solutionis perfugium; quia ex hac responsione sequitur euidenter non posse remitti peccatum adhuc diuinitus sine actu peccatoris, etiã per infusionem habitualis gratiæ sanctificantis; quod est aperte contra ipsos aduersarios; nam Pater Vazquez asserit *1.2. q. 113. dis. 207. cap. 3.* imo data opera probat his verbis; [sola infusione gratiæ habitualis sine alia dispositione, & actu remitti posse à Deo peccatum mortale, quod probabilior opinio fert,] & paulo post immediate sic ait: [si recte expendantur ea, quæ *disputatione 202. 203. 204.* à nobis dicta sunt, necessario videtur dicendum, posse Deum sola infusione gratiæ habitualis, si vellet eam infundere peccatori, absque vlla dispositione actus, videlicet remittere totam peccati maculam;] quod latissime probat *toto illo capite 3. capite vero 2. antecedenti*, hæc profert: [Cum duplex sit à nobis assignata forma, per quam homo possit fieri vere iustus, & sanctus coram Deo, nempe habitus gratiæ, & charitatis, & actus dilectionis, consequenter videtur dicendum, posse omnem maculam peccati actionis deleri, aut solo habitu gratiæ infusæ, aut sola dilectione Dei;] sic ille. 206

Quod autem non possit remitti peccatum, *supposita* illa solutione per solam infusionem gratiæ habitualis sine actu peccatoris, sic patet, quia per vos ad delendum peccatum est necessarium per voluntarium oppositum actus retractare voluntarium peccati; atqui voluntarium vt patet ex eius definitione ab aduersariis tradita, & in omni schola recepta, est à principio intrinseco cum cognitione; id est debet procedere ab ipso respectu cuius voluntarium est, infusio autem gratiæ habitualis non est à peccatore tanquam à principio intrinseco producente, & minus est actus ipsius peccatoris; sed tantum est habitus in illo receptus, & à solo Deo actiue infusus: ergo infusio gratiæ habitualis non est voluntaria, & multo minus voluntaria per modum actus, præsertim, quia gratia potest infundi in homine dormiente: ergo illa non est retractatio voluntaria peccati, ac per consequens non sufficit, vt peccatum constituatur in esse remissibilis, donec adueniat actus, qui est proprie, & perfecte voluntarius retractans ipsum peccatum commissum.

Dices, infusionem gratiæ non esse voluntariam formaliter, esse tamen voluntariam eminenter.

Sed contra est, quia ea quæ opponuntur in ratione formali requisita ad aliquod esse, non possunt ita se habere, vt vnum contineat eminenter alterum: sed infusio gratiæ opponitur ex diametro & directe rationi formali voluntarij: ergo infusio gratiæ non continet eminenter rationem voluntarij, vt voluntarij. Maior est euidens in omni genere oppositorum, vna enim relatio creata v.g. Paternitatis, quia relatiue opponitur filiationi non potest continere eminenter filiationem, & quia lux opponitur priuatiue tenebris, & calor est contrarie oppositus frigiditati, neque lux continet eminenter tenebras, neque calor frigiditatem, sicut propter eandem rationem curuitas non potest continere eminenter rectitudinem, & ratio à priori est, quia vnum oppositum est destruc- 207

tiuum

ctiuum alterius, & expellit ab eodē subiecto illud; arqui id, quod continet eminenter aliud non solum non destruit id, quod eminenter continet, sed potius producit illud, tribuendo illi proprium esse: ergo idem non potest opponi alteri directe, & continere ipsum eminenter directe; consequentia est manifesta, quia idem non potest dare esse & & destruere esse; sed si contineret eminenter, & directe opponeretur illi, posset dare esse & destruere esse simul: ergo idem non potest alteri opponi directe, & continere eminenter ipsum, cui directe opponitur.

208 Minor præcipua sic probatur; quia procedere ab extrinseco necessario, & procedere ab intrinseco necessario dicunt oppositionem inter se; vnde actus vitalis, & non vitalis opponuntur; quia actus vitalis procedit ab intrinseco necessario, & actus non vitalis ab extrinseco necessario, & ratio est, quia intrinsecum, & extrinsecum ita se habent, vt extrinsecum dicat negationem intrinseci; vnde albedo non potest simul intrinsece, & extrinsece constituere idem subiectum album, ac per consequens non potest esse forma intrinseca; & exttinseca eiusdem, vt videre est in visione, quæ cum possit esse forma intrinseca, & extrinseca, non potest esse talis respectu eiusdem simul; & sic potentiam visuam intrinsecè constituit videntem; extrinsece autem obiectum visum; atqui voluntarium petit necessario, & ex natura sua procedere ab intrinseco & infusio gratiæ habitualis, quia supernaturalis habitus primus in ordine supernaturali, tanquam supernaturalis essentia; ac prima radix omnium operationum, & proprietatum supernaturalium petit non procedere ab intrinseco à subiecto, in quo est, sed solum extrinsece à Deo; tanquam à causa principali supernaturali infundente illam: ergo voluntarium, & gratiæ infusio dicunt oppositionem inter se.

Dices, quod licet tunc voluntas non retractet peccatum transactum, neque se mutet circa obiecta præterita, nihilominus Deus per habitus ipsos eam vnit obiectis à quibus antea auersa erat & auertit ab his, ad quæ erat conuersa, & ita vicem actus supplet, licet nec formaliter, neque eminenter contineat rationem voluntarietatis quæ est in actu.

209 Sed contra; quia si peccatum prius commissum semper manet voluntarium, etiam si actu præcesserit per solam infusionem habituum, non poterit fieri inuoluntarium aut magis non voluntarium, quam antea erat, cum infusio habitus neque formaliter, neque eminenter sit voluntaria: ergo si propter rationem voluntarij erat irremissibile, etiam per infusionem habituum remitti non poterit sine actu: consequentia clara est, & probatur antecedens; quia ipsa infusio habitus non est voluntaria, quia fit sine actu, & sine consensu recipientis, vt supponitur: ergo per illam præcise expectata non potest mutari voluntas, à priori voluntario, in quo perseuerabat; quia voluntarium non tollitur per mutationem nisi illa voluntaria sit eo vel maxime; quod illa mutatio per habitus contraria dici non potest priori voluntati, quia illa tantum voluntaria dicitur esse quasi actualis ex vi præteriti actus. Item illa mutatio per habitus tantum est physica, altera conuersio, vel auersio manens ex priori peccato, est moralis; vnde non opponuntur, cum sint diuersorum ordinum absolute, ac simpliciter. Præterea quia illa mutatio per habitus fieri posset etiam in homine actualiter peccante, nulla facta mutatione in ipso voluntario præsentis actus: ergo maiori ratione nulla fiet mutatio in voluntario relicto ex præcedenti actu, ex vi solius infusionis habitus, & mutationis physicæ, quæ per illam fit.

Denique remissio peccati, si fieri posset per so- 210
lam infusionem gratiæ habitualis in essentia animæ, etiam si virtutes non infunderentur potentiis, tunc autem voluntatis conuersio vel auersio à prioribus obiectis non mutaretur etiam physice, quia voluntas non coniungitur obiectis physice, ac permanenter nisi per habitus sibi inhærentes; sola autem gratia infusa in animæ essentia præcise spectata, non est retractatio prioris peccati, cum non sit actio libera, nec voluntaria: ergo vel ad remissionem peccati non est necessaria illa mutatio in ratione voluntarij, vel si est necessaria per aliquem actum proprium eius facienda est, & ita falsa est doctrina ipsorum aduersariorum de possibili remissione per solam infusionem habitus, atque ita nonnulli defensores contrariæ opinionis, vt consequenter loquantur, ab illa doctrina recedunt dicentes non solum non posse peccatum remitti, etiam per habitualem gratiam infusam sine aliquo actu peccatoris, quo formaliter, vel virtualiter peccatum prius commissum detestetur vtique vel per aliquam displicentiam prioris peccati, vel per amorem Dei, vel per voluntatem redeundi in Dei amicitiam, vel acceptandi gratiam eius, si offeratur, vel saltem remissionem eius, vt tollatur voluntarium actuale, quod remanet physice in peccatore.

Sed contra hanc etiam solutionem sic argu- 211
mentor; nam totum fundamentum huius necessitatis est actuale voluntarium, quod manet relictum à præterito actu voluntatis; sed hoc fundamentum est falsum: ergo id, quod in eo fundatur. Minor sic patet; quia vel illud voluntarium, quod actu est relictum ab actu voluntatis præterito, est actu intrinsecum, & intrinseca denominatio physica, vel extrinsecum; & extrinseca denominatio actualis, sed neque potest esse physice actu intrinsecum: ergo non manet voluntarium actu physice. Minor sic patet; quia quando actu non est ratio formalis physica intrinsece, vel extrinsece, non potest dari actu effectus formalis physicus formalis intrinsecus, vel extrinsecus, aut denominatio intrinseca, aut extrinseca actu; sed actu non existit actus voluntatis (qui est ratio formalis illius voluntarietatis, quæ ponitur ab aduersariis) aut extrinsece, aut intrinsece: ergo actu non datur voluntarium extrinsecum physicum, aut intrinsecum, ac proinde actu non dabitur denominatio voluntarij aut extrinseca, aut intrinseca, transacto peccato.

Maior est euidens, tum inductione tum à prio- 212
ri, inductione, quia album, verbi gratia, quod intrinsecum concretum est, seu intrinseca denominatio non potest esse actu, si albedo non sit intrinsece actu in subiecto; item materia prima non potest dici animata actu intrinsece, si anima actu intrinsece non sit in illa, quod etiam patet in concretis extrinsecis; vnde paries non potest dici visus, intellectus, & amatus actu, aut actu dexter, quæ sunt denominationes extrinsecæ, si actu non detur visio extrinsece existens extra parietem, respiciens tamen actu ipsum & sic de cæteris; vnde ex eo solum quod crastina die futura sit visio, vel heri extiterit, si actu non existit, non potest actu denominare parietem, sicut neque dexteritas, quæ heri fuit, & hodie non est, non potest actu denominare dexterum parietem.

Et ratio euidens à priori est, quia effectus formalis constituitur essentialiter à forma, cuius effectus formalis est, quare forma non solum est essentia, sed etiam de essentia effectus formalis; sed res non potest esse actu sine sua essentia actuali; quia definitio essentiæ hæc est, primum, & intimum constitutiuum rei, sine quo nec esse, nec intelligi potest ipsa: ergo effectus formalis non potest esse actu sine actuali forma; ita vt si sit effectus formalis extrinsecus actualis nullo modo sit, neque possit esse sine sua forma extrinseca actuali; & si sit effectus formalis intrinsecus actu non possit esse sine actuali forma intrinseca; vnde corrupta actu forma necesse est vt actu corrumpatur, & non sit id quod constituitur essentialiter per illam, scilicet effectus formalis illius. Minor illa præcipua sic probatur.

213 Quia actus voluntatis actu non est, sed potius corruptus est, & præterijt omnino: ergo actu non est, neque intrinsece, neque extrinsece in voluntate voluntarium physicum, quod est effectus formalis talis actus.

214 De intrinseca existentia patet manifeste ex corruptione, quam ipsi aduersarij supponunt siquidem dicunt manere hoc concretum seu hic effectus formalis, voluntarium nimirum actu relictum ex actu peccaminoso voluntatis omnino destructo, corrupto, & præterito: ergo actu intrinsecè non existit.

215 De extrinseca existentia actuali euidentius patet, quia omnis denominatio physica extrinseca, in aliquo debet esse intrinsecè physice actu, vt patet in visione, quæ si extrinseca est respectu obiecti; intrinseca est respectu potentiæ, quod patebit discurrenti per omnia, quod non contingit in actu voluntatis, qui nullibi intrinsece est, postquam destructus, & corruptus est. Deinde quia cum actus voluntatis sit intrinsece, & ex se essentialiter actus vitalis, & immanens, si actu est intrinsecè, debet esse in principio, & potentia, à qua fluit, & ex illa denominare extrinsece obiectum; atqui actus præteritus non est intrinsece in voluntate: ergo non est extrinsecus respectu alicuius; vnde prior illa denominatio peccati, & macula non manet vere, & proprie physicè voluntaria de præsenti, quandiu per contrarium actum non retractatur, sed solum est verum dicere fuisse voluntariam, non autem esse actu, ac proinde non satis est, vt dicatur de præsenti velle homo, quod antea voluit, nec actualiter, nec virtualiter, quia non est principium virtuale voluntarium sine aliquo actuali physico formaliter, in quo virtualiter includatur, virtuale enim in formali continetur; non enim potest calor virtualiter contineri, nisi in pipere formaliter, & actualiter tali, & conclusio non continetur virtualiter, nisi in præmissis actualibus formaliter, neque actus scientificus continetur virtualiter actu, nisi in habitu formaliter actu, & formaliter existente; sic similiter non potest dari actu virtualiter voluntarium physicum, nisi detur actu physicum formale aliquod actu, in quo virtualiter actu contineatur, vt est aliqua consideratio, v. g. vel voluntas actualis, quæ virtualiter aliam contineat: igitur eo ipso quod omnino cessat quis ab actuali peccato, incipit ipsi peccatum esse non voluntarium.

216 Quod si quis contendat manere voluntarium habitualiter; dico permanentiam habitualem, seclusa omni reali qualitate, seu dispositione, nihil esse, nisi denominationem præteriti voluntarij, & non actualis, quod minime contra nos est.

Vltimo respondent aduersarij, non existere illud voluntarium Physice, sed moraliter, vt est iniuria, & macula. 217

Contra, & reddit totum argumentum meum supra factum, scilicet quod quando aliquod ens morale est, ad hoc, vt destruatur, non est necessaria mutatio physica intrinseca, sed sufficit mutatio moralis in subiecto in quo destruitur: ergo ad destruendum illud voluntarium quod moraliter tantum manet non est necessaria mutatio physica intrinseca, sed solum moralis.

Quod amplius explicatur, quia moralis permanentia tantum esse potest secundum quandam imputationem, quæ tantum durat moraliter, vel ratione iniuriæ cui est coniuncta, tanquam accessorium principale, vel propter reatum pœnæ, cui homo manet obnoxius; tamen quia & Deus potest iniuriam suam condonare, & multo facilius pœnam remittere, & consequenter non solum non inferre pœnam, sed etiam tollere obligationem illius, tanquam supremus dispensator, & iudex, ideo potest voluntate sua omnino tollere habituale peccatum quacunque ratione expectatum, non exigendo ab homine, actū quo peccatum commissum fiat involuntarium, sed spectando solum, vt iam non sit voluntarium quod per solam cessationem ab actuali peccato sine aliquo actu posito contrario esse potest. 218

## SVBSECTIO II.

*Argumentum principale ponitur quo amplius confirmantur dicta.*

QVia Deus poterat per potentiam absolutam non eleuare hominem ad ordinem gratiæ per dona supernaturalia diuina prouidentia præparata, sed solum hominem creare in pura natura; atqui in pura natura posset remittere peccatum in tali statu commissum sine mutatione intrinseca physica peccatoris: ergo absolute potest Deus tollere, & destruere peccatum per potentiam suam absolutam sine tali mutatione physica; Maior est certissima, neque à Doctoribus potest in dubium reuocari in casu, de quo loquimur, per absolutam nimirum potentiam Dei; clarius enim est hoc non repugnare, cum Deus absolute loquendo libere conferat huiusmodi dona supernaturalia: vnde sicut libere dedit, potuit non dare, & sicut eleuauit, & ordinauit, potuit non eleuare, & ordinare ad finem supernaturalem omnino indebitum creaturis sic ordinatis, & eleuatis; quia ad tantam liberalitatem nulla necessitate cogitur, qui vt infinitus Deus supra omnem necessitatem, & coactionem existit. 219

Minor illa, in qua est difficultas, sic probatur, quia si esset in illo statu necessaria mutatio intrinseca physica, aut deberet esse per alicuius entitatis supernaturalis infusionem, aut per acquisitionem entitatis naturalis; sed neutra esset necessaria: ergo nulla. Minor quoad supernaturalem entitatem sic probatur; quia Deus est infinite misericors, & potens intra ordinem naturæ sine eo quod consideretur intra ordinem gratiæ: ergo est sufficiens ad vincendum, & destruendum peccatum intra ordinem naturæ; sed si non posset destruere peccatum, nisi infundendo gratiam, & supernaturalem entitatem, non esset sufficiens in ordine naturæ ad delendum peccatum, ac proinde non esset in ordine naturæ infinite misericors, & infinite 220

infinite potens: ergo sine infusione gratiæ, & entitatis supernaturalis potest destruere peccatum. Hæc minor sic probatur; quia malitia peccati simpliciter, & absolute est finita; licet quatenus Dei offensa, & iniuria sit vel infinita secundum quid, vel superioris ordinis ac est iniuria facta creaturæ, sed per vos inter ordinem naturæ sine infusione gratiæ non potest destruere ratione suæ misericordiæ, & potestatis iniuriam illam Deus: ergo misericordia, & potestas diuina intra ordinem naturæ non sunt infinitæ simpliciter, quia quod sua potestate non potest vincere finitum vt sic, non est infinitum simpliciter; quare si vt Deus sua misericordia, & potestate destruat peccatum, est necesse vt confugiat ad infusionem gratiæ & ordinem supernaturalem, signum evidens est, vt author est naturæ, non habere infinitam potentiam, & misericordiam, quibus peccati maliciam simpliciter finitam destruat, imo deberet dici consequenter maiorem esse peccati maliciam quam misericordiam, & potentiam Dei, secundum quod est auctor naturæ, siquidem tota misericordia; & potentia Dei non potest delere peccatum, & destruere eius maliciam: sed hæc non possunt dici vllo modo: ergo dicendum est posse Deum vt auctor naturæ est delere peccatum, ac proinde posse destruere illud sine infusione gratiæ, & entitatis supernaturalis, quæ solum oriuntur à Deo, vt authore supernaturali.

221 Vrgetur; quia si stando intra limites status puræ naturæ non posset deleri peccatum, sed esset necessarium donum supernaturale, non posset tunc homo lumine naturæ ductus sperare, & petere à Deo remissionem suorum peccatorum, sed omnino illi desperandum esset; tunc enim de Deo ea tantum cognosceret homo; quæ lumine naturæ duntaxat de illo sciri possunt: at lumine naturæ donum supernaturale cognosci nequit: ergo neque remissio peccatorum, siquidem hæc per illud tantum fieri potest: ergo cognosceret positive tunc, impossibilem esse talem remissionem, stando intra limites illius status; ac proinde non posset illam sperare, & petere à Deo, sed potius deberet desperare, quod dici nequit.

222 Vnde etiam deberet iudicare lumine naturæ, maiorem esse malitiam peccati, quam misericordiam, & efficaciam Dei, siquidem tota efficacia, & misericordia sua non esset sufficiens ad remittendum peccatum; ad delendum, & destruendum ipsum.

223 Præterea eo casu etiam cognosceret homo minus potentem misericordem, & clementem esse Deum circa remissionem peccati & iniuriæ contra se factæ, quam esset ipse homo, cum hic in se experiretur, possibile sibi esse remittere inimico iniuriam sibi irrogatam ab illo interdumque imo sæpissime illam remittere; Deo autem esse omnino impossibile considerato vt auctori naturæ, ac proinde ipsum Deum nunquam illam remissurum, atque ex hoc ipso, quod in se homo experiretur, constaret cogniturum, tunc idem posse Deum, tunc enim sciret homo, non solum honestum esse, sed miris laudibus, & encomiis celebrandum sibi irrogatam iniuriam remittere; vt his non dicam aureis, sed gemmeis verbis eloquentia plenis docuit Cicero, dum alloqueretur Iulium Cæsarem in Marcum Marcellum benigne se habentem, ipsique parcentem post bellum civile: [ intellectum est enim mihi quidem in multis, & maxime in me ipso, sed paulo ante omnibus, cum Marum Marcellum Senatui populoque Romano, & Reipublicæ concessisti commemoratis præsertim etiam offensionibus, te auctoritatem huius ordinis, dignitatēque Reipublicæ tuis vel doloribus, vel suspicionibus anteferre; nullius tantum flumen ingenij, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicā exornare, sed enarrare Cai Cæsar res tuas gestas possit, tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam quam hodierno die consequutus es soleo sæpe ante oculos ponere idque libenter crebris vsurpare sermonibus, omneis nostrorum Imperatorum, omneis exteratum gentium, potentissimorumque populorum, omneis Regum clarissimorum res gestas cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi nec dissimilitudine bellorum posse conferri; nec vero disiunctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam curtibus, sed victoriis illustratæ sunt, quæ quidem ego, nisi ita esse magna esse fatear, vt ea vix cuiusquam mens, aut cogitatio capere posset, amens sim. Sed tamen sunt alia maiora; nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint Imperatorum & certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum classes, commeatus multum iuvant, maximam vero partem quasi suo iure fortuna sibi vendicat; at vero huius gloriæ Cai Cæsar, quam ex paulo ante adeptus, socium habes neminem; totum hoc quantumcunque est, quod certe maximum est, totum inquam est tuum, nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil Cohors, nihil Turma decerpit; quin etiam illa ipsa rerum humanarum Domina fortuna in istius societatem gloriæ se non offert, tibi cedit, tuam esse totam, & propriam fatetur, domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabileis, locis infinitas, omni copiarum genere abundanteis: sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & conditionem, vt vinci possent, habebant; nulla est enim tanta vis, tanta copia, quæ ferro, ac viribus debilitari, frangique non possit. Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate præstantem, non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo sed simillimum Deo iudico, hæc enim res vnius est propria Cai Cæsaris, cæteræ Duce te gestæ, magnæ illæ quidem, sed tamen multo, magnoque comitatu, huius autem rei tu idem es, & Dux, & comes, quæ quidem tanta est, vt trophæis monumentisque tuis nonnulla vnquam allatura sit finem ætas, nihil est enim opera, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & consumat vetustas, at vero hæc tua iustitia, & animi floresceṫ quotidie magis, ita vt quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus. Et cæteros quidem omneis victores bellorum ciuilium iam ante æquitate, & misericordia viceras, hodierno vero die teipsum vicisti. Vereor vt hoc, quod dicam proinde intelligi possit auditu, atque ego ipse cogitans sentio, ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta victis remisisti, nam cum ipsius victoriæ conditione iure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ iudicio conservati sumus; Recte igitur vnus inuictus es à quo etiam ipsius victoriæ conditio, visque devicta est.

224 Item sciret homo omne honestum de se nullam inuoluens imperfectionem; multo melius esse in Deo, quam in hominibus: ergo ad minus sciret, non esse alienum à Deo, posse remittere, si vellet iniuriam contra se factam: ergo sciret esse possibilem talem remissionem, & tamen tunc id non cognosceret per ordinem ad aliquod donum supernaturale, nec talis doni cognitio esset medium assentiendi, cui propositioni possibile est Deo remittere peccata mea: ergo præberet assensum illi propter medium cognitum lumine naturæ; hoc nullum aliud esse posset, nisi quod Deus haberet sufficientem misericordiam qua per condonationem peccata remitteret, vt quilibet homo potest iniuriam sibi irrogatam condonare, per hanc igitur tunc Deus illam remitteret.

225 Confirmatur; posse Deum peccata remittere scitur & cognoscitur euidenter lumine naturæ, atque in hanc notitiam deuenere omnes Ethnici Philosophi Dei potentiam, clementiam, & misericordiam infinitam enucleando penetrantes, vt patet ex illa Aristotelis exclamatione, iamiam animam efflantis, ac moribundi, Deum amice ac suauiter alloquentis [causa causarum miserere mei,] imo omnes mortales, qui à primo limine cognitionis Deum salutarunt hoc, ita esse putauerunt; quare preces ad illum pro remissione peccatorum fundere, sacrificia offerre, & holocausta comburere hortabantur, vt constat ex tota antiquitate, vt videre est in Augustino Euguuino, Chichermano *de funeribus Romanor.* & manifeste etiam liquet ex Alcorano Mahumetanorum, vbi instituuntur ceremoniæ, orationes, & preces, quas *Zambras* vocant, ad impetrandam à Deo remissionem peccatorum omnium.

226 Quod in hunc modum demonstratur; quia in nobis est perfectio posse remittere offensam, non quidem supernaturalis, sed naturalis, quam nobis inesse lumine naturæ cognoscimus, & manifesto experimento quotidie notamus; atqui hæc perfectio non est à nobis ipsis, & imparticipata; quia omne quod in creatura est participatum, & creatum est, sicut & ipsa creatura; accessorium enim sequitur principale: ergo participata à Deo, ac proinde est in Deo cognoscibilis lumine naturæ; siquidem ex perfectionibus, quas in nobis cognoscimus, procedimus ad cognoscendas alias, & colligendas similes in Deo seclusis imperfectionibus. inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, virtus, & diuinitas, v. g. ex misericordia nostra potentia, sanctitate, scientia, & bonitate nostra colligimus esse in Deo scientiam, sanctitatem, iustitiam, misericordiam, & potentiam, defæcatis ac depuratis imperfectionibus, quibus istæ virtutes creatæ admiscentur; atqui totum hoc non possumus scire, stando intra limites naturæ per medium supernaturale, quia tale medium intra naturæ cancellos minime continetur: ergo per naturale medium, quo conuincamur ad assentiendum possibilem esse in Deo modum naturalem ad remittenda peccata; qui alius esse nequit, stando intra limites naturæ, præter dictam condonationem iuxta dicta supra.

227 Tandem, quia si tunc homo sciret, remissionem peccatorum esse Deo, vt auctori naturali impossibilem, ingens ianua patefieret, aditusque reseraretur amplissimus, ad hoc vt cultus & obsequium Dei negligeretur ab hominibus vniuersis, post primum commissum, & perpetratum peccatum, neque amplius curarent homines de virtute cum iam illis impossibilis esset consequutio beatitudinis, quæ solum dignum præmium est illius; neque Deum amarent, nisi propter hæc temporalia.

Vt hæc omnia vitent aduersarij respondent, 228
reuelaturum Deum se per media supernaturalia remissurum peccatum.

Contra; quia iam hoc est exire ab statu puræ 229
naturæ, & fines naturales perfilire, & confugere, aut transgredi ad ordinem supernaturalem: ergo si Deus nollet à tali statu exire, omnia illa sequerentur absurda contra Deum auctorem naturalem, neque vitari possent ab ipso operante, solum vt auctore naturæ, quod dici non potest, quia potentior est in quocunque ordine Deus, quam malitia peccati, neque in vllo ordine potest misericordia infinita Dei vinci, aut eminentissima, & perfectissima liberalitas, & clementia à grauitate peccati finita simpliciter superari, quod contingeret, si Deus intra ordinem naturæ nullo modo posset condonare peccatum, & remittere sibi irrogatam iniuriam quantumvis grauem.

Ais probare hæc omnia, lumine naturæ co- 230
gnosci Deum posse remittere peccata non vero inde posse inferri, ipsum posse ea remittere in statu puræ naturæ per solam condonationem, cum bene possit cognosci aliquid lumine naturæ quoad an est, & ignorari illud quoad quid est.

Sed contra; quia licet hoc ita sit, tamen cum 231
aliquid lumine naturæ, vt possibile cognoscitur quoad an est, necesse est vt euidenter soluatur omne argumentum probans, reduci non posse ad actum, & exequutionem, illud an est; stando intra limites naturæ, alias si nullo modo reduci potest, sed potius implicat, stando intra limites talis status, implicabit etiam sine dubio intra eundem statum, ipsum quoad an est, & ita neque quoad an est poterit cognosci vere illud quoad an est esse possibile, stando intra illum statum.

Vt euidenter patet in euidenti, & certa co- 232
gnitione Trinitatis, quia enim nullus modus potest dari, per quem stando intra limites puræ naturæ reduci possit in actum cognitio euidens, & certa sacrosanctæ Trinitatis, ideo non solum est impossibilis quoad quid est, stando intra limites naturæ, sed etiam quoad an est, sic enim lumine naturæ non potest cognosci mysterium Trinitatis, neque attingere possumus certe, & euidenter cognitionem certam, & euidentem illius mysterij esse possibilem quoad an est; atque ita nullo alio medio probatur, illam esse impossibilem, etiam quoad an est in pura natura, nisi quia in illa non est possibilis modus, quo fiat, exequutioni mandetur, & in actum reducatur: ergo similiter in proposito.

Aliter respondent aduersarij, adducentes im- 233
plicationem, quæ reperitur in remissione peccati sine infusione entitatis supernaturalis, quæ implicatio se habet ex parte effectus, qui non videtur factibilis sine forma positiua gratiæ, quia auersio, quæ est in peccato tolli non potest nisi per conuersionem.

Sed contra, quia ratio huius responsionis so- 234
lum videtur conuincere perfectam peccati remissionem quoad omnia damna, quæ nunc infert in hoc statu gratiæ, non posse fieri sine physica mutatione peccatoris per infusionem gratiæ, quod verissimum est, talis enim homo primum se pec-

cardo vera, & supernaturali conversione ad Deum; vnde donec illam obtineat, non liberatur omnino ab omni damno quod peccatum intulit; non potest autem iterum conversionem illam supernaturalem comparare sine mutatione physica; non tamen videtur probare ratio illa de remissione quoad formalissimam rationem peccati provt esset in statu puræ naturæ; quæ tamen sufficeret vt homo iam non esset in peccato, neque inimicus Deo, nam ad hoc non videtur necessarium, vt qui per peccatum fuit aversus, conversus fiat iterum supernaturaliter, sed satis est vt fiat non aversus; potest autem fieri non aversus, etiam si non fiat conversus; sicut potest esse non inimicus, etiam si non fiat amicus; nam formaliter, & præcise loquendo destructio formæ non semper requirit causam formalem contrariam, sed tantum carentiam talis formæ.

235 Quia vero in forma priuativa videri hoc potest difficile; ideo de aversione intelligi posse dicitur per modum formæ contrariæ; per peccatum enim fit homo aversus quasi contrarie; quia voluntate sua se avertit, idest privat debita conversione in Deum, & ideo manet odiosus Deo, & inuisus ipsi, & quandiu hæc aversio sub hac ratione durat, non tollitur nunc peccatum; fieri autem potest vt absque conversione positive opposita tollatur illa aversio, vt moraliter contraria est conversioni, vel in ratione puræ negationis moraliter, vt si Deus remittat homini priorem offensionem, simulque tollat ab illo debitum habendi talem conversionem, reducendo illum ad statum puræ naturæ, vt est casus, de quo loquimur in hoc secundo argumento. Vel etiam relicto, & permanente hoc debito, & ordine ad finem supernaturalem, potest contingere, & fieri, vt maneat illa carentia conuersionis in ratione puræ priuationis physicè, & non in ratione moralis aversionis; hæc enim includit rationem iniuriæ, quæ per remissionem offensæ tollitur, & ea sublata non manet fundamentum inimicitiæ, neque obiectum illud manet ex se odiosum, vel inviſum, etiamsi non maneat gratum, vel amicum.

236 Quod manifestatur clarissimo exemplo humano; quia hoc modo potest vnus homo remittere offensam alteri, etiam si illum non recipiat in amicitiam suam, vel bonum aliquod ei communicet; nam licet in hoc efficacior sit voluntas diuina, quam humana, tamen non cogitur Deus aut necessitatur omnem suam efficaciam exercere, sed potest id præcise, ac formaliter velle quod ad remissionem iniuriæ, & ad inimicitiam tollendam necessarium est; nihilque amplius volendo: ergo potest velle tantum remittere culpam, & destruere peccatum; nam carentia mali quoddam bonum est, quod potest esse obiectum diuini amoris.

237 Eadem illa præcipua & principalis minor quoad acquisitionem entitatis naturalis, seu quoad actum naturalem est certissima, vt patet in statu elevationis ad gratiam, in quo nullus actus naturalis requiritur ad remissionem peccati: ergo neque tunc in statu puræ naturæ esset omnino necessarius talis actus; quod efficaciter ratione generali sic demonstratur, quia omnis actus, qui requiri potest ab homine ad remissionem peccati, nunquam est per modum formæ expellentis peccatum; nam si contritio à charitate elicita, quæ actus supernaturalis charitatis perfectissimus est, non est forma remittens peccatum, sed solum conditio, vt Concilium Trident. definit, quanto minus poterit esse actus naturalis forma expellens peccatum: ergo solum potest concurrere, vel per modum materialis dispositionis, vel per modum aliqualis recompensationis, seu satisfactionis ex parte hominis; vel per modum conditionis necessariæ ex Dei institutione; at vero in nullo istorum modorum tanta necessitas reperitur, vt oppositum repugnet simpliciter, vel contradictionem involvat: ergo. Probatur minor, quia dispositio subiecti nunquam est ita necessaria, quin possit Deus sine illa formam inducere, vt supra etiam visum est.

Similiter facile posset Deus omnem satisfa- 238
ciendi obligationem remittere, vel conditionem non exigere; quia licet secundum modum connaturalem merito exigatur, vt moralis remissio in persona ratione vtente morali modo fiat; nihilominus cum illa conditio, vel non sit causa propria remissionis peccati, vel ad summum tantum sit disponens, & præparans subiectum ad illud sine illa sufficiet omnipotens voluntas Dei ad faciendum remissionis effectum sine tali conditione, seu mutatione.

Deinde, quia cum in statu puræ naturæ solum 239
posset exigi actus naturalis mere, & iste non habeat efficaciam vllam ad remissionem peccati propter improportionem illius respectu huius ad summum acceptaret Deus illum ex mera liberalitate: ergo etiam posset liberalitatem augere, concedendo remissionem sine tali actu; nam remissio semper est aliquid distinctum à mutatione illa physica, quam actus facit in homine, & est ita sparabilis ab illo vt stante tota illa physica mutatione; nulla remissio fiat: ergo è converso esset tunc ita separabilis remissio peccati à mutatione physica per actum, vt licet hæc non præcederet, posset illa concedi; quid enim potest ita limitare Dei liberalitatem vt sine illa prævia conditione possit hoc beneficium facere; cum in re sit distinctio, & nulla connexio essentialis appareat.

Vltimo vrgetur, quia Deus sine actu bono pec- 240
catoris præuio compatitur, vt ita dicam miseriæ peccatoris, & miseretur illius, & ideo vocat illum per auxilia congrua, vt convertatur ad ipsum & aliquando non solum nullo prævio bono actu, sed potius dum peccator maiora operatur scelera, & peccata, quibus magis, ac magis divinam misericordiam irritat, miseretur Deus peccatoris, & convertit ipsum propter suam misericordiam, vt colligunt multi Doctores ex Evangelio ex illis verbis, blasphemabant eum, contigisse bono latroni in cruce pendenti; quod certum est in conuersione D. Pauli qui adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini furoreque correptus adversus Christum ab ipso conversus est: ergo potest augere misericordiam, & sine aliquo actu remittere peccatum, cum infinita misericordia gaudeat, quæ nullis terminis limitatur, aut circunscribitur.

*Mirabili comparatione inter omnipotentiam ad creandum, & misericordiam ad condonandum peccatum, probatur hæc veritas.*

Sed concedamus nullo modo dari in creatura 241
huiusmodi misericordiæ genus (quod solum cæcutientes, & lippi negabunt, cum frequentissime ipsum oculis vsurpemus, quod clarissime experien

perientia manifestat) certe poterit dari in Deo, & patet breuiter, quia si Deus ex eo quod habet infinitam potentiam potest ex nihilo physico, vt ita dicam, nulla præsupposita materia, neque materiali dispositione ex parte creaturæ, eruere illam ad esse Angeli, & creare animum rationalem: ergo similiter propter infinitam misericordiam, & potentiam, quam Deus habet poterit ex nihilo morali peccati (de quo dixit Ioan. Euangelista, sine ipso factum est nihil, ideſt peccatum, vt ait Augustinus) & nulla præsupposita materia, seu motiuo ex parte hominis misericordiæ, & dispositione mouente Deum ad exercitium misericordiæ, vti est actus contritionis, & retractationis, sed solummodo motus Deus infinita sua clementia, & liberalitate, allectusque motiuo ostendendi infinitos suæ magnificentiæ thesauros, eruereque ad esse non peccatoris, & creare ipsum quasi moraliter, faciendo illum non inimicum, & odio dignum, ita vt non solum misereatur peccatoris, ac compatiatur, vt sic dicam de miseria illius, sed etiam remittat omnem peccati maculam, & iniuriam sibi factam, & contra se commissam, in quo nulla difficultas, attenta, & ponderata æqua rationis lance profundissima diuinæ misericordiæ & magnificentiæ abissu, poterit reperiri.

242 Exemplo humano manifestatur aperte; nam sæpe contingit, vt ex eo solum quod vnus homo videat miseriam alterius nullo præuio actu ipsius pauperis, compatiatur miseriæ illius, & ex compassione ita efficaciter misereatur, vt non solum remittat iniuriam sibi factam, sed & debitum contractum ex mutuo, siue ex emptione, & venditione, siue tandem ex quocunque contractu causatum in indigente, seu paupere illo: sed hoc totum maxima perfectio clementiæ, misericordiæ, & liberalitatis est, & tanto magis crescit liberalitatis splendor in miserente, quanto minus inuenit ex parte pauperis operi mandatum ab eodem, quo moueret ipsum miserentem: ergo perfectius poterit dari hoc genus misericordiæ in Deo, quo non solum sine actu peccatoris misereatur Deus, compatiaturque, vt ita dicam, de miseria pauperis ob suam misericordiam, & liberalitatem; sed vlterius progrediatur ostendendo magis, ac magis infinitam excellentiam & virtutem suæ misericordiæ, augendoque liberalitatem remittat peccatum, destruatque miseriam illius peccatoris, ac funditus extinguat debitum ratione peccati contractum, nullo prævio actu ex parte peccatoris; & ratio est, quam supra insinuaui quod omnis perfectio, quæ datur in creatura, cum sit participata à Deo, est in ipso Deo perfectiori, & eminentiori modo, ablatisque omnibus imperfectionibus, reperitur in ipso: ergo si est perfectio huiusmodi misericordiæ exercitium, vbi remittitur iniuria & debitum nullo præuio actu ex parte debitoris, vt sine dubio, & sine controuersia est, sine dubio, aut tergiuersatione dabitur in Deo perfectiori modo, ablatis imperfectionibus.

## SVBSECTIO XII.

*Tertium argumentum principale ponitur.*

243 Sic argumentor, & confirmo amplius, id quod dictum est: Quia vt bene notat P. Suar. tota ratio excogitandi tantam necessitatem huiusmodi actus retractantis peccatum præteritum supponit falsum fundamentum, nimirum peccatum semel commissum esse irremissibile, donec sit aliquomodo ab homine retractatum, nam homo non facit illud remissibile per suum actum, sed ipsum natura sua tale est, quatenus est obiectum diuinæ misericordiæ, & potestatis, neque vt sit remissibile oportet, vt fiat involuntarium per subsequentem actum, quia nunquam potest esse involuntarium elicitiue vt sic dicam, sed solum obiectiue, quatenus esse potest obiectum subsequentis displicentiæ, illa autem denominatio obiectiua, licet fundetur in actu, qui est congrua dispositio ad placandum Deum, non tamen ostenditur, neque est quasi causa formalis talis remissionis, aut essentialis conditio, vt peccatum sit remissibile, vt ex dictis supra, & ex dicendis infra patebit.

Nunc ergo ex his omnibus talis potest conclu- 244
di ratio: nam remissio peccati formaliter, ac præcise sumpta non dicit actionem physicam Dei ad extra, sed tantum denominationem ab actu interno Dei, cum respectu temporali ad moralem effectum factum in homine: ergo per se, & intrinsecè non requirit mutationem physicam in homine, cui fit talis remissio: ergo non est talis mutatio simpliciter necessaria ad effectum talis remissionis, quæ est vera destructio peccati, seu vera translatio hominis ab statu peccati ad statum carentiæ eius, qui à Doctoribus status innocentiæ in bono sensu appellatur, licet non sit translatio ad statum iustitiæ, sanctitatis, & amicitiæ, hæc enim separabilia sunt. Primum antecedens probatur, quia loquimur in casibus, in quibus non sit remissio quoad carentiam realem habitus gratiæ, quia vel non supponitur talis carentia, vel non interuenit illa, & ideo tolli non oportet, vt ex dictis supra patet, imo etiam nunc remissio peccati est aliquid vltra physicam infusionem gratiæ, & vltra omnem actum peccatoris: ergo remissio hæc præcise spectata non consistit in actione physica Dei ad extra: inde est euidens prima consequentia, quia si ex parte Dei non est actio physica, neque ex parte hominis potest esse physica mutatio, cum hæc non nisi ex actione Dei esse possit: secunda item consequentia probatur, quia voluntas Dei efficax est, & sola sufficiens ad remittendum peccatum homini non resistenti per actuale peccatum, etiamsi illi non cooperetur per actum contrarium.

Respondent aduersarij adducendo repugnantiam 245
in hoc modo remittendi peccatum, quia esse in peccato nihil aliud est, inquiunt, quam peccasse, & peccatum non retractasse, sed ex his duobus primum non potest auferri, faciendo quod non fuerit, quia ad præteritum non est potentia: ergo sine secundo ideſt sine retractatione peccati, vel formali, vel virtuali, vel eminentiali, qualis est in infusione gratiæ non potest auferri à peccatore status peccati, seu esse in peccatore: ergo sine mutatione physica non potest ille actus auferri.

Sed contra, quia status peccati, seu esse in pec- 246
cato neque formaliter, neque adæquate explicari debet per illas duas partes, scilicet commissiue, & illud non retractasse, vnde in rigore maior propositio in argumento assumpta falsa est, & ab aduersarijs nullo sufficienti testimonio, vel efficaci ratione probatur.

Nos autem probamus esse falsum, quia fieri po- 247
test vt peccatum iam commissum, non sit præteritum solum, sed etiam sit retractatum, & nihilominus homo maneat peccator, & sit in peccato: ergo esse in peccato non dicit illa duo formaliter. Antecedens patet de facto in homine detestante sua peccata per attritionem: & non suscipiente sacramen

Sacramenta, & de possibili in homine contrito; cui Deus nollet remittere peccatum; quod facere posse clarissimum est; quia contritio secundum concilium Tridentinum, *cap. de iustificat.* non est ipsa sanctificatio, neque emundatio à peccato; sed solum dispositio ad hoc, vt per gratiam habitualem sanctificetur anima; ratione cuius remittatur peccatum à Deo; vnde contritio, & remissio peccati duo sunt realiter distincta, ac proinde separabilia à Deo divinitus: supponamus ergo quod separentur; quia possibili absolute, ac simpliciter sine aliquo impedimento posito in actu nullum sequitur inconveniens: tunc ergo manet homo peccator; & in peccato, non obstante retractatione illius.

248 Item è contrario stare possent illa duo, scilicet peccasse & non retractasse per contritionem veram, & nihilominus auferri ab homine peccatum, seu esset in peccato; nam in lege veteri, vel naturæ vere dici poterat esse in peccato includere hæc duo, commisisse peccatum, & non retractasse illud per contritionem: imo etiam cum illis converti: & nihilominus non recte diceretur formaliter in illis consistere hoc quod est esse in peccato, quia videmus nunc aliquem, qui peccatum commisit, & per contritionem non retractavit, iam non esse in peccato, quia alia via remissionem illius consequutus est, vtique per attritionem cum Sacramento; vnde neque nunc etiam formaliter dici potest esse peccatorem, seu esse in peccato consistere formaliter in peccasse, & non retractasse saltem per attritionem supernaturalem, quia posset Deus sine tam perfecta attritione, imo sine vlla remittere peccatum de potentia absoluta, saltem per infusionem habitus.

249 Nam talis attritio, seu retractatio potest esse per actum meræ naturæ, vt patet in statu puræ naturæ, & simili actu posset nunc Deus esse contentus, si voluisset; non videtur autem verisimile actum vere naturalem esse conditionem à Deo necessariam ad effectum supernaturalem, vel inhærentis gratiæ vel gratuitæ remissionis offensæ divinæ, præcipue cum ille actus etiam nunc requiratur vt coexistens remissioni peccati; sed sufficit præcessisse vt patet in eo, qui antea attritus, postea iustificatur dormiens, vel amens: at vero attritio, quæ præteriit, nullomodo abstulit, vel diminuit peccatum habituale permanens, sed solum acceptatione dei reliquit animam præparatam ad remissionem peccati per Sacramentum recipiendam, quam nunc præbet media gratia ex diuina institutione, & posset deus illam præstare, etiam sine habitu gratiæ: ergo etiam sine illo præterito actu, cum nullam mutationem permanentem in anima fecerit quæ sit causa formalis talis remissionis, sed solum fuerit veluti quædam conditio prævia ad hoc vt Deus iutroducat quasi formam moralem remissionis peccati, quo destruatur peccatum; sed deus potest formam, quam introducit, præeunte dispositione introducere per potentiam absolutam, sine vlla prævia dispositione, v. g. potest deus formam ignis nullo præcedente calore introducere in lignum suspendendo concursum, quo conservabat formam ligni in materia: ergo deus potest remittere peccatum sine actu peccatoris retractante peccatum per potentiam dei absolutam, qui quasi conditio prævia est ad talem remissionem.

250 Quod vero additur de retractatione eminentiali, & in solo nomine consistit, quia re vera per habitus nulla fit retractatio; & est quædam petitio principij: nam hoc, quod est esse in peccato definitur, addendo sub distinctione tales negationes, quæ non possint auferri sine mutatione physica, & ita confícta est descriptio ex privata opinione, non vero est vel ratione privata, vel ex communi consensu, vel modo concipiendi desumpta.

## SVBSECTIO XIII.

*Vltimum principale argumentum ponitur.*

QVia tota ratio quare aduersarij asserunt, requiri mutationem physicam intrinsecam in peccato ad condonationem, & remissionem peccati, est quia non potest dari actus voluntatis diuinæ terminatus ad creaturam quicunque ille sit, siue sit remittens, sive prædestinans, cui non correspondeat physica, & intrinseca mutatio in creatura, ad quam terminatur talis actus, sed ad remittendum peccatū veniale, & peccatum originale, nō est necessaria mutatio intrinseca in peccatore, & talis remissio est decretum liberum Dei terminatum ad remittendam talem culpam: ergo iam decretum liberum Dei potest salvari sine mutatione intrinseca. De peccato originali fatetur ipse P. Vazq. qui maxime solet hoc argumentum vrgere; nam ipse asserit, Deum posse tollere debitum habendi gratiam in homine peccante originaliter sine aliqua mutatione physica; ablato autem tali debito, manet solum moralitas, quæ sine mutatione physica potest tolli. 251

Minor illa quoad peccatum veniale sic probatur, quia peccatum veniale de facto remittitur sine forma natura sua incompossibili cum illo, vtique per gratiam, & attritionem, quæ sigillatim, & simul sunt natura sua compossibiles cum peccato veniali; & ideo hinc colligimus manifeste, posse Deum solum facere, quod cum illis formis facere potest; tum quia sicut illæ formæ sunt de se insufficientes, ita non sunt essentialiter necessariæ, tum etiam quia facta tota illa mutatione Physica adhuc peccatum veniale integrum perseverat; nisi deus velit illud remittere, ac proinde voluntas dei erit ad hoc sufficiens, si velit sola id facere, tum denique quia sicut supra argumentabar, posse deum facere cum sola gratia, vel cum sola attritione, quod potest facere cum vtraque simul, quia sicut vnaquæque per se est insufficiens forma, ita & vtraque simul, ideóque non est difficilius Deo vincere per pauca, quam per multa ita nunc argumentamur, sicut deus potest remittere peccatum veniale cum vna mutatione physica de se insufficiente, ita etiam posse illud remittere sine aliqua tali mutatione; quia quando causa secunda talis est, non est difficilius deo sine illa quam cum illa facere quod vult: vnde probatio de remissione peccati venialis efficacior est, quam de peccato mortali, nam peccatum mortale de facto nunquam remittitur sine infusione alicuius formæ natura sua incompossibilis cum ipso peccato mortali, & ideo ex effectibus non possumus tam efficaciter colligere, an possit peccatum mortale de potentia absoluta remitti sine tali firma, vel omnino sine tali mutatione physica: at vero peccatum veniale de facto remittitur sine forma à natura sua incompossibili cum illo solum quia deus sic voluit: ergo etiam potuit velle deus sine illa forma totaliter remittere peccatum. 252

Et ratio à priori est, quia voluntas diuina propter suam infinitam eminentiam potest facere in tempore per suum actum æternum, & sine 253

mutatione sui quidquid ad extra fieri potest, siue physicum, siue morale; item potest facere quidquid potest facere homo per suos actus liberos, quod alias bonitati diuinæ non repugnat: potest ergo suas remittere iniurias, seu offensas prout voluerit multo facilius, quam homo possit.

254 Dices, in peccato actuali non solum inueniri rationem iniuriæ, seu offensæ diuinæ, sed etiam intrinsecam inordinationem, quatenus per peccatum recta ratio violatur, & natura ipsa rationalis deturpatur: ergo transacto peccato actuali, manet homo in peccato, non solum quia manet offensus Deo, & dignus odio illius, & consequenter dignus pœna propter iniuriam Deo factam, & non compensatam, sed etiam quia in se manet turpis, & dignus odeo, & pœna ratione actus contra rationem commissi, ita vt licet fingamus in peccato, non esse rationem iniuriæ contra Deum, sed solam illam maculam moralem contra dignitatem naturæ rationalis, quæ potest dici damnum, & iniuria contra illam, nihilominus intelligimus, talem hominem manere in peccato; at vero licet Deus offensionem remittat suam, & consequenter per extrinsecam condonationem, auferre possit maculam, quatenus speciali modo reddebat peccatorem dignum odio Dei, non tamen videtur posse Deum auferre maculam eiusdem peccati provt est contra rationem, & reddit hominem turpem, & dignum odio abominationis, non ex peculiari ratione, & ordine ad Deum, sed absolute & in se: ergo non potest radicitus tolli peccatum per condonationem extrinsecam, quia per extrinsecam condonationem solum potest remitti debitum pertinens ad eum, cui iniuria facta est; nam ea de causa potest illam remittere, & consequenter destruere, seu auferre illam deformitatem, quæ in iniuria Dei fundatur, quod secus est de altera, quæ ex sola iniuria facta, seu ex nocumento causato contra naturam rationalem relicta est.

255 Sed contra primo & concedamus, relinqui illam maculam ex eo quod ex vi peccati iniuriata, & deturpata sit natura rationalis, sed illa macula, vtpote opposita enti naturali non consistit in priuatione gratiæ, sed in quadam moralitate positiua oppositæ naturæ rationali, vnde absolute, & simpliciter adæquate ens morale est, & moraliter perseuerat, sed vt ex primo argumento patet, ens morale debet destrui per mutationem moralem, & non per mutationem physicam: ergo ad illam maculam destruendam solum sufficit mutatio moralis, & non mutatio intrinseca physica.

256 Deinde, ideo Deus potest tollere per condonationem, & remissionem peccatum quatenus est iniuria Dei, quia cum Deus habeat dominium circa suum honorem, est Dominus illius iniuriæ, ac proinde potest condonare illam, sicut v.g. propter eandem rationem potest homo quidem remittere iniuriam contra se factam, quia est Dominus sui honoris, qui læsus est per talem iniuriam: atqui Deus est essentialiter Dominus, & habet necessarium, & essentiale dominium circa creaturas omnes, tam Angelicas, quam humanas quoad entitates illarum: ergo habet perfectum, & proprium dominium circa bona omnia illorum, quæ sunt accessoria ad tales entitates, quia accessorium sequitur principale, sed inter bona creaturæ intellectualis computatur honor: ergo habet perfectum, & proprium dominium vniuersalissimum circa honorem illarum, ac proinde ratione huius vniuersalis, & perfecti dominij potest plenè, planè, ac perfectissime disponere de vita, entitate, & honore, seu fama talium creaturarum: ergo potest remittere iniuriam factam contra talem honorem, tanquam principalior creditor debiti contracti ex tali nocumento, & iniuria facta contra talem naturam rationalem, nam vt est euidentissimum axioma qui potest & magis in vno genere, potest & minus in eodem & vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis; sed Deus potest remittere iniuriam propriam quod est magis: ergo potest remittere iniuriam suæ creaturæ quod est minus, & quia est dominus honoris proprij, potest ita disponere de illo, vt remittat iniuriam factam contra illum: ergo propter eandem rationem formalem dominij, quod habet circa honorem creaturarum, poterit ita disponere de honore earum, vt possit remittere per condonationem extrinsecam illam iniuriam creaturarum, quæ macula peccati dicitur ab aduersariis.

Explicatur, quia superior ordinis, aut religionis 257
potest remittere iniuriam factam religioso talis religionis, aut ordinis propter dominium, quod habet religio circa talem subditi honorem, & Dominus ita potest disponere de bonis propriis serui, aut mancipij, vt possit remittere debitum alicuius debitoris, quod est in ordine ad tale mancipium, seu seruum propter rationem dominij, quod habet circa illud; sed Deus perfectius dominium habet circa creaturam intellectualem, & circa honorem illius, quam religio supra religiosos, & Dominus circa mancipij bona: ergo à fortiori poterit remittere nocumentum, & iniuriam factam contra illam per condonationem extrinsecam.

Secundo contra sic argumentor cum Patre Suar. 258
& dico falsam esse primam consequentiam illius solutionis: nam licet in peccato sit malitia conuersionis, & auersionis, nihilominus transacto actu peccati, non censetur manere in homine peccatum, provt habet rationem culpæ, nisi quatenus homo ratione iniuriæ Deo factæ illi manet inuisus, & dignus odio eius, quandiu Deus illam non remittit, ratione autem malitiæ conuersionis solum manet obligatus ad pœnam, ita vt si fingamus casum in argumento propositum, quod peccatum factum contra rationem non auertat à Deo, nec sit illi iniuriosum tale peccatum, postquam transiret actus eius, non relinqueret in homine, nisi obligationem ad pœnam sensus, nec redderet illum dignum odij, sed solum vindictæ. Hoc in primis colligo ex doctrina D. Thomæ variis in locis; nam 2.2. *q.* 20. *art.* 3. ait, [quod si posset esse conuersio ad bonum commutabile sine auersione à Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale,] quod etiam repetit *in quodlibeto* 5. *art.* 2. & aliis locis: at vero peccatum veniale vt ipsemet Sanctus docet 1. 2. *q.* 89. *art.* 1. non relinquit propriam maculam in anima, quod si aliquam imperfectam maculam relinquit, solum est quatenus aliquomodo imperfecto est aliqualis iniuria, & offensio Dei: ergo data illa hypothesi, quod peccatum nullo modo esset offensa, seu iniuria Dei, nullam maculam relinqueret, ac proinde transacto actu, non maneret propria culpa habitualis, sed solum pœna reatus: ergo etiam nunc tota ratio habitualis peccati, vt est culpa, consistit in iniuria Dei, quæ moraliter manet, qua remissa omnino tollitur ratio culpæ, & homo desinit esse in peccato, etiamsi

possit

possit manere reatus pœnæ temporalis propter conuersionem, vnde idem Diuus Thomas *in 4. quæstione 18. articulo secundo, quæstione tertio*, sic inquit: [in peccato duo sunt, scilicet conuersio ad commutabile bonum, & auersio ab incommutabili bono, & secundum hoc duo sunt effectus peccati: vnus est indignatio Dei ad nos auersioni peccati respondens; alius est pœna inordinatam conuersionem ordinans.] Ergo ex mente D. Thomæ secluſa auersione à Deo, peccatum non facit hominem dignum alia indignatione, vel odio, sed solo reatu pœnæ.

259 Ratione præterea probatur primo, quia fieri nullo modo potest, nec intelligi, quod remissa tota iniuria Dei, maneat in homine aliquid culpæ: ergo signum est, totam rationem culpæ habitualis in iniuria Dei positam esse: si ergo potest Deus per extrinsecam condonationem propriam iniuriam remittere, per illam etiam potest peccatum quoad culpam omnino delere secundo, quia aliàs sequitur, non totum id, quod in peccato habituali habet rationem culpæ tolli per remissionem Dei, sed aliqua ex parte tolli formaliter, & efficaciter per actum hominis, non solum supernaturalem, sed etiam naturalem; sed per illum detestetur prius peccatum provt est contra rationem, seu contra naturam rationalem, consequens autem admitti non potest, tum quia Scriptura soli Deo tribuit perfectam, & integram peccati remissionem; tum etiam quia ostensum est, actum, hominis non esse causam formalem remissionis peccati, neque integre, neque ex parte; quod longe certius est de naturali detestatione præcedentis peccati.

260 Denique declaratur ratio diuersitatis inter peccatum vt est offensa Dei, vel vt est solum malum in proprio genere; nam esse iniuriosum Dei inducit quandam obligationem satisfaciendi illi, & quamdiu illa obligatio manet, censetur iniuria moraliter perseuerare, & reddere hominem in visum Deo & odio dignum; at vero peccatum, vt solum est contra propriam rationem, seu rationalem naturam, licet dum fit, sit deformitas quædam ipsius naturæ, postquam vero transijt, non relinquit aliquam obligationem, nisi ad pœnam; neque etiam est necessarium, vt voluntas maneat conuersa, vel speciali modo coniuncta ad obiectum, circa quod peccauit; quia fieri potest vt peccatum nullum habitum, vel dispositionem positiuam in voluntate relinquat, vel licet relinquat, illam non habet rationem peccati, & præterea auferri potest ab homine sine actione eius per solam condonationem.

261 Neque etiam illa prior deordinatio peccati manet vere, & proprie voluntaria de præsenti quandiu per contrarium actum non refutatur, sed solum manet denominatio de præterito, quod fuerit voluntaria, quæ satis est vt de præsenti sit peccator dignus pœna propter illam voluntatem, non tamen est satis, vt dicatur de præsenti velle, quod antea voluit, nec actualiter, nec virtualiter, quia non est proprium virtuale voluntarium sine aliqua consideratione, & voluntate actuali, quæ virtualiter aliam contineat: igitur eo ipso quod omnino cessat quis ab actuali peccato, incipit ipsi peccatum esse non voluntarium, esto non possit dici in voluntarium, donec per contrarium actum refutetur, vel displiceat aliquo modo.

262 Quod si quis contendat manere voluntarium vel habitualiter, vel secundum quandam moralé durationem, seu permanentiã. Respondeo, permanentiã habitualé secluſa omni reali qualitate, seu dispositione, nihil esse, nisi denominationem à præterito actu, qui voluntarius fuit. Moralis autem permanẽtia tantum esse potest secundum quandam imputationem quæ tantum durat moraliter vel ratione iniuriæ, cui est coniuncta, tanquam accessorium principali, vel propter reatum pœnæ, cui homo manet obnoxius propter priorem culpam actualem. Tamen quia & Deus potest iniuriam suam condonare, & multo facilius pœnam remittere, & consequenter non solum non inferre pœnam, sed etiam tollere obligationem, & dignitatem illius, tanquam supremus dispensator, & iudex ideo potest voluntate sua omnino tollere culpam, quacunque ratione spectatam non exigendo ab homine actum, quo facta sit in voluntaria, sed spectando solum, vt iam non sit voluntaria quod per solam cessationem ab actuali peccato sine aliquo actu positiuo contrario esse potest.

Dices; esse in peccato nihil aliud est, quam 263
peccasse & peccatum non retractasse; sed ex his duobus primum non potest auferri, quia ad præteritum non est potentia: ergo sine secundo, id est sine retractatione peccati, vel formali, vel virtuali, vel saltem eminenti, qualis est in infusione gratiæ non potest auferri à peccatore status peccati, seu esse in peccato: ergo sine mutatione physica non potest ille status auferri.

Respondeo, negando Maiorem quoad secundam partem, vt patet ex dictis in probatione nostræ conclusionis.

Iterum obijcies, esse in peccato includit rela- 264
tionem fundatam in actu præterito: ergo non potest auferri, nisi ablato fundamento, sed illud fundamentum in se auferri non potest: quia fieri non potest, quin actus ille fuerit præteritus: ergo necesse est auferri ponendo fundamentum aliquod contrarium illi quod non est, nisi retractatio illius actus, quæ retractatio fieri ab homine, vel in homine sine illius physica mutatione non potest.

Ad hanc obiectionem respondeo, peccatum ha- 265
bituale consistere in iniuria Dei moraliter existente, & relicta ex peccato præterito, & hæc vocatur ab aliquibus relatio moralis, ab aliis absolutum morale; cum autem iniuria possit tolli sine eo quod sit necessarius actus peccatoris per potentiam Dei absolutam, vt iam dixi; inde est quod ad tollendum peccatum habituale, non sit necessarius actus peccatoris.

Tertio obijcies, quia peccatum remitti non 266
potest, nisi destructo voluntario, quod in peccato essentialiter includitur; voluntarium vero destrui non potest, nisi per motum eiusdem voluntatis contrarium retractantem auersionem peccati à Deo, quid retractatio auersionis à Deo est voluntaria destructio illius, quod voluntarie commissum est; sed non potest destrui per voluntariam auersionem per retractationem quin detur mutatio physica ergo: necessaria est illa: minor hæc sic probatur; quia retractatio hæc voluntaria est per actum physicum existentem in voluntate, & de nouo ab ipsa in seipsa productum; sed per talem actum physicum de nouo productum aliter se habet physice peccator in voluntate quam antea: ergo mutatur physice per retractationem ipsius peccati.

Ad hanc obiectionem patet ex supradictis in 267
fine primæ probationis nostræ conclusionis; ibi enim destruximus, ac oppugnauimus illud voluntarium quod actu esse confingitur ab aduersariis in peccato habituali relictum ex præterito peccato actuali.

268 Sed obiicies tandem cum Patre Vasquez, quia macula peccati non potest tolli per solam condonationem extrinsecam, sed necessaria est mutatio entrinseca in peccatore; atqui macula peccati constituit essentialiter ipsum peccatum habituale formaliter sumptum: ergo peccatum habituale formaliter non potest tolli per solam extrinsecam condonationem sine physica, & intrinseca peccatoris mutatione.

Minor, in qua est difficultas, sic probatur, quia aut homo praeterita iam actione peccati, semel commissi, manet maculatus, iniustus, & dignus aeterna poena ex natura peccati, & actionis pravae, semel commissae, aut ex sola lege, & voluntate Dei imputantis peccatum; dici autem non potest hominem ita manere ex voluntate libera, & statuto Dei imputantis peccatum: ergo manet ita ex natura ipsiusmet peccati semel commissi. Porro autem hominē ita manere non posse ex statuto, & voluntate libera Dei, patet primo quia non ideo homo turgis, & maculatus, & dignus manet aeterno supplicio post peccatum; quia Deus vult ita ipsum manere, sed quia ipse peccauit; nam quamuis Deus nihil circa hoc statuisset, homo qui semel peccauit, mortaliter vere diceretur turpis apud Deum, & dignus aeterno supplicio. Adde vix intelligi, nec dum explicari posse, quae sit imputatio haec ex parte Dei, qua homo constituitur peccator, alias Deus esset auctor peccati, quia ille est auctor formae qui est auctor constituens concretum per talem formam: sed Deus per suam imputationem constitueret hominem peccatorem: ergo esset auctor peccati, quod est forma talis constitutionis. Secundo, quia non pendet ex libera voluntate Dei vt homo maneat dignus aeterna poena, aut temporali tantum alioquin nullum peccatum suapte natura esset dignum aeterna poena, aut temporali, ac proinde nullum esset suapte natura mortale, aut veniale, quod est haereticorum dogma: ergo non pendet ex Dei voluntate, vt homo post peccatum maneat dignus poenae; nam si ex voluntate Dei penderet dignitas poenae, penderet etiam dignitas tantae, aut tantae, maioris, aut minoris poenae quod est absurdum, cum igitur dignitas poenae consequatur maculam relictam ex peccato actionis, aut si velis, sit ipsa macula relicta ex peccato, efficitur etiam ipsam maculam statum peccati, & dignitatem poenae non manere in homine ex voluntate Dei imputantis actionem praeteritam peccati, sed ex natura ipsius actionis ita laedentis hominem, & maculantis.

269 Respondeo huic obiectioni, negando maiorem, ad eius probationem dico, manere ex vi praeteriti peccati peccatorem moraliter maculatum, iniusum, & odio dignum, non ex mera voluntate Dei, sed ex natura ipsius peccati, ad id autem quod interrogat Pater Vasquez §. *Hinc autem*: vtrum scilicet Deus remittat peccatum solum remittendo poenam, aut lapsu temporis, dico remittere maculam peccati remittendo iniuriam, in qua consistit macula, vt supra dictum est; vnde ratio formalis destructionis peccati est actus liber Dei, quo vult remittere iniuriam sibi debitam in quo nulla difficultas est, neque ad hoc requiritur mutatio physica in homine, sed solum moralis quia iniuria, quae remittitur moralis est, vt patet ex supra dictis, vnde non tollitur peccatum ex eo solum quod tempus labatur, quia lapsus temporis non est ratio formalis remittendi iniuriam, solum enim necessarium est tempus tanquam duratio, in qua remittitur, nam cum omnia entia creata sublunaria sint in aliqua duratione temporis, inde est, quod quaecunque mutatio facta in tali creatura, debeat fieri in aliqua duratione temporis, & cum haec mutatio per quam transit de peccatore ad esse non peccatoris, sit mutatio in creatura, necesse est vt fiat in aliqua differentia, vel duratione temporis, quae sufficit esse instantanea, quia tota fit simul à Deo, vnde immediate post destructionem peccati actualis potest Deus remittere iniuriam, & destruere maculam peccati.

## SVBSECTIO XIV.

*Amplius supradicta efficaciter vrgentur.*

270 QVia Deus efficacissime voluit non producere innumeras creaturas possibiles, neque tribuere illis existentiam à parte rei; atqui ex vi talis volitionis efficacis nulla mutatio intrinseca facta est in creaturis possibilibus, neque illis aliquid intrinsecum tributum est per talem volitionem liberam, imo potius ex vi illius vult nihil illis intrinsecum tribuere, quia vult non tribuere illis existentiam: ergo bene potest dari actus efficax liber Dei circa aliquod obiectum quin ponat aliquid physicum in illo.

271 Quod autem nihil ponat patet, quia vel id, quod ponit, aut est positiuum, aut negatiuum, non positiuum, quia non est existentia, & ante existentiam nihil positiuum potest creatura possibilis recipere à Deo, existentia enim est fundamentum primum cuiuscunque formalitatis positiuae ponendae in creatura, imo etiam Deus vult nihil positiuum ponere in illis, sicut vult existentiam non tribuere ipsis, neque est negatiuum per modum puræ negationis existentiae, quia adhuc supposito tali decreto creatura possibilis manet in esse possibilis; vnde non destruitur in esse talis: ergo adhuc manet capax existentiae, quare Deus reflexe cognoscit, nolle se dare existentiam possibilibus, etiamsi ex se sint possibilia, & capacia existentiae, quatenus distinguuntur ab impossibilibus, quibus omnino repugnat existentia, ac proinde sunt incapacia omnino existentiae; atqui vt detur negatio alicuius formalitatis, debet dari in subiecto illius incapacitas ad illam, in quo distinguitur pura negatio à priuatione: ergo si in creaturis possibilibus non datur repugnantia ad existendum, non dabitur incapacitas ad illud, ac proinde post decretum non dabitur negatio pura existentiae. Item neque ponetur ex vi talis decreti priuatio existentiae, quia creatura possibilis ex se, & quatenus per modum obiecti antecedit decretum, habet priuationem existentiae in quo distinguitur à creatura existente, quae non caret priuatiue existentia: ergo non ponitur talis priuatio ex vi decreti Dei, quia in eodem subiecto non datur duplex priuatio eiusdem formalitatis, cum vna sufficiat, frustra enim fiunt per plura, quae possunt fieri per pauciora, praecipue quia de nouo non ponitur priuatio, nisi destruendo formam oppositam, sed Deus ex vi talis decreti non destruxit existentiam in creaturis possibilibus, quas decreuit non facere, alias ante omne decretum ex se haberent existentiam, quam destrueret Deus per decretum, quod est falsum.

272 Deinde, quia ipsi aduersarij asserunt non posse Deum introducere negationem, aut priuationem primario, sed secundario in aliquo subiecto ad

ad introductionem formæ positivæ, Tum quia ipsi asserunt, negationem, sicut non est primario ens, hoc est primario non datur à parte rei non posse primario esse bonam & amabilem, ac proinde non posse primario a mari, & produci. Tum denique quia nemo intendens ad malum operatur; atqui privatio est malum: ergo non potest Deus intendens primario priuationem ponere illam in subiecto, sed ex alio capite nullam inroducit positivam formam Deus in possibilibus: ergo nullam privationem in ipsis introducit.

273 Confirmatur evidentius, quia in effectibus præsertim moralibus, potest Deus multa libere velle, quæ non faciunt in rebus specialem mutationem physicam realem: ergo non est illa necessaria ad actum liberum dei. Antecedens sic probatur, quia Deus potest transferre dominium alicuius rei, quod habet aliqua persona in aliam &c. vt supra late probatum manet: ergo.

274 Declaratur; quia sine dubio potest Deus primam gloriam dare propter primum actum contritionis supernaturalis, non solum titulo hæreditatis debitæ filio per gratiam, sed etiam titulo mercedis debitæ operi, at vero sive Deus voluerit vtrumque titulum, sive alterum tantum nihil reale additur, vel affertur: ergo decretum liberum potest fieri sine aliqua mutatione intrinseca in creatura.

275 Dices, productionem gloriæ primæ fore realiter distinctam, si daretur gloria titulo mercedis, aut si daretur titulo hæreditatis, vel si daretur vtroque titulo simul, absolute enim dicunt adversarii, transeuntes actiones Dei, etiam si terminentur ad eosdem prorsus effectus, esse realiter distinctas per ordines reales ad diuersos fines intentos à Deo.

276 Sed contra; quia si præsupponetur intra Deum in creata intentio distincta, fortasis in ordine ad illam aliqua probabilitas suaderet, esse distinctam productionem primæ gloriæ; cæterum quia non supponitur intra Deum hæc intentio determinata, & completa per vos, sed completur, ac determinatur per transeuntem productionem gloriæ non potest esse distincta productio, quia distinctionem realem acciperet per ordinem realem ad se ipsam. Etenim productionis ordo ad totum, quod est realiter intra Deum, & in eius volitione secundum hanc sententiam non potest esse distinctus, quia totum est indifferens ad quaslibet intentiones diversorum finium, ideoque distinctio realis in ordine ad diuersas intentiones accipi non potest, nisi in ordine ad diversas productiones constitutiuas diuersarum intentionum, involvitur ergo contradictio inter hanc solutionem, & principia huius sententiæ.

277 Deinde ex prædicta sententia sequeretur, quemlibet prædestinatum ab instanti conceptionis habere realem formalitatem propriam prædestinatorum, & entitative supernaturalem, quamvis neque baptismum neque fidem suscepisset, sed multis criminibus teneretur; vnde prædestinatio poneret aliquid in prædestinato, poneret enim actionem Dei creantis animam, quæ actio realiter, & entitatiue distingueretur à creatione cæterarum animarum per intentionem efficacem dandi gratiam, & gloriam.

Tandem refutatur hæc solutio supponendo, quosdam esse fines intrinsecos, ad quos vniuscujusque rei natura destinatur; ij autem non possunt esse diversi sine reali diversitate rerum quæ destinantur ad illos, quare de finibus intrinsecis non agitur in præsenti, sed de finibus extrinsecis, quos ab invicem potest agens liberum separare, quemadmodum ignis potest accendi ad comburendum, vel ad illuminandum, vel ad coquendum quo supposito, nullo fundamento nititur distinctio realis inter productiones ignis, ex eo quod destinentur ad distinctos fines extrinsecos, & separabiles ad inuicem similiterque productio gloriæ non erit realiter distincta ex eo quod destinetur ad distinctos fines separabiles ad invicem, videlicet dandi hæreditatem filio, vel reddendi mercedem operario; clarius deprehenditur falsitas istius solutionis, quando Deus vult non producere, vt supra diximus; tunc enim contraria sententia negationem causalitatis realis accipit pro connotato complentem diuinam volitionem, non producendi. Quo supposito, prædicta negatio causalitatis destinari potest ad finem prædestinationis, vel reprobationis, & destinari potest ad incarnationem, vel ad permittendum peccatum, & eligi potest vt medium ad vlteriorem finem, vel non ordinando illam ad alium finem. In omnibus his diuersitatibus finium & intentionum, nihil reale diversum esse posset; in connotata negatione causalitatis: ergo distinctæ Dei intentiones diversorum finium reperiri possunt absque diversitate reali creaturarum. Quod totum foret evidentius in decreto, quo voluisset efficaciter vt potuit, nihil producere per totam æternitatem; quod eligere potuit, vel propter exercendum supremum dominium, vel præcise, quia nulla re creata indigebat. Alios autem plures fines intendere potuit per negationem cuiuslibet causalitatis vsque ad instans productionis mundi, & per negationem productionis infinitarum rerum, quæ nunquam sunt producendæ.

Deinde sensus litteralis à Deo intentus in singulis locis scripturæ potui esse varius, & multiplex, manentibus eisdem verbis, eademque revelatione Dei quoad totam realem entitatem. Similiterque Mystica significatio legalium figurarum, & operum Christi Domini per Spiritum sanctum intenta varia, & multiplex potuit esse, manentibus figuris, & operibus absque vlla reali diversitate. Potuit ergo Deus distinctas significationes intendere absque vlla diuersitate creaturarum. Nisi forte dicas, impossibile fuisse Deum non intendisse quoslibet sensus possibiles, & excogitabiles ab expositoribus; quod alienum foret à veritate, & à mente omnium expositorum eligentium vnum sensum alio reiecto, & vnam significationem mysticam alia relicta.

## SVBSECTIO IV.

### *Ex libero inefficaci actu diuinæ voluntatis oppugnatur sententia aduersariorum.*

278 PRimo quia Deus inefficaci voluntate vult omnes homines salvos fieri, ipsisque quantum est ex se vult conferre gloriam æternam: sed ex vi huius voluntatis nulla fit mutatio intrinseca physica in gloria, & hæc voluntas est libera, in Deo: ergo ex vi decreti liberi non datur necessario mutatio physica intrinseca in creaturis, ad quas terminatur. Maior est certa, & pater primo ex illo *Ezech.* 18. [Nunquid voluntatis meæ est mors impij, Dicit Dominus, & non vt convertatur à viis suis, & viuat? ] *& in fine capitis* [quia nolo mortem morientis dicit dominus, revertimini, & vi-

vite. [ Deinde *cap.* 33. hæc habet idem Propheta: [ sic loquuti estis dicentes, iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis tabescimus omnes; quomodo ergo viuere poterimus viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat; conuertimini, & conuertimini, & quare moriemini. ] Quibus verbis absolute testatur Dei voluntas, qua vult omnium hominum salutem, etiam infidelium & obstinatorum, seu damnatorum; ad quod perpendenda est illa particula, vt conuertatur à via sua & viuat; in qua conuersio, & actualis vita, & non sola potentia continetur. Deinde ingeminata illa exhortatio conuertimini, conuertimini, sicut præcedens non ad potentiam sed ad ipsum actum extorquendum dirigitur: cum tamen eadem foret miserorum irrisio crudelissima, si aliunde præoptat Deus quantum ex se est, habere quod puniat æterna morte, & eo fine procurat media permittendi finalem impœnitentiam.

279 Dices his verbis solum contineri quandam declarationem diuinæ voluntatis, & non promissionem nostræ salutis.

280 Sed contra primo, quia hic solum intendimus probare dari in Deo, voluntatem in efficacem circa salutem hominum: ergo si hic declaratur talis voluntas cum veritate, & certitudine per vos; manifeste sequitur dari in Deo talem voluntatem.

281 Secundo contra; quia in his verbis contineri promissione salutis nostræ aduertit cœlestinus primus *epist.* 2. *ad Episc. Galliæ cap.* 2. dicens: [ cum Deus ad subueniendum sit paratissimus, & inuitans ad pœnitentiam, sic promittat peccatori, inquiens; quacunque die ingenuerit peccator, peccata eius non imputabuntur ei, & iterum, nolo mortem peccatoris, sed tantum conuertatur & viuat; salutem homini adimit qui mortis tempore pœnitentiam denegauerit. ] Promittit ergo Deus, se fore semper ad subeundum paratissimum, ita vt peccator actualiter conuertatur, & viuat quantum est ex parte Dei, si per hominum non steterit.

282 Secundo probatur verbis *Matth.* 23. [ quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti: ] vbi Hilarius *suo can.* 24. *fine* [ frequenter (inquit) congregare illos voluit prædicationibus Prophetarum sed frustra hunc impendit affectum, & in casum tanquam gallina congregans pulsos suos continere eos sub alis suis voluit; terrena videlicet, nunc, & domestica avis factus quodam corporis sui, tanquam alarum operimento calorem, vt pullis suis vitæ immortalis indulgens, & involatum velut in nouam generationem producens ] & *post pauca* [ huius igitur familiaris, ac pœnæ terrenæ auis more congregare eos intra se voluit; vt qui conditione nascendi editi iam fuissent; nunc alterius generationis ortu, & calore confouentis renati in cœleste regnum tanquam pennatis corporibus euolarent. Quod quia noluerunt, domus eorum vacua, & deserta relinquetur idest indigni habitatione spiritus sancti erunt. ] Nihil itaque deficit ex parte diuinæ voluntatis, vt sub alas actualiter congregentur, sola voluntas resistit humana. Idem clarius ex hoc testimonio colligit Chrysost. *hom.* 9. *de laudibus Pauli, in fine* cuius verba referemus *sect.* 5. *num.* 7.

285 Tertio Probatur ex illo *Matth.* 18. ibi: [ sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis: ] vbi Hyeronim. [ quotiescunque perierit aliquis ex pusillis, non voluntate Patris perit ] clarius D. Thomas *in proprio commentario* ait: [ minus dicit, & plus significat, quia voluntas eius est vt saluentur ]; id quod manifeste deducitur ex superiori contextu; illa namque voluntas cœlestis Patris traditur à Christo Domino, tanquam conclusio collecta ex Parabola de centum ouibus, & vna earum errante. Cui proinde subiungit præceptum de correptione fraterna, vt omnes cooperentur, quantum in ipsis est prædictæ Dei voluntati.

Sed efficacius omnibus his probatur ex verbis 284
Pauli 1. *ad Timot. cap.* 2. ibi: [ qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus. ] In quibus verbis vt optime notauit P. Herize primo dubium non est in illa particula, vult, significari actum liberum Dei secundo dubium non est in illa particula omnes homines, significare hominum pluralitatem.

Dubitatio autem duplex potest esse; prima erga obiectum illius actus liberi, secunda erga hominum vniuersitatem, an de singulis sigillatim verum sit, Deum ipsis velle obiectum bonum per actum liberum volitum; in vtraque dubitatione pro certo habeo & obiectum volitum esse gloriam, & homines, quibus illam vult, esse omnes sigillatim nullo excepto; prima pars patet manifeste ex contextu Pauli. Nam velle talnum fieri est velle salutem in proprietate sermonis, non vero velle auxilia sufficientia ad salutem; ergo qui affirmat, obiectum eius actus liberi esse gloriam cum omni proprietate retinet mentem Pauli non vero qui affirmat, auxilia sufficientia esse tantum obiectum quoniam illa solum metaphoricè & per tropum sunt salus; quia nimirum possunt esse causa salutis; atqui ex Augustino *lib.* 3. *de doctrina christiana cap.* 10. docemur verba scripturæ cum omni rigore, & proprietate intelligere, cum non cogimur ad absurdum ex attenta proprietate: ergo affirmari non debet, obiectum huius actus liberi esse auxilia sufficientia tantum, quæ methaphoricè sunt salus hominis; quod vero ex eo obiecto nullum sequatur absurdum in progressu faciemus manifestum.

Secundo id probo; nam si Deus nollet salutem 285
hominum sed tantum significare se velle ratione præparationis mediorum non obsecraret Apostolus pro omnium salute vota facere: Probo hanc consequentiam, quoniam si in Deo non esset voluntas gloriæ, per quam serio & ex animo ex optaret hominum salutem, Paulus non constitueret solidum, atque reale motiuum orandi pro omnibus, sed solum significatum, & simulatum.

Tertio probo ex illa Paulina causali; vnus enim Deus, in qua ideo allegat Dei vnitatem vt moueat nos fundere preces vt intelligamus vnum Deum esse omnium hominum creatorem, promisorem, & Patrem, qui vt summe bonus homines suos quasi filios amat, at saluos esse cupit, quantum est ex parte sua. Qua ratione optime nos moret ad fundendum preces pro singulis hominibus, nullo excepto; quod si in Deo non esset desiderium liberum, quo vere cuperet salutem hominum, non proponeret solidum motiuum sed inane.

Tertio ex alia causali vnus, & mediator Dei, 284
& hominum; ex qua ita formatur ratio, Deus ita cupit nostram salutem, vt pro eius consequutione filium suum mediatorem nobis donauerit: ergo debetis fidenter preces fundere ad Deum tam bonum, qui vt consequamini salutem, Vnde præordinauit Filij sui incarnationem, Vnde ex

ex hoc contextu convicti graviores Theologi, atque Pauli expositores in hanc mentem conspirarunt; ita Benedictus Iustinianus gravissimus commentator epistolarum Pauli; ita Cornelius à Lapide eruditus & subtilis. P. Salmeron *disp. 5. in 1. epistol. ad Thimot. §. est ergo quædam voluntas: Est ius in hunc locum*, & Stapleton *in epist. Pauli ad Roman. cap. 9. num. 19.* Ita quoque nostri Scholastici Pater Molina elegantissime *in hunc articulum. 6. & in concordia. q. 14. art. 13. disput. 10. & disp. 23. membro. 2.* P. Suarez *1. p. lib. 4. de prædestinat. lib. 1. & 2.* P. Lessius *de auxiliis. disp. de prædestin & reprobatione Angelorum & hominum sect. 6. in 1. assert*, P. Vazquez. *1. p. disp. 85. cap 2. 3. & 4.* P. Salas *tom. 2. in 1. 2. tract. 11. disp. 2. sect. 3. post. tertiam conclusionem.* P. Arrubal *disp. 50. cap. 2.* Mitto omnes recentiores Thomistas, quoniam ab his Doctoribus res hæc nervosè confirmata, & copiosè locupletata est. Expendat lector quænam sit maioris momenti authoritas; an horum præclarissimorum Doctorum qui magnam in Paulo ex professo operam posuerunt, an eorum antiquorum scholasticorum quos pro se adducit is suscitator eius opinionis, qui obiter, & transeunter rem tractarunt, sed nec hoc iure concedi debet oppositæ parti, quoniam, vt dicimus *infra. num. 70.* ea quoque auctoritas à nobis infringenda est vbi videbimus merito P. Molinam dixisse eam opinionem esse authoritate destitutam.

287 Hoc idem docent D. Damascen. *lib. 1. de fide. cap. 29.* explicans verba Pauli supra adducta, ibi: [ quin illud quoque nos ne fugiat Deum, vt bonitate præstantem primarie quidem omnes homines seruari, ac regni sui compotes esse velle; nec enim supplicij, ac cruciatus causa, verum ad hoc vt bonitatis ipsius participes simus, nos effinxit. ] Quid clarius, & evidentius; prosequitur ipse Damascenus, [ neque latendum est, deum præcedenter velle omnes salvari, & regnum eius consequi, nec enim ad puniendum nos plasmavit, sed vt efficit bonitatis suæ participes. ] In quibus verbis per illam particulam *præcedenter*, significat voluntatem antecedentem Dei, seu inefficacem terminatam ad nostram salutem, & regnum æternum; Clarius tamen ipse Damascenus sic loquitur *in Dialogo contra Manich. pag. penult.* ibi: [ neque enim cur sceleratus pœnas luat iudex causa est, etiamsi ipse volens sententiam ferat; verum is, qui facinus admisit, pœnam sibi ipsi accersit; iudex autem iustitiæ causa est, iustitiam porro bonam rem esse constat; quamvis enim volens iudicet, non tamen primariæ voluntatis ratione iudicat, sed secundariæ: primarie namque Deus ex seipso vult omnes homines salvos fieri, atque ad veritatis agnitionem venire; cum autem peccamus vtilitatis nostræ causa, nos castigari vult. Ita primaria Dei voluntas bonitatis est, secundaria iustitiæ. ] Ergo secundariæ, seu consequentis voluntatis obiectum est tale, vt non sit bonum, neque amabile ex ipso Deo, sed occasione earum rerum, quæ contingunt. Contingentia vero sic esse libera, vt non sint necessaria, neque ad vnam partem determinata Damascenus sæpe notat.

288 Ratio autem huius à priori est; quia maxima honestas datur in volitione mediorum ex intentione finis honesti: ergo volitioni diuinæ amorem huius honesti obiecti negare non debemus; consequentia hæc patet, quia sicut scientia Dei propter infinitatem in ratione scientiæ cognoscit omne cognoscibile, ita volitio diuina amat omne amabile, in quo nulla est imperfectio: ergo negandum non est dari illam in Deo. Antecedens manifestum est; nam producere creaturas, vt glorificent creatorem, maxime honestum est; ergo non potest non à diuina volitione amari; præcipue quia hoc vniversum propter hominem, & homo propter beatitudinem condita sunt: ergo.

Iste autem amor non potest esse efficax, quia 289
efficax voluntas Dei semper impletur ac consequitur id, quod vult, sed gloria omnium hominum nullo excepto, non mandatur exequutioni, licet velit Deus quantum est ex se, vt exequutioni mandetur: ergo talis voluntas gloriæ omnium hominum non est efficax, sed inefficax; cuius inefficacia sic explicatur; quia affectus, qui dicitur inefficax respectu alicuius, vt est volitio talis finis, & ex qua operatur amans illum, ita se habet, vt ex vi illius non consequatur finem vt in casu nostro contingit respectu Dei; quod non est propter defectum in volitione, aut in medio apposito, sed propter defectum creaturæ liberæ; cum vero Deus sic operatur ex intentione finis, & simul ex electione medij appositi, semper causalitas distincta est propter essentialem ordinem, quem habet & ad intentionem inefficacem, & ad electionem ab ea, qua produceret, si Deus ex vnico tantum ex illis actibus operaretur; in quo casu distinguenda est duplex voluntas in Deo, alia est intentio inefficax finis, seu gloriæ, alia electio efficax: hæ vero volitiones distinguuntur à nobis per obiecta; nam prior comparatur ad gloriam, & beatitudinem; posterior ad auxilia quæ sunt medium ad talem finem: quia vero obiectum electionis exequutioni mandatur, futurum que redditur ab æterno efficax volitio dicitur, nam absolute vult Deus tribuere plura auxilia congrua, & innumera sufficientia, vt videre est in reprobis, quibus Deus de facto concessit in vita auxilia congrua plura, & innumera sufficientia ex intentione antecedenti dandi omnibus gloriam, idest quia Deus quantum est ex se volebat omnes homines salvos fieri, etiam reprobos, elegit efficaciter alio decreto talia media, quibus si vellent reprobi cooperari in gratia discederent, & compararent beatitudinem; quia vero talis electio fuit causa, vt auxilia illa ex possibilitate transirent ad futuritionem ab æterno, ad actualitatem in tempore, ideo vocatur efficax.

Cum autem ex alia parte obiectum intentionis 290
v. g. gloria omnium hominum nunquam sit exturum, neque vnquam transivit ad esse futurum, sed potius absolute relinquendum sit in statu possibilitatis; ideo inefficax dicitur talis intentio, vt distinguitur ab electione.

Dices, talem intentionem non extendi ad om- 291
nes homines, etiam reprobos, sed solum ad prædestinatos, cuius gloria futura fuit ab æterno, & existit in tempore, ac proinde esse efficacem, & non inefficacem, quia in deo nulla datur voluntas inefficax: illa autem particula omnes homines, non debet intelligi ita vniversaliter, vt loquatur etiam de reprobis, sed solum ita debet explicari, vt ex omnibus aliqui amentur ad beatitudinem, videlicet, qui de facto consequuntur illam, eo modo, quo dicitur, omne animal fuisse in area Noë.

Sed hæc explicatio est aperte, & immediate 292
opposita contra sanctos Patres, & præcipue contra D. Chrysostomum *homil. 9. de laudibus D. Pauli. tom. 3. in fine*, vbi sic ait: [ ipse quidem vult omnes saluos fieri, at non omnium voluntas eius voluntati obsequitur, neque ab eo aliquis

cogitur, vnde & ad Ierusalem sic dicit, Ierusalem, Ierusalem quoties volui congregare filios tuos & noluisti; vides quod Dominus saluare nos vult, nos autem quia nos ei non adiungimus, maneamus in interitu; Deus autem paratus est ad saluandum hominem non in voluntarium, neque non volentem. ] Ecce quomodo D. Chrysostom. his verbis aperte docet, omnes homines Deum velle saluare, etiam reprobos, & non stare hoc ex parte Dei, sed potius ex voluntate ipsorum, qui nolunt tali voluntati cooperari: vnde talis voluntas, quæ exequutioni non mandatur propter culpam eorum, non potest esse efficax, sed inefficax.

293 Audiamus Augustinum, *lib. de spiritu, & litter. ad Marcel. capite* 33. vbi his verbis mirifice hanc veritatem declarat: [ vult autem Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male vtentes iustissime iudicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt; cum eius Euangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno, & summo bono malisque pœnalibus implicant experturi in supplicciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt. ] Vbi aperte D. Augustinus docet, contra voluntatem Dei facere reprobos, qui non credunt, neque saluantur propter sua scelera: ergo ex Augustino datur voluntas in Deo, qua vult, damnatos bene operari vt talibus operibus vitam æternam consequantur; sed hæc voluntas non potest esse efficax, alias exequutioni mandaretur & impleretur ad vnguem; quia nemo est, qui possit resistere voluntati eius; sed hæc voluntas non impletur, sed potius ei resistit peccator, & oppositum illius exequutioni mandat ipse: ergo talis voluntas est inefficax quæ omnia P. Prosper fidelissimus discipulus Augustini his verbis docet, *l. b. ad capitula Gallorum sentent.* 8. [ Item qui dicit quod non omnes velit Deus saluos fieri, sed certum numerum prædestinatorum durius loquitur, quam loquendum est de altitudine inexcrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes vult saluos fieri, atque in agnitionem venire veritatis, & voluntatis suæ propositum in eis implet quos præscitos prædestinauit.

Ecce quomodo D. Prosper reprehendit coarctantes vniuersalitatem verborum Pauli ad certum numerum hominum, asseritque durius loqui qui ita coarctat diuinæ misericordiæ largitatem, quam decet tantam magnificentiam, vnde *lib. 2. de vocatione Gentium, cap.* 19. explicans locum hunc Pauli sic ait: [ non oportet, nisi perpetuum, æternumque sentiri secundum eas mensuras, quibus Deus dona generalia specialibus nouit cumulare muneribus, vt & qui exhortes gratiæ fuerint, de sua nequitia redarguantur, & qui eius lumine enituerint, non in suo merito, sed in Domino glorientur. ] Ecce in his verbis illud vult omnes saluos fieri, etiam pertinere docet ad exortes gratiæ comprehendendo reprobos, *& capite* 23. explicans eundem locum etiam vult in ea sententia parvulos comprehensos. [ Non irreligiose inquit, arbitror credi, neque inconuenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper vniuersis est impensa nationibus. ] Quis autem dicat in his verbis non comprehendi plusquam prædestinatos, *& cap.* 25 sic ait: [ siue igitur nouissima contemplentur sæcula, siue prima, seu media rationabiliter, & pie creditur, omnes homines saluos fieri Deum velle, semperque voluisse, & hoc non aliunde monstratur, quam de his beneficiis, eaque prouidentia Dei, quam vniuersis generationibus communiter, atque indifferenter impendit. ] Ecce Prosper egregie colligit ex beneficiis gratiæ indifferenter omnibus impensis voluntatem generalem Dei omnes saluos faciendi; nam vt illa ex sua natura ordinatur ad eum finem, ita ex voluntate Dei.

De Chrysostomo mihi dubitare non licet, in 294
nostra esse sententia primum, quia *hom. 1. in epist. ad Ephes.* ita ait: [ secundum propositum voluntatis suæ perinde est, quia vehementer velle fieri, hoc ipsius erat desiderium, ] *& infra*, [ hoc est quod mirum in modum cupit vehementer, desiderat nostram ipsorum salutem. ] Nihil clarius dici potuit, *& homil. 7. in 1. epist. Pauli ad Thimot.* explicans nostra verba, [ imitare (inquit) Deum tuum; nam si omnes ille vult saluos fieri, merito pro omnibus operatur, nihil desiderat ex his, quæ apud nos sunt, nisi nostram salutem, hanc vehementer vult, &c. Nihil euidentius posset ego ipse excogitare ad meam sententiam confirmandam; nam ideo ait Chrysostomus, orandum esse pro omnibus, etiam reprobis, quia omnes etiam reprobos vult Deus saluos fieri.

Nec quæ ab aduersariis expenduntur pro sua 295
sententia alicuius momenti sunt; quia licet concedamus, Deum non vehementer cupere salutem omnium etiam reproborum; nihilominus non potest dubitari, quod saltem inefficaciter amet, & & desideret salutem reproborum, vt euidenter patet ex testimoniis Sanctorum Patrum à nobis adductis, quod clarius liquet ex verbis Augustini ad articulos sibi falso impositos, ibi: [ sincerissime credendum est atque profitendum, Deum velle vt omnes homines salui fiant; siquidem Apostolus, cuius ista est sententia, solicite præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur, ex quibus quod multi pereunt pereuntium est meritum; quod multi saluantur, saluantis est donum. ] Quid clarius, & expressius; quod etiam docuerat ante Cyprianus de Oratione Dominica, dum interpretatur petitionem tertiam, fiat voluntas tua, ibi: [ potest etiam sic intelligi, vt quoniam mandat Dominus, inimicos diligere & pro his quoque qui nos persequuntur, orare, petamus & pro illis, qui adhuc terra sunt & necdum cœlestes esse cæperunt, vt circa illos voluntas Dei fiat merito & nos qui esse debemus Deo Patri similes, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos & pluit super iustos, & iniustos; sic Christo monente, oramus & petimus, vt precem pro omnium salute faciamus, vt qui adhuc sunt prima natiuitate terreni, incipiant esse cœlestes ex aqua, & spiritu nati, ] fidelium igitur oratio, quam Christus Dominus imperauit fieri pro salute omnium, etiam infidelium probat voluntatem Dei conferendi salutem bonis, & malis quantum ex se est, hæc enim voluntas Dei est exemplar, & causa efficiens istius præcepti.

Ergo saltem simplici complacentia, & ineffica- 296
citer Deus vult salutem omnium hominum etiam damnandorum; quia Deus vult eorum salutem; aut qui non datur medium inter voluntatem efficacé, & inefficacem: ergo si non vult efficaciter per vos, saltem erit inefficax voluntas saluandi omnes; quod expresse docuit Ignatius *epist. 6. ad Philadel.* non procul à principio his verbis: [ Oportet separari ab infidelibus, & monere eos, & ad pœnitentiam

tentiam prouocare; si forte audiant, & acquiescant. Amator enim hominum & Deus noster, & vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Propter quod & solem oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos; cuius vtilitatis etiam Dominus volens esse imitatores dicit, estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.] Vide generalitatem diuinæ voluntatis ad omnes homines, vnde nascitur generalis obligatio exhortandi omnes, & orandi pro omnibus. Quod autem hæc dicat propter pœnitentiam omnibus hominibus, & de quibuscunque peccatis possibilem misericordiam Dei, clarius constat ex eodem Ignatio *epistol. ad Smyrnenses, inter medium, & finem*; dicente: [omnia quæcunque agitis, & facitis iam mutabilia sunt, vt corrigamus nos in Deo cum tempus habemus pœnitendi. Quod enim incertum est, non habet confessionem,] nimirum tempus mortis secundum illud *Psalm. 6*: [quia non est in morte, qui memor sit tui.]

297 Irenæus *libro quarto, capite 71.* ait; [vis à Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper, & propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus, possit autem in homine potestatem electionis.] Ponderat primo, bonam sententiam Deo semper adesse, quantum ex se est, vt velit, ac desideret omnibus bonum; secundo inde prouenit, etiam bonum consilium dare omnibus. Deinde iterum, atque iterum Irenæus repetit, Deum omnibus dare bonum.

298 Ephrem Cirus *serm. de vitâ religiosa, atque monastica pag. 6.* sic ait: [Deus animarum nostrarum vulnera sanat spretusque à nobis mirabiliter suffert; omnes enim nos saluare cupit, & omnes regni sui hæredes, & possessores fieri desiderat, vult etiam voluntatem nostram, atque propositum à se laudari, certis quanto desiderio salutem nostram sit iat, quantoopere nos saluare cupiat, qui pro omnibus operandum esse præcipit.]

299 Dices, quod cum nesciamus, quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic etiam affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri & oremus pro omnibus, vt salui fiant, quod aliter contingeret si certo cognosceremus, qui essent reprobi, & qui prædestinati, tunc enim solum deberemus orare pro prædestinatis.

300 Sed contra, quia si de alicuius hominis reprobatione nobis certo constaret pro illo non esset ita orandum, vt illius salus peteretur à Deo per desiderium prorsus efficax, & petitionem prorsus absolutam adhuc tamen orandum esset petendo illius salutem per desiderium, quantum est ex parte nostra omnino efficax, & petitionem quantum est ex parte nostra omnino efficacem; cæterum simpliciter inefficacem, quoniam ex parte illius reprobi propter illius liberam maliciam defutura erat efficacia, licet nihil ex parte nostræ voluntatis, aut charitatis deficeret.

301 Probatur hoc exemplo Christi Domini, qui *Lucæ 23.* pro omnibus crucifigentibus orauit; quorum his, qui prædestinati erant efficaci voluntate desiderauit, obtinuitque pœnitentiam, gratiam, & beatitudinem, cæteris autem efficaci voluntate desiderauit, obtinuitque remedia, quæcunque simpliciter necessaria, vt veniam actualiter consequerentur, nisi per ipsos staret, vnde Hieronymus ad illa verba *Isaiæ 27.* [Idcirco super hoc dimittetur iniquitas Domui Iacob. Propter hoc (inquit) id est, propter Christi orationem auferetur peccatum eius, si voluerit agere pœnitentiam, & merebitur benedictionem Dei qui sibi maledictionem fuerat imprecatus; dicens: sanguis eius super nos, & super filios nostros.

Theophilactus *Luc. 23.* ad illa verba: [Pater remitte eis, nesciunt enim quid faciunt,] ait: [& vtique dimissum fuisset eis peccatum, nisi deinceps in incredulitate mansissent,] quare supponit, illis possibile fuisse actualiter obtinere veniam, si vellent. Idem colligitur ex Cypriano in sermone de Passione, inter medium, & finem, dicente, Christum Dominum in cruce pendentem orando impetrasse supplicij dilationem, & pœnitentiæ locum, & petiisse, vt aperirentur oculi eorum. Et exequenti contextu constat Cyprianum agere etiam de illis qui obstinati permanserunt in incredulitate. Itaque ex his omnibus manifeste colligitur, Christum pro omnibus etiam reprobis orasse, etiam si sciret, qui essent reprobi, & qui prædestinati, quia ipse Christus, qui pro omnibus orabat, sciebat, Deum non solum salutem prædestinatorum velle, vt his verbis docuit S. Clemens Romanus *libro 2. constitut. apostolicar. cap. 59.* ibi: [Nos ergo qui digni facti sumus vt essemus testes aduentus ipsius cum Iacobo fratre Domini, & aliis Septuaginta duobus, & septem diaconis eius ex ore domini nostri Iesu Christi audiuimus, & perfecte scientes dicimus, quæ sit voluntas Dei bona, placens, & perfecta per Iesum Christum nobis demonstrata, vt nullus intereat, sed vniuersi homines vnanimi sententia credentes ei & vnanimem laudem ferentes in eum viuant in æternum.] In his verbis Clemens clare tradit tanquam acceptam ex ore domini nostri Iesu Christi Deum velle vt nullus hominum intereat, & quod vniuersi viuant in æternum; cuius euidens argumentum est, Christum non solum pro prædestinatis, sed etiam pro reprobis sanguinem fudisse: ergo certissimum est dari actum inefficacem in Deo; etenim cum actum liberum Theologi omnes diuidant in efficacem, & in inefficacem non solum in creaturis, sed etiam in diuinis eligi debet opinio, quæ hæc membra illæsa custodiat, non quæ euertat; quod si ex ea opinione efficeretur, omnem actum inefficacem liberum à diuina libertate tollendum esse, potius deferenda foret opinio, ex qua hoc absurdum infertur, quam audacter pronunciare, nullum esse actum liberum inefficacem in Deo; nam quoties Deus vocat peccatorem, intendit conuersionem, desiderat, & amat pœnitentiam eius, vt expresse docuit Apostolus Petrus *epist. 2. cap. 3.* ibi: [Deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.] Salus vulgare est illud Ezechielis, *c. 18.*] numquid voluntatis meæ est mors impij dicit dominus Deus, & non magis vt conuertatur à viis suis.] Sed quoties Deus vocat peccatorem ipse non agit pœnitentiam, quia aliquando agit, aliquando non: ergo negari non debet in euentu quo vocatus non agit pœnitentiam, intentio pœnitentiæ inefficax libera.

Minor illa prima, & præcipua, in qua est tota difficultas, sic demonstratur, inquirendo ab aduersariis quam specialem mutationem realem intrinsecam faciat Deus in hominem per 302

talem actum inefficacem, nam si nullam efficit, dabitur iam actus liber sine mutatione intrinseca, ex quo arguemus, dari posse actum efficacem sine mutatione intrinseca physica. Nec potest specialis repugnantia in illa assignari; imo facilius in illa intelligetur, quia intentio quatenus distinguitur ab imperio voluntatis circa omnipotentiam, ratione cuius omnipotentia influit in existentias rerum, & datur illa mutatio nullam aliam mutationem facit in obiecto, præter logicum transitum de statu possibilitatis ad futuritionis statum, talis autem transitus denominatio solum extrinseca est, vt late probauimus in metaphysica; vnde mutatio intrinseca non datur ex vi illius actus; si vero aliqua specialis respondet illi actui, signetur quænam illa sit; ego vero ostendo nullam esse posse; quia vel illud, quod fit per hanc intentionem est aliqua mutatio pertinens ad ordinem naturæ, & hoc non, quia eadem omnino natura rationalis cum omnibus proprietatibus sibi connaturalibus posset à Deo creari sine tali intentione; sed tantum vt frueretur naturali fine. Vel illa mutatio est supernaturalis; & hæc in primis non semper fit in omni homine ordinato ad illum finem; multi enim homines nunc procreantur à Deo, in quibus nulla mutatio realis supernaturalis fit in toto tempore vitæ, vt patet in multis paruulis; neque est incredibile idem contingere in multis adultis infidelibus. Et deinde quando talis mutatio fit, non fit proxime, & immediate per illam intentionem; nam illa intentio est generalis ex se, & eadem respectu omnium, & mutatio gratiæ non est eadem respectu omnium: fit ergo in vnoquoque non per voluntatem dandi hanc, vel illam gratiam vt ijdem Auctores fatentur, quæ voluntas sufficeret ad totam illam mutationem realem faciendam, si sola necessitas ipsius effectus secundum se expectetur: ergo illi intentioni nulla respondet in effectu specialis mutatio realis, quæ ex vi illius immediate resultet.

Dices, actum illum non esse liberum, sed naturalem: sed hoc vt existimo, dici non potest; tum quia nulla creatura necessario debet ordinari à Deo ad finem supernaturalem. Tum etiam quia cum Paulus ait, Deum velle omnium hominum salutem, commendat Dei beneficium, & liberum erga homines amorem vt omnes Sancti intelligunt, & tamen loquitur de voluntate antecedenti non omnino efficaci. Tum denique quia licet illa intentio non sit absoluta de fine, tamen ex vi illius Deus vult conferre media sufficientia ad talem finem, & ita quantum est ex se vult dare illum finem: ergo non necessario, sed libere id vult; habet ergo Deus voluntatem liberam circa finem, ex qua nulla resultat specialis mutatio distincta ab ea, quæ fit per voluntatem conferendi media.

303 Dices, intentionem illam inefficacem gloriæ habere sibi correspondentem mutationem intrinsecam in creatura, quæ mutatio, licet non fiat in ipsa gloria, aut in homine respectu illius, fieri tamen mutationem in mediis ad gloriam, & in homine respectu mediorum, quæ mutatio, cum vnica sit, complet vtrumque actum liberum, intentionem videlicet & electionem.

304 Sed contra manifeste, quia impossibile est, quod duo actus distincti inter se compleantur, & vltimo constituantur per vnum & idem constitutiuum; sed intentio, & electio sunt duo actus liberi Dei: ergo non possunt vltimo constitui, & compleri per vnicam mutationem extrinsecam. Maior est certa; quia impossibile est, quod duæ substantiæ completæ distinctæ inter se vnica indiuiduatione compleantur vltimo. Item impossibile est, quod duæ actiones specie distinctæ ad eundem specie terminum formaliter ordinentur, & ratio est manifesta, quia vltimum constitutiuum alicuius in ea ratione qua vltimum est, est distinctiuum à quolibet alio: sed vnum, & idem constitutiuum non potest esse distinctiuum duorum, quæ conueniunt in constitutione per illud; quia ea, quæ distinguuntur differunt, & non conueniunt in ea ratione formalissima, qua distinguuntur; & ea, quæ habent vnum, & idem constitutiuum, non differunt, sed potius conueniunt, imo in illo identificantur; verbi gratia, si Deus poneret vnicam formam in duplici materia, talia composita non differrent formaliter, sed potius essent vnum formaliter, quia constitutiuum formale esset vnum, & idem in duobus illis, distinguerentur autem materialiter, quia materiæ essent diuersæ inter se, vnde si materia esset eadem, & forma esset eadem, nec materialiter, nec formaliter distinguerentur; quia ad hoc vt aliquid distinguatur ab alio, debet habere aliquod prædicatum, quod aliud non habet. Minor est clara: quia intentio, & electio nostro modo intelligendi se habent tanquam causa, & effectus; ideo enim datur electio mediorum, quia datur intentio finis; vnde prius intenditur finis, quam eligantur media; sed actus, qui se habent tanquam ptius, & posterius, tanquam causa, & effectus, tanquam fons, & riuus distinguuntur inter se: ergo intentio finis, & electio mediorum distinguuntur.

Deinde; quia actus distiuguuntur penes obiecta, sed intentio habet pro obiecto gloriam, & electio habet pro obiecto media, quæ distinguuntur à gloria; sicut gloria distinguitur à meritis, gloriam enim solum Deus tribuit; merita autem proficiscuntur ab homine libere, & meritorie operante: ergo electio, & intentio distinguuntur inter se. 305

Vrgetur, quia si mutatio illa corresponderet intentioni formaliter, intentio iam non esset inefficax, sed efficax. Patet hoc, quia ille est actus efficax, cui correspondet effectus à parte rei, quia efficax dicitur ab efficiendo; vnde in mea sententia, si ex vi intentionis gloriæ, glotia quæ est obiectum illius transiret de statu possibilitatis ad actualitatem, talis intentio esset efficax; quia verè efficeret aliquid sioi correspondens, sed per vos illa intentio habet effectum sibi correspondentem, existentem, & futurum: ergo est efficax talis intentio, & non inefficax. 306

Præterea, quia ideo electio per vos est efficax, quia completur per mutationem illam quæ in re datur, sed etiam eadem mutatio correspondet eidem intentioni: ergo talis intentio est efficax, sicut electio, quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis: sed tota ratio, ob quam electio est efficax, est quia illi correspondet effectus in re ipsa faciendus: sed idem effectus correspondet per vos intentioni, sicut electioni: ergo sicut electio est efficax, etiam illa intentio; 307

tio; sed vos ipsi dicitis, & latissimè probatis, *tractat. 2. disputatione 17. capite tertio, per totum*, intentionem gloriæ esse inefficacem circa omnes homines, tam reprobos, quam prædestinatos, hoc est intentionem illam vniuersalem: ergo manifestè sequitur, tali intentioni non correspondere mutationem illam, sed solum electioni.

308 Vrgetur amplius; quia illa intentio propriissime, & formalissime quatenus intentio est primario non est ad media, sed ad gloriam; vnde per vos est ante omnia præuisa media; quare tantum indirecte, aut solum virtualiter respicit illa. Sicut è contra electio directe, ac formaliter primario non respicit finem, sed media: ergo mutatio, quam dicitis correspondere intentioni, non est mutatio in obiecto primario formali, ac per se intentionis: ergo illa mutatio non complet primario, ac per se intentionem; atqui intentio quatenus intentio primario, & formaliter, & vt distinguitur ab electione, & formalissime quatenus concepta in ordine ad gloriam, est actus liber completus & adæquatus: ergo actus liber formalissime, & per se non indiget, vt sit, mutatione extrinseca in obiecto proprio facta.

309 Ex quo sic euidenter argumentor; actus liber Dei constituitur in esse completi per se, ac formalissime, non in ordine ad obiectum virtuale, sed in ordine ad obiectum formale primarium, & per se; sed in ordine ad obiectum primarium saluatur sine mutatione: ergo primario in esse completi non petit mutationem. Ex quo amplius colligo, etiam in ordine ad obiectum virtuale, & indirectum non indigere mutatione; quia si talis mutatio non requiritur, ad complendum per se, ac formaliter actum liberum, nullo modo erit necessaria; sed sine tali mutatione completus est actus liber: ergo ad complementum illius non requiritur talis mutatio. Minor hæc sic demonstratur; quia intentio, vt intentio non completur in esse intentionis per electionem, nec per obiectum electionis, quia intentio completissima est per suam tendentiam in finem, quatenus distinguitur finis à mediis, quia intentio per tendentiam ad finem, & quatenus talis est, constituitur in esse causæ completæ respectu electionis, & mediorum, quæ sunt obiecta electionis; motus enim amore finis eligo media; vnde ratio totalis eligendi media, est finis amatus, seu intentus, & ideo est vera hæc causalis ideo eliguntur media, quia finis est intentus, & amatus; è contra vero non bene valet; ideo amatur, & & intenditur finis, quia eliguntur media; vnde prior est intentio finis, quam electio mediorum; sed quod est prius non constituitur à posteriori; & quod est causa, non completur perfectum, sed potius quod est prius, completum est ante posterius, & causa vt causa prioritate naturæ est completa ante effectum: ergo intentio finis ex vi propriæ tendentiæ ad finem est completus, ac pene constitutus actus, priusquam detur electio mediorum, & media ex vi talis electionis decernantur; sed mutatio physica in creatura est ordine electionis & in obiecto illius: ergo ordine intentionis, & in obiecto illius nulla datur mutatio physica: ergo intentio in ordine intentionis, & vt est prior ipsa electione, & ordine electionis absolute, ac simpliciter est completa sine vlla mutatione physica; atqui intentio in ordine intentionis est actus liber formalissime: ergo actus liber formalissime completus, & plene constitutus non petit necessario, ac formaliter mutationem intrinsecam physicam in creatura; vnde si actus intentionis in eo, quod proprium sibi per se, ac formale habet, scilicet in suo obiecto formali, & in sua tendentia saluatur sine mutatione, à fortiori saluabitur sine mutatione in eo, quod sibi non proprie, sed per accidens conuenit.

Ex quo manifestè colligitur, omnino posse dari intentionem sine mutatione illa, quia mutatio illa non conuenit per se intentioni, sed per accidens; quia res non potest saluari sine eo, quod per se requiritur ad propriam constitutionem, optime autem saluatur sine eo quod per accidens illi conuenit.

## SVBSECTIO XVI.

*Ex variis incommodis hæc veritas propugnatur, & oppugnatur sententia aduersariorum.*

QVia si decretum liberum efficax Dei formaliter est necessaria entitas Dei simul cum extrinseca denominatione vel connotatione productionis futuræ ad extra, & idem est de diuina præscientia futurorum, sequitur euidenter, adhuc etiam in hoc tempore manere contingentem diuinam præscientiam & efficacem voluntatem rei nondum productæ; quapropter sicut adhuc est in statu contingentiæ peccare vel non peccare Antichristum; ita similiter adhuc in hoc tempore erit contingens, Deum præscisse futurum peccatum illius, & Deum voluisse illud permittere & voluisse damnari Antichristum, sequela sic probatur: quia scientia simplicis intelligentiæ & ipsa entitas Dei, seu complacentia necessaria omnium possibilium, supra quam cadit denominatio extrinseca, vt fiat decretum liberum secundum se, ac præcise consideratæ non potuerunt vnquam aliter se habere, nec aliter versari circa creaturas; solæ relationes rationis, seu denominationes extrinsecæ, vel connotationes potuerunt non fuisse (iuxta prædictam sententiam,) cum igitur eædem relationes, & denominationes proueniant ab actionibus futuris, quæ sunt adhuc in statu contingentiæ, necessarium est, non minus contingentem esse nunc statum earum relationum, seu denominationum, & consequenter adhuc esse contingens, Deum non præscisse talem actionem futuram, aut non voluisse facere bonum vel permittere malum, quod est futurum; quam rationem fusius prosequuti sumus, *tomo præcedenti de scientia Dei, tota disputatione trigesima prima, præsertim sectione 4. & sequenti*, demonstrantes iam nunc esse simpliciter necessariam & extra statum contingentiæ quamlibet præscientiam futurorum, & quamlibet liberam volitionem Dei, quemadmodum est iam extra statum contingentiæ cœlos extitisse multis retro sæculis, licet adhuc eorum existentia perseueret. 310

Secundo sequitur ex eodem absurdo, vanam & fictitiam esse certitudinem, immutabilitatem, & inuariabilitatem diuinæ præscientiæ futurorum, atque diuinæ volitionis liberæ, quin potius sicut operationes, quæ nondum fuerunt, adhuc sunt 311

in statu contingentiæ, vt possint non fieri, sic etiam relationes rationis, aut extrinsecæ denominationes, vel connotationes ex eis resultantes possunt non euenire, ideóque possunt non constituere diuinam præscientiam futuritionis, & diuinam volitionem liberam; consequenter igitur præscientia, & volitio provt versatur circa futuras operationes, non minus incerta est, nec minus mutabilis & variabilis, quàm futuræ operationes nisi præscientia, & volitio habeant ab intrinseco realem, & veram tendentiam ad illa obiecta determinate, quæ non constituatur nec compleatur relatione rationis vel denominatione, seu connotatione.

312 Deinde; nulla laus esset, diuinam præscientiam non posse falli, neque perfectio illius debere iudicari; quoniam illius infallibilitas in eo formaliter, atque præcise consisteret, quod denominatio extrinseca, seu connotatio non posset esse alia, nisi quæ resultat à futuris actionibus; quòd si aliæ futuræ fuissent actiones, aliæ connotationes, aut denominationes resultarent: itaque nulla repræsentatio futuritionis daretur in Deo, quæ non posset à futuritione discordare sed sola denominatio à futuritione resultans, est quæ non potest à futuritione discordare: hac enim ratione mea præscientia non posset falli, tantaque pollet infallibilitate, quanta diuina præscientia, quando ego scio, cunctos homines posse peccare, & posse diuinam legem seruare, quæ possibilitatis præscientia constituetur præscientia peccati, quod est futurum per extrinsecam denominationem ex eo resultantem, & hanc erit impossibile falli; sicut erit impossibile præscientiam constitutam per denominationem à futura obseruantia diuinæ legis.

313 Vltimo sic probatur nostra veritas, & manifestè refellitur sententia aduersariorum: nam si interrogemus ab aduersarijs, cur hæc creatura, quæ connotatum extrinsecum diuinæ volitionis dicitur, fuerit futura ab æterno, & existat in tempore, nullo modo poterit cordatus Theologus respondere, & tribuere hanc rationem huic interrogationi, quia à se talis est, aliàs esset Deus, & non creatura; nam quod à se est Deus, est, imo nunquam fuisset futura, sed semper fuisset actu; quia quod à se est, necessario est actu, & non futurum; in æternis enim idem est posse esse, & esse: ergo debet respondere dicendo; quia potiùs voluit Deus hanc creaturam esse futuram, & actualem, quàm alias innumeras, quæ in statu puræ possibilitatis in æternum relinquuntur non extituræ: ergo hæc volitio Dei est causa cur hæc creatura potius sit, quam alia: Vt inquit D. Augustinus *tom. 3. lib. 3. de Trinit. cap. 4.* his verbis: [voluntas Dei est prima & summa causa omnium corporalium specierum, atque motionum: nihil enim fit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiori, inuisibili, & intelligibili aula summi Imperatoris iubeatur, aut permittatur, nullasque naturas à Dei voluntate seiungimus, qui est auctor omnis, conditorque naturæ] *& tom. 5. lib. 5. de ciuit. Dei cap. 9.* sic ait [diuina voluntas est causa omnium rerum: ipse prior dilexit nos] *& tom. 4. lib. de catechism. cap. 4.* hæc profert. [& ideo bona voluntas Dei præcedit; nec possumus esse amatores, sed solum redamatores Dei; hinc gratis dedit quidquid dedit, quod signatis dedit, gratis ama Deum] & idem docet *tom. 8. super Psalm. 5. & tom. 9. tract. 3. super Ioann.* cuius vestigijs insistens D. Thom. 1. *p. q. 19.* vniuersaliter docuit voluntatem liberam Dei esse causam rerum, quod adeo verum est, vt omnes scholastici Theologi asserant, esse articulum de fide, cuius oppositum sit hæreticum dicere, voluntatem Dei liberam esse causam rerum.

Si autem interroges cur detur in Deo volitio huius creaturæ potius, quàm alius, non poteris respondere, quia datur hoc connotatum futurum, quia sicut effectus non est causa causæ, ita effectus non potest tribui pro causa, seu ratione existentiæ causæ. Vnde qui diceret, ideo Deum velle hoc futurum potius, quam aliud, & dari potius volitionem huius quam alterius, quia hæc potius quam alia futura creatura est, irrideretur sine dubio à sapientibus, tum quia circulum vitiosum committit in tali responsione, tum quia tribuit pro ratione existentiæ causæ seu pro causa causæ ipsum effectum talis causæ, quod est omnino ridiculum, quia euidenter sequitur de primo ad vltimum idem esse causam sui ipsius, quia quod est causa causæ est causa causati, sed per vos connotatum extrinsecum est causa volitionis diuinæ, seu est ratio cur sit hæc volitio, & volitio est causa seu ratio, cur sit hoc connotatum: ergo de primo ad vltimum hoc connotatum est causa sui ipsius, & est ratio cur idem ipsum connotatum sit, quod est omnino absurdum: ergo manifestè sequitur ex hoc, connotatum extrinsecum non esse constitutiuum volitionis diuinæ, quia si constitutiuum esset illius sine vllo circulo vitioso, sine vllo inconuenienti, ad quod vltimo necessario deueniendum esset, tribueretur pro ratione volitionis diuinæ ipsum connotatum, sicut v. g. quia anima rationalis constituit hominem sine vllo circulo, ac sine vllo incommodo tribuitur pro causa existentiæ hominis ipsa anima existens in materia, ex qua nulla ratione cogimur ad redeundum ad hominem, tribuendo illum pro causa existentiæ animæ in materia, quia huiusmodi regressus à causa ad effectum nullo modo potest fieri secundum rectam Philosophiam. Vnde si iterum interroges, cur existat anima in materia vt constituat hominem, si causa à priori tribuenda est, non dicimus, quia homo componitur ex illa, sed potius recurrimus ad Deum dicendo, quia Deus, qui est à se, & liber est, habetque infinitum, & plenum dominium circa omnes res, voluit pro suo libito creare hanc animam & vnire illam materiæ.

Sed nullo modo potest tribui pro causa à priori 314
existentiæ huius volitionis potius, quam alterius, quæ est causa huius connotati, ipsum connotatum futurum, aut actuale: ergo euidenter sequitur, connotatum illud siue futurum, siue actuale non esse constitutiuum à priori actus liberi Dei: ergo alio priori & intrinseco constitutiuo gaudet intra se in creato, & infinito talis actus liber Dei, quia talis actus liber Dei non est minus diuina, increata, & imparticipata perfectio, quam relationes, & absoluta attributa Dei; sed quia tales perfectiones sunt diuinæ increatæ, & imparticipatæ, adæquate, & totaliter constituuntur intrinsecis, diuinis, increatis, imparticipatis & intrinsece existentibus intra Deum: ergo similiter propter eandem rationem actus liber Dei non constituetur deforis emendicato à creaturis imperfectissimis constitutiuo essentiali, & formalissimo, sed potius perfectione intrinseca, & à fortiori intrinseca, quam cætera attributa.

Dixi

15 Dixi à fortiori; quia præter rationem increatam, aut diuinæ perfectionis quæ militat in cæteris, & impedit, vt extrinsecis creatis imperfectionibus constituantur, militat peculiaris, & præcipua ratio in volitione diuina, sicut in scientia ad hoc vt nullo modo possint constitui per creaturas; scilicet ratio vitalitatis, quæ petit ex conceptu suo præciso constitui, non per extrinsecas rationes extra amantem, & cognoscentem existentes, sed potius per rationem intrinsecam intra viuens existentem: quia vita est perfectio adæquate, & totaliter intrinseca viuentis, vt videre est adhuc in creaturis. Quapropter, cum actio vt sic sit indifferens ad hoc, vt sit intra agens, & extra agens quando contrahitur per differentiam actionis vitalis, contrahitur ad rationem actionis immanentis, id est ad rationem actionis intrinsecè existentis in agente, ideo enim intellectio creata non est actio extra intellectum, sed potius est actio intrinseca, & immanens in intellectu, quia est actio vitalis, & ideo productio Verbi diuini & Spiritus Sancti est intrinseca Patri, quia est vitalis respectu illius, & è contra productio, seu creatio Angeli non est immanens in Deo, nec intrinseca in ipso, sed potius est extrinseca respectu illius, & transiens, quia non est vitalis respectu Dei: ergo si decretum liberum, seu volitio diuina, & scientia Dei, præter rationem communem increatæ perfectionis continent in se rationem adæquatam vitalitatis, nullomodo potuerunt constitui extrinsecis constitutiuis; & hoc à fortiori in volitione quam in scientia visionis, quia præter rationem increatam, & perfectionem vitalitatis, quæ reperiuntur in scientia visionis, & impediunt constitutionem illius per creaturam, datur alia specialis in volitione ratione cuius totaliter impedit, ne volitio constituatur per creaturam, scilicet ratio causæ respectu omnium creaturarum, quia causa nunquam constituitur per suum effectum.

316 Vt autem funditus euelamus, & radicitus labefactemus sententiam hanc de constitutione liberi actus, quæ adeo plausibilis est hoc tempore per extrinsecum connotatum, operæ pretium duxi vti argumento ab inconuenienti adducto quo vtitur Pater Didacus Ruiz *tom. de volunt. Dei, disp. 11. sect. 5.* vbi sic ait; quia si præscientia futurorum contingentium in Deo nihil aliud est, quam scientia simplicis intelligentiæ (quæ tantummodo complectitur simpliciter necessarias veritates rerum possibilium) addita extrinseca denominatione proueniente à futura productione rerum contingentium: item si decretum liberum est voluntas necessaria Dei addita solum denominatione extrinseca à creatura futura, sequetur manifeste, omnes fideles, qui saluandi sunt, certo cognoscere, se adepturos esse vitam æternam: consequens est contra fidem, vt patet ex Concilio Trident. ergo antecedens non est verum: sequela probatur; quoniam omnes fideles per fidem certo cognoscunt esse sibi possibile per Dei gratiam, & opem adipisci beatitudinem: hæc autem cognitio possibilitatis addita futuritione beatitudinis, & extrinseca denominatione proueniente à futura beatitudine, complebitur, & constituetur in ratione præscientiæ futuræ beatitudinis, quemadmodum simplex intelligentia, qua Deus scit, mundum esse possibilem, addita extrinseca denominatione proueniente à futuritione mundi complebitur, & constituitur in ratione præscientiæ futuritiones mundi, quæ præscientia fuerit ab æterno: Eodem argumento probare possem, te præscire omnes actus liberos futuros omnium hominum, & Angelorum; si cognoscis eorum actuum possibilitatem, & huic cognitioni superaddatur relatio rationis, vel extrinseca denominatio proueniens ab eorum futuritione.

Item veniamus ad volitionem efficacem, quam 317
opinio contraria conflat ex volitione simpliciter necessaria, quæ est complacentia simplex omnium prout sunt possibilia, nec non ex relatione rationis, seu extrinseca denominatione proueniente ab effectu futuro, vel ab actione transeunte, per quam est producendus; hæc enim duo, dicunt, esse satis vt per illa formaliter Deus ab æterno fuerit constitutus in ratione volentis. Inde per argumentum simile formæ deducitur inconueniens non minus falsum, quam quod nuper circa præscientiam inferebamus, sequitur enim neminem vnquam fuisse iustum in charitate, & gratia Dei, si postea de facto commissurus erat peccatum mortale, parique ratione sequitur, neminem esse in peccato mortali, si postea per contritionem rediturus est in Dei gratiam, & charitatem.

Sequela manifestior euadet exemplis; sequi- 318
tur luciferum ab ipso primo suæ creationis instanti, quando Deo gratus, & iustus erat voluisse rebellare, & apostatare à Deo: quoniam in eo primo instanti necessariam volitionem habebat suæ beatitudinis in communi, & complacentiam simplicem excellentiæ maioris, & exaltationis propriæ. Huic igitur volitioni superaddita relatio rationis vel extrinseca denominatio à futura rebellione, & apostasia qua liberè voluit suam beatitudinem, & exaltationem consequi per illud medium, complebit, & constituet efficacem volitionem rebellandi, quæ fuerit iam in illo primo instanti creationis.

Eadem consequentia probabitur: in ipso die 319
Palmarum quando Iudæi acclamauerunt [Hosanna filio Dauid;] iam tunc commisisse peccatum efficaciter volendi, & procurandi mortem illius; etenim etiam tunc placebat illis Dei honor & gloria Messiæ venturi, cui complacentiæ, si subiungatur relatio rationis, vel extrinseca denominatio; qua voluerunt occidere Christum Dominum existimantes, se defendere Dei honorem, & vsurpatam gloriam Messiæ, complebitur, & constituetur efficax volitio, qua iam ab eo tempore voluerint efficaciter occidere Christum Dominum.

Atque vniuersaliter, cum sit omnibus ratio- 320
ne vtentibus necessarius amor boni, & beatitudinis in communi, non deerit hominibus quando sunt in charitate, cui si coniungatur relatio rationis, vel extrinseca denominatio veniens ab efficaci volitione, qua futuro tempore propter amorem apparentis & priuati boni proprij postponendi Dei præceptum, complebitur, & constituetur efficax volitio postponendi Dei præceptum, quæ fuerit in homine quandiu ratione vtitur, ideoque nullus adultus, & rationis compos fuit iustus, & in gratia.

Contra vero nemo peccantium, & eorum præ- 321
cipue qui sunt in gratiam redituri, caret omni complacentia pœnitentiæ, & obseruantiæ diuinæ legis, imo multi tunc & iam quando peccatum committunt, habent simplicem complacentiam contrariæ virtutis, & pœniteniæ, cui si coniungatur denominatio extrinseca proueniens à futura pœnitentia, vel futuris actibus contrariæ virtutis, complebitur, & constituetur efficax

volitio detestationis peccatorum, contritionis, & observantiæ divinæ legis, quæ volitio efficax iam pridem extiterit eo ipso tempore, quo iste homo erat in peccato mortali, vnde sequitur etiam tunc fuisse in gratia; quoniam etiam tunc habebat efficacem volitionem requisitam ad obtinendam gratiam,

322 Duas potissimum solutiones adhibent aliqui Theologi, primo namque respondent, eminentiam diuinæ scientiæ, atque volitionis præstare quod præstare non potest limitatio, & imperfectio creatæ cognitionis, & volitionis. Hæc solutio verum dicit, falso tamen applicatur ad defendendam doctrinam oppositam. Verissime namque dicitur, eminentiam infinitam divinæ cognitionis, & volitionis hoc præstare, vt per eandem simplicissimam entitatem, & perfectionem intellectionis præsciat omnia contingentia futura, & præsciret etiam alia, si forent alia futura: similiterque per eandem simplicissimam realitatem, & perfectionem volitionis efficacis, & liberæ velit quæcunque producit, & per eandem libere voluisset alias res, si alias decreuisset producere.

323 Cæterum iuxta sententiam, quam impugnamus infinita eminentia diuinæ scientiæ, vel divinæ volitionis non præstat, vt Deus realiter per intrinsecam, & immanentem in se perfectionem determinate sciat, quæ sit futurum, & determinate velit producere quæ sunt producenda, sed dicitur Deus hæc scire, atque velle propterea formaliter, & præcisè, quoniam habet necessariam scientiam, & volitionem, & illis superadditur relatio rationis vel extrinseca denominatio proveniens à ficta Dei productione, vel ab effectis producendis. Hoc autem nihil eminentiæ confert, neque prærequirit in diuina cognitione ac volitione, quin potius impefectiorem, inferiorem, & limitatiorem quantum ad hoc constituit cognitionem, ac volitionẽ divinam qualibet creata cognitione, aut volitione, quæ realiter, & proprissime per seipsam formaliter præscit aliquos effectus futuros determinate, & realiter, ac determinate vult aliquid facere prorsus independenter à qualibet relatione rationis, aut extrinseca denominatione, quæ à futuris productionibus ad extra, vel ab earum effectis resultet in cognitionem, aut volitionem creatam.

324 Secunda solutio respondet in volitione nostra libertatem esse denominationem extrinsecam provenientem à potentia voluntatis, quæ potest non velle quoniam vtitur imaginatiua soluta: propterea quæ potest intellectum flectere ad vtramque partem contradictionis; vnde nihil mirum, si libertas in Deo similiter sit extrinseca denominatio.

325 Verum tamen hoc exemplo non solvitur, sed augetur robur præsentis argumenti, quamvis enim nostræ volitionis libertas sit extrinseca denominatio, nihilominus ipsa volitio, quæ libera est, non potest esse denominatio extrinseca, sed omnino debet esse realis volitio. Præsens igitur argumentum, & reliqua primario intendunt probare volitionem creandi mundum; & cæteras volitiones efficaces Dei esse reales, quo supposito, quid sit formaliter libertas in huiusmodi volitionibus, postea videbimus.

## SECTIO VIII.

### *Thomistarum sententia ponitur, & oppugnatur.*

Conclusio: Actus liber Dei non completur formaliter per ens rationis: probatur. Quia Deus, vt patet ex scriptura, & fide catholica, non ficte amat, & libere decernit, sed potius vere, & realiter, & sic tale decretum habet veros effectus reales, quod non posset esse, si decretum esset fictum vel fictio aliqua creata: atqui si decretum liberum Dei constitueretur respectu rationis, tale decretum esset fictum, & non verum: ergo decretum liberum Dei non constituitur sic. Minor, in qua est difficultas, sic probatur, quia respectus, seu relatio rationis non est vera, & propria relatio, sed ficta ad similitudinẽ relationis realis & veræ, licet cum fundamento in reipsa, sed hæc relatio ficta, & non vera, & realis est constitutivum decreti liberi: ergo decretum liberum constitutum erit decretum fictum & non verum: consequentia patet, quia ideo genus, & universale est fictum, & non verum, & reale superius, quia relatio generis, & vniuersalitatis non est vera, & realis, sed rationis & ficta, licet habeat fundamentum. Item Chimæra composita ex homine, & leone est ens chimæricum, & fictum, licet habeat duo constitutiva realia, naturam scilicet hominis, & Leonis, ex eo enim quod vnio, vel identitas sit ens rationis fictum & chimæricum. Sed licet entitas Dei, supra quam cadit formalitas actus liberi sit realis, nihilominus formalitas talis actus est rationis, & ficta, licet cum aliquo fundamento: ergo etiam decretum Dei erit fictum & non verum, & reale. 326

Adde; quia dato, quod Deus nec fecerit, nisi lapides, nec decreverit facere aliud ens reale præter illos in tota latitudine entis creati. Tunc enim certum est, Deum habere decretum liberum, per quod decreverit facere, & producere supradictos lapides, sed tunc nullum esset ens rationis, quod posset decretum Dei constituere & nihilominus daretur decretum liberum: ergo evidenter sequitur tale decretum non constitui ente rationis. Minor sic demonstratur; quia sine causa fingente nullum potest dari ens rationis fictum; alias ens rationis esset à se, & non ab alio, & haberet perfectionem, quam non habet perfectius ens, scilicet Angelus, homo, & leo, sed tunc nulla daretur causa talis entis rationis: ergo tunc nullum daretur ens rationis. Hæc minor sic probatur, quia adæquate causa entis rationis dumtaxat est creatura intellectualis: sed tunc nulla daretur talis creatura: ergo nulla causa entis rationis daretur tunc. 327

Nec potest dici, ipsum Deum facere illud ens rationis; non enim potest dici in sententia P. Vazquez, quia tantum abest, vt ipse concedat talem effectionem, vt neget absolute, Deum cognoscere illud, ne forte faciat. Deinde late probavimus *in metaphys.* Deum non posse facere ens rationis. Sed demus Thomistis aliquibus; Deum posse facere illud interrogo, an illud ens rationis fiat necessario à Deo, vel libere; non necessario, quia alias actus liber non esset liber, sed necessarius, cum entitas Dei, quæ est vnum constitutivum actus liberi sit necessaria, & ens rationis similiter sit necessarium ens, id est 328

sine

sine libertate fictum, & sicut actus primo primus voluntatis non potest constituere voluntatem liberam in actu secundo, quia talis actus est necessario factus; sic similiter ens rationis necessario productum non potest constituere Deum actu volentem libere; Si autem fiat libere à Deo: ergo Deus quatenus vult facere libere illud, est causa illius, ita vt Deus libere volens sit causa, & ens rationis sit effectus Dei libere volentis; sed effectus non potest constituere vllo modo causam suam, vt talem effectum producat, quod patet ex supra dictis: Deum igitur vt libere volentem non poterit constituere ens rationis, quia est effectus
329 Dei, vt sic volentis libere.

Deinde, quia vel ille respectus rationis est à Deo confictus sine fundamento, & idem est de creatura quacunque, vel est cum aliquo fundamento? si primum; erit chimæricum ens rationis, ac per consequens decretum illud liberum erit chimæricum. Si secundum, interrogo, an illud fundamentum sit sola entitas increata, & necessaria Dei, & hoc non, alias ens rationis erit necessarium & per consequens decretum. Item non erit maior ratio, cur resultet ens rationis, quod sit in ordine ad hanc creaturam producendam potius, quam ad aliam, cum Deus ex parte suæ entitatis, & omnipotentiæ æqualis, & communis sit respectu omnium, cum respectu omnium sit Deus, & omnipotens, & non detur in eo maior ratio respectu huius, quam illius præter quam quod si potest esse fundamentum entitas increata actus liberi, fateamur ingenue hac ratione increata constitui formaliter decretum liberum & non fictionibus, si autem entitas diuina sola non sit fundamentum, sed simul cum creatura, redeunt omnia argumenta supra facta contra extrinsecum connotatum.

330 Præterea sic infringo aduersariorum sententiam, quia vel Deus fabricatur tale ens rationis per scientiam, aut per volitionem, sed non per scientiam, neque per volitionem: ergo nullo modo fabricatur Deus talia entia rationis, per quæ constituatur actus liber Dei. Minor quoad primam partem sic probatur, quia in Deo duplex tantum scientia datur, alia simplicis intelligentiæ, & omnino necessaria, alia visionis: sed per scientiam simplicis intelligentiæ non potest effici tale ens rationis, tum quia talis scientia æqualiter ad omnia possibilia extenditur, & nullomodo intuetur creaturas futuras, aut existentes: sed actus liber Dei per suam tendentiam non terminatur æqualiter ad omnes creaturas possibiles, sed solum ad actuales, & futuras: ergo talis tendentia non fit à scientia simplicis intelligentiæ, tum etiam quia scientia simplicis intelligentiæ est omnino necessaria, sed à causa necessaria non potest prodire formalitas liberi quatenus talis, & indifferentis quale est complementum actus liberi formalissime: ergo tale complementum non fit à Deo, media scientia simplicis intelligentiæ. Tum denique quia ex parte scientiæ simplicis intelligentiæ nulla est ratio quare pro his magis; quam pro illis creaturis fingat entia rationis, quibus voluntas eas diligat, atque ad producendum determinetur, cæterum si ipsa esset causa entis rationis, qui est actus liber, & non voluntas, ipsa esset facultas libera ipsa causa existentiæ, ipsa creaturas diligere diceretur, & non voluntas.

331 Deinde: quia Deus per voluntatem vt sic vult libere: ergo id, quod addit velle libere per voluntatem additur; non per intellectum formaliter loquendo: ergo respectus ille rationis, qui consurgit per actum intellectus vt sic, non potest esse id, quod formaliter addit velle liberum supra velle necessarium.

Declaratur amplius, quia decretum liberum 332
Dei est actus voluntatis diuinæ, & non intellectus: ergo virtualiter à parte rei, vel formaliter nostro modo intelligendi profluit à diuina voluntate adæquate, & totaliter, & non ab intellectu: sed respectus ille est complementum actus liberi: ergo complementum illud debet profluere à voluntate diuina, & non ab intellectu solo. Exemplo creatæ voluntatis declaratur. Totus actus volitionis creatæ, quia essentialiter voluntarius est; ac proinde actus vitalis voluntatis necessario adæquate, & totaliter debet profluere à voluntate, & non ab intellectu solum, aut ab alia potentia distincta à voluntate, alias voluntas adæquate non se moueret per suum actum; neque se reduceret de actu primo ad actum secundum à seipsa, sed potius passiue solum se haberet in illo actu, non agendo, sed solum recipiendo id, quod intellectus agit in illa; sed in sola receptione non datur vitalitas: ergo in tali actu non vitaliter se haberet voluntas, neque viueret per illum, & per consequens talis actus non esset adæquate vitalis; sed actus vitalis voluntatis adæquate est viuere volitatis: ergo adæquate fluit active à voluntate, & non solum recipitur ab illa, quia si tantum reciperet illum, quasi inanime quid se haberet voluntas, vt decernit Concilium Tridentinum agens de libertate.

Tunc sic actus liber Dei adæquate est actus voluntatis diuinæ: ergo adæquate est ab ipsa voluntate diuina, quasi active se mouente per illum: ergo nihil est in illa, quod non virtualiter à parte re, aut formaliter nostro modo intelligendi profluat ab illa: sed respectus ille rationis, quem vos fingitis, est vltimum constitutivum actus volitionis diuinæ liberæ: ergo respectus ille debet profluere ab ipsa voluntate, & esse intrinsece in illa, & non fieri ab intellectu: patet consequentia, quia omnis respectus, aut ens rationis, quod fingitur ab intellectu, aut efficitur ab ipso, vere non est extra intellectum sed potius est in ipso intellectu cognoscere illud, & ideo dicitur quod obiectiue solum est in intellectu: vnde extrinsece se habet ens rationis fictum ab intellectu respectu cuiuscunque potentiæ distinctæ ab illo, & quod certius est, vere, & realiter non existit intrinsece extra intellectum, alias non ens rationis, sed ens reale esset vt late explicuimus *Tract.* de Ente rationis, sed totus & adæquatus actus voluntatis non solum per rationem, sed vere, & realiter existit intrinsece in voluntate diuina: ergo complementum talis actus liberi non est fictum à scientia diuina nec ab intellectu ipsius.

Deinde probo nunc non fieri talem respectum 333
rationis per scientiã visionis; nam scientia visionis sequitur ad decretum liberum completum; vnde habet pro obiecto ipsum decretum liberum iam factum, & futuritionem creaturarum; & ideo hæc est vera causalis, ideo Deus videt per scientiam visionis creaturam futuram, quia ipsa iam futura est, & non è contra ideo est futura res, quia Deus videt illam: ergo futuritio creaturarum præcedit scientiam visionis, & est prior illa, sed decretum liberum Dei adæquate, & complete secundum omne complementum illius est prius futuritione, & prioritate naturæ antecedit illam, quia est causa illius, vt supra demonstrauimus: ergo decretum illud liberum antecedit etiam

scientiam

scientiam visionis : ergo ipsa scientia visionis non potest efficere complementum prædestinationis : ergo per nullam scientiam efficit Deus respectum illum rationis, per quem completur & & constituitur actus liber Dei.

334 Minor illa prima quoad secundam partem sic demonstratur primo. Quia vt *in tract. de ente rationis* latissime probauimus, nulla potentia appetitiua potest facere ens rationis ; videantur dicta tali tractatu, quæstione per quam potentiam fiat ens rationis ne actum agamus ; sed voluntas diuina est potentia appetitiua : ergo voluntas diuina nullum potest fabricare ens rationis per quod vltimo compleatur in ratione volentis libere. Secundo quia vel ille respectus rationis fit à volitione necessaria, vel à volitione libera diuina, non à volitione necessaria ; quia volitio necessaria Dei solum terminatur ad ipsum Deum vel ad creaturas possibiles, & nullo modo respicit aut terminatur ad futuras, & existentes ; nec est causa, quare hæ potius creaturæ, quam aliæ existant : ergo à volitione diuina non potest oriri respectus, seu tendentia illa rationis, quæ non necessario sed contigenter respicit obiectum, & non æqualiter ad omnes creaturas, sed ad has potius, quam ad illas terminatur.

335 Neque à libera ; quia si esset à libera, esset vt effectus à causa ; nam si voluntas libera Dei est causa entium realium, quæ non sunt Deus quia omne quod non est Deus, est à Deo libere volente tanquam à causa completa : sed ens rationis non est Deus, nec est primum ens sed potius ad modum entis creati : ergo à fortiori est à Deo libere volente tanquam a causa completa in suo esse, sed nullus effectus, vt supra late probauimus est complementum, & constitutiuum formale essentiale suæ causæ : ergo respectus ille rationis, qui profluit à Deo libere volente tanquam effectus à causa, nullo modo complet, neque constituit formaliter actum liberum Dei.

336 Secundo Principaliter sic probatur, quia omnis relatio rationis resultat ad modum relationis realis, sed relatio realis resultat posito fundamento, & termino; quæ sunt causæ talis relationis : ita vt ante positionem vtriusque extremi simul nullo modo possit resultare relatio realis, v.g. Paternitas non resultat, nisi ponatur substantia generans, quæ est fundamentum, & substantia genita, quæ est terminus paternitatis : ergo relatio illa, seu respectus rationis, quæ ponitis ad constituendum decretum liberum, non resultat in Deo, donec simul existant terminus, & fundamentum illius : atqui terminus talis relationis est creatura futura, & actualis : ergo prius datur prioritate naturæ creatura futura, quam resultet relatio rationis in voluntate diuina, quia semper prior natura est causa, quam effectus, cum autem terminus relationis sit causa resultantiæ relationis, necesse est, vt talis terminus, qui est creatura futura prius ponatur, quam detur illa relatio in Deo. Itaque creatura futura est prior illa relatione & causa illius : ergo simul est prior decreto libero, & causa illius, quia quod est prius vltimo constitutiuo alicuius, & quod est causa illius est prius toto constituto per illud vt supra *sectione præcedenti* ratione prima contra P. Herize late demonstrauimus, sed vltimum constitutiuum actus liberi per vos est relatio, seu respectus rationis habens pro termino, quem respicit & ad quem terminatur, creaturam futuram, vel actualem, & creatura futura, vt futura, & vt distinguitur à possibili, est prior tali respectu rationis, & causa ipsius : ergo euidenter sequitur esse priorem, & causam respectu totius decreti liberi, quatenus liberum est : sed hoc est falsum, quia idem non potest esse causa suæ causæ, alias de primo ad vltimum à se ipso causaretur & esset causa sui ipsius, quia quod est causa causæ, est causa causati per illam, atqui si creatura futura esset causa decreti liberi, esset causa suæ causæ quia decretum liberum, vt supra late demonstrauimus, est causa creaturæ futuræ; ideo enim, creatura futura est, & transiuit de possibilitate in actualitatem, quia Deus libere voluit talem transitum : ergo iam creatura futura esset causa sui ipsius, quod est absurdum : ne igitur hæc dicantur, asserendum est, actum liberum qui est causa futuræ creaturæ minime constitui per respectum rationis habentem pro termino, & causa suæ resultantiæ creaturam futuram, sed potius constitui increato, & infinito constituciuo independenti, & in causato à quacunque creatura.

Dices, terminum formalem relationis non esse priorem illa, sed simul cum illa.

Sed contra, nam licet hoc falsissimum sit, vt 337
patet ex nuper dictis, quia terminus formalis est causa resultantiæ relationis, & euidentius liquet ex ijs, quæ diximus in Logica prædicamento relationis, nihilominus ad præsens institutum do, esse simul terminum, & relationem, & hoc concesso, sic demonstro falsitatem opinionis aduersariorum, nam per vos creatura futura quæ est terminus formalis talis respectus rationis, est simul cum ipso respectu rationis, sed decretum liberum est prius creatura futura : ergo decretum liberum est prius respectu illo rationis. Patet consequentia, quia quod est prius aliquo est prius etiam respectu illius, quod est simul cum posteriori respectu illius prioris, verbis gratia, si Petrus est simul duratione cum Paulo, & Ildephonsus est prior duratione ipso Paulo, necesse est, vt sit prior duratione Petro, qui est simul cum Paulo : ergo si decretum liberum est prius natura, & causalitate creatura futura, & respectus rationis ad creaturam futuram, est per vos simul causalitate, & natura cum creatura futura, euidenter sequitur decretum liberum, quod est prius natura, & causalitate creatura futura esse etiam prius respectu rationis, qui est simul causalitate, & natura cum creatura futura, quia sicut se habent simul prius, & posterius in duratione ; ita se habent posterius, & prius simul ordine naturæ, & causalitatis.

Sed quod est prius causalitate, & natura alio 338
nullo modo potest constitui formalissime per posterius se ipso, vt substantia generans non constituitur formalissime per substantiam genitam, & ideo Pater æternus quia est prior origine Verbo diuino, nullo modo potest constitui formalissime per filium : ergo decretum liberum quod est prius respectu rationis ad creaturam futuram, non potest vllo modo formaliter, & essentialiter constitui per illum.

Dices, etiamsi respectus rationis sit simul cum creatura futura, nihilominus non est posterior natura ipso decreto libero.

Sed contra, quia vt ex nuper dictis patet, oppo- 339
situm demonstratum manet, sed demus esse verum, quod aduersarij dicunt, nihilominus tamen certissimum

certissimum est, respectum rationis terminatum ad creaturam futuram non esse priorem ipso decreto libero causante creaturam futuram, quæ est terminus talis respectus rationis sicut, v. g. impossibile est, quod paternitas in creatis sit prior substantia generante patris quæ est causa substantiæ genitæ, ad quam terminatur relatio paternitatis, & quam habet pro termino formali ipsa, imo in certa Philosophia habetur pro certo, sicut substantia generans est prior substantia genita, ita etiam esse priorem relatione paternitatis, quæ terminatur ad substantiam genitam; atqui si decretum liberum vltimo, & formaliter constitueretur per respectum, seu relationem rationis terminatam ad creaturam futuram, talis respectus rationis esset prior ipso decreto libero; quia omne constitutivum est prius constituto, vt albedo est prior albo, & anima rationalis est prior homine, & quæcunque pars est prior suo toto; quia, totum est effectum, vel quasi effectum formale partis: ergo adhuc supposita hac vltima solutione vestra impossibile est decretum liberum Dei, constitui formaliter & essentialiter per respectum rationis dependentem tanquam à termino à creatura futura causata ab ipso decreto libero Dei; sicut impossibile est substantiam generantem Petri in esse talis constitui formalissime, & essentialiter per respectū paternitatis terminatum ad substantiam genitam & dependentem ab illa, quæ est effectus, & causatur à substantia generante; vnde sumpto pro medio termino huius respectus rationis evidenter demonstratur talem respectum rationis non posse esse constitutiuum formale, & essentiale decreti liberi Dei.

Nunc autem sumpto pro medio fundamento talis relationis, manifeste, & efficaciter probatur idem intentum; quia omne fundamentum relationis resultantis in illo est prius ipsa relatione resultante; quia fundamentum est causa talis relationis, vnde nullus huc vsque ausus est dicere, relationem paternitatis non esse posteriorem substantia Petri generantis; de hoc ergo fundamento interrogo à vobis, quod sit, an sit volitio necessaria an libera; libera non potest esse; quia id quod constituitur essentialiter per aliquā relationē non potest esse fundamentum talis relationis; v. g. quia hoc concretum, simile formaliter constituitur per relationem formalem similitudinis, non potest esse fundamentum talis relationis, quia fundamentum est causa relationis & concretum, seu constitutum per talem relationem est effectus formalis illius: atqui idem non potest esse causa & effectus simul respectu eiusdem: ergo non potest esse fundamentum relationis, & simul constitutum, seu concretum respectu eiusdem relationis, quam fundat; sed decretum liberum Dei per vos formalissime, & essentialiter constituitur per respectum rationis ad creaturas futuras: ergo idem decretum liberum non potest esse fundamentum eiusdem relationis per quam constituitur.

Nec etiam tale fundamentum potest esse volitio necessaria; quia adhuc posita volitione necessaria, qua amat Deus seipsum, & creaturas possibiles, nondum datur creatura futura: ergo nondum datur respectus rationis ad creaturam futuram; patet consequentia, quia quando non datur causa alicuius effectus non potest dari talis effectus; effectus enim sine causa non habet esse, sed ex vi volitionis necessariæ non datur creatura futura, quę vtpote terminus, & specificativum formale respectus rationis ad ipsam est causa formalissima, & necessaria talis respectus: ergo ex vi volitionis necessariæ non resultat respectus rationis ad creaturam futuram in voluntate Dei, quia ex vi illius actionis solum resultat relatio, ex vi cuius ponitur terminus talis relationis; quare ex vi generationis resultat paternitas ad filium, quia ex vi generationis ponitur, & producitur terminus paternitatis, qui est substantia genita: sed volitio necessaria non causat creaturam futuram, & actualem, alias creaturæ futuræ, & actuales necessario fierent à Deo, & non libere, quod est hæreticum, quia ille terminus producitur necessario, & non liberè; qui ponitur, & producitur per volitionem necessariam, & non liberam, ideo enim spiritus sanctus necessario, & non libere producitur à Patre, & filio, quia producitur per volitionem necessariam, & non liberam: sed per vos per volitionem necessariam, & non per liberam ponitur creatura futura, quæ est terminus talis relationis rationis: ergo necessario ponitur talis creatura futura, imo necessario, & non libere ponetur in Deo relatio ad illum terminum patet consequentia, ideo relatio spiratoris activi in Deo est necessaria, & libera in Deo, quia datur in Deo ex vi volitionis necessariæ, & ex vi termini producti per volitionem necessariam: sed relatio illa rationis ponitur ex vi volitionis necessariæ; & terminatur ad terminum productum per volitionem necessariam: ergo talis relatio necessario conveniet Deo: ergo constitutum per illam erit necessarium in Deo, & non liberum: ergo actus liber non constituitur per talem relationem.

Deinde, quia nulla est ratio, quare volitio 340
necessaria quæ versatur in amore Dei & præcedit ratione volitionem liberam, magis determinetur per respectum rationis ad has creaturas, quam ad illas, quare enim potius resultet illa relatio, quam hæc, cum pro illo priori rationis æqualiter se habeat ad omnes? vbi notandum est discrimen inter scientiam liberam, & volitionem, quod ad illam præsupponitur existentia obiecti, sive præterita sive præsens, sive futura; nam ideo cognoscit esse rem futuram aut præsentem, quia ipsa futura, aut præsens est, vt ostendi supra, in volitione è conuerso se res habet; quippe ideo res existit, quia Deus vult illam existere: ergo non potest declarari volitio libera Dei per respectum rationis resultantem; quoniam ad eam resultantiam nullum præcedit fundamentum, si in Deo esset aliquis actus liber præcedens respectum vt est in nobis, dici quidem posset, eum esse fundamentum respectus; at tunc volitio libera non consisteret in respectu, sed in actu, qui præcessit: ergo cum solus actus necessarius præcesserit ex æquo se habens in ordine ad creaturas, ponitur iste respectus sine fundamento.

## SVBSECTIO I.

*Tertio principaliter argumentor.*

341 DEus efficit creaturas per suam volitionem, seu quia eas vult, vt patet ex locis Scripturæ; non potest autem eas efficere per relationem rationis: ergo volitio creaturarum in Deo, seu Deum velle creaturas, non consistit in ente, aut relatione rationis. Minor probatur, quia relatio præsertim rationis non est actiua, & idem argumentum est in scientia visionis, per eam enim gubernat Deus; nam ex præuisis meritis Christi confert nobis dona suæ gratiæ, & ex præmissis meritis nostris confert præmia, & supplicia; non autem gubernat per relationes rationis, & sic Molina *prima parte, quæstione decimaquarta, articulo 15. & quæstione 19. articulo secundo, disputatione secunda & tertia, & articulo tertio*, affirmat, Deum non efficere, nec gubernare creaturas per entia rationis conuenientia diuinis actibus, sed per fundamenta illorum, quod falsum erit, nisi in fundamentis intelligatur velle amare, & videre creaturas, & ipsarum opera: ergo actus isti liberi Dei nihil rationis intrinsecè inuoluunt. Et sane si voluntas diuina sine vlla reali determinatione ad intra posset agere ad extra, non videretur omnino absurdum idem concedere in aliqua voluntate creabili; quod tamen nullus admittet: ergo nec in voluntate diuina dicendum est, eo quod de ratione voluntatis est nihil ad extra agere, nisi vere, & realiter præuolendo illud; nec voluntas habet vim agendi immediate ad extra, sed mediante suo actu interno ad opus externum terminato.

Præterea; quia amor simplex complacentiæ, quo Deus necessario diligit creaturas (vt recte docet Fonseca *tomo tertio, Metaph. libro septimo, capite 8. quæstione quarta, sectione 5. & quæstione 5. sectione 4. & 5.* & Pater Suarez, *tomo secundo, Metaph. disputatione 30. sectione 9. numero 13. & 34. & sectione 16. numero 36. & 37.* vbi tamen oppositum putat probabile,) non inuoluit respectum rationis, sed formalissime, & in suo vltimo complemento est realis: ergo idem dicendum est de amore libero creaturarum; quia non minus vere realiter, & propriè eas amat simplici amore complacentiæ necessario, quam efficaci libero.

342 Vlterius; Nam si velle diuinum compleretur intrinsece per ens rationis, ex eo quod fieret de volente nolens, aut è conuerso, non mutaretur realiter, sed secundum entia rationis, quod nulla esset imperfectio, & sic posset tribui Deo, sicut ei tribuit Ioannes Antonius Delphinus passim, *lib. de verum euentu*, præsertim, *pag. 23. vsque ad 29.* quod est contra Scripturas, & Patres docentes, esse magnam imperfectionem, & ideo longissime distare à Deo mutari secundum voluntatem aut consilium, fierique de volente nolentem, aut contra. Vide Iustinum *in reprehensione Gentilium, ad secundam interrog. & in respons. ad 36. quæst. Gentilium*, item Isidorum *primo, de sum. bo. cap. 1.* Amb. *1. de fide, cap. 5.* Augustin. *11. de ciuit. capite quarto, & 6. & 21. & 5. de Trinitate, cap. 16.* Irenæus *libro secundo, capite 64.* Cyril. *libro de recta fide ad Theodosium.* Bern. *serm. 8. in Cant. 1. Regum. 15.* pœnitudine non flectetur, nec enim homo est vt agat pœnitentiam. *Habr. 6.* [immobilitatem consilij sui,] *Malach. 3.* [ego Deus, & non mutor,] *Iacobi 1.* [apud quem non est transmutatio,] &c. de quo loco optime Fonseca *tom. 3. Metaph. lib. 7. c. 8. q. 4. sect. 7. ad 4.*

Vrgetur; quia nulla perfectio diuina, præter actum liberum, constituitur per ens rationis, & tota ratio est, quia ens rationis, vti ens fictum, nullam dicit perfectionem realem veram, & multo minus perfectionem infinitam simpliciter, & increatam, qualis debet esse illa, quæ constituit attributum, aut excellentiam diuinam; sed etiam actus liber Dei est perfectio realis infinita, & increata: ergo nullo modo potest constitui formalissime, & vltimo per ens rationis.

Nec valet dicere, cæteras perfectiones diuinas 343
non requirere contingentiam, ac proinde non constitui ente rationis, actum autem liberum habere contingentiam ratione indifferentiæ, & ideo indigere constitutiuo rationis, vt sit liber & contingens, quia quidquid Deus est, & in Deo intrinsece est, nullam habet contingentiam, sed summam necessitatem.

Sed contra manifeste, quia indifferentia diui- 344
na, ad quam petis ens rationis, est vera, & realis indifferentia, sicut est vera & realis libertas, quia de fide est, Deum vere, & realiter sine vlla fictione intellectus esse liberum; sed vera, & realis indifferentia non potest constitui per ens rationis, & fictam entitatem, sicut substantia non potest constitui in esse substantiæ per accidens, & Deus in esse Dei per creaturam: ergo tale ens rationis ad libertatem diuinam nullius momenti est: ergo nullo modo libertas diuina per ens rationis constituitur. Quare excogitandus est modus, quo libertas diuina saluetur intra perfectionem diuinam, ratione purissimæ eminentiæ diuinæ propter æquiualentiam purissimam ad contingentiam, & distinctionem libertatis creatæ eo modo, quo *quæst. sequenti*, à nobis assignabitur; si autem non potueris conciliare libertatem diuinam, & diuinam indifferentiam cum necessitate formali essendi diuinitatis, fatendum potius tibi erit, arcanum huius mysterij, quam constituendo perfectionem infinitam actus liberi imperfectionibus fictis entis rationis, tuam ignorantiam stulte cartis, & tractatibus ad posteros propagare.

Deinde; quia si propter contingentiam con- 345
stitutiuis actum liberum Dei respectu rationis, qui non est ipse Deus, melius esset tibi constituere actum liberum per connotatum extrinsecum reale creatum; quod vere, & realiter contingens est, & alioqui non est fictitium, sed ens reale, ac proinde vere, & realiter id, quod constituitur à tali connotato, non erit fictitium, chimæricum, & metaphoricum, quale est id, quod resultat ex Deo, & ente rationis, quod est aperte contra testimonia Sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum, quæ non fictam, sed veram, & realem libertatem concedunt Deo.

Si autem dicas, nolle constituere actum libe- 346
rum per creatum connotatum, quia ex Deo, & creaturis, vtpote extremis maxime distantibus nihil per se vnum, aut nihil dicens perfectionem potest resultare; efficaciter contra te insurgo; quia plus distat ens rationis à Deo, quam ens reale creatum ab ipso; & minus perfectionis habet ens rationis fictum, quam ens reale verum, etiam si creatum sit, ac proinde minus vnum ens per se potest resultare ex ente rationis, & Deo, quam ex ente vero reali, licet creato, & ipso; nam ex humanitate Christi

Christi, & Verbo diuino resultat vnum ens per se, & ex ente reali, & rationis nullo modo potest resultare ens per se; quare non potest negari, quod concretum ex Deo & ente reali creato, excedat maxime in veritate, proprietate, & realitate concretum constitutum ex Deo, & ente rationis, quia præter imperfectionem, quæ datur distinctionis, & distantiæ inter creaturam, & Deum, quæ maior est inter ens rationis, & ipsum datur alia maxima imperfectio in ente rationis, scilicet, quod non sit vera, propria, & realis entitas: sed ficta, impropria, & metaphorica; quapropter si ratione illarum minorum imperfectionum non audes constituere decretum liberum ex Deo & creatura, à fortiori deberes renuere constitutionem decreti liberi per respectum rationis & voluntatem diuinam propter easdem, imo & alias maiores imperfectiones, quæ dantur in hac tua constitutione per ens rationis, seu relationem fictam.

347 Deinde; quia sicut ad verificationem multorum mysteriorum in diuinis, verbi gratia, ad communicationem diuinitatis, non communicata paternitate ad generationem Verbi per intellectum, & non per voluntatem, supposita identitate harum perfectionum inter se, & ne verificentur duo contradictoria simul in eodem respectu eiusdem, indigemus sine dubio aliqua distinctione inter talia attributa, & nihilominus non confugimus ad distinctionem rationis; quia hæc est fictitia, vmbratilis, & nullius momenti ad mysteria illa, quæ sine vlla fictione vere, & realiter contingunt; vnde cum non possimus tribuere distinctionem formalem à parte rei, confugimus ad distinctionem virtualem eminentissimam à parte rei, qua secundum exigentiam dignitatis mysterij conciliamus difficultates adeo abstrusas, & arcanas; ita similiter ad conciliandam diuinam libertatem, & indifferentiam (quæ non est ficta & metaphorica, sed vera, & realis) cum necessitate omnimoda diuini esse, non debemus confugere ad vmbratiles fictitias, minutias, & imperfectissimas fallacias mentis; quia hæ nihil possunt deseruire ad vera, infinita, & increata mysteria; sed potius si non ad contingentiam formalem essendi, & non essendi; quia hoc vetat & interdicit fides catholica propter imperfectionem maximam illius indignam omnino deo, saltem minimum debemus nos conferre in summam & actualissimam diuinæ puritatis, & actualitatis eminentiam, cui ratione propriæ & excellentissimæ perfectionis conuenit contingentia æquiualenter, & virtualis, de qua late, *quæst. sequenti*, cui innitentes & ipsa manuducti splendidissimoque ipsius radiantis luminis fulgore circumfusi sine vlla tergiuersatione, incommodo, & dubitatione facillimo negotio poterimus conciliare hæc mysteria, & quamcunque difficultatum in contrarium obsistentium repagula superare, & veritatis scopum recta collimare.

348 Præterea, relationem illam rationis sic impugno; quia Deus ideo libere vult quia cum indifferentia ita vult hanc creaturam creare vt potuisset pro libito velle illam non creare, & hoc idem vere, & proprie, & non improprie: non igitur hoc contingit ratione relationis, seu respectus rationis, sed ratione alicuius, quidquid demum id sit, quod naturæ ordine relationē rationis antecedat; siquidem relatio volentis ad volitum simul natura est cum relatione voliti ad volentem, vt patet ex oppositarum relationum proprietate; relatio autem volita fundatur in re volita, quæ vt volita posterior natura est ipso actu voluntatis, à quo causatur, ac proinde ipse respectus posterior est ipso decreto, & sic non potest constituere decretum; ex quo colligo, fictitium etiam esse id, quod asserunt aduersarij, scientiam visionis constitui etiam respectu rationis; nam interrogo, quis producat talem respectum rationis, si dicas ipsam scientiam visionis: ergo ipsa scientia causat suum constitutiuum, & sic erit completa antequam compleatur; vnde antequam aduenīat respectus ille rationis, iam erit vltimo determinata, & plene constituta: de illo enim constitutiuo interrogo, si est reale vel rationis? si reale: ergo superfluit ens rationis; si est ens rationis, iterum quæro à quo fiat, & quidquid responderis, dabitur processus in infinitum.

Tandem quis sibi poterit persuadere, omnes 349
actus diuinarum virtutum, verbi gratia, charitatis, liberalitatis, misericordiæ, iustitiæ, & similium esse entia rationis, alias tota sanctitas, vita, & perfectio Dei ens rationis erit; vnde totus Deus non verus, & proprius Deus, sed deus fictus, & apparens vocandus erit; quia tale est ens, & talis est essentia, quales sunt perfectiones & exercitia illius; sed si constituantur actus liberi Dei, qui sunt perfectiones diuinæ charitatis, iustitiæ, misericordiæ, &c. entibus rationis, tales perfectiones erunt entia rationis simpliciter, & non entia realia: ergo iam Deus, cuius perfectiones sunt, erit Deus fictus & non verus, proprius, ac realis Deus.

Sequela illa sic demonstratur; quia omne con- 350
cretum & constitutum denominatur ab imperfectiori constitutiuo simpliciter, & absolute, & non à perfectiori; vt videre est in homine, qui denominatur corruptibilis ab vnione, & non incorruptibilis ab anima rationali, & corpore, & vniuersale vocatur ens rationis à relatione rationis, & non ens reale à natura reali, alias posset aliquis sapiens dicere dari vniuersale à parte rei absolute, ac simpliciter, quod exsibilatur, & ridetur in Platone. Item concretum ex homine, leone, & cerno absolute, & simpliciter dicitur chimæra, & ens rationis fictum solum propter vnionem rationis inter illa entia, & non vocatur ens reale propter entitates hominis, leonis, & cerui, ex quibus componitur, quæ veritas vt sæpe dixi, fundatur in illo principio, bonum ex integra causa; malum autem ex quocunque defectu; sed actus illi vitales virtutum diuinarum, seu perfectionum constituuntur vltimo, & formaliter in ente rationis, & relatione, seu respectu ficto per intellectum: ergo licet constituantur ex alia parte deo potius ex ente rationis denominabuntur, & erunt entia rationis absolute, seu entia fictitia, quam ex diuinitate entia realia; vnde sine dubio fictitie Deus miserebitur, & fictitie iustus erit, imo viuet Deus vitam fictitiam, & erit sapiens fictitie & solum per rationem; vnde sine dubio imperfectior erit vita Dei nostra; cum nos viuamus vitam veram, & realem, & non constituatur vita nostra, neque perfectiones nostræ entibus rationis, increatæ autem diuinæ, & vitales perfectiones talibus entibus rationis constituantur: ne ergo hæc absurda sequantur, dicendum est, actus liberos Dei constitui per respectus & relationes rationis.

Aliqui respondent, cum dicitur, actus liberos 351

Dei constitui relationibus rationis, intelligendum id esse, quoad nostram cognitionem, non quoad eorum constitutionem.

352 Sed contra; quia hæc solutio non est ad rem; quia quæstio non fit de cognitione actuum liberorum Dei, sed de eorum esse; quod ipsorum cognitionem antecedit.

353 Dices, & est aptior solutio, actum liberum non constitui per relationem formalem rationis, sed per fundamentum talis relationis, explicatum per respectus rationis supradictos.

354 Sed contra insurgit efficacissime P. Suarez inquirendo ab aduersarijs, quid sit in divina voluntate tale fundamentum; aut enim est ipsum velle Dei necessarium, vt sic, aut aliquid à parte rei ei formaliter superadditum; primum dici non potest, tum quia illud fundamentum semper, ac necessario est; posito autem eodem fundamento, & termino, eadem relatio nata est consurgere, sive rationis sive realis: esset ergo illa ralatio non libere, sed necessario, tum etiam quia ex modo concipiendi nostro constat, ex solo velle Dei necessario vt sic nullam nobis præberi occasionem apprehendendi relationem aliquam, vel habitudinem ad obiecta creata; quia per illud velle vt necessarium solum concipimus Deum vt se amantem: ergo in illo vt sic nulla relatio rationis ad creaturas vt in seipsis existentes fundari potest; si autem dicatur secundum, inciditur in opinionē Caietani ab omnibus Theologis catholicis reprobatam, nobisque in fine huius quæstionis fortiter oppugnandam, nam illud additum aliquid rei est, non rationis, quia est fundamentum ex parte Dei & volitionis eius, vt cum illo respectu concipi possit, ostendimus autem iam huiusmodi fundamentum non esse aliquid rationis, sed rei; alias si illud fundamentum esset ens rationis de eodem, & contra ipsum insurgerent omnia supra posita argumenta, & præterea proceditur in infinitum.

355 Rursus illud non potest esse aliquid necessarium si ens reale est; tum quia dicitur esse quid additum ipsi velle necessario; tum etiam quia non magis posset esse fundamentum, quam ipsum velle necessarium vt sic: ergo erit aliquid liberum quo Deus proxime, ac formaliter constituitur actu volens creaturas; hoc autem ipsum est quod Caietanus asserebat.

356 Et confirmatur primo, quia impossibile est transire à contradictorio in contradictorium; nisi facta aliqua mutatione, vel additione in altero extremo; sed Deus quatenus præcise volens actu necessario vt sic non est volens creaturas futuras aut existentes (loquor semper de voluntate creaturarum in se ipsis, vt omittam complacentiam earum secundum esse, quod habent in omnipotentia) & deinde intelligitur volens creaturas futuras, & existentes: ergo necesse est aliquid esse additum vel ipsis, vel creaturis, ratione cuius intelligatur interea esse illa habitudo, quæ antea non erat; sed non potest additio intelligi facta creaturis, vt ostensum est: ergo esse debet in voluntate divina.

357 Vrgetur amplius; quia fundamentum relationis rationis, quod ex parte rei sumitur, aliquid reale esse debet; nam si esset aliquid rationis procederetur in infinitum, & totum esset mera fictio; aliquid ergo supponitur in re, quod occasionem præbet intellectui ad fabricandum respectum rationis, & illud vocamus fundamentum ex parte rei; hoc ergo fundamentum in præsenti esse non potest, nisi vel aliqua res extra Deum extrinsece denominans ipsum vel aliqua res inita Deum ipsum: primum dici non potest in præsens, quia vt contra opinionem Patris Herize ostendimus, Deus non dicitur volens per extrinsecam denominationem, nec cogitari potest, à quo proveniat illa extrinseca denominatio, nam vel provenit à creatura possibili, vt sic, & hoc non; tum quia alias illa non esset denominatio libera, sed necessaria, tum etiam quia esset indifferens, & communis omni rei possibili, vel provenit à creatura vt futura, vel existente aliquando, & hoc etiam dici non potest; quia omnis creatura est actu existens, vel futura eo quod Deus per voluntatem suam libere vult eam esse: ergo relatio, quam Deus, vt actu volens dicit ad talem creaturam, non potest fundari in denominatione sumpta ab ipsa creatura, vt existenti, vel futura; nam Deus sicut ex se solo se libere determinat, vt hoc velit potius, quam illud, ideo non videtur ille respectus posse prius, in alio extra Deum fundari, sed potius in ipsomet Deo, & in ipsa eminentissima perfectione divini esse, eo modo quo à nobis explicabitur quæstione sequenti.

## SVBSECTIO II.

*Vltimum argumentum principale ponitur.*

358 QVia si actus liber Dei efficax producendi Petrum, & scientia visionis videns producendum esse Petrum constituerentur formaliter, & essentialiter per relationem rationis provenientem à Petro creando; sequeretur manifeste eodem modo convenire Deo hæc nomina, creator Dominus, ac hæc sciens Petrum esse futurum, & libere volens creare Petrum quantum ad hoc, quod eorum materiale significatum, cui relationes conveniunt, sit Deus in quantum pollet scientia simplicis intelligentiæ simpliciter necessaria, & absoluto, ac simpliciter necessario amore complacentiæ, per quos actus potens est creare, ac dominari; sed significatum formale horum omnium nominum sit relatio rationis creaturis accepta.

359 Consequens autem esse falsum, patet ex D. Th. 1. *p. q.* 14. *art.* 15. *ad* 1. dicente [Dominus Creator, & huiusmodi: prædicata important relationes, quæ consequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipsas creaturas secundum quod in se ipsis sunt, & ideo varie de Deo dicuntur secundum variationem creaturarum.

360 Sed scientia, amor & huiusmodi important relationes, quæ consequuntur actus qui intelliguntur in Deo esse & ideo invariabiliter prædicantur de Deo] quod discrimen intelligendum est, non de significato materiali (cum evidens sit, & de fide Deum secundum essentiam, & secundum essentialem sibi sapientiam, voluntatem, & potentiam esse Creatorem) sed intelligendum est sine dubio de significato formali, à quo nomen Creatoris imponitur, vt optime docuit Magister sententiarum *in* 1. *dist.* 35. §. *ad hoc iuxta*; his verbis: [Creator ita dicitur relative, vt essentiam non significet; at vero præscientia, prædestinatio, & dispositio significant essentiam.] Quibus verbis subscripsit Sanc. Bonauentura *ibidem dub. litterali* 4. & magis explicat Ricardus *in fine distinctionis eiusdem*, vt

vt creator afferat relationem secundum rationem, non vero præscientia, prædestinatio, & dispositio. Clarius autem, & magis acute explicat hanc doctrinam Henricus *quodlibet* 9. q. 1. distinguēs in Deo duplices relationes rationis quædā sunt, quæ secundum rem præsupponuntur aliquomodo in creatura, & per quandam correspondentiam vt ipse ait, formantur in alio extremo, scilicet Deo, & huiusmodi sunt relatio Creatoris, Domini, & similes, quæ actionem transeuntem consequuntur; aliæ vero sunt, quæ per se primo formantur in ipso Deo, vt relatio prædestinantis, eligentis, volentis, &c. in hoc ergo genere collocandus est hic respectus, quem intelligimus consequi ad determinationem liberam; fundamentum ergo eius non in aliqua re extrinseca, sed in ipso Deo quærendum est, quia in voluntate, & ante volitionem liberam nihil supponi potest, sed potius ipsa determinatio libera supponitur ante omnem creaturam, & mutationem eius; quia omnis varietas, quæ in obiectis intelligi potest, ab ipsa voluntate tanquam à causa prima causatur, & primo, ac per se originem trahit ab ipsamet omnibus aliis eodem modo se habentibus, & ideo intime in illa esse debet fundamentum talis respectus, in quo distinguitur à denominatione creantis, & producentis Petrum, quæ à creatione, seu productione Petri originem trahens, refunditur in Deum: ergo non eodem modo conueniunt Deo denominationes Domini, & creantis, ac denominationes volentis, & scientis.

361 Vrgetur amplius, quia ex sententia aduersariorum vana redditur illa quæstio, vt optime notat P. Ruiz, quæ Theologorum omnium consensu censetur esse grauissima videlicet, vtrum præscientia nostrorum operum supernaturalium impulerit Deum, vt homines istos potius, quam alios prædestinauerit, vel potius Dei prædestinatio causa fuerit meritorum, & consequenter prædestinatio determinauerit intellectum Dei, vt præsciret homines istos esse bene operaturos finaliter. Nam apud omnes catholicos est certum fidem, & obseruantiam diuinæ legis perseuerantem vsque ad finem vitæ causam meritoriam, & rationem esse gloriæ, quo supposito, relationes rationis constituentes diuinam præscientiam, & prædestinationem eodem ordine se respicient necessario; nec erit possibile etiam de potentia absoluta, vt prædestinatio ad gloriam sit ratio causandi merita, ita vt propterea Deus efficaciter moueat Petrum ad fidem, & opera pietatis, quoniam eum prædestinauit ad gloriam, vbi est ergo illud *ad Roman.* 9. [non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.]

362 Et infra, [cuius vult miseretur: & quem vult indurat?] quod certissimum est in voluntate antecedenti, quæ prius terminatur ad gloriam quam respiciat merita in omnium sententia. Deinde quia voluntas creata realiter, & vere concurrit cum Deo ad producenda quælibet opera pietatis, quibus obtinetur gloria; sed ex istis operibus, vel ex concursu Dei ad illa resultat relatio rationis, qua completur, & vltimate constituitur determinata prædestinatio Petri: ergo voluntas Petri causa est, vt ipse sit prædestinatus. Nec potuit aliter prædestinari, nisi prædicta causalitate, præterea, sic enim fuit impossibile conditionali scientia futurorum operum dirigi Dei prouidentiam, vt hominem constituat in circunstantiis, sub quibus præuidet, esse bene operaturum, & perseueraturum.

Declaratur euidentius hæc veritas in reprobatione, in cuius tractatu omnes Doctores tanquam indubitabile supponunt, fuisse possibile saltem de potentia absoluta non reprobare homines, nisi propter præuisa peccata finalia, similiterque fuisse possibile reprobare ante præuisionem volendo negare illis prædestinationem; hac autem possibilitate præsupposita, Doctores ita reiiciunt alteram partem, vt eo ipso putent alteram partem esse concedendam, nec detur medium inter vtramque. Contra vero sententia, quam in præsenti refellimus, vtramque partem excludit vt impossibilem de potentia absoluta, nam finalia peccata, & eorum actualis permissio prior est, & quasi origo relationis rationis, qua Dei volitio necessaria, & ex se indifferens completur & vltimo constituitur in ratione volitionis reprobantis determinate Iudam v. g. eadem autem, vel alia relatione proueniente ex eadem origine constituitur scientia Dei ex se indifferens in ratione scientis determinate finale peccatum Iudæ; quapropter nec fuit possibile præuisionem finalium peccatorum fuisse motiuum, aut rationem reprobationis, nec fuit possibile Deum velle negare prædestinationem Iudæ prius ratione, quam præuideret illius finale peccatum. Vtrumque namque simul absque prioritatis, aut causalitatis ordine concurrit, videlicet determinata reprobatio, & determinata præscientia, nam vtramque determinat, complet, & constituit relatio veniens ab eadem origine. 363

Præterea sequitur ex hac sententia, vanam esse disputationem, & controuersiam, quæ maximæ difficultatis semper apud Theologos extitit, Vtrum Deus vniretur humanitati, etiamsi Adamus non peccasset, quoniam quantum ad exteriores effectus constat originali peccato Adami damnatum fuisse genus humanum, & à Christo Domino à captiuitate peccatorum, & Dæmonis seruitute redemptum, ac liberatum, quamobrem relationes rationis ab his actionibus Dei, vel Adami resultantes in diuinam scientiam, & volitionem non potuerunt aliter esse, nisi eodem ipso modo, quo de facto sunt ex suppositione peccati Adami; nam si non variatur res; vnde prouenit relatio rationis, non potest variari ipsa relatio supposita inuariabilitate summa rei denominatæ, quæ est necessarius amor complacentiæ rerum possibilium; qui nulla ratione potest nunc denominari decretum liberum incarnandi, licet Adamus non peccaret; falsum igitur erit, quod Sanctus Thomas, & cæteri tractatores illius quæstionis supponunt quasi certum, decisionem illius esse quærendam ex libera Dei voluntate, quæ reuelata est in sacris litteris; sequela probatur, contradictionem implicat aliter esse decretum illud quam modo prædicto: ergo non pendet ex diuina libertate. 364

Tandem sic argumentor, quia actus liber Dei, v. g. prædestinatio actu datur ab æterno, & actu ab æterno nullus datur respectus rationis: ergo actus liber Dei ab æterno non constituitur per respectum rationis. Maior latissime à nobis supra probata manet. Minor sic demonstratur; quia nullus effectus datur actu ante existentiam causæ, & quando non existit illa; sed ab æterno nulla creatura existit, quæ est causa entis rationis: ergo ab æterno nullus datur actu respectus rationis; maximum enim poterit dici esse futuros respectus rationis ab æterno, sicut sunt futuræ ab æterno creaturæ intellectuales; atqui decretum prædestinandi 365

nandi non solum est futurum ab æterno, sed actuale, & præsens, & id quod est actuale, & præsens, non potest actu esse, & actu constitui per cõstitutivum futurum sicut v. g. hodie non potest actu constitui in esse præsentis Petrus per animam rationalem, quæ actu non est præsens sed solum est futura, & erit postea: ergo decretum prædestinandi, quod actu fuit præsens ab æterno non constituitur ab æterno per respectum rationis.

366 Contra Patrem Vazq. peculiariter se se offerunt manifeste contradictiones: nam ipse aperte docet, vt videbimus *tract.* de ente rationis Deum nullo modo cognoscere ens rationis, & ex alio capite docet, Deum cognoscere sua decreta libera, tum quia fides docet hoc, tum etiam quia evidens lumen naturæ ipsum demonstrat, quis enim potest negare ipsum Deum cognoscere id ipsum, quod decernit; quomodo enim decerneret, aut quomodo amaret sine cognitione illius quod amat; nihil enim volitum quin præcognitum; aut quomodo revelaret multis prædestinationis mysterium, vt posse revelare docet Concilium Tridentinum, nisi ipse Deus cognovisset prædestinationẽ quam revelaret, præcipue quia in hoc pejoris conditionis esset Deus, quam homo.

367 Ex alia autem parte dicit, decretum liberum Dei constitui per ens rationis, sed non cognitis vltimis constitutiuis rei non potest cognosci res constituta per illa; v. g. non cognito rationali, quod est vltimum constitutivum hominis nullo modo potest cognosci homo, & non cognito esse à se, aut non perspecta intellectione purissima, nullo modo potest cognosci Deus; ratio est manifesta, quia prædicatum essentiale alicuius est illud ex propria definitione sine quo nec esse, nec intelligi potest res.

368 Sed respectus rationis per vos est formalissimum & vltimum per se constitutiuum actus liberi essentialiter: ergo non cognito tali respectu rationis à Deo, nullo modo potest cognosci ab ipso actus liber; atqui ex alio capite per vos cognoscitur, & comprehenditur à Deo: ergo per vos actus liber cognoscitur, & non cognoscitur ab ipso quæ sunt manifestæ contradictiones.

## SECTIO IX.

*Sententia Patris Suarez, vt ab ipso explicatur, refellitur.*

369 PRimo, & in memoriam revoco id, quod P. Suarez docet, vt patet ex verbis ipsius adductis supra, dum eius sententiam in medium protulimus, videlicet, actum liberum Dei, esse contingentem & posse abesse, & adesse, non quoad esse, & entitatem, sed solum quoad terminationem, in quo discrimen ponit inter actum liberum creatum, & diuinum, quia actus liber creatus quoad esse est contingens, quoad terminari vero non. Deinde docet P. Suarez, terminationem illam constituere formalissime actum liberum Dei, quia actus liber Dei formalissime debet habere indifferentiam ad volendum & non volendum: quia Deus ita amat, vt potuerit non amare. Quibus positis sic argumentor.

370 Quia vel illa terminatio per quam constituitur actus diuinus in esse liberi intrinsece, & formaliter, est ipsum esse diuinæ volitionis necessariæ, vel est ipsum esse Dei, aut est esse creatum distinctum realiter ab esse Dei; aut est medium à parte rei inter esse creatum & increatum, ita vt nec sit Deus, nec creatura; hoc vltimum dici non potest, quia vt ipse P. Suarez late demonstrat in metaphysica ens reale adæquate diuiditur in esse Dei, & in esse creaturæ, ita vt nullum detur ens reale, quod non comprehendatur sub aliquo ex his extremis: ergo terminatio illa &c.

Nec potest dici in sententia P. Suarez, talem 371
terminationem esse ens creatum distinctum realiter ab esse Dei, tum quia ipse late probat actum liberum Dei non constitui per aliquid creatum, & per aliquid extrinsecum ipsi, sed terminatio illa constituit formalissime ex P. Suarez actum liberum Dei: ergo terminatio illa non est esse creatum; quia iam incideret P. Suar. in eam sententiam, quam late impugnat, ac proinde sibi ipsi contradiceret, & præterea contra ipsum insurgerent omnia argumenta, quæ contra opinionem Patris Herize supra adduximus, præterea aliquod maius inconueniens sequeretur contra Patrem Suarez ex principiis eiusdem, quia P. Suarez asserit, totum, & adæquatum actum liberum esse intrinsece in Deo; quia est actus vitalis, & perfectio ipsius, ac per consequens non posse compleri per denominationem extrinsecam sumptam à creatura, aut ab aliquo extra Deum, sicut actus vitalis Angeli, quia talis est non potest compleri per aliquid extrinsecum, sed adæquate, & totaliter est intrinsece in ipso Angelo.

Sed terminatio illa pertinet ad constitutivum 372
essentiale vltimum talis actus liberi Dei: ergo actus liber Dei secundum illam terminationem intrinsece est in Deo, quia intrinsece constituitur ab illa in esse volentis libere, ac vitaliter: ergo si terminatio est aliquid creatum, erit intrinsece in ipso Deo aliquid creatum, & aliquid creatum similiter constituet formaliter in perfectione viuentis, ac volentis ipsum Deum: sed hoc est summum absurdum, nam in Concilio Remensi contra Gilbertum Porret. aperte definitum est quidquid in Deo est, Deum esse, & non creaturam: ergo si tu asseris, terminationem illam esse intrinsece in Deo, & simul asseris terminationem illam esse quid creatum, ex diametro sine dubio te opponis definitioni Concilij Remensis.

Deinde eadem inconuenientia, quæ contra 373
Caietanum eruis, contra te ipsum eruerentur; componeretur enim Deus intrinsece ex esse diuino & esse creato, &c. ergo nullomodo potest dici, terminationem illam, per quam intrinsece, ac formaliter constituitur actus liber Dei, esse ens creatum: ergo solum restat dicendum, primum membrum diuisionis, scilicet terminationem illam esse ipsum esse Dei: ergo evidenter sequitur; quod si actus liber Dei est liber, & contingens quoad terminationem, esse liberum, & contingentem quo ad esse Dei; patet consequentia, quia terminatio illa est esse Dei per vos, sed per vos etiam terminatio illa est libera, & contingens: ergo per vos esse Dei debet esse liberum, & contingens, quare si non potest dici esse Dei esse liberum, & contingens, similiter nec poterit dici, esse liberam, & contingentem terminationem, vnde sicut negas, actum liberum esse talem, & esse contingentem quoad esse, similiter debes negare, esse contingentem, & liberum quoad terminationem, & è contra, si concedis terminationem esse contingentem, & negas, esse Dei esse contingens, concedendo esse Dei

Dei esse ipsam terminationem concedis duo contradictoria simul, videlicet idem esse liberum, & non liberum, esse contingens, & non contingens simul.

374 Præterea, quia quando dicis, terminationem illam esse liberam, & contingentem vel loqueris de ipso esse terminationis intrinseco, vel de connotato extrinseco illius terminationis; hoc vtrimum non est ad rem; quia alias actus liber Dei, vel Deus quoad suum actum intrinsecum non haberet indifferentiam ad amandum, vel non amandum; sed solum diceretur indifferens extrinsece, quia terminus connotatus est contingens, quod est falsissimum, & contra tua principia; nam sicut Deus est liber intrinsece, ita etiam est indifferens intrinsece ad amandum, vel non amandum, ad volendum facere, & ad volendum non facere; quare non ideo vult, cum posset non velle quia creatura existit, cum posset non existere, sed potius econtra ideo existit creatura, cum posset non existere quia Deus ita vult, vt non posset non velle existere ipsam; vnde potius dicendum est creaturam denominari indifferentem ab actu libero, quam actum liberum à creatura indifferentiam sortiri.

375 Et præterea; quia iam libertas Dei, sui indifferentia actus liberi, quæ Synonyma sunt, aut se habent vt definitio, & definitum, sicut homo, & animal rationale, esset denominatio extrinseca sumpta à creatura, quod ipse P. Suarez *in metaphys. disp. 30. sect. 9. à num. 4. vsque ad 7. exclusiue*, auctoritate scripturæ, & rationibus euidentibus labefactat: [quia (vt ipse ait) velle amare libere, & similes denominationes, cum sint vitales non possunt esse omnino extrinsecæ: ergo vel Deus non amat libere, vel amat per amorem liberum, qui in ipso est; secundo quia facere illo modo, cum indifferentia scilicet agendi, & non agendi, & nihilominus determinare se ad agendum immediate, ac formaliter per ipsammet actionem extrinsecam creatam & est modus intelligibilis, ac impossibilis, & quamquam esset possibilis, esset imperfectissimus, & Deo indignus.] Sic ille quibus manifeste probat, indifferentiam, & libertatem actus diuinæ voluntatis, non posse esse denominationem extrinsecam sumptam à contingentia exrrinseca creaturarum: ergo si actus diuinæ voluntatis dicitur liber quoad terminationem, debet esse liber quoad aliquid intrinsecum ipsius actus liberi, scilicet quoad ipsam terminationem, per quam ipse intrinsecè constituitur, hoc est per diuinam illam tendentiam vitalem, & non per ipsum terminum extrinsecum,, aut connotatum creatum, quod respicit talis terminatio, & modus loquendi. P. Suarez id manifestat; quia non dicit actum diuinæ volitionis esse liberum, & contingentem quoad connotatum, seu quoad creaturam productam libere ab ipso Deo, (alias ipse Suarez incideret in sententiam illorum, qui asserunt, actum liberum in esse liberi constitui formaliter per creaturam, quam late impugnat ipse P. Suarez *loco citato*) sed potius ait, esse liberum quoad terminationem, & tendentiam, vtique vitalem increatam & diuinam ipsius diuinæ volitionis, quod videre licet *sect. superiori*, vbi sententiam ipsius explicuimus: ergo quando dicis, actum diuinæ volitionis esse liberum, & contingentem quoad terminationem ipsius, loqueris de ipsa terminatione diuina quatenus distinguitur à termino connotato, & quatenus est causa talis termini connotati, siquidem actus quatenus libet formaliter est causa creaturæ.

Tunc sic; vel illa terminatio est aliquod ens, 376
vel nihil est, seu nullum ens est quia inter hæc nullum datur medium eo quod termini immediate maxime, & contradictoriè opponantur, oppositio enim contradictoria sine medio est; quod fundatur euidentissimo illo principio, quodlibet est vel non est; sed non potest dici, quod terminatio illa nihil sit, aut nullum ens sit, alias nihil constitueret, nec aliquid componeretur ex illa, quia ex nihilo nihil resultat; vnde actus liber, qui ex illa constituitur nihil esset, ac proinde præter actum necessarium nullus actus liber daretur, seu nihil reperiretur in Deo, quod merentur rationem actus liberi: ergo necessario dicendum est, illam terminationem, per quam constituitur actus liber, habere aliquod esse, seu esse verum ens: atqui est verum esse, quod constituit actum liberum essentialiter, & formaliter: ergo est verum esse actus liberi: patet consequentia, quia omne constitutiuum essentiale alicuius est esse seu essentia constituti; vnde quia Paternitas in diuinis constituit Patrem, & intellectio purissima constituit Deum essentialiter per vos, intellectio est esse Dei, & Paternitas est esse Patris, & quia rationale constituit essentialiter hominem, rationale est essentia seu esse hominis, & quia materia prima constituit Leonem essentialiter, materia prima est esse leonis; sed terminatio illa intrinsece, & essentialiter constituit actum liberum, & per vos actus ille est liber, & contingens quoad terminationem: ergo actus ille debet esse liber, & contingens quoad esse, & quoad entitatem; v. g. quia homo est corruptibilis quoad vnionem, quæ constituit essentialiter hominem est corruptibilis quoad esse, & entitatem propriam; vnde si Pater æternus per impossibile esset corruptibilis quoad paternitatem, esset sine dubio corruptibilis quoad esse, & entitatem Patris: ergo male distinguitis dicendo amorem diuinum terminatum ad creaturas, seu prædestinationem D. Petri esse liberam, & contingentem quoad terminationem & non quoad entitatem; quia entitas actus liberi, & terminatio actus liberi sunt omnino idem; cum per suam entitatem, & non per aliquid distinctum à parte rei ab ipsa terminetur, & tendat vitaliter in creaturam.

Exemplo manifesto comprobatur in creatis amor; quia actalis est & quia habet pro obiecto immediato, & formali Deum vel creaturam, terminatur ad Deum, vel ad creaturam per suum ipsum esse, ita vt ipsa terminatio, seu tendentia vitalis amoris in obiectum sit ipsum esse ipsius amoris, & non aliquod esse distinctum ab ipso amore, quod patet euidenter, quia esse formalissimum amoris non potest intelligi sine tendentia, & terminatione vitali ad obiectum; quare si præscindas amorem à terminatione ad obiectum, seu à tendentia ad ipsum, non erit amor, quia simplicissime per ipsum esse amoris tendit in illud: ergo similiter in Deo nullo modo potest intelligi esse amoris creaturarum sine tendentia, & terminatione vitali ad illas, quapropter per suum ipsum esse simplicissimum est terminatio, seu tendentia vitalis ad creaturam, ita vt tendentia illa vitalis, seu terminatio sit ipsum esse formalissimum prædestinationis, ita vt neque realiter, neque virtualiter à parte rei, neque per rationem distinguatur termi-

natio,

natio, & tendentia amoris liberi ad creaturam ab ipso esse formalissimo amoris ipsarum, sed per te amor creaturarum est liber, & contingens formalissime quoad tendentiam & terminationem: ergo formalissime quoad esse; & entitatem prædestinatio est libera & contingens.

377 Declaratur amplius, quia sit per vos actus liber Dei neque realiter, neque per rationem addit aliquid supra actum necessarium distinctum ab ipso actu necessario propter simplicissimam entitatem illius actus, ac proinde neque re, neque ratione distinguitur ab actu necessario, etiam si effectus quasi contradictorios habeant, & denominationes contradictorias subeant, & obiecta realiter distincta respiciant; nam amor necessarius Dei non terminatur ad creaturas sed solum ad Deum; amor autem liber non terminatur ad Deum, sed solum ad creaturas: ergo multo minus distinctum, siue re, sive ratione addet terminatio amoris liberi ad creaturas supra ipsum esse amoris liberi: patet consequentia manifeste, quia neque in creaturis, neque in ipso Deo datur aut effectus, aut fundamentum ad hoc, vt possimus distinguere terminationem amoris ad obiectum ab ipso esse amoris, nam in creaturis neque per rationem distinguitur tendentia, seu terminatio amoris ab ipso amore, etiam si creatura propter suam imperfectionem, & potentialitatem obnoxia sit tot distinctionibus realibus.

Item nullus effectus datur terminationis, qui non sit simul effectus amoris, qui terminatur: ergo nullo modo potest poni distinctio aliqua inter terminationem prædestinationis ad D. Petrum, & ipsum esse seu entitatem prædestinationis: ergo nulla denominatio potest dari, aut nulla formalitas attribui terminationi, quæ non attribuatur amori, prædestinationi, seu esse, & entitati prædestinationis, quæ non attribuatur etiam terminationi seu tendentiæ vitali ad obiectum, seu terminum prædestinatum: sed per vos prædestinatio est libera, seu contingens quoad terminationem: ergo similiter debet esse libera quoad esse, & entitatem ipsius prædestinationis, & è contra si prædestinatio non potest esse libera, & contingens quoad entitatem, & esse prædestinationis, nullo modo potest esse libera, & contingens quoad terminationem, & tendentiam vitalem prædestinationis: ergo contradictio datur in adiecto indistinctione illa, qua vtuntur aduersarij de libertate, & contingentia quoad terminationem, & non quoad entitatem, & esse amoris.

378 Deinde per vos actus liber Dei quoad terminationem potest abesse, & adesse formaliter, & vere, quia quoad terminationem est liber & contingens, & non potest adesse, & abesse formaliter, & vere quoad entitatem, & quoad esse, quia quoad entitatem, & esse non est liber, & contingens: ergo terminatio illa amoris Dei supra quam cadit reduplicatio est libera, & contingens formaliter; sicut v. g. quia anima rationalis secundum vnionem ad corpus est corruptibilis, ipsa vnio, supra quam fit reduplicatio, debet esse corruptibilis, & quia homo secundum voluntatē formaliter est liber, & non secundum intellectum, voluntas, supra quam fit reduplicatio est libera formaliter, & non intellectus: sed per vos actus liber Dei est liber, & formaliter contingens secundum terminationem, vel quoad terminationem, ac proinde secundum terminationem potest ab esse, & adesse Deo formaliter: ergo terminatio diuini amoris ad creaturas quatenus distinguitur ab extrinseco termino creato vere, formaliter, & proprie definit esse, abestque & adest seu potest abesse & adesse formaliter in Deo; atqui illa terminatio intrinseca, seu vitalis tendentia, per quam formaliter, & intrinsece constituitur prædestinatio in esse volitionis liberæ nullo modo distinguitur ab esse dei à parte rei, & formaliter, sed est idem omnino non solum realiter sed etiam ratione, cum esse dei, & cum entitate ipsius: ergo esse dei potest definere esse realiter: sed id quod potest definere esse est corruptibile: ergo esse Dei formaliter est corruptibile, quod est omnino hæreticum, & aperte contra fidem catholicam, & ex alio capite si terminatio illa formaliter definit esse & non definit esse formalissimum dei: ergo esse formalissimum dei separatur realiter à terminatione illa ad obiectum, sed quæ separantur realiter, distinguuntur realiter: ergo esse dei & terminatio ad obiectum distinguuntur realiter in amore libero, qui constituitur per talem terminationem, sed omne, quod est à parte rei & distinguitur à parte rei ab esse dei, non est deus, sed creatura, quia non datur medium inter esse Dei, & esse creaturæ, vt iam diximus, sed per illam terminationem constituitur esse dei in esse amoris liberi formaliter, quia præcisa terminatione per vos esse dei nullo modo est liberum, cum per vos volitio dei non sit libera quoad esse, sed quad terminationē: ergo actus liber dei formaliter in esse talis constituitur formalissime per creaturam.

379 Nunc interrogo, an sit per creaturam existentem extrinsecè respectu Dei, vel intrinsecè existentem in ipso? si est per creaturam existentem extra Deum: ergo iam actus liber dei constituitur per extrinsecam denominationem, quod late impugnat ipse Pater Suarez, vbi supra. Vnde non potest in principiis Patris Suar. substineri.

Si est per creaturam intrinsecè existentem in Deo iam dabitur aliquid creatum intrinsecè in ipso, quod est aperte contra Concilium Remense definiens clare, & expresse contra Gilbertum Porret. quidquid in Deo est, Deum esse, quia alias ex Deo, & creatura componeretur vnum totum, vnde Deus volens erit compositus, & non simplicissima entitas, quod est falsissimum, & contra innumera Concilia quæ definiunt, Deum esse simplicissimum secundum omnem perfectionem suam. Præterea sequentur omnia incommoda, quæ contra sententiam Herize supra eruimus, vnde actus liber Dei erit vitalis, & non vitalis. Deinde omnis actus intrinsecus distinctus realiter ab eo, cuius est actus, perficit intrinsece, & recipitur in illo cuius actus est; omnis enim actus perfectio est, omnis autem perfectio debet perficere id, cuius perfectio est, quæ perfectio licet in se sit talis, indicat sine dubio potentialitatem in subiecto ad talem perfectionem, & per consequens imperfectionem in ipso; quæ omnia salva fide catholica non possunt verificari de Deo: ergo talis solutio, ex qua tot inconvenientia sequuntur, non potest substineri.

Exemplo demonstratur ratiocinatio hæc: si aliquis diceret, iustitiam diuinam, aut diuinam paternitatem desinere esse vere, & realiter, sine dubio hoc modo conuinceretur: Per vos diuina iustitia desinit intrinsecè: sed diuina iustitia est ipsa essentia Dei: ergo essentia Dei desinit intrinsece, & realiter; aut econtra si ipsa essentia dei non potest definere esse, sed semper necessario est similiter non poterit non esse, aut definere esse ipsa iustitia, quæ est idem cum ipsa essentia, alias existente divina essentia non existeret diuina iustitia.

stitia ; sed ea, quæ ita se habent , vt existente vere , & realiter vno, non existit alterum , separantur realiter ; & quæ separantur,distinguuntur realiter : ergo diuina iustitia distinguitur realiter à diuina essentia : ergo diuina iustitia est creatura, & non Deus , &c. sed existente diuina essentia, desinit esse formaliter diuina terminatio , quæ intrinsecè constituit actum liberum : ergo diuina terminatio separatur realiter , ac formaliter à diuina essentia , ac proinde distinguitur realiter ab illa , quod est incidere in opinionem Caietani, & in reliqua inconuenientia,quæ contra illum eruit Pater Suarez , rationes quorum omnes Catholici acriter inuehuntur in illam , abhorretque aures catholicas.

## SVBSECTIO I.

### *Aliquæ solutiones refutantur.*

300 REspondent aliqui defensores Patris Suarez, terminationem illam esse contingentem , & posse desinere formaliter quoad denominationem, ac proinde terminationem illam neque distingui realiter à Deo , neque componere cum ipso realiter actum liberum.

Sed contra manifeste , & euidenter ; quia vel denominatio illa , quæ est contingens formaliter, & formaliter desinit esse ratione formalis contingentiæ , est nomen solum significans entitatem terminationis , & terminationem ipsam ; vel est entitas ipsa terminationis significata per tale nomen ? si primum , non est ad rem , quia hic non loquimur de nomine actus liberi, neque tota difficultas est de denominatione , sed potius de actu ipso vitali Dei liberæ volitionis, quomodo necessarius cum sit , & sit ipse Deus , possit deficere ; quod est de ratione actus liberi, & quomodo vera sit illa propositio ; Deus vere,& proprie ita amat, vt potuerit non amare, & ita non habet amorem, vt potuerit habere illum , ita prædestinauit D.Petrum, vt habuerit indifferentiam ad reprobandum illum , & è contra ita reprobauit Iudam Iscariotem , & Antichristum , vt potuerit prædestinare ipsos ; ita prædestinauit Christum,& B.Virginem, vt si voluisset , potuisset non prædestinare ipsos, & ita voluit creare totam hanc machinam vniuersi constantem ex cœlis , Angelis, hominibus, mistis , & elementis , vt potuerit velle non creare illum, quis enim hæc arca , in diuina mysteria ad nuda , & vacua nomina solum , & ad denominationes dumtaxat phantasticas ausu temerario poterit reuocare:vnde iterum vrget argumentum ; nam actus liber Dei non est solum indifferens & liber quoad nomen , sed etiam quoad rem ipsam, alias in Deo non daretur libertatis perfectio in re, sed solum in nomine ; vnde esset sine dubio titulus sine re , vt volunt hæretici , quod damnatur aperte à Conciliis contra delirantes Lutheranos, dum loquuntur de libertate humana, quæ comparata cum diuina , & composita ad ipsam infinite distat ab eadem , & potius vmbra , & vestigium libertatis , quam libertas perfectissima est ; sicut omne esse participatum vocatur vestigium Dei, & vmbra ipsius , omne enim creatum quasi nihilum ante re : ergo multo magis damnandum est , & abominandum , virisque catholicæ fidei lumine circumfusis toto pectore , velis , remisque fugiendum , dicere , & perfricta fronte pronunciare libertatem , & indifferentiam diuinæ volitionis esse solum quoad nomen , & non quoad rem ipsam : ergo libertas diuini actus non solum quoad denominationem , sed etiam quoad realitatem datur in Deo propriissime ac verissime , sed vera , & propria libertas necessario dicit veram , ac propriam indifferentiam formalem , & hæc non potest intelligi sine contingentia , & ideo est verum hoc entimema , Deus non amat , nec prædestinat necessario hanc creaturam ad gloriam : ergo contingens fuit , vt amaret , & non amaret illam , & sic ita amauit , vt potuerit non amare ipsam , itaque contingentia necessario sequitur indifferentiam , & libertatem actus , vnde Pater Suarez , cum videat hoc non posse excusari , dicit , actum liberum non quoad esse , sed quoad terminationem esse contingentem ac per consequens posse abesse , & adesse, si non quoad entitatem, minimum quoad terminationem : ergo si Deus non solum in nomine terminationis , sed etiam in re ipsa, seu in terminatione significata per nomen habet indifferentiam , & libertatem non solum in nomine terminationis , sed etiam reipsa in terminatione habebit contingentiam, & sic terminatio ipsa erit contingens , ac tandem poterit esse , & desinere esse: sed terminatio illa est in Deo intrinsecè, & quidquid in Deo est , Deus est , & esse diuinum vt fides catholica docet : ergo Deus , & esse diuinum contingens est , ac proinde Deus poterit esse , & non esse formaliter quæ sunt inconuenientia , quæ contra Caietanum eruit Pater Suarez, ac proinde Peryllus suo tauro comburitur , & vt alibi dicitur, incidit in foueam quam fecit.

Præcipue, quia vel hæc denominatio , aut nomen libertatis , & indifferentiæ actus quoad terminationem , aut in terminatione actus , est vera vel falsa , falsa esse non potest secundum fidem, & euidens lumen naturæ,alias Deus diceretur falso amare creaturas,quas libere amat ; si vera:ergo in obiecto per illam significato , scilicet in terminatione ipsa , & in ipsa entitate terminationis debet dari vera contingentia , & propria , ex eo enim quod res est vel non est , propositio , & denominatio dicitur vera , vel falsa : sed terminatio illa quoad denominationem veram , vereque significantem ipsam terminationem vt est, est contingens , & sic potest esse , & non esse , in Deo : ergo & terminatio ipsa potest esse , & non esse in ipso , sed terminatio ipsa actus liberi est ipsam esse actus liberi , seu entitas illius, quia nullo modo distinguuntur realiter , imo nec per rationem vt supra late probauimus , & ex alio capite esse amoris diuini est ipse Deus : ergo non solum actus liber quoad denominationem terminationis , neque solum quoad terminationem significatam per talem denominationem , sed etiam quoad esse , & entitatem amoris, imo & ipse Deus , & essentia diuina poterit esse , & non esse formaliter ; vnde si ipsum esse amoris, & ipsa terminatio non potest esse , & desinere esse , sed necessario semper est , ipsa denominatio semper erit , & nomen verè significans dilectionem Dei semper erit , & nunquam deficiet. Explicatur manifesto exemplo , ideo denominatio amoris , quo se amat Deus , & quo amat creaturas possibiles , cum quibus connectitur omnipotentia in sententia Patris Suarez , nullam habet contingentiam , sed potius summam necessitatem , ac proinde non potest esse , & non esse , quia entitas , & termi-

natio illius amoris ad Deum & ad creaturas possibiles, quam significat vere, & vt est ipsa denominatio, & cum qua maxime proportionatur ipsa; quia ponitur à Deo, & non à creaturis fallibilibus, nullam habet contingentiam; sed potius summam necessitatem, &c. sed etiam per vos terminatio actus liberi nullam habet contingentiam, sed potius summam necessitatem, & sic non potest esse, & non esse, sed potius determinate, & necessario est: ergo neque denominatio, aut nomen per quod significatur vere vt est, debet habere contingentiam sed potius summam necessitatem; & sic non poterit esse, & non esse, sed certe denominatio illa; quia libera est, contingens est: ergo entitas terminationis contingens est: ergo poterit non esse, ac proinde ipse Deus poterit esse, & non esse.

Vrgetur, ac declaratur amplius; quia prædicatum hoc intrinsecum amoris Dei ad creaturas est intrinsece in re, de qua prædicatur; sed non est respectus rationis proprius, & fictus: ergo est ens reale in ipso, siue dependeat ab extrinseco connotato in prædicari, siue non; aliud enim est quærere à quo dependeat, aliud quid sit; argumentum autem factum solum intendit; vt explicent, quid sit, anne obiecto ipsi extrinsecum, an intrinsecum? ante omnem intellectus fictionem; sed non negant hoc secundum: ergo est ens reale hoc, quod tu nominas prædicatum intrinsecum, foret enim hoc mirabilius, vt notat Herize, quod esset aliquid intrinsecum obiecto, & quod nec esset ens rationis, nec ens reale; quod si non est ens rationis, ens reale erit: ergo cum concedis potentiam ad habendum, & non habendum prædicatum intrinsecum, concedis in Deo potentiam ad habendam, & non habendam entitatem realem; implicas ergo cum cum ais, esse contingentiam in prædicato intrinseco, & non esse in entitate reali, esse in terminatione contingentiam & non esse in entitate terminationis illam.

Nec minora incõuenientia eruuntur ex tuis principiis contra te ipsum; quia tu asseris, actũ liberum supra necessarium nihil addere, neque realiter, neque ratione distinctũ: ergo actus liber non distinguitur, neque re, neque ratione ab actu necessario, quæ omnia nullo modo inter se cohærere possunt cum principiis receptis à te ipso; quia ideo per te relatio paternitatis distinguitur per rationem à diuinitate, & virtualiter à parte rei, quia verificantur de illis prædicata contradictoria, verbi gratia, communicatio diuinitatis, & non communicatio Paternitatis. Item intellectus diuinus distinguitur per te virtualiter à parte rei à voluntate diuina; quia per intellectum diuinum generatur Verbum, & non generatur per voluntatem, sed actus liber terminatur ad creaturas à parte rei, & non terminatur ad Deum, & è contra actus necessarius terminatur ad Deum & non ad creaturas. Item actus necessarius neque quoad esse neque quoad terminationem est contingens, actus vero liber si non quoad esse, saltem quoad terminationem per te est contingens: ergo iam de actu necessario, & libero prædicantur formalitates contradictorie oppositæ; vnde datur tota ratio formalis propter quam concedis distinctionem virtualem à parte rei, & formalem per intellectum inter perfectiones diuinas alias: ergo etiam inter actum liberum, & necessarium diuinum debet dari distinctio rationis per intellectum; sed si nihil adderet actus liber in Deo distinctum à necessario, nec realiter, nec ratione distingueretur, vt de se patet, vt rationale non distinguitur à principio ratiocinandi, quia nihil addit rationale supra ipsum: è contra vero rationale distinguitur ab animali, quia rationale addit aliquid ratione distinctum supra animal: ergo si actus liber distinguitur ratione ab actu necessario aliquid ratione distinctum debet addere supra necessarium.

## SVBSECTIO II.

*Ex refutatione aliarum solutionum confirmatur nostra veritas.*

QVia nemo potest mente concipere rationem formalem alicuius effectus, vel quasi effectus (loquor de ratione metaphysica identificata cum re, non autem de physica, quæ petit aliquas conditiones ad tribuendum effectum formalem,) dari in subiecto capaci, & talem rationem esse omnino necessariam, & esse omnino independentem à quocunque extrinseco, & nihilominus non tribuere effectum formalem necessario, sed contingenter, quia imperceptibile est, Deum de facto realiter denominari volentem libere, ita vt potuerit non esse volens, & formam, quæ talem effectum formalem liberum tribuit, vt sic, esse necessariam nec deficere posse? nam denominare nihil aliud est, quam habere formam id, quod est capax effectus formalis illius: ergo si forma necessario semper est in Deo independenter à quocunque extrinseco, semper denominabit Deum, quia Deus est capax denominationis, & ex alio capite ad talem denominationem non prærequiritur aliquod connotatum extrinsecum: sed ante omne connotatum extrinsecum Deus est capax amandi creaturam. Exemplo manifestissimo declaratur, impossibile est, quod detur in aliquo subiecto formalitas metaphysica animalis rationalis quæ per identitatem existit in subiecto, & est independens à quocunque connotato extrinseco, & quod tale subiectum non sit homo; quod è contra euenit in formis physicis, quæ distinguuntur à subiectis, & petunt ad suos effectus formales conditiones aliquas extrinsecas, vel dependent ab aliquibus extrinsecis connotatis ad suos effectus formales tribuendos, & ideo non mirum, quod non tribuant illos, si non dentur talia requisita; & sic anima rationalis, licet existat in ossibus, non facit eos viuere, quia ad tribuendum effectum formalem vegetatiui dependet à requisitis aliquibus, quæ non reperiuntur in ossibus, vt reperiuntur in carne, sed formalitas amandi creaturas non est physica, sed metaphysica identificata à parte rei, cum ipso Deo capaci semper amandi creaturas, & talis formalitas est independens ab omni connotato, & requisito extrinseco extra Deum existente: ergo semper, & necessario debet tribuere effectum formalem amandi creaturam: atqui non semper tribuit talem effectum, & hoc non ex defectu incapacitatis Dei: ergo sine dubio est, quia deficit formalitas amoris creaturarum in Deo.

Declaratur amplius, quia nihil aliud est effectus formalis alicuius formalitatis, vel vt melius loquar, quasi effectus formalis illius, nisi totum coalescens ex forma, subiecto capaci, & vnione inter ipsa, verbi gratia, nihil est aliud homo, nisi totum coalescens ex materia capaci animæ rationalis, & anima rationali, ac tandem vnione inter

inter ipsas, & hoc totum adhuc per rationem nihil aliud est, quam materia, forma, & vnio; quia totum neque realiter neque per rationem distinguitur ab omnibus constitutivis simul sumptis & vnitis, vt latissime in Physicis *disput. de toto* demonstravimus. Item nihil aliud est Pater æternus in divinis, qui est constitutum seu quasi effectus formalis Paternitatis, quam paternitas divina essentia, & identitas inter vtramque, & sic de cæteris; sed in quocunque signo rationis datur tota formalitas metaphysica amoris creaturarum liberi, & datur identitas ipsius cum Deo necessaria, quia necessario identificatur actus liber Dei cum Deo, & semper datur necessario Deus ipse: ergo semper, & necessario dantur omnia constitutiva Dei volentis libere creaturas: ergo semper datur quasi effectus formalis talis amoris creaturarum, scilicet Deus volens creaturas futuras v.g quia vt diximus: nihil aliud est Deus volens creaturas futuras, nisi omnes partes, vel constitutiva Dei amantis illas identificata inter se.

Ex quo magnum sequitur inconveniens, videlicet, Deum non posse non amare creaturas futuras, neque potuisse non esse amantem futurarum creaturarum, ac proinde non libere, sed necessario amare illas, quod est hæreticum, & lumini naturæ contradicit: ergo si ita libere amat, vt potuerit non amare, necessario dicendum est ita esse formalitatem amoris in Deo, vt potuerit non esse formalitas amoris in Deo, sed formalitas amoris est entitas amoris: ergo itaest entitas amoris in Deo vt potuerit non esse in ipso formaliter: ergo formalitas amoris distinguitur realiter ab ipso Deo: patet consequentia, quia ea quæ ita se habent, vt possint separari realiter, quia existente vno, potest desinere alterum, distinguuntur realiter, vt adversarij contra Caietanum argumentantur, sed existente Deo, & divina voluntate necessario potest vere, & realiter non existere formalitas, & entitas amoris creaturarum: ergo formalitas & entitas amoris creaturarum distinguitur realiter à Deo; sed quidquid distinguitur realiter ab alio, non est illud, à quo distinguitur, quia distinctio dicit negationem distincti respectu illius, à quo distinguitur: ergo actus amoris Dei non est Deus, à quo distinguitur: ergo est creatura; quia non datur medium inter Deum & creaturam: ergo iam incidis in sententiam eorum, qui asserunt, actum liberum Dei nihil aliud esse, quam Deum, & creaturam simul quamque nos supra labefactauimus, & tu efficaciter oppugnas *disp. 30. sect. 9. à parrapho 4. vsque ad 7. exclusiue*; & præcipue eo quod amor est vitalis in Deo, & sic debet esse intrinsecus ipsi, & necessario debet esse ipse Deus, quia nihil est in Deo quod non sit Deus.

Amplius confirmantur dicta, quia impossibile est, quod detur definitio completa alicuius à parte rei, & quod non detur definitum talis definitionis, vel clarius, impossibile est, quod detur aliquid quod neque re, neque ratione distinguitur ab alio necessario & non contingenter, & quod non detur necessario illud, à quo nullo modo distinguitur id, quod datur; vnde impossibile est, quod detur ens omnino independens ab alio, quod nullo modo distinguitur à Deo, & quod non detur Deus, sed omnes partes, seu omnia constitutiua simul sumpta, & identificata Dei amantis creaturas futuras, dantur à parte rei necessario, & non contingenter, quæ sunt definitio completa, & vt melius loquar, non distinguuntur, neque re, neque ratione à Deo amante creaturas futuras, seu ab hoc concreto, Deus amans creaturas futuras: ergo impossibile est quod non detur necessario, & non contingenter hoc concretum, Deus amans creaturas futuras, sed non necessario Deus amat creaturas futuras, sed contingenter, ac proinde hoc concretum non est omnino necessarium: ergo non dantur necessario omnia constitutiua illius concreti, & sic debet deficere aliquod ex constitutiuis, quando deficit concretum; sed non deficit Deus ipse, qui est vnum ex constitutiuis: ergo deficit formalitas amoris.

Nunc autem solum restat probare effectum formalem amandi creaturas non dependere à connotato aliquo extrinseco, neque denominationem Dei amantis libere dependere à connotato extrinseco, in quo distinguitur hæc denominatio amantis creaturas à denominatione coëxistentis Dei cum creaturis, quia hæc omnino dependet ab illis; sicut & hæc, Deus creans, dependet à creatione, quæ creatura est, hoc autem sic demonstratur, quia quod est prius non dependet à posteriori, & quod est causa, non constituitur per effectum, neque existentia prioris ideo est, quia existit potentius, sed actus liber Dei quoad entitatem terminationem, & denominationem est causa connotati extrinseci futuri, vt supra late demonstrauimus; nam hoc est verum, quia Deus formalissime non solum quoad entitatem, sed etiam quoad terminationem & denominationem vult creaturam esse futuram, creatura constituitur in esse futuræ: ergo actus liber Dei quatenus liber formalissime, hoc est quoad entitatem, terminationem, & denominationem non dependet à futura creatura, sed prius natura datur actus liber formalissime, vt diximus, quam detur futura creatura, & sic non possumus dicere, si interrogetur à nobis cur non vult existere creaturam purè possibilem Deus, quia creatura non existit, sed potius debemus respondere, quia Deus est liber in volendo à se ipso, & non cum dependentia creaturarum: ergo pro certissimo habendum est quando deficit volitio libera Dei circa aliquam creaturam, non deficere, quia deficit creatura, sed quia vult Deus non amare ex eo quod liber est: ergo velle, vel non velle in Deo, esse, & non esse amorem Dei liberum, non dependet à creaturis, nec petit illas pro requisito antecedenti ad sui esse; sicut è contra futuritio creaturarum, vel creatura vt futura, quia dependet à volitione diuina, ponitur, ex eo quod posita est volitio, & tollitur quia aufertur volitio libera à Deo, vel virtualiter, vt mea sententia docet, vel formaliter, vt secundum tua principia debes dicere: ergo ad solutionem nostri argumenti non est recurrendum ad connotatum extrinsecum.

Declaratur hoc amplius; quia actus liber Dei eo modo, quo potest esse causa effectus futuri, & ad quem necessario sequitur effectus futurus, non sufficit esse quasi materialiter, & solum quoad entitatem, sed necesse est vt detur formalissime actus liber Dei circa talem creaturam; atqui tali modo actus liber est non solum entitas illius, sed etiam terminatio formalis eiusdem, & denominatio formalis ipsius, quare vt creatura sit futura, & Petrus dicatur formaliter prædestinatus ad gloriam, hoc est vt Petrus ex possibili prædestinato transeat ad actu prædestinatum, necesse est, vt præcedat prioritate naturæ tanquam causa completa prædestinatio ipsa formalissime, non solum quoad entitatem, sed etiam quoad terminationem formalem prædestinationis, & quoad denominationem illius formalissimam. Vnde debet iam Deus prioritate naturæ libere amare, & de-

nominari libere amans; ad hoc vt creatura dicatur amata & prædestinata: ergo actus liber Dei non solum præcedit creaturam, vt causa illius quoad entitatem actus liberi, sed etiam quoad terminationem formalem & formalissimam denominationem amoris liberi; quia donec hoc modo completus est actus liber, non est causa, neque caulat futurum effectum; sed quia quoad entitatem est causa & præcedit effectum, vt sit entitas actus liberi, non dependet ab effectu futuro: ergo similiter quia quoad terminationem, & denominationem formalem amoris liberi præcedit ipsa prædestinatio terminum prædestinatum, & est causa illius non dependebit ab ipso termino prædestinato: ergo tam denominatio, quam terminatio, & entitas actus liberi nullo modo requirunt tanquam conditionem prærequisitam terminum prædestinatum; neque vt sic dependet ab illo sed solum consummate, & complete sunt à Deo denominatio, & terminatio actus liberi, & conueniunt intrinsecè ipsi, ex vi suæ perfectionis, & eminentiæ: ergo quando interrogatur ab aduersarijs cur deficit actus liber, non debent respondere, quia deficit connotatum; alias connotatum esset causa actus liberi, & non effectus illius.

Explico hoc manifestissimo exemplo amoris creati; quia enim amor creatus est causa, quare obiectum sit actu amatum ab ipso, non dependet ab obiecto amato, ita vt positio amoris in amante petat pro requisito antecedenti ipsum obiectum amatum, neque si interrogetur à nobis, cur obiecti amor detur, possumus respondere; quia obiectum amatur; sed potius debemus respondere, quia persona quæ diligit, ex eo quod libera est, & indifferens, se libere determinat ad amandum, & econtra, quando interrogatur à nobis, cur amor obiecti non sit actu, sed deficiat, non debemus dicere, quia obiectum non est amatum, sed potius, quia ipse amans noluit amare, vel noluit producere in se amorem: ex quo manifeste colligimus, denominationem illam amoris in amante *obiectum, esse causam denominationis obiecti amati; vt patet ex hac causali vera; ideo obiectum formaliter est amatum, quia prius natura habuit in se amorem amans, & est constitutus & complete denominatus amans.

Ex quo amplius colligimus, neque constitutionem amantis, neque denominationem illam diligentis dependere ab aliquo extrinseco à priori, neque indigere, vt sit tanquam prærequisito ipso esse amato obiecti; quia tale esse amatum est posterius ipsa denominatione, & constitutione amantis; quia pro priori naturæ ante obiectum actu amatum, & antequam constituatur in esse amati præcedit, supponitur, & est complete amans constitutum in esse amantis, ac proinde non trahere originem, aut constitutionem illam, aut denominationem amantis ab aliquo extra ipsum amantem; quia pro priori illo in quo necessario debet plene & plane supponi constitutum, & denominatum amans, nullum obiectum amatum intelligitur aut potest intelligi, à quo desumatur illa denominatio seu effectus formalis amantis, ac per consequens talem denominationem totaliter, & adæquate esse intrinsecam; ex quo vltimo colligimus, siue ad concedendam, siue ad negandam talem constitutionem, & denominationem, siue ad defectum illius, siue ad coëxistentiam ipsius, siue ad quamcunque varietatem in tali denominatione nullo modo posse nos recurrere, aut confugere ad aliquod extrinsecum obiectum amatum, vt actu amatum; quia hoc totum est posterius, & pro illo priori non est; quia originem habet ab hoc, vnde quæcunque variatio in obiecto amato est, quia iam præcessit variatio in amante per ablationem aut additionem actus vitalis in amante, cuius formalitas sicut & ipsius ; riuatio debet esse omnino intrinseca, quia omnis vitalis formalitas, quia viuere est, est ab ipso viuente & in ipso viuente consummatur intrinsecè, vt patet ex definitione viuendi, quia nihil aliud est, quam moueri à se ipso, itaque constitutio, & denominatio actus vitalis adæquate incipit à se, & consummatur in se sine eo quod in illa constitutione actus vitalis, & in denominatione formali illius interueniat aut habeat partem, vt ita loquar obiectum amatum, vt amatum, quia vt sic est effectus talis amoris, ac proinde non potest esse prærequisitum, conditio, aut formalitas, neque ad constitutionem amantis, neque ad denominationem illius, quia hoc totum præcedet, vt causa, & vt prius ad effectum qui resultat in obiecto amato.

Tunc sic amor liber Dei præcedit, vt causa vitalis futuritionem creaturæ, quia creatura futura nihil aliud est, quam creatura possibilis amata à Deo ad habendam existentiam in tali differentia temporis; vnde creatura vt futura, vel actu prædestinata, quæ nihil aliud est, quam amata ab amore diuino, vel per amorem diuinum à Deo ad beatitudinem supernaturalem in sua denominatione, & plena constitutione causatur adæquate constituitur, & originem trahit ab amore libero prioritate naturæ existente tam in Deo, & antecedenter pro illo priori pro quo nondum intelligitur creatura prædestinata constituente Deum in esse amantis, & formalissime ac plene denominante ipsum in esse amantis, vt pro posteriori naturæ causetur, & constituatur creatura in esse futuræ & prædestinatæ per ipsum amorem tanquam effectus per causam.

Itaque vt clarius hoc intelligatur, creatura futura, & prædestinata est effectus Dei, quatenus volentis prædestinare, & dare existentiam creaturæ, & causa talis effectus est Deus volens, ita vt substantia Dei sit id quod causat, per suam voluntatem, tanquam per potentiam formalem, & causalitas talis causæ sit volitio ipsa libera: atqui effectus alicuius causæ actu causantis non est, aut requisitum aut conditio à priori, seu formalitas constituens, vt causa existat, aut denominetur in esse causantis, sed potius ad intelligendam, & constituendam causam actu causantem pro illo priori recurrimus nullo modo ad effectum, quia pro illo priori nondum intelligitur, id est non concipitur, quasi constituendo suam causam, sed ad formalitatem quandam, quæ fluit & se habet ex parte causæ; vnde si est causalitas vitalis, tota est intrinseca in agente, & nullo modo deforis emendicatur, ab aliquo existente extra ipsam causam: ergo ad denominationem Dei volentis liberè, vel non volentis libere, hoc est ad denominationem, & constitutionem formalem Dei, & ad quamcunque varietatem & contingentiam, siue ad existentiam, siue ad desitionem, siue ad denominationé actualiter amantis, siue ad carentiam talis denominationis

nullo

nullo modo est nobis recurrendum ad aliquod extrinsecum connotatum, vt in illo prius fundetur talis denominatio, & variatio, cum potius variatio in connotato originem trahat tanquam à causa præcedenti à variatione, & contingentia seu indifferentia existente in amante; in quo distinguitur ratio amantis in Deo creaturas à denominatione scientis per scientiam visionis creaturas, nam in variatione scientiæ possumus recurrere ad variationem obiecti, quia variatio obiecti præsupponitur ad ipsam scientiam, & ad variationem in illa, & ideo sunt veræ hæ causales: ideo Deus cognoscit, creaturam esse futuram & prædestinatam, quia iam ex voluntate præsupponitur futura, & prædestinata; vnde quando interrogamus, cur detur hæc varietas in scientia visionis videlicet, quod nunc videat Deus creaturam existentem, & postea non videat existentem, sine dubio dicimus, quia obiectum eius variatum est de existente in non existens; vnde recte, vel pro conditione, vel pro prærequisito quasi causali variationis in scientia, tribuimus variationem in obiecto antecedentem ad illam, quia quasi pro priori naturæ antecedit variatio obiecti ad variationem scientis, quod totum vice versa, & oppositio modo succedit, & contingit in variatione, contingentia & indifferentia amoris Dei liberi, quia hic est causa variationis obiecti & non è contra, vnde si quæramus, cur talis creatura pure possibilis non varietur de illo statu, neque muretur à pura possibilitate ad futuritionem, cum ex se non repugnet variari & mutari, & cur alia creatura mutata fuerit, v. g. Antichristus de statu puræ possibilitatis ad futuritionem, certe sine dubio dicemus, quia Deus ex eo quod liber, & indifferens sit ad causandas illas rationes, & mutationes, voluit potius hoc, quam aliud, & suo modo contingentiam, & indifferentiam suam per varietatem amandi & non amandi, vt ita loquar, exercuit itaque varietas in obiecto, seu indifferentia, & contingentia in ipso præsupponit variationem iam in Deo à nobis postea explicandam; vnde ad denominationem, constitutionem, & variationem denominationum in Deo non debemus recurrere ad creaturam variatam, sed hoc totum debemus inquirere in Deo, & ex parte Dei, quia hæc variatio est vitalis, & causativa variationis obiecti; vnde si nobis recte philosophandum est, contendere debemus intra Deum solum investigare hoc, & intra ipsum solum invenire si possimus secundum dignitatem, & excellentiam divinæ libertatis; quod optime docuit ipse P. Suarez cum quo pugnamus, tribuendo discrimen inter volitionem divinam & scientiam liberam his aureis verbis, *disp. 30. sect. 9. num 33.* [& sine dubio ita esse videtur; nam Deus ex se solo se libere determinat, vt hoc velit potius, quam illud, & ideo non videtur illa denominatio posse prius in alio fundari, quam in ipsomet Deo, in quo est magna differentia inter volitionem liberam, & scientiam quatenus dicitur scientia visionis & dicitur aliquomodo contingens, aut libera, quatenus posset sub tali ratione non esse si res non essent futuræ: intercedit ergo differentia inter hanc scientiam, & voluntatem, quod scientia, vt ex simplici intelligentia fiat visio, & præter res possibiles se extendat ad repræsentandas res existentes supponit in obiecto aliquam varietatem pro aliquo tempore, cui æternitas coëxistit, vel saltem supponit aliquod decretum liberum diuinæ voluntatis, ita ibi intelligi potest extra ipsam scientiam aliquod fundamentum, vel principium illius denominationis, aut variationis; at vero in voluntate nihil supponi potest, sed omnis varietas, quæ in obiectis intelligi potest ab ipsa voluntate trahit originem; & ratio à priori est, quia scientia, etiam vt terminata ad talia obiecta contingentia non est in se formaliter libera, sed necessaria ex præsuppositione talis obiecti existentis, vel futuri; at vero voluntas vt terminata ad talia obiecta est formaliter libera, & ideo illa relatio in scientia posset intelligi per modum cuiusdam respectus resultantis necessario in ipsa posito altero extremo, scilicet obiecto scibili in esse veri, seu scibilis, in voluntate autem non potest ita intelligi, sed primo, ac per se originem trahit ab ipsamet voluntate, omnibus aliis eodem modo se habentibus, & ideo intime in illa esse debet fundamentum talis respectus, & denominationis.]

Quæ verba adeo clara sunt pro nostra ratiocinatione confirmanda, vt alia clariora desiderare non possem, vnde potius à me ipso, quam ab aduersariis excogitata, ac prolata videntur: ergo denominatio amantis libere, & variatio in talibus denominationibus non causantur, nec originem trahunt à variationibus, & mutationibus obiecti, sed potius variationes, & mutationes omnes in obiecto factæ originantur à contingentia, & indifferentia actuum liberorum: ergo contingentiæ, & variationis actuum liberorum ratio, & principium non est quærenda, neque inuestiganda extra Deum, sed potius intra Deum inuenienda est, quia est prima causa omnium priuationum obiectiuarum existentium extra Deum.

Atqui in Deo duplex tantum variatio, & contingentia potest reperiri, alia formalis, vt asserit Caietanus per additiones, & diminutiones reales formales à parte rei, quibus adduntur, & diminuuntur realiter formaliter, adsunt & absunt formalissime perfectiones diuinæ, & hæc contingentia, & variatio actuum liberorum efficacissime reijcitur à P. Suarez vbi supra *sect. 9. à num. 7. vsque ad 29. exclusiue*, ac proinde ab ipso non potest defendi, præcipue quia meo videri immediate opponitur infinitæ excellentiæ, simplicitati, & puritati diuinæ, & per consequens dogmatibus fidei catholicæ alia contingentia, & variatio non formalis, sed virtualis, non per additiones, & diminutiones reales formaliter, sed solum æquiualenter reperitur in Deo, (de qua latissime *quæstione sequenti*) & hæc conuenit Deo eo quod propter suam eminentiam, summam puritatem, & infinitam actualitatem æquiualet additionibus, & diminutionibus formalibus, quæ propter suam imperfectionem reperiuntur in creaturis: ergo ex necessitate ad intelligentiam diuinæ libertatis eligenda est hæc contingentia, & variatio; quia hæc dignissima est Deo, & intellectu facilior omnibus aliis viis ex principiis in aliis controuersiis theologicis receptis, quod amplius, & euidentius patebit ex dicendis *quæstione sequenti*; nunc autem ex iam dictis manifeste patet, actum liberum aut formalitatem amoris liberi ad constituendum Deum in esse amantis libere nullo modo dependere à connotatis extrinsecis, ac proinde dum quærimus causam cur formalitas amoris, quæ formaliter existit in Deo per identitatem necessariam cum ipso, non tribuat effectum formalem, nec faciat Deum amantem necessario, debemus recurrere ad con-

tingentiam futuræ creaturæ ; nam iterum vrgemus, quia ille effectus est contingens, & non necessarius, qui oritur à causa libera, & non necessaria, & ille effectus est necessarius, & non liber, qui oritur à causa necessaria, & non libera: ergo prius est causam esse necessariam : aut liberam quam effectus possit dici, & appellari liber aut necessarius ; vnde ideo lux solis est effectus necessarius illius, & non liber quia sol est causa necessaria, & non libera illius ; & è contra ratio quare Petrus prædestinatus ad gloriam est effectus liber, est quia oritur à causa indifferenti, & libera.

Item si interrogemus, cur ex suppositione quod prædestinatus est Petrus in æternum necessario erit prædestinatus sine vlla mutabilitate, in hoc sine dubio respondendum est nobis ; ideo esse immutabilem talem effectum, quia ex suppositione decreti nunquam mutatur Deus, neque mutat decretum semel statutum ; alias imperfectio saltem moralis inconstantiæ reperiretur in Deo : ergo vt causa sit necessaria, vel libera, nullo modo mensuratur neque dependet à contingentia vel necessitate effectus ; sed potius è contra contingentia, & necessitas effectus mensuratur, & dependet à contingentia, libertate, aut necessitate causæ ; quapropter si per impossibile Deus esset causam necessaria decernens creaturas futuras, ipsæ essent futuræ necessario : ergo de facto ideo creaturæ sunt futuræ contingenter, & libere, id est sunt effectus non necessarij, sed liberi, quia Deus in decernendo futuritionem illorum est causa libera, & non necessaria, & per consequens ipsa voluntas diuina in constituendo futuras creaturas, nullo modo dependet ab ipsis creaturis, quia iam quod est prius dependeret à posteriori : ergo hæc depẽdentia, quam male excogitastis ad eludendũ argumentum nullius momenti est, neque potestis respondere interroganti cur contingenter amet creaturam, vel cur deficiat amor huius, cum possit adesse, dicendo, quia creatura futura est contingens, & quia deficit talis futuritio, cum potius ideo, deficiat futuritio, quia deficit volitio libera modo à nobis explicando, quia libertas causæ & indifferentia illius non constituitur, neque desumitur ab ipso effectu, sed potius à seipsa, quia vt iam dixi, si Deus non libere, sed necessario amaret futuras creaturas, aut esset causa necessaria talis futuritionis, ipsæ necessario essent futuræ : ergo si necessario non sunt futuræ, sed liberè, ideo hoc erit, quia Deus est causa libera, & non necessaria, ac proinde ratio talis libertatis, & contingentiæ in sua denominatione, & constitutione non est dependens à connotatis extrinsecis.

Vnde exemplum relationis non est ad rem, tum quia in se falsissimum est, res enim creata non potest trãsire de contradictorio intrinseco ad contradictorium intrinsecum sine mutatione intrinseca sui per solam mutationem extrinsecam alterius, tum etiam propter alias efficacissimas demonstrationes, quibus falsitatem huius exempli latissime oppugnavi in Logica prædicamento de relatione quæstione Vtrum relatio distinguatur à suo fundamento à parte rei, videantur ibi dicta, quæ maxime conducunt ad intelligentiam præsentis quæstionis. Tum denique, quia etiam si concederemus probabilitatem exempli ad præsens institutum nihil iuvaret aduersarios ; nam licet posset manu ducere intellectum ad cognoscendam variationem scientiæ visionis, sine mutatione intrinseca ex parte scientiæ per mutationem tantum ex parte obiecti ; nam sicut ablato termino, v. g. filio mortuo, non maneret Pater in esse Patris formaliter, quia denominatio Patris, & constitutio illius formalis dependet à termino ; quia vt ait Aristoteles, posito fundamento & termino, resultat relatio quia fundamentum, & terminus sunt causa positionis relationis : quod non ita contingeret si relatio, aut positio illius esset causa positionis fundamenti, & termini ; tunc enim in eo casu non possemus tribuere rationem, cur qui antea non erat pater, dicendo, quia antea non habebat filium, & nunc habet filium, alias positio posterioris esset causa positionis prioris, & reliqua quæ supra diximus quod est falsissimum, sed potius propter rationes supra positas, ratione huius variationis in Patre deberemus investigare solum in Patre, & in causis illius, non in filio, quia vero de facto positio termini, & fundamenti, & negatio termini, & fundamenti est causa positionis relationis, vel negationis illius : ideo suppositа probabilitate exempli, quando à nobis quæritur, cur nunc sit Pater, cum posset non esse Pater, optime respondemus ex mutatione fundamenti, & termini, dicendo, quia nunc habet filium, & genuit ipsum, quem posset non generare ; vnde exemplo hoc illuminati, quando interrogatur à nobis, cur varietur denominatio scientiæ visionis in Deo, de non cognoscente in cognoscentem sine mutatione intrinseca scientiæ, optime respondemus, dicendo, quia præcedit mutatio, & variatio in obiecto talis scientiæ, quod est quasi causa nostro modo intelligendi variationis in scientia, vnde si variatio scientiæ non originaretur à mutatione, & variatione obiecti : sed potius e[x] et causa illius, nullo modo possemus dicere, ideo variatam esse scientiam, quia variatum est obiectum, neque rationem variationis in scientia deberemus inuestigare, aut quærere extra scientiam in obiecto sed potius intra ipsam scientiam ; quia sicut constitutio causæ non dependet ab effectu, neque potest tribui pro ratione constitutionis causæ effectus ipse, ita similiter non potest tribui pro ratione, & causa variationis in constitutione causæ ipsius effectus variatio, aut mutatio, alias daretur circulus vitiosus, & reliqua inconvenientia opposita lumini naturæ supra adducta sequerentur ; v. g. ipso exemplo aduersariorum hoc illustratur.

Nam licet pro causa paternitatis tribuatur filius genitus, & pro causa mutationis de non Patre, in esse Patris tribuatur mutatio de non habendo filio, in habendo filium, nihilominus tamen si causam, aut rationem inuestigemus, cur detur talis variatio in habendo, & non habendo filium, non debemus iterum recurrere ad variationem paternitatis, ne circulos vitiosos committamus, & de primo ad vltimum idem pro causa sui ipsius tribuamus, nam si variatio in habendo filium, est causa variationis in habendo paternitatem, & iterum si variatio & mutatio in habendo Paternitatem est causa variationis habendi filium, de primo ad vltimum variatio & mutatio habendi filium, erit causa sui ipsius, quia quod est causa causæ est causa causati : sed hoc est summũ absurdum : ergo pro ratione causæ formaliter non potest tribui ipse effectus, & pro ratione variationis causæ non debet reddi ratio variationis effectum fectus ; quia pro priori naturæ ante effectum iam supponitur independenter à variatione effectus variatio causæ ; quia variatio causæ completa est à qua originatur pro posteriori naturæ variatio effectus. Quare si interrogetur à nobis, cur

cur Petrus habeat filium, non est dicendum quia est Pater formaliter, sed potius quia habens potentiam ad generandum illum; applicuit talem potentiam ad producendum, & de facto produxit ipsum, cum antea neque applicaverit potentiam ad talem productionem, neque produxerit ipsum.

Tunc sic, variatio in futuritione effectus, & mutatio tota obiectiua originatur tanquam à causa à variatione decreti liberi, hoc est ideo mutatum est nunc obiectum de puro statu possibilitatis ad faturitionem, cum posset non mutari, quia ita Deus voluit mutare illam, vt potuerit non velle: ergo pro ratione huius variationis in decretis liberis sic explicatæ nullo modo potest tribui variatio, & mutatio obiecti de possibili in futurum, sicut v. g. si interroges, cur Petrus nunc videat parietem, & constituat ipsum in esse visi, cum antea non viderit ipsum, non debemus respondere, quia paries nunc est visus, & antea non erat visus, quia iam pro ratione causæ tribueretur effectus, nam totum, quod est ex parte videntis, v. g. potentia applicata, visio, & denominatio videntis supponitur prioritate naturæ complere ad constitutionem parietis visi; vnde ad reddendam causam Petri videntis nunc, non debemus recurrere ad mutationem parietis de non visi ad visum, sed potius debemus confugere ad ipsam potentiam, & intra ipsam inquirere causam huius variationis; licet verum sit, quod à posteriori tanquam ab effectu, & signo ex mutatione obiecti colligamus mutationem in causa; sed de hoc non quæritur in præsenti, quia non est ad rem, quia solum investigamus rationem à priori mutationis in videntem de non vidente.

Ergo in decretis liberis quando interrogamus, quare, vel quomodo Deus nostro modo intelligendi varietur eo quod, cum potuerit non diligere creaturam nunc diligat ipsam, non quærimus rationem à posteriori sed à priori: ergo nullo modo est danda, vt ratio illius variationis dependentia à connotato, nec ad hoc est adducendum exemplum relationis; quia variatio actuum liberorum opposito modo se habet respectu variationis obiecti, ac variatio relationis respectu variationis termini, & ab vno oppositio non debet argui ad aliud, vt ab exemplo, & à similitudine, sed potiùs oppositio modo secundum illud axioma contrariorum eadem est disciplina, & ratio oppositio modo, quare si arguitur, ideo desinit relatio, quia desinit terminus in nostro casu oppositio modo debet argui; non ideo desinit decretum liberum, aut ponitur, quia ponitur, aut desinit mutatio obiecti, sed potius ideo ponitur, & desinit mutatio obiecti, quia ponitur, & desinit decretum liberum & tota hæc oppositio in hoc consistit, quia decretum liberum & variatio illius non est effectus mutationis obiecti, nec dependet à priori ab illa, sed potius mutatio obiecti dependet à priori à decreto; è contra vero mutatio relationis dependet à priori à mutatione termini, & sic est effectus illius.

## SVBSECTIO III.

*Ex principiis Patris Suarez labefactatur eius opinio, & nostra veritas confirmatur.*

381. QVia ipse Pater Suar. vt supra vidimus, asserit, actum liberum à necessario nullo modo distingui, neque re, neque ratione; eo quod nihil, aut re, aut ratione distinctum addat supra necessarium: Tunc sic hoc supposito sic argumentor: quando in aliquo subiecto non est ratio formalis constituendi ipsum, tale subiectum non constituitur in effectu, vel quasi effectu talis rationis formalis, sed in Deo non datur ratio formalis constitutiua illius in esse amantis libere secundum vestra principia: ergo ex vestris principiis manifeste colligitur, Deum non constitui in esse amantis libere: maior est certissima, minor, in qua est difficultas sic demonstratur; quia formalitas illa constitutiua per vos Dei amantis libere, aut denominatiua illius vt sic non est amor necessarius, quatenus necessarius, tam re, quam ratione; itaque si amor necessarius quatenus talis amor est, & consideratur vt præcisus à quacunque formalitate distincta à seipso, non potest constituere Deum in esse amantis libere, quod ipse P. Suar. his verbis docet *sect. illa 9. num. 48. §. de voluntate vero:* [dicendum est in re ipsa non aliud fundamentum ex parte Dei ad talem relationem, seu denominationem (utique amantis libere) præter actum ipsum necessarium voluntatis D. i, non tamen vt est tantum necessarius in esse,] & ratio est manifesta, quia alias Deus posset per suum ipsum amorem, quo se ipsum amat, constitui in esse amantis libere se ipsum, & per terminationem talis amoris ad se posset dici terminari ad se ipsum libere; vnde per productionem Spiritus sancti posset constitui Pater in esse producentis libere ipsum: patet consequentia, quia per amorem necessarium, quatenus formalissime necessarium, & quatenus formalissime præcisum à quacunque alia formalitate distincta à seipso, vt necessario potest constitui in esse amantis liberi: atqui amor, quo se amat formalissime vt præcisus à quocunque alio est amor necessarius: ergo talis amor potest constituere Deum in esse amantis seipsum libere; ratio à priori est, quia absolute potest non esse denominatio libere volentis in Deo, & nihilominus denominatio amantis se ipsum non potest deficere in Deo, quia denominatio illa sumitur ab amore necessario: ergo evidenter sequitur, denominationem amantis libere non posse sumi ab amore necessario, vt necessario formalissime, alias eidem formalissime sub eadem ratione formalissima convenirent prædicata contradictorie opposita, quod est falsissimum, vt ex principiis evidentissimis Metaphysice, videlicet impossibile est idem simul esse, & non esse, admissis quidem ab adversariis patet.

Sed in Deo non datur alia formalitas, neque re, neque ratione distincta ab amore necessario: ergo nulla datur formalitas in Deo, à qua possit denominari libere amans. Patet consequentia: quia per vos ab amore necessario, vt necessario non constituitur in esse amantis liberi, sed per vos etiam præter amorem necessarium vt necessarium non est alia formalitas, à qua constituatur in esse liberi amantis: ergo per vos, & secundum vestra principia non est in Deo, à quo possit denominari liber v. g. si tu asserereres, Patrem æternum per diuinitatem quatenus est prædicatum absolutum, aut per omnipotentiam non posse opponi, & distingui à filio, & iterum asserereres in Patre non esse aliam formalitatem, neque re, neque ratione distinctam à diuinitate, &c. sine dubio evidenter sequeretur, Patrem non

posse

posse distingui, neque opponi filio aut si pertinaciter contenderes etiam si non daretur alia formalitas, aut re, aut ratione distincta à diuinitate, nihilominus opponi Patrem filio, & distingui ab ipso, sine dubio tequeretur, talem effectum, vel quasi effectum formalem distinctionis, & oppositionis dari in Deo sine ratione formali constitutiva illius.

Dices, verum esse quod actus necessarius, vt necessarius non possit constituere Deum in esse amantis libere, nihilominus per terminationem intrinsecam liberam ad creaturas constitui Deum in esse amantis libere: verba Patris Suarez hæc sunt *vbi supra*: [Dicendum est in re ipsa non esse aliud fundamentum ex parte Dei ad talem relationem, præter actum ipsum necessarium voluntatis Dei, non tamen vt est tantum necessarius in esse, sed vt est etiam liber quoad terminationem, & aliquam causalitatem; vnde hic respectus, seu denominatio non intelligitur tanquam resultans posito actu necessario ex parte Dei absolute & secundum se, & præintellecta creatura vt diligibili; nam his duobus stantibus, stat non sequi seu intelligi respectum, seu denominationem illam; intercedit ergo libera determinatio Dei quæ licet in se, ac formaliter non sit res noua in Deo, à nobis tamen concipitur per modum rei novæ ad fundandum respectum; vel certe illa determinatio in voluntate semper concipitur per modum alicuius causalitatis, per quam concipitur obiectum, tanquam mutatum aliquo modo, in ordine ad actualem existentiam sibi proportionatam, & ideo actus ille voluntatis in se necessarius vt habens vim libere causandi, intelligitur ex parte Dei, vt sufficiens fundamentalis respectus. Non intelligitur autem ipse respectus seu denominatio resultare donec actus ille Dei exerceat suam vim liberam, seu causalitatem circa tale obiectum, in quo non ipse actus aliter se habet, sed facit vt obiectum aliter se habeat; & tunc intelligitur, quasi resultare huiusmodi respectus, & differt hic respectus à respectu scientiæ visionis vt sic.] Sic Pater Suar. & in primis solutio illius fundatur in hoc, quod licet actus necessarius, vt necessarius non possit constituere Deum in esse amantis libere, nihilominus posse illum ratione terminationis ad creaturas constituere Deum in esse amantis libere. Tunc sic de illa terminatione interrogo an sit formalitas alia sive re, sive ratione distincta ab actu necessario, vel non dicatur hoc secundum. Vrget argumentum supra positum, quia per te actus necessarius, vt necessarius non potest constituere Deum in esse amantis libere: ergo idem actus necessarius vt necessarius non potest constituere Deum esse amantis libere; alias idem quatenus idem, & sine vlla distinctione constitueret, & non constitueret in esse amantis libere, quod est summum absurdum & contra lumen naturæ, & tibi ipsi contradiceres manifeste; si quidem affirmares idipsum, quod negas, & negares id ipsum, quod affirmas.

Sed terminatio illa ad quam confugis nullo modo distinguitur neque re, neque ratione ab amore necessario vt necessario; sed est idem ipse actus necessarius, quia sunt synonyma; (nam ea, quæ solo nomine differunt, vt gladius & ensis, & in reipsa seu in obiecto, neque re, neque ratione distinguuntur, sunt synonyma): ergo si actus necessarius vt necessarius non constituit Deum in esse amantis libere, nec potest constituere ipsum in tali ratione, neque Synonymum illius, & quod est omnino idem cum ipso poterit constituere Deum in esse amantis liberi, qualis est terminatio; vg. si aliquis diceret Marcum Tullium esse principem eloquentiæ & negaret, Ciceronem esse Principem eloquentiæ; item si aliquis pertinaciter contenderet, gladium esse ferreum, ensem vero non esse ferreum, paternitatem in diuinis constituere Patrem, & simul diceret, primam relationem hypostaticam non constituere Patrem sine dubio irrideretur vt amens, quia de eodem affirmat, quod de eodem negat solum sub distincto nomine; sed per te actus necessarius nullo modo distinguitur à terminatione illa, sed potius est omnino idem cum terminatione: ergo terminatio ipsa non potest constituere Deum in esse amantis libere; vnde idem argumentum supra factum vrget contra terminationem si terminatio non est alia re, vel ratione distincta formalitas ab amore necessario.

Ergo si terminatio est formalitas constituens Deum amantem liberum, quem non potest ita constituere amor necessarius, vt necessarius, sine dubio dicendum erit, terminationem liberam, & amorem necessarium non esse omnino idem etiam ratione, & virtualiter, sed potius distingui ratione, & virtualiter à parte rei, etiam si realiter formaliter terminatio ab amore necessario non distinguatur, quod *subsectione superiori* demonstraui contra ipsum Patrem Suarez, quia ea, quæ ita se habent, vt vni conveniat prædicatum contradictorium, & oppositum contradictorie alteri prædicato, quod alteri extremo convenit à parte rei distinguuntur virtualiter a parte rei, & formaliter per rationem, vt videre est in Paternitate diuina, & diuinitate, in intellectu diuino, & voluntate diuina, in ratione entis, & differentia creaturæ, quod latissime demonstro *disp. 1. Metaphys. quæstione, Virum ens præscindatur à differentiis*; sed terminationi libere convenit constituere Deum in esse libere amantis à parte rei; & tendere ad creaturas futuras, & existentes, & amori necessario non convenit terminari ad creaturas futuras, neque constituere Deum amantem libere &c. ergo amor necessarius distinguitur virtualiter, & per rationē formaliter à terminatione, & terminatio est alia formalitas distincta ratione, & virtualiter à parte rei ab amore necessario; sed actus liber Dei constituitur per terminationem illam intrinsecam ad creaturas, & per ipsum actum necessarium diuinæ entitatis: ergo addit supra illum aliquid virtualiter distinctum à parte rei, & ratione formaliter. Patet consequentia; quia actus liber Dei addit supra necessarium terminationem ad creaturas futuras &c. quia per talem terminationem, & actum necessarium constituitur, sicut vnum addit supra ens indiuisionem, siue positiuam sive negatiuam, quia constituitur vltimo per illam supponendo rationem entis, cui aduenit nostro modo intelligendi indiuisio: sic similiter constituitur actus liber Dei vltimo per vos terminatione illa ad creaturas futuras, supponendo diuinum esse, cui aduenit nostro modo intelligendi terminatio: ergo addit supra diuinum esse necessarium terminationem illam; sed vt nuper probauimus, terminatio illa distinguitur virtualiter à parte rei, & ratione ab ipso actu necessario: ergo actus liber Dei addit supra actum necessarium aliquid virtualiter,

virtualiter, & ratione distinctum ab actu necessario, supposito quod per terminationem illam constituitur in esse amantis libere Deus, & non per amorem necessarium vt necessarium; quare solutio tua implicat in terminis.

Deinde intelligibile est secundum tua principia id, quod nunc asseris, videlicet, deum constitui in esse libere amantis per terminationem, & aliquam causalitatem, quia per, TO *causalitatem*, vel intelligis actionem creatam, qua producis ad extra creaturas, & hoc à te ipso refutatum est *sect. illa 9. num. 6.* nam prima opinio, quam refutasti *tali numero 6.* his verbis explicabat constitutionem actus liberi [ prima igitur responsio est quorundam dicentium, huiusmodi actus liberos Dei nihil in Deo dicere, præter extrinsecas denominationes, quia, Deum inquiunt velle aliquid extra se, nihil aliud est, quam in re illa aliquam mutationem facere pro aliquo tempore, vel aliquod esse illi conferre, quod est in potestate Dei facere, vel non facere; & cum facit, dicitur id velle, cum vero non facit dicitur nolle, non quia ipse aliter se habeat, sed solum quia res ipsa aliter se habet. ] His verbis proposuisti primam opinionem constituentem actum liberum causalitate creata, quam postquam illis verbis proposuisti, his refellis: [ nullo tamen modo defendi potest, primo iuxta principia fidei, quibus certum est, Deum non metaphoricè, & improprie, sed proprie amare, & velle; ] & postquam loca Scripturæ in medium posuisti, oppositum probantia, sic concludis: [ ergo velle Deum aliquid, & illud facere, non sunt formaliter, & secundum rationem idem: sed ipsum facere, quod extrinsecum est Deo, effectus est ipsius velle, seu amoris eius, accedit quod iuxta vera Theologiæ principia non omnis voluntas Dei, quæ versatur circa obiecta creata, vel creabilia facit aliquam realem mutationem in ipsis formaliter ac immediate, vt est voluntas efficax, qua elegit prædestinatos ad gloriam; de qua re dixi plura *in 1. tomo 3. parte disp. 5. sect. 1.* Secundo etiam ratione naturali improbatur illa sententia &c. ] ergo secundum hæc tua verba non possunt stare alia supra posita, si intelligantur de causalitate, seu actione creata; quia alias idē actus liber constitueretur, & non constitueretur per causalitatem creatam, & præterea incideres in sententiam denominantium extrinsecè actus liberos: ergo illa causalitas, per quam ais, constitui actum liberum debet esse aliqua formalitas intra ipsum Deum existens; de qua interrogo, an sit distincta re, vel ratione ab actu necessario? si non est distincta sed est omnino eadem cum actu necessario, & per te actus necessarius, vt necessarius non potest constituere Deum amantem libere: ergo neque illa causalitas, vt patet ex dictis.

Dices, illam causalitatem, & connotatum extrinsecum constituere Deum libere amantem; quia actus libere Dei præcisus à connotato extrinseco non potest constituere Deum in esse libere amantis.

Sed contra manifeste, & insurgunt aduersus hanc solutionem omnia argumenta *subsectione præcedenti* posita, quia causa alicuius effectus, neque adæquate, neque inadæquate constituit suam causam, sed connotatum extrinsecum est effectus actus liberi: ergo connotatum extrinsecum, neque adæquate, neque inadæquate potest constituere actum liberum. Item quia hæc solutio incidit in opinionem Patris Herize supra à nobis oppugnatam, & quam oppugnat ipse Pater Suarez *loco nuper citato*: ergo connotatum illud, neque solum, neque simul cum alia formalitate potest constituere actum liberum.

Præterea; quia in actu libero Dei datur intrinseca ratio, scilicet ratio intrinseca amoris, verbi gratia, ratio prædestinationis, quæ constituit Deum intrinsecè prædestinantem, & intrinsecè ac formaliter denominat deum amantem creaturam ad beatitudinem; ex qua constitutione, & denominatione intrinseca tanquam à causa, vel efficienti, vel formali resultat in creatura denominatio extrinseca prædestinatæ, & amatæ ad beatitudinem, quæ denominatio est effectus, siue formalis extrinsecus, siue in genere causæ efficientis respectu amoris intrinsecè existentis in Deo; sed effectus ille qui est denominatio extrinseca à ratione formali amoris liberi intrinsecè existente in Deo proueniens, nullo modo potest constituere formalitatem illam amoris intrinseci existentem in Deo: ergo nullo modo constituitur amor liber Dei à connotato illo extrinseco. Minor illa sic demonstratur exēplis petitis à rebus creatis manifestissimis, nullus enim sanæ mentis potest dicere, denominationem extrinsecam resultantem in Petro v. g. & extrinsecè denominantem ipsum in esse amati, ex amore intrinseco Pauli in ipso existente posse constituere ipsum amorem intrinsecum Petri in esse amoris intrinsecè existentis in ipso. Item denominatio extrinseca visi in pariete nullo modo potest constituere formaliter in suo esse formali visionem intrinsecè existentem in oculis, à qua dimanat denominatio supradicta extrinseca, cuius nulla alia ratio est, nisi quod effectus non potest constituere suam causam, & denominatio extrinseca non potest constituere formalitatem intrinsecam; cum autem esse amatum in Petro sit effectus amoris in Paulo existentis, & sit denominatio extrinseca, & amor existens in Paulo sit denominatio, & formalitas adæquate intrinseca, nullo modo potest constitui ab esse amato in Petro, alias denominatio adæquate intrinseca causaretur à denominatione extrinseca, & constitueretur ab ipsa; ex quo sequeretur evidenter non esse adæquate intrinsecam.

Sed denominatio prædestinati, aut futuri in connotato prædestinationis est denominatio extrinseca proueniens vt effectus à causa, à prædestinatione intrinsecè, & vitaliter existente in Deo: ergo nullo modo potest prædestinatio ipsa constitui formaliter ab ipso prædestinato sub ratione formali prædestinati.

Vrgetur, ac declaratur amplius, quia quando respondetur nobis, terminationem, seu actum liberum cum connotato, seu dependenter ab illo deum denominari libere volentem, supposito, quod in actu libero sunt duo, & terminatio, seu connotatio, quæ se tenet intrinsecè ex parte dei denominati, & creatum connotatum, quod se habet extrinsece respectu Dei, & se tenet ex parte obiecti; inquirimus, an connotatum essentialiter formaliter, atque intrinsecè ingrediatur in effectu formali amantis libere, vt albedo ingreditur in al-

bo ; vel tantum extrinsece , & in obliquo , sit extra essentiam effectus formalis , vt relatio paternitatis est extra essentiam generationis ? si primum affirmetur : ergo extrinsecum connotatum admittitur vt pars essentialis, & vt constitutivum quidditatiuum formale effectus , vel quasi effectus formalis amantis libere in Deo ; vnde sine dubio incidit aduersarius in sententiam denominantium extrinsecè , quam ipse Suarez impugnat. Neque hac responsione defendi potest illa causalis ; quia Deus realiter libere prædestinat , ideo creatura est vere , & realiter prædestinata ( qua se millies protegit , & oppugnat aduersarios ) quoniam ipse prædestinatus involvitur à priori in ipsa prædestinatione , & in constitutione formali Dei prædestinantis , & reduci debet ad genus causæ formalis , & non ad genus effectus ; vnde ipsa prædestinatio est causa formalis extrinseca effectus prædestinati , & ipse effectus prædestinatus iterum in eodem genere causæ formalis constituet ipsam prædestinationem ; quod adeo absurdum est , vt nullus vsquam ausus fuerit talia inconsiderate dicere ; nam licet in diuerso genere causæ asserant Thomistæ , idem posse esse causam & effectum respectu eiusdem , nihilominus tamen in eodem genere causæ formalis , aut efficientis &c. nullus docuit eandem rem esse causam , & effectum respectu eiusdem ; Pater autem Suarez non solum in eodem genere, sed etiam in diuerso negat mutuam causalitatem : ergo à fortiori debet negare prædestinatum esse causam formalem prædestinationis propter rationes dictas ; alias sine metaphora non defenderetur libertas Dei per actum intrinsecum , & vitalem & daretur mutua causalitas in eodem genere.

Si autem secundum dicatur : ergo licet non daret denominationem illam sine extrinseco connotato ; at tota essentia formæ denominantis Deo est intrinseca , vt scientia à scienti : atqui nihil entitatis ponitur intrinsecum Deo , præter entitatem actus necessarij , nec re nec ratione distinctum : ergo ponitur novus effectus formalis realis sine realitate , à qua proueniat &c.

Deinde non minus difficile est intellectu in tua sententia in omni actu libero , vel ad omnem actum liberum ponendum recurrere ad connotatum extrinsecum ; quia licet multi actus habeant connotatum extrinsecum distinctum ab aliis actibus , nihilominus vt supra demonstrauimus actus inefficaces , vt est ille , vult Deus omnes homines salvos fieri , nihil ponit in obiecto immediato ; vt patet ex late ponderatis supra , & nihilominus est actus liber distinctus à quolibet alio , ut ipse P. Suarez docet : imo inter actus efficaces distincti actus dantur tendentes in idem obiectum , & nihilominus sine vlla mutatione ex parte obiecti habent suam distinctionem , & eodem modo se habentibus omnibus rebus existunt distincti actus liberi sola distinctione , & variatione se habente ex parte actuum liberorum, vnde ablatis imperfectionibus sicut ad constitutionem actus liberi creati , & ad variationem illius non confugimus ad connotata extrinseca propter indifferentiam intrinsecam , & propter dominium intrinsecum quod habet creatura circa suos actus : ita similiter ad constitutionem , & distinctionem actuum liberorum voluntatis diuinæ non debemus confugere ad connotata extrinseca , sed potius debemus hoc cognoscere intra ipsum Deum inuestigando rationes intrinsecas diuinas à quibus oritur , & in quibus complete consummatur tota hæc ratio distinctionis , contingentiæ, variationis , & indifferentiæ actuum liberorum. Vnde si aliter hoc negotium consideretur à Patre Suarez , nescio qua ratione tota sua doctrina satis sibi consentanea sit ; nam si volitio Dei libera vt sic connotat vt terminum aliquam creaturam eo modo, quo relatio terminum : ergo sicut sublato termino , non est relatio formaliter ; ita sublata creatura non est volitio Dei libera : ergo non possunt varia decreta libera in Deo constitui nostro modo concipiendi ex sola infinita eminentia essentiæ diuinæ sine connotatione diuersæ rei, vt obiecti connotati, quod videtur negasse Pater Suarez impugnans ex instituto opinionem connotantium , & denominantium extrinsece ; nam *tom. 1. in 3. p. disput. 5. sect. 1. & in opusculis lib. 1. de scientia contingentium, caput 6. & lib. 1. de essentia prædestinationi, cap 15.* multis conatur probare non esse necessarium in quolibet decreto Dei , vel voluntate libera assignare variationem aliquam saltem ex parte obiecti ; & tamen in metaphy. dicta *disp. 30. sect. illa 9. num. 48. & 49. & 43.* oppositum docet , sicut & *prologomeno, 2. de gratia cap. 8. num. 11.*

Præterea videns P. Suarez confugiendo ad connotatum , non posse satisfacere huiusmodi difficultatibus , vt exhauriat illas hæc verba profert , [ intercedit ergo libera determinatio Dei quæ licet in se , ac formaliter non sit res noua in Deo, à nobis tamen concipitur per modum rei novæ ad fundandum novum respectum , & novam denominationem , vel certe illa determinatio in voluntate emper concipitur per modum alicuius causalitatis , per quam concipitur obiectum , tanquam primatum aliquem eo in ordine ad actualem existentiam sibi proportionatam,& ideo actus ille voluntatis in se necessarius , vt habens vim libere causandi intelligitur ex parte Dei , vt sufficiens fundamentum talis denominationis , & respectus ; ] in cuius prima parte solutionis , vt explicet quare , cum sit necessaria illa entitas actus , non denominet , neque constituat necessario deum, sed potius quasi de novo resultet denominatio, docet hoc ideo contingere , quia determinatio illa actus liberi , licet vere non sit de novo, concipitur tamen à nobis , vt de novo adveniens , quæ solutio coincidit cum solutione aliquorum neothericorum negantium inter intellectum divinum , & voluntatem divinam tam distinctionem virtualem , S. Thomæ , quam distinctionem formalem Scoti ex natura rei ; & dicentium , ideo per intellectum generari Verbum realiter , & non per voluntatem realiter, quia intellectus , & voluntas , licet identificentur omnino realiter , distinguuntur tamen per rationem : quia cum distinctio non sit ratio formalis generandi , sed solum conditio , sufficere distinctionem rationis. Ita similiter Pater Suarez ait , licet non addatur aliquid de novo supra actum necessarium, nihilominus concipi à nobis ac si adderetur de novo divina terminatio , & hoc sufficere , quia est quasi conditio solum.

Sed contra manifeste , quia talis conceptio

vel

vel est vera, vel falsa; si vera: ergo adæquatur cum obiecto, ac proinde concipitur id quod in se est; vnde si per vos concipitur vere addi de nouo terminationem liberam, sine dubio ita erit à parte rei, hoc est vere addetur realiter supra Deum determinatio libera; vnde incidis in opinionem Caietani, in quam acriter iure quidem optimo inucheris.

Si autem falso concipitur illa additio de nouo nullius momenti erit ad præsens institutum; quia falsæ, sine fundamento, & chimæricæ conceptiones nihil conducunt ad realitatem mysteriorum fidei, & ad veritatem decretorum Dei; nam sicut quod falsum est, nihil est, nihil potest conducere; vnde sicut vnum oppositum non adiuvat alterum, sed potius destruit illud, ita non potest conducere ad veram explicationem alterius; atqui falsum est oppositum vero: ergo falsum, & falsa conceptio non potest conducere ad veritatem decretorum liberorum, neque ad contingentiam, & variationem illorum quare irridendæ sunt tales conceptiones, & tales modi loquendi, quia nos non quærimus in hac quæstione, quomodo concipiamus actus liberos, sed potius quærimus de veritate, & realitate illorum quæ ab æterno extitit, ad quod quid adiuuat conceptio in tempore falsa; vnde sicut flocci penderetur, qui interrogatus quomodo cum Deus sit vnus, & idem in essentia, sit trinus in personis, & habeat distinctionem, & oppositionem realem inter illas. Responderet dicendo, quia nos concipimus distinctionem in essentia, ac proinde concipimus Trinitatem diuinitatis, sicut concipimus Trinitatem personarum. Certe hic conuinceretur argumento nuper posito, quia conceptio illa falsa distinctionis in essentia nihil conducit ad mysterium reale, & verum; quia non ideo Deus ab æterno est vnus in essentia, & trinus in personis, quia in tempore concipimus distinctionem in essentia; quia talis distinctio à nobis ficta non exhaurit difficultatem tanti mysterij, præcipue quia circa illud non interrogamus, quomodo nos concipiamus, sed potius quomodo res in se ipsis se habeant; quapropter sapientes Theologi, & Patres Ecclesiæ, quando interrogati respondent circa mysterium Trinitatis, vt tribuant rationem illius, vt in se est ab æterno, non confugiunt ad conceptiones nostras falsas in tempore; (quia ridiculum omnino est dicere ideo ab æterno datur vna essentia cum distinctione reali personarum, & hoc vere à parte rei; quia ego in tempore concipio falsè diuinam essentiam cum distinctione, alias tota veritas, & proprietas diuinorum mysteriorum inniteretur falsis principiis, ac proinde non essent vera mysteria, sed falsa, quia ex falsis principiis, non nisi falsa eruuntur; semper enim conclusio falsa ex falsis principiis deducitur secundum illud principium Dialecticorum ex falsis non nisi falsa, ex veris, aliquando vera, aliquando falsa, quia conclusio sequitur debiliorem partem; eo quod vt inquit Dionysius, & recipitur à tota schola, bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu) sed ad infinitam simplicitatem diuinæ essentiæ cum infinita fœcunditate, &c. de quibus late ago *tract. de Trinit.* ergo similiter perperam confugitur ad falsas nostras conceptiones, dum interrogatus Theologus de mysterio actuum liberorum, vult rationem tribuere, cur cum terminatio illa amoris Dei circa creaturas, neque re, neque ratione distinguatur ab actu necessario, nihilque sit, præter ipsum actum, nihilominus possit constituere Deum in esse amantis libere, & denominare contingenter, quando ipse actus necessario nullo modo potest: ergo quod nos concipiamus terminationem illam per modum rei nouæ, nullius momenti est ad hoc, vt ab æterno de nouo denominetur amans, neque quod nos concipiamus deficere illud, aut posse deficere ratione contingentiæ, quam nos concipimus in ipso nullius valoris est ad hoc, vt Deus ab æterno sit indifferens, & ita amauerit, vt potuerit vere, & realiter non amare.

Deinde, & euidentius; quia ad effectus, vel quasi effectus reales quales sunt generatio Verbi per intellectum & non per voluntatem, communicatio diuinitatis, non communicata paternitate, quod ita amet Deus, vt potuerit non amare libere, non solum requiruntur virtutes reales, sed etiam conditiones reales, & non sufficiunt conditiones rationis nec conducunt vt requisita entia rationis ficta per intellectum, quod patet euidenter, nam etiamsi potentia visiua fallatur, videndo cœlum, & solem approximatum montibus in orizonte propter distantiam maximam, ac proinde ratione talis distantiæ, & fallaciæ fingat approximationem illam, non ideo sol debet comburere montes, & mundum, & vniuersa sublunaria, quod sine dubio faceret, si haberet approximationem realem, qualis est illa, vel similem illi, quam fingit visus, imo si per intellectum aliquis fingeret, me esse approximatum summo Pontifici, & me Romæ existere circa ipsum, non ideo ego possem videre realiter Pontificem; item si aliquis per rationem confingeret, animam D. Petri esse vnitam realiter materiæ primæ; non ideo anima D. Petri constitueret verum hominem realem.

Tandem si aliquis fingeret distinctionem rationis inter Petrum, & ipsum Petrum, non ideo posset Petrus separari realiter à se ipso, & mori Petrus, viuente realiter eodem Petro; cuius vniuersalis ratio euidens nulla alia est, nisi quia approximatio illa non est vera, & realis, & idem est de vnione, & distinctione, & mori, videre, comburere, &c. sunt effectus veri, & reales, ad quos quia reales sunt, nō solū virtutes & causæ formales, sed etiam conditiones, quales sunt distinctio, & approximatio debent esse reales, & non sufficiunt rationis; quia quod nihil est realiter, nihil realiter potest facere, vel adiuvare; sed quod diuinitas communicetur filio à Patre, & non communicetur Paternitas ipsi, quod Verbum diuinum generetur per intellectum, & non per voluntatem, quod Deus ita amet creaturam, vt potuerit non amare illam, ac proinde libere amet cum indifferentia, & contingentia non sunt ficta, sed vera à parte rei: ergo conditiones ad tales effectus, vel quasi effectus reales, debent esse verè & realiter à parte rei, & non sufficit, quod sint entia rationis, & per nostram mentem fingantur; quare si ad cōmunicationem realem diuinitatis non communicata realiter, & verè paternitate, & ad generationem veram, & realem per intellectum, & vere, & realiter non per voluntatem, requiritur vt conditio necessaria distinctio inter diuinitatem, & Paternitatem, inter intellectum, & voluntatem diuinam, talis distinctio non debet esse per rationē neque sufficit, quod fingatur per intellectum, aut

concipiatur, ac si esset, sed necessario debet esse à parte rei, quod videntes tam Thomistæ, & cum eis Doctores Societatis, tam Scotistæ, & cum eis grauissimi alij Doctores hoc pro certo statuerunt, aut dandam esse distinctionem ex natura rei formalem sine fictione, quod Scotistæ eligunt; aut dandam esse distinctionem realem virtualem per æquiualentiam, vt docent cum D. Thoma Thomistæ, & cum Patre Suarez & P. Molina grauiores, & sapientiores Societatis Iesu Doctores. Alarcon oppugnatur §. vnde concedere huiusmodi distinctiones à parte rei non est onerare res, vt perperam docet Alarcon, sed potius exonerare res difficultatibus, & tenebris, obscuritatibus, ac nebulis æquiuocationum & sophismatum, ad quas se confugiunt, tanquam delinquentes, & male agentes, qui neglectis huiusmodi distinctionibus se se ad confusæ noctis entis rationis, & fictionis tenebras confugiunt.

Ex quo sequitur vt hic auctor inciderit in quẽdã modum absurdissimum loquendi, & viro catholico omnino fugiendum, cuius inordinatio forte non est in nucleo sed in cortice, non in sensu sed in verbis; atqui, vt ait Hyeronimus, non solum ex inordinato sensu, sed etiam ex inordinato modo loquendi incurritur hæresis; quam non assero de hac propositione, quia Iudicibus Ecclesiæ relinquo, sed solum affirmo, nouissimam esse, verba huius auctoris sic se habent 1. *p. tract. 3. de volunt. Dei, disp. 4 cap. 6. num. 12. §. tandem.* [Quando dicimus Paternitas realiter non communicatur, & essentia realiter communicatur; non possumus non inuoluere distinctionem formalem per intellectum; quia nomen essentiæ, & relationis Paternitatis non significat illa duo prædicata, vt in se sunt, ac proinde non provt inter se identificata, sed potius vt distincta, & propterea dicimus, vnum communicari, & alterum non communicari realiter; quibus verbis non significamus communicationem vnius vt in se est, & negationem communicationis, sed provt à nobis concipiuntur, cum à parte rei non sint essentia, & paternitas vt duo; & impossibile est nos de illis, vt de duobus loqui, quin duo per intellectum faciamus; atque adeo nihil mirum, si contradictoria prædicata enunciemus, quia de duobus subiectis esse, & non esse prædicari simul potest:] inter hæc omnia verba illa durissima sunt, [& propterea dicimus, vnum communicari, & alterum non communicari realiter, quibus verbis non significamus communicationem vnius vt in se est, & negationem communicationis, sed provt à nobis concipiuntur:] nam interrogo à te an quando dicimus, paternitatem non communicari, & diuinitatem communicari, significemus, & concipiamus hoc negotium cum veritate, vel cum falsitate; si cum falsitate: ergo falsum est dicere, diuinitas communicatur filio à Patre, & non communicatur paternitas; atqui fides catholica docet hoc ipsum: ergo fides catholica docet falsum; sed hoc est hæreticum aperte, vt ex terminis patet, siquidem non solum asseueranter docere falli fidem catholicam est in hæresim incidere, sed etiam quod minus est dubitare de rebus à fide dictis, & in dubium reuocare dogmata fidei: ergo nullo modo est dicendum catholico, falso nos concipere, & loqui, quando dicimus, diuinitas communicatur, & non communicatur paternitas; vnde necessario dicendum est, vere nos concipere; quando ita loquimur, & concipimus; sed vera loquutio, & conceptio adæquatur cum obiecto de quo loquitur, & quod concipit, & adæquari loquutionem cum obiecto, & conceptionem vere significare illud est significare ipsum vt in se est. (vt patet ex dictis de veritate formali propositionis; & tu ipse data opera doces *tom. in 1. p. tract. 5. de Trinit. disp. 8. cap. 4. & disp. 5. cap. 5. pagina* 447. & 448. *& tract. 6. disp. 2. cap. 5. num.* 11. *&* 14. *& tract. 5. disp. 5. cap. 5. num. 5.* Quæ definitio adæquationis cum obiecto, seu veritatis formalis propositionis admittitur ab omni schola, & docetur ab Aristotele *lib. 1. Post. cap. 1. & lib. Perier cap. 4.* quod adeo verum est, vt hucusque nullus in dubium hoc negotium reuocauerit:) ergo si illa propositio, videlicet; diuinitas communicatur, non communicata Paternitate; quia est vera adæquatur cum mysterio, quod significat, videlicet cum communicatione ad intra diuinitatis, & cum non communicatione reali ad intra Paternitatis, sine dubio illa propositio, & illa verba significant communicationem, & non communicationem, seu negationem communicationis Paternitatis vt in se est: ergo periculosissime & absurde loqueris, quando dicis, [quibus verbis non significamus communicationem vnius vt in se est, & negationem communicationis, sed provt à nobis concipiuntur,] nam his verbis aperte doces, non dari à parte rei communicationem diuinitatis cum negatione communicationis Paternitatis, sed solum nostro modo concipiendi, ac proinde doces, falsam esse conceptionem, & significationem loquutionis, & aliter contingere rem, ac concipitur à nobis, & sic conceptionem esse alienam à veritate, & falsam, v. g. quando aliquis concipit montem aut cœlum ceruleum, aut solem in magnitudine instar rotæ currus, tunc enim dicimus ad significandam falsitatem conceptionis ea nos non significare solem, montem & cœlum provt in se est, sed provt à nobis concipitur, & tunc particula; sed munere fungitur aduersatiuæ, aduersaturque illis verbis provt in se est, quomodo loquendi plene, & plane falsas esse tales loquutiones, falsitatisque vitio laborare huiusmodi conceptiones: ergo si per te quando dicimus diuinitas realiter per generationem æternam vere communicatur filio à Patre, & non communicatur verè Paternitas significamus res, non provt in se sunt, sed provt concipiuntur à nobis, sine dubio per te falso concipiemus, loquemur & significabimus, ac proinde loquutio fidei falsa erit, quod est hæreticum: ergo si hoc non est dicendum, sine tergiuersatione affirmandum erit illis verbis verè nos loqui, & significare res, ac proinde significare illas provt sunt in se, & non solum provt concipiuntur à nobis, & sic non provt concipiuntur à nobis aduersatiue, seu aduersantur, aut opponendo se particulæ illi provt in se sunt; vnde falsa erit illa tua loquutio, quibus verbis, &c.

Deinde, si hæc propositio fidei catholicæ, de qua hic loquimur, diuinitas communicatur, &c, est vera: ergo obiectum eius à parte rei est, vt significatur, quia ex eo quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa; nam vt propositio significans sit vera, debet obiectum significatum per illa esse tale in se, quale significatur per propositionem, vnde si propositio non significet rem vt in se est, sed solum vt concipitur a nobis, non erit vera; sed per te illa propositio, quia est de fide catholica est vera omnino, & infallibilis: ergo non solum significat communicationem

diuinitatis

diuinitatis & negationem communicationis paternitatis, prout à nobis concipitur, sed potius vere, & proprie, vt in se est; vnde loquutio tua est omnino falsa, & absurda.

Præterea; quia notabilis est ille modus loquendi, nimirum nomen essentiæ, & relationis paternitatis non significat illa duo prædicata, vt in se sunt, ac proinde non prout inter se identificata, sed potius vt distincta. Nam nomen Essentia, & nomen Paternitas inuenta sunt ab Ecclesia catholica & à Conciliis omnibus accommodata ad significandam diuinitatem, & primam relationem hypostaticam cum veritate: ergo ad significandas illas prout in se sunt; sed prout in se sunt, nó sunt distincta à parte rei formaliter: ergo nomen essentia, & paternitas non significant duo illa prædicata vt distincta, alias nomina falsa introducta essent à tota Ecclesia, significantia rem aliter ac est in se, quod est absurdum: ergo si sunt vera, & non falsa talia nomina, quibus vtitur Ecclesia revelatione Spiritus sancti sine dubio significabunt Deum non aliter, ac est in se, sed vt est in se: sed vt in se est non habet distinctionem à parte rei formalem inter essentiam, & paternitatem: ergo nomina illa non significant diuinitatem, & paternitatem distinctas; quod vt euidentius pateat, aduerte, quod illa nomina sunt talis conditionis, vt si solis illis vtamur in Trinitate, dicendo, datur vere diuina essentia, & paternitas, maxime catholice loquamur; si autem addamus cum Gilberto Porretano paternitas, & diuinitas distinguuntur realiter, non catholice sed hæretice loquemur, & si dicamus, paternitas, & diuinitas distinguuntur, vel virtualiter, vel formaliter per intellectum, vel formaliter ex natura rei, non loquemur purè secundum fidem catholicam, quia non dicemus articulum de fide purum qualis est hic; datur diuina essentia, & relatio paternitatis: ergo euidenter sequitur hunc modum loquendi non involuere in se distinctionem, quia si illam involveret, non purè catholicè, sed opinatiue loqueremur: ergo falso asseris, dum dicis; [ quia nomen essentiæ, & relationis paternitatis non significat illa duo prædicata, vt in se sunt, ac proinde non prout inter se identificata, sed potius vt distincta;] nam sicut Concilia & Patres accommodarunt hæc vocabula constitutioni Patris ad significandam illam cum veritate, ita absolute sumpta significant constitutionem primæ personæ, vt in se est, & vt concipitur ab Ecclesia tota; nam nomina significant res, & conceptus, & ideo optime aiebat Seneca *lib. 1. de beneficiis*, nomina significare secundum intentionem introducentium, & inuenientium ipsa; hoc est secundum quod concipiunt qui inueniunt, & introducunt ea; vnde D. Thomas super Periherm. Aristot. *lib. 1. lect. 4.* docet, conceptus esse regulas significationis nominum; atqui tota Ecclesiæ intentio, & conceptio dirigitur ad significandam identitatem inter diuinam essentiam, & paternitatem: ergo nomina illa absolute prolata secundum fidem catholicam significant distinctionem inter diuinitatem & relationem: sed potius identitatem inter ipsas: ergo falsissime loquitur aduersarius dum asserit, ideo essentiam, & paternitatem non significare rem, vt in se est, quia non significant identitatem diuinitatis cum paternitate, sed potius distinctionem inter ipsas.

Tandem in vltima patre docet ideo prædicari duo contradictoria, scilicet communicari, & non communicari de paternitate, & diuinitate, ac proinde illis conuenire talia prædicata, quia distinguuntur per rationem. In quo coincidit cum solutione nuper refutata neothericorum, quod etiam falsum reputo propter demonstrationes supra factas, quia distinctio rationis, vt dixi, quia conditio est ad communicationem, & non communicationem realem non debet esse distinctio rationis, sed realis; sed hæc non potest esse formalis, quia non decet Deum vt supra late demonstrauimus *disput.* de Ente, Quæstione, Vtrum ratio entis præscindatur ex natura rei à differentiis, eo quod opponitur omni identitati diuinæ: ergo eligenda est distinctio virtualis, eminentialis, & æquivalentiæ, quomodo & digne loquimur de Deo & cum veritate.

Tunc sic amare & non amare Deum libere petit pro conditione necessaria variationem, contingentiam, additionem, & diminutionem, &c. sine quibus nullo modo potest Deus contingenter amare, & indifferenter diligere; ac tandem ita amore prosequi creaturam, vt potuerit dilectione non afficere illam: ergo tales conditiones ad hos amores liberos, veros, proprios & reales non debent esse entia rationis, nec fictæ per intellectum, sed necessario debent esse requisita, & conditiones reales, vt patet ex supra demonstratis; vnde contingentia debet esse realis, additio, diminutio &c. similiter sed non datur, nisi duplex contingentia, additio, & diminutio realis, alia Caietanitica, qua asserit, actus liberos Dei ita esse contingentes formali contingentia à parte rei, vt possint formaliter esse, corrumpi, & desinere realiter, & separari realiter à Deo: atqui hæc reprobatur à Patre Suarez, & virtute anatematizatur à fide catholica, vt *sectione sequenti* videbimus, ac proinde non potest eligi ab ipso Suarez. Alia contingentia, additio, & diminutio datur, quæ non est formaliter, sed solum virtualiter, eminenter, & æquiualenter ratione summæ puritatis, infinitæ perfectionis, actualissimæ excellentiæ, & eminentiæ diuinæ, qua æquialet Deus contingentiæ & desitioni, seu additioni, & diminutioni creatæ, in quo nihil derogatur diuinæ perfectioni, sed potius maxime extollitur eius maxima excellentia: ergo sicut ad cognoscenda, & concilianda prædicata identitatis inter perfectiones diuinas, & communicationem, & non communicationem; hoc est contradictorias formalitates, admittitur sine præiudicio vllo distinctio virtualis inter illas; ita similiter sine præiudicio aliquo, imo potius cum laude maxima ad conciliandam formalem, & realem necessitatem in essendo cum indifferentia, & libertate decretorum liberorum Dei necessario admittenda est contingentia æquivalentiæ, additio, & diminutio virtualis, sine qua non exhauritur difficultas huius mysterij, neque sine illa solvuntur difficultates, dicendo solum, ideo Deum posse amare, & non amare, habereque indifferentiam ratione determinationis, quia licet in se, ac formaliter non sit res nova in Deo, à nobis tamen concipitur per modum rei novæ, vt patet ex iam dictis.

Sed demus, ens rationis posse esse conditionem ad effectus, vel quasi effectus reales; nihilominus tamen tale ens rationis non solum debet esse futurum & possibile, sed actuale, quando actualiter dantur effectus, vel quasi effectus; nam conditio & prærequisitum ad aliquid debet esse in eadem mensura durationis, in qua est effectus, vel quasi effectus, ad quem requiritur; vnde si approximatio agentis ad passum, & apprehensio

intellectus, quæ sunt conditiones ad amorem, & ad agendum, non sunt actuales, sed solum futuræ aut pure possibiles, nullo modo potest dari amor actualis, & actio præsens circa passum, & ratio est, quia quod futurum est, & purè possibile, ac proinde nondum præsens, & actuale, nihil est simpliciter, ac proinde nihil potest facere, aut conducere; sed distinctio rationis, quæ à nobis fingitur inter intellectum, & voluntatem diuinam actu ab æterno non est præsens, sed potius futura, aut pure possibilis, & idem est de additione supra actum necessarium: ergo talis distinctio, & additio non possunt esse conditiones sufficientes ad generationem Verbi per intellectum, & non per voluntatem, & ad amorem liberum creaturarum, quia talia prædicata sunt actu ab æterno, & additio, & distinctio illæ rationis non sunt ab æterno actu, sed in tempore; alias entia rationis essent maioris efficacitatis in ratione conditionis, quam conditiones reales; quod incredibile omnino est. Vnde talis conditio rationis nullius momenti est ad præsens institutum.

## SVBSECTIO VLTIMA.

*Efficatius, ac postremo oppugnatur sententia Aduersariorum.*

IN vltima parte illius solutionis docet Pater Suarez, mutationem factam in obiecto non physicam, sed obiectiuam esse rationem propter quam Deus ita amat contingenter vt potuerit non amare, eo quod illa mutatio obiectiua potuerit non esse, cum sit.

Sed contra; quia mutatio illa obiectiua, hoc est denominatio illa prædestinatæ in creatura, &c. sunt denominationes extrinsecæ prouenientes tanquam à forma extrinseca à prædestinatione diuina, & actiua existente in Deo; sed talis prædestinatio diuina est non alia formalitas, neque re, neque ratione distincta ab amore necessario: ergo est forma extrinseca talis mutationis necessaria; quia quod nullo modo distinguitur ab alio est idem ipsum; & præterea nullam in se habet contingentiam per te in se, quia si illam haberet in se, vt tribueres rationem indifferentiæ talis actus, non deberes, neque cogereris confugere ad contingentiam extra Deum in mutatione obiectiua existentem: ergo talis mutatio obiectiua, seu denominatio extrinseca formalis prædestinati est omnino necessaria, & nullo modo contingens. Patet consequentia; quia quoties forma denominans est omnino necessaria, constitutio extrinseca effectus formalis illius & denominatio formalis extrinseca prouenies à tali forma, nullo modo est contingens, sed omnino necessaria, vt exemplo manifestissimo euidenter demonstratur; amor necessarius simplicis complacentiæ terminatus ad possibilitates creaturarum, ex eo quod illæ connectantur cum omnipotentia, & vice versa omnipotentia cum illis formaliter, necessario, & non libere, seu contingenter denominat ipsas dilectas, & talis denominatio extrinseca formalis est omnino necessaria, nullam habens contingentiam, neque indifferentiam ad non esendum; quia forma, à qua prouenit talis denominatio est omnino necessaria, & nullam in se habens contingentiam; atqui non alia formalitas, aut re, aut ratione distincta ab illo amore, sed ipsa formalitas amoris, hoc est eadem omnino denominat formaliter, & mutat formaliter obiectiue creaturas denominando eas prædestinatas, & futuras: ergo talis denominatio, & mutatio obiectiua formalis est omnino necessaria, & minime contingens sine vlla ratione indifferentiæ: ergo illa non potest constituere Deum in esse amantis contingenter, indifferenter, & liberè, quia nemo dat quod non habet, neque constitutiuum formale potest dare esse constituto suo quod non continet formaliter; vnde lux licet contineat eminenter calorem, quia formaliter non continet illum, formaliter non constituit calidum, sed lucidum tantum; sed mutatio illa obiectiua, aut denominatio extrinseca formalis obiecti nullo modo continet indifferentiam, libertatem, & contingentiam formaliter: ergo nullo modo potest constituere Deum in esse liberè, indifferenter, & contingenter amantis.

Quod argumentum mutata etiam sola materia habet suam vim, & robur in casu, quo negetur, mutationem illam obiectiuam esse denominationem extrinsecam prouenientem in genere causæ formalis à prædestinatione diuina, seu actu libero; nam etiam si hoc dicatur, non potest vllo modo negari, & inficiari talem mutationem prouenire tanquam à causa à Deo volente, & decernente; quia per talem mutationem transit creatura de statu puræ possibilitatis ad esse futurum, & prædestinatum, & creatura à seipsa non potest transire de vno statu ad alium statum sine decreto, & volitione diuina; quia omnis creatura non est ens à se, sed ab alio; atqui eo modo est effectus quoad necessitatem & indifferentiam, seu libertatem, qualis est causa; vnde lux orta à sole, & calor productus ab igne non sunt effectus liberi, sed necessarij necessar o orti, causati, & fluentes à causa: sed volitio aut decretum Dei, quod est causa quasi in genere efficientis, nullo modo est distincta ab amore necessario, ac proinde est omnino necessaria sine vlla contingentia in seipsa: ergo talis mutatio obiectiua quæ vt effectus oritur, & causatur ab hoc amore, est omnino necessaria sine vlla indifferentia, & contingentia: ergo iterum ipsa mutatio obiectiua non potest constituere Deum in esse liberi, & indifferentis, aut contingenter amantis.

Declaratur, & vrgetur amplius; quia quando dicis terminari Deum libere, & contingenter, seu indifferenter determinari ad hanc creaturam, & per eam determinationem recipere creaturam nouam denominationem in ordine ad existentiam, seu nouum respectum, & habitudinem ad illam, certe non terminatur ad creaturam per actum necessarium vt sic, quia ille omnia creata possibilia æque indifferenter sine vllo discrimine, & differentia respicit: sed ex alio capite aperte non terminatur ad illam per aliquid aliud, seu per aliquod additum re, aut ratione: ergo actus liber vt sic secundum tua principia nihil est reale; vnde à republica entium realium exulat ille in tua opinione, & constituis solum actum necessarium, vt si quis diceret, in Verbo diuino non esse formalitatem re, aut ratione distinctam à diuinitate, de medio tolleret sine dubio diuinas personas, productiones ad intra, & oppositiones, ac proinde etiam si maxime extolleret diuinitatis excellentiam, nullo modo posset defendere per eam solam Verbi diuini constitutionem, oppositionem, & distinctionem respectu Patris, & Spiritus sancti, & ratio est, quia diuinitas per seipsam vt talis nullo modo opponitur, & distinguitur à Patre

Patre realiter; quia est de constitutione essentiali illius: ergo neque potest per illam, & ratione illius vt sic distingui filius à Patre realiter, & opponi realiter ipsi; sed in illo casu in Filio, aut Verbo divino non daretur alia formalitas, non solum re, imo neque ratione distincta ab ipsa diuinitate: ergo nullo modo daretur formalitas in Verbo, per quam distingueretur à Patre, & opponeretur ipsi, etiam quamvis diuinitatis excellentia nimis extollatur.

Ita similiter per te actus necessarius in se, & vt sic non constituit Deum in esse amantis libere, sed potius constituit ipsum in esse amantis necessario omnino sine vlla indifferentia; item per te connotatum extrinsecum nullo modo constituit Deum formaliter in esse libere amantis, quia in Deo esse liberè amantem neque adæquate, neque inadæquate formaliter est denominatio extrinseca; sed potius perfecto intrinseca adæquate, quia adæquate vitalis, & adæquate exercitium voluntatis, cuius conditio est vt sit intrinsecum adæquate, vt videre est in exercitio voluntatis angelicæ & humanæ, quod quia adæquate exercitum est potentiæ vitalis, & in se ipso est viuere, adæquate est intrinsecum, & minime, neque adæquate, neque inadæquate constituitur per connotatum extrinsecum, etiam si necessario & essentialiter respiciat illud quia omnis actus vitalis, sicut specificatur ab obiecto essentialiter respicit illud; sed actus liber Dei est volitio adæquate formalissime, & est viuere adæquate in Deo: ergo adæquate est intrinsecum ipsi, ac proinde non debet constitui, neque adæquate, neque inadæquate, per connotatum extrinsecum, etiam si respiciat illud vel connotet ipsum; sicut in tua sententia, imo in sententia omnium catholicorum Pater æternus formalissime in quantum Pater respicit Verbum divinum, & nihilominus Pater æternus nullo modo constituitur in esse Patris per Verbum diuinum.

Item quatenus amat creaturas possibiles amore complacentiæ, connotat illas necessario, ac formalissime, & nihilominus formalissime non constituitur in esse amātis ipsas per eadem vt amatas, sed potius adæquate, & totaliter per formalitatem vitalem intrinsecam amoris existentis in ipso, cuius nulla alia est ratio, nisi quod talis amor licet connotet creaturas, est viuere Dei, ac proinde non debet constitui per aliquod extrinsecum; quia alias ex vi talis constitutionis esset denominatio extrinseca; quia quotiescunque forma constitutiua alicuius est extrinseca, constitutio illa est per denominationem extrinsecam, vt videre est in ipso amato creaturarum possibilium, in esse viso, & intellecto parietis, &c. ergo si amare libere creaturas est viuere formalissime in Deo, adæquate debet esse intrinsecum in ipso, ac proinde debet constitui adæquate à formalitate intrinseca, & nullo modo ab aliqua ratione formali extrinseca extra Deum existente; atqui connotatum creatum non est intrinsecum Deo, sed potius omnino extrinsecum respectu ipsius: ergo nullo modo constituit Deum in esse liberè amantis; atqui præter actum necessarium per te, & præter connotatum, à quibus vt sic nullo modo constituitur in esse libere amantis, non datur alia formalitas re, aut ratione distincta in Deo; (quia nihil, aut re, aut ratione distinctum additur actui necessario) à qua possit constitui in tali esse: ergo nullo modo datur effectus, vel quasi effectus formalis in Deo amantis liberi; quia in subiecto vbi non datur formalitas, aut ratio formalis constitutiua alicuius effectus, nullo modo potest dari talis effectus, vel quasi effectus formalis, quia ratio formalis est de essentia, & quidditate ipsius; sed res sine quidditate, & essentia, neque intelligi, neque esse potest, vt patet ex definitione quidditatis: ergo effectus, vel quasi effectus amantis liberè non potest dari in Deo; quia non datur in ipso formalitas, à qua constituatur; quia denominatio liberè volentis realis debet esse, non extrinseca per te, non actus necessarius per te, & præter actum necessarium nihil aliud datur re, aut ratione, à quo possit sumi talis denominatio: ergo nullo modo datur illa.

Dices, talem esse actualissimam eminentiam diuinæ voluntatis necessariæ vt adhuc his principijs suppositis, possit Deus ratione infinitatis illius amare, & non amare creaturas; quod licet non recte capiatur, fatendum est inquiunt, quia excellentia diuinæ volitionis superat captum creatum.

Sed contra, quia licet detur summa eminentia infinita in Deo, non potest ratione illius concedi, quod detur effectus, vel quasi effectus formalis sine ratione formali existenti in ipso; quia hoc implicat in terminis eo quod implicet, rem sine essentia, & quidditate esse; quia erit, & non erit; atqui in Deo, neque ratione infinitæ eminentiæ, neque ratione infinitæ excellentiæ potest fieri, vt simul res sit & non sit: ergo non potest fieri vt res sic sine quidditate adhuc ratione eminentiæ divinæ; sed ratio formalis est quidditas effectus, vel quasi effectus formalis; v.g. formalitas amoris liberi est quidditas amantis libere: ergo ratione eminentiæ diuinæ non potest fieri, vt Deus sit amans liberè sine libero amore; sed in Deo per vos, etiam si detur eminentia, non datur in ratione amoris, nisi amor necessarius, quia in ratione amoris non datur formalitas re, aut ratione distincta ab amore necessario: & per vos amor necessarius non est formalitas constituens amantem liberum: ergo per vos nulla potest dari formalitas constituens amantem liberum, ac proinde non poterit dari amor liber, à quo possit constitui in esse amantis liberi: ergo non datur in Deo amans libere, etiam si detur summa eminentia in Deo: exemplo, clarissimo demonstratur hoc.

Quia tota eminentia, & infinita excellentia, quam appingimus volitioni diuinæ ad amandum creaturas, provenit illi non ratione volitionis vt sic communis Deo, & creaturis, vt ex terminis patet; sed potius ratione differentiæ diuinæ increatæ, & imparticipatæ: ergo eadem eminentia, infinitudo, & excellentia datur in intellectu, & voluntate diuinis ad generandum Verbum quatenus intellectus, & non generandum illud quatenus voluntas, & in diuinitate vt communicatur Filio, & in Paternitate, vt non communicetur ipsi.

Tunc sic, etiam si concederes tu eminentiam in intellectu diuino, & infinitam excellentiam vt debes concedere; item si eadem concederes in diuinitate, & ex alio capite diceres, ex vi intellectus vi sic solum produci Verbum, & non Spiritum sanctum, & adhuc suppositis tali eminentia contenderes, & affirmares in Deo nullo modo dari aliam formalitatem; aut re aut ratione distinctam ab intellectu, evidenter fatendum tibi esset in Deo nullo modo produci Spiritum sanctum, quia in Deo nulla daretur formalitas, ratione cuius posset produci, quia per te

per

per intellectum non producitur, etiam si sit eminentissimus; sed per te etiam præter intellectum, (etiam si habeat summam eminentiam, excellentiam, & infinitatem Deus,) non datur alia formalitas re aut ratione distincta ab intellectu, per quam possit produci Spiritus sanctus: ergo nullo modo per te potest produci ille.

Dices, posse produci Spiritum sanctum; quia non negatur formalitas voluntatis, sed solum asseritur, non distingui ab intellectu; neque esse aliam re, aut ratione distinctam ab illa; sicut quando dicimus, diuinam essentiam neque re, neque ratione distingui à diuinitate, non negamus dari in Deo diuinitatem, sed solum negamus distinctionem inter essentiam, & diuinitatem.

Sed contra manifeste; quia hæc solutio implicat in terminis; nam ideo per te non potest vllo modo concedi, licet dentur diuinitas, & essentia diuina, quod essentiæ diuinæ conueniat prædicatum contradictorium oppositum prædicato conuenienti essentiæ, verbi gratia, nullo modo potest à parte rei, diuinitas communicari Filio & non communicari essentia diuina; neque essentia diuina potest generare Filium, quem non potest generare diuinitas, nisi Pater, hoc est persona prima; Item ideo non potes dicere, Paternitatem non communicari Filio & personalitatem Patris, aut relationem primam hypostaticam communicari ipsi, & tota ratio est, quia diuinitas & essentia, etiam si dentur in Deo, neque re, neque ratione distinguuntur. Item Paternitas non est alia, aut re, aut ratione à Personalitate Patris, & hac de causa non possunt conuenire illis prædicata contradictorie opposita; & è contra ideo Pater generat Verbum, & non essentia diuina, quia Pater supra essentiam diuinam addit personalitatem, aut relationem Paternitatis re virtualiter, & ratione formaliter distinctam ab essentia diuina. Item diuinitas communicatur à Filio, & Patre Spiritui sancto, & non communicantur ipsi relationes filiationis, & Paternitatis; cuius nulla alia ratio est, nisi quia Pater, & Filius præter diuinitatem habent alias formalitates distinctas, vt dixi à diuinitate.

Si autem etiam si diuinitas sit eminentissima, nullo modo distingueretur, neque formaliter à parte rei, vt est certum; neque virtualiter, & ratione nullo modo possent affirmari de illa prædicata contradictorie opposita; quia duo contradictoria simul vera hoc est affirmatio, & negatio eiusdem rationis omnino re, & ratione respectu eiusdem termini in eodem tam re, quam ratione, etiam si confugiamus ad eminentiam, & infinitatem; nullo modo possunt verificari simul in ipso Deo propter illud principium euidentissimum; impossibile est, idem simul esse, & non esse; sed generare, & non generare, communicari, & non communicari sunt affirmatio, & negatio: ergo si sunt in eadem formalissima ratione diuina sine vlla distinctione re, aut ratione, erunt duæ contradictoriæ veræ simul, sicut sine dubio essent duæ contradictoriæ simul veræ, si tu assereres, diuinitatem communicari Filio, & essentiam diuinam non communicari ipsi, etiam si nomina sint distincta, sicut si diceres, Deus est creatura, ens increatum non est creatura; sed non possunt verificari, duæ contradictoriæ adhuc in Deo: ergo debet dari aliqua distinctio in his, de quibus prædicantur simul & verificantur affirmatio, & negatio; vel negandum est omnino, verificari vtrumque simul, sed potius quia verificatur affirmatio, ex eo quod sit eadem formalissima entitas, de qua verificatur prædicatum affirmatiuum non posse verificari negationem: ergo si voluntas diuina est omnino idem cum intellectu diuino; non potest verificari de intellectu diuino, quod generet Verbum, & non producat Spiritum sanctum, & de voluntate diuina, quod producat Spiritum sanctum, & non Verbum; vnde si pertinaciter asseris intellectum vt intellectum non producere Spiritum sanctum, sed solum Verbum, & intellectum nullo modo distingui à voluntate diuina, ac proinde in Deo, præter intellectum non dari aliam formalitatem vllo modo distinctam, neque re, neque ratione ab intellectu, per quam possit produci Spiritus sanctus, si non vis incidere in duas contradictorias simul veras, quarum vis non frangitur, minuitur, aut debilitatur per sola diuersa nomina significantia eandem omnino formalitatem, (qualem asseris esse formalitatem intellectus significatam per duo illa nomina intellectus, & voluntas, alias de eodem sub nominibus gladij, & ensis verificarentur simul affirmatio, & negatio, quod sit ferreus & non sit ferreus; quod est ridiculum, & somniantium desiderium,) necessario debes asserere nullo modo produci Spiritum sanctum; quia nulla formalitas datur in Deo, cui correspondere possit, supposito quod per te non potest correspondere intellectui, etiam datur omnimoda eminentia in Deo.

Tunc sic per te constitutio amantis libere in Deo non correspondet amori necessario, etiamsi habeat infinitam eminentiam; sed per te non est alia formalitas in Deo, præter amorem necessarium, vt possit correspondere talis constitutio; ergo per te nulla est formalitas, cui possit correspondere illa; sed non potest dari in Deo, etiam ratione eminentiæ, vt iam supra demonstraui, constitutio aliqua sine formalitate existere in Deo, cui correspondeat: ergo secundum tua principia, etiam si confugias ad eminentiam (cum in re tollas illam, licet in verbis solis concedas, vt eludas apparenter vim demonstrationis,) debes dicere, Deum non amare libere, sed solum necessario. Neque vllo modo constituetur per te in esse amantis liberè, quoniam eminentiam diuini esse, licet sit supra captum naturæ intellectualis, & rationis naturalis creatæ, non tamen debet esse contra rationem ipsam, quale est mysterium Trinitatis, quod licet demonstrari non possit, non tamen demonstratur esse contra rationem naturalem; at vero esse, & non esse contradictoria maxima, & immediata oppositio est, quæ nullatenus verificari potest à Deo in eodem respectu eiusdem omnino: ergo si actus necessarius per te non est constituens Deum amantem liberum, ipsi omnino implicat simul constituere eundem Deum amantem liberum respectu eiusdem creaturæ: sed nulla formalitas datur amoris in Deo quæ non sit ipse amor necessarius: ergo nulla formalitas datur in Deo, quæ possit constituere ipsum Deum in esse amantis liberè.

Vt autem omnino præcludantur aditus solutionibus aut dumeta relinquantur, ad quæ confugiant aduersarij, vt fugiant vim demonstrationum, non possum non mirari, quod neotherici defensores Patris Suarez asserant, decretum illud liberum vere dependere ab extrinseco connotato; nam in sententia Patris Suarez, nulla perfectio diuina dicit relationem, aut dependentiam à creaturis; quia cum omnis perfectio diuina sit Deus, & sit de fide, Deum omnino esse independentem, non potest concedi dependentia aliqua, quia omnis independentia, seu omnimoda independentia, quæ idem

idem sunt, quia synonima sunt non cõpatitur cum dependentia aliqua. Sicut omniscientia Dei non compatitur cum insipientia, aut inscitia aliqua & sanctitas diuina cum aliqua malitia, nam omne excludit aliquid non: sed aliqua inscitia est aliqua non scientia: ergo non compatitur cum omni scientia. Sicut omnipotentia excludit aliquam impotentiam, quia est aliqua non potentia: Itaque in Deo quæcunque perfectio absoluta, quia est infinita simpliciter, & est perfectio simpliciter simplex, non est quomodocunque perfectio, sed omniperfectio in illo genere, vnde misericordia est omnimisericordia, & iustitia omniiustitia, & sanctitas omnisanctitas, & sapientia omnisapientia, sicut potentia non est quomodocunque potentia, sed omnipotentia, & filiatio est omnifiliatio, & paternitas omnipaternitas, licet non sint perfectiones absolutæ, eo quod sint imparticipatæ: sed independentia diuina est perfectio simpliciter simplex, & absoluta: ergo est non quomodocunque independentia à creaturis, sed etiam omnindependentia ab illis: ergo excludit omnem dependentiam ab illis, ac proinde quamcunque dependentiam, & quamcunque non independentiam, sed dependentia à creaturis tanquam à termino, & obiecto est per vos vera, & propria dependentia: ergo est aliqua non independentia: ergo euidenter sequitur, excludi à Deo tanquam indignam ipso per omniindependentiam ipsius, sicut per omniscientiam excluditur aliqua, & quæcunque inscitia, & per omnisimplicitatem quæcunque non simplicitas seu compositio, nam oppositum in summo gradu increato perfectionis excludit quodcunque oppositum adhuc in remisso; vnde, quia perfectio diuina est omniperfectio, excludit quamcunque veram, etiam minimam imperfectionem, siue dicatur terminatiue, siue dicatur formaliter, siue quocunque nomine pallietur, & quocunque addito explicetur, dum tamen significetur per rationem imperfectionis: ergo omniindependentia diuina excludit omnem, aliquam, & quamcunque dependentiã siue terminatiue, siue formaliter, siue quocunque nomine addito, & modo loquendi significetur, dum tamen relinquatur in ratione dependentiæ, quia impossibile est, vt simul respectu eiusdem detur omnis affirmatio alicuius, & simul aliqua non affirmatio, seu negatio eiusdem; quia sunt contradictoriæ; sed omniindependentia Dei est affirmatio omnis independentiæ; atqui dependentia terminatiua est aliqua non independentia: ergo stante omniindependentia diuina non potest verificari simul dependentia terminatiua à creaturis.

Præterea; quia comparata dependentia terminatiua cum omnimoda independentia, seu omni independentia perfectior est omni independentia, quã dependentia terminatiua: ergo ab hac potius simpliciter, & absolute dependens, quam ab illa absolute independens debet nominari Deus; quia licet habeat omnem independentiam formalem deficit illi independentia terminatiua: ergo deficit illi denominatio absoluta, & perfectissima independentis, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu; vnde licet homo in anima rationali, & in materia prima habeat simpliciter, & absolutam incorruptibilitatem; quia tamen deficit illi in vnione incorruptibilitas, licet vnio sit minimum constitutiuum, & corruptibilitas in vnione sit minor, quam corruptibilitas in materia, & forma, nihilominus tamen, quia habet illam minorem corruptibilitatem, & deficit illi incorruptibilitas in minimo constitutiuo, ac per consequens deficit ipsi minor incorruptibilitas; sed per vos licet habeat Deus maiorem independentiam, habet tamen aliquam dependentiam, etiam si minor sit, scilicet à termino, ac proinde deficit illi independentia in illo genere: ergo absolute, ac simpliciter potius ab hac dependentia simpliciter, & absolute dependens debet dici, quam absolute independens propter illam independentiam, quandoquidem deficit illi aliqua independentia, scilicet à termino, præcipue; quia sicut dependentia à principio productiuo constituit rem dependentem in esse effectus in genere causæ efficientis, & principium in esse causæ, ita etiam dependentia rei à termino, seu obiecto constituit rem sic dependentem proprie in esse effectus causæ finalis, & ipsum terminum, seu obiectum in esse finalis causæ; quia dependentia est influxus, & influxus constituit causam; causa enim vt sic est quæ influit in effectum; vnde si causa est producens, dicitur efficiens, & si est principium influens informando, dicitur causa formalis; si influat recipiendo causa materialis, ac tandem si vt terminus, vel obiectum influat dicitur causa finalis: ergo si terminus influit in Deum, quia Deus dependet à termino, & dependentia est influxus, sine dubio terminus, vel obiectum erit causa finalis Dei, ac proinde dependentia eius à termino erit dependentia à causa; sed dependentia à causa est simpliciter dependentia: ergo Deus simpliciter, & absolute dependet, præsertim, quia nihil est, quod habeat in rigore causam finalem, quod etia non habeat causam efficientẽ eiusdem esse; nam causa finalis datur, vt moueat causam efficientem, ad causandum effectum; cuius est causa finalis: ergo si Deus habet dependentiam à causa finali, habebit etiam dependentiam à causa efficienti; vnde non erit Deus, sed creatura: ergo id, ex quo hæc absurda sequuntur, non est dicendum, & ideo omnes Theologi vestigiis Sanctorum Patrum insistentes, licet concedant, Deum facere aliquam creaturam, quæ habeat causam finalem, ordinando vnam creaturam ad aliam tanquam finem creaturæ ordinatæ; nihilominus absolute negant illam creaturam esse finem Dei, aut volitionis diuinæ, quia Deus, vt in scriptura dicitur, formaliter non operatur propter creaturam; quia [propter semetipsum omnia operatus est Dominus:] ergo manifeste, & euidenter sequitur, nullam perfectionem diuinam dependere à connotato creato; quia omnis perfectio diuina est Deus; sed actus liber Dei est perfectio intrinseca diuina: ergo actus liber Dei nullo modo dependet à connotato creato; quod adeo verum est in sententia P. Suarez, vt ipse millies neget, non solum dependentiã, imo & relationem ad creaturas, quapropter, cum videret, omnipotentiã non posse intelligi, aut esse sine creaturis possibilibus, nullo modo concessit, aut relationem aut dependentiam respectu illarum, etiamsi cognosceret, vt certe cognouit talem dependentiam respectu possibilium solum posse esse, tanquam à termino; vnde purius loquens, concessit solum connexionem necessariam omnipotentiæ cum possibilibus: ergo fautores doctrinæ Patris Suarez, concedentes talem dependentiam, potius labefactant, destruunt, ac demoliuntur doctrinam eximij doctoris, quam defendant, protegant, aut tueantur ipsam.

Deinde sic argumentor cum Patre Herize, contra hos, nam quando ais, prædicatum illud intrinsecum pendere ab extrinseco connotato; vel ais pendere, vt re vera sit in Deo, vel tantum

vt prædicetur de eo: exempli gratia voluntas condendi mundum prædicatum intrinsecum Dei est pendens ab extrinseco connotato, & connexum cum ipso; aut pendet vt sit, aut non pendet, vt sit in Deo? sed vt prædicetur ab aliquo de illo.

Si non primum sed secundum: ergo nec pendere potest, vt prædicetur; omne enim quod est in se, & independens in esse, potest ab intellectu id concipiente prædicari. Quis hoc dubitet? res enim non est, quia prædicatur, aut prædicabilis est; prædicari enim, aut prædicabilem esse, est intelligi, aut intelligibilem esse actu iudicij, vt ergo non quia res intelligitur, est; nec quia intelligibilis, sed è converso, quia est, intelligitur, & intelligibilis est; ita si prædicatum illud intrinsecum est in Deo independenter quoad esse à connotato extrinseco, etiam erit independens, ad hoc vt prædicetur, seu prædicabile sit, & sic poterit prædicari sine tali connotato.

Si autem primum dicatur, scilicet quod prædicatum illud intrinsecum connectatur cum connotato extrinseco, & dependeat ab illo non solum quoad prædicari, sed etiam quoad esse: ergo ablato connotato extrinseco, vel deficiente, deficiet etiam, & auferetur vere, & realiter entitas, & esse illius prædicati: patet consequentia evidenter ex doctrina Patris Suarez quam isti defendunt, nam ideo ablatis creaturis possibilibus, aufertur, & destructis illis destruitur non solum quoad denominationem, vt Pater Vazquez contendebat, sed etiam quoad entitatem, & esse intrinsecum omnipotentia Dei, & de primo ad vltimum Deus ipse, qui est idem cum omnipotentia; quia omni potentia dependet à possibilibus per vos, & connectitur cum illis, vt ait Pater Suarez, non solum quoad nomen omnipotentiæ, sed etiam quoad esse intrinsecum illius; nam res formalissime, & essentialiter dependens ab alia quoad esse nullo modo potest esse, aut intelligi sine illa; vnde ablato Deo, auferrentur omnes creaturæ; quia quoad esse dependent à Deo, & ablata anima rationali à Petro, statim definit esse Petrus, quia dependet in esse ab anima rationali: sed per vos actus liber Dei, seu intrinsecum prædicatum decreti Dei vere dependet, vt sit, & quoad esse à creatura existenti, vel futura, seu à connotato creato: ergo quando destruitur connotatum creatum, vt quotidie destruitur, destruetur sine dubio esse decreti liberi, ac per consequens ipse Deus, qui identificatur cum illo; hoc est falsum, & aperte contra fidem, ergo falsum omnino est dicere, decretum liberum dependere à connotato extrinseco quoad esse ac proinde solutio innitens tali dependentiæ à connotato nullius valoris est.

Deinde ipse Pater Suarez admittit electionem absolutam ad gloriam ante merita prævisa per hæc numero auxilia, & merita, quibus tantam numero gloriam comparavit; illa vero electio libera est, & connotat hæc auxilia numero hæc merita, hanc gloriam. Verum non negat, nec negare potest, vt probavi *tract. de prædestinat. in hac quæst.* non esse necessariam eam electionem absolutam, vt Deus conferat omnia hæc; sed sufficere actum inefficacem simplicis complacentiæ: ergo admittit duos actus liberos distinctos cum eisdem connotatis: ergo tunc novitas actus liberi non ex novo connotato, sed ex nova entitate desumenda erit, eadem efficeretur difficultas, si Deus ob diuersos fines crearet hominem, diversi enim essent actus liberi; idem autem connotatum nempe eadem creatio, quæ non variaretur in entitate ex fine extrinseco: ergo Suarez sententia non potest defendi ex vi connotati.

## SECTIO X.

### *Caietani sententia impugnatur.*

QVia actus liber Dei in sententia Caietani est perfectio intrinsecè existens in Deo & ex alio capite posset non existere in Deo à parte rei formaliter: ergo potest separari à parte rei formaliter actus liber Dei ab ipso Deo; sed ea quæ possunt separari à parte rei per existentiam vnius, & desitionem alterius, ita vt vno existente, desinat alterum, distinguuntur realiter: ergo actus liber Dei, & Deus ipse realiter distinguuntur; sed quæ distinguuntur realiter vnum non est aliud, à quo distinguitur: ergo actus liber Dei non est Deus, à quo distinguitur: ergo est creatura. Patet evidenter consequentia; quia omne ens reale diuiditur adæquate, & immediate in ens creatum, & increatum, seu in Deum, & creaturam; sed actus liber Dei, qui ens reale est, non est Deus per vos: ergo per vos debet esse alterum membrum diuisionis scilicet creatura; sed ab æterno vt supra *latissime* demonstravimus, actu est præsens & existens decretum liberum Dei: ergo ab æterno est actu præsens, & existens aliqua creatura, seu actu extitit, & præsens fuit; atqui hoc est hæreticum, vt aperte definitur *capite firmiter, de Summa Trinit. & fide catholic.* ibi: [ Creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam; ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam. ] Quod dogma fidei definitum Concilio Lateranensi fundatur in his verbis *Genesis.* 1. [ in principio creavit Deus cœlum, & terram &c. ] vbi decernitur tanquam certum de fide; nullam creaturam ab æterno extitisse sed omnem in principio temporis productam esse, quod docebat D. Augustinus contra Arium, qui diabolico instinctu, & ausu temerario duo asserebat, scilicet Verbum diuinum esse creaturam, ac proinde minorem Patre; & ex alio capite docebat ab æterno fuisse coæternum Patri. Quibus auditis D. Augustinus ex loco nuper citato *Genesis.* 1. sic arguebat contra hunc hæresiarcham; ex hoc loco sacræ scripturæ constat *de fide* esse, nullam creaturam fuisse ab æterno; sed in principio temporis omnem esse conditam; sed per te Verbum diuinum est ab æterno, & coæternum Patri: ergo Verbum diuinum non est creatura; quare aut dicendum tibi est, Verbum diuinum non esse creaturam, aut si est creatura, non fuisse ab æterno, sed in tempore: si ergo & esse creaturam asseris, & simul doces ab æterno esse aperte implicaris in terminis & pugnantia loqueris; cum admittas, vt admittere debes veritatem fidei contentam illis verbis *capitis primi Genesis*; [ in principio creavit &c. Deus cælum, & terram; ] vbi docetur aperte, omnem creaturam, nulla excepta, temporalem, & non æternam fuisse.

Ego

Ego vero eodem argumento primo Caietanum quo Augustinus Arium vrgebat, Decretum liberum Dei est ab æterno, vt fide sanctum docet Ecclesia, edocta à Paulo. [qui prædestinauit nos ante mundi constitutionem,] & [ sapientia prædestinata ante sæcula , &c. ] videantur supra late dicta circa hoc punctum; sed ex ipsa fide catholica constat, nullam creaturam fuisse ab æterno : ergo de fide sanctum est , decretum liberum non esse creaturam, sed potius esse Deum ipsum ; sed Deus non potest separari à seipso realiter, nec destrui realiter, permanente ipso realiter ; alias idem Deus esset simul, & non esset realiter, quod omnino repugnat, quia impossibile est, idem simul esse, & non esse : ergo neque decretum liberum potest separari à Deo ; neque destrui aut desinere esse manente Deo.

Deinde ex alio decreto de fide sic argumentor contra Caietanum. Nam in Concilio Remensi sub Eugenio tertio, in Symbolo fidei, quod hoc Cõcilium composuit contra Gilbertum, inter alia hæc habentur; neque aliquas omnino res siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel vnitates dicantur adesse Deo quæ sint ab æterno ; & non sint Deus; ] vtique credimus, & sigillatim decernit vitam, volitionem, sapientiam, iustitiam & bonitatem , qua Deus constituitur viuens, sapiens, iustus & bonus , esse ipsum Deum, & sic de reliquis perfectionibus. Itaque ex decreto huius Concilij manifeste colligitur, impossibile omnino esse dari aliquid in Deo , & esse aliquid in ipso, quod non sit ipse Deus, itavt non solum in concreto, sed etiam in abstracto prædicari possit de diuinitate ; quapropter sicut propriissimæ sunt hæ loquutiones, [Deus est sapientia, sapientia est essentia diuina , sapientia est bonitas.] Ita debet esse propria hæc loquutio, [perfectio quæcunque diuina est essentia diuina, amor Dei est ipse Deus, libera volitio diuina est essentia diuina.] Quæ omnia latissime confirmat, & probat Sanctus Bernardus *serm.* 80. *in Cantica*, in his, quæ contra Gilbertum scribit, & etiam in decretis , quæ idem Bernardus cum Episcopis congregatis in Concilio Remensi, cuius acta, licet non quoad omnes partes approbata sint ab Eugenio III. attamen quoad præsens institutum approbata sunt.

Itaque sine dubio dicendum est, volitionem diuinam esse ipsum Deum; vnde D. Augustinus *tract.* 25. *in Ioannem, propius ad medium quam ad finem*, de filio ait : [ ipsa voluntas est ipse, qui loquitur, & amor Dei est ipse, qui amat omnia, ] vnde Athanasius, *orat.* 3. *contra Arianos*, inquit, [Dubium non fuerit, quin Verbum diuinum sit Patris viuida voluntas , paternæque substantiæ insita efficacia, & ratio, sicut & Spiritus sanctus est Deus , & amor, quo se amat & omnes nos diligit. ] Iterum autem *in eadem orat.* 3. idem repetit , sicut & Cyrillus Alex. *lib.* 1. *thesari, c.* 8. docet, Deum nos amare per suum esse, & non per alium amorem, quo se amat, & Spiritus sanctus , producitur à Patre, & Filio; vnde Concilium Toletanum 15. *post confessionem fidei, c.* 1. docet, naturam diuinam esse amorem, voluntatem, & dilectionem omnium. Deinde amplius vrgetur; quia ex *Ioan.* 1. 4. [Deus est charitas ; ] sed charitas propriè dicta, vt inquit Augustinus. *lib.* 15. *de Trinit. c.* 14. & 20. est amor Dei erga creaturas rationales; (charitas enim est amicitia perfectissima, amicitia vero respicit essentialiter alium amicum distinctũ realiter ab amante: nullus enim sui ipsius amicus est,) sed non est alia res distincta realiter à Deo, quæ possit esse amica ipsi, nisi creatura intellectualis: ergo creatura intellectualis est quam amat Deus charitate, & amore amicitiæ secundum illud, [veni amica mea, columba mea, formosa mea; ] igitur Deus est amor : erga creaturas rationales tanquam amicos; sed amor amicitiæ est charitas: ergo Deus est amor amicitiæ creaturarum, quia [ Deus charitas est , ] sed amor creaturarum non potuit non esse liber, quoniam Deus potuit nullam creaturam producere , potuitque nullam creaturam productam in suam amicitiam coaptare; propterea namque 1. *Ioan.* 3. videre præcipit, [qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus: ] ergo amor liber Dei est ipse Deus.

Vrgetur ; quia charitas , quæ est ipse Deus, est principium omnium operum gratiæ , potissimum autem incarnationis. *Ad Ephes.* 2. [propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui in peccatis, conuiuificauit nos in Christo.] Et alibi dicitur ; propter nimiam charitatem, qua dilexit nos Filium suum vnigenitum misit; & ideo D. Dionysius *de diuinis nominibus, c.* 4. *circa medium*, sic ait : [ quid sibi volunt Theologi qui cum interdum amorem, & charitatem dicunt, interdum amore, & charitate, dignum , præsertim cum huius quidem auctor, & quasi genitor, ac procreator, illud autem ipse sit, & hoc quidem moueatur, illud autem moueat ; quoniam ipse sui, ac sibi; & productor, & motor est. ] Et Bernardus *serm.* 59. *in Cantic.* de amore sponsi erga sponsam ait : [ amat & Deus, nec aliunde hoc habet , sed ipse est vnde amat, & ideo vehementius, quia non amorem tam habet, quam hoc est ipse : ] ergo liber amor sponsi erga sponsam est ipsa substantia sponsi ; vnde Athanasius *dialogo* 2. *de Trinit. contra Anomœum, col.* 4. inter scholia Eunomij refert hanc eius cauillationem, [ in sacris litteris non vnica, sed multæ voluntates inueniuntur, cum dicant, omnia quæ voluit fecit ; multa igitur voluit, non autem vnum quiddam, neque vero multæ dumtaxat, verum etiã diuersæ sunt voluntates voluit enim cœlum , voluit & solem , voluit & terram , cum autem ista quæ vult, diuersa sint, necesse est differre quoque voluntates de illis creandis , ] cui Athanasius respondet, [non quia diuersa sunt opificia, necessario quoque diuersæ sunt voluntates , sed sicut Deus hominem vnica voluntate ex diuersis membris, & partibus concedens, fecit oculos, aures, nares, &c. sic etiam vniuersum mundum vnica voluntate constituxit, qua seipsum ardenter amauit. ]

Ecce quomodo Athanasius docet, amorem liberũ circa omnes creaturas esse vnicam formalitatem, & vnicum amorem & hunc esse ipsam formalitatẽ amoris, seu dilectionis perfectionem, qua se ipsum amat Deus : sed amor quo seipsum amat, est ipse Deus : ergo amor , quo diligit creaturas est Deus, quod etiã patet manifeste ex vltimis verbis Athanasij, quibus docet, non esse plures volitiones, & amores, quibus vult Deus omnes creaturas, & tribuens rationem, ait, quia talis amor est ipse, quo se diligit , ac si dicat : ideo non multiplicari dilectiones creaturarum in Deo, quia tales dilectiones non sunt nisi ipsa entitas Dei , & ipse Deus, nam si talis amor non esset Deus , multiplicaretur sine dubio , ad multiplicationem obiectorum , vt in creaturis contingit, cum autem non multiplicetur, & simplex sit , euidenter sequitur non esse creaturam ; nam actus amoris creaturarum, quia creaturæ sunt tales dilectiones, specificantur, & dependent ab obiectis, ac proinde vnitatem, & pluralitatem recipiunt ab illis : atqui per vos dilectio illa, quæ est in Deo, est creatura: ergo specificatur,

& dependet ab obiectis, ac proinde vnitatẽ, distinctionẽ, & pluralitatem recipient ab illis; sed non recipiunt, sed simplicissima formalitas est: ergo neque dependent, neque specificantur ab obiectis: ergo non est creatura, sed Deus, quia non est dare medium in ente reali inter Deum, & creaturam quod videtur aliquo modo intellexisse Aristoles. *lib. Ethic. cap. vltim. versus finem*, vbi ex simplicitate diuinæ naturæ, atque ex illius perfectione demonstrat simplicitatem diuinæ voluptatis, & identitatem inter illam, & naturam Dei: sed voluptas non esset simplex nec idem cum natura Dei si volitio non esset simplex, & idem cum ipsa, sed multiplex, quia volitio est voluptas, voluptas enim actus voluntatis est: verba Philosophi sic se habent [ quod si alicuius natura sit simplex, semper eadem operatio iucundissima erit; idcirco Deus vna semper, simplicique gaudet voluptate, vtique quæ sit ipse; non enim solum motionis est operatio, sed immutabilitatis; & voluptas inquiete potius, quam in motu consistit; mutatio vero omnium dulcissimum est secundum Poëtam ob prauitatem quandam & imperfectionem Deus maxime perfectus, non in mutatione, sed in quiete vtique voluptatem habet.

Eandem doctrinam docet Augustinus, *lib. 15. de Trinit. cap. 14. post medium*, & Damascenus *lib. 1. fidei. cap. 19. prope finem.* Hyeronimus Ambrosius, Gregorius, Chrysost. & reliqui Patres, qui docent, amorem Dei esse ipsam essentiam Dei; & eundem esse amorem, quo seipsum, & creaturas diligit, quorum vestigiis insistentes Magister *in 30. dist. 32.* D. Bonauent. *ibidem art. vltimo. quæst. 3.* Ricardus *art. 1. q. 4.* & reliqui scolastici Doctores Sanct. Thomas *1. p.* vbi hanc rationem tribuit: actus voluntatis multiplicantur secundum obiectum formale, & primarium non secundum materiale, & secundarium; sed vnicum tantum est obiectum formale per se diuinæ volitionis, scilicet bonitas diuina, creaturæ autem sunt obiectum secundarium: ergo vnicus est amor Dei qui primario, necessario, & per se terminatur ad suam bonitatem, & secundario, ac libere ad creaturas; vnde sicut intelligere diuinum est vnicum, quoniam omnes creaturas non videt, nisi ratione suæ essentiæ tanquam obiecti formalis, ita velle diuinum est vnum & simplex, quia omnes creaturas non vult, nisi ratione suæ bonitatis, tanquam ratione obiecti formalis, & primarij: ergo est vnicus amor, quapropter in nullo priori, sub nullaque præcisione potest intelligi diuinus amor versari circa creaturas, quin intelligatur etiam versari circa Deum; nam in vltimo quoque gradu tendentiæ ad obiectum materiale continetur essencialiter tendentia vitalis ad obiectum formale; vnde etiam in nullo priori, sub nullaque præcisione potest intelligi realiter, & adæquate diuinus amor versari comprehensiue, & adæquate circa diuinam bonitatem; quin etiam ex plenitudine reali ipsius in hac ratione includatur tendentia ad creaturas: ergo diuinus amor circa creaturas, & diuinus amor circa ipsum Deum sunt vna & eadem entitatis, & perfectionis formalitas: sed amor circa Deum est ipse Deus: ergo etiam amor creaturarum est ipse Deus, sed Deus, & quidquid est ipse, aut quæcunque diuina perfectio formaliter est entitas à parte rei omnino necessaria, quæ formaliter non potest esse, aut formaliter destrui, & desinere esse: ergo amor creaturarum, qui est diuina perfectio, & ipse Deus, ita formaliter est ens necessarium, vt nullo modo possit desinere esse, aut potuerit non esse.

Antecedens sic patet, quia quidquid à se ipso existit, habet esse omnino necessarium, & tam necessario existit, quam ipsa diuina substantia secundum rationem substantiæ, omnis autem perfectio diuina, aut ratio realis formaliter in Deo existens est omnino à se, imparticipata, & increata: ergo tam necessario existit, quam ipsa diuina substantia; quare actus volitionis Dei, quæ in Deo formaliter est, includere non potest aliquam perfectionem, quæ non necessario in Deo existat.

Vrgetur, quia ratio summæ necessitatis existentiæ Dei, tota posita est in ratione existendi à se; nam quod à se existit, non potest habere rationem non existendi, quia à nullo principio dependet, & sic à nullo principio potest priuari existentia: quapropter omne id quod à se existit, est omnino necessarium: sed actus voluntatis diuinæ à se existit, quia non est creatum: ergo ita necessarium est, vt non potuerit non esse, & sic necessario semper, & ab æterno, & in æternum habet esse: nam quidquid à se existit, necessario mensuratur æternitate durationis; ergo similiter etiam necessario mensuratur duratione ex necessitate existenti, qualis est æternitas diuina; vnde fieri non potest, vt aliquid à se sit ens æternum, non autem necessarium

Et propugnatur nostra veritas ex his quæ dicit Caietanus, nempe amorem creaturarum ex suppositione quod existit in Deo, identificari cum ipso, & esse idem cum Deo, id est esse ipsum Deum: sed ipse Deus ita formalissime est necessarius, vt non potuerit non esse: ergo actus liber, qui existit in Deo, & est ipse Deus, non potest non esse, neque potuit deficere à Deo, aut non habere esse.

## SVBSECTIO I.

### *Ex infinita perfectione diuina essentia oppugnatur sententia Caietani.*

QVia Deus quatenus infinita perfectio est, nullo modo est perfectibilis: sed si daretur in Deo actus liber de nouo distinctus ab ipso Deo à parte rei, infinita perfectio Dei realiter perficeretur: ergo actus liber Dei non distinguitur à Deo, neque additur ipsi à parte rei. Maior est euidens, quia omnis perfectio est actus, vnde actuare exercitium est perfectionis quia omnis perfectio actus est; nam omne ens dividitur in actum, & potentiam passiuam: sed perfectio est ens & non est potentia passiua: ergo est actus, imo quantum aliqua res habet potentiæ passiuæ, tantum elongatur à perfectione, & distat ab illa, ratione cuius dicebat D. Augustinus, materiam primam, quæ magis omnibus habet potentiæ, imperfectiorem esse omnibus rebus, & magis distare ab infinita perfectione Dei. Itaque omnis perfectio actus est, & cum detur duplex actus alius completus, alius incompletus, datur duplex perfectio, alia completa alia incompleta, incompleta perficit informando & completa per se est perfectio existens: sicut duplex datur actus, alius actuans, alius per se subsistens; sed nullus actus in ea ratione qua actus est est actuabilis, & nulla perfectio completa in ea

ratione

ratione, qua perfectio est, est perfectibilis, sed potius est perfectibilis sub ratione imperfectionis, & est actuabilis sub ratione potentiæ; vnde actuatio, seu exercitium actus non respicit actum, sed potentiam actuabilem; cum autem omnis actus creatus & omnis perfectio creata, quia limitationem habet, & finitudinem, admixtionem habet imperfectionis, & potentialitatis.

Quapropter si aliqua perfectio reperiatur, quæ sit pura perfectio, ac purus actus sine vlla imperfectione, ac per consequens, quæ possit dici omniactus, & omniperfectio, id est modis omnibus actus, & perfectio, nullo modo erit perfectibilis, & actuabilis, sed Deus quatenus infinitus, ac infinitus simpliciter perfectio est purus actus, ac pura perfectio sine vlla potentialitate, & imperfectione, & ideo omniperfectio, & omniactus: ergo nullo modo est perfectibilis & actuabilis.

Minor prima & præcipua sic probatur, quia omnis perfectio distincta ab eo in quo existit, & addita ipsi perficit subiectum, in quo est, & vicissim subiectum perficitur ab illa, quia impossibile est, quod perfectio perficiat subiectum, & subiectum non perficiatur ab illa; vox enim actiua, & passiua sinonyma sunt eiusdem, & ideo non possunt separari, neque diuidi inter se; quapropter si Deus producit creaturam, necessario ipsa producitur à Deo; sed actus liber Dei est perfectio existens in Deo: ergo si distinguitur à Deo realiter, realiter perficiet illum, & ipse perficietur à tali actu; vnde Deus perfectibilis erit. Maior sic probatur, quia impossibile est, quod aliqua perfectio sit in aliquo subiecto exhibita ipsi, & vnita eidem quin perficiat tale subiectum, quia perficere in forma, seu perfectione est dare se perfectionem subiecto; sed dare se perfectionem, est vnio perfectionis in subiecto: ergo impossibile est, quod perfectio sit in subiecto, & non perficiat illud; sed perfectio actus liberi per vos datur in Deo vnita ipsi: ergo perfectio actus liberi perficit Deum.

Quod autem actus liber sit perfectio, patet manifeste; quia actus liber est verus actus; sed verus actus est vera perfectio: ergo actus liber Dei est vera perfectio Dei. Deinde, quia actus liber Dei est viuere; sed viuere est perfectio viuentis: ergo actus liber Dei est perfectio Dei.

Vrgetur, quia impossibile est, quod actus sit in exercitio vltimo, & non actuet; sed perfectio est actus, & actuare est perficere: ergo impossibile est, quod perfectio sit in vltimo exercitio suo, quin perficiat subiectum in quo est, quia sicut impossibile est, quod intellectus sit in exercitio vltimo, & non intelligat, & voluntas exerceatur, & non velit, & forma exerceatur, & non informet, & actus sit in exercitio vltimo, & nõ actuet; ita impossibile est quod perfectio sit in vltimo, & proprio exercitio, & quod non perficiat: nam exercitium perfectionis est perficere id, cuius perfectio est; vnde quia intellectio in creatis est perfectio, quando est in vltimo exercitio suæ actualitatis perficit; vnde exercitium perfectionis perficere est, quia aliud exercitium non potest assignari; quia sicut se habet actuare ad actum, calefacere ad calorem, dealbare ad albedinem, informare ad formam, sanctificare ad sanctitatem, ita se habet perficere ad perfectionem: sed perfectio actus vitalis actu existens in Deo, est in vltimo, & proprio exercitio suo: ergo actus vitalis existens in Deo, perficit Deum. Minor sic probatur, quia vltimum exercitium alicuius actus est existentia actualis, seu vnio actualis in subiecto, cuius actus est; nam vltra existentiam in subiecto, & in potentia cuius actus est, nullo modo datur aliquid, aut restat, in quo possit exerceri, vnde totum exercitium actus sistit in vnione actus cum potentia, quia finis vltimus actus est ita actuare potentiam, vt cum illa componat vnum, aut constituat vnum totum, ad quod ordinantur vltimo, tanquam ad finem tam actus quam potentia: sed ex vi vnionis, & existentiæ actus in potentia componitur ex actu, & potentia inter se vnitis vnum totum, ad quod tanquam ad vltimum finem ordinantur, quia omnis vnio compositio est, ac proinde est acquisitio finis vltimi, constitutionis nimirum totius: sed in acquisitione vltima finis consistit vltimum exercitium actus: ergo in vnione actus cum potentia consistit exercitium vltimum actus, ac proinde formalissime actuat per vnionem: sed perfectio est actus: ergo vltimum exercitium perfectionis consistit in vnione perfectionis cum subiecto: sed vltimum exercitium perfectionis est perficere: ergo quando perfectio vnitur subiecto, perficit illud. Et ratio à priori est, quia impossibile est, quod detur perfectum à perfectione quod non perficiatur ab illa: sed impossibile est quod perficiatur aliquid à perfectione, quin perfectio perficiat id, quod perficitur ab illa, quia vox actiua, & passiua vti synonyma sunt inseparabiles omnino: ergo impossibile est, quod detur perfectum à perfectione, quin perfectio perficiat aliquid, ex quo resultat perfectum, sicut impossibile est, quod ex anima rationali resultet animatum, quin aliquid animetur ab anima; vnde in tantum resultat homo, qui animatus dicitur, in quantum corpus, ex quo resultat animatum, animatur ab anima, quod corpus, quia perficitur ab anima ipsum anima perficit, sed ex perfectione vnita subiecto & ex subiecto ipso resultat vnum perfectũ, quia ex vi vnionis componitur concretum, quod denominatur ab ipsa perfectione tanquam à forma, omne enim concretum resultans ab aliqua formalitate ab ipsa denominatur; sed perfectio vnita subiecto est forma, vel ratio formalis constitutiua concreti resultantis ex illa; quia subiectum potius materiale, quam formale, vt discurrendo per omnia concreta patet: ergo tale concretum denominatur, & constituitur perfectum à perfectione illa, sicut album ab albedine, & dulce à dulcore, seu dulcedine, &c. ergo perfectio vnita subiecto perficit illud, cui vnitur; sed perfectio actus vitalis vnitur Deo, quia constituit illum, & coniungitur ipsi, vt reddat illum amantem ac viuentem: ergo perfectio actus vitalis perficit Deum: ergo Deus perfectibilis est ab ipso, quia ab actu ad potentiam bene valet consequentia, sicut id quod producitur, necessario producibile est, quia si non esset producibile, non produceretur actu: sed id, quod perfectibile est, potentiale, & imperfectum est.

Quia id quod perfectibile est à perfectione, est actuabile ab actu, quia sicut actus, & perfectio sunt synonyma, & identificantur inter se, ita actuabile, & perfectibile identificantur; vnde nullum perfectibile reperietur, quod non sit actuabile à perfectione tanquam ab actu; sed omne actuabile est potentiale, quia omne actuabile est id, cui correspõdet actus, sed id, cui correspondet actus, est potentia & potentiale, nam actus

correspondet potentiæ, & potentia correspondet actui: ergo Deus, qui est perfectibilis per perfectionem, erit actuabilis ab illa, ac tandem erit potentia, & potentiale respectu illius.

Sed vt ex supradictis patet, ex eo quod Deus sit purissimus, & infinitus actus, nullam potentialitatem habet: ergo nullam actuabilitatem habet, ac proinde nullam perfectibilitatem; sed cui negatur potentia, negatur actus: ergo nullo modo perficitur Deus ab actu vitali; atqui negatio perfectionis ab aliqua perfectione, seu negare de aliquo, quod perficiatur à perfectione, solum potest esse ex duplici capite, scilicet, quia subiectum incapax est talis perfectionis; v. g. homo non perficitur, neque potest perfici à subsistentia Angelica, neque ab intellectione diuina, aut ab independentia ab omni causa, quia homo incapax est habendi tales perfectiones, & ex hoc capite non potest Deus non perfici ab actu vitali; v. g. à prædestinatione Beatæ Virginis; quia Deus, non solum non est incapax illius, sed potius de facto habet talem prædestinationem, & amorem ad Virginem. Ex alio capite potest aliquid non perfici, scilicet quia perfectio illa, licet sit in tali subiecto, non distinguitur realiter, aut ex natura rei ab illa perfectione, & ratio est manifesta. Quia perficere non est conceptus absolutus, sed relativus, eo modo, quo cal. facere, dealbare, informare, &c. vnde sicut nihil seipsum dealbat, nihil se ipsum actuat, & informat; ita nihil seipsum perficit; vnde perficere non absolutus conceptus, sed relativus est. Quapropter paternitas diuina neque perficit Patrem æternum, neque essentiam diuinam, & diuinitas neque mediate, neque immediate perficit se ipsam, & nihilominus natura divina saltem mediate perficit naturam humanam, & immediate filiatio seu hypostasis Verbi, & nulla alia ratio est, nisi quia paternitas non distinguitur à Patre, neque divinitas à se ipsa, quia autem distinguitur diuinitas ab humanitate, & filiatio ab ipsa, & vniuntur ipsi per actualem relationem transcendentalem seu per relationem transcendentalem, quæ in vltima actualitate consistit, perficiunt illam.

Itaque ea forma, vel quasi forma perficit subiectum, quod est capax relationis actualis vnionis ad illud, itaque ipsum perficere relatio transcendentalis actualis est; vnde conceptus relativus & non absolutus est; sed conceptus relativus vt distinguitur ab absoluto est ad aliud: ergo perficere ad aliud, & ad distinctum est: ergo perficere realiter petit distinctionem inter perficiens, & perfectum realiter, inter formalitatem, quæ perfectio dicitur, & subiectum in quo est, quapropter duo requiruntur necessario ad perficiendum primum, vt detur perfectio in subiecto; secundum vt talis perfectio distinguatur à parte rei à subiecto, existatque in ipso per veram vnionem, quibus positis, necessario perficitur à parte rei subiectum à perfectione. Vnde impossibile est adhuc de potentia absoluta, quod detur aliqua perfectio in subiecto vnita ipsi, & distincta à parte rei ab ipso subiecto capaci talis perfectionis, & quod non perficiatur à tali perfectione à parte rei, vnde nullo modo potest fieri, vt intellectio creata sit in intellectu, & non perficiat illum, & gratia sanctificans vniatur animæ, & talis anima non perficiatur à gratia; vnde adhuc diuinitus non potest contingere, vt Verbum diuinum vniatur naturæ creatæ capaci obedientialiter talis vnionis, & quod non perficiat humanitatem.

Sed per vos actus vitalis, qui quatenus vitalis est est, viuere diuinum, & viuere diuinum est perfectio, distinguitur à parte rei à Deo, & est in Deo capaci talis actus intrinsece, & per se: ergo impossibile est adhuc divinitus vt talis actus, seu perfectio non actuet, seu perficiat deum, quia impossibile est, quod forma existens in subiecto capaci, non tribuat effectum formalem proprium, quapropter licet effectus secundarius possit separari à forma existente in subiecto capaci diuinitus, vt expulsio caloris à frigiditate existente in subiecto, & expulsio alterius quantitatis à quantitate existente in eodem loco cum alia; nihilominus tamen effectus primarius adhuc diuinitus non potest separari à forma vnita subiecto capaci; & ratio à priori est, quia reddere effectum formalem primarium est formam exhibere se subiecto capaci: sed exhibere se formam subiecto est vnire se subiecto, aut informare illud: ergo impossibile est, quod forma vniatur subiecto capaci, & non tribuat illi suum effectum primarium: sed effectus primarius est reddere subiectum perfectum, & constituere ipsum in esse perfecti: ergo impossibile est quod actus vitalis quatenus perfectio vniatur Deo, & quod non reddat ipsum perfectum, & perficiat ipsum; nam ex vnione perfectionis, & ex subiecto resultat vnum totum concretum denominatum à perfectione ipsa, tanquam à ratione formali talis concreti: ergo resultat vnum perfectum, sed non potest resultare vnum perfectum, quin subiectum perficiatur à perfectione cui vnitur: sicut non potest resultare album ex albedine vnita parieti, quin paries dealbetur ab albedine: ergo non potest resultare ex perfectione actus vitalis, & ex Deo vnum perfectum, quin perfectio vnita Deo perficiat ipsum: ergo Deus perficitur ab actu vitali, ac proinde erit perfectibilis, sed omne perfectibile est imperfectum, quod transit de potentia ad actum: ergo Deus imperfectus est suppositis principiis Caietani; sed hoc adeo absurdum est vt sit hæreticum: ergo principia Caietani, ex quibus id sequitur, & sententia illius adversantur fidei catholicæ, & minime sunt secura in fide, piasque aures offendunt, vt inquit P. Molina *1.p. q. 19. disp. 3. art. 2. §. contraria sententia*, ab illis verbis, censeturque sententia &c.

Toti huic demonstrationi nihil deficere videtur, nisi solum probare, actum liberum vniri vera vnione cum Deo, sed hoc clarissime patet; nam actus liber Dei ex eo quod potest separari ab ipso Deo, vt inquit Caietanus, & supra diximus, distinguitur ab ipso Deo à parte rei; præcipue quia quando existit in Deo, dicitur à Caietano addi realiter ipsi voluntati Dei; additio autem realis sine distinctione in re intelligi non potest, quando ipsa additio talis est vt possit non fieri; sed formalitas distincta constituens Deum in esse vnius amantis, non potest non esse vnita rei, cui additur, vt cum illa constituat vnum; mens enim non capit duas res distinctas venire in vnitatem sine aliqua vnione, & compositione: erit ergo in Deo vnita formalitas illa: igitur debet dari vnio in ipsa respectu Dei; ratio autem à priori manifesta est; quia impossibile est vt detur in effectu formali aliqua formalitas, quæ non contineatur in causa, sed in effectu, vel quasi effectu formali; v. g. vnius Dei volentis creaturam datur vnitas formalissime, quia non est plures volentes: ergo hæc vnitas debet reperiri in causis, seu

seu constitutiuis Dei volentis, sed vnitas est indiuisio: ergo indiuisio debet dari inter actum liberum, & Deum, qui coëunt ad constitutionem Dei volentis: atqui duplex tantum indiuisio potest assignari, alia indiuisio simplicitatis, seu identitatis, alia compositionis, & vnionis; sed inter actum liberum, & Deum, ex quibus coalescit vnus Deus volens, non datur indiuisio, seu vnitas identitatis, & simplicitatis, quia non sunt idem, sed potius distinguatur à parte rei: ergo datur inter Deum, & actum liberum, vnitas, & indiuisio compositionis & vnionis, quia si neque daretur indentitas, neque vnio, nulla daretur indiuisio inter constitutiua Dei volentis: ergo daretur diuisio inter illa: ergo in effectu formali non potest dari vnitas, quia iam daretur in effectu formali, quatenus constituitur, à suis constitutivis ratio opposita ei, quæ reperitur in ipsis, quod est falsissimum, alias albedo posset constituere nigrum, lux tenebrosum, negatio affirmativum, & relatio absolutum, quod est omnino absurdum, quia non solum effectu datur ratio opposita causæ vel quasi causæ, sed potius nihil est in effectu vel quasi effectu formali, quod formaliter non contineatur in causis, vel quasi causis constituentibus ipsum: atqui diuisio & pluralitas opponuntur vnitati, & indiuisioni: ergo à causis omnino diuisis vel à constitutis vt melius loquar, in quibus nullo modo est vnitas, nullo modo potest constitui concretum vnum; atqui ex actu libero & Deo resultat & constituitur vnus Deus volens: ergo vnitas illius relucet formaliter in constitutiuis illius, scilicet in actu libero & Deo: ergo in ipsis datur indiuisio, & vnitas, quæ cum non possit esse identitatis, & simplicitatis, necessario erit vnionis, & compositionis: erit ergo perfectio actus vitalis vnita Deo.

Sed perfectio vnita subiecto capaci illius perficit illud, & subiectum perficitur ab illa, perfectibileque est respectu eiusdem: ergo Deus perficitur, & perfectibilis est ab actu vitali: ergo imperfectus est Deus.

## SVBSECTIO II.

*In qua amplius confirmantur dicta.*

383 QVia id, quod capax est formalitatis imperfectæ, seu imperfectionis, tanquam exercitium proprij, est imperfectum: atqui Deus est capax actualis vitæ tanquam exercitij, quæ maximam imperfectionem habet, & imperfecta maxime est secundum vestra principia: ergo Deus secundum illa maxime imperfectus est. Maior est evidens, ideo Deus est intellectivus quia est capax, tanquam proprij exercitij intrinseci actualis intellectionis, & ideo creatura est peccabilis, quia est capax exercitij peccati intrinsece inficiētis ipsam. Itaque talis est actus primus secundum proportionem, qualis est actus secundus intrinsecus perficiens ipsum; vnde quia creatura habet pro exercitio formalitates habentes imperfectionem, imperfecta dicitur.

Minor prima & præcipua, in qua est tota difficultas manifeste, & evidenter sic demonstratur, quia omne corruptibile, & potest desinere esse, habet omnium imperfectionum maximam, & radicem vniuersalem omnis imperfectionis, quæ fundatur in limitatione, & finitudine, quæ etiam prima imperfectio est; quapropter si Deus per impossibile esset corruptibilis, & posset desinere esse, & destrui in esse, ac tandem non haberet esse omnino necessarium, sine dubio non esset à se, & independens, ac imparticipatum, & per consequens non esset infinitum simpliciter, vt patet ex supra dictis, ex quo sequeretur evidenter, esse ab alio dependentem, finitum simpliciter, & limitatum, quæ sunt maxime imperfectiones.

Sed actus liber Dei per vos potest non esse in Deo, & non est omnino necessarius inesse, & ideo per vos potuit ab esse à Deo, si noluisset: ergo est ab alio dependens, finitus, & limitatus: ergo habet maximas imperfectiones, quare licet habeat aliquam perfectionem, sicut etiam actus vitalis creaturæ habet illam, nihilominus illa non erit pura perfectio, sed admixta in numeris imperfectionibus, eo modo quo etiam actus vitalis creatus admiscetur illis.

Confirmatur totus hic discursus, quia omnis ratio formalis vnita subiecto capaci illius, constituit ipsum subiectum secundum formalitatem, quam ipsa habet in se; & ideo quatenus perfectio constituit ipsum perfectum: sed perfectio illa non est pura perfectio, sed admixta imperfectionibus: ergo non reddit subiectum pure perfectum, sed potius admixtum imperfectionibus, à quibus potius imperfectum absolute denominari debet quam à perfectione, cui admiscentur perfectum debet appellari, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu: ergo actus liber Dei, qui est perfectio admixta imperfectionibus, vt patet ex dictis secundum vestra principia vnitus Deo, reddet ipsum simpliciter, & absolute imperfectum etiam si secundum quid constituatur perfectus ab illis.

Vnde hoc argumentum potius vrgeret, & magis cogeret aduersarios ad fatendum id quod dicimus, si dicatur: actus liber Dei esse idem cum Deo, & non distingui à parte rei ab ipso; nam actus liber Dei habet imperfectionem non necessario existendi, &c. ergo idem ipse habet tales imperfectiones, & est imperfectus ab illis: sed actus liber est idem ipse Deus: ergo idem ipse Deus habet imperfectiones supra dictas, & est imperfectus ab illis, alias idem haberet, & non haberet simul imperfectiones quod omnino repugnat, quia impossibile est, idem simul esse, & non esse: sed hæc omnia sunt absurda hæretica: ergo ne illa verificentur de Deo, dicendum est, actum liberum Dei necessario habere esse, & non potuisse non esse. Et sic falsissima est opinio Caietani.

Dices, licet actus liber Dei simpliciter potuerit non esse, nihilominus ex suppositione, quod semel est, non potest non esse.

Sed contra manifeste; quia hoc ipsum, scilicet non esse ens absolute, ac simpliciter, & intrinsecè necessarium, & absque vlla suppositione, seu hypothesi, hoc est absolute, & simpliciter posse non esse, est magna imperfectio; vnde si essentiæ diuinæ aliquis appingeret, & tribueret, quod simpliciter posset non esse, etiamsi ex suppositione, quod est, non posset, non esse maximā imperfectionem tribueret illi; sed per vos actus liber Dei, licet ex suppositione non possit non esse, nihilominus absolute, ac simpliciter potuit non esse: ergo absolute, ac simpliciter est imperfectus, præsertim quia quod ex suppositione non possit non esse; non habet ex se, sed ad summum ex immobilitate, & constantia

stantia diuinæ voluntatis ; tamen si consideratur conditio , & natura illius perfectionis liberæ ei ex se non repugnabit, iterum non esse, cum absolute non sit ens necessarium; vnde ab extrinseco solum , & non ab intrinseco est incorruptibilis , sicut v. g. Angelus ex suppositione quod Deus decreuit ipsum durare in æternum non potest non esse ; sed quia hoc est ab extrinseco , ex constantia diuinæ voluntatis decernentis , non corrumpi talem Angelum, ille non potest non durare : sed hoc non tollit imperfectionem contingentiæ ab intrinseco illius, ratione cuius non repugnat illi corruptio , desitio , seu annihilatio: ergo similiter actus liber Dei, licet ex suppositione decreti Dei de non destruendo illum non possit non esse, nihilominus hæc suppositio non tollet, quin habeat imperfectionem contingentiæ ab intrinseco essendi, & non essendi : ergo simpliciter est imperfectus.

Fulcitur hæc ratio, quia hic actus liber Dei est eiusdem rationis cum aliis actibus liberis , quos nunc non habet Deus , & potuit habere : sed illi actus , qui nunc non sunt , & sunt in statu puræ possibilitatis, nullam habent existentiam , & sic possibilitas eorum est separata ab eorum existentia : ergo nullam habet possibilitas connexionem necessariam cum existentia vnionis actualis ab intrinseco, & essentialiter, imo neque ab intrinseco naturaliter : nam si talem connexionem vnionis actualis haberent essentialiter , nunquam essent separatæ , sed potius semper essent vnitæ actualiter possibilitas actus liberi , & existentia eius; sed actu non sunt vnitæ, siquidem multi sunt possibiles actus liberi qui actu non existunt, v.g. in sententia Thomistarum, ideo ab æterno prædicatum essentiale rationalis est vnitum cum animali , ac proinde nunquam possunt separari rationale, & animal, quia vniuntur, & connectuntur essentialiter, quapropter si videremus ab æterno rationale diuisum ab animali, euidenter dicendum esset, non vniri essentialiter, & quando vnitur non repugnare illi, vt diuidatur, quia talis diuisio, supposito quod de facto conuenit illi , non repugnat ipsi, neque vnio repugnat etiam ipsi , ac proinde quantum est de se ab intrinseco , potest sine repugnantia vtrumque habere ex se , etiam si semel vniatur.

Verbi gratia , quia videmus possibilitatem alicuius creaturæ actu esse diuisam ab eius existentia, & actu manere in statu puræ possibilitatis, iudicamus talem diuisionem illi naturaliter conuenire & quia videmus possibilitatem respicere existentiam, iudicamus non repugnare illi vnionem cum existentia. Itaque vtrumque posse habere ab intrinseco, scilicet existentiam , & carentiam illius. Ex quo amplius discurrendo dicimus , cum creaturæ , quæ de facto habent existentiam, sint eiusdem rationis cum illis , quæ pure possibiles sunt ; ita actu habere existentiam beneficio Dei vt ab intrinseco, & quantum est de se, non repugnet illis carere existentiam , & redire ad statum puræ possibilitatis ; quia contrariorum eadem est disciplina , & ratio ; sed creaturis habentibus carentiam existentiæ , adhuc ex suppositione quod habeant illam , non repugnat desinere talem carentiam , & inducere existentiam oppositam tali carentiæ : ergo è contra creaturæ habenti existentiam, adhuc ex suppositione , quod illam habeat, non repugnat carere illa , & quod auferatur ab ipsa.

Et ratio est , quia sicut Deus libere omnino à principio tribuit illi existentiam , ita postquam tribuit libere omnino conseruat cum illa ; quia semper Deus conseruat dominium plenum circa illam.

Sed actus liber Dei, qui nunc est, & ille , qui nunc non est & potuit esse, sunt eiusdem rationis , quantum ab intrinseco ; si quidem sunt duæ volitiones de creando ipso mundo , & actus liber , qui nunc non est , & potuit esse ; ita habet carentiam existentiæ , vt adhuc ex suppositione , quod illam habeat , quantum est de se ab intrinseco , illi non repugnet desinere talem carentiam, & habere oppositam existentiam : ergo è contra actus liber Dei , qui nunc existit ita habet existentiam , vt illi non repugnet ab intrinseco privari existentia , & habere carentiam illius ; nam sicut Deus libere dedit tali actui , quod existat primo, ita postquam existit, potuit Deus non conseruare actum in sua existentia : ergo ab intrinseco actus liber Dei est omnino corruptibilis, annihilabilis & destructibilis , ac proinde ab intrinseco contingens ad essendum , & non essendum : ergo maximam imperfectionem habet actus liber Dei , ac proinde reddet Deum omnino imperfectum.

Quod amplius euidenter patet , quia illi actus, qui non sunt, & potuerunt esse absolute , nihil sunt nunc , & cum esse potuissent habent suam non repugnantiam ad essendum; atque adeo sunt simpliciter possibiles obiectiue ; hæc autem est quasi transcendentalis imperfectio creaturarum, imo sancti omnes radicem omnium imperfectionum creaturarum omnium in hoc ponunt , quod ex se sunt nihil, id est non sunt actu, ex quo necessario consequitur , quod isti actus , quando sunt, non possunt esse suum quidditatiue, & essentialiter; nam ens, quod huiusmodi est, nunquam potest concipi , aut esse sub nihilo; ens autem quod non est essentialiter suum esse est ens participatum, finitum, & imperfectum.

Ex quibus euidenter colligitur, talem actum liberum qui actu non est, & potuit esse & nunc pure possibilis est, ac proinde simpliciter & absolute non est, aut nihil est , essentialiter à parte rei distingui à Deo , neque à parte rei esse identificatum cum ipso , aut posse identificari cum eodem. Patet consequentia; quia id, quod essentialiter & necessario est, & nullo modo potest non esse, & de cuius essentia est ipsa existentia actualis, & se ipso necessario, & essentialiter existit, habet prædicata essentialia, & quidditatiua, quæ non habet id quod actu non est, & contingenter potest esse; nam primo non habet pro essentia & quidditate existentiam. Secundo non habet pro prædicato essentiali esse à se, quoad existentiam. Item esse incapax priuationis existentiæ, sicut habet Deus : atqui subiecta ea, quæ ita se habent, vt vnum habeat prædicata essentialia quæ alterum non continet, sine dubio distinguuntur essentialiter à parte rei, vt videre est in homine, & Angelo, equo & leone, qui ideo distinguuntur essentialiter, quia non habent à parte rei eadem prædicata quidditatiua, & essentialia. Et ratio est quam tribuit Aristoteles , cum dixit , essentias esse sicut numerus ; nam sicut numerus distinguitur essentialiter ab alio per solam ablationem, vel additionem vnitatis; ita similiter essentiæ distinguuntur per negationem, aut affirmationem prædicatorum essentialium , hoc est per distincta prædicata essentialia, quæ reperiuntur in subiectis : ergo si Deus habet supradicta prædicata essentialia infinitudinis

simpliciter

simpliciter in omni genere, existentiæ à seipso &c. quæ minime habet actus liber, qui nunc non existit, & potuit existere (alias si esset à se essentialiter, quod est esse infinitum simpliciter, simpliciter, & necessario existeret, & nunquam posset esse sine existentia, vt videre est in Deo) sine dubio Deus, & talis actus liber distinguentur essentialiter & à parte rei sine vlla fictione, præcipue quia Deus actu existit à parte rei, & actu est ens simpliciter, & actus ille liber à parte rei non est ens simpliciter, quia actu vere, & realiter non existit, licet potuerit existere, nam separantur realiter, & sic distinguuntur.

Ex quo amplius colligo nullo modo posse identificari cum Deo, etiam si daretur in ipso Deo; quia ea, quæ à parte rei distinguuntur essentialiter & quidditative, nullo modo possunt identificari, vt videre est in homine, & equo, albedine, & nigredine, qualitate, & substantia, v. g. substantia panis nullo modo potest identificari à parte rei cum accidentibus panis, vnde quando identificantur per intellectum duæ essentiæ distinctæ, dicimus fieri chymæram, & impossibile adeo magnum, vt implicet contradictionem, ratione cuius Deus adhuc per potentiam absolutam non possit talem identificationem facere, & tota ratio est, propter distinctionem essentialem realem, quam habent; sed etiam actus liber Dei, qui nunc non est & potuit esse, distinguuntur quidditative, & essentialiter à parte rei: ergo non possunt identificari à parte rei.

Vnde vltimum corollarium eruimus dicendo, actum liberum, qui de facto est in Deo, non solum non identificari cum deo, sed neque posse vllo modo identificari cum ipso, quia etiam quidditatiue, & essentialiter distinguuntur deus, & actus liber illius, quia actus liber non habet pro prædicato essentiali existentiam, neque existit à se essentialiter, quia per vos actus ille qui existit, ex eo quod liber est, potuit non existere in deo à parte rei; atqui si de essentia eius esset existentia, ac proinde si esset à se existens, nunquam potuisset non existere, quia res nunquam potest non habere omnia sua prædicata essentialia; sicut homo non potest esse sine rationalitate, & deus non potest esse sine sua existentia: sed actus liber, qui nunc est, potuit non habere existentiam, quam habet: ergo existentia non est prædicatum essentiale actus liberi, qui nunc est: ergo actus liber, qui nunc est, non est à se: ergo ab alio: ergo essentialiter non est infinitus in omni genere; quod concedit Caietanus, & ideo dicit, actum liberum Dei non esse magnam perfectionem, vel simpliciter simplicem, sed potius perfectionem secundum quid, & diminutam, deum autem, & essentiam eius esse perfectionem summam infinitam simpliciter in omni genere, ac per consequens perfectionem simpliciter simplicem sine limite, & sic actum liberum esse contingentem essentialiter, ratione cuius potuisse non esse, Deum autem è contra essentialiter esse necessarium, & nunquam potuisse non esse: ergo Caietanus aperte & evidenter fatetur essentialiter distingui deum, & actum liberum actu existentem in ipso: ergo evidenter, & essentialiter debet concedere, non posse actum liberum existentem in deo identificari cum ipso deo; vnde falso asserit ipse, quod licet actus antequam existat in Deo distinguatur ab ipso, nihilominus actum existentem postquam existit identificari cum ipso.

Et vrgetur, quia actus liber, qui nunc non est, & potuit esse est eiusdem rationis cum cæteris actibus, qui nunc existunt, sed illi vt probatum manet, non possunt identificari cum ipso deo: ergo neque actus, qui nunc existit identificatur, & ratio vniuersalis est, quia etiam hæc perfectio libera ex se prius natura fuit sub esse possibili quam actuali, & habet essentiam possibilem, quæ quantum est ex se potuisset non actu esse, huiusmodi autem res eiusdem est essentiæ, sive actu existat, siue non: ergo eandem distinctionem retinet à quacunque alia essentia, à qua ex se distinguitur, id esse essentiæ eo vel maxime, quod necesse est etiam esse existentiæ esse distinctum à parte rei in huiusmodi rebus; nam esse existentiæ voluntatis diuinæ est esse per essentiam intrinsecè necessarium, esse autem existentiæ illius perfectionis liberæ non est ita necessarium, sed absolute loquendo potuisset non esse: ergo impossibile est quod tale esse sit vnum, & omnino idem in re ipsa: sunt ergo impossibilia, & repugnantia illa duo, quæ simul coniungit illa sententia, scilicet esse perfectionem liberam realem & quæ absolute posset non esse, & nihilominus quando est, non esse in re distinctam à perfectione necessaria dei, & voluntatis eius.

Ex quibus cum Patre Suarez vnum, & maximum inconveniens eruitur contra Caietanum, videlicet aliquid, quod ex se est nihil, & reipsa posset manere sub nihilo, esse vere, formaliter, ac essentialiter deum, & è conuerso aliquid, quod nunc est vere, & essentialiter Deus, tale esse quod absolute loquendo posset non esse, hoc autem maxime pugnat cum Deo. Sequela videtur evidens ex his, quæ docet illa sententia, nam si perfectio libera in re non distinguitur ab essentia Dei: ergo includit in se totam perfectionem diuinæ essentiæ: ergo est essentialiter deus. Item quia vel illa perfectio est deus, vel non? si non est Deus, sequuntur multa inconuenientia supra illata, nimirum aliquid esse in Deo, quod non est Deus, vel (quod mirabilius est) aliquid esse omnino idem cum Deo, quod tamen non sit Deus. Item si non est Deus, nec substantia increata erit: ergo vel erit substantia creata, vel accidens, & nihilominus erit aliquid indistinctum à Deo, quæ omnia, & similia sunt absurda, & repugnantia. Si autem illa perfectio libera est vere Deus: ergo est essentialiter Deus, quia non est Deus per participationem, sed verus Deus; nulla autem res potest esse verus Deus participatiuè, aut accidentaliter: ergo necesse est, vt sit essentialiter Deus. Probatur iam falsitas consequentis, nam cum Deus sit ens per se necessarium, & hoc sit maxime proprium eius, & in quo primario distinguitur à quolibet alio ente, impossibile est, quod aliquod ens liberum sit essentialiter Deus.

Et declaratur hoc ex quadam recepta doctrina Sanctorum, & Theologorum omnium, qui docent, processiones diuinas ad intra, etsi voluntariæ sint, non tamen posse esse liberas propria libertate indifferentiæ; quoniam quælibet persona procedens est verus Deus, cui repugnat indifferentia ad esse, & non esse, quia de ratione eius est intrinseca necessitas essendi; vnde hæretici Ariani, vt docerent, Filium esse creaturam, asserebant voluntate Patris libera fuisse productum, quam consequtionem Concilia, & Sancti Patres, existimauerunt necessariam, & ideo antecedens illud hæresis damnarunt, vt videre est in Hylario

*lib. de synodis anathemate. 24.* & in Concilio Toletano 11. *in confessione fidei*, & Augustino *15. de Trinit cap. 10.* & D. Thoma *1. p. q. 41. art. 2.* & alijs Theologis; existimarunt ergo esse impossibile aliquid, quod ex voluntate libera habet, vt sit vel non sit esse Deum. Et similiter existimarunt, impossibile aliquid reale esse intra Deum, quod simpliciter loquendo possit esse, & non esse, vnde si interrogemus à Caietano, cur relatio Paternitatis creatæ, cur iustitia, misericordia, intellectus, &c. possint esse, & non esse habereque contingentiam ad essendum, & non essendum. Item cur substantia quæcunque creata siue spiritualis, siue corporea sit, possit esse, & non esse formaliter à parte rei, & non repugnet illi ab intrinseco, quod destruatur; è contra vero si quæratur ab aduersarijs, cur paternitas diuina, iustitia, misericordia, sapientia, & reliqua attributa diuina nullam habeant contingentiam formalem ad essendum & non essendum, nullamque indifferentiam habeant ad hoc, vt desinant esse, imo illis repugnat, quod potuerint non esse, certe respondebunt, quia tales perfectiones sunt diuinæ identificatæ cum Deo, qui per essentiam existit, & à se est, ac proinde illi omnino repugnat, aut posse amittere existentiam, aut potuisse non existere; quia est omnino, ac simpliciter necessarium ens.

Sed per vos non minus identificatur actus liber Dei, qui existit in ipso, cum Deo; quam relationes diuinæ & attributa absoluta: ergo euidenter sequitur, sicut attributa, & relationes sunt omnino necessaria à se sine vlla contingentia ad essendum, & non essendum; & sicut nullo modo potuerunt non esse; ita similiter actum liberum existentem esse à se omnino necessarium sine vlla contingentia formali, ac per consequens sine eo, quod potuerit non esse. Quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus formalis; sed tota ratio formalis, propter quam attributa diuina, & relationes nunquam potuerunt non esse, est quia sunt ipse Deus ratione identitatis cum ipso, cui omnino repugnat potuisse non esse; quæ ratio formalis identitatis cum Deo per vos reperitur in actu libero actu existente, & sic est ipse Deus: ergo in actu libero datur idem effectus, vel quasi effectus formalis videlicet, quod illi omnino repugnet potuisse non esse; vnde si habet contingentiam formalem, ita vt potuerit non esse, sine dubio distinguetur realiter à Deo, cui repugnat talis contingentia; quis enim sibi persuadeat dari realitatem quandam, seu perfectionem realem ex se indifferentem, vt sit nihil, vel vt sit Deus; quod non solum incredibile est, sed etiam grauiter offendit aures pias; tum quia illamet indifferentia est magna imperfectio & consequenter repugnat ei vt formaliter possit esse in Deo identificata cum ipso; tum etiã quia illa indifferentia repugnat cum esse Dei, de cuius intrinseco conceptu est necessitas essendi; vnde in ipsis terminis involuitur contradictio, cum implicet omnino duas res includentes in suis proprijs conceptibus oppositas, ac repugnantes rationes, esse indifferentes, vt distinguantur, & identificentur; sed Deus, & hæc perfectio libera habent omnino oppositas rationes; nam Deus est ens necessarium, cui ex vi propriæ differentiæ repugnat indifferentia ad esse & ad potuisse non esse, quia illi conuenit essentialiter determinatio ad existentiam, actui vero libero per vos ex vi suæ differentiæ conuenit indifferentia ad esse, & potuisse non esse: ergo impossibile est, vt in eandem omnino simplicem, & indiuisibilem entitatem coalescant.

Quod amplius declaratur, quia sicut implicat posse diuidi, & distingui realiter ea, quæ semel identificantur; ita similiter omnino repugnat, ea, quæ semel distinguuntur, posse identificari inter se. Vnde tantum repugnat Petrum distingui realiter à se ipso, quantum repugnat, Petrum, & Paulum, qui distinguuntur realiter, posse identificari aliquando; sed actus liber Dei, qui actu non est, & potuit esse, actu distinguitur à Deo, tanquam nihil ab ente, vel tanquam ens à non ente, vel tandem tanquam ens actu ab ente purè possibili, quæ distinctio nullo modo est ficta per intellectum, sed potius datur à parte rei, & in ipsis rebus conspicitur, quapropter si illa duo considerentur secundum esse essentiæ, distinguuntur maxime ex natura rei, non solum distinctione quomodocunque reali, verum etiam prima diuersitate: ergo implicat contradictionem, quod potuerunt identificari inter se actus liber, & Deus, quia alias Deus imperfectissimus esset; siquidem ex ipso actu libero identificato cum Deo refunderetur in Deum imperfectio maxima indifferentiæ ad essendum, & non essendum dictæ, ideo enim creatura habet summam imperfectionem, quia habet contingentiam similem huic, quæ reperitur per vos in actu libero; sed etiam illa imperfectio reperiretur in Deo ratione identitatis cum actu libero: ergo Deus ratione talis identitatis esset imperfectissimus.

Tandem hoc ipsum amplius confirmatur, quia si Deus haberet tales actus liberos, quales ponit Caietanus, Deus non esset perfectio simpliciter simplex in essentia sua absoluta: sed quod absolutum est, & non est perfectio simpliciter simplex, non solum est perfectio secundum quid sine imperfectione, sed potius est perfectio secundum quid cum imperfectione, ac proinde potius imperfectio simpliciter, quam perfectio dicenda est, & hoc euenit ex diferimine inter perfectionem absolutam, & relatiuam reperto; nam perfectio relatiua ex extrinseca ratione habet, vt non possit esse perfectio simpliciter absque vlla imperfectione; quia illa oppositio non est imperfectio, neque excludit à singulis relationibus omnem aliam perfectionem simpliciter, & infinitatem in genere entis simul cum infinita perfectione in proprio genere; at vero perfectio absoluta ex hac generali ratione non habet, quod non sit perfectio simpliciter, alias nulla esse posset perfectio simpliciter: ergo quod aliqua perfectio absoluta non sit simpliciter perfectio semper prouenit ex imperfectione admixta; nam cum ex communi ratione perfectionis absolutæ non habeat repugnantiam cum aliqua alia perfectione maiori, vel æquali, quod secundum propriam rationem talem repugnantiam habeat, non est sine imperfectione, maxime quia omnis oppositio inter absoluta semper includit imperfectionem saltem ex parte alterius extremi, quod imperfectum est; itaque omne quod non est perfectio simpliciter excludit simpliciter perfectionem; sed non excludit ratione relationis si absoluta est: ergo excludit ratione purè entiæ perfectionis, quæ imperfectio est: ergo absolutum, quod non est perfectio simpliciter imperfectio est, quapropter si Deus secundum essentiam

essentiam absolutam non est perfectio simpliciter simplex, dicet imperfectionem simpliciter.

Sequela illa maioris primæ, ac præcipuæ sic probatur; quia ea essentia, cuius attributa non sunt perfectiones simpliciter simplices, non est perfectio simpliciter simplex; nam eo modo sunt attributa absoluta, quo est essentia, quam consequuntur talia attributa, præcipue quando attributa, & essentia sunt idem vt contingit in Deo, quia impossibile est, idem esse perfectionem simpliciter simplicem. & non perfectionem simpliciter simplicem; sed si actus liberi Dei ponerentur in Deo, vt ponuntur à Caietano, contingentes ad essendum, & non essendum, & vt absolutæ perfectiones non simpliciter, sed secundum quid; ac proinde cum imperfectionibus attributa diuina absoluta dicerent imperfectionem simpliciter: ergo si darentur in Deo, actus liberi vt ponuntur à Caietano, Deus in sua essentia non esset perfectio simpliciter simplex, &c.

Minor sic probatur, quia actus liberi Dei sunt virtutes diuinæ morales, v.g. iustitia misericordia, charitas, &c. sed virtutes huiusmodi in sententia omnium Theologorum, & in ipsius Caietani opinione quatenus sunt infinitæ, sunt attributa, & perfectiones diuinæ: sed actus liberi Dei per vos huiusmodi sunt absolutæ formalitates, & non sunt perfectiones simpliciter simplices, sed potius secundum quid habentes contingentiam supradictam, & reliquas imperfectiones numeratas: ergo si actus liberi Dei sunt vt à Caietano ponuntur; attributa diuina absoluta non erunt perfectiones simpliciter simplices.

Respondet Caietanus, attributa diuina esse perfectiones simpliciter simplices, quia talia non sunt liberalitas, iustitia, misericordia in actu secundo, sed potius in actu primo, & quatenus sunt potentiæ ad huiusmodi actus in actu secundo.

Sed contra manifeste primo, quia perfectius est absolute, ac simpliciter habere perfectiones in actu secundo quam in actu primo; vnde melius cognoscere Deum, & videre ipsum per visionem beatificam, quam posse videre ipsum. Sicut melius & perfectius est amare Deum, quam posse amare, ipsum; sicut perfectius est viuere, & habere vitam actualem, quam posse viuere, & sicut turpius, & peius est odisse Deum, quam posse odio habere illum, & imperfectius est peccare lætabiliter quam posse peccare, sed contrariorum eadem est disciplina, & ratio oppositio modo: ergo perfectius erit, & melius habere perfectiones in actu secundo quam in actu primo; vnde D. Thomas non concedit in Deo à parte rei potentiam rigorosam ad intelligendum, sed potius purissimum, & actuale intelligere; imo ipse Caietanus acriter inuehitur in illos qui dicunt, essentiam Dei non esse actuale existere; sed potentiam ad existendum; atqui Deo per vos, & secundum fidem, & rationem naturalem debemus tribuere perfectiones perfectiori modo, quo possumus intelligere, quia vt supra demonstrauimus Deus est quid perfectius, & melius omni alio, quod possumus excogitare: ergo attributa diuina, & perfectiones potius in actu secundo sunt ponendæ, quam in actu primo: sed in actu secundo sunt perfectiones secundum quid, & non simpliciter per vos: ergo attributa diuina, & proprietates eius absolutæ non erunt perfectiones simpliciter simplices, sed potius secundum quid, & imperfectiones simpliciter.

Vrgetur, quia magnam imperfectionem tribuit Deo Caietanus, ponens in illo actum primum proprium & separabilem à secundo & actuabilem per illum.

Dices talem actum primum semper esse reductum ad aliquem actum secundum; ac proinde non dicere illam imperfectionem.

Sed contra manifeste; quia per te Angelus semper est in actu secundo intelligendi se ipsum, & amandi se, & nihilominus per te Deus perfectiori modo se habet in intellectione, & amore sui, quam Angelus, cuius rationem tribuis; quia Angelus imperfecte se habet in hoc, eo quod intelligat, non per suam ipsam substantiam, vt Deus; sed per actum exercentem potentiam distinctam realiter ab ipso actu; nam habere potentiam informabilem ab actu, est maxima imperfectio opposita summæ actualitati, qualem habet Deus: sed per vos etiam si Deus habeat potentiam reductam ad actum, habet nihilominus veram potentiam distinctam realiter ab actu secundo informabilem per illum vt Angelus: ergo habet eandem imperfectionem, quam Angelus.

Deinde, quia hoc quod est esse in aliquo actu secundo non excludit, quin respectu infinitorum actuum secundorum sit verè actus primus, & vera potentia, quia respectu infinitorum decretorum quæ actu non habet, & potest habere ex se est in potentia, quia caret illis, & est capax ad illa & per illa decreta constitueretur in actu vltimo.

Item nulla ratio reddi potest, cur potius talis actus primus sit perfectio simpliciter, quam talis actus secundus, nisi assignando aliquam imperfectionem adiunctam, & ea quæ in ipsismet terminis actus primi, & secundi imbibitur, potest assignari; illa tamé satis declarat talem actum, tam secundum, quam primum non posse esse perfectionem simpliciter: quia neuter est actus purus, cum inter se comparentur vt potentia, & actus. Præterea, quia actus vltimus immanens perfectior est, quam potentia, vt iam dixi; sed in Deo est perfectio simpliciter simplex potestas libera ad volendum creare: ergo à fortiori ipsa volitio actualis est perfectio simpliciter simplex; & è contra, si actus liber immanens, qui ex suo conceptu petit, quod sit perfectior, quia est actus vltimus, non est perfectio simpliciter simplex, à fortiori potentia, seu actus primus qui ex suo genere imperfectior est, non erit perfectio simpliciter simplex, præsertim, quia actus primus respectu actus vitalis distincti realiter ab ipso actu primo, non solum est potentia actiua, sed etiam passiua, vt videbimus *subsectione sequenti*; sed potentia passiua est imperfecta: ergo talis actus primus imperfectus est, & sic non erit perfectio simpliciter simplex; vnde attributa & proprietates diuinæ non erunt tales, sed potius inuoluent imperfectionem; sed talis est essentia qualia sunt attributa, & proprietates: ergo si proprietates, & attributa Dei dicunt imperfectionem, & non sunt perfectiones simpliciter simplices, ipsa essentia non erit perfectio simpliciter simplex, sed potius erit imperfectissima.

Tum quia est idem cum illis attributis, tum etiam quia tota essentia Dei per vos non includit hanc realem perfectionem actus liberi, sed est capax vt illa superaddita perficiatur, vel careat hac perfectione, est autem inconueniens hæc capacitas, & quasi potentialitas in essentia Dei, tota integra; ex quo sequitur secundum inconueniens, videlicet, vt hæc capacitas par-

tim sit perfecta per actum, partim careat ea perfectione actuali, cuius erat capax, videlicet volitionibus liberis creandi alios mundos; vnde sequitur tertium inconueniens, quod tota hæc capacitas potuisset omni sua perfectione carere, saltem ea, quæ consistit in volitione positiua creandi, quæ quamvis ex eo quod volitio libera sit, non foret perfectio simpliciter, sed tantum esset perfectio secundum quid; si tamen poterat Deo conuenire sine imperfectione, Deus non debuisset illa carere, si vel minima perfectione Deum perficit; v.g diuinitas petit relationes diuinas, quæ non sunt perfectiones simpliciter simplices, sed solum vocantur perfectiones in genere relativo; eo quod petit illas, & est capax illarum, necessario habet illas in actu, quia in æternis, & diuinis idem est actu esse, ac posse; quia Deus numquam est in potentia ad propriam perfectionem.

## SVBSECTIO III.

*In qua tertium argumentum principale ponitur contra aduersarios.*

QVia in Deo secundum fidem catholicam nullum potest dari accidens reale intrinsecum ipsi Deo: sed ex sententia Caietani evidenter sequitur, actus liberos Dei esse vera, & realia accidentia intrinsecè existentia in Deo: ergo actus liberi Dei nequaquam sunt in Deo eo modo quo ponuntur à Caietano.

Maior est certa & infallibilis, & patet 1. ex scriptura, quæ quadrifariam indicat in Deo nulla esse accidentia, sed quidquid in ipso est, esse substantiam: primo cũ significat Deum esse perfectissimum ens, & nullam rem posse cum illo comparari, vt constat clare ex locis supracitatis: sed non est ens perfectissimum quod indiget accidentibus, ad sui perfectionem: ergo. Deinde cum ea, quæ in creaturis accidentia sunt, tribuit soli Deo tanquam per se existentia, & subsistentia, quia scilicet ipsi soli conueniunt, & ipsius essentiam, atque adeo perfectissimo modo, vt potentia prima *ad Thimot. 6.* fortitudo. 1. *Regum* 2. Iustitia 2. *Machab.* 1. Tertio cum ea item, quæ in creaturis accidentia sunt, in abstracto etiam significata affirmat, esse Deum ipsum, aut Deum esse illa; quo ipso indicat, illa esse substantiam eam, quæ Deus est vt *Proverbior.* 8. Filius Dei qui vera substantia est, vocat se Sapientiam, & *Ioann.* 1. Deus erat verbum, *&* *Ioan.* 14. Ego sum veritas, *&*. 1. *Corinth.* 1. Christum Dei sapientiam &c. quarto denique cum affirmat, Deum esse omnino immutabilem. *Numer.* 23. *Psalm.* 101. *Iacobi.* 1. &c. omne enim illud, quod accidentibus subiectum est, videmus habere aliqua accidentia, secundum quæ sit mutabile.

Secundo, eadem maior probatur ex Sanctis Patribus qui eam manifeste docent, & 1. Sanctus Cyrillus. *lib.* 11. *thesauri*, *cap.* 1. ibi: [accidens Deo nullum in esse potest, perfecto enim ex se ipso nihil potest accidere] & infra amplius id explicat his verbis: [sapienter certe dicitur nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in se ipsa perfecta est; sed tamen cogimur non nunquam quasi accidentia, etiam si non omnino accidant Deo hæc dicere, & mente accidentium modo concipere] quod aperte docuit S. Leo Pontifex maximus *Epistola decretali.* 93. *ad Toribium. cap.* 5. *ibi.* [solus Deus nullius participationis est indigens, de quo quidquid digne vtcunque sentitur, non qualitas est, sed essentia, incommutabili enim nihil accidit, nihil deperit, quia esse illi quod est, semper æternum, semper proprium ei est;] nempe intime & substantialiter, vbi Sanctus Doctor maximum inconueniens asserit, quod Deus habeat accidentia, quia ex hoc summum absurdum contra fidem sequeretur, videlicet Deum esse ens participatum, & perfectionum extranearum indigentem; nam ex eo quod Deus nullius participationis est indigens, sed est à se, arguit Sanctus Doctor nullo accidente perfici, & iure quidem optimo, quia cum sit ens primum, est per essentiam suam ipsum esse plenissime habens optimo modo quidquid perfectionis ad totum ambitum esse, seu entis pertinet: ergo per suam ipsam essentiam, & entitatem simplicissimam habet quidquid ad eius perfectionem necessarium est: ergo ad illam non indiget formalitatibus accidentibus illi, seu quæ accidentia vocantur, & ideo Gregor. Nicenus *homil.* 5. *in Cantica*, à diuina essentia omnia repulit procul accidentia his verbis: [nihil est quod circa ipsam consideretur, quod illi accidere possint, non tempus, non locus, non figura, non quantitas,] Item docet Augustinus *lib.* 5. *de Trinit. cap.* 16. vbi late demonstrat propter summam perfectionem diuinam, nihil ei conuenire posse, quod nomine accidentis insigniatur. Idem fere habet Anselmus *in. Monolog. cap.* 24. & Dionys. *cap.* 9. *de diuinis nominibus*; quod etiam late probat D. Thomas 1. *p. q.* 13. *art.* 7. *& quæst.* 7. *de pot. art.* 4. his rationibus probat, quia subiectum se habet ad accidens, sicut potentia ad actum; sed Deus non est vllo modo in potentia: ergo Deus non est subiectum vllius accidentis. Secundo, quia quod est ipsum esse per essentiam, nihil potest habere præter ipsum esse suum, ac proinde non habet accidentia. Tertio, quia neque Deus habet per aliquid aliud accidentia, cum sit ipse primum agens, neque etiam per se, nam accidentia per se producuntur ex principiis naturæ; in Deo autem non potest esse aliquid hoc modo productum, cum sit causa prima: igitur nullo modo habet vlla accidentia.

Quod etiam clarissime patet ex Concilio Lateranensi. sub Innocentio III. vt refertur *in capite Firmiter, de summa Trinit. & fide catho.* vbi expellitur à Deo omnis compositio, tam accidentalis, quam substantialis; si autem darentur accidentia in Deo vera, & realia, sine dubio causarent in Deo compositionem accidentalem: ergo non sunt concedenda illa; vt docet Irenæus *lib.* 2. *cap.* 16. Clemens Alexand. *lib.* 1. *Padago. cap.* 8. Origenes *homil.* 3. *in Genes.* Basilius *lib.* 1. *contra Eunomium* Gregor. Nazianzenus *orat.* 2. *in Pascha*, *& in disput. de diuinit. ad Enagrium Monac.* Athanas. *in oration. contra idola ad Macharium.* Theodoretus *lib. diuin. decret. cap. de principio* Damasce. *lib.* 1. *de fide orthod. cap.* 12. Hylarius *lib.* 8. *de Trinitate*, Gregor. magnus *lib.* 16. *Moralium, cap.* 21.

Ratio autem euidens naturalis, quæ hoc demonstrat sic se habet; nam quod per essentiam suam absolutissime perfectum est, non est capax vllius accidentis (accidens enim additur essentiæ; quia ipsi essentiæ aliquid deest in genere entis) sed Deus per essentiam suam est absolutissime perfectus; cum sit per suam essentiam ens primum

primum & ex se subsistens, ac proinde nulla causa esse potuerit; quæ illi perfectionem essentiæ limitauerit, vt ei aliquid perfectionis deesset; igitur Deus non est capax vllius perfectionis accidentalis, quæ consequentia eleganter eruitur à Cyrillo supposita præmissa, seu antecedenti de perfectione diuina dicente, accidens Deo nullum in esse potest, perfecto enim ex seipso nihil potest accidere.

Confirmatur; nam si in Deo esset aliquod accidens, necessario illud esset aut realiter, aut modaliter à parte rei distinctum ab essentia diuina, hoc autem est impossibile: ergo etiam est impossibile esse in Deo aliquod verum accidens. Maior intellecta physice, & realiter est clara, quia omne accidens distinguitur, aut realiter, aut modaliter à substantia; vt videre est in albedine, frigiditate, & reliquis veris accidentibus, quæ quia talia sunt, verè, & realiter distinguuntur à substantia; ens enim per se, qualis est substantia, & ens in alio realiter distinguuntur realiter. Minor sic demonstratur omnibus argumentis, quibus probauimus, *disputatione 2. quæst. Vtrum præscindatur ex natura rei ens à differentiis increati in Deo*, nullam dari distinctionem à parte rei inter absoluta prædicata diuina, & in ipsis respectu diuinitatis: ergo nulla perfectio datur in Deo propria ipsius intrinseca ipsi, & distincta realiter ab ipso, & licet aliæ sint rationes ibi adductæ, quæ probent intentum; euidentius tamen hoc demonstrat prima ratio quæ innititur omni identitati diuinæ.

Deinde; quia si in Deo reperiretur accidens reipsa distinctum à substantia eius, vel haberet illud ab aliqua causa extrinseca, vel à propria essentia per naturalem dimanationem ab illa, primum est plane impossibile; primo quia est contra rationem primæ causæ, vt ab alia causa quidquam recipiat; alias illa alia esset superior, & prior saltem secundum eam rationem; secundo quia quoad talem perfectionem penderet Deus ab extrinseca causa: tertio quia tale accidens esset commune non proprium; vnde quantum est ex se posset abesse, & adesse, vnde secundum tale accidens Deus ex se esset mutabilis, quæ omnia sunt plane contra naturalem rationem, secundum etiam dici non potest, primo quia illa interna emanatio reuera esset aliqua efficientia, quia per illam reciperet esse illud accidens, quod ex se non haberet esse, vnde esse talis accidentis deberet esse participatum, & non esse per essentiam: esset ergo in Deo ab æterno quædam quasi immutatio, seu receptio alterius rei, seu entitatis participatæ, & effectæ, hoc autem dicit manifestam imperfectionem.

Dices, hac ratione demonstrari non dari in Deo accidentia realiter distincta, non tamen probari non esse accidentia ex natura rei distincta, ac modalia, quia huiusmodi accidentia non petunt fieri per efficientiam.

Sed contra, quia non tantum accidentia realiter distincta, sed etiam ea, quæ sunt modi verè distincti à rebus, quas afficiunt, fieri debent in huiusmodi subiectis per veram efficientiam, id est per propriam actionem si sint modi aduentitij, & extranei, vel saltem quia cum ipsa re fiunt, ab ea fluunt per internam resultantiam, si sint modi intrinseci & quasi propriæ passiones.

Primum ostendi facile potest inductione, nam terminus motus localis per veram efficientiam fit, vt rerum artificialium vera est effectio, & tamen per has, & similes actiones non fiunt res distinctæ sed modi, & ratio est, quia hi modi vere sunt aliquid reale: ergo si antea non erant, veram efficientem causam, & actionem requirunt vt esse incipiant, & ex hac priori parte facile probatur posterior, nam modus, qui necessario est coniunctus cum re, si per eandem actionem fit cum ipsa re, necesse est vt veram habeat causam efficientem, quomodo fit inhæsio accidentis cum ipso accidente, si vero non fit per eandem actionem: ergo ordine naturæ supponit factam rem cuius est modus ergo vt tali rei talis modus addatur, necessaria est aliqua efficientia.

Minor prima, & præcipua sic demonstratur. Primo ex definitione accidentis supra posita, videlicet, accidens est, quod non constituit rem in suo esse primo, neque pertinet ad primam constitutionem eiusdem, sed accedit illi iam constitutæ in esse, ab accedendo enim ita accidens dicitur: sed actus liber Dei secundum vestram sententiam, ita conuenit substantiæ Dei, vt sine ipso substantia, & essentia ipsius integre, & completè maneat, vt de facto manet sine multis decretis, quæ poterat habere: ergo quando aduenium tales actus, supponunt iam essentiam constitutam: ergo sunt accidentia, nam si non essent accidentia, nullo modo, posset substantia, & essentia Dei existere sine ipsis, neque in nobis ob aliam rationem dicimus, volitionem liberam, sine qua esse potest nostra substantia esse vere & proprie accidens, nisi quia nostra substantia vltimo completa esse potest sine tali perfectione, sed per vos substantia, & essentia diuina vltimo completa potest esse sine actibus liberis, quos nunc habet, & de facto existit completa sine decretis, quæ potuit habere: ergo sunt accidentia Dei. Secundo, quia accidens est, quod potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem: sed actus liberi Dei qui nunc sunt, potuerunt abesse à Deo, manente integra essentia Dei, & actus, qui nunc non sunt, potuerunt adesse ipsi: ergo sunt vera accidentia realia, nec valet dicere non posse adesse, & abesse, quia si adest actus, non potest abesse, neque è conuerso, quia hac solutione ad summum fit esse accidens inseparabile, tum etiam quia ad rationem accidentis necesse non est vt possit adesse, & abesse in sensu compositionis: sed sufficit in sensu diuisionis, id est, quod quantum est ex se, ita sit extra substantiam rei, vt possit adesse, vel abesse ab illa, siue possit vnum post aliud succedere, siue non.

Exemplo manifestissimo in sententia aduersariorum conuincitur hæc veritas, nam cognitio actualis Angeli, qua se cognoscit, ex suppositione quod est in Angelo, necessario existit in ipso, ac proinde non potest non durare cum ipso Angelo in æternum, & nihilominus in sententia Caietani est verum accidens, quia solum intelligere Dei est substantia Dei, in reliquis autem entibus creatis intellectio est accidens. Item lux solis durat in æternum cum sole, de qua quis potest dubitare an sit accidens, vel substantia? nam accidens est, quia quantum est ex se illi non repugnat ab esse à sole.

Dices, non esse accidens, quia omne accidens recipitur in subiecto tanquam in potentia passiua.

Sed contra, quia volitio diuina actuat ipsum Deum & vnitur ipsi tanquam verus actus, & vera forma: sed verus actus, & vera forma vniuntur tanquam actus, & potentia passiua: ergo volitionis diuinæ est Deus vera potentia passiua: proba-

tur hæc consequentia; quia inter res distinctas triplex tantum vnio est possibilis secundum communem Philosophiam, & Theologiam, prima informationis: secunda continuationis, aut contiguationis: tertia terminationis substantialis, seu suppositationis, vt ostenditur materia de Incarnatione: Deus autem non vnitur illi volitioni, tanquam terminus illius, vt constat; nec deinde vnitur per continuationem, aut contiguationem, quia non est res corporea: ergo relinquitur sola vnio informationis, & receptionis formæ in subiecto.

## SVBSECTIO IV.

*Vltimum argumentum principale ponitur.*

QVia alias Deus erit compositus, consequens est absurdum, sequela probatur: nam vbi est distinctio, & vnio, ibi est compositio: sed hic est distinctio volitionis à Deo secundum contrarios, & non potest non esse vnio vnius ad alterum, alias Deus non redderetur volens per illam volitionem. Dices, minime sequi Deum esse compositum, nam si secludas vel sola mente Deum à volitione, Deus ipse non remanet compositus, sed fit compositio ex Deo, & ex volitione; Deum autem in se simplicissimum cum alio extremo componere quoddam tertium minime repugnat; nam Christus Dominus vere est quoddam compositum ex Verbo simplicissimo, & ex humanitate. Sed contra, quia non solum Theologia naturalis & supernaturalis relegat à Deo compositionem substantialem, sed etiam accidentalem seu substantiæ diuinæ cum alio tertio extremo, seu quod idem est, distincto à Deo adveniente ipsi, & Deum ipsum actuante vt videre est apud omnes Theologos cum D. Tho. *sup. q. 3.* quia hæc compositio argueret manifeste in ipso Deo carentiam alicuius perfectionis, alia autem est ratio de compositione Christi Domini ex Verbo, & humanitate, quia cum humanitas non adveniat Deo, tanquam actus connaturalis Dei, imo neque tanquam vllo modo Dei actus (non enim actuat Deum) neque vnio hæc humanitatis ad Verbum, neque compositio ex iis duobus extremis vnitis resultans derogat Dei simplicitati, & perfectioni; at si volitio Dei erga creaturas à Deo distingueretur, & distincta à Deo vnum tertium cum ipso componeret, ille actus esset actus connaturalis Dei & Deum actuaret, & esset Dei accidens, cum Deo iam in suo esse completo adueniret, tanquam actus intrinsecus potentiæ connaturali, hæc autem omnia pugnant evidenter cum diuina perfectione; maneat ergo cum communi sententia nullam volitionem Dei erga creaturas distingui à parte rei ab ipso Deo. Et ratio est, quia actus vitalis si distinctus est à Deo realiter, producitur de substantia ipsius Dei, vnde intelligi non potest, quin productio eius sit vera effectio, & cum non sit creatio quia id, quod ex substantia est, non fit ex nihilo: ergo erit eductio ex supposito subiecto, ac per consequens intercedit ibi vera ratio potentiæ actiuæ, & passiuæ.

Confirmatur; nam illa volitio per vos ita est in Deo vt eius formalitas realis potuerit non esse; dum autem non esset, ideo non haberet esse quia Deus non voluisset communicare illi esse, & dum fuit ideo habuit esse, quia Deus, seu diuina voluntas communicavit illi esse: ergo talis communicatio fuit vera effectio, causatio, & dependentia in genere causæ efficientis; quia omnis actio, per quam fit, vel communicatur aliquod esse quod non est de essentia rei productæ, est vera effectio, & causalitas: ergo talis actus liber pendebat à Deo tanquam à Creatore, seu causa efficienti dante illi esse: ergo est vere creatura. Item nam si à Deo non efficitur illa realis formalitas volitionis: ergo est à se ipsa: ergo non potuit non esse; nam quidquid est, & potuit non esse, ab alio efficitur, & in tantum potuit non esse in quantum causa efficiens potuit non influere in illâ, & hinc communiter concludimus contra Durandum omnes creaturas immediate effici à Deo, quia Deus potest destruere omnes, neque potest intelligi, quomodo destruat illas, seu non efficiat illas, quam aut non influendo in ipsas aut cessando ab influxu, quo antea illas efficiebat, falsum autem esse consequens, scilicet falsum esse volitionem illam Dei esse creaturam, probatur, nam volitio illa, qua Deus vult alia à se, est æterna, vt infra ostendetur, nulla autem creatura est æterna, nam omnia Deus in principio, seu in tempore creavit iuxta communem Theologiam, Patres & illud Geneſis. [ In principio creauit Deus cœlum, & terram. ] Item quia Deus volendo, creavit omnia, & eius diuina volitio fuit principium creandi omnem creaturam, quod tamen falsum esset, si ipsa volitio esset creatura, non enim posset esse principium producendi seipsam. Præterea, nam creatura non potest cum Deo vniri secundum communem Theologiam, nisi hypostaticè, & quia intellectio increata Dei non potest immediatè vniri hypostatice creaturæ, asserimus communiter non posse ex vlla persona hominem intelligere cognitione increata Dei: ergo neque poterit Deus velle volitione creata; nam vt volitione creata vellet, oporteret hanc vniri Deo, & eius voluntati, cui tamen vniri non potest, vt patet ex proxime dictis.

Vltimo si actus liber Dei distingueretur à parte rei à Deo, & adiungeretur actui necessario, aut adderetur ipsi, ille esset omnino posterior natura, quam actus necessarius; quia omne necessarium est independens à libero: sed pro illo priori, pro quo intelligitur in Deo actus necessarius, intellectus, & voluntatis dantur processiones Verbi, & Spiritus sancti: ergo pro posteriori naturæ, quo intelligitur actus liber eiusdem intellectus, & voluntatis dabitur alia duplex processio quod est summum absurdum, sicut & quod in diuinis dentur duo verba, & duo Spiritus sancti: illatio sic probatur quia non est maior ratio, ob quam Deus per actum necessarium producat Verbum & Spiritum sanctum potius quam per actum liberum, cum in Caietani doctrina hic etiam infinitus sit, & intrinsecè existens in Deo.

Dices, id esse impossibile, quia sequeretur personas per actum liberum productas esse quid liberum & quod potuissent non existere, sed falsum est, nè si hoc derogat diuinæ personæ, quia Deus est, etiam derogabit actui libero, qui Deus est; quare falso conceditur Deo actus liber distinctus à parte rei à Deo, qui quoad intrinsecum potuerit non esse in illo realiter. Præterea, quia ea formalitas distincta à natura Dei, habebit sane aliquod principium sui productivum; nam diuinis rationibus non repugnat esse ab aliquo productas,

ctas, vt constat in Filio, & Spiritu sancto, imo solus Pater, qui est prior origine cæteris personis est improductus; cætera vero, quæ ab ipso ante operationem intellectus distinguuntur, producta sunt: ergo etiam hæc formalitas actus liberi producta erit, quippe ponitur distincta, neque vlla potest discriminis ratio assignari quare omnia alia, quæ in diuinis à prima persona distinguuntur, producta sint, & non hæc; si autem producta est euidenter sequitur esse formalitatem creatam vt distinguitur à diuina; nam Ariani, vt negarẽt Filio diuinitatem, asserebant ipsum fuisse productum à voluntate libere, & indifferenter ad existendum, & non existendũ; ex hoc autem inferebant, esse creaturam, Patres autem, & Concilia existimarunt, consequutionem necessariam esse; ideo Antecedens negandum arbitrati sunt; atque decreuerunt processionem Filij liberam non esse, sed necessariam, vt videre est in Concilio Toletano XI. *tom. 3. Conciliorum in professione fidei*, vbi variis modis explicatur, sicut Pater necessario, & ex æternitate est Pater; ita habere Filium necessario, & ex æternitate sibi æqualem de ipsius substantia, quod dilucide docet Augustinus 15. *de ciuit. Dei*, *capite* 10. D. Thom. *prima parte*, *quæst.* 41. *artic.* 1. sed actus liber Dei, si productus est libere, & indifferenter productus est, ita vt potuerit non produci, & per consequens non habere esse, & existentiam, nam alias non esset actus liber: ergo non est diuina, & increata formalitas, sed limitata, & creata: consequentia solida est secundum mentem Patrum.

Nec valet ad hoc solutio Fonsecæ dicentis, actum illum liberum esse solam extensionem diuinæ volitionis intrinsecam ipsi, vnde dum actus liber datur in Deo, solum additur quædam extensio diuinæ voluntati, ratione cuius ipsa, quæ solum amabat necessario Deum, extenditur ad amandum creaturas libere & contingenter.

Sed hæc solutio continet mera verba, neque iure differt à Caietani sententia, vnde si differt ab illa, incidit in opinionem supra latè refutatam eorum, qui complent actum liberum extrinsecè per connotatum creatum, de quo nihil hìc agendum, quia satis supra actum est.

Quod autem non differat à sententia Caietani, si recedat ab hac, patet manifeste, quia extensio illa constituit actum liberum Dei distinctum à necessario: sed illa extensio est intrinseca formalitas in Deo, quæ quia libera est, contingens est formaliter per vos, ac proinde potest esse, & non esse in Deo, nam salua tota essentia actus necessarij, potuit non existere in Deo: sicut multæ extensiones actuum liberorum, quæ potuerunt esse, non sunt actu, existente completa diuina volitione necessaria: ergo talis extensio distinguitur à parte rei ab ipso Deo, patet consequentia ex supradictis, quia ea distinguuntur realiter quæ separantur realiter hoc est, quæ ita se habent, vt vno existente, & persistente, alterum desinat, vel possit desinere esse: sed illa extensio diuinæ volitionis ad creaturas futuras, & actuales libera intrinsecè existens in Deo, potuit ita separari à diuino esse vt existente, & persistente illo, potuerit non esse: ergo distinguitur à Deo, & sic non erit Deus à parte rei, quia quod distinguitur ab alio, dicit negationem illius, & non est illud à quo distinguitur, vt supra late demonstrauimus. Ecce quomodo Fonsecæ sententia, & sententia Caietani coincidunt in vnum, docendo actum liberum Dei distingui realiter ab ipso Deo, vnde omnia argumenta facta *in præsenti sectione* contra Caietanum eodem modo vrgent contra Fonsecam à primo vsque ad vltimum de productione.

Nam vt bene aduertit P. Suarez, propter hanc solutionem non variari inconueniens supra illatum, scilicet hanc realem additionem extensionis necessario petere aliquam realem productionem à diuina voluntate libera, aut effectionem seu causalitatem, aut quouis alio nomine nuncupetur; quia existentia intrinseca in Deo alicuius formalitatis, quæ potuerit non esse in Deo, & separari ab illo realiter, non potest intelligi sine additione, & augmento reali, vt videre est in creaturis, & hoc necessario petit productionem realem, vt patet ex dictis contra Caietanum; neque obstare potest quod illud augmentum, vel additio fiat cum identificatione: tum quia fictitia est hæc; nam id, quod potest non esse in aliquo, semper distinguitur ab illo, & quod semper distinguitur nunquam potest identificari, vt supra late demonstrauimus; Tum etiam, quia si per impossibile concedatur talis identificatio, non minuit, sed potius auget difficultatem; nam ad hoc videtur requiri maior efficacia; nam magis est facere, vt duo, quæ secundum se erant distincta, identificentur, & coalescant in vnam simplicem formalitatem, quam quod vniantur. In præsenti autem perfectio libera, & necessaria secundum se, seu præcisa actione, vel determinatione diuinæ voluntatis ita sunt distinctæ, vt altera sit non ens, seu ens possibile tantum; altera sit ens necessarium: ergo vt illud ens possibile sit, non solum ens actu, sed etiam sit ipsummet ens necessarium sine vlla distinctione ab illo: magna certe vis, & plusquam efficacia requiritur, etenim si illa perfectio libera ex ente possibili fieret ens actu vnitum tantum enti necessario, & non vnum, & idem cum illo, necessaria esset efficientia, vel actio: multo ergo magis necessaria est vt non solum fiat ens actu vnitum, sed etiam vnum.

Explicatur exemplo filiationis diuinæ; nam quia persona filij in diuinis existit, & datur distincta realiter à Patre ex vi fœcunditatis ipsius; necesse fuit, vt intercederet vera productio: ergo similiter, quia actus liber Dei distinguitur à parte rei, ab ipsa voluntate, debet intercedere inter voluntatem, & actum liberum vera, & realis productio, vnde cum ei tribuitur aliquid, quod sine efficacitate habere non potest, & simul dicitur in re non distingui vllo modo à suo principio, contradictoria dicuntur. Accedit, quod necessarium erit fateri, esse in Deo perfectionem pendentem ab actuali existentia creaturæ aut facta aut futura in sua propria duratione; illa enim perfectio libera, quam habet Deus, ex eo quod liberaliter voluit mundum creare, ita dicit habitudinem transcendentalem ad creaturam, vt existentem aliquando, vt nullo modo possit esse in Deo sine tali existentia creaturæ; sed hoc certe absurdissimum est, quod nimirum indigeat Deus vllo modo creatura sua ad habendam aliquam perfectionem, siue magnam, siue paruam, siue intensiuam, siue extensiuam, quod patet ex supradictis de independentia diuina, vbi efficaciter probauimus, nullam dependentiam dari in Deo respectu creaturarum; quia dicit Deus in se omniidentitatem & omniindependentiam; & amplius vrgetur ex sententia recepta inter aduersarios dicentes, absurdum esse admittere in Deo relationes reales ad creaturas, vt actu existentes, & ab illis vt sic dependentes; quia impossibile existimant aliquid

reale

reale esse in Deo, quod ab actuali existentia creaturæ pendeat, siue vt à termino, siue vt à conditione necessaria, siu quacunque alia ratione, quia quidquid in Deo est necessario est Deus, & ideo nullo modo potest esse dependens, sicut nullo modo potest non esse. Quod autem aliquomodo pendet à creatura, potest non esse, sicut illa: ergo multo minus id dicendum est de actibus liberis voluntatis diuinæ.

## SECTIO VLTIMA.

### *Argumenta aduersaria soluuntur.*

384 AD argumentum secundæ sententiæ concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem minoris distinguo maiorem, quod est capax habendi aliam perfectionem distinctam formaliter à parte rei, & per additionem formalem realem illius concedo, aliam perfectionem virtualiter solum distinctam & solum virtualiter additam nego, & hoc modo est Deus capax alterius perfectionis distinctæ ab illa, quam nunc habet, de quo latissime agendum nobis est *quæstione sequenti*, quod non solum non dicit imperfectionem in Deo potentialitatis, sed potius summam, & infinitam actualitatem, & summam, ac infinitam eminentiam diuini esse, vt patebit ex dicendis.

Ad argumenta tertiæ sententiæ, & ad primum distinguo maiorem, supponit nouam aliquam additionem, &c. formalem solum nego, formalem, vel virtualem, aut æquiualentiæ concedo. Item concedo minorem, concedo consequentiam, & distinguo aliam minorem, non est facta in Deo formaliter à parte rei concedo, æquiualenter, aut virtualiter, nego; de quo infra latius.

Ad confirmationem nego maiorem, si vniuersaliter loquatur de omnibus actibus liberis, tam efficacibus, quam inefficacibus, quia vt supra late demonstrauimus, actus inefficaces etiamsi sint liberi, nihil reale tribuunt creaturis, imo si loquamur de efficacibus, nullum esse intrinsecum physicum immediate conferunt creaturis, sed solum mediante omnipotentia: sed licet concedamus omnes actus efficaces tribuere immediate aliquod esse intrinsecum physicum, (quod supra negaui, & oppositum eius efficaciter probaui, eo quod multi actus efficaces sint in Deo, qui solam mutationem moralem faciant in creaturis) nihilominus tamen illud esse intrinsecum nullo modo constituit actum liberum formaliter, quia est effectus illius, & effectus non constituit suam causam, vt supra latissime demonstraui, ac proinde tale esse intrinsecum non potest fauere aduersariæ sententiæ, quæ intendit tale esse creatum constituere actum liberum.

Ad secundum argumentum respondeo, verum esse quod Verbum diuinum non mutetur per vnionem hypostaticam: sed hoc non est propter rationem, quam ibi perperam, ac falso assignat Pater Alarcon dicendo, [vnionem hypostaticam intrinsece dumtaxat se habere respectu humanitatis, & non respectu Verbi diuini;] nam Verbum diuinum intrinsecè vnitur per illam vnionem humanitati Christi: ergo vnio hypostatica intrinseca est respectu Verbi diuini: consequentia est clara, quia impossibile est, quod aliquid intrinsecè constituatur per aliquam rationem formalem, vel quasi formalem, & quod talis ratio formalis non sit intrinseca respectu illius, quod intrinsecè constituitur per talem rationem formalem; ideo enim Pater æternus habet actum liberum intrinsecum, quia actus liber intrinsecè constituit ipsum amãtem simul cum reliquis personis diuinis, quæ simul cum Patre per talem actum, constituuntur in esse amantium intrinsecè creaturas. Item rectè colligimus, relationem Filij esse intrinsecam Verbo diuino quia intrinsecè constituit ipsum in esse filij respectu Patris æterni, imo è contra euidenter sequitur effectum, vel quasi effectum formalem non posse esse intrinsecum, sed extrinsecum, quando ratio formalis extrinseca est respectu subiecti; ideo enim paries visus est denominatio extrinseca. Item columna dextera, Deus creans, amatus, & intellectus à creatura; quia rationes illæ formales non intrinsecè, sed extrinsece se habent respectu subiectorum quæ constituunt, & denominant.

Atqui vnio hypostatica constituit Verbum diuinum non extrinsecè vnitum humanitati: ergo vnio hypostatica non est extrinseca respectu Verbi diuini, sed potius intrinseca respectu illius.

Antecedens illud sic demonstratur, primo quia Verbum diuinum subrogatur loco suppositalitatis humanæ: sed suppositalitas humana non est solum extrinsecè vnita humanitati, sed potius maxime intrinsecè, vt constituat vnum ens per se intrinsecum, quale est suppositum intellectuale, & persona, quæ quia est per se principium operationum vitalium intrinsecarum; ideo debet esse vnum per se intrinsecum: ergo Verbum diuinum, quod constituit vnum suppositum intellectuale, & vnam personam perfectissimam Christi, quæ est maxime vnum ens per se intrinsecum, intrinsecè debet vniri humanitati, & constitui intrinsecè vnitum ipsi vt constituat vnum principium per se vitalium operationum, & suppositet intrinsecè loco personalitatis humanæ ipsam humanitatem Christi Domini.

Vrgetur amplius, & sit secundum argumentum quia si Verbum diuinum non esset vnitum intrinsecè humanitati, inter Verbum diuinum, & humanitatem non intercederet vera intrinseca vnio: ergo Christus esset ens per accidens, ac proinde non esset absolute, ac simpliciter vnus, quia ens per accidens potius est plura simpliciter, quam vnum, vt videre est in aceruo lapidum, in populo, & exercitu; sed Christus simpliciter & absolute est vnus; vt dicitur in symbolo Athanasij ibi, [qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus, vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum; vnus omnino, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ; nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus:] ergo Christus non est ens per accidens, sed ens per se; quod patet ex verbis nuper citatis symboli, vbi non solum dicitur vnus simpliciter, & absolute, sed etiam dicitur esse vnum, sicut homo est vnus: sed homo est vnum ens per se intrinsecum: ergo Christus, qui comparatur tali vno, est vnum ens per se intrinsecum, & non vnum ens per accidens.

Illa prima consequentia patet manifeste; quia ideo populus, exercitus, aceruus lapidum, & paries visus non sunt per se vnum, sed entia per accidens, quia constitutiua illorum non vniuntur intrinsece, sed extrinsece, & ideo ex creatura, & intellectione diuina, per quam cognoscitur talis creatura non resultat vnum ens per se simpliciter, sed potius vnũ

ens

ens per accidens ; quia intellectio diuina , quæ terminatur ad creaturam, siue actualé siue possibilem , non vnitur intrinsecè per se cum creatura ; nam si per impossibile intrinsece vniretur cum illa, resultaret vnum ens per se : ergo si inter constitutiua Christi Domini non datur vnio intrinsece per se, nullo modo erit Christus vnum ens per se, sed potius vnum per accidens ; quod est summum absurdum : ergo falso asserit Alarcon docendo , vnionem hypostaticam non esse intrinsecam respectu Verbi divini ; sed solum extrinsecam respectu illius.

Ratio autem quare non mutatur Verbum divinum est quia ipsum Verbum divinum non est ens potentiale sed purissimus , & actualissimus actus , ac proinde respectu vnionis hypostaticæ neque est subiectum inhæsionis neque adhæsionis , sed purus terminus intrinsecus , quia pure , & intrinsece terminat sine eo quod , aut recipiat vnionem ( vt humanitas Christi quæ est subiectum eductionis illius ; quia ex illa educitur ac per consequens recipitur in ipsa ) neque etiam est subiectum adhæsionis vnionis eo modo , quo anima rationalis est subiectum adhæsionis unionis materiæ primæ ad ipsã. Itaque omnis creatura respectu perfectionis sibi intrinsecæ est subiectum vel inhæsionis, vel adhæsionis, quia omnis creatura dicit potentialitatem respectu talis perfectionis , & perfectibilitatem respectu eiusdem , quæ potentialitas passiva , vel quasi passiva est ; quia omnis creatura ex indigentia propria , & ratione commoditatis , & emolumenti proprij inclinatur in talem perfectionem sibi intrinsecam ; vnde respectu cuiuscunque creaturæ quæcunque perfectio dicitur mutatio , quia omnis perfectio respectu illius ; quia perfectio est actus , est actus entis in potentia secundum quod in potentia est : ergo est mutatio respectu illius; quia illa est definitio mutationis ex Aristotele *4. lib. Phys. tex. 22.*

Contra vero Verbum diuinum , quia est purus , & infinitus actus , nullam habet potentialitatem , sed potius exercet puram actualitatem terminandi , & sic est purus terminus intrinsecus: ergo vnio , & actio vnitiua respectu Verbi divini nullo modo est actus entis potentialis , seu entis in potentia , quatenus in potentia est , sed potius entis puri actualis sine vlla potentialitate exercentis respectu vnionis hypostaticæ munus puri , & actualissimi termini ; ergo vnitioni , & vnioni non competit respectu Verbi diuini definitio mutationis , aut motus ; vnde non erit talis, quia cui non convenit definitio , non est definitum illius : ergo neque Verbum diuinum mutatur per illam , quia nihil mutatur , nisi à mutatione.

Ex quo colligo , ad hoc vt aliquid mutetur , non solum debere nunc aliter se habere quam antea ; si aliter se habeat tanquam purus , & actualis terminus , sed necesse est vt aliter se habeat , tanquam ens potentiale, vel recipiens in se, vel tanquam subiectum adhæsionis , eo modo quo contingit in creaturis, quod non contingit in Verbo diuino , & ideo non fuit mutatum , etiam si aliter se habuerit actualiter terminando intrinsecè , quibus funditus corruit secundum argumentum aduersariorum.

Ad tertium argumentum sumptum ex scientia Dei respondeo , scientiam simplicis intelligentiæ transire ad scientiam visionis creaturarum futurarum , non solum propter mutationem extrinsecã earum ( quia hoc non sufficit ad constituendam intrinsecam scientiam visionis , quia vt iam dixi , constitutum intrinsecum debet constitui per prædicata intrinseca , & non solum per mutationes extrinsecas , alias non erit constitutio intrinseca sed extrinseca ) sed etiam propter mutationem , & additionem virtualem, seu æquivalentiæ , quæ datur intra ipsum Deum sine vlla additione , & mutatione formali in ipso ; de quo latissime agemus *quæstione sequenti* ; unde tertium hoc exemplum aduersariorum nihil eis favet.

Ad quartum exemplum de relatione creata respondeo , falsissimum esse illud vt supra dixi , & late probavi *in Logica prædicamento de relatione, quæstione Virum relatio distinguatur à suo fundamento* , & difficilius est intellectu ipsum exemplum , quam mysterium actus liberi ; nam hoc mysterium fundatur in infinita eminentia , & actualitate diuini esse cum æquivalentia ad contingentiam creatam,& nihilominus intelligibile vocatur ab aduersariis , quod Deus possit transire determino contradictorio intrinseco ad terminum contradictorium intrinsecum sine mutatione intrinseca Dei : ergo multo minus intelligibile erit, creaturam habere talem transitum , ubi nulla est infinitudo pura actualitas , & perfectissima eminentia , quare nullo modo est rationi consonum velle exemplo creato mysteria diuina fundata solum in infinita perfectione explicare; vnde sicut irrideretur qui promitteret facile se explicare idẽtitatem trium diuinarum personarum, vere ex se realiter in vna essentia indiuisibili , & omnino simplici cum distinctione reali inter se ipsas , dicendo, animam rationalem identificari cum intellectu, voluntate, & memoria inter se realiter distinctas , cuius irrisionis causa nulla alia esset , nisi collocare in creatura finita , imperfecta , & limitata difficillimum mysterium, quod mens vix capit revelatione diuina , & lumine supernaturali illuminata , ex vi illius luminis cognoscens hoc ideo contingere in diuinis, quia diuinitas habet infinitam perfectionem, infinitam actualitatem, & summam puritatem cum infinita fœcunditate ; atqui simile mysterium actuum videlicet liberorum Dei quod fundatur in infinita eminentia , & perfectione diuina cum summa actualitate , & puritate eius,explicare contendunt aduersarii per exempla creata,finita , limitata , & imperfecta : ergo friuola est talis explicatio.

Nec minus falsitatis vitio laborat exemplum de speciebus intentionalibus Angelorum ; nam vna , & eadem species per solam existentiam extrinsecam obiecti sine additione intrinseca ex parte ipsius non potest transire de repræsentatiua in non repræsentatiuam , & è contra : quare ego iudico , Angelis in primo suæ creationis instanti non fuisse concessas omnes species rerum nondum existentium , & futuratum , sed solum rerum existentium actu , & paulatim ad existentiam rerum de nouo , de novo infundi earum rerum species Angelis. Itaque statim ac producitur de novo res aliqua , infunditur Angelo species illius , vt cognoscatur , & percipiatur ab Angelo , cuius rei speciem antea non habebat Angelus , quomodo explicandi occurritur omnibus difficultatibus , quæ invincibiles iudicantur à Doctoribus , de quo latius materia de Angelis.

Ad vltimum argumentum respondetur, negando Maiorem , quia Deus in esse liberi non constituitur per contingentiam formalem , sed potius per contingentiam æquivalentem ; per indifferentiam autem formalem bene constituitur;

quarum formalitatum explicationem, differentiam & distinctionem in sequentem quæstionem reseruo; quia de illis data opera nobis est agendum. Ad probationem maioris distinguo Maiorem, si sumatur denominatio pro nomine, concedo illam; nomen autem actus amoris desinit, non quia ipse amor desinat formaliter, sed solum quia desinit æquialenter aut virtualiter. Si autem sumatur pro obiecto talis denominationis, seu pro ipso actu libero quoad entitatem, negamus desinere formaliter sed solum æquialenter. Ad probationem illius concedo antecedens, & distinguo consequens; potest abesse, & adesse formaliter, nego, æquialenter, aut virtualiter, concedo: nam amare, vel non amare datur formaliter in Deo, quia id solum denotat indifferentiam formalem in amante, non autem contingentiam formalem, abesse autem, & adesse amorem denotat contingentiam; quia contingens est, quod potest esse, & non esse; cum vero non concedamus formalem contingentiam in Deo, licet concedamus indifferentiam, concedimus, Deum amare, vel non amare formaliter; non autem esse, & non esse amorem formaliter, de quo claritate maxima qua posterimus, agemus *quæst. sequenti.*

## SVBSECTIO I.

*Argumenta aliarum opinionum dissoluuntur.*

AD secundum argumentum respondetur negando Maiorem; nam Misericordiam, diuinam voluntatem, & intellectum concipimus cum respectu rationis ad obiecta, & nihilominus nullus etiam cæcutiens poterit dicere perfectiones has diuinas constitui per entia fictitia, quales sunt relationes rationis, alias tales perfectiones, non quid reale, sed ens fictitium esset, vt patet ex supradictis in refutatione huius sententiæ: ergo similiter licet in actu libero Dei concipiamus relationes rationis, non ideo debemus dicere, constitui actum liberum per entia fictitia, & rationis; sicut non possumus concipere Deum, nisi ad modum corporis, & nihilominus nullus sanæ mentis potest dicere Deum, qui est adæquate spiritualis, constitui per talem corporeitatem: ergo similiter in nostro casu, quia à modo concipiendi nostro non debemus arguere constitutionem rei in se.

Ad vltimum argumentum distinguo secundam partem antecedentis; relatiuus secundum esse transcendentaliter, aut prædicamentaliter ad prædestinatum, nego; relatiuus, aut relatus secundum dici, concedo eo modo, quo omnipotentia dicitur relatiua ad creaturas possibiles: negamus enim relationem prædicamentalem in Deo propter rationes, quibus in logica, prædicamento de relatione probauimus, omnem relationem prædicamentalem esse accidens realiter distinctum à substantia, cuius incapax est Deus, vt *sectione præcedenti* demonstrauimus. Item negamus relationem transcendentalem in Deo propter rationes, quas posuimus *disp. 1. de proœmialibus metaphys. q. virum ens rationis sit obiectum primarium illius?* itaque Deus propter summam perfectionem quam habet, potest connotare obiectum per aliquem actum proprium sine vlla relatione, æquinalendo in hoc creaturæ, quæ per relationem veram connotat proprium connotatum, seu obiectum; Deus enim per summam perfectionem exercet munus, quod creatura non potest sine summa imperfectione exercere.

Ad argumenta quartæ sententiæ, & ad id, quod dicitur de contingentia in prædicato intrinseco sine contingentia in entitate ipsius prædicati respondeo falsissimum esse, & inintelligibile vt patet ex supradictis in refutatione huius sententiæ. Ad exempla de cõseruatione, & creatione respondeo, omnem primã productionẽ distingui à conseruatione, vt late docui in Physicis *tract. de duratione.*

Ad exemplum de veritate optime respondet P. Herize his verbis. Tertium eodem vitio laborat, probabile est veritatem propositionis mentalis esse intrinsecam indistinctam à substãtia actus; probabile quoque est, eandem propositionem mentalem mutari posse de vera in falsam, si hanc opinionem seiungas à prima; at non est probabile simul vtrũque coniungere, & veritatem esse indistinctam à substantia actus & mutare posse veritatem in falsitatem immutata tota entitate & substantia actus nam hoc ipso, quod denudatur propositio veritate, denudatur propria entitate, aut in aliam mutatur; quo circa aut opinandum est, veritatẽ esse distinctam à substantia actus, siue sit modus ab eo distinctus, siue extrinseca denominatio desumpta ab obiecto ita se habente, vt enuncia propositio aut eandẽ propositionem mentalem mutari non posse de vera in falsam nec nouum est in Theologia, & Philosophia, duas opiniones extremas probabiles esse improbabilẽ vero prorsus tertiam ex vtraque compactam; exempli gratia probabilis sententia est, existentiam rei permanentis non distingui à duratione; probabilis quoque est opinio affirmans; durationem intrinsecam distingui & esse modum successiuum; at si quis tertiam conflaret sententiam, & diceret, durationem rerum permanentium non distingui ab existentia, & simul eam durationem esse successiuam, improbabilem fingeret sententiam; quia concederet, eandem rem esse successiuam, & permanentem, & daret essentiæ rei permanenti existentiam successiuam, sic in alijs sexcentis exemplis, quæ adducere possem.

Vltimum exemplum de omnipotentia si sumatur eo modo, quo à Patre Suarez defenditur, non solum non fauet aduersarijs, sed etiam funditus labefactat eorum defensionem, vt patet ex supradictis; nam in sententia P. Suarez, quam isti defendere conantur, ablatis creaturis possibilibus, aufertur omnipotentia; quia est prædicatum intrinsecum connexum cum illis: ergo si actus liber Dei connectitur, aut dependet à connotato, ablato connotato, aufertur actus liber, non solum quoad denominationem, sed etiam quoad ipsam intrinsecam entitatem; ecce quomodo proprio gladio decollatur Goliath.

Sed quia exemplum omnipotentiæ in medium proferunt, eo modo, quo P. Vazquez vtitur, non possum non mirari quomodo ad defendendã opinionem eximij Doctoris vtantur ex ipso, & modo defendẽdi ipsum, qui ex diametro opponitur sententiæ P. Suarez, quia nullo modo potest defendi author argumentis immediate oppositis eius opinioni; nam huiusmodi defensione in inimum nota inconstantiæ in doctrina appingitur tanto doctori; siquidem sententia ipsius circa actus liberos non potest defendi, cõsequenter cum modo defendendi omnipotentiæ connexionem cum creaturis possibilibus; atque adeo deserenda est via defendendi talem connexionem, & confugiendum ad Patrem Vazquez, qui illam labefactat; si velimus defendere arcanum mysterium circa actus liberos, Itaque per vos ambæ opiniones de connexione

creatura

creaturarum cum omnipotentia, & è contra, & determinatione intrinseca actus liberi Dei, & variatione illius, constituendo illum in intrinseco prædicato per solam variationem connotati extrinseci, non cohærent inter se, & ideo vt defendatis vnam, desertis & oppugnatis aliam: ergo non defenditis Patrem Suarez, sed potius oppugnatis acriter ipsum.

Tandem exemplum potentiæ obedientialis ex dictis suo pondere ruit, neque alicuius momenti est contra nostram opinionem. Tandem in fine huius solutionis aduerto, nullo modo mereri neotericos supraciratos nomen defensorum Patris Suarez, siquidem vt ipsum defendant, obliuiscentes principiorum doctrinæ eximij Doctoris, asserunt, actum liberum Dei dependere à connotato extrinseco, cum tantus hic Doctor absolute neget omnem, & quamcunque dependentiam in Deo respectu creaturarum, vt patet ex his verbis ipsius Doctoris *disputatione* 30. *Metaphys. sectione* 9. *n.* 25. [ Denique addere possumus exemplum ex recepta sententia inter Theologos, illi enim absurdũ existimant admittere in Deo relationes reales ad creaturas, vt actu existentes, & ab illis vt sic dependentes; quia impossibile existimant, aliquid reale esse in Deo quod ab actuali existentia creaturæ pendeat, siue vt à termino, siue vt à conditione necessaria, siue quacunque alia ratione, quia quidquid est in Deo necessario est Deus, & ideo nullo modo potest dependere, quia nullo modo potest non esse; quod autem aliquomodo pendet à creatura potest non esse, sicut illa si qui vero sunt Theologi, vt nominales, qui has relationes tribuãt Deo, ideo id faciunt, quia existimant, relationem nihil rei addere intrinsecè subiecto, sed solum positionem, seu concomitantiam termini, omnes tamen pro comperto habent, nullam veram rem, etiã respectiuam, quæ in Deo sit, posse aliquomodo pendere ab existentia creaturæ: multo ergo magis id dicendum est de re, & perfectione absoluta, qualis est actus voluntatis. ] Ecce quomodo Pater Suarez omnino reijcit dependentiam à Deo quæcunque etiam minime sit, vt patet ex illis verbis, [ siue vt à termino, siue vt à conditione necessaria, siue quacunque alia ratione. ] Item ex illis, [ nullam veram rem, quæ in Deo sit, posse aliquomodo pendere à creatura; ] & præcipue docet, nullam dependentiam posse concedi actibus liberis Dei respectu creaturarum, vt patefaciunt verba illa: [ multo ergo magis id dicendum est de re, & perfectione absoluta, qualis est actus voluntatis. ] Quibus omnibus manifeste liquet, quam certum sit, nullo modo recentiores supradictos munus patroni doctrinæ P. Suarez, induere posse, aut exercere, siquidem vt illam defendant omnia illius principia pœnitus destruunt.

## SVBSECTIO II.

### *Argumenta Caietani soluuntur.*

AD primum argumentũ distinguo antecedens; non conuenit Deo necessario formaliter nego, æquialenter, aut virtualiter, concedo; si necessarium sumatur provt opponitur contingenti, hoc est, quod potest esse, & non esse; nam cum Deo non conueniat formaliter contingentia, sed solum æquialenter, inde est quod formaliter debet conuenire necessitas tali contingentiæ opposita.

Si autem necessarium sumatur provt opponitur indifferenti, & libero, concedo antecedens, & consequens, & distinguo consequens secundum; non potest prouenire ab entitate simpliciter necessaria, provt opposita contingenti formali, nego, provt opposita libero, concedo vltimam consequentiam nego, quia bene potest prouenire in Deo denominatio amantis libere ab entitate non contingenti formaliter, sed æquialenter, indifferenti tamen formaliter, de quo quæstione sequenti latissime.

Ad confirmationem distinguo maiorem; quia impossibile videtur, vt eadem forma secundum eandem omnino rationem realem det aliquam intrinsecam denominationem, &c. si eadem sit, & eodem modo maneat, tam formaliter quam virtualiter, concedo, si eadem sit formaliter, distincta tamen æquialenter, nego, cum autem vna, & eadem entitas Dei sit plures formalitates virtualiter distinctæ, quæ virtualiter, & æquialenter possint abesse, & adesse, possint addi, & minui per æquialentiam: eo modo quo à nobis explicandum est *quæst. seq.* inde euenit vt à talibus formalitatibus virtualiter distinctis, ac pluribus, additis, & desinentibus per æquialentiam possit Deus plures denominationes subire amandi, odio habendi, &c.

Ad secundum argumentum concedo antecedens, distinguo consequens, vt aliquid Deo addi intelligatur formaliter à parte rei nego; virtualiter, & per æquialentiam, à parte rei, concedo, & hoc sufficit vt Deus possit amare, & non amare. Tandem vltimum consequens distinguo; ex seipsa separabili formaliter à parte rei, nego; ex seipsa separabili virtualiter, & per æquialentiam, concedo.

Ad confirmationem distinguo antecedens; realiter mutare Deum per mutationem formalem, nego; per mutationem æquialẽtiæ, concedo. Itaque nulla mutatio formalis physica, fieret in Deo. Dices: ergo ex hoc capite bene poterat Deus incipere velle aliquid ex tempore sine vllo incommodo: Item poterit Deus scire aliquid de nouo, quod ab æterno neque voluit, neque sciuit; quia sola mutatio physica formalis poterat obesse, quæ iam ex hac solutione non sequitur.

Respondeo ex hoc capite verum esse quod non detur inconueniens, vt Deus velit aliquid de nouo; si non daretur aliud inconueniens nimirum mutationis moralis in Deo inuoluentis quãdam animi inconstantiam, & imprudentẽ modum se gerendi in suis decretis, quæ imperfectiones non minus repugnant Deo, quam physica mutatio, imo cum Deus dicitur absolute immutabilis, non minus intelligitur de morali, quam de physica immutabilitate, & in homine imperfectio existimatur quod in suo proposito mutabilis sit, non solum propter variationem entitatis actus, sed multo magis propter animi inconstantiam; vnde si per impossibile per eandem actus entitatem posset homo variare propositum, & nunc velle postea nolle, magna esset imperfectio; ex hac vero imperfectione immediate inferri potest, voluntatem sic mutabilem esse finitam, & non rectam per essentiam; hic discursus totus saltem mediate arguit mutationem physicam, quia qui moraliter mutabilis est, sine dubio tamen indicat mutabilem physicam, quod euidens est; nam quod sint quædam imperfectiones morales, ex quibus per locum intrinsecum immediate, vt aiunt, non sequitur imperfectio, vel mutatio physica, est certum; nam amare peccatum vel velle mentiri non infert immediate in Deo aliquam mutationem physicam, nec compositionem, aut aliquid simile, posset enim intelligi Deus ex æternitate id volens per simplicem determinationem liberam, infertur

tamen ex illa imperfectione talem voluntatem non esse per se rectam, & consequenter esse finitam, & inde quasi per locum extrinsecum concludetur, talem voluntatem esse mutabilē physice. Sic ergo in præsenti procedendum existimo, nam quod illa animi inconstantia imperfectio sit, & modus operandi, vel ex inconsideratione, vel ex imprudentia procedens, ex terminis ipsis per se notum est; nam si in hominibus hæc merito censetur imperfectio, quanto magis in Deo. Item quia non implere promissum, magna imperfectio est, non quidem formaliter, ac præcise propter mutationem physicam, sed propter indecentiam, & moralem defectum, qui est in illo actu, & tamen totus ille defectus etiam secluso mendacio in hac mobilitate animi consistit, & ex ea oriretur etiam si absque mutatione physica contingeret.

Qualiter autem hæc imperfectio in Deo sequeretur ex illo volendi modo sic breuiter explicandum est cum Patre Suarez; considerando enim Deum vt habentem in æternitate sua per simplicem intelligentiam omnia obiecta creata diligibilia præsentia secundum omnes gradus, modos ac rationes conuenientiæ, quæ in eis excogitari possunt, necessarium fuit, diuinam voluntatem non manere quasi suspēsam in suis decretis liberis circa talia obiecta, sed in alterutram partem inclinari aut volendo definite illa esse, aut volendo ea non esse, aut ea non amare, vel non eligere; primo quidem quia probabile est in omni voluntate esse id necessarium, postquam de re amanda, vel non amanda, agenda, vel non agenda plenum consilium aut iudicium habitum est.

Deinde quidquid sit de aliis de diuina voluntate videtur hoc certum, tum quia tam velle, quam nolle, & tam non esse, quam esse creaturæ est ex arbitrio Dei: debet ergo esse perfecte voluntarium: ergo directe per positivum actum, & non tantum indirecte per suspensionem actus, loquor autem de bonis obiectis quæ cadere possunt sub diuinam voluntatem, applicandum autem est cum proportione ad mala, quæ licet non sint volita, sed permissa, per actum tamen positivum permitti debent, quo Deus vult vel illam non impedire, vel etiam ad entitatem illorum concurrere. Præterea quia illa totalis suspensio decreti liberi re vera est imperfectio, & à D. Thoma 1. *contra gent. cap.* 82. vocatur potentialitas quædam; duobus enim modis concipi potest illa suspensio, primo vt includat voluntatem definitam, nihil amplius in ea re vt sic proposita deliberandi, aut definiendi, & hæc non est suspensio, de qua agimus, sed est decretum liberum quod in Deo tam immutabile erit, sicut alia, & re vera est voluntas non agendi id, quod ita relinquitur.

Alio ergo modo intelligitur illa suspensio totalis; quia nec voluntas tunc alterutram partem eligit nec decernit, quid sibi postea eligendum sit; & huiusmodi animi suspensio sine dubio est magna imperfectio, & videtur præterea ex imperfectione intellectus oriri, qui nimirum non dum plene consideravit, aut iudicavit quidquid ad aliquid decernendum requiri potest; nam si omnia considerasset, & certus esset nihil amplius desiderari posse, non posset voluntas in ea suspensione manere.

Dices ex libertate sua id posse.

Respondeo non habere locum libertatis vsum, nisi vbi sub ratione boni repræsentatur; in ea vero suspensione posito prædicto statu intellectus nulla ratio boni apparere potest; & maxime in Deo, qui perfectissimo modo & summo cum iudicio, & ratione in omnibus se gerit. Vnde interrogo rursus, an cum fingitur Deus suspendere deliberationem suam quasi in futurum, præciat, quid postea electurus sit, necne, nam si non præscit, illa est intellectu imperfectio, & in voluntatem non posset inducere anxietatem, & solicitudinem de futura deliberatione. Si vero iam præscit ex æternitate futuram deliberationem suam, irrationalis, & impertinens est talis suspensio relinquitur: ergo necessario habere Deum æternum decretum in alterutram partem volendi, vel nolendi aliquomodo quodlibet obiectum sibi proportionatum, quæ necessitas non pendet ex eo, quod decretum liberum addat, vel non addat aliquid reale, sed absolute sequitur ex plenitudine scientiæ, & ex perfecto voluntario, & perfecto modo quo Deus in omnibus se gerit etiam si simplicissime, & sine vlla reali additione voluntatem suam voluntarie determinet.

Ex hoc vero principio sequitur tale decretum æternum non posse esse mutabile sine magna inconstantia, & imperfectione Dei volentis, quia duobus modis potest intelligi variari, quod decretum est à Deo, vno modo per proprium mutationem ipsius decreti, scilicet qua talis mutatio intelligitur esse circa idem obiectum, & secundum idem pro eodem tempore, &c. id est, quod prius decreuerit Deus tali tempore Petrum creare v. g. & postea nolit pro eodem tempore creare illum & hæc est propria animi inconstantia, prudentiæ, & perfectæ virtuti repugnans, & ideo impossibile est in Deo reperiri; de quo propterea scriptum est, [ Pœnitudine non flectetur, neque enim homo est, vt agat pœnitentiam; ] idque confirmari potest ex nuper dictis, nam vel Deus præsciret, se mutaturum propositum, & illud prius nullum effectum habiturum, & sic leuissimum esset habere tale propositum, imo vix posset esse efficax, vel non præsciuisset hoc Deus, & sic supponitur magna imperfectio in scientia, & maneret Deus quasi dubius, & suspectus de sua constantia, & firmitate sui propositi, quæ est summa imperfectio, alio modo accidere potest varietas circa rem decretam, aut amatam à Deo, non secundum idem, aut pro eodem tempore, sed pro diuersis temporibus; vt verbi gratia si Deus hodie diligat Petrum, cras non diligat, &c. hæc varietas non infert mutationem in Deo, quia sine mutatione, vel inconstantia animi potest res vno tempore diligi, & non alio, maxime quando id fit sine vlla novitate ex parte amantis, qui simul vtrumque decreuit, scilicet & pro tali tempore amare, & pro tali non amare & vtrumque ex sufficienti causa, & ratione.

Ita vero se gerit Deus volens rerum varietatem sine vlla varietate in ipso, quia nec habet nova decreta, nec mutat antiqua, sed singula pro suis temporibus ex æternitate amat, disponit, aut permittit & in eo, quod semel proposuit, perpetuo durat: igitur ad rerum varietatem, & mutationem non est necessaria talis inconstantia in diuina voluntate, neque esse posset sine magna imperfectione, & iuxta hunc discursum efficax manet illa ratio quæ probat, non posse esse talem mutationem in voluntate, nisi præsuppositā aliqua imperfectione, & mutatione in scienta, & cognitione, quia ostensum est semper antecedere huiusmodi imperfectionem ad

ad omnem nouam deliberationem, & præterea quamvis fortasse mutatio propositi imprudenter facta possit accidere sine augmento cognitionis, non tamen prudens; vnde cum in Deo nec imprudens mutatio esse possit, nec augmentum cognitionis, vt prudenter fieret talis mutatio relinquitur nullo modo in Deo esse posse.

Alia tandem ratio reddi posset de indiuisibilitate instantis, sed quia parui momenti est opere prætium duxi illam relinquere.

Ad vltimum argumentum concedo maiorem, & nego minorem; nam licet Deus ita amet, & possit non amare nihilominus tamen non potest absolute dici, quod actus liber Dei possit esse, & non esse absolute, & formaliter, solum enim dicimus, posse esse, & non esse æquialenter; quia indifferens est Deus ad amandum, & non amandum; quapropter cum ex vi libertatis habeat indifferentiam ad volendum, & nolendum &c. ideo actus volendi, & nolendi possunt esse & non esse æquialenter; quæ contingentia virtualis, aut æquialentiæ non conuenit Deo respectu Paternitatis, quia non est prædicatum liberum, sed omnino necessarium; quia constitutio Patris omnino necessaria est sine libertate, & indifferentia; vnde non mirum quod neque virtualiter, neque formaliter possit definere esse Paternitas; è contra vero licet actus liber Dei non possit definere esse formaliter, quia est Deus, potest nihilominus virtualiter definere, quia est liber, & ad libertatem requiritur contingentia in creatis formalis propter imperfectionem creaturæ; in Deo virtualis propter summam perfectionem diuinitatis. Quapropter si fingatur in Deo respectu Paternitatis suppositione impossibili, contingentia virtualis eo modo, quo concedimus eam in actu libero posset esse, & non esse æquialenter sine vlla additione, & diminutione formali; & solum virtuali, in quo assimilaretur Paternitas actui libero: si autem concederetur contingentia formalis in Paternitate diuina, in eo casu (qui maiorem impossibilitatem includit, quam primus, quia tum fingit paternitatem diuinam esse liberam, cum ex se sit omnino necessaria tum tribueret illi contingentiam formalem ad essendum & non essendum formaliter, quæ maximam imperfectionem inuoluit, quam non includit contingentia virtualis) sine dubio concedendæ essent additio, & diminutio formalis; sicut etiam concedi deberet in actu libero si haberet contingentiam formalem; sed quia in præsenti non habet illam, sed potius loco illius contingentiam virtualem, aut æquialentem contingentiæ formali creatæ, ideo in Deo nulla datur additio, aut diminutio formaliter, sed solum æquialenter, & sic concedimus nullo modo sufficere ad constitutionem Dei in esse amantis libere diuinitatem præcise vt sic, sed potius esse necessariam additionem volitionis liberæ supra diuinitatem virtualiter, & æquialenter.

Ad confirmationem vltimam respondeo, verum esse quod quando non datur in Deo effectus, vel quasi effectus formalis alicuius formalitatis, necessario deficiat ratio formalis secundum exigentiam talis rationis formalis, quia nunquam datur ratio formalis in subiecto capaci quin constituat illud in tali esse quia autem constitutio Dei potest dupliciter esse, aut per formalitatem creatam vti est vnio hypostatica, quæ constituit Verbum diuinum in esse vniti, aut per formalitatem increatam qualis est actus liber, dupliciter potest deficere formalitas aut æquialenter, aut formaliter si sit increata formalitas solum æquialenter; si autem sit creata formaliter, quia vnumquodque prædicatum debet deficere secundum contingentiam propriam: ergo si actus liber Dei non habet contingentiam formalem, sed æquialentem & vnio hypostatica habet contingentiam formalem; hæc formaliter, illa æquialenter desinet esse.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum contingentia virtualis sufficiat ad actum liberum Dei?*

### SECTIO I.

*Sententia aduersaria ponitur.*

PRIMA sententia docet, etiamsi detur distinctio virtualis, & æquialentiæ in Deo, ratione cuius verificantur prædicata contradictoria respectu intellectus, & voluntatis diuinæ; nihilominus tamen in Deo nullam dari contingentiam virtualem, aut æquialentiæ, quia dicit imperfectionem respectu Dei, imo si daretur in Deo, non sufficere ait hæc sententiæ ad formalem libertatem, & indifferentiam Dei; ita P. Herize. *tom. 1. in 1. p. tract. 2. disp. 16. de libertate volitionis diuinæ cap. 7. per totum*; nouissime P. Alarcon *1. p. disp. de diuina voluntate*; & alij hanc sententiam defendunt. Probat P. Herize sic suam opinionem, primo hæc admirabilis distinctio virtualis diuina hoc habet singulare supra omnes creatas virtuales, quod ratione eius sunt veræ propositiones contradictoriæ in diuinis, non autem in creatis; imo in rigore contradictoriæ non sunt ex defectu identitatis; cum namque dicimus, contradictorias esse eiusdem, atque de eodem intelligere debemus de eodem, hoc est in distincto realiter, & virtualiter distinctione virtuali diuina. Quo circa cum dicimus essentia à Patre communicatur Filio, Paternitas non communicatur; non sunt propositiones contradictoriæ, vt dixi: ergo pari ratione cum ab his magistris applicatur hæc distinctio virtualis libertati, constitui debent rationes virtualiter distinctæ, in Deo tamen formaliter existentes, de quibus veræ sint propositiones alias contradictoriæ: vt exempli gratia si dicamus, principium volitionis liberæ non est contingens, volitio ipsa libera est contingens. 1

Probo hanc consequentiam, quoniam aliud est distinctionem realem existere virtualiter tantum in Deo, hoc est cum realis actualis non sit, eam virtute esse ratione munerum, quod exercet, aliud est formalitates reales illas, inter quæ intercst distinctio virtualis, tantum esse virtualiter, & non esse formaliter. Apertum huius rei exemplum est in essentia diuina, & Paternitate quæ actu & formaliter sunt, licet non actu, sed virtute distinctæ: ergo simili ratione si inter principium virtuale, & actum liberum est distinctio virtualis, duæ formalitates reales formaliter in Deo existentes dari debent, altera, quæ sit principium virtuale, altera quæ sit volitio libera formalis, quæ quidé tametsi virtute tantum distinguantur formaliter in Deo sunt. Probo hanc consequentiam; nam si in Deo

non est formaliter volitio libera, atque formaliter principium illud virtuale (semper inexplicatum) non ponuntur extrema necessaria ad distinctionem virtualem, etenim omnis distinctio eo modo, quo est, non tantum requirit, hoc non esse illud & diuisum esse ab alio, sed etiam essentialiter prærequirit hoc & aliud: ergo dum non ponuntur extrema distinctionis non potest applicari distinctio.

Dices, extrema distinctionis esse principium virtuale virtualiter tantum, & volitio libera virtualiter tantum.

2 Sed contra primo: ergo non applicatur ea distinctio virtualis diuina, quæ deseruit fœcunditati, sed alia, eaque difficilior, & admirabilis magis: probo consequentiam, quoniam illa solum versatur inter formalitates in Deo formaliter existentes; nec per distinctionem virtualem aliquid suppletur circa modum existendi, sed tantum in ordine ad munera distinctionis, hæc autem tua versatur inter formalitates solum virtualiter existentes in Deo, & quod mirabilius est atque inexplicabile, præstat vt ratione eius distinctionis virtualis dent Deo eundem effectum formalem, non aliter, quam si formaliter existerent, hoc mens non capit.

3 Contra secundo, si essentia diuina, & paternitas non essent formaliter in Patre, sed tantum virtualiter, vt fingis, neque esset Deus formaliter, neque Pater formaliter prima persona diuinæ Trinitatis, quis hoc non videat? Rursus quia homo est tantum virtualiter in Deo, tantum est Deus virtualiter homo: ergo si tantum à te constituuntur virtualiter extrema eius distinctionis virtualis in Deo, & non formaliter, Deus nequaquam erit formaliter liber, formaliter volens producere creaturas, formaliter principium virtuale liberæ volitionis, sed tantum virtualiter; destruisque formalem diuinam libertatem, dum abusu distinctionis virtualis eam explicare niteris.

4 Contra tertio inter extrema, quæ tantum sunt virtualiter in Deo, non est distinctio ea mirabilis virtualis, ratione cuius licet vere formare propositiones contradictorias; vg. quia homo, & equus sunt extrema virtualiter tantum existentia in omnipotentia Dei, de ea non licet affirmare simul continere hominem in sua virtute productrice, & non continere: sed per te hæc extrema sunt tantum virtualiter in Deo: ergo tibi non licet inter ea constituere distinctionem virtualem singularem. Maior vero propositio vniuersaliter vera est in omnibus, quæ virtualiter tantum sunt in Deo, nec habebit instantiam in aliquo à nostra quæstione distincto; instantiam vero subsumere ex ipsa re, de qua est concertatio, vitiosum est.

5 Contra quarto, esto verum sit, virtualiter tantum esse in Deo illa extrema. Peto anne distinguantur inter se distinctione mirabili virtuali an non? sed alia inferiori seu vulgari. Si primum ergo sunt in Deo existentes virtualiter rationes reales, de quibus veræ sunt propositiones contradictoriæ: da nobis ergo illas, vna erit principium virtuale virtualiter existens non est contingens altera: volitio virtualis virtualiter existens est contingens: de hac igitur volitione libera virtuali distincta virtualiter à principio virtuali eædem difficultates militant, quæ de formali si eam existentem formaliter constitueres. Nam petere possumus an ea volitio virtualis in Deo sit Deus? an existat à se? an sit perfectio? an entitas realis? & cum per te pro priori naturæ ante virtualem eliciendam potuerit non existere virtualiter, potuit quidem manere in esse possibili virtualiter idem, quod modo virtualiter existens est Deus in Deo est existens à se, est perfectio, ensque reale: ergo contra tuam virtualem volitionem liberam locum habent difficultates omnes propter quas reiecimus *cap.* 4. Caiet. & sequacium extensiuam per fectionem; si secundum: ergo non ponis principium virtuale in ordine ad volitionem liberam, vt probabam *numer.* 48. nam quo pacto sit principium virtualiter eliciens volitionem, si inter principium & volitionem non est virtualis distinctio.

Dices, te non constituere duas rationes, aut formaliter, aut virtualiter existentes virtualiter distinctas, sed vnam solam simplicem in Deo virtualiter æquivalentem duabus, non contingentem in se, virtualiter æquivalentem contingenti; sicut vna res in Deo ratione virtualis distinctionis æquivalet duabus in ordine ad munera distinctionis. Ita ponis à te virtualem contingentiam in libertate diuina æquivalentem reali creatæ, cum realis non sit, sed quæ ita se habet, ac si realis esset. 6

Sed contra hoc est; nam virtualis hæc contingentia ex parte Dei, qui est obiectum non est aliquam rationem formalem, aut virtualem in Deo existentem esse contingentem, sed tantum ita se Deum gerere, ac si contingenter vellet creaturas: ergo non est Deum esse liberum vere in se, sed ita se habere, ac si esset liber, cum tamen liber non sit. Confirmo, ex hoc quod essentia diuina in prima persona ita se haberet in ordine ad Paternitatem, ac si reuera Paternitas ab ea flueret Logica saltem emanatione, non esset sufficiens, vt reuera prima persona esset verus Pater, nisi veram, ac realem Paternitatem habeat, aut formaliter vt sit Pater formaliter, aut virtualiter, vt sit Pater virtualiter: ergo pari ratione si tua virtualis contingentia, nec ponit rationem formalem, nec virtualem in Deo contingenter existentem, sed tantum ita se gerere Deum, ac si contingenter vellet creaturas, cum tamen nolit contingenter ex parte formalitatum diuinarum, non ponis in Deo ratione eius virtualis æquivalentiæ veram libertatem, sed tantum ita se Deum habere in ordine ad creaturas, ac si esset liber cum tamen liber non sit.

Præter hæc vel cum aliquo fundamento in Deo dicis ita se habere, ac si contingenter vellet? vel sine fundamento ita fingis, vt tuearis libertatem Dei. Si hoc secundum: ergo libertas Dei est quid à te fictum sine fundamento in ipso, quo nihil absurdius. Si primum, quodnam Deus præbet fundamentum, vt dicamus ita se habere ac si contingenter vellet. 7

Dices, quia libere vult creaturas, sed contra in tua sententia idem est libere velle, ac si contingenter vellet: ergo non das fundamentum, sed ais idem per idem.

Deinde argumentor in hunc modum, cum ais ita se habere, ac si contingenter vellet, atque Deum denominas realiter, & formaliter libere amantem creaturas, aut iste effectus formalis est realis, aut rationis. Non secundum, quoniam constitueres libertatem Dei in ente rationis, quod à nobis confutatum est supra *cap.* 3. & à te reputur. Nec primum, quia non habet formam realem in Deo existentem; nam ita se gerere, ac si contingenter vellet, non est in Deo existere aliquid reale, quod antea non existebat; anne si Deus noluisset condere creaturas, esset ne in ipso aliquid

aliquid entitatis realis, quod modo non est? vel an modo, cum vult creare mundum, est aliquid entitatis realis, quod tunc non esset? nequaquam; posset quippe Deus realiter mutari, realem acquirere, & amittere perfectionem, quoniam omne reale perfectio est, vt contra Fonsecam docui n. 24. & 25. à qua forma reali tribuitur effectus ille formalis realis, qui modo est & tunc non esset; nulla sane assignari poterit; asserere vero, effectum formalem realem sine forma reali contra lumen naturale est.

Hinc cernitur extra rem adduci illud de distinctione virtuali diuina æquiualenti reali creatæ; Etenim distinctio hæc virtualis vere, & realiter, ac formaliter est inter absoluta, & relatiua, inter intellectionem, & volitionem, eaque denominat virtualiter distincta; nulla vero realitas, aut formalitas est actu in Deo, quæ in se sit aliquomodo contingens, cum dicas, ita se habere tantum, ac si contingens esset, & hoc appellas esse contingentem virtualiter; negas autem in Deo esse quidquã contingens: ergo in distinctione virtuali formam habebus Deo intrinsecam, per quam denominantur distincta virtualiter diuina, quæ eam habent, non vero habemus formam liberam, aut contingentem in tua opinione, per quam Deus denominetur liberè, & contingenter volens. Porro cum dicimus, eam distinctionem virtualem æquiualere reali, non est putandum æquiualere in ordine ad denominationem formalem, nec enim essentiam, & Paternitatem constituit actu formaliter distincta, sed tantum virtualiter, nec aliud mens capit; nimirum quod illa in se sit tantum virtualis distinctio, & quod essentiam, & Paternitatem actu realiter, & formaliter distinguat. Dicimus ergo æquiualere in ordine ad effectus distinctos, atque separabiles ab ipsa distinctione virtuali, vt ad communicationem essentiæ, non communicata Paternitate, qui effectus posterior origine est ipsa distinctione virtuali, quoniam in Patre pro priori originis ante generationem Filij præexistit distinctio virtualis, non vero communicatio naturæ, & non communicatio Paternitatis, quæ est pro posteriori; at tu ponis æquialentiam in ordine ad immediatum effectum formalem, qui nulla actione distinguitur à forma communicata, quippe ponis ratione formæ virtualis, seu ratione nullius formæ, sed se habentis vt forma realis, formalemque denominationem libere, & contingenter nolentis: ergo nec apte accommodatur distinctio virtualis ad diuinam libertatem, nec ea hac ratione defendi potest.

9 Formo tandem hoc argumentum; Deus potest & producere Christum Dominum ex fine nostræ reparationis & fine gloriæ suæ: pone productum ex vtroque fine, denominabitur nunc libere volens Christum duplici actu libero ratione nostra; altero misericordiæ, seu liberalitatis erga humanum genus, altero charitatis propriæ: erga extrinseca bona, quæ sibi liberè amat. Si ex vno tantum fine produxisset, altera abesset realis denominatio; quia per te denominatio volentis liberè ex quocunque fine realis est; inquiro modo, abessetne à Deo forma realis, vel non? Si ab esset: ergo potuisset antequam eam habuit, non habere aliquam ex realitatibus in ipso existentibus, potuissetque carere aliqua perfectione, quam modo in se habet, & per quam modo realiter est Deus, quæ omnia apud te merito absurda sunt. Si non abesset: ergo effectus ille formalis non habebat formam realem; probo hanc consequentiam: manet namque eadem realitas sine eo effectu formali: ergo ille effectus formalis non proueniebat à realiatte existente in Deo; aut si proueniebat; quare modo non dat Deo effectum formalem, & tunc daret, cum subiectum habeat totam formam, & capax sit effectus formalis.

Dices, tunc fieri deesse formam eius denominationis virtualiter, atque ex defectu virtuali sequi deficere denominationem formalem: virtualiter autem deesse nihil esse aliud, quam ita se habere, ac si realiter deesset; cum tamen realiter nihil desit à Deo.

Sed contra; cum ais virtualiter deesse illam volitionẽ, aut ex parte Dei, intelligis, deficere aliquid inipso siue formaliter, siue virtualiter, siue existens, aut non? si nihil: ergo non potest negari manere effectum eundem formalem eundem realem; sicut dum est albedo in corpore mixto, & nihil ei detrahitur, aut entitatis, aut informationis, effectus formalis, ac denominatio albi perseueret, necesse est, quippe effectus, & denominationem distinguuntur ab entitate albedinis communicata subiecto: ergo pari ratione si libere velle producere Christum Dominum propter illum finem est effectus, & denominatio realis, dum manet tota forma realis; quin per virtualem non permanentiam quidquam illius desinat esse necessario, atque ineuitabiliter tribuet suum effectum formalem, nec aliud mens capit. Si intelligis deficere aliquid: ergo Deus carere potuit aliqua entitate à se, aliqua perfectione, quam modo habet: consequens hoc manifeste infertur ex principiis, in quibus vtrique sentimus.

Deinde Pater Alarcon contra argumentatur sic; quia sequitur ex contingentia virtuali eadem certitudine, veritate & proprietate, qua secundum scripturam sacram dicimus, Deum libere voluisse creare mundum & esse libertatem volitionis in Deo posse dici in ipso esse verum accidens, esse veram, & propriam pœnitentiam, esse verum, & propriam dolorem, esse veram, & propriam mutabilitatem, esse peccabilem, & omnia prædicata alia, quæ de creaturis dicuntur, & cum diuinis attributis pugnant, consequens autem absurdissimum est, & erroneum: ergo & Antecedens; sequelam probo; Ideo dicitur Deus libere volens; quia datur contingentia in eius amore, & quia licet formaliter non possit deficere eius volitio, tamen virtualiter defectibilis est, cum eadem inuariata existens quo adesse possit dare denominationem formalem volentis, & nolentis; ita vt existens volitio non reddat subiectum, in quo est formaliter volens, magis quam si re vera non existeret in ipso; & ideo dicitur libere volens formaliter.

Ex hoc colligo, omnia attributa Dei, volitiones, 10
& intellectiones, proprietates personales, & relationes esse vera accidentia physica Dei. Exemplum adhibeo in relatione, verbi gratia, Paternitatis, tum quia notius est, tum etiam quia in sententia horum Doctorum relatio distinguitur realiter virtualiter à Deitate ipsa: probo ergo paternitatem esse, verum, & formale accidens physicum respectu substantiæ, & essentiæ diuinæ; quoniam accidens physicum formaliter in humanis duo petit, primum quod distinguatur realiter formaliter à substantia, secundum quod sit extra essentiam primam rei, & non sit in ea vt pars compositi; concors enim Philosophorum omnium sententia docet, in hoc differre substantiam ab accidente physico, & prædicamentali, quod substantia per se subsistat; accidens vero sit in alio: hoc posito sic argumentor, Paternitas diuina respectu Deitatis perinde se habet, ac si

distingue

distingueretur realiter ab ipsa, & perinde se habet, ac si inhæreret in ipsa, vt in subiecto: ergo formaliter est accidens reale. Antecedens probo. Paternitas creata est accidens physicum formale, quia realiter formaliter distinguitur ab humanitate Petri, & in illa physice inhæret formaliter vt in subiecto, non tanquam pars eius, neque vt terminus existentiæ humanitatis, neque vnio intrinseca, sed totum hoc habet virtualiter realiter Paternitas diuina: ergo est accidens formale.

Minor quoad primam partem clare est quoad secundam partem sic probatur; quia paternitas realiter concipitur à nobis, vt modus quidam, non vnionis substantialis inter partes, quæ nullæ sunt in diuino ente, neque concipitur vt modus existentiæ vltimæ diuinæ naturæ; quia paternitas, vt sic formaliter, non est substantia, sed alia formalitas adveniens personæ primæ generanti iam constitutæ in esse primæ personæ, & post actum primum, & secundum generationis; & in omnium opinione saltem relatio spiratoris non est formaliter substantia, & tamen distinguitur virtualiter à deitate, quæ communicatur Spiritui Sancto, cui non communicatur spiratio actiua: hæc ergo relatio est extra Deitatem, non tanquam pars, neque vnio, neque vltimus terminus existentiæ, & apprehenditur realiter à nobis, vt adveniens personæ per productionem; sicut Petro producenti filium: ergo perinde se habet realiter, ac si formaliter inhæreret: ergo est formaliter accidens.

Hanc consequentiam probo: illa relatio habet virtualiter quidquid habet formaliter relatio creata, quæ est verum accidens formale; nam distinguitur virtualiter, & est extra integritatem eius, à quo distinguitur; sicut quælibet relatio creata id habet formaliter: ergo relatio diuina erit etiam verum accidens formale reale; ideo enim volitio diuina, alias summe necessaria in esse existentiæ dicitur formaliter libera, quia virtualiter est contingens, & defectibilis, hoc est quia cum sit inuariabilis formaliter, perinde se habet, ac si variaretur: ergo similiter relatio diuina est extra integritatem personæ diuinæ virtualiter, licet sit substantia formaliter; nam perinde se habet, ac si esset extra eius essentiam, & integritatem, eo quod perinde se habeat, ac si distingueretur realiter: ergo est accidens formaliter.

11 Probo vlterius Deum quoque dici vere, & propriè peccatorem; quia Deus in omnium opinione secundum fidem catholicam dicendus est concurrere cum creatura rationali ad materiale peccati, & immittere cogitationes multas, ex quibus scit multa futura peccata, quæ propterea dicitur voluntarie permittere. Probo non solum permittere, sed & velle, & peccare, suppono non minus pugnare cum summa, & infinita necessitate existendi, quam habet volitio diuina, contingentiam, & defectibilitatem realem formalem, quam pugnet cum summa, & infinita bonitate Dei peccatum: sed illo non obstante dicitur Deus formaliter liberè volens; quia perinde se habet illa volitio necessaria, ac si esset contingens: ergo dicetur etiam Deus peccans, quia operatio eius, & voluntas infinitæ consona summæ regulæ perinde se habet, ac si esset dissona rationi, & moraliter deficiens à regula, ac proinde sicut ad libertatem physicam formalem sufficit sufficientia physica virtualis coniuncta cum summa necessitate existendi physicè, ita ad libertatem moralem peccandi sufficit deficientia à ratione moralis virtualis coniuncta cum summa necessitate operandi bene iuxta rationem.

Iam vero quod diuina voluntas perinde se habeat aliquando, ac si deficeret moraliter à ratione, probo, quia in creatis quicunque iuuat, & concurrit cum alio physicè, vel moraliter ad opus peccati, & præbet occasionem positiuam, ex qua scit peccaturum alium, peccat sine dubio, & formaliter deficit à recta ratione; sed Deus ex infinita sapientia cognoscens futurum peccatum hominum voluntarie, & omnino libere immittit occasiones & cogitationes antecedèter efficacissime pellicientes ad voluptates corporeas, ex quibus cognoscit infallibiliter hominum voluntates sua libertate peccaturas, & insuper voluntariè concurrit physice cum illis ad consensum liberum hominum peccantium, quo concursu & cogitationibus deficientibus omnino non fieret peccatum in voluntate humana: ergo Deus in hoc casu potest dici peccator formaliter, sicut dicitur libere volens: probo consequentiam in homine suadente alteri homini homicidium, & iuuante physice ad illud, non ex affectu iustitiæ, sed ex proprio commodo per homicidium oriundo, v.g. propter spem adeundæ hæreditatis est homicidium formale, quia illa suasio & concursus physicus ad occidendum formaliter dissonat rationi, & realiter formaliter caret rectitudine debita.

Deus ergo sic suadens, & concurrens perinde se 12
habet, ac homo; quia quod facit homo formaliter deficiens à ratione facit Deus non formaliter deficiens ab eadem, sicut Deus libere vult; quia quod voluntas creata libere vult per formalem deficientiam physicam, facit Deus absque tali deficientia physica, & hoc est mirabile, vt creata voluntas non possit transire ab statu volentis, ad statum non volentis physice, & realiter, manente volitione intrinseca, sicut cum erat volens, vtique quia licet maneat formaliter, non manet virtualiter: ergo Deus ab statu operantis bene secundum regulam rationis poteris transire adstatum operantis contra rationem, & turpiter; quia licet in nobis, non nisi operatio turpis, nisi ad stante realiter priuatione rectitudinis debitæ in actu in illo concurrendi ad homicidium in Deo fiet adstante virtualiter; quia licet in tali concursu, & suasione Dei ad homicidium materiale sit, & adstet summa regula, & honestas diuina formaliter, qua peccare non potest formaliter sicut nec volitio deficere physice formaliter, tamen talis honestas non manet virtualiter in tali concursu; id est perinde se habet ad effectum honestatis, ac si non esset, siquidem in creaturis peccare formaliter, est sic concurrere, & sic deficit formaliter honestas: ergo eadem proprietate, qua dicimus, Deum libere velle careaturas, dicetur etiam libere peccare.

Respondebis, non quodlibet prædicatum creatum formale debere concedi Deo virtualiter, sed illud solum, quod necessarium fuerit ad explicandam aliquam perfectionem diuinam quale non est necessarium prædicatum peccatoris.

Solutionem hanc nullam prorsus esse manifeste demonstro, quoniam secundum veritatem catholicam omnes confitemur tanquam quid mirabile, & perfectissimum in diuina causa prima, vt possit voluntarie immittere cogitationes efficacissimas, ex quibus scit sat futurum peccatum ab homine, & ad opera peccaminosa concurrere, & nihilominus in his non peccet formaliter, nec vlla sit labes peccati, sed summa honestas, quas cogitationes, occasiones, & concursus ad illa opera nulla creatura

tura ex quocunque fine bono & honesto potest honeste facere, si semel sciat, tale peccatum inde futurum, quam veritatem catholicam Patres, & scholastici fatentes docent id fieri à Deo; quia legibus non vincta est, eo quod sit summa regula, quia malitia oritur ex causa secunda; quas & alias rationes explicant, vt Deum immunem ab omni peccato præstent; in eo concursu ad materiale peccati, sicut omnes catholici concedunt, Deum libere velle, quam libertatem amandi nulla creata voluntas habet, nisi per realem mutabilitatem intrinsecam, quam Deo concedere nefas est, & nihilominus reueremur in Deo vt quid perfectum posse velle & non velle absque sui mutatione intrinseca.

Illud obserua à recentioribus per audaciam dictum, nempe non esse inconueniens aliquod asserrere in Deo esse verum accidens reale virtuale, quia licet Deus formalissime sit substantia, per æquiualentiam est accidens; nam id, quod formaliter sumptum in creaturis est imperfectum, virtualiter sumptum in creatore est perfectio; hæc omnia per audaciam asseruntur contra Doctores omnes & Patres asserentes, in Deo nihil esse, quod vlla ratione mereri possit nomen accidentis realis, nisi tantum per intellectum & & nostro modo concipiendi, secundum quem attributa dicuntur passiones, & proprietates essentiæ, ab illaque oriri; omnes enim Patres dicunt, quidquid est in Deo realiter esse Deum, & substantiam, & supra substantiam, & si aliquid probat ratio prædicta, euincit non solum virtualiter esse dandum accidens, sed etiam formaliter propter virtualem absentiam, sicut datur formalis libertas in Deo propter virtualem contingentiam.

Præterea à priori sic argumentor: Deus in aliquo signo ab æterno debet concipi, & realiter indifferens ad volendum, & non volendum creaturas, in quo signo intelligitur volens seipsum necessario vt summum bonum, & talis volitio indifferens ad hoc, vt sit volitio creaturæ, vel nolitio ipsius, postea aduenit secundum signum in quo iam libere dicitur determinate velle actu secundo creaturas, in quo signo iam non est indifferens realiter sed determinate amans illas realiter: in hoc ergo signo quid habet Deus in se, vel extra se quod non esset in primo? Respondent, nihil formaliter realiter: virtualiter tamen habet Deus totum illum actum denuo intrinsecum, quo amat creaturas, quas in signo antecedenti non amabat realiter, hoc est in hoc secundo signo ita se gerit Deus realiter, ac si denuo contingenter, realiter, physice, formaliter adueniret totus ille actus amoris vt realiter distinctus: quod si in hoc secundo instanti Deus nollet creaturas, quid ei deficeret: Respondent, realis entitatis formaliter physice nihil; virtualiter tamen totus actus intrinsecus amoris deficeret; quia in ordine ad denominationem amandi creaturas perinde se habet ille actus amandi, ac si realiter, physicè, formaliter deficeret, sicut in creata voluntate deficit, & hoc est mirabile in Deo: sed hæc solutio falsa est; nam si in secundo signo nihil est intrinsecè in Deo, neque extrinsecè ex parte creaturarum, quod non fuerit in priori; quomodo mens humana capere potest in secundo signo prædicari de Deo realiter contradictoriam veritatem illi, quæ prædicabatur in priori?

## SECTIO II.

*Nostra sententia ponitur & probatur.*

PRima conclusio, ad libertatem voluntatis diuinæ requiritur contingentia aliqua, quæ cum non possit esse formalis debet esse virtualis. 13

Probatur hæc conclusio, quia Deus quatenus libertatem habet in ordine ad creaturas, contingenter, & non necessario se exercet respectu illarum; vnde secundum fidem catholicam, & secundum lumen naturæ Deus non necessario amat creaturas futuras, sed potius cum indifferentia, & ita amat, vt potuerit non amare illas; quæ indifferentia formalissime constituit libertatem: ergo verum est dicere Deum contingenter amare illas: patet consequentia; quia contingens, & necessarium opponuntur; sed non amat necessario: ergo contingenter amat: è contra vero, si diuinam voluntatem consideremus respectu ipsius Dei, nullo modo amat contingenter, sed necessario: quapropter ita determinate se amat Deus, vt non possit contingenter se amare; quia determinatus omnino est ad se amandum: ergo à contrario sensu si non est determinatus omnino ad amandas creaturas futuras, vel actuales cum contingentia, aut contingenter amabit illas: ergo ad amorem liberum circa creaturas necessaria est contingentia.

Vrgetur, ac declaratur; non potest respectu eiusdem obiecti dari duplex volitio simul opposita, & ideo quia Deus se ipsum amat necessario, non potest habere oppositam volitionem respectu sui, scilicet amare contingenter, contingens enim, & necessarium ita opponuntur inter se, vt nullo modo compatiantur simul in eodem subiecto respectu eiusdem; vnde cum Deus in entiiate sua sit necessarius, non potest simul in eadem entitate esse contingens; & è contra, quia creatura est contingens, non potest esse necessaria quoad entitatem, & ideo colligimus creaturam esse contingentem, quia potest esse, & non esse; sed etiam Deus ratione libertatis potest amare, vel velle creare mundum, aut velle non creare illum: ergo in volitione Deus est contingens, sicut creatura in esse hoc est, quod sicut creatura est indifferens ad habendum esse, & non habendum esse; ita Deus est indifferens formaliter ad volendum dare esse, & ad volendum non dare esse. Quapropter sicut ex tali contingentia creaturæ colligimus manifeste, non dari in creatura oppositum talis contingentiæ scilicet necessitatem inessendo; ita ex contingentia in amando colligimus non dari in Deo necessitatem in amando, & è contra quia secundum fidem catholicam credimus nullam dari necessitatem in Deo quoad dilectionem, & amorem creaturarum, ita manifeste colligimus, dari in Deo contingentiam quoad talem amorem; quare sicut quoad amorem sui est verum dicere, quia se amat necessario non potest se amare contingenter, ita oppositio modo in amore creaturarum est verum dicere, quia non amat necessario creaturas futuras, vel actuales, amat contingenter illas, neque potest simul amare contingenter, & necessario easdem propter oppositionem, quam habent hi termini, contingenter, necessario, ratione cuius nunquam verificantur in eodem respectu eiusdem simul, vt patet ex oppositione modalium de quibus late egimus in Summulis. 14

Secunda pars propositionis, seu conclusionis nostræ manifeste patet, quia contingentia formalis 15

est illa, ratione cuius res quæ illam habet, potest esse, & non esse, hoc est desinere in esse formaliter à parte rei; vt videre est in creatura, quæ ratione contingentiæ quam habet formaliter à parte rei potest esse, & desinere esse formaliter, aut corrumpi in esse.

Sed actus liber Dei vt supra late contra Caietanum demonstrauimus, quia est ipse Deus formaliter non potest esse, & non esse, quia formaliter determinatus est ad essendum: ergo actus liber Dei non potest habere contingentiâ formalem: ergo si est necessaria contingentia ad actum liberum Dei, necessario erit dicendum talem contingentiam esse virtualem, quia non datur medium inter cõtingentiam formalem, & virtualem.

16 Declaratur; quando in vno subiecto datur vnum oppositum formaliter metaphysicum non potest dari alterum oppositum formaliter in eodem; v. g. quia Deus formaliter est ens increatum, non potest simul esse creatum ens; & quia homo est animal rationale, nullo modo potest esse formaliter animal irrationale; sed necessarium quoad esse formaliter, & contingens quoad esse formaliter opponuntur metaphysice: ergo si in Deo datur necessitas quoad esse formaliter in actu libero; non potest simul dari contingentia formaliter quoad esse in tali actu.

17 Secundo sic probatur. Quia licet contingentia formalis dicat imperfectionẽ, nihilominus tamen contingentia virtualis, aut æquiualentiæ nullam dicit imperfectionem, vt videre est in distinctione, quæ licet dicat imperfectionem inter prædicata absoluta si sit realiter, ac formaliter, & ideo non possit concedi in Deo, vt definitum est in Concilio Remensi contra Gilbertum, nihilominus tamen sine vlla imperfectione concedimus inter intellectum diuinum, & voluntatem distinctionem virtualem à parte rei, quam etiam concedimus inter diuinitatem, & relationes: ergo similiter, licet contingentia formalis ad essendum & non essendum sit imperfectio, & ideo non sit concedenda in Deo, nihilominus tamen poterit concedi contingentia virtualis, aut per æquiualentiam sine vlla imperfectione; nam quod formaliter sumptum in creaturis est imperfectio, virtualiter, aut eminenter sumptum est perfectio, & ideo in moralibus summa perfectio muneris regij est in ipso excellentissimo munere regali æquivalere non solum supremis officijs, aut muneribus, non solum belli, sed pacis, ratione cuius æquiualentiæ potest Rex formaliter exercere munera infima, quæ per se sumpta formaliter nullo modo decerent dignitatem regiam, & idem est in dignitate summi Pontificis, in qua summa excellentia est æquialere Ecclesiasticis infimis muneribus. Item magna imperfectio est esse lapidem, ignem, & aquam formaliter, & sic absurdum est concedere, & dicere, Deus formaliter est lapis, ignis, aqua &c. & nihilominus magna perfectio est continere virtualiter, & eminenter lapidem: ergo licet contingentia formalis sit imperfectio, nihilominus contingentia æquiualentiæ, eminentiæ, & virtualis non dicit imperfectionem, sed summam perfectionem: ergo sine vllo incommodo potest concedi Deo, præcipue; quia diuina libertas, & indifferentia sine contingentia aliqua nullo modo potest intelligi: atqui propter summam perfectionem Dei non potest ei tribui contingentia formalis, alias formaliter posset esse, & non esse, habere esse, & corrũpi ineſſe; vt docet Caietanus, quod supra late reiecimus: ergo necessario concedenda est Deo contingentia virtualis.

Tertio sic probatur, quia sicut excommunica- 18
tione vnius formalitatis, v.g. diuinitatis, & ex non communicatione alterius, v.g. Paternitatis à Patre respectu filij recte colligimus distinctionem virtualem inter ipsas, quia realem, & formalem Deo tribuere non possumus, ita ex contingentia denominationis libere volentis in Deo recte colligimus contingentiam virtualem, cum realem formalem colligere non liceat.

Explicatur hoc, quia in Deo datur prædicatum quoddam intrinsecum diuinum summe necessarium, & indefectibile formaliter, quod infinitum est tam in genere entis, quam in ratione appetitus, estque infinitum non per modum potentiæ, nec per modum actus inchoati, seu primi, sed per modum perfectissimi & vltimi actus: ergo ille actus ex vi suæ simplicissimæ entitatis, quam totam necessario habet, est sufficiens ad attingendũ omnia obiecta volibilia, vnum quodque secundum rationem, & capacitatem suam, in illo igitur actu est tota actualitas necessaria vt amet Deus se ipsum propter se, & alia propter ipsum, & se vt finem, alia vt media. Tandem se necessario, quia hoc exigit infinita bonitas sua, & alia libere, quia hoc petit infinitum dominium, & perfectio superioritatis, quam habet circa res creatas, & quia non amplius requirit finis, aut obiecti bonitas: cum ergo amat Deus alia à se non alio actu; nec per aliquid additum realiter actui vult, sed illomet, quo se amat, & posset non amare alia, si vellet per ipsum actum.

In hoc ergo solum consistit eminentia, summa excellentia, & infinita perfectio huius mysterij, quod hic actus apprehendatur vt forma quædam, quæ secundum totam realitatem suam necessaria, & necessario sit in Deo, seu potius sit ipse Deus, & tamen non necessario compleat quasi adæquatum effectum formalem, quem conferre potest in ordine ad obiecta creata; sed potius est in manu, ac potestate habentis talem actum per illum velle dare esse illi & velle non dare esse ipsi, hoc est amare, vel non amare talia obiecta, & quando amat vere diligit sine additione aliqua formali, ita vt nihil ideo plus habeat, quam si non amaret & quando non amat, nihil minus habeat, ac quando vere diligit, neque definit esse formaliter aliquid intrinsecum in ipso, ex vi huius non amoris.

Hoc autem quod nos explicamus per modum 19
formæ & effectus formalis est in Deo longe eminentiori, & altiori modo, & ideo licet in formis imperfectis nunquam possit accidere, vt eadem omnino forma necessario existens in subiecto non conferat illi totum suum effectum formalem secundum capacitatem subiecti, ac proinde in volitione creata non possit intelligi, quod necessario habeat aliquem actum volendi, & nihilominus sit in manu eius velle, aut non velle per illum actum aliquod obiectum, quod potest amare; quia actus existens in potentia, necessario habet in illa totum suum effectum formalem, facitque eam actualiter tendere in totum obiectum suum; nihilominus diuinum velle, quia non est forma informans, nec actus actuans, sed actus purissimus æquiualens infinitis actibus tam priuatiuis, quam positiuis voluntatis creatæ, & contingentiæ eiusdem altiori modo intelligendum est constituere Deum, vt volentem, & attingentem obiecta cum eminenti quadam potestate ad attingendum, vel non attingendum secundaria obiecta, nulla in ipso actu mutatione, vel reali additione facta formaliter

Accedit

Accedit alia notanda differentia inter velle creatum, & increatum; nam velle creatum est totum natura sua ordinatum ad obiectum, à quo sumit speciem, & ideo non potest esse talis actus in potentia, quin actu inclinet ad tale obiectum, & non per modum potentiæ, sed per modum actus, & ideo necessario constituit volentem, vel nolentem tale obiectum, velle autem in creatum nullam speciem sumit ab obiectis creatis, & secundariis, neque habet realem habitudinem ad illa, sed eminentissimo, & absolutissimo modo illa attingit, quando Deus illa vult & ideo licet illud velle secundum totam suam entitatem necessarium sit non tamen necessario amat & attingit talia extrinseca seu secundaria obiecta, & cum ea liberè attingit, non est necesse aliquid rei illi addere fotmaliter, sed se ipso est volitio eorum libere volendo, & se determinando eminentiori modo omni eo, quo attingit creatura suum obiectum.

Quod amplius confirmare ac declarare possumus ex comparatione inter libertatem creatam & increatam, libertas enim creata est potentialis, increata vero est summe actualis, & ideo illa est per modum potentiæ activæ simul & receptivæ; hæc vero est per modum purissimi actus ex quo nascitur inter eas proportionalis quædam convenientia cum absoluta, & summa quadam dissimilitudine, & differentia. Proportio consistit in hoc, quod sicut libera facultas creata, quæ activa est, vt se determinet ad hunc actum potius quam ad alium agendum non indiget alio determinante active; sed ipsa active accommodat suam vim ad hunc actum potius quam ad alium. Ita libera facultas, seu potius actualitas increata non indiget alio formaliter determinante, & quasi actuante, vt se se quasi flectat (vt sic loquar) ad hoc obiectum potius quam ad aliud; sed se ipsa id præstat, est tamen differentia manifesta, quod facultas creata, in qua formalis libertas est, quia est tantum in potentia, seu actu primo, indiget aliquo addito per modum actus secundi, quo formaliter determinetur; entitas autem libera Dei, quia non est potentia sed actus purus, non indiget addito aliquo tali, vt ad obiectum determinetur; sed seipsa formaliter id præstat.

Ratio autem huius differentiæ non est alia, nisi summa actualitas diuini illius velle & infinita perfectio eius, ratione cuius in se præhabet quidquid ad omnem actualitatem volendi necessarium esse potest; vnde tota illa perfectio, quæ addi fingitur per illud liberum, ac reale additum in ipsamet infinita perfectione actualissime continetur; secluſa tamem quadam imperfectione, nam illud additum, quod fingitur, tale est, vt necessitate quadam coniungat voluntatem diuinam obiecto creato, postquam scilicet intelligitur illi voluntati adiunctum esse illud additum. At vero infinita illa perfectio diuini actus nulli obiecto creato necessario coniungitur, sed illud ipsum amare, vel non amare potest, cum quadam indifferentia, & dominio, non supra se ipsum, sed supra obiectum. Hæc autem indifferentia provenit in Deo, & in suo illo purissimo actu, vt iam dixi, ex quadam infinita, & eminentissima æquivalentia, non solum actui primo voluntatis creatæ, sed etiam infinitis actibus positivis, & privatiuis, quibus determinatur ipsa voluntas adamandum, vel, non amandum, vnde Deus potest concipi vt in actu primo videlicet quando concipitur vt potens velle, vel nolle, & sic æquivalet actui primo voluntatis creatæ.

Iterum potest concipi in actu secundo sive positivo, siue priuativo volendi vel non volendi, & sic æquivalet actibus secundis creatæ voluntatis, vnde hæc reductio ad actum secundum per æquivalentiam in manu, ac potestate illius est, ratione illius eminentissimæ, ac perfectissimæ actualitatis cum, infinito dominio circa omnia obiecta creata, ita tamen debet hoc intelligi, vt quando æquivalet actui primo provt sic non æquivaleat actui secundo nec debeat confundi cum actu secundo prout distinguitur à primo, & quando æquivalet actui secundo positiuo, non æquivaleat actui priuatiuo, sed potius existente positiuo actu, v. g. amoris desinat æquivalenter odium, & virtualiter deficiat, quia Deus non potest simul amare, & odio habere idem obiectum propter oppositionem vtriusque actus; nam sicut in creatis non possunt simul formaliter esse amor, & odium eiusdem personæ, ac proinde existente amore alicuius, desinit formaliter odium eiusdem quia duo opposita non possunt esse simul in eodem subiecto respectu eiusdem, vt patet ex definitione eorum: opposita enim sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt; ita similiter in Deo existente amore alicuius debet deficere, & expelli eo modo, quo potest odium eiusdem obiecti, sed non potest expelli formaliter, aut formaliter destrui: ergo necesse est, vt destruatur æquivalenter, aut virtualiter, quia sineque formaliter neque virtualiter deficit simul amabit Deus, & odio habebit idem obiectum, quod est falsissimum, vt ex terminis patet. Minor sic probatur, quia amor Dei, & odium Dei solum eo modo possunt separari, quo distinguuntur à parte rei, & non eo modo, quo identificantur; quia idem non potest separari à seipso, sed odiū Dei identificatur formaliter cum amore Dei, & solum virtualiter, aut æquivalenter distinguitur ab illo: ergo solum virtualiter potest separari ab illo à parte rei; atqui existente amore, deficere odium est separari à parte rei odium ab amore: ergo existente amore solum virtualiter, & æquivalenter, & non formaliter potest desinere esse, destrui, aut deficere odium eiusdem obiecti, cuius est amor, & hoc est amorem ita esse prosequutionem vt æquivaleat solum illi provt distinguitur ab odio, & non a quivaleat simul odio, vt distinguitur ab illo, quia amor Dei æquivalet amori creaturæ, atqui amor creaturæ formaliter non est odium: ergo amor Dei æquivalenter non est odium, licet formaliter sint vna, & eadem entitas.

Exemplo clarissimo dilucidatur hæc veritas; licet eadem entitas v. g. sit in deo exemplar leonis, & hominis nihilominus vt representat leonē, seu vt terminatur ad illum pro vt sic, non terminatur ad hominem tanquam exemplar eius, & è contra, quæ omnia sine additione, mutatione, aut distinctione reali formali in Deo fiunt; sic similiter contingit in proposito, vt voluntas diuina reducatur ad hunc, vel illum actum modo iam explicato sine reali additione, vel diminutione formaliter à parte rei fit cum sola additione, vel diminutione virtuali; quod aliquomodo adumbratur increatis, nam quando voluntas creata reducitur de actu primo ad secundū non fit additio realis actu primi per aliquam additionem realem potentiæ supra voluntatem, sed solum fit additio actus secundi super illam quia voluntas ipsa habet in-

diuisibiliter omnem rationem potentiæ in ordine ad obiectum, & in tali indiuisibilitate seu simplici entitate eminentiam omnium actuum secundorum; non tamen est formaliter actus secundus omnis; sed Deus in suo actu secundo voluntatis habet omnem perfectionem, & eminentiam actus primi, & secundi æquialendo omnibus illis perfectionibus creatis, ablatis tamen imperfectionibus illarum, per illud ipsum formalissimum esse volendi: ergo quando reducitur de actu primo ad secundum per supradictam æquivalentiam in manu ac potestate eius positam, nec sit additio actus primi supra illam perfectionem diuinam, quia æquialet actui primo creato per illum formalissimum actum volitionis, continendo omnem perfectionem sine imperfectione illius; nec fit additio actus secundi, quia in se est actus purissimus; vnde tota illa perfectio, quæ videbatur necessario requiri, vel quæ poterat exigi in tali actu, vel fieri per illam additionem; iam in ipsamet infinita perfectione actualissime continetur, secluſa tamen omni imperfectione, & hoc propter præstantiam, & eminentiam illius actus; itaque hæc reductio in Deo nihil aliud est, quam posse Deum per illam eandem formalissimam entitatem sine vlla distinctione formali velle facere creaturam, aut velle non facere illam, amando, vel odio habendo ipsam, æquivalendo iam huic, iam illi actui primo vt distinguitur à secundo, vel secundo, vt distinguitur à primo, & sub illa ratione distinctionis, & secundo etiam positivo amoris, vt distinguitur à positivo odij, quando voluerit, & quomodo voluerit; quia totum hoc situm est in infinita potestate, & dominio Dei, ratione cuius potest secundum exigentiam obiectorum tendere in illa, & ideo licet sit necessarius in se, potest tamen Deus ratione illius velle facere rem, vel velle non facere & in se habere hanc, vel illam denominationem, quam per additionem realem formalem habet creatura per solam addictionem, & diminutionem virtualem.

23 Confirmatur, ac declaratur totum; quia non est minor imperfectio diuisibilitas, & extensio formalis in ordine ad locum, quam contingentia formalis; vnde tantum repugnat Deo extensio, & diuisibilitas localis formalis, quam formalis contingentia; sed licet sit imperfectio extensio localis & diuisibilitas formalis, nihilominus tamen Deus virtualiter & æquivalenter habet extensionem, & diuisibilitatem, & ratione illius sine vlla imperfectione existit in locis infinitis extensis, & est prætens omnibus corporibus formaliter indiuisibilibus, quod certe nullus aut Philosophus, aut Theologus negare ausus est; quia nullo modo potest intelligi, quod Deus sit formaliter indiuisibilis, & intensus, & nihilominus sit præsens rebus extensis formaliter, nisi habeat aliquam extensionem, & diuisibilitatem, & cum non possit habere formalem propter imperfectionem, necesse est, vt habeat virtualem, vel æquivalentem: ergo similiter licet Deus non possit habere contingentiam formalem propter imperfectionem illius, nihilominus sine vlla imperfectione poterit habere æquivalentem, seu virtualem contingentiam, ratione cuius æquivalenter se habet in amando & non amando, ac creatura habendo, & non habendo entitatem amoris. Itaque cum nulla detur imperfectio in distinctione virtuali, & æquivalentiæ, quæ alias esset in distinctione formali à parte rei, neque sit vlla imperfectio in extensione, & diuisibilitate virtuali, quæ sine dubio esset in extensione, & diuisibilitate formali; nulla ratio potest assignari, cur contingentia virtualis, seu contingentia per æquivalentiam repugnet Deo, ratione imperfectionis repertæ in contingentia formali.

Et cum ex alio capite non sit minus necessaria contingentia virtualis, & per æquivalentiam ad libertatem diuinam, ac diuisibilitas, & extensio virtualis, & per æquivalentiam ad immensitatem diuinam, & distinctio virtualis ad mysterium Trinitatis, necessario concedenda est contingentia virtualis, & per æquivalentiam Deo in ordine ad libertatem, sicut conceditur extensio, & diuisibilitas virtualis Deo in ordine ad immensitatem, & distinctio virtualis, seu per æquivalentiam ipsi in ordine ad mysterium Trinitatis.

A posteriori, & ex creatis sic demonstratur; 24
nam ideo in libertate creata concedimus contingentiam, quia voluntas creata potest amare, & non amare, & ita habet amorem vt potuerit non habere illum, sed etiam voluntas diuina ita amat, vt potuerit non amare: ergo etiam debet habere aliquam contingentiam, quod adeo verum est, vt omnes Theologi, qui agunt de hac materia sine dubio fateantur, contingentiam esse necessariam, ita ad libertatem diuinam, vt sine illa, neque intelligi, neque esse possit diuina libertas; vnde quidam ex Theologis confugiunt ad contingentiam connotatorum, alij ad contingentiam denominationis, & tandem alij ad contingentiam terminationis actus liberi, quia omnes vnanimi consensu docent, contingentiam esse requisitum maximum ad libertatem: ergo aliqua contingentia concedenda est diuinæ libertati, sicut libertati creatæ, cum hoc tamen discrimine quod libertas creata cum ex se sit participata, est corruptibilis, & ideo habet contingentiam formalem ad essendum, & non essendum formaliter, libertas autem diuina non potest habere contingentiam formalem, quia contingentia connotati non constituit libertatem diuinam, vt supra latissime probauimus. Neque potest habere contingentiam formalem in terminatione ad obiectum creatum, quia ipsa terminatio actus liberi non distinguitur à Deo, vt contra Caietanum demonstrauimus: ergo solum restat, vt habeat contingentiam virtualem & per æquivalentiam.

Quod sic patet; nam si interrogemus, cur ita 25
existit creatura vt potuerit non existere, aut cur ita producta fuerit, vt potuerit non produci? Item cur hæc creatura, v. g. Antichristus ita sit futurus, vt potuerit non esse talis, ratio enim non potest quæri in ipsa creatura, nec inueniri intra ipsam; quia sicut ex se non est, sed à Deo, ita etiam ex se non potest habere rationem, cur sit potius quam non sit? cum potuerit non esse: ergo optima ratio reddicur respondendo, ideo creatura est cum potuerit non esse, quia Deus ita volnit. cum potuerit non velle illam: ergo ita est amor huius creaturæ in Deo, vt potuerit non esse in ipso: sed hoc dupliciter solum potest fieri aut per desitionem formaliter à parte rei amoris diuini, qui nunc est eo modo, quo volebat Caietanus, & hoc sat latissime refutatum à nobis est tanquam omnino indignum Deo, & tanquam immediate oppositum fidei diuinæ: ergo non est concedenda viro catholico, ac theologo hæc desitio formalis entitatis amoris diuini, sicut non potest concedi desitio formalis Dei, cum quo identificatur ipse amor diuinus.

Alio

Alio modo potest esse desitio, scilicet virtualiter æquivalendo per suam eminentiam desitioni, & destructioni amoris creati, in quo nulla est imperfectio, vt supra probauimus, sed infinita, & excellentissima perfectio, & ex alio capite est summe necessaria ad explicandum mysterium libertatis diuinæ. Nec aliunde datur repugnantia respectu Dei: ergo hic modus desitionis amplectendus est.

## SVBSECTIO I.

*Dilucidatur supradicta doctrina, & aliquæ obiectiones & fallaciæ aduersariorum refutantur & deteguntur.*

26 IN Deo igitur datur prædicatum quoddam intrinsecum diuinum summe necessarium, quod præ sua infinitate est volitio essentialiter totius obiecti volibilis creati, vel increati; vel odium totius odibilis obiecti, vt ita dicam, sive per actum amoris, & odij simplicem, vel efficacem liberum, vel necessarium, quia actus præ sui excelientia & infinitate respectu aliquorum obiectorum dicitur volitio, seu nolitio libera formaliter; quia habet contingentiam intrinsecè nō formalem, sed virtualem, & ita dicitur non; quia formaliter & intrinsecè à parte rei possit volitio diuina deficere, & abire à Deo, sicut potest à mea voluntate abire actus internus, quo Petrum amo, id enim esset contra diuinam immutabilitatem, & necessitatem: dicitur ergo talis volitio diuina contingens contingentia non formali, sed virtuali: vnde licet Deus sit formalissime necessarius, & determinatus omnino ad essendum sine vlla defectibilitate formali, nihilominus tamen est contingens, & defectibilis æquialenter, & virtualiter, sicut intellectus diuinus, & voluntas licet habeant identitatem formalem, habent tamen distinctionem virtualem, & æquialentiæ; quæ in hoc consistit, vt intellectus, & voluntas diuina propter suam eminentiam, & infinitam perfectionem sua identitate æquialeant intellectui & voluntati creatis, quatenus distinguuntur realiter, & ratione talis æquivalentiæ possint facere id, quod voluntas, & intellectus creaturæ faciunt per suam distinctionem; vnde sicut intellectus creatus ratione talis distinctionis producit Verbum, quod non producit voluntas creata, ita intellectus diuinus ratione identitatis cum voluntate diuina æquivalentis distinctioni reali realiter producit Verbum connotando relationem Paternitatis, quod Verbum non producitur realiter per voluntatem diuinam.

27 Ita similiter, licet actus amoris diuini sit maxime necessarius quoad entitatem, nihilominus tamen propter suam infinitam perfectionem, & eminentiam in tali necessitate, æquialet contingentiæ, & defectibilitati creatæ in hoc, quod sicut voluntas creata propter suam contingentiam, & defectibilitatem formalem, quam habet in suis actibus potest amare, & non amare; ita vt quando existit amor, deficiat odium, & quando amat realiter non odio habeat obiectum quod amat; ita similiter Deus ratione talis eminentiæ, & equialentiæ amat realiter, ita vt realiter potuerit non amare. Itaque per suam perfectionem summam amat, & non amat sicut voluntas creata per suam imperfectionem, & quia voluntas diuina ablatis imperfectionibus ex vi suæ perfectissimæ necessitatis facit id, quod creata propter suam imperfectā contingentiam facit, dicitur æquialenter contingens, non quia possit vllo modo realiter deficere: sed quia perinde se habet, ac si realiter, & formaliter posset deficere: nam sicut actus meæ voluntatis elicitus, quo diligo Petrum dicitur formaliter contingens & defectibilis, quia realiter potest abire, quo abeunte, mea voluntas non diceretur vllo modo realiter amans Petrum, & ideo modo per talem actum existentem in me libere, & contingenter amo Petrum.

Pari modo in Deo est amor liber Petri formaliter, & contingens virtualiter realiter; quia licet intrinseca perfectio talis amoris non possit vllo modo formaliter à Deo realiter abire; tamen permanens adhuc, & invariata formaliter existens in Deo, quia æquivalet amori, & non amori creaturæ potest facere Deum volentem, & non volentem Deum, ac proinde quoad denominationem volendi, & non volendi Petrum est contingens virtualiter aut æquivalenter, quia perinde se habet, ac si esset contingens formaliter; quia præ sui eminentia existens necessario, æquivalet defectibili, quare eas denominationes oppositas præstat necessario existens, eodem modo ac creatura præstat, non necessario, sed contingenter formaliter existens, vnde ita se habet ac si realiter formaliter deficeret; vnde denominatio formalis volentis, & non volentis Petrum in Deo formaliter est contingens & formaliter potest abire, licet obiectum talis denominationis non formaliter, sed tantum virtualiter possit deficere, nihilominus tamen Deus modo formaliter amat Petrum, quem si non produxisset, formaliter non amaret, actus tamen intrinsecus amoris, quo amat Petrum, non potest vllo modo formaliter abire à Deo; potest tamen ita se habere, ac si vere, & realiter deficeret, quia deficit per æquivalentiam; probatur hoc, tum quia Deus ita eminenter excellens potest considerari vt in oppositio formali prædicato eminenter, aut virtualiter contineat aliud oppositum & æquivalere ipsi faciendo id, quod oppositum poterat facere, vt videre est in identitate diuina æquivalente distinctioni sibi oppositæ, & exercente munus talis distinctionis; quod etiam patet in indiuisibilitate divina vt supra vidimus æquivalente divisibilitati, & extensioni sibi oppositæ, & exercente munus ipsius: ergo similiter per suam necessitatem in essendo ratione libertatis infinitæ actualissimæ, & purissimæ poterit æquivalere virtualiter, & eminenter continere sibi oppositam contingentiam formalem, & ratione talis æquivalentiæ exercere id, quod contingentia sibi opposita exercet, videlicet amando, vel non amando formaliter.

Tum etiam, quia sic facile componitur diuina libertas cum immutabilitate; nam sicut per similem distinctionem virtualem potest Deus prædicata contradictoria subire, videlicet in diuinitate, & paternitate, ita vt communicata diuinitate à Patre Filio, non communicetur paternitas ipsi vtique, quia distinguuntur diuinitas, & Paternitas, virtualiter etiam si identificentur formaliter à parte rei, quia quoad hunc effectum vel quasi effectum perinde se habent, ac si realiter, & formaliter distinguerentur,

sicut enim Petrus, & Paulus quia distinguuntur realiter formaliter, potest vnus abire, quo alius non abeat; ita Paternitas, & deitas licet sint idem formaliter, quia distinguuntur virtualiter, potest deitas ire vt ita dicam ad Filium, quo non sit Paternitas quia quoad hoc perinde se habent, ac si distinguerentur, sicut Petrus, & Paulus.

Ita similiter; quia Deus quoad actus liberos subit denominationes contingentes, & contradictorias amandi, vel non amandi, & ita amandi Petrum, verbi gratia, vt potuerit non amare ipsum, necesse est, vt obiectum talium denominationum habeat etiam contingentiam, vel formalem, vel virtualem; nam sicut ad saluandas prædicationes contradictorias necessarias, conuenientes intellectui, & voluntati diuinæ, diuinitati, & Paternitati, concedenda est in obiecto distinctiua à parte rei sine fictione, aut formalis vt concedit Scotus, aut virtuales, vt concedunt Thomistæ cum D. Thoma, & probationes Doctores Societatis Iesu; ita similiter, & à fortiori ad verificandas prædicationes contingentes, & distinctas de diuina voluntate, quibus amat, vel non amat Petrum, & ita amat contingenter, & non necessario, vt potuerit non amare ipsum vere, & realiter, debemus necessario concedere inipso amore diuino contingentiam realem, & non fictam vel formalem, vt concedit Caietanus cum additione & diminutione, cum corruptione & positione realiter entitatis supra perfectionem diuinam, vel solum virtualis eminentiæ per æquiualentiam; sed non potest concedi vllo modo contingentia formalis Caietanitica, vt patet euidenter ex supradictis: ergo debet concedi contingentia virtualis eminentissima per æquiualentiam.

Imo à fortiori debet concedi hæc, si conceditur distinctio virtualis, quia distinctionem virtualem oppugnant omnes Scotistæ, & loco illius ponunt distinctionem formalem ex natura rei, at vero in actu libero tam Thomistæ, quam Scotistæ, & Doctores Societatis Iesu contra Caietanum cõcordant, negantes, dari in entitate ipsa diuini actus distinctionem formalem ab ipsa voluntate diuina, & per consequens negantes etiam additionem & diminutionem formaliter, ac tandem maiori consensu negant contingentiam formalem in entitate diuini actus quia docent, actum illum quoad entitatem non posse destrui, & deficere formaliter: erga facilius concedendum est, Deum habere denominationes contingentes amando, vel non amando creaturam ratione contingentiæ virtualis, & per æquiualentiam, quam defendere generationem Verbi per intellectum, & non per voluntatem, ac proinde intellectum, & voluntatem subire denominationes contradictorie oppositas propter solam distinctionem virtualem, quia hoc à tota familia Scotistarum oppugnatur, illud vero ab omnibus, vno excepto Caietano, admittitur.

Sicut verbi gratia, facilius est concedere indiuisibilitatem diuinam extendi ad omnia corporea, & subire denominationes contradictorias præsentis, & non præsentis eidem corpori, quando destruitur; quæ denominationes sunt intrinsecæ, & non extrinsecæ; ratione extensionis, & diminutionis virtualis in entitate præsentiæ diuinæ, & ratione diuisibilitatis per æquiualentiam, quam prædicata contradictoria communicationis diuinitatis, & non communicationis Paternitatis propter distinctionem virtualem, quia hanc oppugnant grauissimi, & innumeri doctores, illam vero concedunt: ergo similiter facilius est concedere contingentiam virtualem ad verificandas denominationes contingentes in Deo, siquidem omnes negant formalem contingentiam à parte rei, nam si illam concederent, facillimo negotio posset verificari prædicatio contingens de actu libero, sicut ait Caietanus facillimo negotio euadere has difficultates, quia tribuit contingentiam formalem essendi, & non essendi; quia vero hoc videtur expresse contra fidem catholicam, quia concedit separationem realem inter perfectionem diuinam actus liberi, & diuinitatem, ac proinde debet concedere omnimodam realem distinctionem sine vlla identitate reali, quia quæ separantur omnimodo per desitionem vnius & persistentiam alterius, nullo modo identificantur, quod est aperte contra deffinitionem Concilij remensis decernentis omne quod est in Deo, deum esse; in quo distinguitur hæc opinio à sententia Scotistarum; nam licet Scotistæ tribuant distinctionem formalem ex natura rei inter perfectiones diuinas, nihilominus minus periculosè defendunt suam sententiam, quam Caietanus propriam, quia hi negant distinctionem realem, quia dicunt, dari identitatem realem, ex eo quod asserunt, nullo modo posse separari realiter, neque ita se habere, vt vna existente perfectione, destruatur alia; quia si hoc dicerent, concederent omnino distinctionem realem sine vlla identitate, quia separatio maxima duorum per desitionem vnius ex illis, & perseuerantiam alterius tollit, ac destruit omnem identitatem inter illa ac proinde inciderent inhæresim Gilbertinam; sed Caietanus docet, existente volitione necessaria Dei, & voluntate diuina persistente, destrui à parte rei entitatem volitionis circa creaturas formaliter: ergo concedit separationem realem omnimodam: ergo concedit distinctionem realem omnimodam sine vlla identitate reali; quia si identitatem haberent, non possent separari & ideo licet Pater distinguatur realiter à Filio, nullo modo potest separari ab illo per destructionem sui, manente Patre, quia habent identitatem in vna essentia, imo si per impossibile darentur duæ creaturæ, inter quæ daretur distinctio realis secundum indiuiduationes, & ex alio capite daretur identitas in vna indiuisibili essentia simili illi quæ datur in mysterio Trinitatis, non posset destrui vnum indiuiduum, permanente alio quia haberent identitatem in essentia, vnde vt destrueretur vnum, deberent ambo destrui, eo modo, quo asserit Pater Suarez destructa quacunque creatura possibili, non posse destrui omnipotentiam, quin destruatur Deus propter identitatem vtriusque: ergo si Caietanus docet destrui perfectionem volitionis Dei erga Petrum, persistente voluntate, & Deo: ergo sine dubio docet, perfectionem volitionis diuinæ distingui realiter omnimodo sine vlla identitate respectu Dei, quod est incidere, in hæresim Gilberti Porretani. Quapropter nullo modo potest defendi hæc sententia: ergo sine dubio defendenda est contingentia virtualis & eminentialis, ad defendendas prædicationes contingentes libertatis diuinæ; sicut qui non vult defendere distinctionē formalem Scotisticam ad saluandas prædicationes distinctas, & contradictorie oppositas conuenientes diuinitati, & Paternitati communicationis & non communicationis, necessario debet concedere distinctionem virtualem, quam Thomistæ concedunt: ergo similiter ad saluandas prædicationes contingentes in diuinis volendi facere, vel volendi non facere, amandi,

amandi vel non amandi volendi, vel nolendi, quia ita Deus amat, vt contingenter amet, quia non necessario amat creaturas existentes; cum potuerit non amare illas, quæ prædicationes sunt veræ & nõ falsæ, qui noluerit admittere periculosã contingentiam formalem Caietani in actibus liberis, necessario debet admittere contingentiam virtualem eminentiæ, & æquiualentiæ, quia sine vlla contingentia siue virtuali, siue formali non potest vllo modo concipi, quod eadem volitio diuina potuerit non esse, vel quando vult Deus, non potest intelligi quod potuerit non velle.

*Solutio Aduersariorum refutatur.*

Respondent aliqui falsam esse omnem contingentiam tam formalem, quam virtualem, &c. neque illos indigere illa ad saluandas prædicationes contingentes, quia ad hoc sufficit infinitas diuina, nam sicut propter infinitatem (aiunt) potuit eadem entitas esse eadem & distincta, eadem, & non eadem in personis diuinis, communicari, secundum absoluta, & non communicari secundum relatiua: ita in Dei infinitatem reducendum esse, quod eadem entitas, quæ nunc est volitio potuerit ipsissima esse nolitio; vnde in forma respondent, non potuit non habere eamdem entitatem, quam habet concedo, non potuit hæc entitas, quam habet, non esse volitio, nego.

Sed contra manifeste quia volitio est essentialiter ens reale, sed non potuit non esse hæc entitas realis: ergo non potuit non esse hæc volitio. Respondent, in creatis tantum habere locum hanc syllogizationem.

Sed euidentius insurgo contra hanc solutionem, nam in diuinis esse volitionem est esse aliquid reale, & velle est velle realiter: ergo non velle, est non habere volitionem realem: ergo est non habere realitatem volitionis.

Præterea in diuinis etiam habet verum, quod ideo in Deo est aliquod reale prædicatum, verbi gratia, omnipotentiæ, quia in Deo est talis prædicati esse, seu essentia realis, & ideo non esse in Deo aliquod prædicatum reale, verbi gratia, lapidis quia non est in Deo realis essentia, seu realitas essentialis lapidis; sed essentia volitionis diuinæ est essentia realis, seu ens reale: ergo vt non sit volitio in Deo, oportet non esse in ipso ens reale, seu entitatem realem volitionis, & eo ipso quod tota realitas volitionis sit sine eo quod deficiat, aut formaliter, aut æquialenter, non potest non esse omnimodo formaliter volitio; sed ex dictis patet, in Deo non potuisse non esse omnem realitatem formalem, quam habet: ergo aut non est essentialiter posita volitio in hac reali formalitate, sed in ente rationis aut in denominatione extrinseca; aut sicut illa realitas Dei non potuit non esse, neque formaliter, neque æquialenter, ita neque hæc volitio.

Item in diuinis etiam si detur infinitudo, valet necessario negare inferius, negato superiori, verbi gratia, Deus non est animal: ergo non est homo, Deus non est corpus: ergo non est lapis. Item valet in diuinis, nulla realitas potest desinere in Deo: ergo non potest desinere sapientia, iustitia, &c. ergo etiam hæc valet; non potuit Deo deesse realitas aliqua, vel formalitas realis, quam habet: ergo neque potuit deesse hæc volitio; patet consequentia; nam hæc volitio est quid inferius ad realitatem diuinã. Ad hæc, hæc est euidens consequentia, Pater vt Pater est aliquid reale relatiuum; sed Pater vt sic non est Filius: ergo aliquod relatiuum in diuinis non est filius, & sic realitas relatiua Patris non est realitas relatiua Filij: ergo similiter hæc est optima syllogizatio, volitio, vt volitio est aliquid reale; sed volitio, vt volitio potuit non esse: ergo potuit non esse aliqua realitas. Denique potuit deesse volitio: ergo potuit deesse aliquid: ergo potuit deesse ens reale; nam aliquid, & ens reale conuertuntur, & sunt synonyma.

Respondent, quando ratio est omnino absoluta, nihil extrinsecum respiciens, neque connotans, impossibile esse, etiam in diuinis potuisse vni rationem aliquam, seu prædicatum deficere, quin deficeret aliqua realitas, vel realis formalitas intrinseca, secus est si præter id, quod ratio intrinseca importat in recto, requiratur aliquid aliud in obliquo, hoc enim obliquum, & connotatum de nouo existens, quod ita est, vt potuerit non esse, satis est vt dicatur, & sit vere Deus ita volens illud obiectum connotatum, vt potuerit non velle illud.

Sed contra hanc solutionem primo, insurgunt omnia argumenta supra facta *sectione præcedentis quæstionis*, vbi oppugnauimus confugientes ad connotata extrinseca, & volentes saluare contingentiam actus liberi per contingentiam connotati extrinseci; nam sicut actus liber non constituitur per connotatum, ita neque contingentia, & indifferentia illius constituitur per contingentiam cõnotati; quod adeo verum est, vt si actus liber non haberet libertatem, indifferentiam, & contingentiam vllam; sed omnino esset necessarius, connotatum nullo modo esset contingens, sed omnino necessarium, quod latissime supra demonstro, videantur ibi dicta: ergo nullius momenti est solutio.

Secundo contra sic insurgo, quia in diuinis Pater vt sic connotat Filium, & tamen non satis est realis filiatio à Patre connotata, vt realis essentia Patri, & Filio communis dicatur, & sit Pater, nisi Pater addat ratione nostra essentiæ realem Paternitatem, quæ ita distinguatur à Filio, vt si per impossibile deficeret filiatio, & Paternitas, & sola maneret essentia, Pater non per hoc solum quod filiatio connotata desineret esse, desineret esse Pater; sed quia deficiente Filiatione connotata, consequenter deficeret in Patre realis Paternitas, seu realitas Paternitatis. Contra præterea; quia stante eodem connotato, v. g. eodem prædestinato, eisdẽ mediis, & gratiis externis, atque prædestinationis effectibus, præuento, adiuto, & ornato, potuisset Deus, sicut illum elegit de facto ante præuisa merita, eligere post præuisa merita, vt suo loco ostendam: peto ergo in quo consisteret illa distinctio affectuum, dum nunc voluit, seu elegit ante præuisa merita; tunc autem vellet seu eligeret post præuisa merita: hæc enim distinctio affectuum reduci non potest in diuersum obiectum connotatum. Denique connotatum non est essentia recti, sed requiritur ad essentiam recti; quod si essentia recti sine connotato manserit, non potest dici illud connotatum requiri ad essentiam recti; manet autẽ essentia recti, si hoc non est ens rationis quandiu manet tota eius realitas; vnde si ad huius recti realitatem non requiritur illud connotatum, neque requiritur ad essentiam recti, & ideo dicimus, obiectum præsens esse connotatum requisitum ad nostræ visionis intuitiuæ essentiam actualem, quia requiritur ad omnem realitatem visionis intuitiuæ, quod si hæc cum omni realitate

tate maneret absque obiecto obiectú nó esset visio neque requireretur ad visionem : si ergo obiectum à Deo volitum non est , ipsa Dei volitio, neque requiritur ad realitatem vllam volitionis diuinæ, sane absque obiecto vllo manebit tota essentia volitionis , & consequenter manebit ipsa volitio , quod si hæc sine obiecto manere non potest , ideo erit , quia obiectum requiritur ad realitatem illam volitionis.

Tandem , quia infinitudo in Deo si non coniungatur aut cum distinctione formali Scotica , aut cum distinctione virtuali Thomistica , non potest salvare cum veritate prædicata distincta , & contradictorie opposita , quæ conueniunt diuinitati , & paternitati , supposita identitate reali formali inter tales formalitates divinas ; unde etiam si concedas infinitatem inter diuinitatem , & personas , non poterunt verificari prædicata supradicta ; si ex alio capite destruis distinctionem , aut formalem à parte rei , aut virtualem , vt tu ipse fateris in hoc mysterio. Item non potest salvari cum veritate , quod Deus qui formaliter indiuisibilis est , extendatur sine interruptione per corpora , & loca extensa , ac proinde subeat prædicationes , & denominationes extensionis , ( idem est in Angelo , & in anima rationali ) etiam si detur in Deo infinitudo , si ex alio capite non habeat extensionem , & divisibilitatem virtualem , eminentialem , & æquivalentiæ ; vnde quando interrogatur à te cur Deus cum sit indivisibilis formaliter , & formaliter inextensus , extendatur , seu sit præsens toti huic cubiculo sine interruptione , se habendo in hoc , ac si esset corpus , si vis tribuere rationem immediatam, non debes confugere ad infinitudinem ; quia Angelus etiam potest esse præsens toti huic cubiculo continuate sine interruptione , sicut anima est in toto corpore , & nihilominus neque Angelus neque anima habent infinitudinem : ergo debes tribuere pro ratione proxima , & immediata tam in Deo , quam in Angelo , & anima extensionem , seu diuisibilitatem virtualem , licet verum sit quod pro ratione infinitæ præsentiæ Dei per omnia spatia reddenda sit infinita virtualis extensio. Itaque pro certo in bona Theologia habendum est nullo modo posse verificari de Deo prædicata opposita , & distincta sine distinctione formali , aut virtuali , & prædicata extensionis quoad præsentiam non possunt verificari de Deo sine extensione , aut formali , aut virtuali in ipso , quia prædicationes , aut denominationes diuinæ petunt fundamenta suæ verificationis proportionata sibi : sed de Deo verificantur prædicata contingentia , seu contingentes denominationes amandi , vel non amandi , volendi , vel nolendi : ergo à paritate rationis etiam si detur infinitudo in Deo, non poterunt verificari de Deo sine aliqua contingentia aut formali , aut virtuali : sed per te quia non admittis distinctionem formalem , verificantur prædicata distincta , & contradictorie opposita propter distinctionem virtualem , & quia non admittis , nec potest admitti secundum fidem catholicam extensio, & divisibilitas formalis in ordine ad locum in deo , verificas prædicationes , & denominationes existendi præsentialiter , & extensionis Dei sine vlla interruptione per infinita corpora , & spatia per extensionem , & diuisibilitatem virtualem , sine qua negata formali non potest saluari, quod Deus extendatur per omnia corpora , & sit præsens omnibus locis infinite extensis.

Ergo à paritate rationis evidenter , & necessario sequitur , non posse verificari denominationes , & prædicationes contingentes in actibus diuinæ voluntatis sine contingentia virtuali , eminentiali , & æquivalentiæ eorumdem actuum liberorum Dei supposito quod negatur vt negari debet secundum fidem catholicam omnis contingentia formalis ad essendum,& non essendum formaliter à parte rei in ipsis actibus liberis , neque vlla ratio differentiæ , & discriminis potest excogitari ad negandam veritatem contingentiæ virtualis , quam tribuimus Deo , supposito , quod aduersarii admittunt distinctionem virtualem, & omnes Theologi , nullo exempto , extensionem, & diuisibilitatem virtualem æquivalentem formali , & eminenter continentem illam.

*Quædam obiectio ponitur , & diluitur.*

Dices , ex hac tota nostra doctrina sequi , in Deo non dari libertatem formalem , sed solum virtualem ; patet consequentia : quia libertas nihil aliud est , quam contingentia : sed per te in Deo non datur contingentia formalis , sed solum virtualis , & per æquivalentiam : ergo in Deo non datur libertas formalis , sed solum virtualis, & per æquivalentiam.

Sed contra manifeste, quia hæc obiectio aduersariorum fundatur in confusione , & non distinctione harum formalitatum indifferentia , contingentia , quæ maxime differunt , & vna est constitutiuum formale libertatis, & altera non est cõstitutiuum sed requisitum , aut conditio ad libertatis vsum , itaque indifferentia est definitio libertatis , quare si indifferentia non sit formalis in Deo , non erit formalis libertas ipsius , quia autem nos concedimus indifferentiam formalem in Deo ad amandum, & non amandum , hoc est ad volendum facere creaturam , seu communicare aliquod bonum illi , vel ad volendum non facere illam vel non communicare ipsi tale bonum , ideo concedimus libertatem formalem in Deo. & quia contingentia ad essendum & non essendum secundum nostram sententiam ; imo secundum veritatem ipsam , non est constitutiuum formale libertatis , sed solum requisitum aut conditio etiam si sit tantum virtualiter , aut æquiualenter , non destruit libertatem formalem , nec reddit illam virtualem , & æquiualentem;exemplum est manifestissimum per intellectum diuinum generat formalissime Pater Verbum,& per voluntatem non generat formalissime ipsum , quod generare , & non generare non destruit , nec reddit virtuale solum , aut æquiualenter distinctio , quæ datur in Deo inter intellectum , & voluntatem,ex eo quod non sit formalis à parte rei , sed solum virtualis , & ratio est manifesta , quia distinctio , licet sit prærequisitum , & conditio , & nullo modo constitutivum formale generationis Verbi , &c. aut definitio eius non potest tollere formalitatem definiti , quam tolleret sine dubio , si esset constitutiuum formale , unde cum definitio generationis Verbi sit productio seu processio viuentis à viuente coniuncto in similitudinem indiuiduam , & maximam eiusdem naturæ &c. hæc sit formalis in diuinis , formalis generatio est, etiam si distinctio , quæ solum conditio est , sit virtualis.

Aliud exemplum declarat amplius,& minimùm æque veritatem præsentem. Cœlum in probabili opinione

opinione immediate per suam substantiam solum vt aiunt Scotistæ, & P. Hurtado, immediatione suppositi, aut vt ait. P. Suarez cum alijs grauissimis Doctoribus, immediatione suppositi, & virtutis producit mineralia in visceribus terræ, aut lucem maxime intensam in speculo, cum proximior speculo lux non sit tam intensa; quando autem interrogatur ab his quomodo cœlum, cum sit formaliter separatum tanto intervallo possit producere mineralia, cum omne agens debeat esse approximatum passo ad producendum formaliter effectum? Respondent optime quidem ad productionem formalem non requiri approximationem formalem agentis cum passo, sed solum virtualem, hoc est ratione sphæræ virtutis ipsius, & reddunt rationem, quia approximatio est solum conditio ad productionem & non constitutivum formale illius, conditiones autem sufficiunt virtualiter esse, dum tamen constitutivum formale seu definitio formaliter & non solum virtualiter detur.

Ita similiter in nostro casu; contingentia non est definitio, aut constitutivum formale libertatis; quia hoc est indifferentia ad amandum, vel non amandum: ergo bene potest esse contingentia virtualis in Deo, quia est solum conditio ad vsum libertatis, etiam si in Deo detur libertas formalis, quia in Deo datur formalis indifferentia ad volendum facere, vel volendum non facere; quæ indifferentia non est in hoc sita, vt per diversos actus realiter, & formaliter distinctos, amet, vel non velit amare, sed potius per eandem entitatem actus, quatenus est plures virtualiter.

Itaque tota difficultas huius puncti petit, vt demonstremus contingentiam, & indifferentiam, non esse eandem formalitatem, sed diuersam, ac proinde vnam posse esse virtualiter in Deo, aliam formaliter, quo probato, omnis difficultas contra nostram opinionem euanescet, & corruet. Quod sic demonstro primo; nam secundum fidem catholicam, & omnes Doctores Theologos, imo secundum euidens lumen naturale in Deo datur formalissima libertas, & nihilominus fides catholica docet & omnes Theologi, vno excepto Caietano, in Deo non dari contingentiam formalem ad essendum, & non essendum, quia omne quod in Deo est, quatenus à se est, & non ab alio, omnino necessarium est quoad existentiam: ergo secundum fidem catholicam, & omnes Theologos dicendum est, tanquam certum, libertatem formalem ad amandum, vel non amandum, non esse idem, ac contingentiam formalem ad essendum, & non essendum, sed potius distingui realiter omnino; quia separatur realiter in Deo, siquidem existente formali libertate in ipso à parte rei, non existit formaliter à parte rei intra ipsum contingentia ad essendum, & non essendum, ad hoc vt sit, vel vt destruatur aliqua formalitas intrinsece existens in Deo.

Et ex alio capite concedendum est dari in Deo prædicatum formale per quod definiatur formaliter libertas, & sit idem formaliter me cum illa, ac per consequens distincta realiter à contingentia formali: sed hæc non est alia nisi indifferentia, vt patet ex definitione libertatis vt sic (adducta ab omnibus Theologis, vt videre est apud Patrem Suarez *tom. 1. de gratia, prolegomeno 1. c. 3. per totū*) quæ sic se habet. est indifferentia positis omnibus requisitis ad vtrumlibet, quod aliis verbis solet dici vt ait Nemes. *lib. de natur. hominis c.* ; liberū est, si eisdem positis, esset aliquando appetere aliquando refugere; vel aliter, est potestas, quæ positis omnibus requisitis, potest velle, & non velle, per quæ verba indifferentia ad volendum, & non volendum declaratur; quia idem est posse facere, & non facere, posse velle & non velle, ac esse indifferens ad volendum, & non volendum: ergo libertas diuina formaliter est formalis indifferentia ad velle & non velle, ad velle & nolle, quia quidquid convenit superiori; conuenit omni contento sub illo secundū illud principium dici de omni, in quo aduerte, etiam si omnes per indifferentiam definiant libertatem formalem divinam vel libertatem vt sic, nihilominus tamen nulla est recepta definitio libertatis in qua ponatur expresse contingentia formalis, cuius nulla ratio potest reddi, nisi quia omnes Doctores iudicant, indifferentiam formalem esse dignam Deo (vnde ipse P. Herize *tract. 2. disp. 11. de existentia diuinæ voluntatis, cap. 3. num. 19.* conuertit libertatem cum indifferentia his verbis | quæ quidem vt sic indifferens est ad proximam cognoscibilitatem, & appetibilitatem, & ad ipsarum negationem, atque ab vtroque præscindit; quemadmodum facultas libera vt sic in actu primo indifferens est in ordine ad omnem determinationum, ab omnique præscindit.]

Ecce vbi definit libertatem vt sic per indifferentiam vt sic; quia libertas vt sic non potest intelligi sine indifferentia; quia est constitutivum formale, & definitio expressa illius, & contingentiam formalem esse indignam ipso propter imperfectionem essendi, & non essendi, essendi, & desinendi oppositam summæ necessitati Dei in essendo, & ideo licet omnes catholici fateamur, Deum esse liberum formaliter, nullus est ausus dicere huc vsque; Deus est contingens formaliter: ergo contingentia distinguitur realiter à libertate, & per consequens ab indifferentia, quæ est definitio formalis libertatis: ergo non valet argumentum, Deus habet contingentiam solum virtualem: ergo solum habet libertatem virtualem & non formalem; sicut sol non habet calorem formaliter, sed volum virtualiter: ergo non habet lucem formaliter; nam lux, & calor distinguuntur realiter, sicut contingentia & libertas; valeret autem argumentum, si contingentia, & indifferentia essent idem; nam indifferentia, & libertas sunt idem formalissime; cum ergo contingentia, & indifferentia distinguantur, & indifferentia & libertas identificentur, licet non detur contingentia formalis in Deo, poterit esse in ipso libertas formalis ad amandum, & non amandum, quia est indifferentia formalis ad illa.

Secundo sic demonstratur in creaturis. Nam in actu libero creato datur sola indifferentia, & libertas extrinseca, & ideo idem actus potest transire de necessario in liberum, vt P. Suarez late docet cum communi sententia in metaphysica, quæ libertas redundat in actum ex libertate voluntatis cum plena cognitione intellectus aduertentis omnia; si autem intellectus non aduertat, erit actus primo primus, ac proinde non liber, sed necessarius. Aduertentia autem intellectus, & reliqua extrinseca omnino sunt respectu actus voluntatis, atque ideo deminatio liberi in actu, quæ sumitur ab illis, extrinseca est respectu talis actus, & nihilominus actus liber creatus intrinsece est contingens, quia ex vi suæ naturæ intrinsecæ est corruptibilis, & ita est vt possit non esse, omnis enim creatura, quia talis est, contingens est intrinsece, quare cum formalitates contingentiæ, & libertatis, aut indifferentiæ respectu diuersorum sint, quia contingentia est respectu propriæ

existentiæ, & libertatis, seu indifferentia respectu libertatis, voluntatis, & aduertentiæ intellectus. Et ex alio capite contingentia est intrinseca indifferentia, & libertas extrinseca in actu; euidenter sequitur, contingentiam, & libertatem, seu indifferentiam distingui realiter inter se; quia eadem entitas non potest esse intrinseca, & extrinseca simul in eodem subiecto. Præterea si consideremus has omnes formalitates in potentia voluntatis, tam contingentia quam libertas, & indifferentia sunt intrinsecæ formalitates respectu voluntatis, quia voluntas, sicut est intrinsecè libera, est intrinsecè indifferens, & etiam est intrinsecè contingens; sed cum hoc discrimine, quod non respectu illius, in ordine ad quod est contingens, & etiam indifferens, & libera, sed potius respectu distinctorum realiter ab illo; nam voluntas est contingens respectu propriæ existentiæ; quia potest esse, & non esse, si Deus conferret ipsam vel suspendat concursum, quo conseruat illam; itaque respectu sui, & Dei dicitur contingens, vnde potius absoluta denominatio est contingentia, quam relatiua, quia nihil refertur realiter ad suam existentiam, cum existentia sit idem, quod res, cuius est existentia.

29 Dicitur autem libera voluntas & indifferens in ordine ad suos actus, & non in ordine ad suam existentiam; vnde non dicitur indifferens aut libera, quia potest esse & non esse formaliter, sed potius quia potest amare, & non amare formaliter, & quia habet plenum dominium circa suos actus, ratione cuius potest se determinare ad amandum, quando potest se determinare ad non amandum, quia in manu, ac potestate illius est amare vel non amare, quando voluerit, sine eo quod possit recurri ad aliam causam talis determinationis ad amandum potius, quam ad non amandum, quod optime docuit Anselmus *lib. de casu diaboli, cap.* 27. cum enim rogaretur à discipulo de nostra voluntate: [cur ergo voluit (magister respondet) nonnisi quia voluit; nam hæc voluntas nullam aliam habuit causam, qua impelleretur aliquatenus, aut attraheretur; sed ipsa sibi causa efficiens fuit, si dici potest effectus;] nam si interroges de nostra facultate libera, quare ergo obiectum amore, & odio dignũ afficit amore, & non odio? aut quare odio potius quã amore, cũ præextiterit in potentia proxima ad quodlibet; responsio non debet recurrere ad aliquam antecedentem determinationem, aut physicam, aut moralem, sed responderi debet quia habet dominium circa suos actus, ac proinde est principium indifferens, & in manu ipsius positum est, aut amore, aut odio afficere obiectum, quod dominium est causa, vt ipsa voluntas sibi hanc eligendi potestatẽ habeat, qua possit quando voluerit, & quomodo voluerit se reducere, & determinare ad hunc, vel illum actum; itaq; non debemus respondere, quia ipsa se determinat ad volendũ, itavt intelligamus determinationem aliquam præcedere volitionem seu actionem immediate liberam, sed quia se determinat ipsa volitione, quæ est formalis determinatio, ratione cuius in supradictis verbis dixit Anselmus, [nonnisi quia voluit,] vbi aduerte causalem illam, quia voluit diuersum habere sensum, cum applicatur ipsi volitioni, seu actioni, quæ immediate libera est, & cum applicatur effectui extrinseco vt motioni alicuius membri. Nam si fiat interrogatio, quare hæc voluntas edidit amorem & non odium? cum respondemus, quia voluit, non reddimus causalem per causam efficientem, prædeterminantem aut quoquomodo præsuppositam ad amorem, nam pono omnia præsuppositа, atque prærequisita omnem retinere indifferentiam, & prorsus æqualiter se habere ad amorem, & odiũ; & tunc secundum meliorem Theologiam odium, vel amorem intelligere in exercitio potest; reddimus ergo causam formalem, non necessariam, vt cum dicimus ideo homo albus est, quia habet albedinem, sed liberam in se continentem ipsum liberum exercitium, ac si diceremus, cum se potuerit inflectere pro arbitratu, & libito proprio ad vtramuis partem, quia se inflectit ad amorem ipsum eliciendum, actione libera, ideo amat.

At vero cum ea causalis applicatur effectui extrinseco, vt motioni manus, cum dicimus, mouet manum, quia vult, assignamus causam efficientem seu tenentem se ex parte efficientis, quatenus facultatem motricé determinat ad motum; itavt volitio sit causa motus; quod etiam in Deo est verũ, quia ideo Deus facit aliquid, quia vult facere itavt volitio libera Dei sit causa effectionis creatæ; cum hoc tamen discrimine, quod creatura quando vult, vt faciat aliquid, prius facit in seipsam volitionẽ per veram efficientiam, & productionem qualitatis amoris in seipso; Deus autem sine vlla efficientia, emanatione, aut productione formali sui amoris vult facere per solam emanationem, & productionem virtualem amoris à voluntate, quia cum amor seu volitio solum virtualiter, & non formaliter distinguatur à Deo, solum virtualiter & non formaliter debet emanare à voluntate diuina.

Ex quibus manifeste patet maxime distingui cõtingentiam à libertate, & indifferentia propter rationes dictas: ergo bene potest esse formaliter in Deo indifferentia & libertas ad amandum, & non amandum; quia ita amat formaliter hanc creaturam, vt potuerit non amare illam formaliter; licet non detur in ipso contingentia formalis ad hoc vt sit, & non sit actus liber.

Dices, per vos Deus potest formaliter amare, & non amare: ergo potest esse, & non esse amor formaliter; sed esse & non esse arguit contingentiam formalem: ergo in Deo datur contingentia formalis, si datur indifferentia formalis ad amandum, & non amandum.

Sed contra manifeste, quia à verbis adiectiuis ad substantiua non valet consequentia in diuinis, neque è contra à verbis substantiuis ad adiectiua potest fieri syllogizatio; v.g. verum est dicere diuinitas est Pater, & Pater est diuinitas, & nihilominus non est verum dicere: ergo diuinitas generat, quia Pater generat; nam pono Pater generet, & Pater sit diuinitas, est propositio de fide catholica, & nihilominus est hæretica, diuinitas generat; Item hæc est vera propositio. Paternitas est diuinitas. Paternitas non communicatur Filio, & nihilominus hæc est hæretica; diuinitas non communicatur Filio; Item bene dicimus, iustitia est misericordia, & misericordia miseretur, & nihilominus non est verũ dicere: ergo iustitia miseretur, aut misericordia punit, ex eo quod sit idẽ cum iustitia, & ratio est, quia verba adiectiua continent sensum formalissimum, quem non continent verba substantiua, sed solum identicum, & materialem; vnde mutatur appellatio sensus, quando ex vno verbo ad aliud fit syllogizatio, ita similiter, & proportionali modo non potest argui ab indifferentia ad essendum, & non essendum, quæ contingentia dicitur, ad indifferentiam ad amandum, vel non amandum; neque è contra potest argui à potestate amandi, & non amandi ad potestatem essendi, & non essendi;

quia

quia arguitur à verbo adiectiuo ad substantiuum vel è contra à verbo substantiuo ad adiectiuum, quia mutatur appellatio sensuum ; nam potestas, seu indifferentia, quæ significatur per verbum adiectiuum, amandi, & non amandi est indifferentia libertatis, & dominij, quæ libertas formalissime dicitur ; potestas autem & indeterminatio significata per verbum substantiuum, *sum, es, fui*, & sic ad essendum, & non essendum formaliter, non est indifferentia libertatis, seu dominatiua potestas voluntatis circa suos actus, quæ formalissima libertas dicitur, sed potius est contingentia formalis distincta à libertate, & indifferentia formali, quam omnes Theologi negant, in Deo dari concedentes indifferentiam, & libertatem formalem ipsi, & ideo omnes Theologi fatentur, tanquam articulum de fide Deum esse formaliter indifferentem ad amandum, & non amandum creaturas existentes, vel futuras, & nihilominus omnes negant, tanquam apertam hæresim dicere Deum esse contingentem formaliter ad essendum, & non essendum, seu Deum habere indeterminationem ad existendum, & non existendum, cum potius quia est à se, sit necessario per essentiam determinatus ad existendum sine vlla indeterminatione ad non essendum : ergo bene potest Deus esse indifferens formaliter ad amandum, vel non amandum, & nihilominus non esse formaliter indeterminatus, aut indifferens, vt sit in ipso, vel non sit in ipso amor, eo modo, quo in creaturis verificatur ; nam in illis verum est dicere, creatura intellectualis non solum est indifferens, vt amet, vel non amet formaliter, sed etiam habet suam indeterminationem vt sit, vel non sit amor in illa, & vt existat amor & etiam vt destruatur, corrumpatur, & deficiat amor in illa formaliter ; & ratio est quia in creatura non solum datur indifferentia formalis respectu amoris, quæ est libertas formalis, sed etiam datur formalis contingentia ad essendum, & non essendum, non solum in propria entitate, sed etiam in propriis actibus, qui possunt formaliter existere, & corrumpi propter rationem creaturæ, quæ datur in illis ; itaque creatura habet indeterminationem ad essendum, & non essendum in propriis actibus, non ratione libertatis formalissime vt sic præcisæ, sed potius ratione contingentiæ formalis propriæ creaturæ ; habet autem indifferentiam ad amandum, & non amandum formaliter propter libertatem & non propter contingentiam ; ex quo manifeste patet, non fieri illationem rectam ab indifferentia formali amandi, & non amandi ad contingentiam essendi, & non essendi formalem, quæ lato modo indifferentia dicitur ad essendum, & non essendum : quapropter indifferentiam amandi, & non amandi concedimus formaliter in Deo, negamus tamen contingentiam, quia Deus per entitatem suam necessariam ratione infinitæ suæ perfectionis, & actualitatis amat & non amat sine destructione, & diminutione formali per solam additionem, & diminutionem virtualem, seu æquiualentem, vt late supra explicuimus, & amplius hoc patebit ex dicendis.

Tertio sic argumentor principaliter ; quia esse indifferens, seu indifferentia formalis ad amandum, & non amandum, quatenus dicit dominium formale, & potestatem ad vtrumlibet, est perfectio simpliciter simplex ; quia melius est, cuicunque subiecto habere illam, quam carere illa, & quam habere oppositum illius ; vt quæstione prima huius disputationis late demonstrauimus : sed potestas ad essendum, & non essendum, hoc est non repugnantia vt res existat, & destruatur formaliter, seu vt desinat esse formaliter est maxima omnium imperfectio : ergo non sunt omnino idem, sed potius distinguuntur, ac proinde prima datur formaliter in Deo, secunda solum virtualiter, aut eminenter, verbi gratia, ratio entis, aut substantiæ secundum se est perfectio simpliciter simplex, & ideo formaliter datur in Deo ; & è contra vero corruptibilitas, aut mortalitas nullo modo datur formaliter in Deo, quia dicit imperfectionem, ex quo colligimus, licet in creatura identificentur realiter secundum se in omni subiecto non petere identificationem, sed potius posse separari, vt videre est in Deo : ergo similiter, licet indifferentia voluntatis, & contingentia identificentur in creatura propter imperfectionem creaturæ, quæ petit libertatem corruptibilem, & defectibilem, nihilominus tamen non ita se habent, vt necessario identificentur in omni subiecto formaliter etiam si subiectum sit perfectissimum & infinitum, nec ita reciprocantur, & conuertuntur, vt in quocunque reperitur libertas, & indifferentia formalis, necessarium sit, vt reperiatur contingentia formalis, alias indifferentia & libertas, vt sic in suo conceptu formalissimo dicerent imperfectionem, & non possent depurari, aut defœcari ab omni fœce imperfectionis, sicut contingentia nunquam potest præscindi ab imperfectione, quod est falsissimum & ideo concedimus, vt iam sæpe dixi libertatem, & indifferentiam formalem ad amandum, & non amandum, ita omnes Theologi catholici, tanquam fide sanctum, & negamus contingentiam formalem ad essendum, & non essendum propter perfectionem simpliciter simplicem vnius, & imperfectionem alterius : ergo contingentia formalis ad essendum, & non essendum secundum se potest distingui realiter, & de facto distinguitur, & separatur à parte rei à libertate formali, seu indifferentia & perfectissimo dominio amandi, & non amandi : ergo contingentia non est constitutiuum formale indifferentiæ, & libertatis, licet sit requisitum, vel conditio, ac proinde sufficit quod in Deo sit virtualiter, æquiualenter, & eminenter, existente in ipso formaliter indifferentia amandi, & non amandi.

---

## SVBSECTIO VLTIMA.

*Tertiæ conclusio ponitur.*

SVpposita contingentia virtuali, aut æquiualentiæ potest optime Deus subire denominationes, & prædicationes contingentes amandi, & non amandi formaliter perfectiori modo, quam creaturæ subeunt illas ; itaque sicut creatura facillime intelligitur amare, & non amare, quia habet contingentiam formalem, imperfectæ tamen, ita similiter, sed perfectiori modo sine vlla imperfectione supposita indifferentia formali, ratione contingentiæ virtualis æquiualentiæ, & eminentiæ poterit intelligi sine vlla difficultate amans, & non amans. Probatur hoc breuiter, quia quotiescunque

cunque aliquod subiectum æquiualet alteri potest exercere formaliter munus alterius, & se gerere in illo ablatis imperfectionibus, ac se habet illud, cui æquialet, v. g. quia Prorex per suam formalem dignitatem æquialet Duci militiæ, gubernatori ciuitatis & alijs huiusmodi muneribus potest exercere omnia illa formaliter eo modo, quo Dux, & gubernator exercent, & quia sensus communis æquialet cuicumque sensui ex quinque exterioribus, exercet munus vniuscuiusque percipiendo obiectum cuiuscumque ex illis vnde percipit visibile, hoc est colorem; item percipit sonum, & cætera obiecta.

Clarius, quia ea quæ distinguuntur formaliter à parte rei possunt esse subiecta affirmationum, & negationum sine vlla repugnantia contradictoria, vt videre est in intellectu creato & voluntate; nam intellectus producit verbum mentis realiter, & voluntas realiter non producit illud; ita similiter, quæ distinguuntur æquialenter, seu quæ habent distinctionem æquialentem possunt esse subiecta affirmationis, & negationis sine vlla repugnantia & oppositione contradictoria, & ideo ratio entis, quæ est in Angelo conuenit realiter cum Deo, & ratio creaturæ quæ est in Angelo, & non distinguitur in Angelo à parte rei formaliter ab ipsa ratione entis existentis in ipso non conuenit realiter cum Deo propter solam distinctionem æquialentiæ; item per intellectum diuinum vt sæpe dixi, licet sit idem formaliter cum voluntate diuina producitur Verbum diuinum realiter, & per voluntatem diuinam realiter non producitur propter solam distinctionem æquialentiæ, quæ reperitur inter illas perfectiones, præterea anima rationalis non minus informat continue sine interruptione totam materiam primam, quam anima equi etiam informat ratione suæ extensionis, & diuisibilitatis formalis, non quia anima rationalis sit extensa, & diuisibilis formaliter, siquidem habet oppositam perfectionem scilicet in extensionem, & indiuisibilitatem formalem, ex eo quod substantia spiritualis est, exercet autem hoc munus eodem modo ac anima equi, ablatis imperfectionibus, ratione extensionis, & diuisibilitatis virtualis seu æquialentiæ.

Et ratio à priori est manifesta; quia id, quod æquialet alteri, æque potens est, ac illud, cui æquialet ad excercendum id quod alterum exercet, vt patet ex ipsis terminis, alias non erit æquialens illi, vt ex terminis patet; vnde, si hoc quod dicimus non est verum, dicant nobis aduersarij, quid sit æquivalere vnum alteri, certe non est aliud, vt dixi nisi vnum posse facere id ipsum, quod alterum facit, etiamsi non sint idem formalissime; sed id, quod æque potens est, ac alterum vel sufficienter potest facere id, quod alterum facit, potest exercere munus quod ipsum formalissime exercet: ergo si in Deo datur contingentia æquialenter respectu suorum actuum sine dubio poterit Deus se habere, ablatis imperfectionibus, sicut se habet creatura ratione suæ contingentiæ formalis; sed creatura ratione contingentiæ formalis poterit subire denominationes, & prædicationes contingentes, & poterit aliquando denominari volens, & aliquando denominari non volens formaliter, quia aliquando existit formaliter volitio, & aliquando deficit formaliter: ergo ex sola contingentia virtuali, seu æquialenti formali creaturæ poterit Deus subire denominationes, & prædicationes contingentes; quia licet volitio semper existat formaliter, nihilominus deficit æquialenter, aut virtualiter, ratione cuius ita se habet, ac si nere & realiter non haberet entitatem volitionis, quia si ita elicitur à voluntate, vt potuerit non elici virtualiter, nec esse entitatiue virtualiter in voluntate, licet semper sit realiter formaliter entitas volitionis, poterit quidem ratione huius virtualis contingentiæ adesse, & abesse in Deo denominatio volentis, ac per consequens poterit amare, & non amare, quia vt Deus amet non solum requiritur vt sit amor formaliter in Deo, sed etiam vt non deficiat virtualiter aut æquialenter, quia si deficit virtualiter, etiam si sit formaliter amor, erit quasi non esset, ac proinde erit quasi mortuo modo ad denominandum, ac proinde non denominabit neque constituet Deum amantem, quemadmodum ad hoc vt pater realiter formaliter communicet Filio Deitatem & non communicet Paternitatem, sufficit distinctio virtualis inter illa; vnde etiam si detur identitas formalis, quæ videbatur impedire verificationem communicationis diuinitatis, & non communicationis paternitatis, nihilominus tamen, quia ita est identitas formalis, & formaliter vt definat virtualiter, seu sit distinctio virtualis hoc sufficit, vt identitas illa sit quasi mortuo modo ad impediendas prædicationes contradictorias, & solum quasi prævaleat distinctio virtualis seu negatio virtualis identitatis, quapropter eodem modo verificantur tales prædicationes affirmativæ, & negatiuæ, ac si identitas formalis non esset, & ac si esset distinctio formalis; vnde tam verum est dicere per intellectum realiter generatur Verbum, & per voluntatem non generatur Verbum, quando datur distinctio virtualis, etiam si detur identitas formalis ac si nulla identitas formalis daretur, sed omnimoda distinctio realis formalis à parte rei: ergo pari ratione contingentia virtualis sufficiet ad illam realem, & formalem denominationem amantis, vel non amantis, ac si esset contingentia formalis, & nulla daretur necessitas formalis; quia contingentia illa virtualis æquialet contingentiæ formali, ratione cuius exercet se, vt ita dicam, ac si esset formalis contingentia, & ac si omnino deficeret necessitas simpliciter formalis, quia formalitas quasi mortuo modo est, quando existit formaliter, ad constituendum, & denominandum, si ex alio capite deficit virtualiter, aut æquialenter; quia ad denominandum & constituendum vtrumque requiritur scilicet vt formalitas sit formaliter in Deo, & non deficiat æquialenter, aut formaliter: ergo non mirum quod per eandem entitatem amoris semper formaliter existentem in Deo necessario, constituatur, & denominetur contingenter amans, ita vt aliquando amet, aliquando non amet; quia licet semper sit formaliter, nihilominus est contingens virtualiter, & ideo aliquando deficit, & desinit esse virtualiter, quod sufficit, vt non tribuat vel quasi tribuat suum adæquatum effectum, vel quasi effectum formalem. Nam licet contingentia formalis ex eo quod corruptibilitatem sonet, & mutabilitatem non possit concipi sine imperfectione, vt docuit Aristoteles *lib. 9. met. cap. 9. text. 17. parum à principio*, his verbis: [quod est possibile esse, contingit esse, & non esse; quod vero est possibile non esse, contingit non esse; quod autem contingit non esse, corruptibile est, aut simpliciter, aut

aut hoc ipsum, quod dicitur contingere non esse, sive secundum locum, siue secundum quantum, siue secundum quale,] & mutabilitatem in hunc modum significauit S. Thomas *in* 1. *dist.* 13. *quæstion.* 2. *artic.* 1. *ad* 4. [ non esse dicendum esse contingentem voluntatem, aut volitionem Dei, quia contingentia mutabilitatem importat, hoc est talem indeterminationem adesse, vel non esse, quæ subiecta sit mutationi, ratione cuius non modo semel existere, sit contingens, sed etiam in existentia perseverare, vel ab existendo deficere, sit contingens: ] atque ideo non posset concedi Deo; nihilominus tamen contingentia virtualis per æquiualentiam Deo tribuere non est imperfectio, sed potius maxima perfectio ad verificandam libertatem Dei, vt conditio necessaria ad exercitium talis libertatis, sicut distinctio formalis à parte rei est imperfectio, si ponatur inter absoluta prædicata Dei, nihilominus tamen distinctio virtualis, & per æquivalentiam est maxima perfectio, quia est conditio & requisitum ad mysterium Trinitatis, vt iam explicui, sic similiter in nostro casu.

Dices, contingentiam non esse solum requisitum, aut conditionem ad libertatis vsum, sed potius esse ipsammet libertatem, quia solis liberis convenit.

Sed contra manifeste, quia contingentia ad essendum, & non essendum non est sola & propria liberorum, sed etiam competit aliis, quibus minime competit libertas, lapis enim contingens est, siquidem potest esse, & non esse, vnde corruptibilis est, & nihilominus lapis est incapax libertatis. Item actus primo primus minime liber est, & nihilominus contingens est; quia ita est, vt possit non esse, imo ita est, vt qui nunc est, immediate post deficiat esse, & cito transeat! ergo contingentia non est ipsa libertas, neque propria liberi, sed potius est prædicatum commune, & transcendens respectu omnis, & cuiuscunque creaturæ, quia omnis creatura potest deficere esse saltem per annihilationem; libertas autem non est prædicatum conueniens omni creaturæ, sed potius perfectissime, scilicet intellectuali, & volitiuæ, imo vt iam diximus ita conuenit libertas intellectuali creaturæ, vt si libertas concipiatur secundum conceptum præcisum, & communem Deo & creaturis, dicat perfectionem sine imperfectione, ac proinde sine vlla contingentia formali, quia de se solum dicit indifferentiam ad amandum, vel ad volendum non amare, vt optime docuit D. Thomas primo contra gentes. *cap.* 6. agens de libertate, his verbis, quidditas libertatis est potestas indifferens ad vtrumlibet, ita vt voluntas non sit libera, nisi possit velle, & possit non velle positis omnibus, quæ antecedenter requiruntur ad volendum; hæc autem potestas, si in perfectissimo, & infinito libero sit, non est, vt habeat entitatem actus, quæ postea deficiat esse formaliter, sed potius vt per vnam indiuisibilem entitatem, & formalitatem sine vlla destructione, aut deficientia, & sine vlla distinctione, & pluralitate reali formali possit amare, aut velle facere, & velle non facere cum sola variatione æquiualenti, & cum contingentia virtuali, sed hoc non est ita intelligendum vt Deus æquiualeat libertati formali, quia hoc falsum est cum in se habeat libertatem formalem; solum enim æquivalet in perfectionibus admixtis libertati, videlicet actui primo vt distincto à parte rei ab actu secundo, & actibus secundis, vt distinctis inter se realiter, & ab actu primo, item contingentiæ formali ad essendum, & non essendum, quæ datur in actibus liberis creatis, & reductioni per additionem realem, & per mutationem actus primi, ratione coniunctionis realis actus secundi supra ipsum primum. Itaque liberas formalis diuina constituitur per formalem indifferentiam ad volendum facere, & ad volendum non facere, ratione formalis potestatis, & dominii infiniti, quo gaudet, ratione cuius habet in sua potestate æquivalere actui primo, prout distincto realiter à secundo, & vni secundo provt distincto realiter ab alio. Itaque sicut libertas creata consistit in hoc quod formaliter sit indifferens ad amandum, & non amandum, habendo pro conditione, & requisito ratione propriæ imperfectionis contingentiam formalem, & habendo in sua potestate reducere se ad operandum, vel non operandum per additionem formalem realem actus secundi supra primum, ita libertas formalis in creata consistit in hoc quod habeat in sua potestate se reducere per æquivalentiam dictam iam ad hunc actum, iam ad illum, ratione cuius nunc in Deo datur denominatio amandi, vel odio habendi.

Nec mirum, quod in perfectissima voluntate diuina possit dari talis transitus de vna denominatione intrinseca ad aliam sine mutatione intrinseca, siquidem ipsi aduersarij, vt Caietanus, & alij, concedunt primam relationem Patris respicere primum filium solum intrinsece, & postea sine additione reali intrinseca respicere secundum filium, ita vt à non respiciente secundum, intrinsecè transeat ad respicientem intrinsecè sine eo quod mutetur intrinsecè. Item in sententia Thomistarum materia, & forma transeunt de non vnitis intrinsecè ad vnitas intrinsecè substantialiter sine additione reali intrinseca vnionis, quia ipsi non ponunt vnionem distinctam à materia, & forma: ergo à fortiori si Deus infinitus est, poterit subire diuersas denominationes intrinsecas sine mutatione intrinseca, quare maxime mirandum est hominibus sapientia, & prudentia tinctis, ac deliburis vnum Caietanum, qui se facile in creaturis finitis, ac limitatis hæc intelligere doceat in Deo neget, & toto pectore doceat, & pertinaciter affirmet necessario Deum subire additiones, & mutationes reales dum subit amorem, & odium, & dum vult facere, & vult non facere; vnde imperfectionem negat creaturis, & concedit Deo quod falsum est; imo inter ipsas creaturas perfectiori modo procedit perfectior, v. g. vt paries, qui media nocte non est proxime visibilis transeat ad esse visibilis intrinsecè, necesse est vt fiat hic transitus per additionē intrinsecam lucis in ipso, & etiam per mutationem extrinsecam respectu sui, v. g. mittendo species in potentiam visiuam, quod aliter contingit in actu libero Angeli, qui transit de intelligibili proxime ad intelligibilem proxime sine vlla mutatione intrinseca talis actus, per solam denominationem extrinsecam proueniente ab Angelo habente talem actum, & volente manifestare illum vt *in tract. de Angelis* agitur, cuius differentiæ ratio est perfectio actus voluntatis spiritualis, qua superat actus liber parietem visibilem: ergo à fortiori, quand creatura non potest transire de non volente in volentem, & de volente in nolentem sine mutatione, & additione intrinseca, poterit sine dubio Deus, qui non solum perfectus est, sed etiam infinite perfectus

transire de volente in nolentem &c. sine vlla mutatione intrinseca formali per solam mutationem virtualem.

Præterea Verbum diuinum transit de non terminante vnionem hypostaticam intrinsecè ad terminans intrinsecè provt talis vnio distinguitur ab humanitate sine vlla additione reali distincta à Verbo; alias si ad terminandam intrinsecè vnionem hypostaticam deberet dari alia formalitas distincta à Verbo, & ab vnione hypostatica, sine dubio daretur processus in infinitum, quia etiam ad illam formalitatem, quæ est necessaria ad vnionem hypostaticam terminandum, esset necessaria alia; & ad illam alia sine fine, quia non est maior ratio vnius, quam alterius: sed hoc non est dicendum: ergo asserendum est Verbum diuinum sine vlla additione, & per se ipsum transire de non terminante intrinsecè vnionem ad terminans intrinsecè illam sine vlla additione, & diminutione reali ex parte Verbi ratione infinitæ perfectionis illius, quia neque est subiectum adhæsionis, neque inhæsionis, ac proinde sine vella mutatione sui, quod nulla creatura potest exercere, aut habere; in quo etiam relucet distinctio, & contingentia virtualis; itaque huiusmodi transitus in Verbo aperte facilitat intellectum, & persuadet efficaciter, vt intelligat bene posse contingere, vt voluntas diuina transeat de volente in nolentem intrinsecè sine vlla mutatione intrinseca formali, sine vlla additione formali, reali & diminutione realiter, ratione infinitæ perfectionis æquivalentiæ ad contingentiam, & distinctionem formalem creaturarum.

Tandem ex his omnibus patet quam sit eminens, & excellens modus defendendi libertatem diuinam, quamque facilis, vt vel ob hanc solam causam iure optimo omnibus amplectendus sit; nam si in sententia omnium Angelus potest extendi, & non extendi ad maiorem locum de minori, & anima rationalis ab vna parte ad aliam corporis, & potest desinere esse in parte, in qua erat ante intrinsecè sine additione, & diminutione entitatis Angeli, & animæ, per solam extensionem virtualem, & æquinalentiæ: item si homo per eandem indiuisibilem entitatem à parte rei potest conuenire, & non conuenire cum Deo propter solam distinctionem virtualem, & æquialentiæ, quæ datur inter prædicata ipsius hominis, per quæ conuenit, & non conuenit cum Deo; & si intellectus, & voluntas diuina, diuinitas, & & Paternitas possunt communicari, & non communicari &c. propter solam distinctionem virtualem, & æquialentiæ; sicut Verbum diuinum potest terminare, & non terminare intrinsece vnionem sine additione, & diminutione formalé, cur voluntas diuina non poterit amare, & odio habere? & ita amare, aut ita velle vt potuerit velle non facere mundum sine contingentia, additione, & diminutione formali, per solam contingentiam virtualem, & æquialentiæ, & per additionem, & diminutionem æquialentem? certe nulla potest assignari ratio disparitatis: ergo si fundamentum non est nouum in Theologia, sed potius antiquissimum, ab ipsisque aduersariis summo applausu, maximisque laudibus, & encomiis ad cœlum vsque elatum, ad quod tanquam ad suæ fœlicitatis palladium confugiunt, vt facillimo negotio, vt ipsi aiũt, soluant grauissimas, & implicatissimas difficultates; tum Dialecticæ, tũ Philosophiæ & metaphysicæ, tum demq; Theologiæ, ac proinde tutissime tali fundamento se protegunt, ad infinita mysteria fidei defendẽda, & ab ipsis modus defendẽdi in illis locis fundatus duntaxat huic fundamento facillimus appellatur.

Sine dubio noster hic modus, qui eodem principio, ac eodem fundamento, eodemque modo applicato defendendi actus liberos Dei innitens, & fundatus facillimus erit, imo facilior omnibus, in quo & dignitas & summa perfectio Dei defenditur, & luminis naturalis leges obseruantur, ac tandem bonæ Philosophiæ, ac Theologiæ principia ad vnguem defenduntur: immiror, quod homines sapientia, & scientia præditi consequentiæque, & acolutiæ obseruatores hîc oppugnent quod alibi totis viribus propugnant, & hic labefactare contendant fundamentum, quod in innumeris alijs locis ita defendere conantur, vt si illud deserant sine dubio omnia eorum placita funditus corruant, quapropter si difficultatem habet in hac materia, si inintelligibilis est, vt ipsi aiunt, hæc discurrendi via inintelligibilis erit tota Dialectica, inconuenientijs, & disconuenientiis prædicatorum inintelligibilis erit philosophia in extensione virtuali animæ rationalis, & alijs id genus. Tandem inintelligibilis erit tota Theologia, & defendi modus omnium Theologorum in mysterio Trinitatis, immensitaris Dei, incarnationis Verbi diuini &c. ne igitur hæc dicantur, sine dubio asserendum est, modum quo in præsenti defendimus mysterium actuum liberorum non solum non esse inintelligibilem, imo neque difficilem in hac materia provt distinguitur ab alijs, sed potius facillimum, suppositis dictis in alijs materijs; vnde difficultates non sunt huius loci sed aliorum, & si ibi vincuntur huc veniunt prorsus victæ, ac debilitatæ.

## SECTIO VLTIMA.

### *Argumenta aduersaria soluuntur.*

AD primum argumentum Patris Hierize respondeo, totum illud fundari in falsa suppositione, scilicet quod in Deo non sit formaliter voluntas, libera volitio Dei, & necessaria volitio sui ipsius, nos enim omnia hæc formaliter existere in Deo dicimus, quia omnia hæc sunt perfectio sine imperfectione, solum enim dicimus, vt patet ex supra dictis distinctionem inter has perfectiones, contingentiam, additionem, & diminutionem esse virtualiter, & per æquivalentiam in Deo. exemplo clarissimo declaratur hoc; nam in Deo formaliter datur præsentia infinita Dei; extensio autem illius, diminutio, aut additio non est formaliter, sed virtualiter, & æquialenter. Itẽ in diuinis datur formaliter intellectus per quem generatur Verbum, & volũtas per quam non generatur formaliter ipsum; sicut etiam datur diuinas formaliter communicata, & Paternitas formaliter non communicata; distinctio autem necessaria ad hæc non est formaliter, sed solum virtualiter, Ita similiter in Deo est formalitas amoris, odij &c. contingentia autem requisita ad libertatem, deficientia, destructio, & additio dantur solum virtualiter cum infinita æquialentia, formali indifferentia, & infinito dominio ad amandum, & non amandum quando, & quomodo voluerit secundum consilium voluntatis suæ; ita vt ratione infinitæ perfectionis, & actualitatis 31

litatis diuinæ possit Deus per vnam indiuisibilem entitatem necessariam, hoc est necessario existentem; quia est plures virtualiter æquialenter contingens, libera tamen, & indifferens formaliter amare, velle facere, vel velle non facere, odio prosequi, & dilectione afficere, ac si essent infiniti actus formaliter; quod his verbis docuit P. Ruiz *tom. de volunt. Dei, disp. 13. sect. 2. num. 2.* [eadem ipsa formalitas realis volitionis liberæ non superadditur, neque detrahitur volitioni necessariæ, sed tota realis formalitas diuinæ volitionis maneret simpliciter eadem specie, & numero, & omnino invariata, quamvis voluisset Deus creare alios mundos vel voluisset nullum mundum creare, quia in volitione diuina dantur plures quasi partes extensionis, quæ ratione ratiocinata distinguuntur, infimo gradu illius distinctionis, & hoc modo distinguuntur velle creare mundum, & velle non creare mundum, aut velle creare alios mundos, adhuc hæc perfectio quæ affertur in volitione creandi mundum, & quæ vt pars extensionis distinguitur à volitione aliorum obiectorum, non potuit Deo deesse, quin potius illi necessario conuenit tam illa, quam quælibet alia perfectio cuiusque volitionis liberæ possibilis.]

Itaque formaliter in Deo datur ipsa perfectio amoris liberi, & ipsa perfectio odij, à quibus formaliter constituitur Deus amans creaturas, & odio habens peccatum &c. sic falsum est dicere, amorem, & odium solum esse virtualiter in Deo, quia alias vt euidenter eruit P. Herize *toto n. 50.* non posset denominari Deus formaliter amans, vt patet exemplis diuinæ essentiæ, & Paternitatis, quibus vtitur & euidentius liquet: nam ideo actus liber Dei non potest denominari contingens formaliter, quia contingentia, à qua deberet denominari non est formaliter, sed solum virtualiter in illo: sicut neque diuinitas denominatur formaliter distincta à parte rei, ac proinde non constituitur in esse non Paternitatis formaliter à parte rei; quia distinctio illa inter diuinitatem & Paternitatem non est formaliter, sed virtualiter solum, forma enim non aliter constituit nisi eo modo, quo ipsa est in se quia concretum dumtaxat constituit exhibendo se, ipsam & non aliud loco sui, & ideo sol, licet sit lucidus formaliter, non est formaliter calidus sed maximum eminenter, aut virtualiter, quia lux, à qua constituitur formaliter in esse lucidi non est formaliter calor, sed solum virtualiter, & eminenter: ergo si Deus solum haberet formalitates amandi creaturas, odio habendi peccata &c. virtualiter, & non formaliter non constitueretur in esse amantis formaliter, sed solum virtualiter: sed de fide est, & lumine naturali euidenter demonstratum, Deum amare formaliter creaturas & odio habere peccatum: ergo in Deo formaliter est amor, & odium, & non solum virtualiter.

Item in Deo est formalis indifferentia, seu libertas ad amandum, & ad odium habendum, quando voluerit, & ad hoc vt per vnam formalissimam entitatem amet, quando voluerit, & odio habeat, quando illi libuerit secundum dominium perfectissimum ad volendum facere, vel volendum non facere secundum beneplacitum diuinæ prouidentiæ. à quibus formalissime liber, & indifferens denominatur, & constituitur. Itaque hæ omnes perfectiones formaliter sunt in Deo, quæ sunt formalitates immediate, & proxime denominantes; conditiones autem ad has denominationes, vt est contingentia, distinctio, additio, & diminutio &c. de quibus late egimus supra, quia imperfectiones sunt, virtualiter tantum, & æquialenter continentur, quod non tollit, vt formalitates primæ formaliter constituant Deum, vt *sectione præcedenti* manifeste declarauimus: vnde argumentum Patris Herize *à n. 40. vsque ad num. 51.* videlicet *à §. hac admirabilis distinctio virtualis, vsque ad §. Dices, te non constituere,* contra nos nullius momenti est, licet euidenter probet contra obiectiones, quas sibi ponit idem P. Herize: vnde si sic defenditur à Salmantinis magistris, vt ostendit ipse Herize, opinio de actibus liberis ratione contingentiæ virtualis perperam meo videri defenditur, neque possunt euadere euidentia argumenta contra ipsos, quapropter à me excogitatus modus defendendi, facilior, probabilior, imo verior videtur, ac proinde sequendus, in quo, si aliquam difficultatem quæras, idem erit ac in cirpo nodum quærere.

Præterea, etiam argumentationes, quibus vtitur P. Herize *à num. 1. vsque ad num. 53. inclusiue,* hoc est *à §. sed contra hoc est:* nam virtualis hæc contingentia *vsque ad §. Dices, tunc fieri, inclusiue,* quia solum oppugnant varias solutiones quas adducunt aduersarij dicentes, volitionem liberam non esse formaliter, sed virtualiter in Deo, ad soluendum argumentum ipsius Patris, nullum nobis negotium facessunt, solum enim replica illa facta *in fine numeri 53. §. sed contra,* cum ais virtualiter; directe est contra nostram opinionem, & ideo necesse est vt illam soluamus, vt nihil difficultatem continens ad terga relinquamus insolutum; vnde respondeo ad illam interrogationem, quando nos aimus, manente volitione deficere odium, aut volente Deo deficere nolitionem, dicimus formalitatem nolitionis formaliter existentem in Deo virtualiter à parte rei, seu æquialenter deficere, vnde non deficit æquialenter id, quod solum virtualiter, aut æquialenter existit in Deo, sed id quod formaliter est in ipso; vnde desitio solum est virtualis & per æquialentiam; formalitas autem, quæ denominatur desinens formalissime est & non æquialenter aut virtualiter; vnde licet formaliter sit in Deo, & solum æquialenter desinat esse, formaliter non constituit Deum in esse nolentis; quia ad constitutionem nolentis producere v. g. Petrum, non solum requiritur quod sit formalitas nolitionis, sed etiam requiritur vt neque formaliter, neque æquialenter deficiat, & omni modo sit; nam si per existentiam formalem in Deo ratione libertatis infinitæ diuinæ æquialet desitioni formali, sine dubio ita se haberet, ac si formaliter desineret; sed si formaliter desineret non denominaret nec constitueret: ergo si æquialenter desinit, & æquialenter desinere est sufficiens ad hoc, vt se exerceat id quod æquialet, eo modo quo se exercet, id cui æquialet, vt *sectione superiori* late explicuimus: ergo si id, quod desinit formaliter, non denominat, neque constituit subiectum, in quo desinit, & à quo abest formaliter, similiter id quod illi æquialet in desitione, ac proinde æquialenter desinit, se habebit quoad munus denominandi, ac si vere desineret formaliter, ac proinde, licet formaliter existat, quia deficit æquialenter non denominabit, neque constituet formaliter, sicut non denominat, neque constituit formalitas illa quæ formaliter non est; quod patet ex ipsa definitione æquialentiæ; vnde quotiescunque non impugnantur vnum æquialere alteri, non

potest

potest impugnari, quod id, quod æquialet, non possit se exercere, aut non exercere munus quod exercere id, cui æquialet, vt verbi gratia, quia distinctio formalis à parte rei inter duo extrema tollit oppositionem contradictoriam affirmationis, & negationis, & per consequens tollit vt tales affirmationes, & negationes constituant formaliter & denominent formaliter ipsa contradictorie opposita: ita si militer distinctio virtualis, & æquialentiæ facit, vt conuenientia, & nõ conuenientia nõ sint oppositiones cõtradictoriæ formaliter, ac proinde facit, vt talis conuenientia, & non conuenientia non constituant gradus, in quibus sunt in esse oppositorũ contradictorie formaliter quæ sine dubio cõtradictoria opposita cõstituerent, si neque formaliter neque virtualiter distinguerẽtur; verbi gratia Petrus conuenit per ens cũ Deo, & non convenit formaliter per esse creatum, & licet formaliter sint conuenientia, & non conuenentia in illis prædicatis, quæ habent identitatem formalem, nihilominus tamen quia virtualiter deficit talis identitas, ex eo quod virtualiter est non identitas, seu distinctio, sufficit hoc, vt conuenientia illa, & non conuenientia non constituant ens, & esse creatum in esse contradictorie oppositorum.

Itaque licet aliqua formalitas formaliter existat in aliquo subiecto, non sufficit ad constituendum, & denominandum illud formaliter sive tale subiectum sit creatum sive increatum, tamen illi deficiat aliqua conditio, vt videre est in exemplo nuper adducto; vnde cum conditio ad constituendum, & denominandum sit vt ita existat forma, vt non æquivaleat non existenti aut vt non desinat æquialenter; inde est, quod licet existat formaliter, si tamen deficit æquivalenter, non denominet aut constituat formaliter subiectum in esse talis, quapropter si albedo ita esset in subiecto formaliter, & æquialenter desineret in illo, nullo modo constitueret subiectum album formaliter, neque denominaret illud, exemplum in sententia ipsorum aduersariorum est manifestum, in casu, in quo Deus poneret gratiam sanctificantem in lapide, tunc enim esset formaliter in lapide, & nihilominus non denominaret, neque constitueret formaliter lapidem gratum, & sanctum supernaturaliter, à quibus si interrogemus, cur gratia illa exhibita, & communicata lapidi non tribuat suum effectum formalem vltimum sanctitatis, & gratiæ, cum in eorum sententia non distinguatur effectus formalis à forma exhibita, & communicata subiecto? Respondent ratione in capacitatis subiecti evenire hoc, quod licet gratia secundum omnes suos gradus vniatur subiecto formaliter, nihilominus tamen æquivalenter, & virtualiter deficere vnionem gratiæ secundum formalitatem sanctitatis, & gratiæ supernaturalis, ac proinde secundum illos gradus se habere gratiam, ac si realiter formaliter non esset vnita lapidi. Itaque gratia non denominat secundum gradum vltimum, nec constituit lapidem sanctum, & gratum, quia licet sit secundum illum formaliter, æquialenter non est in lapide secundum ipsum. Denominat autem secundum rationem qualitatis, quia secundum illam ratione capacitatis subiecti est formaliter, & non deficit æquivalenter, quod totum requiritur ad constitutionem, & denominationem formalem.

Ergo similiter in nostro casu licet quando Deus vult facere mundum formaliter, sit etiam formalitas formaliter nolitionis faciendi eundem mundum, quia deficit æquialenter, aut virtualiter, non constituet Deum in esse nolentis formaliter, sicut constituet volentem formaliter; nã ad constituendum, & denominandum formaliter non solum debet esse formaliter in subiecto ratio constitutiua, sed etiam debet non deficere æquivalenter, aut virtualiter.

Si autem interroges cur existente amore formali desinat æquialenter odium? respondeo, quia idem respectu eiusdem, & sub eadem ratione formali non debet habere simul formaliter, & virtualiter duos actus simul oppositos, alias Deus simul amaret, & odio haberet. Itaque existente vno opposito, debet expelli alterum ab illo, eo modo, quo opponuntur; si autem opponantur formaliter à parte rei eo modo, quo in creaturis contingit, opponit actus amoris, & odij propter distinctionem realem formalem, quam habent inter se, existente amore formaliter, necesse est expelli odium ab illo formaliter. Si autem actus odij, & amoris, volitionis, & nolitionis non opponuntur formaliter, sed solum virtualiter, vt contingit in actibus diuinis, quia solum distinguuntur virtualiter, (nam eo modo, quo fuerit distinctio, quæ est genus ad oppositionem, quæ est species distinctionis, erit oppositio; nam eo modo est species, quo est genus) solum excludentur virtualiter, & non formaliter, quia exclusio sequitur naturam oppositi, quia est effectus oppositionis; si autem iterum interroges, cur potius habeat amorem tam formaliter, quam æquivalenter, cum possit etiam habere odium? Respondeo, causam esse quam tribuit Anselmus supra *lib. de casu Diaboli cap.* 27. interrogatus enim à discipulo illis verbis: [cur ergo voluit potius, quam odio habuit. (Respondet) non nisi quia voluit, nam hæc voluntas nullam aliam habuit causam, qua impelleretur aliquatenus, aut attraheretur, sed ipsa sibi causa efficiens fuit; si dici potest effectus.] quæ supra late explicui.

Ex his omnibus patet quam facile solvantur argumenta contra nostram sententiam adducta à Patre Herize.

## SVBSECTIO I.

### *Argumenta Patris Alarcon solvuntur.*

AD primum argumentum nego antecedens, seu sequelam Maioris; ad probationem illius nego ideo Deum dici, & esse liberum formaliter, quia est contingens virtualiter, aut deficit virtualiter vt patet ex supra dictis, tum in probatione nostræ conclusionis, tum in responsione ad argumenta Patris Herize; nam Deus dicitur liber formaliter propter indifferentiam formalem ad amandum, & non amandum tanquam per definitionem, & prædicata formalia formaliter constituentia Deum in esse liberi; vnde tota formalis essentia libertatis diuinæ consumatur, & consistit non in prædicatis virtualiter contentis in ipso, sed potius in prædicatis formaliter repertis in Deo videlicet, indifferentiæ formalis amandi, vel odio habendi &c. in potestate formali, seu dominio formaliter contento in Deo, quo potest ipse velle facere, & velle non facere, & nolle; contingentia autem virtualis, aut efficientia virtualis non est constitutivum formale diuinæ libertatis

tatis, sed solum conditio, aut requisitum ad vsum talis libertatis, & sic nihil interest, vt solum virtualis sit, & non formalis vt late supra diximus *subsect. superiori* in responsione ad argumenta, & *sectione præcedenti* in probatione nostræ conclusionis, vbi manifeste docuimus, in quo differat contingentia ab indifferentia, & quomodo hæc constituat Deum formaliter, quia est formale prædicatum; contingentia autem non constituat in esse liberi formaliter Deum, quia conditiones ad alicuius exercitium non constituunt formaliter ea, ad cuius vsum requiritur; vnde apprehensio non constituit voluntatem in esse talis, neque volitionem, quia non est prædicatum formale voluntatis, sed solum conditio, aut requisitum ad vsum illius. Item approximatio non est constitutiua causæ efficientis, quia non est vis productiua formaliter, sed solum conditio ad vsum talis virtutis; conditiones autem, licet sæpe petantur formaliter, sæpissime sufficiunt virtualiter existere vt videre est in distinctione virtuali, quæ est conditio ad mysterium Trinitatis, vt sæpe iam dixi, vnde totum argumentum huius auctoris manifestæ deceptioni, & fallaciæ innititur, & apparenter procedit confundendo constitutivum formale libertatis cum conditione requisita ad vsum illius; quapropter revelata hac fallacia, penitus dissipantur syllogizationes illi fundatæ; vnde facillime omnia quæ ab hoc principio pendent diluuntur, ac dissolvuntur, qua propter ad probationem qua intercedit persuadere paternitatem diuinam, & spirationem actiuam esse accidentia vera, quia se habent ac si acciderent, & inhærerent Deo; respondeo clare & euidenter.

Ad hoc vt aliquid sit accidens formaliter & vere, non solum habere debere inhærentiã virtualẽ, aut æquialentẽ entitatẽ virtualiter secundario accedentem, sed potius debere habere hæc prædicata formaliter, qua saltem aptitudinalis inhærentia, & secundarius conceptus, vel hoc quod est secundario constituere sunt prædicata formaliter constituentia accidens, aut definitio illius; definitio autem, & prædicata essentialia primo constitutiua rei in tali esse formali formaliter debent esse talia, & non solũ virtualiter, & æquialenter, alias tu posses esse homo formaliter per animal rationale virtuel, aut per æquialentem rationalitatem, & animalitatem, quod est contra lumen naturæ vt iam supra probauimus, quapropter in tua sententia, qua doces voluntatem diuinam, & intellectum esse principium virtuale, à quo fluunt virtualiter intellectio, & volitio, non potest vllo modo affirmari intellectionem, & volitionem vere formaliter & realiter esse productas à voluntate diuina, cuius nulla alia ratio potest assignari, nisi quia licet dentur in voluntate & intellectu volitionis, & intellectionis emanationes virtuales, non dantur formales productiones, quod aliter contingeret, si in diuino intellectu daretur formalis productio; tunc enim formaliter produceretur intellectio, & volitio à Deo, & formaliter constitueretur in esse productæ intellectio diuina; quia formaliter daretur ratio constitutiua illius.

Ita similiter in nostro casu, licet spiratio actiua & Paternitas diuina nostro modo concipiendi, & virtualiter secundario accedant ad Deum, ac proinde se habeant, ac si inhærerent (quod adhuc per rationem nego in paternitate, quia est personalitas, de cuius conceptu est vltimo complere personam substantialem ac proinde primo constituere illam in esse talis, licet hoc possim concedere de spiratione actiua) quia tamen formaliter non inhærent, nec formaliter possunt inhærere à parte rei, ideo non sunt accidentia vera, & realia, quia definitio non debet esse solum virtualiter, sed potius debet esse formaliter; vnde si spiratio actiua haberet aptitudinalem inhærentiam formaliter à parte rei & vere, ac formaliter inhæreret, etiam si solum virtualiter distingueretur à diuinitate, vel solum, quamcunque aliam conditionem ad talem aptitudinalem inhærentiam vel aduenientiam, seu accessum secundarium, vt ita loquar, haberet, æquialenter posset vocari accidens verum, & reale, quia licet haberet conditionem virtualiter, quæ formaliter non constituit, nihilominus haberet prima constitutiua accidentis, & definitionem illius formaliter; sed in præsenti nullum prædicatum primarium, neque definitionem accidentis habent relationes diuinæ formaliter, sed solum virtualiter, & æquialenter: ergo duntaxat possunt in tua sententia vocari accidentia virtualiter, aut æquialenter, & in mea spiratio actiua maximum poterit dici se habere nostro modo concipiendi, ac si esset accidens, in quo nulla audacia vt perperam docet Alarcon §. *Illud obserua, numer.* 10. quia si possumus dicere Deum habere extensionem, & diuisibilitatem virtualem, & dicimus Deum esse extensum, & diuisibilem æquialenter, esse summam perfectionem Dei, etiam si diuisibilitas, & extensio formalis in ordine ad locum sit summa imperfectio repugnans ipsi, quod tu millies affirmas, & omnes Theologi vno ore fatentur, sicut etiam dicunt de Angelo, & anima rationali, quia alias si Deus non haberẽt talem extensionem virtualem, sed omnino tam æquialenter, quam formaliter esset indiuisibilis, nullo modo posset Deus esse immensus, neque præsentia infinita, quasi extenderetur per omnia corpora sine vlla diuisione, & discretione præsentiæ.

Item si concedit tota Societas distinctionem virtualem realem, & æquialentiæ inter diuinitatem, & relationes, inter attributa diuina, & inter intellectum, & voluntatem, vt possit dari mysterium Trinitatis, ac proinde dicit iure quidem optimo huiusmodi distinctionem vtpote maxime necessariam Deo esse maximam perfectionem, etiam si concedere distinctionem realem formalem à parte rei inter supradicta prædicata, esset hæreticum, quia attribueretur Deo summa imperfectio. Tandem si conceditur à te, & ab omnibus, quædam successio & minimum diuisibilitas virtualis, ac per æquialentiam æternitati diuinæ, vt possit esse mensura omnium rerum, tam successiuarum quam permanentium, & ideo verbis de præterito, præsenti & futuro loquitur Scriptura de Deo, dicens *Ioan.* 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: ecce præteritum imperfectum; & Libris Sapientiæ loquens de Verbo diuino: ad initio creata sum, & vt legunt Augustinus Tertulianus, & alij, creata fui; vnde grauissimi Doctores interpretantur, & explicant nomen *Geoba* celebertimum apud Hæbræos per hæc tria tempora verbi substantiui, sum, qui fuit, qui est, qui erit; vt videre est in sapientissimo

Patre Alcazare, vnde apud Græcos Thetagramaton appellatur, hoc est trium litterarum, aut trium verborum.

Quid nimirum, quod Deo tribuamus accidentia virtualiter, & æquiualenter loquendo de diuinis perfectionibus, quæ substantiæ formaliter sunt, ac si essent accidentia, siquidem ita expresse loquitur D. Cyrillus *libro* 11. *Thesauri:* his elegantibus verbis: [ sapienter certe dicitur, nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in se ipsa perfecta est, sed tamen cogimur nonnunquam quasi accidentia, etiam si non omnino accidant Deo, hæc dicere & mente accidentium modo concipere, ] *& paulo infra*, [multa huiusmodi sunt quæ accidisse Deo videntur; ] & similem doctrinam habet Augustinus *libro* 5. *de Trinitate, capite* 16. Anselmus *in Monologio, capite* 24. & D. Dionys. *de diuinis nominibus, capite* 9. & ratio est manifesta; nam quod in creaturis formaliter sumptum imperfectio est, in Deo virtualiter, æquialenter, & eminenter consideratum summa, & infinita perfectio est; sicut quod in lapide, igne, terra, & cæteris inanime, & sine vita est, quatenus continetur in Deo Creatore illorum perfectissima vita dicitur secundum illud *Ioan.* 1. [ omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, &c.] quapropter licet esse lapidem, equum, formicam formaliter sit imperfectio, nihilominus tamen esse omnia hæc æquialenter, eminenter, & virtualiter summa perfectio est; Ita similiter esse accidens formaliter imperfectio est, esse autem accidens eminenter virtualiter, & æquialenter, non imperfectio, sed potius perfectio summa est in Deo, quapropter non qui ita loquitur, vestigiis Patrum inhærendo, Theologiæ, & bonæ philosophiæ iura obseruando potest dici audacter loqui, sed potius qui ita qualificando hunc modum loquendi non solum probabilem, sed etiam necessarium maxime ad gradus perfectionum diuinarum distinguendos, quomodo enim intelligere possemus, Paternitatem diuinam esse personalitatem constitutiuam Patris in esse personæ, & & spirationem actiuam non esse constitutiuam Patris quatenus distinguitur à Filio; sed potius esse communem Patri, & Filio, vt hæ personæ iam constitutæ in esse personarum producant Spiritum sanctum tanquam vnum principium, & referantur ad illum, nisi concipiamus Paternitatem diuinam, vt relationem transcendentalem, & substantialem, spirationem autem actiuam vt prædicamentalem & accidentalem relationem secundario aduenientem, & non constituentem personam; sed potius accedentem iam personæ constitutæ per paternitatem; vnde cum relatio spirationis actiuæ licet sit ipse Deus, ac proinde substantia perfectissima, quia tamen se habet ac si esset accidens, vocatur accidens æquialenter, quod idem dicimus de volitionibus liberis Dei, quia æquialenter & virtualiter adsunt, & absunt diuinæ voluntati præter correptionem illius.

Itaque si tu modum loquendi Patrum, & Theologorum omnium audaciam appellas, sine dubio in eandem qualitatem quam aliis appingis, & in easdem notæ plagas tete induis manifeste, memento loci Concilij Constancienſis, à nobis adducti in Philosophia, *disputat. de indiuisibilibus, quæstione Virum quantum componatur ex illis?* vbi sacrosanctum œcumenicum illud Concilium grauiter qualificauit, & reprehendit propositionem Vvicleph & Ioannis Hus, quia qualificauerunt, & docuerunt dicentes, quantum componi ex indiuisibilibus, esse errorem philosophicum, quia vt ipsum Concilium docet, non minus periculosum est in Ecclesia catholica, quia scandala, & seditiones creat, errores, & propositiones nouas introducere sine fundamento rationis, & auctoritatis, quam sine fundamento qualificare modos opinandi, & loquendi probabiles, scholasticorum, & Sanctorum Patrum, vt tu in præsentia facis, audaciæ nota afficiendo, quod certe nequaquam contingeret, si magis Sanctorum Patrum ac Theologorum doctrinæ, & studio incumberes, eorumque opera assidue præ manibus versares, ac in euoluendis eorum operibus ac libris diligentiæ operam nauares; vnde non solum non audacter proceditur, sed potius maxime moderate, temperate, ac theologicè proceditur dum dicimus in Deo non formaliter; sed virtualiter, eminenter, & æquialenter dari accidentia, quare Patres, & Doctores, quando negant, dari in Deo accidens, non loquuntur de accidente virtuali, eminentiali, & æquialenti, sed de accidente formali, quia hoc, vt sæpe diximus, & probauimus, imperfectionem includit; illud vero summam eminentiam, & excellentiam, & infinitatem diuinæ perfectionis indicat, quibus euidenter solutum manet argumentum primum huius Auctoris *à §. sequitur ex illa eadem certitudine, vsque ad §. hanc consequentiam probo, vsque ad finem illius.*

Nec minus friuolum est inconueniens illud, quod contra nos eruere intendit, *numero* 12. *à §. Probo vlterius Deum quoque dici verè, & propriè peccatorem, vsque ad §. illud Obserua à Recentioribus*; nam totum fundamentum huius Auctoris ad illud inconueniens eorundum ex nostris principiis est falso putare, nos ideo attribuere Deo libertatem formaliter, quia solum tribuamus ipsi virtuale aliquod prædicatum, siue contingentiæ, siue distinctionis, vt iam vidimus, quod omnino alienum est à nostra mente; nam licet ad saluandam libertatem formalem in Deo, & ad vsum eius ponamus pro conditione contingentiam & distinctionem virtualem, nihilominus tamen ad constitutionem, & definitionem formalem eius libertatis non ponimus prædicata virtualia; sed potius formalia potestatis ad vtrumliber indifferentiæ formalis ad amandum, vel non amandum, item formalis dominij.

Ex quibus recte colligimus constitutionem formalem diuinæ libertatis, quia ex prædicatis formalibus recte colligitur formalis constitutio alicuius vt ex diuinitate formali; & paternitate formali existentibus in Deo, recte colligitur formaliter Pater in diuinis, quibus positis.

Amice à te interrogo, quæ prædicata formalia peccati reperias in operibus Dei, quatenus ipsius sunt, vt ex illis colligas, Deum esse formaliter peccatorem? certe nulla reperies, neque assignabis; nam concurrere vt auctorem vniuersalem cum concursu indifferenti, & decreto quasi conditionato, de quo infra ago latissime, dum oppugno prædeterminationem physicam Thomistarum, eo quod Deus teneatur ad tali modo concurrendum ex vi suæ prudentissimæ prouidentiæ, & ex vi legum vniuersalis Prouisoris, & gubernatoris ad libertatis creatæ iura intacta, illibataque seruanda, non solum non peccati macula, imo neque vestigium; sed potius summa perfectio perfectissima ratio vndequaque splendet; circumfusisque suæ claritatis radiis, hæ tenebræ,

tenebræ, quas nostræ sententiæ offundere conaris, funditus dissipantur, dissipatæque pænitus euanescunt: ergo ex tali modo procedendi diuino quem nostra fides docet, & nos constanter amplectimur, male arguis ad eruendū Deum dici formaliter peccatorem; nam si Deus ita operando priuaretur in suo actu rectitudine debita, non solum virtualiter, sed etiam formaliter, posset recte colligi, talem actionem esse peccaminosam, quod certe non potest dici; siquidem tantum abest, vt actio, & voluntas diuina concurrens cum peccatore ad materiale peccati priuetur formaliter rectitudine debita, quin potius rectissima, & ordinatissima sit, vt ex infra dicendis *disputatione de omnipotentia, & concursu diuino*, amplius, & euidentius patebit: igitur falsissima est, non solum secundum veritatem, aut principia omnium communia, sed etiam secundum hæc particularia nostra dicere Deum esse peccatorem, eo quod tali modo debito prouidentiæ diuinæ concurrat Deus, quia nullum formale prædicatum peccati habet, sed potius summam rectitudinem continet formaliter, etiam si modus concurrendi creaturæ circa ipsum peccatum, peccatum sit formaliter quia formaliter caret rectitudine debita actui, aut quia dissona est rationi secundum varias opiniones Doctorum.

Itaque iam apparet clare, & manifeste falsitas fundamenti, quo innititur hæc potius larua, & apparentia argumenti, quam syllogizationis vis, & verum robur, videlicet, quia tibi persuades, nos ideo ponere libertatem in diuinis formalem quia asseramus, dari contingentiam, & distinctionem virtualem, aut quia se habet Deus, ac si esset contingens cum non propter hoc, sed propter indifferentiam formalem, &c. quæ est formale constitutiuum libertatis concedamus illam Deo; vnde hoc fundamento diruto suo pondere ruit fallax machina argumenti aduersariorum, quod sane non ita contingeret, si ita esset, vt ipsi falso dicunt, nimirum si nos diceremus propter solam contingentiam virtualem dari in Deo libertatem formalē, quod nequaquam asserimus, sed potius docemus, nullum concretum posse formaliter constitui à prædicato, quod non formaliter existit in ipso, etiam si existat aut virtualiter, aut æquialenter in eodem.

Ergo si in Dei actione & volitione concurrendi ad materiale peccati nullum datur prædicatum formale formaliter conueniens peccato, neque formalis definitio illius, nequaquam poterit colligi, Deum dici formaliter peccatorem, etiam si per impossibile Deus ita se haberet, ac si peccaret & æquialenter rectitudinis priuationem haberet, quod omnino negamus.

Ratio est, quia adhuc supposito illo casu impossibili de æquialentia ad peccatum non posset colligi malicia formalis, sed solum virtualis, aut æquialentiæ propter rationes sæpe dictas.

Nunc autem probo manifeste adhuc in illis actionibus neque æquialenter, aut virtualiter dari malitiam, quia quotiescunque aliquis operatur ex motiuo virtutis & honestatis, & coactus, vt ita dicam, & obligatus legibus & debito prouidentiæ, iustitiæ & fidelitatis, etiam si cooperetur cum alio, seu concurrat cum ipso ad materiale peccati illius, nullo modo dicitur, neque formaliter, neque virtualiter, aut æquialenter peccare, sed potius honestissime operari quantum est ex se, quia nihil redundat malitiæ peccatoris in huiusmodi operantem talibus motiuis, & legibus excitatus: sed Deus ita concurrit ad materiale peccati: ergo nullo modo neque virtualiter, neque æquialenter; neque formaliter dicitur peccare, quod exemplis manifestis demonstratur, desumptis non solum ex Deo, sed etiam ex creaturis; nam si aliquis luxuriæ flammis accensus colore, aut prætextu misericordiæ apparenti, motiuo tamen vero intemperantiæ, & vt virginem quandam pauperem, pulchertimam quidem attraheret ad lasciuiam, ei mitteret cum religioso vitæ sanctitate, & integritate prædito viro mille aureos, vt suo nomine traderentur tali virgini, diceretque nuncio, hoc se facere ad subleuandam miseriam illius, & ne puella illa virginitatis florem deturparet, necessitatis vi coacta, & vere intendendo vt occasione illius doni virgo ipsum adamaret, & tandem posset ipsius corpore frui; certe in hoc casu religiosus internuncius tradens nomine lasciuientis aureos supradictos ad materiale peccati concurreret, quia autem ex motiuo honestatis & legibus charitatis coactus ita operaretur, nullo modo peccaret, sed potius virtuose, sancte, & prudenter se gereret, in quo casu neque formaliter, neque æquialenter daretur peccatum ex parte cooperantis materialiter. Item certissimum est in Theologia morali, seruum materialiter cooperantem ad Domini peccatum coactum tamen minis, & imperio seuero Domini, verbi gratia, admouendo scalam parieti, cartam veneream aut lasciuia plenam deferendo non peccare: ergo manifeste sequitur, non dari peccatum, neque æquialenter ex quacunque cooperatione materialiter concurrentis, dum tamen ex debito honesto, & obligatus legibus iustis concurrat qui ita operatur.

Sed Deus tunc concurrit ad materiale peccati ex debito fidelitatis, & prouidentiæ, & vt muneri vniuersalis gubernatoris satisfaciat, quod ex se petit, vt iura libertatis creaturæ intellectualis illæsa maneant; præcipue, quia Deus sic cooperans non suadet, vt periculose docet ipse Alarcon, *num.* 14. §. *Deus ergo sic suadens*; sed potius imperat oppositum inferni cruciabitus æternis ante oculos peccatoris propositis, ne sese peccatorum cœno ingurgitet, imo vt oppositum suadeat efficaciter, videlicet virtuosa opera, immensa beatitudinis præmia offert & promittit: ergo nullo modo virtualiter, aut æquialenter peccat Deus.

Item quia vt dicatur dari peccatum æquialenter in aliquo, debet dari in illo proprium exercitium peccati; nam id quod æquialet alteri ratione æquialentiæ exercet id quod alterum, cui æquialet, exercere potest, vt supra late probauimus; sed exercitium proprium peccati est facere personam peccantem dignam odio dei, immundam, & inimicam ipsius expellendo ab ipsa sanctitatem, iustitiam & puritatem, vt ex fide catholica, & sana Theologia constat; quapropter si aliquis non se ita habeat, vt in se hos effectus proprios peccati experiatur, dum ita operatur, non potest dici æquialenter peccare aut rationem peccatoris virtualiter inducere; sed Deus nullo modo potest experiri in se, dum cooperatur ad materiale peccati, huiusmodi effectus proprios peccati: ergo non peccat æquialenter, & virtualiter, nec se habet ac si peccaret; vnde nullius momenti est syllogizatio Aduersariorum.

Neque in hoc comparanda est peccati imperfectio cum imperfectionibus aliis physicis mortalitatis, doloris, afflictionis, &c. quia licet hæ repugnent omnino Deo, nihilominus tamen secundum

prudentiæ leges magis repugnat Deo peccati malitia, difformitas, & immunditia, quod vt euidentius pateat aduerte, bene posse de Deo per communicationem idiomatum prædicari esse mortuum, flagellatum, occisum, famem, sitim dolores &c. vt de facto contingit in Christo Domino, ratione vnionis hypostaticæ humanitatis ad Verbum, & nihilominus adhuc de potentia Dei absoluta non potest contingere vllo modo, vt per communicationem idiomatum prædicetur de Deo peccatum, & ideo Deus, qui vnitus est naturæ humanæ pluribus imperfectionibus physicis admistæ, & conservando eadem imperfectiones, nullo modo potest vniri naturæ peccanti, ita vt cum tali vnione perseveret peccatum; & ideo omnes Theologi docent probabilius loquentes, & meo videri sane, & catholicè, nullo modo posse humanitatem Christi Domini vnitam Verbo peccare, aut venialiter, aut mortaliter: ergo ex his omnibus evidenter patet, magis repugnare Deo imperfectionem peccati, quam imperfectiones physicas, licet tam istæ, quam illæ implicent contradictionem respectu Dei; quod adeo verum est, vt D. Augustinus aperte doceat ex eo solum, quod Deus amaret peccatum, etiam minimum, destruendum esse: probat hoc ex illis verbis Psalmi; non Deus volens iniquitatem es tu, quæ verba sic vertit, Deus non es tu si volens iniquitatem es, talis enim est malitia peccati, & tanta vis, & efficacia eius, vt si per impossibile caderet in Deum, destrueret ipsum, & ad nihilum redigeret: ergo licet possit attribui æquivalenter, aut virtualiter Deo accidens, aut alia physica imperfectio, moralis tamen malitia nullo modo potest.

Præterea, quia tunc etiam attribuimus Deo aliquid virtualiter, aut prædicatum aliquod æquivalenter affirmamus de ipso, quando necessarium est ad aliquam perfectionem diuinam intelligendã, quæ sine talibus prædicatis intelligi nõ potest; & ideo ad intelligendam immensitatem Dei, dicimus dari in Deo extensionẽ virtualẽ & æquivalentẽ, quia sine illa non posset dari præsentia Dei sine discretione, & diuisione per omnia corpora, vt supra late probauimus *quæstione de præsentia Dei in spatiis imaginariis*. Item ad mysterium Trinitatis necessaria est distinctio virtualis, & accidens virtuale, aut per æquiualentiam necessarium est ad distinguendam relationem spiratoris actiui à relationibus hypostaticis, seu personalitatibus relatiuis, vt patet ex supra dictis.

Tandem ad actus liberos Dei necessaria est saltem tanquam conditio tum distinctio virtualis, tum contingentia æquiualenter, quia Deus ratione actuum liberorum non solum est capax prædicationis affirmativæ, & negatiuæ, sed etiam denominationum contingentium, & ideo concedimus hæc omnia prædicata virtualiter, & æquivalenter Deo.

Atqui, vt euidenter constat, lumen naturæ manifeste demonstrat, & fides catholica decernit, ad nullam perfectionem Dei, aut constituendam, aut explicandam necessaria est malitia peccati virtualiter, & æquiualenter concepta, sed potius impedit omnino explicationi, & constitutioni omnium perfectionum diuinarum: ergo etiam si per impossibile non repugnaret Deo, non esset concedenda ipsi, quia frustra superflue, ac tandem sine fructu, & sine adstrueretur peccatum virtualiter in Deo, quod abhorret ratio; quia sine vrgente necessitate non debent multiplicari entitates, propter eandem rationem in pœnitentia (de qua agit Alarcon *num.* 11. §. *eadem argumento evinco*) distinguendæ sunt duæ imperfectiones, alia moralis; inconsiderantiæ, seu imprudentiæ, aut malitiæ, & hæc neque æquiualenter, neque virtualiter & multominus formaliter debet concedi Deo; altera imperfectio est physica, & hæc virtualiter, aut æquivalenter seu eminenter poterit attribui Deo, si necessaria fuerit ad explicandã aliquam perfectionem diuinam, quam necessitatem nunquam inuenire potui, & ideo adhuc æquiualẽter non concedo Deo, quapropter locum *Gen.* 6. pœnituit Deum, quod hominẽ fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus, dixit, pœnitet me fecisse hominem; explico cum omnibus Patribus, & scholasticis de impropria, & metaphorica pœnitentia, hoc est de voluntate signi, & non beneplaciti; quibus omnibus fundamentis, ac demonstrationibus contra argumentationes Alarcon in medium efficaciter propositis, vt proposui, sine dubio labefactatur tota eius sententia, & funditus ruit ab imis sedibus euulsa phantastica machina argumentationis eius.

Quis enim subito tot verborum tumultus, tot apparentium argumentorum sine maturo consilio, sine veritatis pondere, ac libratione oculis vsurpans tot verborum anfractibus, fallaciis, ac boatu plenas syllogizationes videns, non cogitet, aut sibi persuadeat, magni momenti esse, sed certe laruæ leonum sunt, non leones, exuuiæ tigrium, non tigrides, picti grifi sunt, non veri; tandem cunarum, ac puerorum terriculamenta, quod ipse Auctor in toto hoc opere se facere profitetur *epistola dedicatoria ad Patrem Vasquez, §. pulchre Cassiodorus*, ibi: [post fata nostri Vasquez Deus in Collegio Complutensi sic prouidus, quia insellam regni Vasqueziani magisterij nos dominos, magistros indignos æquidem collocauit, ô quantos mihi spiritus sumo, ô quantum superbiæ facinus ego tu Vasquez? modestiam calco, dum æquali me radiaturum luce promitto, minime gentium, sed leoninis induor exuuiis, quibus timeat Patroclus ego, Achillis armamenta compono, quorum splendore deuincam.] Ecce hic ad vnguem hic author exequutioni mandat hæc verba, dum laruis, & exuuiis non leonum, sed argumentorum terrere contendit, quod sine dubio consequeretur, si vt inuenit animos viriles, ac robustos, pueriles timores reperisset; quam ad nostrum propositum loquutus fuit Scribanius noster, & per anagramma Clarus Bonarsius *in proœmio Amphitheatri honoris, prope medium*, ibi: [Iam si vernantem dictionem, plenoque luxuriantem gallicano succo intuearis, an non iures probissimæ notæ? At tu memento Gomorræi pomi fuliginem intrinsecus fauillaceam, ambitione extimæ cutis cohiberi, quæ vel leui pressa actu, fumum exhalat, & fatiscit in vagum puluerem. Ita plane omnis illa ostentabunda in veritatem criminatio, si retegatur, teterrimo pœdore auctores suos prodit, abitque in fauillas, quæ rupes mentiebatur, & minitabunda cœlo saxa, nix, plumæ, bullæ repercutiunt.]

## SVBSECTIO II.

*Notanda quadam obiectio contra nostram sententiam ponitur, & diluitur.* 32

QVia licet possit vna entitas æquiualere suo contradictorio, vt videre est in identitate diuina, quæ æquiualet distinctioni reali inter intellectum & voluntatem, & distinctio est contradictorium

ctorium identitatis, nihilominus tamen vna, & eadem indiuisibilis entitas positiua non potest esse formaliter suum contradictorium; vnde nullo modo potest identitas diuina inter diuinitatem, & Paternitatem formaliter existens, esse formaliter distinctio à parte rei inter illas; vnde non potest paternitas esse formaliter idem à parte rei cum diuinitate, & non esse idem formaliter cum illa, hoc est distingui ab ipsa; quia impossibile est idem esse, & non esse secundum euidens omnium maximum principium metaphysicum: atqui in nostra sententia sequitur ex eo quod concedamus libertatem formalem in Deo, eandem entitatem esse formaliter amorem, & formaliter non amorem, quia Deus ex vi suæ libertatis, licet habeat contingentiam virtualem solum, nihilominus tamen est indifferens ad amandum, & non amandum formaliter per vnam, & eandem indiuisibilem entitatem: ergo eadem indiuisibilis entitas, quæ est amor, est simul non amor, seu negatio amoris formaliter, quod est falsissimum: ergo falsum est dicere, Deum esse indifferentem formaliter ad amandum, & non amandum, ac proinde non dabitur libertas formalis in Deo; aut si datur, necessario incidendum est in opinionem Caietani docentis, destrui amorem in Deo formaliter, dum vult Deus non amare, &c.

Sed hæc obiectio non probat, non dari in Deo libertatem formalem, sed solum probat, Deum non habere formalem negationem amoris, neque se posse exercere libertatem diuinam per volitionem & puram omissionem volitionis formalem, quod nos concedimus, & ideo docemus, Deum non ita amare, vt possit pure non velle sine positiuo actu, sed potius asserimus semper exerceri diuinam libertatem per positiuum actum, non solum quando terminatur ad obiectum positiuum, sed etiam quando terminatur ad obiectum negatiuum; vnde libertas Dei non dicitur contradictionis formaliter, sed solum obiectiue, quia negatio non est ex parte actus Dei, sed solum ex parte obiecti, quod explicatur hoc modo dicendo, Deum velle facere, & velle non facere; hoc est velle positiuum, & negatiuum non per puram omissionem actus, & actum, sed potius per positiuum actum, terminando se iam ad negationem iam ad positiuum.

Vnde licet eadem entitas Dei possit esse positiua volitio obiecti positivi, & etiam volitio positiua negationis, seu carentiæ eiusdem obiecti propter distinctionem virtualem, & contingentiam virtualem, tanquam per conditionem, & formaliter ratione indifferentiæ, vt patet ex dictis, nihilominus tamen non potest eadem entitas vllo modo esse aut simul, aut successive formaliter volitio, & formaliter non volitio eiusdem obiecti, quia non solum virtualiter, sed etiam formaliter daretur desitio, aut destructio actus positiui in Deo, quia nec per potentiam Dei absolutam possunt dari in Deo formaliter simul à parte rei affirmatio, & negatio eiusdem obiecti, vt sunt volitio, & non volitio formaliter eiusdem existentiæ: ergo vt esset non volitio formalis existentiæ, necessario formaliter deberet non esse, & deficere volitio positiua talis obiecti, quia alias simul essent formaliter volitio, & non volitio eiusdem. Quo discursu soluta manet obiectio.

Probatur nunc non posse dari in Deo puram omissionem formalem actus hac vnica ratione; quia ad diuini dominij perfectionem spectat nihil in orbe fieri, aut omitti, quod illi voluntarium non sit eo genere voluntatis, cuius obiectum obiectiue, & Deus quasi subiectiue sit capax, & sicut nihil est, quod diuinam possit subterfugere prouidentiam, aut diuinam cognitionem latere; ita nihil est, quod Deo vidente & nullo modo, neque permissiue volente, fiat, aut fieri omittatur; quod si quidquid sit aut omittitur, debet Deo esse voluntarium, eo genere voluntarij iam dicti; oportet quidem, vt sit voluntarium voluntarij perfectissimi generis; voluntarium autem per puram omissionem imperfectissime est voluntarium, & eatenus solum dicitur voluntarium, quatenus illud velle potuimus, & non voluimus, quod potius est carentia perfecti voluntarij, quam voluntarium dignum Deo: ergo si mundus, non esset futurus, Deo fuisset voluntaria illa carentia existentiæ mundi: fuisset autem voluntaria, non imperfecte: ergo non per puram omissionem affectus: ergo per positivum actum, quo Deus vellet mundum non esse; quod quidem non obest libertati Dei, ad quam sufficientissimum est, quod possit velle esse, aut velle non esse mundum, neque illa necessitas habendi, aut volitionem existentiæ mundi; aut volitionem non essendi mundum oritur ab obiecto, quod sua virtute attrahat, & cogat Deum, vt sic vel aliter erga illud afficiatur; neque oritur ex indigentia obiecti quasi ad non esse mundi requiratur diuina volitio, tanquam principium illius non esse, vt satis probat Albis *tract. 2. de voluntate Dei, disp. 6. sect. 3. num. 3. & 8.*

Sed oritur ex ipsa Dei natura, & diuino imperio, cui non potuit non subdi rerum factio, & omissio rerum, atque adeo debuit illi esse perfecte voluntaria directe, aut permissiue, supposito autem quod illi futura erat voluntaria, non potuit Deus non velle illam perfectissimo genere voluntarij, id est per actum positiuum.

Secundo probatur ex honestate, & morali rectitudine actus diuinæ libertatis; quia nihil potest imputari Deo, vt auctori, & causæ, quod non imputetur ipsi ad honestatem, & rectitudinem simpliciter, & absolute; sed negatio alicuius rei creatæ imputatur Deo auctori, & causæ: ergo debet imputari ad honestatem, indicando honestissimam rectitudinem illius.

Tunc sic, non potest aliquid formaliter esse honestum, & bonum moraliter, nisi fiat ex affectu virtutis, & motiuo formali honestatis propter ipsam, vt concors est omnium Philosophorum, & Theologorum sententia; sed pura omissio actus voluntatis non est formaliter vt sic ex affectu alicuius virtutis; nec ob honestatem propter ipsam, sed potius indifferens, cum nulla sit ratio positiue tendens in illud motiuum amando ipsum propter bonitatem ipsius, quod est omnino necessarium ad id, quod asserimus; quia pura negatio non habet rectitudinem perfectam: ergo talis negatio non potest formaliter, vt est à Deo, esse honesta, &c. ergo formaliter vt sic implicat esse à Deo sine actu positiuo tendente in motiuū aliquod honestatis formaliter propter ipsum; nam licet in voluntate humana possint dari omissiones puræ liberæ, quæ nec malæ sint nec bonæ moraliter, quales sunt omissiones consiliorum, tamen à Deo non potest dici aliquid libere procedere, & non secundum honestatem formaliter, quia Deo non minus repugnat, non operari bene, quam operari male. Deinde negatio actus est indifferens ad bonum, & ad malum: ergo non potest conuenire Deo, quia quidquid Deo conuenit est determinatum ad bonum. Præterea in Deo voluntas non est potentia ad vo-

lendum, sed potius est actus secundus à parte rei; qui ex se est indifferens, vt terminetur ad esse alicuius rei: ergo impossibile est, vt ex tali actu oriatur non esse alicuius rei, tanquam à causa honestissima, & recta, quin perfectio illius actus comparetur ad tale non esse, cuius est causa, summam honestatem, & rectitudinem continens, nisi per modum volitionis positiuæ, esse enim eam perfectionem positiuam volitionem eius, cuius est causa, non oritur ex connotato quod interdum est aliquid negatiuum, sed ex intrinseca Dei perfectione, quæ terminata per modum causæ rectitudinem, & honestatem summam habentis ad non esse rei eo ipso est positiua volitio illius; nam causalitas quæ connotatur vt perfectio Dei sit volitio, non est necessaria ad tribuendam denominationem solius volitionis positiuæ, sed solum vt ei perfectio sit talis obiecti creati, nempe existentiæ rei aut negationis illius.

Dices, Deum respectu aliquarum negationum non semper habere positiuum actum quo velit esse; v.g. ommissio actus debiti ex præcepto in homine, quæ est peccatum, non est volita à Deo actu positiuo, alias vellet peccatum formaliter.

Sed contra, quia tunc, licet Deus non habeat actum positiuum volendi directe talem ommissionem, nihilominus tamen habere actum positiuum permittendi illam; & sic vult Deus permittere tale peccatum, permissio autem non est pura ommissio, sed actus positiuus, quod his verbis aliqui Doctores explicant, dicentes, tunc positiue non velle Deum, vt fiat malum formaliter, neque negatiue malum esse ab eo, vt à causa maliciæ; sed illam omissionem præcepti esse à Deo materialiter, quatenus vt causa prima generalis non concurrit cum causa secunda ad actum, & vult non concurrere actu positiuo; quia ita determinatur à causa secunda libera nolente operari, vel non volente; itaque illa omissio vt mala non est à Deo, sed à causa secunda libera & adæquate est omissio secundum se ab vtraque à Deo physice, & ab homine moraliter, quod non maiorem difficultatem habet, quam in actu positiuo peccati, qui est à Deo, & à causa secunda ab hac in esse morali malo, & à prima in esse physico.

Itaque duplex actus concurrit in permissione peccati, primus est, quo vult Deus dare creaturæ auxilium sufficiens; secundus, quo vult negare auxilium congruum, & vterque hic actus est positiuus, & ex vtroque coalescit integra permissio, quæ est rectissima, & honestissima voluntas Dei, & ideo debet esse positiuus actus, quia in pura omissione non datur honestas. Vnde maxime mihi displicent dicentes, in pura omissione posse dari perfectam honestatem dignam Deo. Tum quia pura omissio in Deo, vt bene aduertit Alarcon si sit peccati, non est honesta respectu ipsius, quia Deus essentialiter est impotens ad peccandum, rei autem indifferentis, aut honestæ vt sic omissio non potest esse honesta; quia priuatio boni vt sic non est bonum, nisi ex alio capite, vel motiuo honestetur: ergo in Deo non potest ommissio actus positiui boni esse honesta: imo nec in creatis, quia bonum ex integra causa; malum ex quocunque defectu: ad bonum enim non sufficit facere opus bonum, sed bene ex obiecto, & circunstantijs; ad malum autem sufficit quilibet defectus, vnde quis facit bonum opus ex malo fine, & non operatur bene, sed male; quo sequitur, vt sicut sæpe leges affirmatiuæ implentur per opus externum bonum moraliter, licet fiant ex prauo fine, vt patet in auditione Missæ: ita eædem leges violantur per quamlibet omissionem liberam talis actus, etiam puram, per quam homo meretur pœnam, quia non facit, quod tenetur, cum possit.

Omissio autem pura peccati est tantum bona materialiter non formaliter, quatenus non contradicit legi, & propterea non est honesta nec meritoria positiue, quia ex se indifferens est, vt fiat talis ommissio, ex bono fine, vel malo: ergo vt sic abstrahens non potest esse meritoria, & honesta; nam sicut implere legem positiuam, v. g. auditio Missæ ex se est bona tantum materialiter, & non est honesta, & meritoria formaliter, quia lex impletur vera auditione Missæ, siue fiat ex malo fine, siue ex bono, & quia facta est malo fine, legem seruat, & non est honesta, & meritoria, ideo auditio Missæ vt sic non est bona, nec meritoria: eodem modo in præceptis negatiuis v. g. non occidere secundum se vt sic est bonum materialiter tantum; quia potest quis non occidere ob malum finē vanitatis &c. & tunc illa negatio occisionis seruabit legem, sed non erit honesta, & meritoria: ergo non occisio vt sic abstrahens tantū erit bona materialiter, & non honesta formaliter, quia de se est indefferens adhoc vt sit bona, vel mala, quocunque modo facta seruet legem negatiuam non occidendi.

Tandem meo videri demonstratur hæc veritas, quia reprobatio damnatorū post præuisa demerita eorum est actus positiuus diuinæ voluntatis; sed talis actus habet pro primario obiecto pœnam damni, quæ est essentialis, & primaria pœna damnatorum, & pro secundario obiecto habet pœnam sensus, quæ comparata cum pœna damni secundum quid pœna, & secundaria dicitur; atqui in sententia omnium Theologorum pœna damni est priuatio visionis beatificæ &c. seu beatitudinis essentialis: ergo Deus non per negationem actus, aut per suspensionem, seu omissionem illius, sed potius per positiuum actum, qualis secundum omnes Doctores Ecclesiæ, & Theologos est reprobatio, terminatur ad priuationem, seu negatiua obiecta; & ratio à priori videtur esse quia substantia intellectualis habere potest actum positiuæ volitionis circa omnia illa, in quibus potest apprehendere aliquam rationem boni, non solum positiui, sed etiam negatiui quod est negatio alicuius disconuenientis mali, sunt autem multæ negationes, in quibus apprehendi possit aliqua ratio boni pertinentis ad iustitiam punitiuam, aut ad benevolentiam alicuius ad auferendum aliquod illi disconueniens: ergo etiam diuina voluntas potest comparari ad negationes, quæ ex eius libertate procedunt sicut volitio positiua libera, & efficax circa illas. Si autem aliquando sola negatio producendi aliquid est sufficiens connotatum, & obiectum actus positiui, & liberi in Deo, manifeste efficitur, quotiescumque ex Dei voluntate prouenit aliqua negatio, hoc est ne res aliqua producatur, simul etiam esse in Deo actum volitionis liberæ, circa non esse talis rei; vnde probatiores Doctores asserunt, volitionem diuinam esse positiuam, qua decreuit infinitas creaturas possibiles non producere, cuius rationem tribuunt; quia impossibile est à parte rei existere perfectionem intrinsecam diuinæ volitionis cum connotato sufficiente ad rationem actus volitionis positiuæ, tanquam effectus illius, quin ille actus ab æterno fuerit in diuina voluntate: ergo nulla esse potest negatio existentiæ rei, quam Deus possit producere, circa quam non sit in Deo libera, & positiua volitio, quia nulla esse potest negatio in qua non possit cognosci

cognosci aliqua ratio congruentis boni; esse enim negationem rei nullo modo necessariæ ad diuinam perfectionem propter fines, quos sibi Deus potest talis negationis proponere, est sufficiens ratio boni, vt voluntas velit cessare à productione talis rei. Nam sicut ea est sufficiens ratio libere cessandi ab operatione, ita est congruens ratio volendi cessare.

## SVBSECTIO VLTIMA.

*Argumentum à priori contra nos positum sectione prima dissoluitur.*

53 AD vltimum argumentum dico, ibi bene responsum esse illi ad vltimam replicam respondeo aliquid esse in secundo signo virtualiter additum, quod in primo signo virtualiter, & æquialenter deficiebat, licet semper ab æterno, & à parte rei formaliter fuerit, quod in secundo signo virtualiter de nouo est, & hoc sufficit, vt prædicetur in secundo signo de Deo id, quod in primo non prædicabatur.

Vbi aduerte, Deum in indifferentia partim conuenire cum creatura, partim differre ab illa; conuenit cum creatura in hoc, quod sicut creatura formaliter ita est indifferens vt in eodem instanti, in quo determinatur per amorem, & amat per illum, potuerit nolle amare; ita similiter Deus ab æterno ita semper voluit creare mundum vt potuerit ab æterno velle non creare illum formaliter & in hac potestate, seu indifferentia formali consistit formalis libertas diuina, & sicut in toto illo instanti, quo amat creatura, ita formaliter est amor vt minime sit, aut in toto illo, aut in aliqua prioritate naturæ sit formaliter negatio, & carentia illius; quia vt in physicis late demonstro, non possunt esse in eodem instanti pro priori, & posterioti naturæ forma, & priuatio, quia prioritas, & posterioritas naturæ non sunt in quo sed à quo. Ita similiter formalis amor seu volitio creandi mundi ita fuit ab æterno in Deo, vt neque pro priori naturæ formaliter fuerit negatio amoris, quia libertas, & indifferentia, quæ ab æterno se determinat ad amandum non petit, imo neque potest habere prius negationem, seu carentiam formalem illius amoris, quem ab æterno habet; nam negatio, & forma, vt existant in eodem subiecto petunt necessario successionem durationis, quia simul in eadem duratione existere repugnat, & implicat contradictionem, alias idem simul esset, & non esset; quod est contra euidentissimum, ac maximum metaphysicum principium.

Exemplo declaratur, si Deus ab æterno produxisset aliquam creaturam, vt potuit, nunquam possemus dicere pro priori aliquo naturæ, fuisse negationem, aut priuationem formalem talis productionis, quia ex suppositione, quod productio est ab æterno, nullo modo potuit antecedere priuatio illius, quia priuatio si antecedit, non solum debet antecedere prioritate naturæ, sed etiam prioritate durationis, quæ ante rem existentem ab æterno non potest dari, alias non fuisset ab æterno, vt data opera demonstro in physicis *disp. de duratione, quæstione Virum successiuum, vt successiuum potuerit esse ab æterno*; sed Deus ab æterno libere voluit creare hunc mundum: ergo pro nullo priori præcessit in Deo indifferentia, seu libertas cum negatione, seu carentia formali eiusdem volitionis, quia hoc non petit volitio libera ab æterno, neque potest compati cum illa; ium propter rationes supra positas, quibus probauimus, non posse dari in Deo puram ommissionem, aut carentiam actus positiui; tum etiam quia nulla prioritas est vt dixi, in qua possit præcedere talis carentia ad volitionẽ æternã. Itaque libertas, & indifferentia formalis, vt libere se determinet ad volendum, non requirit vt ante præcesserit cum carentia seu priuatione formali talis priuationis, vt videre est in Angelo qui libere voluit; imo secundũ probabiliorẽ opinionem in primo instanti suæ creationis potuit peccare, & nihilominus in eodem illo primo instanti, nunquam præcessisset cum priuatione, seu carentia illius liberæ volitionis, siue bonę, siue peccaminosæ.

Solum igitur indifferentia, seu libertas formaliter petit, siue ab æterno, siue in instanti, vt ita velit voluntas, vt potuerit velle oppositum, quod sufficit ad exercitium propriũ, & rigorosum libertatis & in hoc conuenit libertas creata cum increata; differt autem libertas creata ab increata, in hoc quod increata (ex eo quod ab æterno decreuerit, & non possit de nouo decernere in tempore, vt supra demonstrauimus) nunquã habuerit oppositũ actum huic, quem nunc habet, neque habuerit carentiam formalẽ illius, libertas autem creata, quæ in tẽpore incipit amare, si talis inceptio non sit in primo instanti suæ creationis, sine dubio habuit carentiam formalẽ talis amoris; si vero, vt dicitur de Angelis, libere voluerunt in primo instanti suæ creationis, etiã conueniunt cum Deo in hoc, quod nunquam habuerint indifferentiam cum carentia formali illius primæ volitionis; Itaque hoc quod est habere, vel non habere prius priuationem, quã actum positiuum per accidens est ad formalitatem libertatis; formale autem illius est, quod ita se determinauerit ad vnum, vt ad oppositũ potuerit pro suo libito determinari, quia hoc exigit dominium seu indifferẽtia formalis circa suos actus, quæ sunt prædicata formaliter constituentia libertatem.

In alio autem maxime differt libertas creata ab increata, & indifferentia vnius ab indifferentia alterius, quod liberas increata ex eo quod immutabilis sit, tã physicẽ, quã moraliter ex suppositione quod semel ab æterno habuit decretum creandi hunc mundum, & conseruandi illum &c. nunquã mutatura sit tale decretum; vt iam supra explicui; quod aliter cõtingit in creata libertate, quæ quotidie mutat decreta, ex quibus omnibus euidenter solutum manet argumentum à priori aduersariorũ deceptosque esse illos dicendo indifferentiam Dei aliquando esse sub negatione actus positiui, quem semel habet, vt liquet ex dictis, quæ sufficiunt ad lucem offundendum sufficientem huic tractatui *de libertate diuina*, quæ æque difficilis est ac necessaria ad exactam doctrinam huius disputationis *de voluntate Dei*.

## QVÆSTIO VLTIMA.

*Vtrum Deus concurrat cum causis secundis aliquid imprimendo ipsis præuium ad actionem illaum*

## SECTIO I.

*Sententia aduersaria ponitur.*

PRima sententia est Thomistarum, asserentium Deum concurrere cum omni causa secunda, siue libere operanti siue naturaliter aliquid præuium imprimendo in ipsam

ipsam causam secundam quod antecedat operationem eiusdem causæ secundæ; sed quia hic modus concurrendi potest dupliciter contingere bifariam suam sententiam explicant aduersarij. Primo enim modo dicunt ipsi moueri causam secundam à prima ad suam operationem per veram actionem in ipsam imprimendo ei aliquid quo formaliter determinatur ad talem operationem, sicut lapis per impressum impetum ad motum suum determinatur; hoc autem quod imprimitur intrinsecum causæ secundæ à prima. Ferrara, & alij asserunt esse qualitatem veram productam ex vi actionis diuinæ ad complendam & determinandam causam secundam, vt possit hanc potius, quam illam operationem elicere causa sic determinata.

2 Alij vero asserunt hoc impressum nihil aliud esse quam actionem diuinam immediate terminatam ad actionem causæ secundæ, ratione c us elicitur actio causæ secundæ, & vt ita dicam producitur à causa à prima actione propria ipsius primæ causæ, & hoc sensu dicunt causam primam prius natura influere ad actionem causæ secundæ quam ipsamet causa secunda, quia videlicet priusquam voluntas humana v. g. exeat in actum, Deus aliquid præuium agit in ipsam, quod est esse causam suæ actionis, idque generale esse dicunt in omnibus actibus causarum omnium creatarum propter subordinationem essentialem harum respectu primæ causæ; ex quo vlterius inferunt voluntatem neque agere vnquam, nec posse aliud agere, nisi id ad quod Deus illam præmouet hac impressione.

3 Deinde inferunt, posita hac Dei impressione siue per actionem siue per qualitatem in voluntate creata, necessario voluntatem ipsam exire in actum, ad quem efficiendum præmota est, quia cum illa actio Dei sit per modum actualis motionis, & sit efficax procedatque ex efficaci voluntate qua decreuit Deus creatam potentiam indifferentem ad actum determinare, non potest hæc voluntas resistere; sed necesse est vt Deo illam mouente ipsa talem actum eliciat. Deinde asserunt ex vi illius præviæ motionis determinari voluntatem formaliter, & prius natura quam operetur manere determinatam ad illud vnum agendum, ad qod promotio illa diuina tendit.

4 Secundo inquiunt non per aliquid intrinsecè impressum prævium ad actionem, sed solum per antecedentem voluntatem seu actum efficacem voluntatis diuinæ determinari, quo actu vult Deus causam secundam, aut voluntatem humanam agere, ad quam Dei volitionem statim sequitur actio causæ secúdæ propter naturalem subordinationem & quasi sympathiam harum causarum; nam sicut ad nutum nostræ voluntatis mouetur brachium aut pes & potentia motiua existens in his membris efficit illum motum, non quia aliquid præuium intrinsecum per illam volitionem in potentia motiua fiat, sed propter naturalem sympathiam & subordinationem talium potentiarum, ita æque imo à fortiori contingit in nostro casu propter maiorem sympathiam & subordinationem quæ reperitur inter causam primam & secundam.

5 Itaque omnes siue intrinsecè siue extrinsecè asserunt præmoueri causam secundam, in hoc vnum conueniunt quasi collatis signis, vt posita siue intrinseca, siue extrinseca impressione per modum qualitatis, aut actionis, siue extrinseca præmotione non possit vllo modo non operari voluntas siue causa secunda id ad quod præmouetur à causa prima: hæc sententia sic explicata probatur.

Primo ex diuinis litteris *Prouerb. enim* 21. dicitur: cor Regis in manu Dei est, & quocumque voluerit inclinabit illud, & *Ieremiæ*. 10. non est in homine via eius, & à Domino gressus hominis diriguntur & *Iob.* 11. qui mutat cor Principum, in quibus omnibus locis aperte dicitur creaturas mutari à Deo præmoueri & prædeterminari ad actiones, quod adeo verum est vt non solum hæc præmotio in Scriptura verificetur de homine recte operante, sed etiam de homine peccante actualiter, vt patet *ex* 2. *Regum, cap.* 16. Dominus præcepit Semei &c. *& capit.* 24. commouitque Dauid, *& Psalmo* 104. declinasti semitas nostras à via tua, huc spectat, quod sæpe dicitur Deum indurare corda hominum *Exodi* 7. *Iosue* 11. *ad Romanos* 8. & item ex Cæsare *Isaiæ* 83. decipere. 6

Addi etiam solent contra nos generales loquutiones, quibus omnia opera creaturarum Deo tribuuntur 1. *Corinth.* 12. qui operatur omnia in nobis, ad *Roman.* 11. ex quo omnia per quem omnia. Item *Ieremiæ* 10. *& ad Ephes.* 1. qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, etiam *ad Philippens.* 2. Deus est qui operatur, *& ex Canticis* 1. trahe me post te, & *ad Roman.* 1. tradere dicitur in reprobum sensum supra quæ *August. lib.* 5. *contra Iulianum, capit.* 3. referens sententiam Iuliani sic ait. Quid est, quod dicis, cum desideriis suis traditi dicuntur relicti per diuinam patientiam, intelligendi sunt non per potentiam in peccata compulsi, ipse sic ponit, quasi non simul posuerit hæc duo, idem Apostolus, & patientiam, & potentiam vbi ait; sic autem volens Deus ostendere iram & demonstrare potentiam suam attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, sentit ergo August. Deum non tantum per patientiam expectare, sed etiam per potentiam in peccata compellere, & ad illa determinare. 7

Alia æque difficilia vel obscuriora verba habet idem August. *lib. de gratia & libero arbitrio*, vbi *cap.* 20. sic ait ita esse in Dei potestate non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, sed etiam illas, quæ conseruant sæculi creaturam, vt ea, quæ voluerit & quando voluerit faciat inclinari, & ibidem ait voluntatem proprio vitio malam in hoc peccatum iusto suo iudicio inclinauit, *& cap.* 21. operatur Dominus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum. 8

Secundo probatur hæc sententia ex *Aristotele* 8. *Phys. capit.* 5. & sequentibus, vbi probat vnum esse tantum primum motorem immobilem; alia vero omnia mouere illum, vt mota agant: at si causæ secundæ non mouerentur actualiter à prima omnes essent mouentes, immotæ, & ita non posset perveniri ad vnum primum motorem immobilem. 9

Tertio probatur ex Diuo Thoma 1. *p. q.* 105. *art.* 1. *ad.* 3. qui aut primam causam mouere causas secundas, & applicare illas ad operandum & *q.* 3. *de pot art.* 7. *ad.* 7. declarat hoc, quod additur, causæ secundæ à prima esse entitatem quandam 1. *p. q.* 19. *art.* 5. vbi sic ait causa quæ est contingens oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum: ecce causam contingentem per 10

ferhibet Diuus Thomas ab aliquo exteriori determinari, vt efficiat absque præiuditio suæ contingentiæ, & *libro primo Perhy. lect.* 13. inquit quandiu aliquid est futurum nondum est in seipso; est autem aliqualiter in sua causa, quod quidem contingit tripliciter, vno modo vt sic sit in sua causa vt ex necessitate ex ea proveniat, & tunc determinate habet esse in sua causa vnde determinate potest dici de eo quod existit, alio modo est aliquid in sua causa, &c. vbi D. Thomas expresse distinguit illum duplicem modum prædeterminationis in actu primo, vnum per modum naturæ, alium vt denotet promotionem intrinsecè inhærentem voluntati habentem intrinsecam virtutem realem ad inclinandam illam vt infallibiliter Deo vocanti consentiat, vt iuxta hunc modum concedit causam in actu primo vere dici determinatam, quæ est doctrina ab eodem Angelico Doctore tradita 1. 2. *quæstione 9. articulo 6. ad 3.* Vbi sic ait, sed tamen interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum sicut in his, quos mouet per gratiam.

## SVBSECTIO I.

*Rationibus probatur.*

11 PRima sic se habet, quia omnia hæc axiomata recipiuntur communi consensu; totius Scholæ: causa secunda applicatur ad operandum à prima, causa prima excitat secundam ad operandum, causa secunda determinatur à prima, & sine tali determinatione non potest operari, causa secunda non agit nisi mota à prima, causa secunda subordinatur primæ, vt instrumentum subordinatur artifici quæ principia non possunt esse vera, nisi asseramus concursum diuinum esse aliquid impressum secundis causis actioni earum præsuppositum, secundum prioritatem naturæ per modum principij ad operandum: ergo necessario ponendum est ita.

12 Probatur minime, quia non potest causa secunda applicari ad operandum à prima, neque excitari ab illa, vel ab ea determinari nisi per aliquid ei impressum, & præuium actioni; nam si nihil nouum in ea ponatur, quod prius non habebat, nec dicetur determinari à prima causa neque applicari ad operandum ab ea, nec excitari ab illa de nouo, sed eodem modo se habebit, quantum ad hæc omnia, nunc, & prius, & illud, quod necessario ei debet imprimi, debet etiam præcedere operationem eius, secundum prioritatem saltem naturæ, quia excitatio ad operandum determinatio, & motio prior natura est operatione: ergo id, per quod excitatur, mouetur & determinatur ad operandum prius debet esse operatione ipsa.

13 Secundo sic probatur, quia causæ secundæ non solum producunt proprium effectum & propriam operationem secundum speciem, sed etiam effectui tribuunt vltimam actualitatem, & esse determinatum, quod habet, quicquid enim reperitur in effectu producitur effectiuè à sua causa efficiente, sed istam vltimam actualitatem non possunt effectiuè causæ secundæ tribuere suis effectibus nisi eædem causæ compleantur in sua virtute actiua per motionem actualem primi agentis: ergo oportet quod præuia motione moueantur ab illo vt illam vltimam producant actualitatem: minor probatur, quia omnis forma, & virtus operatiua, cuiuscumque entis creati est admixta potentiæ; atque adeo non habet secundum se tam perfectam actualitatem quantam habet operatio, quæ est actus secundus; ergo non potest esse principium effectiuum talis operationis, quantum ad suam vltimam actualitatem, nisi prius natura compleatur in sua virtute operatiua, per actualem motionem primi agentis; principium enim efficiens non debet habere minorem actualitatem, quam habeat effectus, quia vnumquodque operatur in quantum est actu.

Tertia ratio sit, quia vt ostendit ex professo S. Thom. 3. *contra Gentes cap. 66.* esse est actus vniuersalissimus & proprius effectus solius Dei vnde in libro de causis dicitur, quod neque intelligentia dat esse nisi in quantum est diuina: ergo causæ secundæ quatenus attingunt esse proprij effectus formaliter loquendo sunt instrumenta Dei; ergo oportet quod moueantur ab illo prius natura quam attingant ipsum esse cuiuslibet effectus; patet consequentia, nam vt instrumentum attingat effectum principalis agentis oportet quod præuia motione ab illa moueatur. 14

Quarto sic probo ab eo, quod se habet indifferens ad vtrumlibet consequitur aliqua actio determinata, nisi ab aliquo alio moueatur, & inclinetur ad vnum determinate, vt dicit Commentator 2. *Physiorum, tex.* 48. ab eo enim quod est in potentia, & indifferens inquantum huiusmodi non potest esse determinatus actus, quia non est maior ratio quare exeat iste actus, quam oppositus, cum talis potentia secundum se, sit indeterminata, & indifferens ad opposita: sed causa libera & contingens, se habet indifferenter ad opposita: ergo non exibit ab illa determinata operatio, nisi præmoueatur à primo agente, & prædeterminetur ad vnam particularem determinatam operationem. 15

Quinta ratio sit, quia applicatio causæ secundæ ad opus est aliquid creatum distinctum à virtute operatiua talis causæ, & distinctum etiam à Deo, immo necesse est factum esse à solo Deo sine ipsa causa secunda cum illa applicatio antecedat actionem. 16

Sexta ratio, quia ex hoc influxu nihil sequitur libertati contrarium, tum quia ad efficatiam efficientis diuinæ voluntatis spectat vt possit voluntatem nostram mouere prout voluerit; imo ait Aug. *in Enchirid. cap. 96.* hoc spectare ad omnipotentiam Dei: ergo potest Deus talem entitatem imprimire voluntati nostræ quæ illam efficaciter determinet, ad vnum, & tam suaui modo vt ipsam liberam relinquat, hoc est enim quod diuina prouidentia prædicatur, quod attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. 17

Tum etiam quia necessitas, vel determinatio ex suppositione non repugnat libertati simpliciter: ergo licet voluntas sit determinata, per impressionem talis præmotionis, illa necessitas solũ erit consequentiæ, & suppositionis, & non evertet libertatem: antecedens patet, nam iudi- 18

tium vltimum, & practicum intellectus determinat voluntatem, ita vt non possit hæc ab illo discordare, alias posset voluntas deficere sine errore vel defectu intellectus, & tamen tale iudicium reliquit illam libertatem simpliciter.

19 Item ex suppositione diuinæ scientiæ non potest voluntas aliter operari quam Deus præsciuerit, & tamen libere operatur. Item voluntas Christi ex suppositione vnionis hypostaticæ non potest peccare, & tamen libera est: ergo.

## SVBSECTIO II.

### *Aliqua certa notantur.*

20 PRimo aduertendum est esse potentiam liberam nihil aliud esse nisi potentiam, quæ positis omnibus ad agendum potest agere & non agere, hæc enim descriptio traditur à Nemesio *lib. de natura hominis. cap. 35.* dicente esse autem liberum si eisdem positis causis in nobis esset aliquando appetere, aliquando refugere, quam etiam definitionem approbat D. Thom. *quæst. 24. de veritate art. 2.* vbi sic ait in brutis est quædam similitudo liberi arbitrij in quantum possunt agere, vel non agere, vnum & idem secundum suum iudicium: sed quia eorum iudicium est determinatum ad vnum, per consequens eorum appetitus, & actio ad vnum determinatur. Item agens 1. 2. *de libertate hominis*, quæ necessaria est ad meritum, asserit esse indifferentiam ad operandum & non operandum, & *lib. 6. contra gentes, cap. 3.* idem docet, desumitur etiam hæc definitio ex Aristotele 9. *Met. cap. 3. alias tex. 12. & duodecimo Metaph. cap. 6. & tertio de anima cap. 2.*

21 Admittiturque ab vniuersa schola Theologorum, cuius sensus est vt de ratione liberæ potentiæ sit vt in potestate sua habeat tam actum suum excercere, quam continere vel suspendere, id vero non ex defectu alicuius conditionis requisitæ ad operandum; illa enim non esset potestas ad suspendum actum, sed impotentia potius ad agendum tali conditione deficiente; vnde ille modus cessandi à propria actione agentibus etiam naturalibus communis est, ignis namque non calefacit si desit aliqua conditio, vel requisitum ad calefaciendum, vt v. g. si deficiat passum, vel approximatio, sicut contingere potest in voluntate ipsa si esset à volendo ex defectu obiecti, eo quod illud ignoretur, tunc enim carentia actus non erit ex potestate libera, seu dominio indifferentiæ, sed potius ex naturali defectu, est ergo de ratione liberæ potentiæ vt ex intrinseca vi, & potestate sua completa & sufficienti ad operandum possit, & actum suum excercere, & suspendere quando voluerit, & quia interna vis facultatis non excercetur nisi adhibitis omnibus requisitis ad agendum, ideo recte dicitur optimeque explicatur vis huius facultatis sufficientis, & complete in eo, quod positis omnibus requisitis ad agendum possit agere, & non agere, sed hæc prærequisita iure optimo explicantur de his conditionibus, quæ in actu primo requiruntur, seu quæ sunt aliquomodo causa actionis; non enim est actio ipsa; nam licet nemo agat sine actione, & ideo etiam actio dici possit requisita ad agendum, non tamen vt principium agendi, vel aliquid pertinens ad principium actionis, sed potius vt ipsum formalissimum agere; quo formaliter constituitur potentia in esse agentis, & determinatur potius ad agendum quam ad non agendum, & ideo non est componenda actio cum potentia, ad hoc vt ipsa potentia dicatur indifferens, quia in hoc involuitur repugnantia, sed sumenda est potentia cum omnibus prærequisitis ex parte eius, seu per modum actus primi, & antecedentibus ipsam actionem.

## SVBSECTIO III.

### *Prima conditio ad libertatem ponitur, & Pater Arriaga oppugnatur.*

PAter Arriaga *disput. 6. de anima, num. 48.* & ex professo *disput. 8. à num. 4.* docet, posse dari actum liberum voluntatis, quem nullo modo efficiat ipsa, dum modo recipiat illum solum passive se habendo per influxum causæ materialis, vel subiectiuæ; verbi gratia si Deus poneret in me qualitatem amoris quam vocat actum elicitum à Petro, dummodo mea potentia volitiua reciperet ipsum per verum concursum materialem, posset esse liber ille actus respectu mei, non minus, quam ille, quem nunc elicio.

Iam sine controuersia pro certissimo habetur, actum liberum, vt liberi rationem induat respectu alicuius debere non solum materialiter, & purè passivè; sed etiam actiue, & efficienter elici ab ipso, respectu cuius liberum exercitium est. Itaque de ratione potentiæ formaliter liberæ est, vt quatenus talis sit potentia actiua: hæc conclusio est ita certa hac tempestate, vt oppositum ab aliquibus grauibus Doctoribus errroneum in fide, ab aliis temerarium ad minus iudicetur: ego autem, vt abstineam ab omni censura iudicium hoc remitto sapientibus, fideique iudicibus, contentus solum muneri meo satisfacere; quod in hoc situm, ac collocatum est, vt præsentem veritatem, quæ immediate opponitur Lutheri & Calvini doctrinæ efficaciter quantum in me fuerit probem, atque confirmem, quia multa nostræ fidei mysteria ab ipsa fine dubio pendent: probatur.

Primo ex scriptura; Petrus enim Apostolus 2. *epist. cap. 2.* ita ait: [ satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, vbi S. Apostolus optime explicant D. Augustinus, & Hieronymus, tradens doctrinam infallibilem, & certam de mediis necessariis ad beatitudinem consequendam; secundum prædestinationis decretum, & diuinæ vocationis beneficium ait, nulla alia esse media, præter bona opera; vbi pro conditione necessaria in mediis ad beatitudinem perit duo, & rationem operationis & rationem bonæ operationis, vt patet ex illis verbis; [satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.] Vnde D. Augustinus hæc verba profert; [ non aliter certi sumus de itinere ad beatitudinem electis promissam, nisi dum bene operando in tempore exequimur id, quod sine tempore, quia ante omnia tempora

tempora, & sæcula decretum est à Concilio voluntatis diuinæ, ] quid clarius, & euidentius ad nostram veritatem confirmandam poterat excogitari; tunc sic, media infallibilia ad beatitudinem consequendam sunt bona opera, vt inquit Petrus, quæ bene operando facimus, vt explicat Augustinus; sed hæc media sunt actus liberi, quia sine libertate nihil meremur, aut demeremur; vnde D. Paulus Apostolus *epist. 1. ad Corinth. capite septimo*, docens medium, quo homines possint ad libertatem gloriæ, seu ad brauium beatitudinis, & coronam æternæ fœlicitatis per media congruentia se disponere; asserit exercitium liberæ voluntatis requiri, ibi [non habens necessitatem; sed potestatem habens suæ voluntatis.]

Ergo actus libertatis ex mente Petri, & explicatione Augustini in operando operatione, seu actione & non in sola passione, seu receptione consistit.

Clarius hoc exprimitur ab Ecclesiastico, *capite 31.* ibi, qui potuit facere mala, & non fecit; ecce libertatem manifeste explicat per potentiam faciendi, & non faciendi, cuius exercitiu est facere, vel non facere: ergo qui dixerit, exercitium libertatis consistere in sola & pura passione sine actione & operatione, sine dubio immediate opponitur Scripturæ, quæ, vbicunque libertatem arbitrij declarat, verbis vtitur ad propriam potestatem agendi pertinentibus; & dum explanat exercitium illius, decernit esse per operationem, & actionem; vt patet clarissime ex locis nuper adductis; quibus consonat illud *Ecclesiast. 15.* [ Ad quod volueris, porrige manum tuam, ] & illud; [ quæ enim odit, ne feceris.] Item locus ille *Zachar. 4.* [ conuertimini ad me, ] per quæ verba, [ libertatis nostræ admonemur, ] vt Concilium Tridentinum explicuit; nemo autem se ipsum conuertit, nisi agendo, vt ipsum Concilium decernit, ac definit; Tandem simile est dictis illud *Apocalyp. 3.* [ si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum; ] Verbum enim aperiendi efficientiam includit; vnde his verbis Ioannes Euangelista videtur pulchra comparatione explicare locum Zachariæ; propheta enim *cap. illo 4.* ait: [ conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. ] Quæ propositio, vt docent Diuus Thomas, & D. Anselmus æquiualet conditionali huic, si ad me conuertamini per contritionem, dolorem, & amorem, ad vos conuertar per gratiam habitualem; quapropter si huiusmodi actuum clauibus reseratis ianuas cordis, mihique aditum patentem offeratis, introibo ad vos, vt animas vestras diuinis muneribus gratiæ adornem, atque impleam; quod idem est, ac dixit Ioannes, [ si quis aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum: ] alia multa breuitatis causa relinquo, quæ passim in Scriptura occurrunt.

Secundo aperte, & manifeste probatur hæc veritas, ex Concilio Tridentino, *sess. 6. capite quinto*, vbi cum dixisset, homines vocari à deo per gratiam [ vt eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando in ipsum Deum conuertantur, ] explicat illam liberam cooperationem dicens: [ itavt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem; neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui & illam abijcere potest. Neque tamen sine gratia mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate posset. ] Et ideo *in Canone 4.* damnat dicentes; [ liberum arbitrium nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, aut nihil omnino agere, mereque passiue se habere; ] atqui si homo non ageret, sed reciperet actum ab alio factum mere passiue se haberet: ergo hic dicendi modus est contra Concilium.

Respondet Pater Arriaga hoc, quod est passiue se habere, dupliciter sumi posse: primo, sine vllo prorsus vero concursu, vt se habet materia respectu animæ rationalis, in quam nullo modo influit? Secundo per verum concursum, & influxum, qualem, verbi gratia, exhibet materia prima in formas materiales, & quodlibet subiectum in sua accidentia: ait ergo Pater Arriaga à Concilio damnari, qui dixerit, liberum hominis arbitrium passiue se habere primo modo non secundo; nam in secundo modo vere causa passiua influit, atque adeo sufficere hunc influxum ad rationem voluntarij, & liberi, & ne voluntas dicatur operari mortuo modo.

Sed contra est, quia hæc noua expositio, & distinctio sine vllo fundamento excogitata est à Patre Arriaga contra communem modum intelligendi Philosophorum, & Theologorum; atque adeo vel ex eo capite solum est reijcienda in re tam graui. Nam in primis passiue se habere respectu alicuius physice loquendo ex communi vsu huius vocis, idem est ac præbere concursum tantum passiuum; in animam vero rationalem, sicut materia prima proprie loquendo nullum exhibet concursum positiuum, ita neque passiue se habet ad illam secundum substantiam, sed solum ratione vnionis, vel informationis, quæ dependet à materia. Deinde quia quidquid sit de anima rationali; negari nequit, materiam, & quodlibet aliud subiectum ad formas, quæ ex illo educuntur, mere passiue se habere; neque alius vnquam aliud somniauit: sed voluntas per te se potest habere in actu libero, sicut materia ad formas, & vt lignum ad calorem: ergo se habebit mere passiue, quod est contra Concilium. Præterea quia Concilium loquitur iuxta subiectam materiam, & excludit concursum mere passiuum, qui voluntati tribui potest, non illum, cuius voluntas non est capax, & de quo non agitur, vt verbi gratia, si ego dicam, animam respectu potentiarum non mere passiue se habere, quis intelligit aliud, nisi animam, præter verum concursum passiuum, habere etiam alium concursum actiuum, neque cuiquam venit in mentem, me excludere concursum passiuum vel passionem similem illi, quam corpus exercet circa substantiam animæ rationalis: sed illum, qui opponitur concursui mere actiuo: ergo similiter cum Concilium excludat concursum mere passiuum voluntatis, tantum illum excludit, qui opponitur concursui actiuo, & quem voluntas potest habere, & habet circa motionem diuinam, scilicet per verum influxum subiectiuum.

Confirmatur primo hæc propositio, [voluntas non se habet mere passiue, sed præterea agit, ] quæ expresse habetur in Concilio, est similis, & eiusdem rationis cum hac: anima respectu

suarum potentiarum non se habet mere passiue, sed præterea agit: sed in communi sensu & acceptione Philosophorum in hac secunda propositione intelligimus per passionem veram causalitatem causæ materialis, & per actionem causalitatem efficientis: ergo similiter in prima, sed Concilium dicit voluntatem non se habere mere passive, sed agere: ergo utrumque intelligendum est iuxta proprietatem scholæ, & communem vsurpationem.

Confirmatur secundo & clarius, quia Concilium non omnino excludit concursum passivum voluntatis; sed tantum ait, voluntatem non se habere mere passive, quod idem valet, ac si diceret, non se habere tantum passive, sed etiam alio modo; vt cum dico, homo non est mere animal; sensus est non est tantum animal, sed aliud præterea, scilicet rationale; sed voluntas in suo actu non se habet mere, & tantum passive: ergo aliquid aliud habet, præter pati scilicet agere, quia hi duo nimirum mutuo se respiciunt, & excludunt; vnde sicut cum ego dico; Deus respectu effectus creati se habet mere actiue, significat nullo modo recipere illum, sic cum dico voluntas, vel alia causa non se habet mere passive respectu effectus, significat, præter veram passionem habere veram actionem circa illum.

Secundo impugnatur P. Arriaga ratione deducta ex inconvenientibus, quæ ex illius sententia manifeste sequuntur: nam primo sequitur, posse Deum v.g. me nihil agente, sed concurrente passiue adducere ex mea voluntate actum vel qualitatem amoris, qui tamen liber sit; quod necessario concedet P. Arriaga, nam in isto casu erit aliquis concursus voluntatis; atqui hoc pugnat cum communi Theologorum, & fere cum ratione naturali; nam actus liber, vt talis debet esse in potestate mea aliquomodo, sed iste actus nec est in potestate mea quoad actionem; quia voluntas diuina, ad quam actio pertinet, non mihi subordinatur: neque etiam quoad receptionem; quia supposita voluntate Dei operandi talem actum in me; ego nequeo resistere illi, neque non recipere talem qualitatem; quia Deus in suis creaturis, & dependenter ab illis vt à subiectis potest producere quaslibet formas, quæ non implicent contradictionem: ergo non est vnde ille actus sit in mea potestate: ergo neque potest esse liber.

Dices, esse liberum quia vere anima, & voluntas influit per verum concursum.

Sed contra, quia iuxta hunc dicendi modum etiam productio gratiæ & habituum super naturalium voluntatis erit libera in se ipsa immediate, & procedens à libertate humana, quod nullus dixit cum in pueris dentur hi habitus infusi sine libertate. Patet consequentia; quia per te ad libertatē sufficit verus concursus voluntatis etiam in genere materialis causæ, sed hic concursus intervenit etiam, cum producitur gratia, & habitus charitatis, quæ cum sint accidentia, non fiunt nisi cum influxu physico voluntatis vt subiecti: ergo.

Secundo sequitur Deum non posse neque de absoluta potentia ponere in me aliquam qualitatem volitiuam, vel actum voluntatis circa obiectum indifferenter propositum, quin ille actus sit liber; eo ipso quod vere dependeat à voluntate, vt à vera causa subiectiua, vt patet, quod tamen est contra communem, & certam doctrinam præcipue nostræ societatis, asserentem, quod si Deus vellet necessitatem inferre potentiæ meæ liberæ, etiam circa obiectum indifferenter propositum, non alio modo id efficeret, quam producendo aliquam qualitatem in mea voluntate, quæ licet dependeret ab ea, vt à subiecto, nihilominus non esset absolute in potestate voluntatis.

Tertio denique sequitur ipsam physicam prædeterminationem, quam impugnamus in Thom. non tollere libertatem, neque enim Thomistæ ponunt illam sine concursu passivo vero ipsius voluntatis, eo ipso quod talis prædeterminatio sit qualitas, vel modus; vnde vlterius vix remanet nobis aliquod principium stabile iuxta doctrinam Societatis & modum tuendi libertatem humanam, vt considerati patet.

Adde si semel ponatur voluntatem posse absolute velle formaliter sine actione non esse vllam rationem, qua probetur, nihil esse volitum, quin sit præcognitum, hoc est ante omnem actum voluntatis præcedere actum intellectus, vt ipsi aduersarij volunt; nam ideo ponitur actus intellectus, vt determinet principium volitivum, sed cognitione existente in solo principio elicitivo actionis volitiuæ, quod iuxta istam sententiam potest esse Deus, vel aliud suppositum sufficienter determinatur actus voluntatis præsuppositiue vt manifeste patet: ergo cum nihil sit, quod vrgeat ad tot inconuenientia, non est cur recedamus à communi opinandi modo propter solum pruritum innovandi, atque adeo fatendum est, actum voluntatis vitalem præcipue liberum necessario includere actionem.

Deinde vrgetur ex ponderationibus, quas fecimus *disput. 20. de anima, q. 1. sect. 2. à num. 7. vsque ad 15.* circa locum nuper adductum Concilij Tridentini *sess. 6. de iustification. Canon. 4.*

Tertio sic probatur auctoritate Sanctorum; D. enim Augustinus *lib. 1. retractationum cap. 1.* recognoscens verba, quæ *in quæst. 1. lib. 2. ad Simplic.* posuerat: [quamvis sit in cuiusque potestate quid possit,] ait ideo illa dixisse [quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus, fit, vbi primum, & maximum est ipsum velle sine vllo quippe intervallo temporis; præsto est voluntas ipsa, cum volumus.] Vnde etiam *lib. 83. quæstio. quæst. 8.* inquit, [moveri per se animam sensit, qui sentit in se esse voluntatem, nam si volumus, non alius de nobis vult; & iste motus animæ spontaneus est;] quibus verbis trifariam demonstrat D. Augustinus contra aduersarios, actum liberum voluntatis necessario includere actionem, prima demonstratio continetur illis verbis, [mori per se animam sentit,] &c. quæ demonstratio sumit pro medio definitionem actus vitalis, viuere enim est à se, & per se moveri: sed actus liber, inquit Augustinus, est viuere: ergo est motus à se & per se; sed motus à se, & per se includit essentialiter actionem, nihil enim potest à se ipso moveri quin motum in seipso producat; nam si passive solum se habeat respectu motus, non movebitur à se, sed ab alio: ergo actus voluntatis liber dicit essentialiter operationem. Ecce prima demonstratio Cherubici Doctoris. Secunda demonstratio continetur illis verbis; [nam si volumus, non alius de nobis vult] quæ sic efformatur quia quando aliquis libere se exercet volendo, ipse est qui vult, & non alius pro ipso, sed si ipse non produceret suum amorem, non vellet ipse: ergo dum vult producit amorem, & operatur active illum: tertia demonstratio continetur in illis verbis, [& iste motus

motus animæ spontaneus est; formatur enim sic à D. Thoma, quia actus voluntatis liber est essentialiter voluntarius; & spontaneus; sed omne voluntarium eo modo quo voluntarium, & spontaneum est, vt patet ex definitione illius, quam amplectitur tota schola tam Theologica, quam Philosophica; quod est à principio intrinseco cum cognitione; id est à principio intrinsece se reducente ab actu primo, vel quasi primo ad actum secundum per formalitatem intrinsecam existentem in ipso Principio se reducente: ergo actus liber voluntatis includit essentialiter actionē.

Videantur à nobis dicta *disput. 20. de anima supra citata de natura, & essentia intellectionis; quæst. 1. Vtrum intellectio formaliter consistat in actione*: per totam, vbi late de hoc negotio agitur, & omnia ibi allata facili negotio possunt accommodari præsenti negotio; videatur præterea disputatio prima de anima, & in ea *quæstion. 6.* Vtrum aliquod intellectuale viuere possit, passiue tantum se habendo, vbi data opera de hoc eodem negotio agitur *in tota illa quæstione.*

Idem docet ipse Augustinus *lib. 12. de ciuitate cap. 6. & 7.* vbi agens de causa actus mali dicit ad voluntatem ipsam reduci; tanquam ad causam efficientem, & deficientem; idemque docet *lib. 1. de libero arbitrio à capite 12. & lib. 3. cap. 1. & 2.* additque *cap. 3* [illud esse in potestate nostra, quod cum volumus, facimus; quapropter nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est.] Quod repetit, & confirmat *lib. 1. retractationum cap. 9. & 22.* ex quibus verbis hanc rationem conficio; nam potentia libera vt inquit D. Augustinus est, quæ in manu, & potestate sua habet mutari vel non mutari, operari vel non operari nam hoc est esse dominam sui actus, vel mutationis, in quo dominio libertas consistit, hæc autem potestas, seu dominium non consistit in potentia passiua, non enim dicitur aliquid esse in potestate nostra propter potentiam passiuam solam, sed propter actiuam quam ipsum nomen potestatis significat, præcipue quando agitur de potestate, cui imputatur ad præmium, vel ad pœnam actus secundus, seu exercitium, eo modo, quo imputatur libertati actus liber qui minime imputaretur ad malum, vel ad bonum, nisi ipsa voluntas produceret, & faceret talem actum, vt euidenter docuit ipse D. Augustinus *lib. 83. quæstion. quæstione 24.* his verbis: [nec peccatum, nec recte factum imputari cuiquam iuste potest, qui nihil fecerit propria voluntate], & hoc modo ait, vtrumque esse in libero voluntatis arbitrio: ergo oportet, vt sit in potentia actiua quatenus actiua est: ergo actus liber formalissime dicit exercitium potentiæ actiuæ, quatenus actiuæ: ergo est actio, vt actio, seu includit actionem. Minor probatur, quia non est in potestate, ac dominio patientis, vt tale est, quod patiatur, nec ne, hoc enim pendet ab agente, quia patiens ideo patitur, quia agens in illud agit, actio enim infert passionem & ordine naturæ, vel rationis illam præcedit, & ideo talis est passio, qualis est actio, & non è conuerso, loquendo causaliter, & à priori: ergo actio non est in potestate patientis, vt patiens est, id est in dominio eius; sed agentis, quod expressis verbis docuit ipse Augustinus, *libr. 3. de libero arbitrio, capit. 2.* ibi: illud esse in potestate nostra quod volumus, facimus, *& lib. 1. retractation. cap. 1.* [quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus facimus, & quod cum appetimus, fit; vbi primum, & maximum est ipsum velle.

Quid clarius, & euidentius: ergo libertas solum est in potentia actiua vt actiua est, & liber actus in actione vt actione, & non solum pure in Passione, quia alias liber actus non esset in dominio, & potestate illius, qui libere vult; nam actio non est in dominio patientis, vt dixi, sed agentis, quia prius non est in potestate posterioris sicut præceptum non est in potestate subditi, sed superioris: ergo etiam passio non est in potestate patientis, vt tale est, sed in potestate agentis, quia posita actione, necessario sequitur Passio, & ideo eatenus tantum potest Passio esse aut denominari libera in quantum actio fuerit libera: ergo vtrumque est in potestate, & dominio agentis: ergo libertas principalius est in potentia actiua vt actiua est; & in actione, quapropter licet voluntas sit receptiua sui actus, & sub ea ratione sit potentia passiua, non est tamen principalius libera nisi quatenus potestatem habet eliciendi, & non eliciendi actum suum; & in tantum receptio eius potest esse libera ipsi voluntati in quantum efficere est illi liberum; si enim ab alio agente reciperet actum, ipsa nihil efficiente ex parte sua necessario illum reciperet; quod si esset in potestate alterius agentis non immittere in voluntatem talem actum alteri agenti esset liber ille effectus, non ipsi voluntati.

Dices; passum interdum determinat actionem agentis, vel ad illam confert, vel illam impedit: ergo eadem ratione potest ex parte potentiæ passiuæ prouenire, vt agens illam immutet: ergo etiam poterit libertas esse in potentia passiua vt passiua est; antecedens patet in causa superiori, & vniuersali necessario agente, determinatur enim ad hanc vel illam actionem ex parte passi vt patet in sole exsiccante lutum, & liquefaciente ceram. Item in causis particularibus actio est maior, vel minor iuxta dispositionem passi, & interdum omnino impeditur propter resistentiam eius. Ac denique in moralibus, & supernaturalibus, quando Deus infundit habitum voluntati, ipsa voluntas mere passiue se habet, & nihilominus receptio est illi libera; quia ex eius pendet dispositione.

Respondeo negando secundam consequentiam, quia passum vt tale est, si sit omnino idem non potest determinare actionem agentis, nec magis iuuare, vel impedire actionem vnius agentis, quam alterius; si vero sit diuersum, seu diuerso modo dispositum, tunc determinatio, resistentia, vel similis effectus erit omnino necessarius, aut si participet aliquam indifferentiam necessario pendebit aliquomodo ex potentia actiua libera. Declaratur: nam si agens sit naturale, & potens ad plures effectus efficiendos propter vniuersalem virtutem, non potest circa idem passum eodem modo dispositum ad certum effectum determinari, nisi passum illius tantum sit capax, nam si passum sit de se indifferens ad plures, non est cur ab illo determinetur tale agens ad vnam actionem potius, quam ad aliam, si autem passum sit capax vnius tantum effectus, tunc determinabit quidem actionem agentis, determinatio autem erit omnino naturalis, seu necessaria, vt per se constat, & eodem modo si passum sit diuerso modo dispositum, determinat quidem actionem talis agentis, necessitate tamen naturali, vt patet in

illo exemplo de sole liquefaciente ceram, vel exsiccante lutum; vtrumque enim facit necessitate naturali; & ratio est quia ex parte recipientis vt sic non provenit determinatio actionis, nisi propter incapacitatem naturalem, vel limitationem capacitatis ab aliqua dispositione proveniente, & ideo si limitatio illa, vel dispositio naturalis sit, etiam determinatio est necessaria; nec potest ex parte passi esse libera; idemque est de resistentia, vel impedimento aut carentia illius proueniente ex naturali dispositione recipientis, intercedit enim eadem ratio; at vero si agens sit liberum, tunc potest determinare suam actionem & consequenter etiam passionem circa idem passum de se indifferens, & capax plurium actionum, & tunc quidem determinatio libera est; prouenit autem ab eminentia potentiæ activæ & dominio, quod habet in suam actionem; nec potest aliunde prouenire. Interdum etiam passio aliqua, seu receptio potest pendere ex dispositione libera passi; & tunc licet receptio proxime non possit esse libera ipsi recipienti, quia ab illo non fit, remote potest denominari libera, quatenus ab eius libera dispositione pendet; illa autem libertas in eo posita est, quod effectio talis dispositionis est libera; & ita semper manet ex potentia actiua, in qua residet, & hoc modo receptio primæ gratiæ sanctificantis potest dici homini libera remote in quantum efficere contritionem est homini liberum, & in naturalibus potest dici esse homini liberum calefieri à sole in quantum libere potest ad solem accedere, vel ab illo recedere; propria ergo libertas in potentia actiua consistit, ac per consequens propriæ libertatis actus consistit in actione, quatenus actio est; licet etiam quia actus virtualis est, minus tamen principaliter includat passionem; quia cum actus vitalis ex sua natura sit immanens, petit necessario actionem, & passionem, & ideo necessario vtrumque petit, præcipue actionem.

Deces, tametsi voluntas non sit libera agendo, poterit tamen esse libera resistendo, sæpe enim aliqua non possunt quidem agere ipsa in se, sed possunt resistendo impedire actionem aliorum.

Respondeo, si voluntas sit potentia passiua non posse illam resistendo impedire actionem alterius, illa enim resistendo impediunt, quæ habent contrariam qualitatem; voluntas autem non habet contrariam qualitatem, cum sit indifferens ad contraria. Itaque non habet vnde resistat, si ex natura sua solum est apta pati, quod si potentia sit actiua, & ab obiecto moueatur, tanquam à fine, non tanquam ab agente, tum vere resistere poterit, vt re ipsa etiam sæpe resistit, cum variæ rationes in eodem obiecto, vel varia obiecta illi demonstrantur.

Aide quod libertas voluntatis non in eo solum posita est, quod possit resistendo prohibere, ne obiectum agat amouendo obiectum ipsum, sed etiam in eo, quod præsente obiecto, & agente, quod suum est, voluntas possit libere consentire, vel dissentire vt perspicuum est ex illo exemplo, quod S. Augustinus proponit *in libro* 12. *de ciuit. Dei, cap.* 6. v.g. si duo sint æque affecti animo & corpore, & occurrant eidem rei, quæ sua pulchritudine allicere possit affectum, & eadem Diaboli tentatione vterque tentetur; & tamen vnus tentationi consentiat, alter non consentiat, non potest reddi alia causa, nisi quia vnus vult, alter non vult: at si voluntas solum pateretur, & non operaretur, aut ageret, non consentiret, aut dissentiret: ergo agit ex D. Augustino quando libere mouetur; quod etiam expresse docuit Damascenus *lib.* 2. *de fide, cap.* 25. ideo hominem esse liberi arbitrij, quia in sua potestate habet eas actiones, quas libere operari dicitur; & ideo [omnem deliberationem actionis causa suscipi] & addit *in cap.* 26. [in nostra potestate sunt ea quæ liberum nobis est facere, vel non facere,] idem sumitur ex Anselmo *libro de concep. Virgin. cap.* 6. Bernard. *lib. de gratia, & libero arbitrio* ex Nizeno *libro* 9. *philosophia.*

Vltimo omnes Thomistæ cum D. Thoma 1. *p. q.* 82. *art.* 4. *& quæst.* 83. *in corpore*; item 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 1. 3. *&* 9. 22. *de verit. art.* 9. *in corpore, & ad primum, &* q. 24. *art.* 4. *in corpore*, & omnes Scotistæ cum Scoto *in* 2. *dist.* 25. *in argumentis ad oppositum*; *& in toto discursu quæstionis*, Durandus *dist.* 24. *q.* 2. *num* 10. 19. & 34. & omnes Doctores Societatis Iesu; vt videre est in Patre Suarez *tom.* 1. *de gratia prolegomeno* 1. *cap.* 2. Bellarmino *lib.* 3. *de libero arbitrio.*

Secundum requisitum: ad libertatem est habere indifferentiam per eminentiam quandam dominatiuam excellentissimi cuiusdam domini; ad operandum opposita, seu ad operandum, & non operandum; quæ indifferentia duplex est, prima quoad exercitium, secunda quoad specificationem; prima consistit in hoc, quod possit voluntas se exercere circa contradictoria, operando, vel non operando; secunda est, vt possit se exercere circa specie distinctos actus vel fines; & ideo vocatur quoad specificationem.

Probatur primo de indifferentia quoad specificationem ex dictis, quia libertas est propria & immediata proprietas potentiæ actiuæ vt actiua est: ergo si talis indifferentia sit respectu plurium actuum, necesse est vt in tali facultate sit vis effectrix omnium illorum actuum; nam si tali virtute careat, ad aliquem illorum efficiendum respectu illius, non erit libera cum respectu illius non sit actiua.

Non sufficit autem ad libertatem circa tales actus, vis superior, & quasi vniuersalis effectiua plurium actionum, vel effectuum, quia in agente naturali potest similis virtus inueniri, vt in sole videre licet, cuius virtus per vniuersalitatem, quandam indifferens est ad plures effectus, & actiones; ergo ad indifferentiam libertatis vltra illam quasi vniuersalem vim actuam necessarium, est, vt illa sit coniuncta cum quadam eminentia, ratione cuius potest inter ipsas actiones eligere, aut se ad hanc potius, quam ad illam flectere, quia ipsa vult à se ipsa sine eo quod ad hoc ab alio determinetur, propter quod merito dixit Diuus Thomas *in* 2. *dist.* 28. *q.* 1. *art.* 1. hominem non fore liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, & Damascenus *lib.* 2. *de fide, cap.* 25. ideo hominem esse liberi arbitrij, quia in sua potestate habet eas actiones, quas libere operari dicitur, & ideo omnem deliberationem actionis causa suscipi, & addit *in cap.* 26. in nostra potestate sunt ea quæ liberum nobis est facere, vel non facere, & August. *lib.* 3. *de libero arbitrio cap.* 1. 2. *&* 3. sic ait illud esse in potestate nostra, & dominio quod cum volumus facimus, quapropter nihil tam in nostro dominio, & potestate quam ipsa voluntas est, quod repetit, & confirmat *lib.* 1. *retractationum, cap.* 9. *&* 22. vnde *cap.* 1. recognoscens verba, quæ *in q.* 1. *lib.* 2. *ad Simplicium* posuerat, quamvis sit in cuiuscunque potestate, quod possit, ait ideo illa dixisse, quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus fit, vbi primum, & maximum est

29

ipsum

ipsum velle sine vllo quippe interuallo temporis præsto est voluntas ipsa cum volumus, quod etiam confirmant loca omnia, quæ in primo requisito adduximus.

30 Nam ab omnibus indifferentia hæc per modum huius dominij declaratur, & ideo ait D. Thomas *prima secundæ, quæstione prima, articulo primo*, liberum arbitrium esse facultatem voluntatis, & rationis per quam homo est dominus suorum actuũ, quid clarius? & ratio euidens est; nam si quæram à te cur sol non habeat libertatem quoad speciem, cum certum sit habere vniuersalitatem ad operandos effectus oppositos, verbi gratia, ad producendam siccitatem, & producendum calorem, & ad liquescendum, &c. innumera effecta; sine dubio, si rationabiliter respondeas dicendum tibi erit ideo nulla gaudere libertate, solem, quia non habet indifferentiam cum dominio ad suas operationes; itavt illas operetur habendo illas in sua potestate, quia vult hanc potius quam illam, etiam si sit sufficiens, & completus ad operandum vtrumque effectum, sine eo quod ad hoc potius effectum quam alium ab alio determinetur: ergo libertas hominis in hoc consistit, quod sit indifferentia, quædam ad oppositos actus, cum dominio circa illos; itavt operetur hunc potius quam illum, non quia determinetur ab aliquo extrinseco agente, ad hunc potius effectum, quam ad illum, sed quia ipsa voluntas adhuc existens completa, & sufficiens ad vtrumque actum, solum, quia vult ipsa sine eo quod ab alio cogatur, vel determinetur, producit hunc effectum potius quam illum.

31 Secundo probatur de indifferentia, quoad exercitium, quia imprimis ad illam necessaria est potentia actiua, hoc enim satis aperte demonstratum manet in primo requisito; & per se euidens est, quia nisi supponatur vis agendi in tali facultate semper carebit actione, quia actio esse non potest nisi ab habente vim agendi, eritque illa carentia non per modum priuationis, sed per modum simplicis negationis, sicut potest esse in qualibet re inepta ad agendum.

32 Deinde probatur de potentia ad non agendum, quia si potentia careat actione ex aliqua impotentia agendi, tunc non est libertas in carentia actionis: sed necessitas vt videre est in lapide, in quo datur carentia videndi non ex potentia videndi, sed potius ex impotentia videndi, & sic illa carentia est ex necessitate, & non ex libertate, quia impotentia dicit impossibilitatem, & impossibilitas agendi æquiualet necessitati non agendi: ergo vt carentia actionis libera esse possit, supponit in ipsa facultate talem potentiam agendi, quæ vi sua possit non agere non ex impotentia, sed ex eminentia virtutis, quam recte vocarunt Theologi dominium actus; carere enim actione ex impotentia, non est dominium, cum de ratione dominij sit posteas faciendi & non faciendi: ergo vt potentia sit vere domina sui actus quoad exercitium eius, oportet vt non ex impotentia, sed ex interna, & eminente potestate actionem possit suspendere, & ob hanc causam non potest talis indifferentia inueniri immediate in potentia passiua vt passiua est respectu passionis, quia licet possit interdum pati, & interdum non pati in vtroque pendet ab agente; vnde si adsit agens necessario patitur vel absolute, si agens sit naturale, vel ex suppositione actionis, si agens sit liberum, & velit, si vero agens absit vel cohibeat actionem, tunc etiam non libere, sed necessario non patitur ex quadam impotentia, quia vt passiua est non potest se ad actum reducere.

Tertium requisitum ad libertatem proximam, 33
& absolutam arbitrij est vt virtus facultatis in ordine causæ proximæ habeat completam vim actiuam, & dominatiuam illorum actuum, id est omnia sufficientia principia in actu primo, quæ sufficientem & completam reddunt potentiam actiuam ad effectus, ad quos dicitur simpliciter, & proxime libera: hæc assertio sequitur ex præcedentibus, & probatur, quia alias si facultas ipsa, seu voluntas haberet vim agendi, tantum dimidiatam, & incompletam non posset simpliciter velle aut nolle: ergo simpliciter non habebit in sua potestate actiua suum actum: ergo nec habebit dominium eius, neque proximam, & absolutam libertatem.

Declaratur, quia si proposito sufficienter obiecto voluntas non habeat sufficientem vim actiuam ad volendum, & nolendum tale obiectum; sed tantum partialem, seu inchoatam erit impotentia passiua ad recipiendum complementum potestatis actiuæ: ergo ex ea parte, qua est impotentia receptiua talis complementi virtutis actiuæ; non est libera, quia non habet illud complementum in sua potestate actiua, sed in receptiua: ergo etiam non est proxime libera ad ipsum effectum, seu actum secundum, donec in sua virtute agendi compleatur; vnde est attente considerandum quod licet potentia libera etiam supposita integra libertate possit, vt dixi, esse passiua; hæc potentialitas potest supponere in eadem facultate, integram vim actiuam, nihilominus non potest esse integrè libera si sit in sola potentia passiua ad totam, vel aliquam partem virtutis actiuæ suorum actuum, quia sine integra virtute actiua nondum habet actum in manu sua.

Vltimum requisitum est, vt detur immunitas 34
à necessitate operandi in ea potentia quæ est formaliter libera, tam in statu remoto, quam in statu proximo, quod quidem in statu remoto per se notum est; nam ideo, qui dormit, vel non considerat, liber nihilominus est, quia voluntatem retinet, quæ de se est facultas potens operari sine necessitate, si enim talem potentiam vel illam proprietatem eius amitteret, iam nullo modo posset habere libertatem, imo interdum non videtur esse satis solam potentia retinere; nam puer ante vsum rationis, vel amens non dicitur habere libertatem, etiamsi potentiam de se liberam habeat, quia est intrinsecè impotens, & indispositus, ad multa præcisè, & necessaria ad vsum libertatis, qui autem est intrinsecè aptus ad vsum libertatis non tamen ex parte voluntatis, sed etiam ex parte aliarum potentiarum, & intrinseca dispositione organorum, licet actus sit impeditus; verbi gratia, per somnum minus remotam facultatem habet vtendi libertate, & ideo communi vsu liber vocatur, quia & facultatem habet de se indifferentem ad agendum & non agendum, & intrinsecè impeditus non est ad vsum illius, licet quoad cætera requisita adhuc illa libertas remota sit.

Altera pars de libertate proximè in actu pri- 35
mo, & quasi immediato est difficilior, sed tamen verissima, quæ sic probatur, quia illa etiam est potestas vere libera: ergo in illo etiam statu retinere debet indifferentiam actiuam in operando, quia hæc est de intrinseca ratione libertatis vt ostensum est.

Deinde, quia alias nunquam potentia libera in actu primo remoto esset proxime libera ad agendum

dum vel non agendum, quod est contra omnem rationem potentiæ actiuæ, & plane contra vsum libertatis. Patet sequela, quia potentia per se, ac formaliter libera in re non vtitur nec valet vti sua libertate, & indifferentia, nisi proximè disposita ex parte sua, & ex parte intellectus, & obiecti & ex omni alia parte necessaria ad opus: ergo si postquam est proximè disposita, iam non manet cum plena indifferentia, profecto nunquam in re ipsa libere operatur, nec vtitur innata libertate.

36 Deinde probatur, quia libertas formalis & quasi essent alis voluntatis duplicem potestatem inadæquatam seu ratione distinctam includit circa idem obiectum eodem modo hic & nunc propositum, vna est potestas volendi, alia est potestas non volendi seu nolendi illud quod potest velle; si ergo voluntas iam expedita, & proxime disposita ad operandum circa tale obiectum, non est indifferens ad vtramque partem illius potestatis, sicut erat per se præcise ac remote & nude expectata: ergo ad vnam partem illarum manebit proxime, & simpliciter potens; ad alteram vero non nisi remote ac subinde proxime impotens: ergo de facto voluntas tunc non operatur tanquam domina vtriusque potestatis, sed perinde se habet acsi alteram tantum potestatem haberet, ac proinde non libere operatur.

37 Vt declaremus & probemus consequentiam, constituamus, & consideremus voluntatem dicto modo proxime dispositam, ac præparatam, seu applicatam ad primum vsum libertatis suæ prius natura quam libertate vtatur: aut ergo etiam tunc retinet indifferentiam ad vtramque partem, & hoc est, quod intendimus, aut alteram tantum potestatem exercere potest v. g. volendi, & tunc profecto sequitur vt sit hic, & nunc simpliciter, & proxime impotens ad nolendum, quia vt posset nolle, deberet aliter præparari seu disponi, quod iam non est in potestate illius, nec antea fuit, quia nondum vsa fuerat libertate sua vt supponitur: ergo illa libertas remota nunquam ad vsum applicatur.

38 Ex quibus concluditur necessario esse contra rationem liberæ facultatis vt ad agendum requirat aliquam conditionem præuiam ad actionem, qua posita tollatur vel impediatur hæc immunitas, seu differentia ad agendum, & non agendum, quia cum libertas formaliter sit posita in indifferentia; si hæc tollitur, vel impeditur ante actionem, iam actio non procedit à potentia indifferente & expedita ad agendum secundum vtramque partem suæ indifferentiæ: ergo si talis potentia huiusmodi conditionem requireret ad agendum tunc, vel illa in se non esset indifferens & ita non esset libera etiam in actu primo, & remoto, vel ad agendum postularet conditionem repugnantem suæ indifferentiæ: ergo si talis potentia huiusmodi conditionem requireret ad agendum; tunc vel ipsa in se non esset indifferens, & ita non esset libera, etiam in actu primo, & remoto, vel ad agendum postularet conditionem repugnantem suæ indifferentiæ suæque libertati & connaturali operandi modo, quod plane repugnat, & in hunc modum id ipsum vlterius declaratur, nam vel illa conditio præuia ad actionem, qua posita tollitur indifferentia quatenus iam cum illa non potest voluntas agere, & non agere sed tantum agere, aut tantummodo non agere; vel inquam illa conditio ab alio agente extrinseco adhibenda est, vel ab ipsa voluntate? si ab alio sequitur aperte voluntatem non esse indifferentem actiue, sed passiue tantum, scilicet vt hanc, vel illam conditionem ab alio recipiat, qua posita semper est determinata ad vnum agendum, seu non agendum; si vero conditio illa ab ipsa voluntate adhibenda est, aut libere eam adhibebit, aut necessario; si necessario etiam petit indifferentia; tum quia ex necessaria connexione fit determinatio voluntatis ad vnum; tum etiam quia vt illa connexio ex necessitate adhibeatur à voluntate, necesse est vt sub ea ratione ad vnum determinata supponatur; si tamen illa conditio adhibeatur, libere iam supponitur actus liber & de requisitis ad illã redibit eadem quæstio, an positis illis omnibus integra maneat indifferentia facultatis; nam si non manet perit libertas, si autem manet ibi est proprie libertas, & reliqua, quæ inde manant; si necessario manent, sunt libera solum per denominationem & dependentiam ab illo primo actu; igitur fieri non potest, vt libera facultas natura sua requirat conditionem præuiam ad omnem vsum suorum actuum quæ tollat, vel impediat indifferentiam eius.

Nunc autem intelligitur ex dictis, quo modo 39
supradicta descriptio ad actum liberum seu actualem libertatis vsum applicanda sit, sicut enim de ratione liberæ facultatis est vtraque illa potestas agendi, & non agendi vt supra dixi, ita ad liberum vsum eius necessarium est, vt ipsa facultas quatenus proxime applicatur ad agendum cum omnibus requisitis conditionibus hanc indifferentiam retineat, & secundum vtranque partem adhuc expedita sit ad vnumquemque actum exercendum.

Nomine autem actus comprehendimus etiam 40
liberam negationem actus, seu omissionem illius, siue pura sit, siue non pura, siue in nolendo, siue solum in non volendo, cum humana aduertentia consistat, ea vero requiritur ad agendum eodem modo, quo de facultate ipsa libera diximus. Hæc autem omnia sumenda sunt scilicet provt sunt conditiones ad operandum prærequisitæ, quæ in actum aliquomodo influunt, quia si ex aliqua conditione præueniente actum impediretur voluntas ab alterius potestatis vsu, sine dubio ex necessitate & non libere tali vsu careret, & ex consequenti absque libertate, & ex necessitate haberet vsum alterius potestatis, quia ablato vno vsu necessario, alius consequitur, cum non possit vtroque simul, eo quod immediatam oppositionem includat.

## SVBSECTIO IV.

### *Secundum notabile ponitur.*

SEcundo aduertendum est dari duplicem neces- 41
sitatem, vt ait sanctus Aselmus *lib. de concordia, cap. 1. & 2. & lib. 2. Cur Deus homo, cap. 18.* vnam quam ipse Anselmus vocat præcedentem, & est, quæ facit rem esse alteram subsequentem quam facit ipsemet operans, & priorem dicit repugnare libertati, non tamen posteriorem, similique modo distingui potest duplex sensus cõpositus, vnus, qui fit ex suppositione præueniente vsũ libertatis, qui absolute antecedens dicitur, alius, qui ex subsequente, quando autem necessitas est in sensu composito priori modo per talem sensum compositum non saluatur, sed potius destruitur libertas, quia illa suppositio omnino antecedens est & inducit necessitatem simpliciter, ac proinde libertati contrariam iuxta doctrinam eiusdem Anselmi. Quando vero suppositio est consequens, tunc

tunc optime accommodatur distinctio sensus compositi & diuisi, quia necessitas in tali sensu composito non repugnat libertati iuxta eandem doctrinam.

42 Idemque dicendum est de alia duplici necessitate consequentiæ videlicet, & consequentis, quæ sumitur ex D. Thom. 1. p. q. 14. art. 13. & q. 19. art. 8. *in solutionibus argumentorum*, & q. 22. art. 4. tandē q. 23. art. 2. ad. 3. nam posterior necessitas dicitur contraria libertati, quia est absoluta necessitas rei; prior vero dicitur non tollere libertatem quia non est absoluta necessitas est autem notanda differentia, quia vnum membrum est simpliciter, & vniuersaliter, seu positiue verum; aliud autem membrum solum negatiue, seu indefinite accipiendum est vt sit verum; vnde aliqua necessitas consequentis repugnat libertati qualis est hæc, homo videt Deum: ergo amat illum, quare sensus illius membri est necessitatem consequentiæ, non semper repugnare libertati, vel solam necessitatem consequentiæ non sufficere ad destruendam libertatem, nisi adiungatur necessitas consequentis, & ideo membrum illud subdistinguendum est iuxta distinctionem Anselmi, nam si consequentia sit necessaria ex suppositione antecedenti repugnat libertati; si vero sit ex suppositione consequenti non erit libertati contraria.

43 Totum enim hoc negotium eo tendit, huncque scopum collimat, ac tandem eo reuoluitur vt intelligamus, quæ suppositio antecedens dicenda sit, quæ omnino tollit libertatem inducendo necessitatem simpliciter, quæ vero consequens, vnde hic est cardo totius difficultatis; vnde hoc opus hic labor est, quod negotium sic explicatur.

44 Suppositio inducens necessitatem in sensu composito, si talis sit vt per vsum libertatis fiat, vel talem vsum liberum involuat, seu comitem habeat inducit tantum necessitatem consequentiæ, & secundum quid, & ideo non pugnat cum libertate; si vero talis sit suppositio, vt omnino anteuertat vsum libertatis, & necessitatem operandi in voluntatem inducat ex tali suppositione, & in sensu composito talis suppositionis tollitur libertas, ita vt impossibile sit componi simul in voluntate talem suppositionem, cum carentia actus, exempla prioris sunt hæc.

45 Nam suppositio præscientiæ, prædestinationis, & prædefinitionis diuinæ infallibiliter inferunt effectum liberum præscitum predestinatum, aut prædefinitum, ita vt impossibile sit, effectum sic prædestinatum non euenire, & tamen illa suppositio non obstat, quominus actus præscitus libere fiat. Imo ex illa suppositione æque infertur libere futurum esse effectum, ac futurum esse quia non solum præscitur ac prædestinatur vt fiat, sed etiam vt libere fiat, ideoque ad veritatem scientiæ & efficatiam prædestinationis, non minus necessarium est vt libere fiat quam vt fiat, quæ est doctrina Anselmi *lib. de concordia, cap. 1 & 2. in principio*, & Vulgaris apud Diuum Thomam 1. p. q. 19. art. 8. & q. 22. art 4. 1. *contra gentes cap.* 85. & sæpe alias, & ratio euidens est, quia quando Deus præscit ab æterno actum charitatis ab homine prædestinato in via factum, & reliquos actus virtutum supernaturalium, simul cognoscit Deus tales actus esse meritorios: atqui non possunt esse meritorij, nisi sint liberi; omne enim meritum in libertate fundatur, & ideo Beati in patria augmentum premij & gloriæ non merētur per actum charitatis quem perfectissime exercerent, quia talis actus charitatis non est liber, sed necessarius: ergo Deus sua præscientia cognouit ab æterno actus virtutis ab homine supernaturaliter factos in via non solum esse futuros, sed etiam libere futuros: ergo de facto futuri erunt liberi adhuc præcedente scientia Dei ab æterno: ergo antecedentia, & præcedentia seu suppositio præscientiæ ab æterno non tollit vllo modo libertatem.

Item ex suppositione absoluta intentionis finis 46
sequitur necessario electio mediorum, & nihilominus illa necessitas stat simul cum libertate si intensio illa libere fiat; denique voluntas in eo momento, in quo actum elicit libere operatur, & tamen dum operatur vnum non potest contrarium simul operari, nec in eodem momento non operari ponendo vtrumque simul, scilicet operationem; & non operationem, quia hoc involuit apertam repugnantiam, & contradictionem; res enim quando est necesse est esse, vt Arist. dixit 1. *Perhyer c. 6.* ergo prima necessitas quæ ex suppositione vocatur stat cum libertate.

Secundam autem necessitatem hæc exempla de- 47
monstrant, nam in patria suppositio luminis gloriæ, & visionis beatificæ necessitatem simpliciter inducit amandi Deum, quæ necessitas libertatem excludit circa illum amorem.

Item motus voluntatis, qui dicuntur primo 48
primi sunt necessarij simpliciter, ac proinde nullo modo liberi, quamuis non sine aliqua suppositione ex parte cognitionis illam necessitatem habeant, & simili modo actus gratiæ excitantis sunt ita necessarij in nobis, vt non sint liberi, & ideo actus gratiæ præuenientis vocantur, & tamen non fiunt necessarij nisi ex aliqua suppositione diuinæ motionis, seu immissionis efficacis, vel ex parte subitæ apprehensionis.

Ratio autem à priori huius secundæ partis est, 49
quia non obstante naturali libertate potest voluntas multis modis necessitari, ita vt non sinatur libere operari: ergo potest aliquid supponi ad volendi actum, quod eius libertatem impediat: ergo est aliqua suppositio, quæ tollat libertatem, & consequenter poterit esse necessitas aliqua in sensu composito contraria libertati.

De priori suppositione nulla est controuersia 50
apud Catholicos, vt late materia de prædestinatione, materia de scientia materia de gratia discipulos meos docui, & iam typis mandandas quantum potui perfeci, quod sic patet, quia si suppositio præscientiæ Dei, & prædestinationis tolleret libertatem nulla daretur libertas in creaturis neque vllum opus liberum à creatura eliceretur, quia omne opus, quod à creatura in tempore elicitur à Deo ab æterno euidentissimo præscitur: ergo si suppositio præscientiæ, & prædestinationis tollit libertatem nulla erit libertas in creaturis. Deinde inductione est euidens, quia voluntas in eo instanti, in quo libere operatur, licet prius naturæ quam eliciat actum sit indifferens ad vtrumque, & ideo neque actus, neque carentia eius habeant vllam necessitatem, tamen supposito, quod eliceret actum iam non potest in eodem instanti carere actu, sed habet illam necessitatem, de qua dixit Arist quando est omne quod est necesse est esse illa: ergo non repugnat libertati, cum in quocumque actu libero necessario inueniatur; vnde si tolleret libertatem talis suppositio, nulla daretur libertas, quia semper reperitur in omni actu elicito à voluntate talis suppositio.

Idem est de concursu Dei, concomitante imbibi- 51
to in actu libero nostræ voluntatis, nam si illa

esse supponitur eo ipso vsus libertatis supponitur, ideoque necessitas composita inde sequuta, non repugnat libertati actus : ratio denique in promptu est, quia vsus libertatis non destruit libertatem respectu eiusdem ; nihil enim destruit se ipsum, neque formalis constitutio, & existentia alicuius est destructio eiusdem formaliter, alias idem esset, & non esset simul, quod est contra euidentissimum omnium dignitatum axioma : ergo necessitas quæ sequitur ex suppositione ipsius vsus libertatis non potest esse contraria eidem libertati.

52 Posteriorem autem suppositionem certissimum est tollere libertatem, quia quoties suppositio omnino præcedit vsum libertatis, & inter prærequisita ad agendum ponitur, & talis est vt illa stante voluntas tantum possit agere, vel tantum possit non agere compositiue, vt ita dicam, illa suppositio sine vlla dubitatione tollit libertatem, & vsum liberum voluntatis in agendo vel non agendo.

53 Ratio autem huius euidens est, quia quando suppositio est antecedens in sensu dicto, ideſt non facta per vsum libertatis, neque supponens talem vsum liberum sed præueniens illum : effectus ex tali suppositione proueniens, & cum tali suppositione necessario connexus libertatem tollit, quia necessitas ex tali suppositione non est fundata in illo principio, impossibile est idem simul esse, & non esse, quia non sunt idem id, quod supponitur, & quod necessario sequi dicitur : ergo fundatur in alio principio, videlicet impossibile est poni talem causam sic affectam & prædeterminatam, & ex illa non sequi talem effectum distinctum ab ea conditione, vel affectione quæ in causa supponitur : ergo hæc non est necessitas secundum quid quæ dici solet consequentiæ : sed necessitas simpliciter & consequentis, quia est necessitas effectus ex sua causa, quæ est propria necessitas physica quæ in ipsa effectione rei inuenitur, & non est tantum illationis, & quasi ex mentis comparatione, qualis est in necessitate eiusdem rei ex sui ipsius suppositione.

54 Deinde, si suppositio illa antecedit omnino vsum libertatis in eius positione non interuenit exercitium libertatis humanæ, neque etiam interuenit in ea manatione effectus à tali suppositione quia fit cum tanta necessitate vt non subdatur dominio eiusdem voluntatis, nec ipsa possit illam dimanationem impedire : ergo ille effectus in re ipsa non fit cum vsu libero voluntatis humanæ : ergo non est liber : ergo sensus impositus ex tali suppositione non sufficit ad saluādam libertatem.

55 Denique posita huiusmodi suppositione voluntas etiam spectata prius natura quam operetur tantum potest vnum agere illud, scilicet quod ex tali suppositione sequitur cum necessitate quoad exercitium : ergo non agit vt potens agere & non agere positis omnibus prærequisitis ad agendum, ac proinde non agit cum libertate, quia libertas est posse agere, & non agere.

56 Nec satisfacit responsio quod voluntas etiam tunc agit vt potens agere, & non agere, quia sub illa suppositione retinet totam suam potestatem ad vtrumque indifferentem.

Hoc inquam non satisfacit, quia illa potestas est ibi quasi sopita, & impedita quoad omnia alia præter illud vnum quod ex tali suppositione necessario sequitur, & ideo est tantum potentia remota ad plura, non vero est potentia proxima qualis ad vsum libertatis exigitur : ergo sensus compositus ex tali suppositione reuera tollit libertatem. Debet ergo in illo accipi suppositio consequens non antecedens in sensu à nobis declarato & de conuerso potentia in sensu diuiso ; tunc deseruiet libertati tuendæ quando illa intelligitur proxima in ipsa voluntate prius natura, quam se ad alteram partem determinet ; tunc enim diuisio ipsa vt sic dicam est in potestate simpliciter ipsius voluntatis, alias indiuisio non est in potestate voluntatis, ideſt si aliquid in illa ponitur quod ipsa impedire aut remouere non potest, vt alterum ex duobus operetur tunc sensus ille diuisus inutilis est ad libertatem tuendam ; nam in potentijs naturaliter operantibus talis potestas in sensu diuiso reperiri potest.

## SVBSECTIO V.

*Nostra sententia ponitur, & probatur.*

PRima conclusio : concursus Dei cum causis liberis non est aliqua entitas physice prædeterminans voluntatem ad vnum operandum. Hæc conclusio est communis inter Doctores Societatis, probatur hæc conclusio. 57

Primo ex Concilio Trid. *sess. 6. Can. 5.* vbi sic 58 ait : [ siquis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine refigmentum denique anathema sit : ] explicans autem ipsum Concilium *Can. 4.* quid sit hominis liberum arbitrium & quomodo libere operetur cum Dei concursu sic ait : [ siquis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed velut in animæ quodam nihil omnino agere mereque passiue se habere anathema sit ] & *cap. 5.* eadem pene verba repetit ibi : [ vt qui per peccata à Deo auersi sunt per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando disponantur, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens quippe illam, & abijcere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit ; vnde in sacris litteris cum dicitur conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos libertatis nostræ admonemur, cum respondemus : conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur. ]

Accedit Concilium Zenonense *in decreto* 15. 59 *fidei* definiens : [ non esse tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit. ] Aduerto Concilium Zenonense, licet non sit generale, neque à Romano Pontifice confirmatum, habere tamen magnam authoritatem in Ecclesia, quod adeo verum est, vt merito censeretur temerarius qui ei contradicere auderet, vt bene probat P. Suarez *tom. 1. de gratia, Prolog. 6. cap. 5.*

In his enim verbis vtrumque Concilium ma- 60 nifeste docet duo. Primum esse de ratione libertatis potestatem ad resistendum cuiuis motioni præuenienti consensum eius. Secundum nullam motionem antecedentem ita determinare liberum arbitrium, vt non relinquat in illo potestatem resistendi motioni.

Hanc

61 Hanc vero esse mentem Concilij patet imprimis ex illis verbis Canonis IV. [ neque posse dissentire si velit ] & ex verbis capitis 5. [ neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam, & abiicere potest. ] Vbi considero verbum illud agat in omni proprietate, & rigore sumptum esse à Concilio prout est in vsu apud morales philosophos ad indicandum modum agendi, quem vocant; à proposito, idest ex proprio arbitrio, & ratione, quo loquendi genere vsus est Aristoteles *lib. 1. magnorum moralium. cap. 12.* ubi sic ait: [ neque enim inanimatum aliquod aliquid agere dicimus, neque etiam animatorum circa hominem, quidquam. Manifestum igitur actionum hominem esse progenitorem, ] sic etiam Damascenus *lib. 2. cap. 27.* dixit: [ inanimata non agere se ad agi, ] quem locum ita citat Diuus Thom. *quæst. 5. de veritate art. 9. ad 4.* vt ibi asserat *to agere* ibi significare operari cum dominio sui actus, quamuis littera Damasceni iuxta aliam versionem aliter se habeat.

62 Quod igitur Concil. in hac proprietate loquatur, colligo imprimis ex subiuncta ratione ipsius Concilij, probat enim hominē non omnino nihil agere, seu non posse dici omnino nihil agere quando inspirationem recipit ( tribuit rationem ) quia illam abiicere potest & illi potest resistere: loquitur ergo de propria actione cum dominio, nam ad solam effectionem physicam, non erat necessaria potestas non agendi.

63 Deinde idem colligo ex errore quem Concil. damnare intendit scilicet hæreticorum huius temporis, qui dicunt, [ hominis voluntatem ita ex necessitate moueri à Deo vt sic mota non possit non agere id ad quod mouetur, neque possit abiicere talem motionem, aut illi resistere; ] cum tamen non negent voluntatem efficere suum actum, & ad illum tanquam ad actum vitæ physice concurrere, quia neque ad suum errorem id erat necessarium, neque ex verbis eorum id colligi potest, sed oppositum potius, vt aperte constat ex his, quæ refert Cardinalis Bellarminus; vnde eodem sensu accipienda est definitio Canonis IV. eiusdem Concilij decernentis liberum arbitrium dum assensum præbet gratiæ aliquid agere, & non mere passiue se habere scilicet quoad determinationem ad vnum, ergo doctrina Concilij etiam si definiat actionem physicam præcipue tamen ita agere vt cum dominio agat, ac proinde vt ipse non dicatur moraliter mere passiuè se habere in suis determinationibus, necessariam esse potestatem resistendi motioni cuicumque antecedenti, & abiiciendi illam, adhuc quando Deus illam tribuit, alioquin non esset potestas ad resistendum motioni, vel ad abiiciendam illam, quia resistentia est respectu illius, quod est, & actu reperitur, & non respectu illius, quod non est. Item quia abiicere aliquid supponit aliquid, quod abiiciatur. Vnde irrideretur ille, qui diceret se actu abiicere lapidem, qui actu non est productus neque à parte rei est.

64 Denique constat hanc esse mentem Concilii, quia non ex natura motionis supernaturalis vt talis excitātis colligit potestatem resistendi illi, sed ex eo quod illa motio non aufert libertatem, sed potius tribuitur libero agenti vt libere, & non coacte agat: ergo saltem implicite docet hanc potestatem semper relinqui in homine, siue moueatur motione naturali siue supernaturali, antecedenti, quia libertatem non tollit.

65 Ergo è contrario præmotio, quæ hanc potestatem aufert impedit libertatem siue sit motio excitans siue quacumque alia ratione præderminans physicè, verba enim Concilij in rigore sumpta generalia sunt, scilicet liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum &c. nam sub nomine motionis ex vi vocis comprehenditur omnis actio diuinæ gratiæ, quæ consensum hominis antecedit & ad illum præstandum hominem inclinat, idque nemo negare audebit qui legerit; quæ referuntur accidisse in secunda parte actorum eiusdem Concilij Tridentini sub Paulo III. anno M. D. XLVI. nam vt habetur *fol.* 134. quidam ex Theologis proposuit expediens sibi videri, vt illis generalibus verbis canonis IV. [ neque posse dissentire si velit ] hæc adderentur [ communi vocatione ] renuit tamen Concilium, neque enim expedire sensuit vt aliquid adderetur, quo limitarentur verba, quæ data opera, ac de industria posita erant, sine vlla limitatione, vt amplecterentur, & includerent sua significatione, quidquid in homine antecedit liberum consensum voluntatis.

Mentem hanc Concilij satis aperte declarant, 66
( si attente perpendantur, ) eiusdem Canonis verba illa [ siquis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti &c. ] ergo plane sentit inter totam diuinam excitationem, seu motionem & liberum voluntatis consensum non intercedere aliam actionem Dei: ergo, vel Concilium excludit omnem motionem antecedentem, quæ non sit per modum vitalis excitationis, seu vocationis, quod nos intendimus, vel si non excludit omnem aliam actionem, vel qualitatis impressionem necesse est fateri ex mente Concilij hanc contineri sub vocatione sufficienti & illam comitari, & talem esse, vt etiam illa posita possit voluntas resistere, & non consentire.

Probatur consequentia, quia alias inanis es- 67
set Concilij definitio nullaque vim contra errores huius temporis haberet; nam hæretici facile concederent non necessitari à Deo per vocationem, seu excitationem sed per aliam occultam gratiam, vel motionem ad quam liberum arbitriū solum passiue concurrat moraliter, sine vi, ac potestate abiiciendi illam & resistendi ipsi: ergo huiusmodi motionem, quæ inter vocationem & liberum consensum tollens potestatē resistendi intercedat Concilium excludere intendit, & decernit nullomodo dari illam præsertim si talis sit, quæ non compatiatur cum tali potestate resistendi, quod autem Concilium loquatur de efficaci auxilio manifeste patet quia loquitur de auxilo per quod consentit de facto vt patet ex illis verbis per eius excitantem atque aduocantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando disponantur &c. ] *Can. 5.* [ siquis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitāti atque vocanti quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet neque posse dissentire si velit &c. ] vbi aperte loquitur Concilium de auxilio illo excitanti quo de facti se præparato disponit, & operatur homo in ordine ad iustificationem, de quo decernit Concilium talis esse conditionis, vt licet actu moueat ad operandum ita tamen mouere voluntatem hominis, vt ipsa voluntas posset resistere illi & potuisset abiicere illam non consentiendo illi, neque operando, eo modo, quo de facto operatur.

68 Sed auxilium illud per quod de facto operatur, & disponit se homo ad iustificationem, est auxilium supernaturale efficax, quia auxilium solum sufficiens & efficax non mouet ita, vt de facto homo motus per illud operetur, alias non esset inefficax, & solum sufficiens, sed potius efficax; ab actuali enim operatione, & effectione, euidenter à posteriori colligitur auxilium præcedens illam effectionem & mouens ad illam esse efficax, & non inefficax: ergo ex decreto Concilij colligitur manifeste, auxilio efficaci, cui non resistit de facto voluntas posse resistere illam si voluisset, & abiicere ipsum si placuisset.

69 Ex his igitur omnibus, sic argumentum efformo, quia ex mente Concilij adhuc posito concursu seu motione diuina debet dari indifferentia in voluntate ad operandum, vel non operandum, itaut possit operari, si vellet, quo operando motioni, & concursui, aut si velit, possit non operari resistendo tali motioni, & non operari, nec secundum illum concursum producere: ergo conclusio aduersariorum opponitur immediate Concilio; vnde nullo modo debet substineri. Consequentia sic probatur, quia per aduersarios talis concursus est entitas physice prædeterminans voluntatem, ita vt non possit voluntas posita illa motione, non cooperari illi nec habeat indifferentiam, ad cooperandum & resistendum illi, sed necessario debet cooperari illi: atqui Concilium asserit adhuc posita illa motione posse voluntatem cooperari aut non cooperari, habereque indifferentiam ad vtrumque: ergo conclusio aduersariorum immediate opponitur definitioni Concilij. Quod autem aduersarij asserât posita tali prædeterminatione voluntatem necessario debere cooperari illi, patet ex his quæ docet Bannez 1.p.q.14.*art.*13.*dub.vlt.vers. Autem explicauimus*, vbi de causa prima sic ait, quæ ita determinat omnes causas secundas ad suos effectus producendos, quod nulla causa secunda potest exire à sua determinatione, &c. *q.*23.*art.*5.*ad* 7. sic ait, itaque suauiter quidem, & efficaciter Deus mouet voluntatem, nec effectus diuinæ voluntatis impediri potest à voluntate nostra, *& art.*3.*dub.*3.*in solutione ad* 6. sic ait, ipsamet concurrentia liberi arbitrij effectus est necessario consequutus necessitate consequentiæ ex diuino auxilio efficaci, quare si necessario sequitur, non poterit voluntas resistere auxilio efficaci dei, &c. 2.2.*q.*1.*dub.*2.*documento* 3. idem ait, eodem modo loquitur Nauarrete *tom.*2.*controu.*19.§.1. *& controu.*21.§.3. quibus consentiunt omnes Thomistæ Aluares, Ledesma, & reliqui.

70 Dices Concilium solum loqui de motione supernaturali, & non naturali.

71 Contra & primo aduersus hanc solutionem insurgunt omnia iam nuper dicta, vbi apertè demonstrauimus doctrinam Concilij circa hoc non esse particularem, sed vniuersalem de omni motione; nam licet præcipuè loquatur Concilium de supernaturalibus actibus, nihilominus à fortiori procedit in quibuscunque aliis naturalibus, atque ita in genere de actibus liberis voluntatis vim habet decretum Concilij. Tunc quia ratio, quæ Concilium mouet est indifferentia libertatis, quam habet creata voluntas, & quam non destruit talis motio, sed potius ita mouet eam vt libertas ex vi talis motionis exercendo se iuxta iura & natiuam virtutem indifferentem perficiatur per tale exercium; sed eadem libertas est in omnibus motionibus, etiam naturalibus, ratione quarum nullo modo destruitur, sed potius perficitur voluntas: ergo etiam in motionibus naturalibus tenet decretum Concilij Tridentini.

Tum & à fortiori etiam, quia multo maior motio, & efficacia Dei necessaria est in supernaturalibus actibus, quam in cæteris, ac proinde magis subditur voluntas talibus motionibus & Deo mouenti supernaturaliter, quam motionibus naturalibus, & Deo comouente naturaliter; nam voluntas creata operatur mota supernaturaliter per auxilium efficax supernaturale opus, seu effectum supernaturale, ad quod mouetur per tale auxilium, vt causa instrumentalis eleuata omnino ex vi potentiæ, pure obedientialis, vt ipsi aduersarij Thomistæ fatentur; at vero, quando mouetur naturaliter ad opus naturale, non est causa instrumentalis, sed principalis, ac proinde non eleuatur à Deo, neque operatur ex vi potentiæ obedientialis, sed potius ex vi natiuæ virtutis principalis, habendo plenum, & perfectum Dominium in talibus operationibus cum plena, perfecta & completa indifferentia ad operandum, vel non operandum ad libitum propriæ voluntatis, quia in his operationibus Deus non est causa principalis particularis, sicut est in operationibus supernaturalibus: ergo, si in operationibus supernaturalibus, vbi rationes supradictæ concurrunt, & magis subditur voluntas creata Deo mouenti fortius & efficacius quam in naturalibus, eo solum, quod conseruatur libertas, tenet id, quod Concilium decernit, videlicet quod detur potentia ad resistendum motioni, &c. à fortiori vim habebit decretum Concilij Tridentini concedentis virtutem, & potestatem resistendi & abijciendi diuinam motionem, quando vouetur naturaliter, &c. 72

Deinde certum est Concilium loqui de motione Dei præueniente nostram voluntatem, vnde cum definitio eius Doctrinalis sit, erit etiam generalis, & vniuersalis, ac indefinita, ac proinde complectens omnes motiones, tam naturales, quam supernaturales, quia eadem ratio est de quacumque præueniente motione, quæ libertatem non tollat; nam ad hoc ait Concilium necessarium esse vt possit voluntas resistere Deo non obstante motione, & excitatione diuina, itaque tota hæc ratio fundatur in hoc, quod quotiescumque Scriptura, vel Concilia doctrinaliter loquuntur, sine dubio vniuersaliter, & non particulariter, verbi gratia, dum dicitur in scriptura: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non intrabit in regnum cœlorum, vbi licet particularis propositio sit vtpote constante subiecto particulari, nihilominus quia doctrinalis est vniuersalis, quod clarius videtur in altera propositione videlicet, qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit, ac si diceret omnis qui perseuerauerit vsque ad mortem in gratia saluabitur. Item, quando in Concilio Lateranensi definitur hominem componi ex materia, & forma, talis propositio non solum quia est in materia essentiali, sed etiam quia est doctrinalis, est vniuersalis complectens omnem hominem. Item quando in Concilio Tridentino *sess.*6. *Can.*1. sic decernitur, si quis dixerit hominem suis operibus, &c. absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo anathema sit, licet videatur propositio particularis, vtpote habens subiectum illud, quis de numero singulari; nihilominus tamen quia doctrinalis est vniuersalis; imo omnes Canones Conciliorum præcipue Concilij Tridentini, licet subiecto numeri singularis indefiniti, aut vagi gaudeant, nihilominus æquiualent in tali subiecto vniuersali, omnis, etiamsi sint in materia 73

materia contingenti, sed etiam definitio hæc circa motiones Diuinas est doctrinalis: ergo est vniuersalis, & generalis complectens omnes motiones tam supernaturales, quam naturales.

## SVBSECTIO VI.

*Solutiones aduersariorum oppugnantur.*

74 Respondent aduersarij Concilium non loqui in sensu composito sed in sensu diuiso, id est posse voluntatem resistere Deo, non existente Dei motione, quia si componatur motio illa prædeterminans cum voluntate creata non poterit resistere Deo mouenti.

75 Contra euidenter, quia hoc falsum esse indicant verba illa Concilij, quippe qui illam abiicere potest, & illi possit dissentire si velit: ergo stante illa motione, vel concursu potest illam voluntas abijcere; quia vt supra dixi nemo dicitur abiicere nisi id, quod habet, aut quod ei offertur, quia quod non habet quomodo abiicit, & quomodo potest resistere voluntas motioni, & excitationi quæ nõ est, resistentia enim supponit existentiam rei cui debet resisti, sicut rei quæ debet resistere: ergo si talis res, cui resisti debet non datur, nullo modo potest dari resistentia, sed Concilium aut voluntatem posse resistere vocationi, & abijcere motionem diuinam: ergo supponit Concilium existere talem motionem, & vocationem, & potentiam resistendi illi, sicut & potentiam cooperandi illi dari supposita tali motione & vocatione, ita vt in sensu composito talis vocationis cum voluntate, & ex suppositione motionis diuinæ existentis, & vocantis voluntatem posse ipsam dissentire, si velit vocationi diuinæ & abiicere illam, & si velit posse cooperari illi.

76 Confirmatur, quia nemo etiam amens potest dicere me posse abiicere, & expellere preces, & rogationes Petri, eo quod possum ego Petro non petente non facere, quod nunc petit, postquam ergo non feci, id, quod nunc petebat, hæc sane esset ridicula loquutio, quod clarius adhuc constat ex verbo resistere, quo vtitur Zenonense Concilium; quis enim dicat se posse facile resistere tentationi, tempore, quo nullo modo tentatur, resistentia enim veram tentationem supponit: ergo dum dicitur arbitrium posse resistere gratiæ trahenti, significatur sine dubio posse arbitrium humanum coniungere dissensum ex sua parte, cum illo auxilio, & vocatione ex parte Dei, ita vt quando simul Deus vocat, & excitat nonobstante tali vocatione, & excitatione resistat voluntas Deo non cooperando vocationi ipsius, sed potius, aut non faciendo, secundum talem vocationem, aut faciendo contra ipsam, quia resistere formalissime est coniungere dissensum cum vocatione, & auxilio, cui resistitur: ergo posse resistere est habere integram & sufficientem potentiam, aut vocationem & motionem diuinam qua Deus actu mouet voluntatem vt abiiciat, & illi se se opponat.

77 Deinde, quia si Concilium loqueretur solum in sensu diuiso non adstrueret sufficientem voluntatem arbitrij ad consensum, vt videbitur postea.

78 Præterea euidentius hoc conuincit propositio illa liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari Deo excitanti, atque vocanti, neque posse dissentire, &c. nam sensus compositus nihil aliud est quam concretum ex libero hominis arbitrio, & motione diuina seu diuina excitatione, itavt ex tali libero arbitrio, & motione diuina & excitatione resultet hoc concretum motum, & excitatum, quod & habeat indifferentiam ad resistendum tali motioni, si velit, vel ad cooperandum illi: sed Concilium Tridentinum dicit expressis verbis liberum hominis arbitrium, non nudum, sed motum, & excitatum, hoc est concretum ex motione, & libero arbitrio posse resistere, vel cooperari: ergo Concilium Tridentinum definit adhuc in sensu composito ex voluntate, & motione, id est quando motio, & excitatio ita coniunguntur, & informant voluntatem, & liberum arbitrium, vt cum eo componant compositum hoc nimirum motum, & excitatum habere indifferentiam, & potestatem ad operandum, vel non operandum id, ad quod inclinat, & mouet Deus per talem motionem & vocationem; item ad resistendum, & non resistendum illi; vnde iuxta ipsius Concilij Tridentini doctrinam non tantum in sensu diuiso, sed potius in sensu composito necesse est vt maneat in voluntate potestas ad vtrumlibet, si vera libertas voluntatis conseruanda, & tuenda sit: ergo è contrario si illa præuia determinatio non relinquit potestatem non operandi, quæ possit cum illa componi, sed potius positas, illa determinata manet voluntas ad vnum, & nullam indifferentiam habet ad operandum, vel non operandum, plane talis prædeterminatio destruit libertatem in ipso vsu iuxta doctrinam Concilij.

Explicatur amplius, & interrogo, quid aliud 79
sit motum & excitatum non potest dissentire, quam præsente & durante illa motione, & excitatione dissentire non posse, quod etiam ex eo patet, quia cum initio Canonis ait, si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, loquitur in sensu composito, vt per se patet ex illo verbo cooperari, cooperari Deo non habet locum nisi præsens sit operatio Dei, qua per excitationem ipse in nobis operatur, vt assentiamur, cooperari enim dicit respectum ad aliquem operantem simul cum voluntate, quia cooperari est duo operari, sicut coëxistere est duo simul existere: ergo si cooperatur voluntas, simul operatur Deus, ac proinde cooperari voluntatem dicit sensum compositum suæ operationis cum operatione diuina: ergo etiam id, quod sequitur neque posse dissentire accipiendum est in sensu composito, alioqui ineptissime mutaretur forma loquendi, & Lectori aditus pateret vt deciperetur.

Quod etiam ex eo colligitur, quia non potest 80
liberum arbitrium dissentire Deo excitanti, & vocanti; nisi adhuc sit excitatio & vocatio Dei, si enim cessauit excitatio, & vocatio, & tunc solum posset dissentire non dissentiret, nec repugnaret, aut resisteret excitanti & vocanti, sicut enim vbi nulla est Dei operatio, non datur Deo cooperari, ita vbi nulla est excitatio non potest dari Deo excitanti resistere.

Tandem impugnatur ex intentione Concilij, 81
quæ fecit errorem Caluini; Caluinus autem non negabat arbitrium motum à Deo posse dissentire in sensu diuiso, hoc est posse non consentire, si non efficaciter vocaretur, non erat adeo mentis inops Caluinus, vt hoc negaret, imo toto animo prædicabat deficiente hac motione efficaci

voluntatem humanam in suis sordibus obdurescere, & ideo dixit Caluinus *in suis institutionibus cap. 2. n. 70. & cap. 3. §. 10.* gratiam efficacem non mouere voluntatem, qualiter multis sæculis traditum est, ac creditum, vt nostræ posteà sit electionis motioni, aut obtemperari aut refragari: ecce loquitur aperte in sensu composito auxilij cum voluntate, non in sensu diuiso; refragari enim est auxilio iam excitanti resistere: ergo in eodem sensu composito debuit condemnari à Concilio, alioquin non damnaretur Caluinus sed alius error, qui adhuc in nullius mentem venisset.

82 Aliter autem alij respondent, dicentes posse liberum arbitrium resistere vocationi gratiæ excitantis, videlicet, illuminationi, & inspirationi secundum se, & de hac solum loqui Concilia non tamen posse resistere prædeterminationi physicæ.

83 Sed impugno hanc solutionem facillime primo ex verbis Senonensis Concilij, vbi vniuersaliter negatur de omni auxilio Dei trahentis esse tale, cui non possit resisti: ergo ex Concilio, vel non datur auxilium prædeterminans, vel ei etiam potest resisti; vnde si posito auxilio prædeterminante non potest voluntas resistere illi: ergo tale auxilium prædeterminans, velit nolit voluntas trahit illam ad operationem, ac proinde, dum actu est in voluntate, impedit libertatem illius sicut impediret libertatem pueri, aut infantis, homo robustus, & fortis, qui ita prædeterminaret, aut impelleret talem infantem ad motum vt non posset infans resistere tali impulsui: atqui Concilia absolute decernunt omnem, & quancumque motionem efficacem Diuinam, vocantem, & excitantē voluntatem ita attemperari cum illa, & ita illam indifferentem relinquere, vt ex vi libertatis propriæ possit ipsa voluntas aut assentire tali motioni, seu cooperari, aut resistere illi, vel dissentire ipsi, si velit: ergo si prædeterminatio vestra ita cogit voluntatem, vt ipsa posita, nullo modo possit resistere talis voluntas: sed necessario rapitur ab illa sine resistentia vlla ad operandum, sine dubio talis prædeterminatio, immediate opponetur decretis Conciliorum, ac proinde non erit admittenda.

84 Secundo impugno eandem solutionem ex ipso Tridentino dicto *Can. 4.* cuius mens fuit posse arbitrium resistere omni auxilio præuenienti, vt patet ex supradictis, & deinde euidentius liquet, quia si solum loqueretur de illuminatione, & non de omni auxilio præueniente nihil egisset contra Caluinum, qui facile concederet posse arbitrium resistere illuminationi, dum tamen assignaretur ei aliud auxilium ex se ita efficax vt non possit abiici, & quod traheret ineuitabiliter voluntatem ad consensum: si ergo Concilium hunc Caluini errorem omnino tollere intendit de omni pro ipsus auxilio præuenienti debuit dicere esse tale, cui homo possit resistere.

85 Deinde hæc solutio solum verbis differt à præcedenti, nam licet videatur concedere potentiam in sensu composito; sed reuera eam non concedit, vel loquitur omnino inconsequenter, pro quo aduerte aliud esse arbitrium simul cum auxilio habere potentiam ad dissentiendum cessante auxilio efficaci, aliud vero quod stante auxilio habeat potentiam ad coniungendum dissensum cum auxilio.

86 Primum non facit ad mentem Concilij, nam Concilium non solum vult coniungi auxilium cum potentia ad actum contrarium, & fieri sensum compositum auxilij, cum hac potentia, sed vlterius vult in arbitrio esse potentiam ad faciendum sensum compositum auxilij cum dissensu. Hoc enim est vt vidimus posse resistere.

87 Si vero concedant secundum, loquuntur inconsequenter, nam si potest coniungere libertas auxilium illud cum dissensu: ergo auxilium illud, seu concursus non est ex se efficax, nec physica prædeterminatio, vt supponunt, quia auxilium ex se efficax est illud, cui ex se repugnat carentia consensus; hoc autem auxilium per se non repugnat coniungi cum dissensu: ergo non est de se efficax, ac proinde non determinat infallibiliter ad consensum, vel saltem hæc infallibilitas non fundatur adæquatè in entitate auxilij, sed in aliqua ratione morali, vt nos concedimus.

88 Propter hæc deuenerunt ad aliam solutionem, & concedunt liberum arbitrium posse componere, & coniungere dissensum cum auxilio si auxilium spectetur secundum suam physicam entitatem, & hoc modo loqui Concilia, si vero illud auxilium spectetur provt subest decreto efficaci Dei volentis quod arbitrium operetur, & consentiat non potest coniungi cum dissensu, ita respondent Aluarez *lib. de auxiliis, disput. 93. numer. 4.*

89 Sed improbatur facile hæc solutio, quia vel illud decretum, & intensio Dei habet se omnino extrinsece ad entitatem auxilij, vel ponit in ipso auxilio aliquid intrinsecum reale, vel modale, ratione cuius non posset coniungi cum dissensu; si dicas hoc secundum redeunt omnia argumenta supra facta, nam loquor de entitate illius auxilij prout affecta illo modo intrinseco physico, ratione cuius induit intrinsece ratione efficacis, & interrogo an cum illo possit coniungi dissensus vel non? si potest: ergo vt sic non est efficax, nec physica prædeterminatio, quia vt efficax est prædeterminatio non potest coniungi cum dissensu si non potest: ergo aliqua vis est intrinseca in voluntate ex parte auxilij præuenientis, cui voluntas non potest resistere, quod videtur contra Concilium; si vero dicas auxilium secundum totum intrinsecum, quod habet posse coniungi cum dissensu, non tamen provt subest extrinseco decreto Dei, hoc quidem non tamen esset solvere argumentum quam relinquere sententiam, & concedere illud auxilium nō esse ex se efficax, sed solum extrinsecè prout connotat voluntatem efficacem Dei, quia hic, & nunc tribuitur, & per consequens dicere debes hoc idem numero auxilium secundum suam entitatem physicam potuisse non esse efficax, si daretur per aliam Dei voluntatem non efficacem, quæ sententia si supponat scientiam conditionatam veriſſima est; si vero eam non supponat coincidit cum sententia quæ communiter tribui solet Scoto ponenti prædeterminationem extrinsecam per decretum Dei absolutum, & sic mutabunt sine dubio sententiam.

90 Totum id etiam confirmat idem Concilium, *sess. 6. cap. 13.* ibi: nemo sibi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent, Deus enim nisi illi ipsius gratiæ defuerint, sicut cœpit bonum opus perficiet operans velle & perficere, at si requiritur ad singulos actus auxilium illud efficax ex se, quod non nisi paucis ex diuina ordinatione est præparatum quo modo omnes possunt, & debent firmissimam spem in

in Dei auxilio reponere cum omnino sint incerti, an Deus ipsis illud auxilium præordinauerit? non enim possunt firmam spem ponere in eo auxilio, quod an mihi præparatum sit ignoro. Fatuus esset Dux militiæ, qui firmam spem poneret in auxilio, & supetiis incertis. Rursus quomodo possumus deesse gratiæ Dei, si nobis præparatum sit auxilium per se efficax, & quomodo possumus non deesse si tale auxilium paratum nobis non sit?

91 Denique quomodo dicitur, quod Deus operabitur velle, & perficere nisi gratiæ ipsius desimus, cum ipse per auxilium prædeterminans facere debeat ne desimus? sane non capio, quomodo aliquid horum iuxta hanc sententiam apte dici, aut explicari possit?

92 Iuxta nostram vero omnia sunt facilia, debemus enim in auxilio eius firmissimam spem ponere, qui certi sumus nihil nobis ad salutem necessarium ex parte eius defuturum; vnde si non desimus ipsius gratiæ, id est si nos ea faciamus, quæ possumus, & debemus, certissime salui erimus, quæ res homini est summo solatio.

93 Hinc patet primo cum eodem auxilio, quo gratiæ non desumus, ea vtendo posse nos illi deesse non vtendo, & cum qua illi desumus non vtendo posse nos, non deesse vtendo.

94 Secundo patet Deum operari in nobis velle & perficere ex parte sua quidem, dum dat auxilium ad hoc opportunum, absolute autem, & simpliciter dum illi auxilio non desumus sequendo ipsum quocumque nos inuitat, & impellit. Tunc enim Deus per illud auxilium, tanquam per semen quoddam sacrum operatur nobiscum, & in nobis immediate ipsa bona opera, vt infra pluribus declarabitur.

95 Quibus vires maximas addit idem Concilium *eadem sess. cap.* 11. his verbis. Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce vtatur Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum impossibilia esse; nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facit quod possis: & petere quod non possis, & adiuuat vt possis, sed si præter cætera auxilia requiritur ad singula opera motio quædam prædeterminans, quam habere non sit in potestate, vtpote quam Deus pro paucis prædestinauit plurimi profecto erunt, quibus præcepta Dei erant impossibilia, non enim sine hac motione possibilia sunt, quam ipsi habere non possunt, quia mihi non magis possibilis est præcepti obseruatio, quam illa Dei præmotio, sine qua impossibilis est talis obseruatio, quare cum hæc motio non sit in mea potestate, neque etiam obseruatio præcepti in mea potestate erit, quibus contradicit ipsum Concilium illis verbis: Deus sua gratia iustificatos non deserit, nisi ab illis prius deseratur; nam si nemo habet in sua potestate auxilium necessarium, nisi ita sit efficax vt voluntatem prædeterminet, quomodo non plurimi sunt qui deseruntur à Deo antequam ipsum deserant. Deserere enim est subtrahere, seu non dare auxilium necessarium: at plurimi sunt iusti, quibus tale auxilium in tentationibus non datur, idque absque illorum culpa.

96 Prius enim est auxilium non dari quam hominem cadere, & ideo cadit quia auxilium efficax ad resistendum non habet, vt optime ait Lessius.

97 Ergo ne in ista absurda incidamus, dicendum est in nostra potestate esse auxilium necessarium, vt ait etiam Concilium Arausicanum *Canone* 25. his verbis. Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint adimplere, vt quæcumque opera meritoria faciamus; vnde tale auxilium, aut talis concursus necessarius non est physice prædeterminans voluntatem prius quam operetur.

Respondent aduersarij etiam posita Dei motione, & determinatione posse voluntatem dissentire, & non operari, dicunt tamen nunquam esse non operaturam, & hoc esse infallibile. 98

Sed imprimis hoc non potest consistere cum his propositionibus, posita Dei motione voluntas non potest non operari, vel posita motione, necesse est operari, quas dicti authores & sæpe docent & diui Thomæ authoritate confirmant, qui *in prima secundæ, quæstione* 10. *artic.* 4. *ad* 3. sic ait: si Deus moueat voluntatem ad aliquid impossibile, est poni quod voluntas non moueatur, vbi non solum ait semper ita euenire, sed impossibile esse aliter contingere, quod verissime dixit; nam loquutus est de motione cooperatiua, quæ facta compositione includit actum ipsum: at prædicti authores illum interpretantur de hac motione præuia, per quam dicunt Deum determinare voluntatem: ergo non possunt consequenter dicere, posita illa motione posse voluntatem illam abijcere prout Concilium decernit. 99

Deinde, quia nulla ansa datur ad hoc vt possit talis motio dici prædeterminatio physica; nam prædeterminatio est illa vt ipsi explicant, quæ ita determinat voluntatem, prius quam operetur ad operandum id, ad quod mouentur, vt non possit voluntas non operari, neque remaneat posita illa motione præcisa indifferentia in volũtate ad operandum, & non operandum, sed potius ex vi talis motionis manet voluntas determinata ad operandum solum; sed nunc dicunt aduersarij posita illa motione esse indifferentem voluntatem ad operandum & non operandum, & ex suppositione illius vocationis efficacis posse operari, & non operari resistere tali vocationi, vel cooperari illi: ergo talis motio efficax, seu auxilium non est physica prædeterminatio: ergo iam mutant sententiam, & ponunt auxilium efficax, eo modo quo nos ponimus illud vi argumentorum coacti, in quo consistit maxima Societatis victoria. 100

Deinde interrogo, quomodo possit esse infallibilis cooperatio voluntatis ex suppositione talis motionis; nam si est infallibilis ex eo quod Deus cognoscit ab æterno, quod si ponatur talis motio voluntas operabitur, quia ipsa volitura sit, sine eo quod necessitetur ab ipsa motione, iam aduersarij non solum admittunt scientiam mediam, seu conditionatam, quam antea nolebant concedere, sed etiam in ordine ad illam ponunt efficaciam auxilij, quæ est tota & integra sententia Societatis. 101

Vel infallibile est, quod voluntas sit operatura posito illo auxilio infallibiliter, quia ex vi talis auxilij, ita determinatur voluntas ad operandũ vt posito illo auxilio non possit nõn operari voluntas, & sic est incidere in omnes difficultates, & absurda, quæ supra indicauimus, propter quæ vitanda hanc vltimam solutionem excogitarunt aduersarij, quæ si recte ponderetur non est noua solutio, qua infringantur argumenta Doctorum Societatis, sed potius est cognoscere vim illorum, & ratione illius coacti ad nostram sententiam confugere, extra quam non possunt sese accommodari recte locis expressis Conc. Trid. 102

Hæc veritas non solum sumitur ex Conc. Trid. 103

sed

sed etiam ex Conc. Bracar.1. *capite* 9. & 10. & etiam ex Leone 1. *epistol.* 91. quæ est ad Turib. Asturiens. Episcopum, *capite* 11 & etiam ex Leone IX. *in epist. decretali ad Petrum Antiochenum Episcopum*, (quæ habetur in fine operum Leonis Primi,) qui in explicatione fidei Romanæ ita inquit, credo Deum prædestinasse solummodo bona, præsciuisse autem bona, malaque gratiam Dei præuenire & subsequi hominem credo, & profiteor, ita tamen vt indifferentia liberi arbitrij rationali creaturæ non denegem.

104 Inter alios etiam articulos Vvicleph in Conc. Constans. *sess.*8. damnatos 27. affirmabat omnia necessitate absoluta euenire.

Inter articulos item Lutheri à Leone X. damnatos in Bulla quadam, quæ habetur *tom.*3. *Conciliorum*, post Concil. Lateran. sub eodem Pontifice 36. habebat liberum arbitrium, post peccatum esse rem de solo titulo.

105 In Conc. denique Trident. *sess.*6. *cap.*1. definitur in hominibus post Adæ peccatum liberum arbitrium minime extinctum esse, *& Can.*5. habetur, si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, anathema sit; sed sic est quod si posita motione Dei non daretur indifferentia in homine esse destructum liberum arbitrium: ergo concursus Dei non est ita determinans voluntatem prius quam operetur ad operationem, vt posita illa non possit voluntas non operari vt asserunt aduersarij.

## SVBSECTIO VII.

### *Locis Sacræ Scripturæ probatur nostra sententia.*

106 PRimus locus probans hanc veritatem est *Matth.*11. ibi: væ tibi Corrozain, væ tibi Bethsaïda, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent: Ex hoc enim loco constat non fuisse necessariam prædeterminationem physicam ad conuersionem horum hominum; alioquin potuissent ipsi respondere Christo Domino, si in Tyro & Sydone factæ essent hæ virtutes, conuerterentur Tyri, & Sydonij, si eos simul prædeterminares physice, da nobis physicam prædeterminationem simul cum his miraculis, sicut dares illis, &c. nos etiam conuerteremur; cur ergo nobis opponis exemplum Tyri, & Sydonis, si nobis negas prædeterminationem quam illis dares ad conuersionem; imo si Tyrios & Sydonios reliquisses solum cum his miraculis, cum quibus nos relinquis, non conuerterentur Tyri & Sydonij, sicut nos non conuertimur; quæ responsio optima excusatio esset sine dubio, si esset necessaria physica prædeterminatio, quæ omnino excusaret Iudæos ab increpatione & exprobratione Christi Domini, & aditum omnino occluderet alteri simili reprehensioni. Imo arguerent Christum incautum fuisse, & non prouidum, aut prudentem, in huiusmodi reprehensionibus; siquidem antequam tales tribueret Christus deberet animaduertere responsionem tam claram, & quæ tam ad manum erat excusans Iudæos; sed hæc sunt maxima absurda, quæ ex concessione physicæ prædeterminationis sequuntur: ergo talis physica prædeterminatio non est concedenda.

Amplius declaro hoc & confirmo, quia Christus dominus reprehendendo Iudæos asserit eisdem numero auxiliis quæ Iudæis tribuebantur conuertendos fuisse Tyrios, & Sydonios, si illis attributa fuissent, sed talia auxilia tam interna quam externa, tam miraculorum quam motionum, & inspirationum quæ fere semper comitantur miracula, (de his enim omnibus loquebatur Christus dum in Iudæos sua increpatione inueheretur, vt asserunt Augustin. Hieronym. Ambrosius, Cyprianus, Fulgentius, & Chrysostomus,) non erant physice prædeterminantia: ergo physica prædeterminatio non est necessaria ex Scriptura ad conuersionem hominum, verbi gratia, Tyriorum, & Sydoniorum, siquidem cum auxiliis non physice prædeterminantibus, asserit Christus Tyrios & Sydonios fuisse conuertendos.

Minor illa sic demonstratur, quia auxilium phy- 107
sice prædeterminans ex sua entitate physica applicata voluntati cuicumque illam prædeterminat, sine eo quod habeatur respectus ad voluntatem; itaque physica prædeterminatio dicitur quæ ex vi propriæ entitatis applicatæ voluntati, sine eo quod amplius requiratur quam talis entitas physica auxilij & applicatio illius ad voluntatem rapit quamcunque voluntatem, non expectando consensum illius, sed potius faciendo necessario vt tribuat talem consensum voluntas, & vt melius loquar extorquendo illum à voluntate; itavt impossibile sit, (sic loquuntur aduersarij,) vt supposito tali auxilio, & ex suppositione sensus compositi, vt voluntas non operetur, aut non possit operari id ad quod mouet auxilium omnem voluntatem cui applicatur; itaque cum vis auxilij solum sit ex vi suæ propriæ physicæ entitatis sine respectu ad voluntatem cui applicatur, omnem voluntatem rapiet sine discrimine, si omni applicata fuerit, alias efficacia auxilij non fundaretur in physica entitate auxilij: sed potius in congruitate quæ sumitur à scientia media & ab vsu libertatis sub conditione futuro & præuiso (quod est inducere nostram opinionem, & est exuere opinionem defendentem physicam prædeterminationem, quam nunc impugnamus,) sed illa auxilia de quibus agit Christus in loco proposito non erant huiusmodi; siquidem applicata Iudæis non prædeterminabant illos, nec faciebant vt necessario conuerterentur; siquidem positis illis & ex suppositione sensus compositi illorum cum voluntatibus Iudæorum, non conuertebantur, & ideo reprehendit illos Christus, quod suppositis talibus auxiliis non conuerterentur, quibus sine dubio conuersi fuissent si applicata fuissent Tyriis & Sydoniis: ergo talia auxilia non erant physice prædeterminantia, alias Iudæi sine dubio conuerterentur, sicut conuersi fuissent cum illis Tyrij, & Sydonij, si eisdem applicata fuissent, vt ait Christus asseuerantes sine vlla dubitatione.

Maior huius syllogismi sic demonstratur, quia 108
auxilium prædeterminans physicum est causa naturalis respectu effectus conuersionis, itavt naturaliter rapiat voluntatem, sine eo quod possit voluntas resistere illi in sensu compositio illius, sicut verbi gratia, posito impetu in lapide ducente illum sursum, non potest lapis resistere tali impulsui, & sicut si homo etiam impellatur à fortiori non potest resistere illi, & necessario debet moueri ab impellente, quia talis impulsus impressus à fortiori est causa naturalis motus; item sicut lapis à propria grauitate ductus in centrum, sine eo quod lapis possit resistere; si similiter voluntas hominis posita entitate auxilij efficacis, ita rapitur voluntas

voluntas naturaliter vt non possit resistere voluntas creata: ergo.

107 Dices exprobrasse Iudæis Christum exemplo Tyriorum & Sydoniorum, quia suis peccatis impediebant physicam prædeterminationem plusquam Tyrij & Sydonij, quam si haberent ita raperentur ad operationem, vt non possent non operari, quid physica entitas auxilij rapit naturaliter voluntatem ad id quod mouet.

108 Sed contra, quia etiam ad euitanda peccata est necessarium auxilium efficax; vnde si auxilium efficax est physice prædeterminans ad vitanda peccata, erit necessaria physica prædeterminatio: vnde si talis physica prædeterminatio quam poterat ei dare, imo necessarium erat vt daretur ad euitanda peccata non dabatur, poterant optime respondere viri Corrozain, cur nobis exprobras, nosque reprehendis comparationem faciendo cum Tyriis & Sydoniis; siquidem non tribuis nobis auxilium physice prædeterminans, sine quo non possumus conuerti nec viri Tyrij aut Sydonij conuerterentur, vnde ex solis miraculis & motionibus, non physice prædeterminantibus, quibus nos moues non debes ansam sumere ad nostram reprehensionem, vt incipies nobis, quia non vitamus peccata; siquidem hæc non possunt vitari sine physica prædeterminatione quam si tribueres Tyriis aut Sydoniis conuerterentur, sicut & nos conuerteremus & vitaremus peccata, si illam nobis tribuisses, quod si noluisti tribuere physicam prædeterminationem, nobis non mirum quod nos non conuertamur, neque euitemus peccata, neque etiam mirum est si Tyrij & Sydonij conuersi fuissent, & vitauissent peccata media physica prædeterminatione; vnde sine vlla ratione reprehendimur componendo nos ad Tyros & Sydonios; siquidem ipsis vt vitauissent peccata & conuersi fuissent, tributa fuisset physica prædeterminatio præter hæc miracula, quæ solum nobis relinquuntur sine physica prædeterminatione.

109 Secundo contra, qua hæc etiam maiora facta fuerant ex defectu prædeterminationis quam Tyrij & Sydonij habuerant ad vitanda illa peccata: ergo adhuc non esset hoc exemplum vtile ad obiurgandos viros Corrozain, possent enim respondere fac nos pares in prædeterminatione physica, & pares erimus in conuersione & vitatione peccatorum.

110 Tertio contra, & vrgeo amplius interrogando, vnde proueniat quod Tyrij impediuissent & viri Corrozain non impediant? certe nullam aliam ob causam, nisi quod illi bene vsi fuissent donis & auxiliis; Iudæi non bene vtantur: atqui quod illi bene vsi fuissent donis, & auxiliis proueniret ex eo quod Deus decreuisset, vt bene vsi fuissent & ob id eos ad hoc determinauisset vt ipsi docent; quod autem viri Corrozain non bene vtantur prouenit ex eo quod non habuerint auxilium prædeterminans: potuerunt ergo se excusare viri Corrozain & dicere: Mirum non est si non simus conuersi, aut euitauimus peccata, quia caruimus auxilio necessario, concursu nimirum prædeterminante ad conuersionem & vitationem peccatorum.

111 Quod si dicatur eos esse in culpa, quod caruerint tali auxilio eo quod impediuerint ne Deus daret illis talem gratiam.

112 Respondeo id aliter fieri non potuisse, eo quod etiam caruerint auxilio necessario quo determinarentur ad vsum minorum bonorum, & ad non impediendum, quo auxilio si quis caret, necessario deficiet, & non bene vtetur, imo non potest recte vti.

113 Deinde aut illud impedimentum libere ponebant aut non; si non: ergo non peccabant; vnde non demerebantur auxilium diuinum, nec ponebant culpabile impedimentum, ac proinde non poterat illis propter impedimentum illud adimere Deus maiora auxilia quibus solum solent homines priuati propter peccata; cum autem illud impedimentum non sit peccaminosum, nec culpabile, quia non est libere positum, inde est quod propter illud non mereantur homines priuari auxiliis diuinis.

114 Si autem illud impedimentum libere ponant, hoc erit quia prædeterminantur ad ponendum illud. Patet hoc primo, quia ipsi aduersarij asserunt non posse voluntatem liberam propter suam indifferentiam aliquid operando facere, nisi prius prædeterminetur physice talis voluntas ad illud opus; ita vt prædeterminatio sit causa talis operationis: atqui per vos tale impedimentum ponitur operando libere voluntas: ergo ponit voluntas illud, quia prædeterminatur à Deo, quod non poneret si non prædeterminaretur; vnde non mirum quod viri Corrozain ponant impedimentum, siquidem prædeterminantur à Deo physice, neque mirum quod Tyrij non potuissent, cum non prædeterminati fuissent.

115 Secundo quia ad omnem actionem causæ secundæ est necessaria physica prædeterminatio per vos, itavt sine illa non possit causa secunda operari; sed voluntas operans illud impedimentum est causa secunda: ergo operatur illud physice prædeterminata.

116 Tandem quia si prædeterminarentur ad faciendum opus virtutis, non ponerent impedimentum: ergo quia non sunt prædeterminati à Deo ad tale opus virtuosum, impedimentum ponebant.

117 Tum sic prædeterminatio illa non est in potestate libertatis, sed à Deo solum ex mera sua libera voluntate ponetur, & posita illa non est in potestate voluntatis ponere illud impedimentum.

118 Item postquam positum est non potest voluntas abijcere illam: ergo positio talis impedimenti non est voluntati attribuenda, sed Deo; vnde non deberent viri Corrozain reprehendi quod impedimenta posuerint ad hoc vt Deus non tribuat auxilium efficax ad sui conuersionem; siquidem adhuc ad non ponendum illud impedimentum necesse erat vt Deus physice prædeterminaret; vnde possent dicere de Tyriis & Sydoniis, illos mirum non esse conuertendos fuisse visis signis Domini, quia præter illa Dominus daturus fuisset illis concursum prædeterminantem ad non ponenda impedimenta, & ad conuertendum te, quem concursum prædeterminantem nolebat Deus dare illis, quem si daret non poterant impedimenta ponere, nec minoribus beneficiis male vti, sed potius posito tali concursu conuerterentur sine dubio viri Corrozain, quapropter tota hæc differentia refertur solum in decretum Dei, quo iis voluit dare auxilium determinans illis noluit.

119 Tandem quia Dominus aperte indicat virtutes ibi factas cum internis auxiliis coniunctas fuisse sufficientes ad agendam pœnitentiam sine nouo auxilio, quod non sit in eorum potestate; vnde D. Aug. c. 4. *de dono perseuerantiæ*, ex hoc loco colligit quosdam habere in ipso ingenio naturaliter diuinum munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba,

vel signa conspiciant, quod nullo modo verum esset, si non possent moueri ad fidem, nisi Deus ad hoc physice eos determinet; siquidem efficaciam auxilij non ponit Christus in physica prædeterminatione, sed in congruitate vt sonant illa verba. [Si congrua suis mentibus.]

120 Et præterea, quia hæc solutio aduersatiorum non cohæret cum alia sententia illorũ, qua dicunt hoc auxilium ante omnem præuisionẽ determinationis causæ secundæ esse iam ab æterno statutum & decretum; si enim possum impedire ne mihi Deus illud auxilium conferat: ergo non decreuit mihi illud absolute dare, nisi supposita præuisione, qua præuidit me non impediturum.

121 Secundus locus est Pauli 2. *ad Cor.* 6. [adiuuantes inquit exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.] Ex quibus verbis constat, auxilium efficax, quod physica prædeterminatio dicitur, potuisse non esse efficax: ergo ex se non physice prædeterminat voluntatem, alias ex se non posset non esse efficax. Antecedens sic patet: ex sensu ipso verborum Apostoli; Paulus enim non hortatur Corinthios, vt haberent prædeterminationem physicam, cum hoc non esset in eorum potestate, sed vt non redderetur inefficax gratia, quam habebant; si illi nollent cooperari; vnde hortatur illos, vt cooperentur: ergo poterant reddere inefficacem eam gratiam, quam persuasione sua Paulus intendebat, & curabat, ne redderetur inefficax à Corinthiis.

122 Tertius locus sit *Isaiæ* 5. ibi: [quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci, an quod expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas?] ex hoc etiam modo increpandi, & obiurgandi constat potuisse Iudæos sine physica prædeterminatione facere vuas, & non labruscas, id est opera studiosa & pietatis, & non mala, alioquin possent respondere; Domine aliquid vltra faciendum tibi erat, vt vinea faceret vuas, & non labruscas, quod noluisti facere; poteras enim prædeterminationem physicam exhibere, sine qua impossibile erat ferre fructus pietatis.

123 Tandẽ probatur hoc, quia *Deut.* 30. dicitur, [testes inuoco hodie cœlũ, & terrã, quod proposuerim vobis vitam & mortẽ, benedictionẽ, & maledictionẽ, elige ergo, &c.] cui adiungitur locus ille *Prou.* 31. operata est consilio manuum suarum, & Ecclesiastici *cap. vlt.* [danti mihi sapientiam, dabo gloriam, consiliatus sum enim vt facerem illam;] vbi agnoscit, vt inquit Hieronymus, esse donum Dei, sed insuper opus fuisse proprio consilio deliberare, atque serio constituere de operis exequutione; quibus omnibus non solum facultatem, sed vsum indifferentem, & cum dominio ad volendum, aut nolendum manifeste declarat Scriptura; sed si Deus obtulit concursum ad vnum tantum actum physice prædeterminatum, nullus relinquitur vsus indifferens ad eligendum bonum, vel malum, neque relinquitur locus consilio ac deliberationi; quia determinatio illa omne humanum consilium, non solum vt in tempore existens, sed etiam vt ab æterno præuisum antecessit, & post illam determinationem nullum est relictum medium, nec potestas euitandi actum illum, nec alium faciendi: ergo talis concursus non est determinatus ad vnum.

Vt autem hæc pateant, fingamus hominem scire se non habere paratum concursum Dei ad ambulandum, sed omnino decreuisse Deum illi non auxiliari vt ambularet, numquid posset consulere de ambulatione, aut deliberare deambulando potius, quam non ambulando, & eligere vnum ex illis? certe non posset consulere, neque deliberare de tali ambulatione, aut eligere illam, nisi esset amens, quia ipse cognoscebat certo non posse ambulare, quia non habebat concursum à Deo ad ambulandum: ergo quod nunc homines de suis actionibus consulant, aut deliberent, solum est quia putant se habere potestatem indifferentem & concursum Dei in manu sua ad vtramque partem; consultatio enim, & deliberatio tantum est ad eligendum aliquid ex iis, quæ habet in sua potestate; vnde si non habet potestatem indifferentem ad plura, sed tantum est determinatus ad vnum homo, non potest consulere aut deliberare de tali opere faciendo, sicut verbi gratia, Beati non possunt consulere de amando, vel non amando Deum, quia ex vi luminis gloriæ, &c. physice prædeterminati sunt ad amandum, & hæc est ratio manifesta, propter quam natura negauit brutis animantibus deliberandi, & consulendi perfectionem; nam cum bruta animantia sint determinata ad vnum sine vlla indifferentia, & dominio ad operandum, & non operandum, positis omnibus requisitis suæ naturæ conuenientibus, ideo non indigent tali deliberandi, & consulendi ratione; vnde si homines non habent in sua potestate paratum concursum ad vtrumque, & dominium ad operandum, & non operandum, sine dubio decipiuntur, & existimatione tantum, ac errore libere videntur agere, non tamen reipsa, & vere, cum autem Scriptura sacra doceat hominibus datam esse potestatem eligendi, & consulendi, non falso, sed vere, & proprie: ergo euidenter sequitur, habere potentiam indifferentem ad vtrumlibet, quod expresse docetur *Eccles.* 31. ibi, [qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit;] in quibus locis, cum sermo sit de potestate proxima, & morali, non sola potentia facultatis proximæ, sed etiam indifferens concursus Dei ad vtrumque propositus, & oblatus euidentissime ostenditur sine vlla determinatione ad vnum, alias cum facit bonum, non posset facere malum; & sic impossibile esset facere illud; imo peccatori actu peccanti impossibile esset mandatum Dei adimplere; quod est contra illud *Deuteronomij* 30. [mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te, neque procul positum, vt possis dicere, quis nostrum valet ad cœlum ascendere vt referat illud ad nos, vt audiamus & opere compleamus,

At quomodo hæc vera erunt, si ad singula opera mandata requiritur quædam impulsio physice prædeterminans diuinitus immissa, quam habere non est in potestate hominis, quæ non datur, nisi certis momentis, pro quibus est à Deo parata? nam supra te est hæc impulsio, id est, non est in tua potestate, tanquam in cœlo posita, neque obtineri à te potest si Deus eam tibi ante præuisionem operum omnium non præparauit, quare etiam supra te est implere quodcunque mandatum, non enim magis potest implere quodvis mandatum sine illo impulsu, seu præmotione quam sine reuelatione prophetare, aut sine dono miraculorum miracula facere; vtrumque enim pendet ex solo decreto Dei, & non est in tua potestate situm; ne ergo hæc sequantur, dicendum est, homines habere solutam, & indifferentem potentiam ad faciendum bonum & malum, vnde Bernardus *tractatu de gratia, & libero arbitrio*, his verbis: *Ecclesiast.* 31. nos hortatur, vt non abutamur libertate arbitrij, quam iam ostenderat necessitatis vinculo esse solutam.

SVBSEC

## SVBSECTIO II.

*Auctoritate Sanctorum Patrum probatur*

124 ET primo Augustinus egregie tuetur hanc veritatem 7. *de ciuit. Dei cap.* 30. ibi [ita Deus administrat res quas condit, vt eas motu suo agere sinat:]& hinc recte colligit ad suauem eius prouidentiam pertinuisse causis indifferentibus concursum etiam indifferentem offerre, & ideo vsus est verbo sinat, quod hoc aperte declarat.

125 Optimum item est August. testimonium *lib.* 3. *de lib. arbit. cap.* 18. ibi: [si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc breuissimum tene, quæcumque ista causa est voluntatis si non potest ei resisti sine peccato ei ceditur, certe si hæc uniuersalis sententia vera est & voluntas Dei ita nos præuenit, vt non possimus ei resistere sine peccato atque adeo sine libertate ei cedimus, quod illud etiam confirmat *lib.* 6. *Geneſis ad litteram*, *cap.* 15. ubi idem Augustinus ait voluntatem Dei esse rerum necessitatem, scilicet quoad agentia naturalia, conguentem autem quoad agentia libera, cui consonat quod scribit *libro de Spiritu, & littera, c.* 31. legimus inquit non est potestas nisi à Deo, non autem legimus non est voluntas nisi à Deo, & recte non scriptum est, quia verum non est idem, 5. *de Ciuitate cap.* 9. & 10. ex qua sententia colligimus in primis si non omnis voluntas est à Deo aliquam voluntatem ab ipso non esse. Deinde inquirimus cur dicatur talem voluntatem non esse à Deo, an quia ad illam non concurrit? non equidem quia cum reale esse habeat, non potest illud habere nisi à Deo. Dicetur fortasse ideo illam voluntatem non esse à Deo quia non compulit, nec præcepit neque ad illam moraliter mouet, vt causa particularis, sed solum cõcursu indifferenti, vt patet ex iis, quæ late diximus in materia de peccatis, in quibus August. ponit exemplum.

126 Sed imprimis licet hoc sit in se verum, non tamen ad mentem Aug. in dictis locis præsertim *de ciuit. Dei*, vbi explicare intendit contra Ciceronem præscientiam Dei non impedire liberam actionem voluntatis, quia licet Deus illa præscientia videat connexionem omnium causarum, tamen in actionibus liberis causa eorum est voluntas libera, quam item Deus videt, & determinationẽ eius & ad hoc propositum ait Deum esse auctorem omnium potestatum, nimirum sola sua efficatia, & virtute: in hoc ergo sensu subdit non esse auctorẽ omnium voluntatum, scilicet sola sua efficacia determinando illas ex vi sui generalis concursus, & ita erit uniuersalis propositio, quæ explicatur in malis actibus, quia in eis notior est ratione suæ deformitatis, propter quã non potest Deus prædeterminare, non tamen quia in eis solis vera sit alio, qui revera non satisfieret difficultati propositæ. Et deinde etiam si admittatur ille sensus, ex illo, à fortiori sequitur Deum voluntate sua non prædeterminare efficaciter nostras voluntates ad actiones malas, & hinc vlterius infertur non esse hoc necessarium ad generalem concursum primæ
127 causæ.

Deinde, quoties Aug. de gratia efficaci loquitur, appellat eam vocationem, suasionem, illuminationem; hæc autem omnia nomina non conueniunt prædeterminationi, quæ est qualitas mortua, & cõvitales, & percipiuntur, sicut vocatio exterior percipitur, & auditur ab eo, qui vocatur sine vlla vi & coactione necessitateque, videatur Aug. *tomo* 4. *lib.* 1. *ad Simplicianum*, *q.* 2. vbi late explicat quomodo hæc gratia sit vocatio, illuminatio, & delectatio, & tandem concludit voluntas ipsa nisi aliquid occurrit, quod delectet atque inuitet animum moueri nullo modo potest; hoc autem vt occurrat non est in hominis potestate, videatur etiam eodẽ modo, *lib.* 83. *quæst. q.* 68. *& l. de Spiritu, & littera c.* 34. *&* 35. *tomo* 3. *item tomo* 7. *lib.* 7. *& l.* 2. *de peccatorum meritis, & remiss. cap.* 27. & passim hanc gratiam, & hoc beneficium constituit in vocatione, quod si vocatio sine prædeterminatione non est efficax, potius debuisset præponderare beneficium prædeterminationis quam vocationis.

Nec satisfacies si dicas prædeterminationem appellari aliquomodo vocationem, nam re vera vocatio de qua loquitur August. est vocatio, quæ sentitur & auditur, vt dicebam, ideo Aug. sæpe eam appellat doctrinam altam, secretam, & suauem, ita loquitur Cherubicus Doctor multis in locis præsertim *libro de gratia Christi c.* 13. *de prædestinatione Sanctorum c.* 16. *t.* 7. & aliis in locis quæ breuitatis gratia prætermitto; quis autẽ dicat prædeterminationem physicam esse doctrinam cũ nõ sit actus intellectus nec percipiatur ab intellectu? 128

Præterea idem Augustinus efficatiam gratiæ in eo constituit quod vocetur homo vocatione congrua, hoc est eo modo, quo scit Deus voluntati congruere vt consentiat, ita explicat late dicto libro ad Simplicianum *q.* 2. *r.* 4. & tandem concludit, his verbis: [cum ergo alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat, quis audeat dicere Deo defuisse modum vocandi, quo etiam Esaü ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret in qua Iob iustificatus est?] quod si efficatia, in prædeterminatione consisteret, non exigeretur; alius & alius modus proponendi obiectum, nam quocumque modo proponeretur, sequeretur consensus si adesset prædeterminatio physica. 129

Tandem August. sæpe fatetur ex duobus hominibus æquali vocatione vocatis & pari tentatione pulsatis alterum stare, alterum cadere, & inquirens rationem *lib.* 22. *de ciuitate Dei, cap.* 6. Respondet non apparere aliam, quam quod alter à castitate voluerit deficere alter noluerit; facilius diceret Aug. quia alter physice prædeterminetur ad castitatem, alter vero non, sed iam non essent æquales in actu secundo, vt supponuntur esse ab Augustino, videatur etiam dicta *quæst.* 2. *ad Simplicianum*, vbi sic ait: [quamuis multi uno modo vocati sunt, tamen quia non omnes eodem modo affecti sunt illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.] Vides vocationem omnino æqualem poni ab Augustino in eo qui respondet, & in eo qui non respondet; quomodo ergo Augustinus latissime de gratia disputans numquam prædeterminationis meminit, certe non aliam ob causam nisi quia iudicabat talem prædeterminationem libertatem funditus creaturæ labefactare. 130

Denique *libro de dogmatibus Ecclesiasticis, cap.* 21. manet itaque inquit ad quærendam salutem arbitrij libertas, id est rationalis voluntas, sed admonente prius Deo, & inuitante ad salutem, vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei, & infra initium: ergo salutis nostræ Deo miserante habemus vt acquiescamus salutiferæ inspirationi nostræ potestatis est. Hic rursus non requiritur aliud quàm 131

admonitio, & inuitatio, vt in nostra sit potestate consentire, nec aliud agnoscitur initium aut gratia operans, quam vocatio qua inuitamur ad salutem.

132 Ad hoc respondent falsum esse id quod dicimus, quia Augustinus præter admonitionem & inuitationem ponit inspirationem per quam intelligit motionem efficaciter determinantem.

133 Sed contra, quia clarum est per inspirationem Augustinum nihil aliud intelligere, quam id quod antea vocauerat admonitionem, & inuitationem, quæ non solum continet cognitionem, sed etiam affectionem voluntatis, inspiratio enim est nomen generale continens cogitationem, & piam affectionem diuinitus immissam, sicut inuitatio, & vocatio, & admonitio & excitatio, hæc enim omnia æquiualent inter se.

134 Eandem sententiam clarissime confirmat Hyeronimus *epistola. 149. ad Damasum*, vbi de filio prodigo ait, hominem ita esse liberum, vt viuat non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo, id est non ex necessitate, sed ex voluntate, vbi notandum est verbum illud, non ex imperio, non enim potest imperium sumi pro lege aut mandato, nam constat hominem ex imperio, & mandato viuentem viuere etiam ex voluntate, & obsequio: ergo quando contraponit Hyeronimus imperium, voluntati, & obsequio, significat per illud motionem quandam necessitatem & physicæ prædeterminantem, eo modo quo dicimus manum moueri ex imperio voluntatis, quo necessitatur, & necessario cogitur manus ad motum, vt ita dicam. Hoc ergo sensu negat Hyeronimus nos ita esse institutos & gubernatos à Deo, vt viuamus ex imperio Dei necessitante nos, quod idem Hyeronimus explicuit clarissime illis verbis, id est non ex necessitate, sed ex voluntate.

135 Quibus consonant etiam verba Dini Dionisij *cap. 9. de cœlesti Hyerarchia*, quæ sic se habent: [ neque enim vita nobis data est cui vis illata sit aut imposita necessitas, neque liberi arbitrij gratia diuinitus indulta mortalibus prouidentiæ diuinæ luce & splendore obtunditur, ] vbi elegantissima vtitur metaphora ad defendenda data nostræ libertatis adhuc mota, & excitata per diuinum auxilium, qua mirabiliter docet per talia auxilia non destrui liberum vsum, & indifferens exercitium voluntatis, ne inquit, intelligatis quando offundimur, & corroboramur splendore Diuinorum auxiliorum, per hanc lucem, & splendorem superiorem ita obtundi, sopiri, & quasi labefactari indifferentiam libertatis, & lucem minorem potestatis indifferentis voluntatis; ita vt ad præsentiam illius superioris lucis non possit fax ardentissima libertatis, & splendidissima radios suorum actuum indifferentium deffundere? non enim ad hoc datur Diuinum auxilium vt obtundat lucem libertatis, sed potius vt confortet illam vt quasi meliorata tale auxilio cooperetur, & sic cooperando libere se exerceat, vt possit tali exercitio libero se disponere ad vitam æternam; similia ferè verba habet *libro de diuinis nominibus, capite 4. ad finem.*

136 Sed clarius omnibus Damascenus, *lib. 2. de fide, capit. 29.* ] quæ in potestate nostra inquit sita sunt non prouidentiæ, sed libero nostro arbitrio assignari debent; ] vbi prouidentiæ nomen sumi necessario debet pro absoluta prædeteminatione Dei ad vnum determinante, & cogente, aut pro decreto ita prædefiniente vt tollat omnem indifferentiam ad vtrum libet ex vi mediorum quibus vtitur, & quæ applicat voluntati, vt talis prædefinitio opere compleatur, & executioni mandetur, & ideo subdit *cap. 30.* illud scire interest Dei omnia quidem præscire, sed non omnia prædefinire, præscit enim ea etiam quæ in nostra potestate, & arbitrio sita sunt; at non item ea prædefinit necessario, neque enim vitium admitti vult, neque etiam virtuti vim affert ac si dicat, si Deus prædefiniret necessitando per physicam prædeterminationem, tũ ad peccata tũ ad virtutes peccata Deo attribuerentur, & illa admitteret ac proinde non deberet punire illa, quia ad ea necessitaret creaturas, & virtuti vim inferret, ac proinde non esset meritoria virtus; siquidem non esset libera, ratione cuius non daretur præmium virtuti.

Eandem veritatem significauerat *lib. 1. cap. 18.* 137
quibus consentit Diuus Gregorius Nizenus *lib. 7. de Philosophia cap. 1. & lib. 8. cap. 4. & vltimo, & lib. de natura hominis, à cap. 39. vsque ad 44.* Sic etiam Iustinus *q. 8. ad orto.* Chrysostomus, *Homil. 12. ad Hebræos*, in parte morali, omnia inquit Dei sunt; sed non ita vt nostrum lædatur arbitrium, vbi non excludit gratiam excitantem, & incoantem in nobis opera supernaturalia: excludit ergo antecedentem prædeterminationem, quæ nostrum læderet arbitrium, similia sumi possunt ex eodem. *Homilia 17. in Ioannem, & 42. ad populum, & Homilia 60. ad populum.* & Cyrillus optime *lib. 9. in Ioannem c. 10.* & Gregorius *lib. 20. moraliũ cap. 24.*

## SVBSECTIO VIII.

### *Authoritate D. Thomæ probatur nostræ conclusio.*

VEnio ad Angelicum Doctorem Diuum Tho- 138
mam aduersariorum principem, & auctorem, quem maximopere miror, Thomistas non fateri esse ipsis omnino contrarium, cum nunquam hanc physicam prædeterminationẽ docuerit læpissime, autem eius oppositum asserat, insinuabimus breuiter aliqua eius loca, quibus ex diametro opponuntur hodie Thomistæ.

Nam imprimis sanctus Doctor *3. part. q. 69. art. 8.* 139
*ad secundum*; sic ait, etiamsi æqualem gratiam duo percipiant non æqualiter ea vtuntur, sed vnus studiosus in ea proficit, alter per negligentiam gratiæ Dei deest; hæc Sanctus Thomas ait, cui videntur manifeste aduersari Thomistæ dum dicunt ex duobus habentibus æqualem gratiam, non melius operari vnum quam alium.

Secundo Sanctus Thomas, *1. 2. quæst. 9. art. 6. ad* 140
*3.* sic ait: Deus mouet voluntatem hominis sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc quod est vere bonum, vel apparens bonum: sed interdum Deus mouet aliquos ad aliquid determinate volendum, sicut in his quos mouet per gratiam; hæc ille, in quibus aperte docet Deum non mouere tam determinate ad alia obiecta volenda, sicut ad opera pietatis, Thomistæ vero ècontra docent Deum æquali prædeterminatione physica prædeterminare ad omnem actum voluntatis humanæ siue boni sint, siue non sint.

Tertio Sanctus Thomas *in 2. dist. 25. q. 1. art. 1.* 141
*ad tertium*, docet ita Deum agere cum libero arbitrio, vt determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constituatur, quod etiam docet *quæst. 3. de potentia, art. 7. ad 13.*

Thomistæ vero dicunt Deum ita cognoscere de 142
terminationem operationis ex vi suæ præfinitionis, vt

vt non relinquat causæ liberæ indeterminationem ad eandem actionem, verba sunt magistri Nauarrete *t. 2. controuersiar. 23. §. 1.*

143 Quarto Sanctus Thomas in eodem articulo docet liberum arbitrium non reperiri in his, quorum actiones determinantur à quibusdam aliis causis prioribus; item ideo in Deo saluari liberum arbitrium & verum dominium sui actus, quia determinatio sui actus non est sibi ab alio, sed à seipso, idem docet 2. *Physicorum lect. 15.* Vbi dicit necessitatem quæ pendet, vel prouenit ex causa antecedenti esse necessitatem absolute, Thomistæ vero dicunt nostram voluntatem esse liberam, licet determinatio sui actus proueniat ab aliqua causa priori, qualis est prædeterminatio physica à Deo.

144 Quinto S. Thomas docet gratiam licet inclinet subiectum in Deum, non tamen imponere ei necessitatem, quia subiectum potest ea gratia non vti, alioqui necessitaret talis gratia; ita D. Thom. 1. *part. q. 26. art. 3. ad 2.*

145 Thomistæ vero è contra docent prædeterminationem non necessitare ad actum, licet non se habeat, sicut habitus quibus possumus vti & non vti: sed sit talis naturæ, vt semel posita non dependeat à voluntate quod operetur vel non operetur verba sunt Nauarrete *Tomo 2. controuersiarum controv. 24. §. 3.*

146 Sexto S. Thomas docet, ideo nobis esse liberum arbitrium, quia omnes qualitates subiacent arbitrio in quantum est in nobis, eas adquirere vel à nobis excludere, alioquin non maneret libertas, ita docet 1. *part. quæst. 83. art. 1. ad vltim. & q. 6. de malo art. vnico.*

147 Thomistæ vero è contra docent, non sibi subjicere qualitatem auxilii, sed potius è contra auxilium sibi subiicere voluntatem; ita Nauarrete passim dicto *tom. 2. præsertim controu. 9. §. 2. controuersia 19. §. 1. & cont. 21. §. 9.* & cæteri Thomistæ, quibus commune axioma est voluntatem subdi auxilio, non vero auxilium subdi nostræ voluntati in operando.

148 Septimo, Diuus Thomas affirmat causam illam quæ facit voluntatem velle posse à voluntate impediri, quod si impediri non possit necessitare voluntatem, ita docet *q. 6. de malo art. vnico ad 15.*

149 Thomistæ vero dicunt prædeterminationem non posse impediri à voluntate humana quominus effectum consequatur, ita Navarrete, ubi supra *controv. §. 6. col. 2* & Bañez 1. *part. q. 23. art. 5. ad 7. argum. Iabelli* &c. Tamen docent hoc non opponi cum libertate arbitrij, quod vtrumque est contra S. Thomam, qui etiam *quod libet. 1. art. 7. ad 2. arg.* docet aperte Deum ita movere humanam mentem, vt possit huic motioni resistere, Bañez autem è contra docet ita efficacitem moueri, ut ei resisti non possit sic 1. *part. art. 17.* & alibi sæpe.

150 Octauo docet S. Thom. concursum causæ primæ specificari, & determinari per concursum causæ secundæ, ita docet *q. 1. de potentia 1. parte & 3. contra gentes, & cap. 66. art. 5.*

151 Thomistæ vero dicunt concursum causæ primæ non modificari nec determinari per concursum causæ secundæ, quia hæc esset maxima imperfectio in causa prima, ita Bañez 1. *part. q. 109. art. 8.* & Navarrete *controv. 16. conclus. 5.* vbi appellat Chimericum oppositum.

152 Nono S. Thom. docet effectus contingentes non posse cognosci certo in suis causis, sed solùm coniecturaliter, ita docet. 1. *part. q. 14. art. 13.*

153 Thomistæ vero inter causas nostræ operationis liberæ ponunt prædeterminationem physicam, in qua certo & infallibiliter cognoscitur effectus futurus.

154 Denique S. Thom. *lect. 5. super caput. 6. Ioann. in illa verba*: omnis qui audiuit, &c. explicans gratiæ efficaciam ponit illam in congruitate, & non in determinatione physica, modum inquit attrahendi est congruus, quia trahit reuelando, & docendo, cur non dixit prædeterminando, sane dubio quia abhorruit D. Thom. talem physicam prædeterminationem, quæ omnia satis aperte patent ex iis quæ ipse Angelicus Doctor *q. 22. de veritate, art. 5. & 6.* docens necessitatem ac determinationem ad unum repugnare voluntati ut voluntas & ut rationalis est, additque voluntatis propriam vim esse, ut dominetur suorum actuum, & se ipsam determinet quo voluerit, sine eo quod ab alio determinetur ad unum, quia si determinetur ab aliquo extrinseco ad vnum non operabitur libere; sed necessario, & sic *in corpore articuli sexti*: hæc herba formalia ponit [ex hoc dicitur aliquid esse necessarium, quod est immutabiliter determinatum ad vnum.] Vnde hanc determinationem omnino reiicit à voluntate, asserens illam esse indeterminatam triplici indeterminatione: prima est posse velle vel non velle; secunda posse velle hoc obiectum, vel illud obiectum: tertia posse velle bonum, vel malum, quarum vltima solum modo in via reperitur: ergo ex sententia D. Thomæ nullomodo determinata est voluntas ab alio extrinseco per physicam prædeterminationem; siquidem quando operatur voluntas omnimodo est indeterminata, videlicet indeterminatione contradictionis & contrarietatis; omnis enim indeterminatio his duabus concluditur: atqui si aliquomodo esset determinata vereficarentur duæ contradictoriæ, videlicet quod nullo modo esset determinata & aliquomodo esset determinata, quod non debet concedi: ergo nullo modo physice prædeterminatur à Deo; soluens autem D. Thomas quasi propheticæ difficultates Thomistarum (quibus nunc moti sunt ad introducendam physicam prædeterminationem, videlicet quod potentia indeterminata non potest se ipsam determinare) docet dari duplicem indeterminationem, aliam indigentiæ & necessitatis, aliam dominij & perfectionis; secundum primam asserit D. Thomas non posse potentiam indeterminatam se determinare ad unum, nisi ante prædeterminetur ab alio, quia huiusmodi indeterminata potentia, quia ex indigentia est talis, indiget aliquo à quo reducatur ab indifferentia ad determinationem, ut videre est in potentia visiua respectu speciei impressæ, & in materia prima respectu formarum.

Si autem aliqua potentia ait D. Thom. fuerit indifferens, & indeterminata, ratione dominij, quod habet circa suas operationes, à seipsa potest determinari, quia est domina suarum operationum; vnde *articulo 5. in solutione* 5. dicit ratione huius dominij posse se reducere ad determinatam operationem, ac proinde non indigere alio prædeterminante, ibi: [voluntas in quantum est rationis ad opposita se habet, hoc enim est considerare ipsam secundum hoc, quod est ei proprium, hoc est proprium voluntatis, in quantum voluntas quod sit domina suorum actuum,] & addit *art. 9. ad 1.* [voluntas potest seipsam immutare respectu aliquorum directe, cum sit, domina suorum actuum,] & sic D. v. Thom. ponit discrimen inter potentiam loco- 155

motivam, & voluntatem, in hoc quod potentia loco motiva, non potest se determinare ad vnum, nisi ante determinetur à voluntate, quia est indeterminata indifferentia indigentiæ & necessitatis seu imperfectionis, cum voluntas non habeat talem determinationem, sed potius indeterminationem dominij & perfectionis; verbaet presse D. Thom. sic se habent, *quæst. 6. de malo, à medio corporis*: [hoc modo voluntas mouet se ipsam, & omnes alias potentias, intelligo enim quia volo; sic ergo ad ostendẽdũ, quoḋ voluntas non ex necessitate mouetur, oportet considerare motum voluntatis, & quantum ad exercitium actus, & quantum ad determinationem actus, qui est ex obiecto; quantum ergo ad exercitium actus primo quidem manifestum est quod voluntas movetur à se ipsa, sicut enim mouet alias potentias, ita & se ipsam mouet.] Quid clarius & evidentius, exemplum habemus in voluntate divina, quæ licet indifferens & indeterminata sit, nihilominus potest se determinare quia talis indifferentia non est indigentiæ & necessitatis, sed dominij & libertatis: si ergo voluntas non indifferentia necessitatis & indigentiæ, sicut potentia manus, sed indifferentia libertatis & dominij gaudet, bene poterit se mouere & determinare sine aliquo prædeterminante extrinseco, ac per consequens poterit determinare & mouere reliquas potentias, quæ quia ex imperfectione indeterminatæ sunt, indigent prævio prædeterminante, & ideo concludit D. Th. ] sicut enim mouet alias potentias, & se ipsam mouet.

156 Occludere autem volens aditum argumento cuidam nobis à Thomistis nunc obiecto, quod ex tunc consequutus est parens Thomistarum D. Th. sic ait: [ nec propter hoc sequitur quod voluntas secundum idem sit in potentia, & in actu; sicut enim homo secundum intellectum in via inventionis mouet se ipsum ad scientiam in quantum ex vno noto in actu venit in aliquid ignotum, quod erat solum in potentia notum, ita per hoc quod homo aliquid vult in actu, mouet se ad volendum aliquid aliud in actu, sicut per hoc quod vult sanitatem mouet se ad volendum sumere potionem. ] Ecce quomodo D. Thomas ita veritatem nostram tuetur, vt defendat illam à calumnijs aduersariorum, quod idem confirmat toto sequenti contextu.

157 Præcipue vero demonstrat *in eo articulo* voluntatem nostram à Deo moueri tanquam à primo principio per instinctum movente ad primam volitionem sed non determinante ad vnum; sed relicta indifferentia voluntatis vt ipsa se moueat & reducat de potentia ad actum circa ea quæ sunt ad finem, cum potestate agendi & non agendi, eligendi aut refutandi: notanda sunt illa verba solutionis; ad tertium [Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diuersa, non inducitur necessitas, sed manet libertas.] Obserua diuina motione non induci necessitatem; vnde probatur necessitatem nullã esse in sensu composito cum diuina motione, nam si divina motio induceret necessitatem illa foret in sensu composito cum inducente; hanc autem necessitatem opponit indifferentiæ conuertitque cum determinatione ad vnum; vnde si ex aliqua motione diuina sequitur determinatio ad vnum in voluntate sequetur in sententia D. Thom. necessitas opposita indifferentiæ, vt patet ex illis verbis *de potentia qu. 1. art. 3.* [potest enim agere & non agere sic, vel sic facere velle, vel non velle, voluntas in quantum voluntas est cum sit libera ad vtrumlibet se habet, & si respectu alicuius voluntas sit determinata, hoc non est inquantum voluntas, sed ex inclinatione naturali quam habet ad finem vltimum quem non potest non velle. ]

Ecce quomodo D. Thom. docet tunc esse liberam voluntatem quando habet indifferentiam ad vtrumlibet, & tunc esse necessitatem & non esse liberam quando est determinata ad vnum, quapropter docens voluntatem esse liberam adhuc in sensu composito, cum motione diuina docet ex vi talis motionis non determinari voluntatem ad vnum, sed potius ita moueri à Deo vt supposita tali motione possit voluntas operari & non operari & resistere tali motioni non obediendo illi: formalissima verba D. Th. *quodlibeto 1. art. 7. ad 1.* hæc sunt: [ Deus movet omnia secundum modum eorum, & ideo diuina motio à quibusdam participatur cum necessitate vel determinatione, à natura autem rationali cum libertate propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita, & ideo sic Deus mouet mentem humanam ad bonum quod tamen potest huic motioni resistere. ] Vbi duo docet in sensu nimirum composito, cum tali modo movendi posse resistere voluntatem. Deinde hanc potestatem resistendi requirit vt seruetur libera indifferentia ad opposita.

Sed ex vera physica prædeterminatione ita determinata manet voluntas, vt nec possit resistere tali motioni, nec relinquatur illi indifferentia ad vtrumlibet: sed posita illa necessario voluntas operatur, quia non potest ex suppositione illius voluntas non operari id ad quod mouetur: ergo illa physica prædeterminatio tollit indifferentiam libertatis, & inducit necessitatem in tali voluntate secundum verba, & mentem D. Thomæ: ergo ex D. Thoma non est admittenda talis physica prædeterminatio, vnde *quæst. 24. de veritate* his verbis destruit illã: [ non oportet quod mentes humanæ sint determinatæ ad effectus, licet respectu eorum efficaciam habeant, ratione cuius conuenit eis libertas ]; vnde toto *art. 1. & sequenti* docet hanc libertatem hominis consistere in eo quod homo se ipsum moueat, non ex necessitate, aut determinatione sed cum potestate indifferenti ad agendum, & non agendum, ita vt ipse sibi principium sit, & causa sui motus, & non sit determinatio ad vnum, ratione dominij, quod habet circa suas actiones, quod his aureis verbis docet *prima parte, quæst. 19. art. 12. ad tertium* [creatura rationalis est domina sui actus, & ideo circa ipsam specialia quædam signa diuinæ voluntatis assignantur, in quantum creaturam rationalem Deus ordinat ad essendum per se: sed aliæ creaturæ non agunt nisi motum ex operatione diuina]: ergo ex dominio voluntatis supra suũ actum recte colligitur, quod agit aliquid ad quod non mouetur ex operatione diuinæ, alioqui foret sicut aliæ creaturæ, quæ non agunt nisi motæ ex operatione diuina, & ideo *articulo. 1.* contã concludit: [ ad opposita se habet in quantum velle potest hoc esse vel non esse, sicut & nos non peccando possumus velle sedere & non velle sedere] sed clarius *1. 2. art. 3. in corpore* hoc docet ibi: [ad hoc quod agens determinatum effectum producat, necesse est quod determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis. Hæc autem determinatio sicut in rationali natura per rationem fit appetitũ, qui dicitur voluntas; ita in aliis fit

158

sit per inclinationē naturalem, quæ dicitur appetitus naturalis; tamen considerandum est quod aliquid sua actione vel motum tendit in finem dupliciter. Vno modo, sicut se ipsum ad finem movens, vt homo: illa ergo quæ rationem habent se ipsa mouent in finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium]: ergo motio, & determinatio ad determinatum effectum est à libero arbitrio.

159 Præterea 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 3. *ad primum*, docet quod voluntas per hoc quod vult finem, mouet se ad volendum ea, quæ sunt ad finem, *& insequenti art.* 4. expresse definit, quod indiget motione exterioris mouentis scilicet, Dei, solum modo ad primam volitionem finis; cæterum ad sequentes volitiones non indiget, sed ipsa seipsam movet, & alias non esset libera.

160 *In eadem quæstione 9. art. 6. fine*, ait: [Deus movet voluntatem hominis, sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum; & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem se determinat ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum]: ergo Dei non est determinare hominem ad volendum, quod est vere bonum vel apparens bonum: rursus velle illud quod est vere bonum, est elicere volitionem honestam, & velle illud, quod est apparens bonum, est elicere volitionem turpem: ergo Deus non determinat, sed homo per rationem se determinat ad eliciendam volitionem honestam, vel volitionem turpem, quia si Deus determinaret non relinqueret indifferentem, ac proinde necessitaret voluntatem, & tolleret libertatem illius, vt docet ipse Angelicus doctor *eadem* 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 4. *corpore* ibi: [quia voluntas est principium non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus eam movet, quod non ad vnum determinat, & ideo non ex necessitate mouet, sed manet eius motus contingens & non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter mouetur.] Ecce quomodo Diuus Thomas docet Deum ita mouere voluntatem ad vnum, vt relinquat eam indifferentem ad vtrumlibet, & tribuit rationem, quia si determinaret ad vnum necessitaret talem voluntatem & sic tolleret libertatem illius.

161 Sed per vos quando Deus mouet auxilio efficaci, quia tale auxilium est physica prædeterminatio determinat ad vnum, ita vt in sensu compositio motionis cum voluntate non possit voluntas non operari id ad quod mouetur: ergo vestra physica prædeterminatio necessitat voluntatem, ac per consequens tollit libertatem illius, quod est contra Diuum Thomam; vnde ipse *tertio contra Gentes. cap.* 73. *ratione* 1. dicit [alia agentia secundum suam naturam esse determinata ad vnum; sed voluntatis virtutem non esse limitatam, & determinatam ad vnum, sed habere in potestate hunc effectum vel illum propter quod est contingens ad vtrumlibet.] Vnde infert ad Dei prouidentiam pertinere conseruare, & tueri hanc indifferentiam voluntatis, etiam si efficaciter moueat ad quodcumque opus, etiam supernaturale, vt mereatur per illud; vnde *cap.* 112. *ratione* 2. ait: [quod dominium sui actus habet liberum est in agendo: liber enim est, qui sui causa est. Quod autem quadam necessitate ab alio agitur, & determinatur ad operandum seruituti subiectum est; omnis autem alia creatura naturaliter seruituti subiecta est, sola vero natura intellectualis libera est.]

Vnde sic argumentor, creaturæ rationales non aguntur ab alio nisi à prima causa, Deo nimirum primo movente: ergo ab hoc vt sic non determinantur ad vnum creaturæ rationales ne ex necessitate quadam moueantur à Deo (quia Diuus Thomas pro sinonymis reputat determinare ad vnum, & necessitare ad vnum), & auferatur ab eis libertas, sed ex vi physicæ prædeterminationis ita mouentur vt determinentur ad vnum, (quia à determinatione determinatum aliquid dicitur sicut ab actioni actum, & ab albedine album:) ergo creatura quæ sic mouetur necessitatur, & priuatur libertate, quod est contra fidem nostram; vnde talis physica prædeterminatio omnino reijcienda est, & ponenda loco illius motio quædam, cum qua ita cooperetur voluntas, vt possit non operari, ac proinde resistere tali motioni conservando propriam indifferentiam libertatis, quam habet voluntas creata vt aperte decernit Concilium Tridentinum *sessione de iustificatione, Canone* 4. ibi: [Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere mereque passiue se habere anathema sit.]

In quo Canone loquitur Concilium de auxilio efficaci, & non solum de sufficienti, quia cum illo auxilio decernit voluntatem efficere, & cooperari; sed cum auxilio solum sufficienti, & non efficaci non efficit, & cooperatur voluntas licet possit efficere & cooperari (nam auxilium efficax in hoc distinguitur à sufficienti, quod auxilium efficax ita moueat voluntatem, vt non solum sit potens, & sufficiens ad operandum, sed etiam operetur, & efficiat, quia ab efficiendo efficax dicitur, sufficiens autem solum licet sufficiat non ita mouet, vt efficiat voluntas cum illo effectum cooperando actualiter tali auxilio moventi): ergo tale auxilium de quo loquitur Concilium non est solum sufficiens, sed etiam efficax: maior patet ex illis verbis, *si quis dixerit*, vsque ad illa *atque vocanti*: minor ex terminis patet, quam vt à me profertur ab aduersarijs admittitur. 162

Deinde loquitur Concilium de auxilio supernaturali, vt patet ex illis verbis [quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet], quia per solum auxilium supernaturale potest voluntas se disponere, ac præparare ad obtinendam iustificationis gratiam, vt ipsum Concilium decernit, & contra Pelagiū à multis Concilijs decretum est, & definitum, loquendo itaque de auxilio supernaturali efficaci decernit sancta Synodus Tridentina ita movere voluntatem, vt non determinet iliam ad cooperandum, & assentiendum adhuc in sensu compositio, vt patet ex illis verbis Deo excitanti atque vocanti, sed potius ita idifferentem relinquendo illam sic motam, & excitatam, vt possit dissentire cui assentit, & non cooperari cui cooperatur, vt patet ex illis verbis, neque posse dissentire si velit, quod ante docuerat ipsum Concilium decernens posse voluntatem motam, & excitatam à Deo efficaciter abijcere talem vocationem, & motionem de quo supra late, sed per vos vestra physica prædeterminatio ita mouet ac determinat voluntatem ad assentiendum & cooperandum, vt in sensu compositio talis motionis non possit voluntas dissentire & abijcere talem prædeterminationem, ac per consequens non possit non cooperari, & assentire: ergo vestra physica prædeterminatio ex diametro opponitur Concilio Tridentino, & Diuo Thomæ, cuius pene verba formalia transcripsit Concilium

Tridentinum.

Tridentinum, ad tuendam nostram libertatem, & dominium quo gaudemus circa nostras operationes etiam quando actu mouemur à Deo efficaciter, vt per operationem ad quam movemur mereamur, alias non mereremur si ita moueremur, vt prædeterminaremur ad unum, & sic Divus Thomas *in 2. senten. dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad 3.* inquit: [in libero arbitrio hoc modo agit Deus, vt virtutem agendi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat, sed tamen ita mouetur à Deo, vt determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constituatur; vnde remanet sibi dominium sui actus.]

Quod dominium docuerat Angelicus Doctor consistere in hoc, vt possit voluntas velle, & non velle resistere, & non resistere motioni; verba eius *quæst. 9. de potentia, art. 1. ad 3.* hæc sunt: [solæ substantiæ rationales habent dominium sui actus, itaque in ipsis est agere, & non agere;] *& quodlibeto 1. art. 7. ad 2.* hæc verba profert: [& ideo diuina motio à quibusdam participatur cum necessitate, à natura autem rationali cum libertate propter hoc, quod virtualis se habet ad oppositа, & ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.] Quid darius poterat loqui Divus Thomas vt directe huic opinioni potius antithomistarum quam Thomistarum se opponeret, neque locus ille quo se protegunt adversarij ad tuendam suam physicam prædeterminationem, sumptus ex comentario ad Dyonisium *de divinis nominibus cap. 5. sect. 3.* alicuius momenti est verbam Diui Thomæ hæc sunt: [& huiusmodi ratione sacra Scriptura vocat præfinitiones, seu prædeterminationes: quæ quidem prædeterminationes, seu voluntates sunt distinctiuæ entium, & effectiuæ ipsorum: quia & huiusmodi rationes super substantialis Dei esse prædeterminauit omnia, quæ produxit.] neque ille ex *prima parte quæst. 25. art. 3. ad 1.* aliquid illis favet vbi sic ait Angelicus Doctor [fieri non posse vt Deus aliqua faciat quæ non præsciunt & præordinaverit se facturum, quia ipsum facere subiiacet præscientiæ, & præordinationi Dei.]

163 Hæc inquam nullius momenti sunt, vt faueant aduersariis, primo quia vt bene nota. II. Ruit, quoties Diuus Thomas nomina prædefinitionis, prædestinationis, præordinationis, & prædeterminationis extendit ad liberos actus voluntatis humanæ non includit, sed potius excludit tale causalitatis genus, quæ rebus imponat antecedentem illationis necessitatem, sed includit formalem rationem præscientiæ atque decreti, ex qua derivetur necessitas consequens seu infallibilitas præsupponens actualem libertatis vsum, saltem conditionaliter præcognitum, alioqui sanctum Thomam refutare frequenter necessitatem antecedentem constat ex locis pro nobis adductis ad probandam nostram conditionem.

164 Sed contrariæ sententiæ Doctore hanc solutionē redarguunt primo, dicentes, huiusmodi prædeterminationem, quæ à nobis conceditur non esse absolutè prædeterminationem, seu prædefinitionem, sed esse conditionalem, & valde imperfectam. Respondemus, negando antecedens: quamuis enim præsupponatur præscientia liberæ actionis, vt conditionaliter futuræ; nihilominus ea scientia præsuppositа, prædefinitur actio, vt sit absolutè, & non conditionaliter futura, nullaque conditio apponitur huiusmodi prædefinitioni, sed præsupponitur prius iam cognitua. Quemadmodum inter homines, qui certo scit frumentum sibi esse vendendum à vectoribus, si tot argenteos in pretium offerat absolutum, & non conditionatum decretum habere potest emendi prædictum frumentum.

Redarguunt secundo, quia hæc quæ nobis 165
conceditur non est prædeterminatio, seu prædefinitio, sed potius post determinatio, & post definitio. Respondeo id non esse verum, quia non solum tempore, sed etiam causalitate prædefinitio diuina præcedit absolutam existentiam actus liberi, licet non præcedat conditionalem illius præcognitionem, de quo late egit. *tractatu de prædestinatione.*

Vnde ad lucum primum D. Thomæ, Respon- 166
tur constare non solum auctoris, sed etiam expositoris scopum esse, quod Deus non solum producit res secundum communem rationem entis, sed etiam secundum propriam uniuscuiusque rationem atque naturam, ideoque rerum omnium secundum peculiares sibi naturas atque rationes, certa & determinata exemplaria sunt in mente diuina, iuxta quæ producit ad extra propriam vniuscuiusque rei quidditatem atque rationem, quando vult. Sed vtrum actiones liberas in particulari producere velit dependenter, à præcognitio nostræ liberratis vsu, saltem conditionaliter futuro, & vtrum hæc voluntas solam consequentem necessitatem, vel potius antecedentem afferat, nec Diuus Dionysius nec sanctus Thomas ibi tractat, neque ad rem erat tractare ut constabit legenti contextum.

Miror etiam in prædicto testimonio scribi 167
[prædeterminationes] quod nomen non inuenio in correctioribus codicibus, quos legerem: neque probatur ex testimonio scripturæ, quod protinus subiicit sanctus Thomas ad probandas appellationes, quas præmisit videlicet *Rom. 8.* [quos prædestinauit hos & vocauit;] vnde tamen recte probatur prædestinationis appellatio.

Neque obstat prædeterminandi verbum, quod 168
postea subiicitur à Diuo Thoma. Nam illud refertur ad rationes rerum, siue exemplaria, quæ supersubstantialis Dei esse prædeterminauit. Nec dubium quin naturaliter, & absque vlla prorsus libertate fuerit hæc prædeterminatio, sicut & tota scientia simplicis intelligentiæ.

Similiter respondetur ad locum adductum ex 169
prima parte, vbi sanctus Thomas solummodo asserit Deum præsciuisse atque præordinasse suam ipsius Dei operationem. Sed quo discrimine præsciat, atque præordinet suam operationem concurrendi cum causa naturali, aut cum causa libera; & vtrum hanc præordinet dependenter à præscientia libere applicationis nostræ, saltem conditionaliter futuræ, Divus Thomas ibi: neque attingit neque argumentum, quod soluebat postulabat attingi. Illud enim satis erat, Deum præsciuisse, præordinasse, ac voluisse rem quamlibet facere eomodo quo de facto eam facit. Vnde effectus à solo Deo vel per naturales, & necessarias causas producendos Deus præordinauit, & voluit facere determinando ad illud per necessitatem antecedentem: è contra vero effectus liberos præordinauit facere non determinando ad illos per antecedentem necessitatem, sed relinquendo arbitrium in manu bonsilii sui dataque potestate, vt seipsam determiner.

Alium locum nobis opponunt sumptum *expri-* 170
*ma parte quæst. 103. art. 1. ad 3.* ibi: [hoc ipsum quod causæ secundæ determinatur ad determinatos effectus, est illis à Deo.] Respondetur facile,

à

à Deo tribuitur causis naturalibus, quod determinentur ad determinatos effectus, quatenus illis confert potentias necessario determinatas ad vnum & omnia, quæ requiruntur ad operationem. Sed longe aliter causis liberis Deus tribuit, vt seipsas determinent ad determinatos effectus tribuendo potentias intellectus, & voluntatis, & totam collectionem motiuorum, causarum, & circunstantiarum, quæ ad libere operandum requiruntur: minime vero conferendo, sed potius substrahendo physicam prædeterminationem, vt patet ex loco supra adducto *ex quodlibeto 1. art. 7. ad 2* ibi: Deus, vsque ad illa verba, resistere quæ solutio amplius confirmatur ex alia obiectione, quam nobis opponunt, videlicet à Diuo Thoma, etiam operationes liberas in Deum, sicut in causam reduci; ex hac enim obiectione, vt dixi, confirmatur solutio dicta, quia ipse Angelicus Doctor suam mentem circa hoc negotium manifestauit aperte *in 2. dist. 37. q. 1. art. 1. ad 5. argumentum*, quod probare intendebat non esse reducendas ad Deũ operationes agentium, quæ per se agunt, quoniam habent dominium suarum operationum, cui Sanctus Thomas respondet eis verbis: operatio illius agentis, qui per se agit oportet quòd in primum agens, sicut in causam reducatur. Quamuis enim huiusmodi entia per se agãt, quia per propriam naturam, & proprium iudicium actus suos determinant, non tamen à se habent quod agant, sed à primo agente, quod eis esse, & posse & agere confert. Nota simul verificari hæc duo, & alterum alteri non repugnare, videlicet, agentia libera determinant suos actus per propriũ iudicium; & nihilominus Deus illis non solùm esse, & posse, sed etiam ipsum agere conferet.

## SVBSECTIO XI.

### *Scripturæ sacræ testimoniis refellitur physica prædeterminatio.*

171 PRimus locus est *Ecclesiast. 15.* ibi: Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adjecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata seruare conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quos volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi.] Quod testimonium merito Diuus Augustinus *lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 2.* allegans ait: [Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.] In quo scriptura sacra liquidissime, & manifestissime viuis coloribus depingit humanæ libertatis indifferentiam solutam quocumque vinculo prædeterminationis ad vnum. Vnde Cyrillus Alexandrinus ad confirmandam libertatis indifferentiam solutam omni determinatione, & S. Thomas *de malo quæst. 6. quæ est de electione humana, art. 1.* in sed contra ex hoc loco infert hominem habere liberam electionem, ita vt eius voluntas se habeat ad oppositа, & non ex determinatione moueatur ad vnum, & sit Dominus sui actus, ita vt in ipso sit agere, & non agere omnia, sunt verba S. Thomæ; quod ex ipso contextu verborum patet manifeste, & primum illa, reliquit illum in manu consilij sui, clare denotant indifferentiam necessitate atque determinatione solutã secundum illa verba *Eccl. 33.* [quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud, & disponere: omnes viæ eius secundum dispositionem eius sic homo in manu illius, qui se fecit.] *Psalmo 30.* [in manibus tuis sortes meæ.] Gabaonitæ sua iam fraude retecta, Iosue potestati & arbitrio se totos committunt illis verbis: [in manu tua sumus, quod bonum tibi, & rectum videtur fac nobis;] & clarius constat conferendo illa duo testimonia, quæ idem prorsus significant *Ioann. 13.* [omnia dedit ei Pater in manus;] & *Matthæi 28.* [data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.]

Huius argumenti robur, & efficacia conspicua 172
cernitur *Iob. cap. 1.* vbi Dominus ad Satan: [Ecce (inquit) vniuersa, quæ habet in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum] & *cap. 2.* [Ecce in manu tua est, verum tamen animam illius serua.] Quæ verba explicans Sanctus Philastrius ait Dæmonis libertati permisit omnia bona Iob.

Sed notandæ sunt exceptiones vt firment regu- 173
lam in contrarium. Prius enim solummodo res externæ, & non ipsa Iobi persona; postea vero ipsius persona, & non anima relicta sunt in manu Satanæ, ex quibus sic argumentor. Satan multo magis appetebat potestatem in animam, quam in corpus & multo magis in corpus, quam in diuitias. Insuper idem inimicus retinebat adhuc liberum, & radicale arbitrium quidditatiue sui Dominum. Cæterum, quia impediebatur à Deo ne auderet efficeretque aliquid mali nisi quando, & quo vsque, & quibus in rebus Deus permitteret, ideo non erant in manu Satan omnia quæ habebat Iob, neque corpus Iob quousque Deus permittendo rupit vincula, quibus detinebatur: ergo esse in manu alicuius significat non solum radicalem potestatem voluntatis, & propensionem spontaneam, sed etiam solutam esse vinculis necessitatis, & determinationis ad vnum, ac proinde positis omnibus requisitis ad operandum esse indifferentem ad vtrumlibet, quas conditiones significauit Ecclesiasticus quando dixit: [reliquit illum in manu consilij sui.] Vnde Auctor Hypog. apud Augustinum *lib. 3. propt. initium*, exponens prædictum testimonium ait: [quid est autem reliquit illum in manu consilii sui: nisi dimisit illum in possibilitate liberi arbitrij sui: in manu enim possibilitas intelligitur. quapropter Anastasius Episcopus Nicænus *quæstionibus in scripturam, quæst. 16. prope medium* ait: [Est in nostra potestate, & libero nostro arbitrio salus nostra, & interitus, vt scriptum est; Deus ab initio fecit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui: & ante hominem vita, & mors, quod ei visum fuerit dabitur ei.] Præpositio enim *in* maxime significat potestatem indifferentem solutam ab omni determinatione vt operetur, & non operetur, veluti quãdo dicimus quod in nobis est quantum in te est, &c. quam significationem probat non solum vulgaris sermo, sed maxime philosophorum, sanctorum Patrum, imo etiam scripturæ sacræ loquendi modus vt Iob *cap. 6.* non est auxilium mihi in me. *Rom. 1.* quod in me promptum est, &c. Damascenus *lib. 1. de fide cap. 26.* definit: in nobis sunt ea, quorum sumus liberam adepti potestatem, & facere, & non facere. Quod idem constat ex Aristotele *lib. 3. Ethicor. cap. 5.* & aliis multis locis, & S. Thom. *lib. 2. sent. distinct. 38. q. vnica, articul. 4. fin.* & Nemesio *de natura hominis, cap. 32. & 40.* aliisque Patribus.

Itaque in hoc loco scriptura sacra docet per illa 174
verba hominẽ habere libertatem, & indifferentiam ad vtrumlibet, eo quod habeat potestatem expeditam ab omni determinatione ad vnum, &

dominium, ita solutum ab omni determinante ad vnum, vt posito quocumque requisito ad operandum possit agere sed vestra physica prædeterminatio, ita determinat voluntatem ad vnum, vt non sit in potestate eius facere, & non facere, sed potius supposita tali determinatione necessario debet operari id ad quod determinatur: ergo vestra physica prædeterminatio tollit libertatem humanam: ergo abijcienda omnino est.

175 Confirmatur ex illis verbis: [si volueris mandata seruare conseruabunt te, apposuit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris porrige manū tuam,] quæ verba satis manifeste demonstrant habere hominem potestatem ita indifferentem ad volendum, & nolendum, vt nulla ratione determinetur ad vnum, vt docuit Augustinus *de Gratia, & libero arbitrio, capite 15. fin.* explicans hunc locum his verbis: [Ad hoc valet quod scriptum est, si volueris conseruabis mandata vt homo, qui voluerit, & non potuerit nondum se plene velle cognoscat, oret, vt habeat tantam voluntatem quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiuuatur vt faciat, quod videtur: Tunc enim vtile est velle cum possumus, & tunc vtile est posse cum volumus; nam quid prodest si quod non possumus volumus, aut si quod possumus nolumus?] vbi plane supponit contingere, vt de facto nolimus idipsum quod possumus velle.

176 Et *toto sequenti capite 16.* ostendit ea ratione nos posse mandata seruare si volumus, quia si volumus perfecte iam absolute, & immediate possumus; si autem imperfecte volumus per hanc voluntatem, licet imperfectam virtute fidei, possumus orando impetrare dei opem, qua perfecte velimus, & possimus, & conseruemus mandata; vnde semper in nostra potestate est, vt quando cū diuina gratia seruamus mandata, possimus ex nostra libertate non seruare illa, ex quo hoc argumentū sumo.

177 Adiecta conditio voluntatis suspendit assertionem, denotatque illius euentum esse contingentē, & quod rem conferat in arbitrium alterius tale; quapropter supponit liberum esse solutam omni determinatione ad vnam partem, & in sua potestate habentem actualiter ponere vel non ponere, conditionem propriæ voluntatis; alioqui si prædeterminationis præueniente vinculo ligatur voluntas, itavt actualiter non velle sit illi impossibile, supposita tali prædeterminatione, iam ipsum velle non est ponendum quasi conditio suspensa contingens, & indifferens ad vtramque partem, sed tanquam firmiter, & immobiliter adhærens vni parti declaratur; nam in conditione apposita contineri prædictam vim suspendendi agnoscunt non solum Dialectici, & Iurisconsulti atque Theologi, sed etiam indocti atque vulgares, præcipuè quia *seruare*, verbum est quod semper confertur in liberam voluntatem quoties ad mandata refertur indicans potestatem quandam indeterminatam, & indifferentem, vt *Matthæi 19.* [si vis ad vitam ingredi serua mandata,] denotat igitur potestatem seruandi, & non seruandi. *Ioan. 14.* si diligitis me, mandata mea seruate, & iterum, si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum; ac rursus, si præcepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea.

178 Quod sapientissime colligit S.Thomas, *prima parte, quæstione 22. articulo secundo, ad quartum ex prædicto loco Ecclesiast. 15.* ibi: [hominibus non præfigi à Deo virtutem operatiuam determinatam ad vnum, sed potius seipsos agere, & mouere & eligere,] *& prima secunda, quæstione 10. articulo quarto, in corpore*, ex eodem loco infert, & ait: [quia voluntas est principium actiuum non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam mouet quod non ad vnum determinat, sed remanet motus eius contingens, & non necessarius.] Nota remanere contingentem, & non determinatam ad vnum, etiam ex suppositione quod Deus illam sic moueat, & ideo ait Ecclesiasticus apposuit tibi, &c. ad quod volueris porrige manum tuam, quibus datur libera optio nulla determinatione determinata ad vnum, neque enim Deus determinatione imposita hominis manum arripiens extendit ad aquam, neque ad ignem, sed concedit homini vt ipse suam manum extendat, & porrigat vel ad ignem si voluerit vel ad aquam, quod est ad bonum vel ad malum, vt quod ei placuerit detur illi; vnde Chrysostomus, *in Sermone secundo, de fato, seu de prouidentia*, sic argumentatur: [Deus dicit posui ante te vitam, & mortem, ad quod volueris extende manum tuam; Dæmon dicit non est in te quod extendas manum tuam; sed determinatione quadam, & vi id agis; vnde necessitate, agis videnturne tibi hæc fide digniora?] Ex quibus manifestum sequitur ideo Deum fecisse liberum hominem quia ei dedit indifferentiam ad volendum, & nolendum sine vlla determinatione; vnde si Deus ita determinatam redderet potentiam ad vnum, vel ita creauisset determinatam voluntatem, non haberet in sua potestate velle, vel non velle, non dedisset homini libertatem, sed supposita vestra physica prædeterminatione voluntas non manet indifferens ad volendum, & nolendum: ergo supposita illa non datur libertas in homine.

Quæ omnia corroborantur ex illis verbis: *Ioan. 1.* 179
[dedit eis potestatem filios dei fieri;] vbi indifferentia omnino expedita ad vtrumlibet denotatur, quoniam apud Philosophos quoties dicitur hominem habere potestatem vt aliquid faciat, eo ipso significatur etiam habere potestatem vt non faciat; vnde Arist. *lib. 3. Ethic. c. 5. initio*, ait: nostra igitur in potestate virtutes, & identidem vitia collocantur. Quibus enim in rebus nostra in potestate situm est agere in iis, & non agere, & in quibus non agere, in iis est & agere.

Quod S.Th. ibi: *lect. 11. initio*, exponit his verbis: 180
si operari est in nostra potestate, oportet etiá quod non operari sit in nostra potestate: si enim nō operari non esset in potestate nostra; impossibile esset nos non operari: ergo necesse esse nos operari; & sic operari non esset ex nobis, sed ex necessitate. Et similiter dicit, quod in quibus rebus non operari est in potestate nostra, per consequens etiá operari sit in potestate nostra. Si enim operari non esset in potestate nostra, impossibile esset nos operari non esset ex nobis, sed ex necessitate; sic ergo dicendum est, quod in quibuscunq; rebus affirmatio est in nobis & negatio, & è conuerso; vrget autem argumentum amplius ex eodem Arist. S.Th. 9. *Metaph. text. 10.* quia quoties dicitur homo habere potestatē vt aliquid faciat, intelligitur habere penes se omnia prorsus, quæ ad agendū requiruntur, & nullo impedimento retineri nisi forte, quod ipse libere admittat, quod idem colligitur ex omnibus doctoribus, quoniam apud Sanctos Patres, & omnes Theologos eadem est significatio potestatis, quam nuper ex Aristotele retulimus; vnde Augustinus *de spiritu, & litera, capite trigesimo primo, à princ.* ex professo, disputans vtrum fides sit in nostra potestate, vt quæstionem soluat,

in

*in medio capitis*, sic loquitur [ unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult nõ facit :] existimat ergo Augustinus in potestate credendi includi vtriusque partis potestatem indifferentem, siue ut credat, siue vt non credat; vnde subdit [sed cum potestas datur non necessitas imponitur, vt cũ David Saulis occidendi potestatem accepisset, maluit parcere quam ferire, vide nunc utrum quisque credat si voluerit, aut non credat si voluerit? ] Quibus consonant alia Scripturæ loca, in quibus potestas operandi eo ipso est etiam potestas non operandi, vel operandi contrarium; itaque potestas omnimodam indifferentiam continet omninoque expeditam ab omni determinatione, vt *Ioann.* 10. [ Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, ] *Rom.* 9. [ non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? ]& *prima Corinth.* 7. [ non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis ] Ecce quomodo Diuus Paulus contraponit necessitatem potestati, quia sicut necessitas determinat ad vnum, ita è contra potestas tribuit indifferentiam ad vtrumlibet expeditam ab omni determinatione ad vnum, & *Marci.* 13. dicitur dedit seruis suis potestatem cuiusque operis.

181 Quapropter Augustinus *retract. l. 1. cap. 22. ad finem*, ait: in potestate hominis est, mutare in melius voluntatem: Sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur, de quo dictum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus, facimus, nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est: Sed præparatur voluntas à Domino. Eo modo ergo dat potestatem. His consonat, quod *in lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 2. fine*, ait: quid est, quod iste libero arbitrio vult bene viuendi tribuere potestatem, cum hæc potestas non detur, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: dicente Euangelio: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (& paulo inferius *cap. 3. in medio*, ait:) datur ergo potestas, vt filij Dei fiant, qui credunt in eum cum hoc ipsum datur, vt credant in eum: quæ potestas, nisi detur à Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio. Recte igitur Augustinus copulauit necessitatem gratiæ, potestatemque indifferentem arbitrij.

182 Peculiaris autem vis, & clarior est in illis verbis *Iob.* 34. Neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium. Quod propterea dicitur quia non poterit, non venire, sed necessario veniet. Vnde potestas, ut veniat, ponitur pro potestate, vt non veniat; quia eadem potestas est veniendi & non veniendi. Id quod Heronymus ibi solita breuitate notauit dicens: Id est, si habuerit potestatem, vt veniat, potes habere, vt non veniat. Gregorius autem *lib. 25. moral. c. 6.* ait: quia ergo nunc in potestate est, internum mentis nostræ contra nos subire iudicium; recognoscendo accusemus nos ipsos: neque enim vltra in hominis potestate est, &c. In eundem locum Iobi Nicetas ait: Hoc quidem tempore bonum, & malum in nostra est potestate, verum in eo, quod sequitur auo, eius rei erit nobis erepta facultas. Neque enim rei gerendæ optionem daturus est amplius. Eadem prorsus verba Olimpiodorus habet apud Comitolium in catena Græca.

183 Idem probatur quarto, quia potestas, vt fiant filij Dei, per Christum Dominum concedit non tantum his hominibus, qui de facto filij Dei, sed etiam iis hominibus, de quibus in eodem capite dicitur: [ In propria venit, & sui eum non receperunt :]ita ergo potestatem habebant vtriusque partis, vt quando poterant fieri fili Dei ex auxilio Spiritus sancti possent ex voluntate propria resistendo tali auxilio fieri fili Demonum se se in plagas peccatorum induendo.

Ergo ex hoc loco manifeste colligitur liberum 184
hominis arbitrium, ut integrum perseveret debere ita esse in differens ad vtrumlibet, vt nullo modo sit determinatum ad vnum, sed vestra physica prædeterminatio ita mouet, ut tollat indifferentiam ad vtrumlibet determinando voluntatem ad unum: ergo ita mouet ut tollat libertatẽ; nam id, quod tollit definitionem alicuius tollit essentiam definiti; sed physica prædeterminatio tollit indifferentiam, quæ est definitio libertatis: ergo tollit ipsam libertatem.

---

## SECTIO VLTIMA.

### *Rationibus probatur conclusio.*

PRima sit, quia tali concursu physice prædeter- 185
minante destruitur libertas: ergo non est concedendus talis concursus Dei in causam secundã antecedens, sic probatur vniuersaliter de omni vsu libero, quia respectu illius concursus prædeterminantis non datur libertas: atqui post concursum, & ex vi illius, & in ordine ad operationẽ, quæ sequitur ad talem concursum tollitur indifferentia ad vtrumlibet: ergo tollitur, & destruitur libertas posito illo concursu Dei ad actiones causæ secundæ: maior sic probatur, quia respectu illius concursus solũ se habet voluntas mere passiue cum non operetur illum nec actiue se habeat respectu illius, ac proinde solum recipit voluntas physicam illã prædeterminationem à Deo fluentem; ideoque dicunt aduersarij Deum solum concurrere pro illo priori in causam secundam, vt in posteriori naturæ operetur causa secũda influatque in suum effectum; vnde actiuitas causæ secundæ post illum concursum incipit, quia sine illo concursu nullo modo potest operari, quia illo completur, excitatur, mouetur, & determinatur, quæ omnia sunt necessaria simpliciter vt causa secunda operetur, quia nihil operatur antequã compleatur ad operandum, v. g. potentia visiua non potest operari antequam compleatur per speciem impressam, neque potest operari pro illo priori, pro quo completur per talem speciem, sed potius incipit tota operatio potentiæ visiuæ post productionem speciei impressæ in ipsa, ac proinde species impressa non est effectus potentiæ visiuæ efficienter, sed potius mere passiue se habet respectu speciei impressæ; alias aliquid operaretur antequã posset operari, quod est absurdum.

Sed entitas illa, quæ mere passiue se habet res- 186
pectu alicuius, & non actiue non potest esse causa libera respectu illius, vt in notabili satis clare demõstrauimus: ergo respectu illius cõcursus non datur libertas in causa secunda vrgetur quia causa secunda non potest habere dominium vt ponatur, & non ponatur talis prædeterminatio, & sic non est in manu eius, vt producatur, & fiat illa; vnde independenter à voluntatem humana ponitur physica prædetermi-

natio tribuiturque illi cui vult Deus & non cui vult creatura, quia ad hoc vt vellet creatura necessario deberet poni alia physica prædeterminatio, cum sine physica prædeterminatione nihil possit voluntas velle, quapropter vt voluntas vellet prædeterminari, necessario indiget prædeterminatione, & sic procederetur in infinitum; sed quod non habet dominium circa aliquod non habet libertatem circa illud: ergo voluntas non habet libertatem circa physicam prædeterminationem.

187 Consequentia sic probatur, quia posito illo concursu non manet indifferentia in voluntate ad operandum, & non operandum, quia ex vi illius concursus determinatur voluntas ad operandum, ita vt posito illo non possit non operari, sed indifferentia ad operandum, & non operandum est libertas formaliter: ergo posito illo concursu non manet in voluntate libertas formalis in ordine ad operationem, ac proinde ex vi talis motionis destruitur libertas ad operandum.

188 Minor in qua est difficultas sic demonstratur, quia indifferentia tunc datur formaliter, quando datur posse operari, & non operari, id est quando voluntas ita est domina sui actus, vt quando facit illum, posset non facere faciendo oppositum: sed posito concursu prædeterminante in voluntate non datur posse operari, & non operari: ergo posito illo concursu in voluntate non datur indifferentia formalis ad operandum, & in ordine ad operationem. Minor sic probatur, quia post illum concursum non potest non operari voluntas, nec potest non esse principium talis operationis, quia causa, quæ physice prædeterminata operatur, & est principium alicuius operationis, ita necessario influit in illam, vt non possit non influere in eandem, alias si non necessario operaretur, & influeret in operationem, ita haberet vt nõ esset prædeterminata ad operandum: sed non posse non operari est non habere posse ad non operandum: ergo posito illo concursu prædeterminante, licet in voluntate detur posse operari, nihilominus non datur in ea posse non operari: ergo falsum est dicere quod posito concursu physice prædeterminante, detur hoc totum posse operari & non operari, quia deficit pars illius totius scilicet posse non operari, remanente duntaxat altera parte, scilicet posse operari: atqui ablata vna parte non manet totum, licet maneat alia pars: ergo si posito concursu non manet posse non operari, licet maneat posse operari, non manebit, totum hoc voluntas potest operari, & non operari.

189 Tunc sic indifferentia formalis ad operandum, & non operandum non est solum posse operari, sed posse operari, & non operari: atqui posito concursu non datur adæquatum illud posse: ergo non manet indifferentia formalis, quia ablata quacunque parte definitionis auferrur totum definitum, etiam si maneat alia pars, verbi gratia si auferatur à definitione hominis animal, etiamsi maneat rationale, non manet homo: sed posito prædeterminante auxilio, tollitur pars definitionis indifferentiæ: ergo tollitur tota indifferentia formalis. Minor patet ex dictis, quia definitio totalis indifferentiæ est posse operari, & non operari, ita vt vna pars sit posse operari, & altera pars sit posse non operari: atqui posito concursu efficaci prædeterminante tollitur posse non operari, quia posito illo non potest non operari: ergo tollitur pars definitionis indifferentiæ, ac proinde tollitur definitum per illam definitionem, indifferentiam nimirum.

Vrgetur, quia posito vno opposito respectu alicuius non potest dari simul alterum oppositum, v. g. posita albedine vt octo in pariete non potest dari simul nigredo, vt octo in eodem pariete: sed determinatio ad operandum est opposita indifferentiæ ad operandum, & non operandum, quia indifferentia est indeterminatio ad operandum, &c. indeterminatio autem ad operandum, & non operandum opponitur determinationi ad operandum, sicut ratiocinatio & irratiocinatio corporeum, & incorporeum opponuntur: ergo posita determinatione physica ad operandum in voluntate tollitur indeterminatio, & indifferentia ad operandum, & non operandum in ipsa voluntate: sed per vos posito vestro auxilio efficaci ponitur in voluntate physica prædeterminatio: ergo tollitur indifferentia ad operandum, & non operandum, v. g. quia appetitus equi est determinatus ex sua natura simpliciter & absolute, simpliciter & absolute non est indifferens; sed potius caret indifferentia: atqui per vos supposito auxilio efficaci est determinata voluntas: ergo supposito auxilio efficaci non est indifferens voluntas ad operandum. Consequentia patet, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter ita se habet ex suppositione ad ex suppositione: sed quod est simpliciter determinatum non est indifferens simpliciter: ergo quod ex suppositione est determinatum ex suppositione non est indifferens, v. g. quia suppositio lumine gloriæ est determinata voluntas supposito tali lumine non manet indifferens: sed supposita physica prædeterminatione manet voluntas physice determinata: ergo supposita illa non manet indifferens talis voluntas. 190

Vrgetur, quia ante prædeterminationem non potest voluntas operari, ac proinde non habet potentiam ad operandum, quia determinatio per concursum est necessaria ad operandum, & sine necessario non potest dari posse, alias non esset necessarium ad posse. 191

Et post prædeterminationem non potest non operari: ergo semper habet impeditam alteram partem illius potestatis, quæ ad indifferentiam & liberum modum operandi necessaria est, & ita tollitur vsus libertatis ad quem necessario vtraque; illa potentia simul & actu expedita debet esse ad actum sibi proportionatum, sed sublato vsu libero voluntatis destruitur libertas: ergo posito illo concursu destruitur libertas voluntatis creatæ. 192

Dices voluntatem quidem posito concursu Dei, & in sensu composito, vt aiunt, non posse non operari, retinere tamen nihilominus suam potestatem ad non operandum in sensu diuiso, & hoc satis esse vt eius libertas non tollatur. 193

Sed contra primo euidenter, quia si in censu compositio, id est postquam voluntas mota est excitata à Deo est, vel posito concursu Dei in voluntate non datur posse operari, & non operari, sed potius necessario operatur, & necessitatur ad operandum voluntas, & sine aliqua differentia manet: ergo sequitur nunquam habere voluntatem libertatis perfectionem. Patet hæc consequentia, quia voluntas non potest concipi, aut esse nisi in sensu composito, id est cum concursu, aut in sensu diuiso, hoc est sine concursu, isti enim status sunt contradi- 194

ctorie

ctorie oppositi, inter quos non potest dari medium, esse enim cum concursu, & non cum concursu excitata, & non excitata mota, & non mota voluntas à Deo contradictorie repugnant, vt non detur medium inter illa; vnde necessario voluntas debet esse in aliquo ex his statibus sine dubio secundum illud euidentissimum axioma quodlibet vel est, vel non est.

195 Sed per vos in sensu composito non habet voluntas libertatem, ex eo quod non possit non operari, & in sensu diuiso non habet libertatem, quia in tali sensu non potest operari quia in tali sensu est sine concursu, atqui libertas non datur, vbi deficit potentia operandi, & datur non posse operari: ergo in sensu diuiso non datur indifferentia, quæ petit necessario posse operari, & non operari, ac proinde non dabitur libertas, quæ essentialiter est indifferentia ad operandum, & non operandum.

196 Quod autem in sensu diuiso, id est sine concursu, seu diuisa voluntate à concursu non possit ipsa operari, patet euidenter; nam in sententia vestra, & in omnium etiam placito voluntas creata ita dependet & subordinatur diuinæ potentiæ, vt non possit vllo modo operari quin adiuuetur à Deo, quod iuuamen in hoc consistit, vt Deus tribuat concursum suum creatæ voluntati ad operandum, in quo nulla controuersia datur, alias si creatura posset operari sine concursu illo superflueret talis concursus, & non diceretur à vobis sine concursu diuino physice prædeterminante non posse voluntatem operari, vt patet ex vestra sententia, & ex argumentis omnibus, quibus illam probare contenditis: ergo sine concursu diuino physice prædeterminante, non potest voluntas operari, ac proinde in quocumque statu defecit aliqua pars indifferentiæ & libertatis, quia in sensu composito deficit posse non operari in sensu diuiso deficit posse operari, quæ sunt duæ partes complentes, & integrantes indifferentiam, ita vt si non sint simul ambæ, non dabitur indifferentia quæ ex illis formalissime constat, ac proinde neque libertas, quæ est idem cum indifferentia, sicut v.g. quia homo petit necessario materiam & formam simul vnitas, sinon dentur ambæ partes simul vnitæ, non dabitur homo, neque animal rationale: ergo.

197 Confirmatur, libertas pugnat & destruitur quacumque necessitate antecedente, quamuis sit tantum in sensu composito talis necessitas, sed physica prædeterminatio inducit necessitatem antecedentem in voluntate: ergo quamuis physica prædeterminatio sit tantum in sensu composito tollit libertatem: maior ex notabili nostro constat, & ab omnibus scholasticis recipitur, & euidenter demonstrabitur confirmationibus huius ratiocinationis: minor vero probatur, quia necessitas antecedens est, quæ prouenit à suppositione antecedenti, suppositio autem antecedens est illa cuius existentia nullo modo pendet ab vsu nostræ libertatis, neque fuit vnquam in potestate & manu nostra, quod in nobis poneretur talis suppositio, vel vt possimus à nobis expellere illam; præcipue quia ex tali suppositione per illationem & consequentiam simpliciter necessariam sequitur noster actus, ita vt in sensu composito impossibile sit suppositionem existere sine actu; sed physice prædeterminationi conuenit hæc vtraque conditio: ergo dicit necessitatem antecedentem & inducit illam in voluntate; minor hæc sic demonstratur.

198 Quia in primis existentia physicæ prædeterminationis nullo modo pendet ab exercitio, & vsu nostræ libertatis, neque fuit in nostra potestate attrahere ad nos, neque à nobis arcere talem physicam prædeterminationem, vt ipsi aduersarij fatentur: deinde ex physica prædeterminatione per consequentiam simpliciter necessariam infertur noster actus, ita vt in sensu composito impossibile sit posita physica prædeterminatione actum nostrum non existere vt fatentur illius authores: ergo illi conueniunt omnes supradictæ conditiones necessitatis antecedentis.

199 Confirmatur, quoniam suspendere consensum, seu dissentire non est nobis possibile, nisi adhibito altero ex duobus remedijs. Primum est impedire ne detur nobis prædeterminatio physica, & hoc non est in nostra potestate sed solius Dei. Quapropter hac via non possumus nos libertatem exercere. Secundum remedium est manente prædeterminatione physica simul cum illa in sensu composito ponere omissionem consensu vel actum dissentiendi. Hoc remedium si concedas esse possibile, iam ad nostram sententiam accedis. Si tamen negaueris esse possibile nullum remedium superest libertati, quo possit omittere consensum aut dissentire. Vrgetur, quia homini non manet libera potestas impediendi vel expellendi physicam prædeterminationem, neque manet libera potestas omittendi actum manente physica prædeterminatione, & in sensu composito, quia suppositio illa antecedens impedit ne possibile sit omittere actum: ergo indifferentiam libertatis non relinquit expeditam, & solutam sed ligatam, & determinatam ad vnum, & omnino impeditam.

200 Amplius declaro; nam consequens necessitas, etiam illa quæ diuinam scientiam, & prouidentiam respicit, est similis ponderi, quod potest homo quò voluerit mouere. Quapropter quamvis huiusmodi ponderi sit homo indissolubiliter alligatus, nihilominus absolute liber est, atque solutus, vt quo voluerit pergat: è contra vero, necessitas antecedens siue à diuina præscientia, vel prouidentia, siue à quacumque alia causa proueniat, similis est monti, aut ingenti saxo, quod loco mouere superat humanas vires, cui proinde qui fuerit alligatus absolute non manet liber vt emoveat quò voluerit, etiamsi penes eum maneat radicalis potentia, qua posset in sensu diuiso ab alligatione mouere se ipsum, quo vellet.

201 Item ex communi doctrina Theologorum circa ignorantiam hoc ipsum conuincitur; nam ignorantia consequens non excludit voluntarium, neque liberum, idque propterea quia huiusmodi ignorantiam exuere & scientiam adquirere seu induere fuit in nostra potestate; è contra vero ignorantia antecedens excludit voluntarium, & liberum, quia in nostra potestate non fuit eiusmodi ignorantiam expellere comparando scientiam; insuper in sensu composito manent ignorantia non fuit in nostra potestate euitare actum eo titulo, quoniam prohibitus esset ac turpis; quamvis alio titulo vitare potuerimus.

202 Vnde consequens est vt talis malitia actus, neque in se formaliter, neque in sua causa, quæ est ignorantia fuerit nobis imputabilis: ergo suppositio physicæ prædeterminationis excludit libertatem ab actu, quia neque auferre prædeterminationem neque illa supposita auferre actum fuit in nostra potestate, ac proinde neque in se ipso formaliter, neque in sua causa quæ est prædetermi-

natio physica fuit nobis imputabilis: inter ignorantiam antecedentem, & physicam prædeterminationem inuenies plurimas rationes disparitatis quoad alios effectus, sed quoad præsentem impediendi libertatem nulla est ratio disparitatis, quoniam illis non obstantibus permanet semper eadem ratio formalis exclusiua libertatis.

203 Dices, ignorantia tollit modum naturalem, & proprium, quem requirit voluntas in operando libere scilicet: ex cognitione, aduertentia, & ductu rationis. Hoc non absolute, sed quoad modum, & secundum quid verificatur quando est ignorantia consequens: sed contra, quia tunc simpliciter, & absolute tam ignorantia, quam peccatum ex illa procedens euitari potest etiam si non cognoscatur esse peccatum, quapropter illa doctrina simpliciter, & absolute verificatur solum modo quando ignorantia est antecedens, quoniam tunc in potestate voluntatis non est habere naturalem, & proprium modum operandi ex cognitione, aduertentia, & ductu rationis, ac subinde non esse in potestate voluntatis cauere sibi ab obiecto turpi eo quod turpe sit. Sed similiter physica prædeterminatio tollit modum naturalem, & proprium, quem requirit voluntas imperando libere quia licet non tollat cognitionem vtriusq; partis, efficit tamen vt cognitio vnius partis nihil concurrat ad potestatem non eliciendi volitionem, perinde ac si non esset talis cognitio, & prorsus ignorarentur rationes non eliciendi talem volitionem, & rursus hanc suppositionem auferre non est in potestate voluntatis.

204 Denique tota hæc demonstratio probatur à contrario; nam suppositio consequens propterea non impedit libertatem quia supponit liberum vsum, & sicut liber vsus seipsum non impedit; ita etiam quidquid supponit liberum vsum, non impedit libertatem, vt circa præscientiam dei ex multis patribus, & scholasticis ostendit grauiter P. Ruiz. *Tom. de scientia, tota disputatione* 33. sed physica prædeterminatio non supponit, sed antecedit, & causat liberum vsum: ergo tollit libertatem.

205 Dices quando suppositio antecedens tenet se ex parte primæ, & vniuersalissimæ causæ, scilicet dei, bene potest aliquid esse necessarium ex suppositione respectu creatæ voluntatis, & liberum illis simpliciter, quamuis non sit in potestate illius tollere vel ponere sup positionem, ex qua necessario necessitate infallibilitatis consequitur. Secus autem contingit quando suppositio antecedens se tenet ex parte alicuius causæ creatæ extrinsece & à voluntate.

206 Sed contra hanc solutionem insurgit P. Ruiz, sapienter quidem his verbis: nos ingenue fatemur eam vim peculiarem esse primæ causæ, vt possit immutare voluntatem creatam conformiter ad suam naturam excitando illam, & simul cum illa producendo liberam volitionem; Id quod fusius ostendimus alibi. Cæterum simul asserimus implicationem contradictionis inuolui in eo, quod prima causæ creatæ voluntati antecedentem necessitatem imponat, quam tollere non sit in potestate voluntatis: & nihilominus eandem voluntatem immutet conformiter ad suam naturam, seruetque modum libertatis; id quod ex D. Thoma variis in locis ostendimus *disp.* 33. *sect.* 7. *& infra disp.* 50. *sect.* 6. Neque oppositum docet S. Thom. in iis locis, quæ referuntur pro solutione nuper adducta, neque alibi vspiam.

207 Probatur primo, quoniam necessitas antecedens formaliter directe, & adæquatè est forma exclusiua libertatis, eo quod cum ipsa necessario, & & inseparabiliter cohæreat impossibilitas omittendi actum, quæ pugnat cum altera parte libertatis, sicut priuatio cum habitu; quod fusius ostendemus *tota sect. præcedenti*. Quapropter quemadmodum simul cum tenebris manere lucem implicat contradictionem, siue tenebræ inducantur à prima causa, siue inducantur à causa secunda: & quantumcumque prima causa per infinitam sapientiam, atque potentiam exquirat modum inducendi tenebras, qui suauissimus sit corpori diaphano, & lucirita etiam simul cum necessitate antecedenti vnius partis, & antecedentem impossibilitate alterius patris, implicat contradictionem manere eiusdem patris possibilitatem. Nam impossibilitas, & possibilitas quasi priuatio, & habitus opponuntur: siue impossibilitas à prima causa, siue à causa secunda inducatur. Et quantumcumque prima causa per infinitam sapientiam atque potentiam exquirat modum inducendi impossibilitatem alterius patris, qui suauissimus inueniri possit, & maxime conformis naturæ, & libertati voluntatis adhuc apponuntur sicut priuatio, & habitus. Porro sublata vnius partis potestate claudicat ex altero pede, imo tota corruit libertas, quia formaliter consistit in potestate vtriusque partis.

Vrgetur, quoniam Anselmus quando necessitatem antecedentem libertati omnino repugnare docuit, & solam necessitatem consequentem cum libertate consentire primario, agebat de diuina præscientia, voluntate, ac prædestinatione, quapropter contra illius mentem limitatur eius doctrina, vt verificetur solummodo in necessitate antecedente, quam afferunt causæ secundæ, non veto in necessitate antecedente, quam prima causa afferre potest. 208

Peculiariter notanda sunt illa verba Anselmi, *lib. de concordia, capite* 1. ibi: [ cum dico si præsit aliquid necesse est illud esse futurum, idem est ac si dicam, si erit, ex necessitate erit: sed hæc necessitas non cogit vel prohibet aliquid esse aut non esse. Ideo enim quia ponuntur res esse dicuntur ex necessitate esse, aut quia ponuntur non esse affirmantur non esse ex necessitate, non quia necessitas cogat, aut prohibeat rem esse aut non esse; nam cum dico si erit ex necessitate erit, hic sequitur necessitas, quæ rei positionem non præcedit. Idem valet si sic pronuncietur quod erit ex necessitate erit, non enim aliud significat hic necessitas, nisi quia quod erit non poterit simul non esse, ] in illis quippe vt præscientiam cum libertate componat, recurrit, [ ad necessitatem quæ rei positionem non præcedat, ] quam dicit oriri ex ea necessitate, qua omne quod est quando est, necesse est esse. 209

Aduertendum etiam est quod circa præscientiam, prædestinationem, & gratiam non aliam admittit Anselmus cum libertate consentire necessitatem, nisi [ quam facit voluntas, & quæ descendit ex libera voluntate: [ cui consequens est quod dixit ipse *lib. cur Deus homo, cap.* 18. *circa medium*, vbi inquit: [ est necessitas præcedens quæ causa est vt sit res, & est necessitas sequens, quam res facit: ] Hanc autem solam admittit ad consiliandam dei præscientiam, & prædictionem cum libertate nostra. 210

Vbi non de secundis causis, sed de prima loquitur, & nihilominus Anselmus simul, & Augustinus, & cæteri Patres quando negant antecedentem necessitatem à diuina præscientia, & prouidentia 211

dentia prouenire, non loquuntur de causis secundis, sed de Deo; hoc enim significant quando dicunt non propterea liberas actiones fieri, quia Deus eas præuidit, sed potius è contra idem Deum præuidere ac præscire, quoniam illæ actiones in aliqua differentia temporis erant futuræ in qua Deus eas cernit vt præsentes.

212 Confirmatur, quoniam ad explicandam concordiam libertatis cum præscientia primæ causæ ab Augustino, Boëtio, alijsque Patribus, insuper à S. Thoma adducitur exemplum de nostra visione nem aut scientia, quæ præsentibus actionibus liberis nullam imponit necessitatem: ergo si suppositio est antecedens, tollet sine dubio libertatem, etiamsi sit à prima causa, & non à secunda, nam lumen gloriæ à Deo, & non à creatura infunditur, & nihilominus tollit libertatem, & indifferentiam voluntatis beati, quia est necessitas antecedentis rei ad vsum libertatis: ergo quod necessitas sit à Deo vel à creatura non facit quod non tollat libertatem.

213 Alij asserunt eam solummodo necessitatem, quæ sumitur ex intrinseca connexione prædicati cum subiecto libertatem excludere; aliam autem necessitatem, quæ non prouenit ex intrinseca connexione prædicati cum subiecto, etiamsi fuerit necessitas antecedens posse cũ libertate cõuenire.

214 Sed hæc solutio minime soluit argumentum, quoniam quadrupliciter potest intelligi hæc solutio, primo ita vt requiratur intrinseca connexio inter operationem & personam, seu voluntatem operantem secundum se consideratam, præscindendo à suppositione necessitante, quomodo alter eorum Doctorum intelligere videtur, quando ait quantumcumque ponatur efficax auxilium, & prædeterminatio diuina, semper actio mea est simpliciter libera, & contingens, quoniam non est intrinseca connexio inter me & illam operationem, sed potius est in me principium intrinsecum corruptionis illius operationis.

215 Ita explicatam solutionem absolute falsam esse probatur, quoniam ex illa sequitur antecedentem necessitatem, quæ ad diligendum Deum nascitur ex visione beata, posse cum libertate illius dilectionis conuenire; siquidem huiusmodi intrinseca connexio non reperitur inter animam Beati Petri, & amorem beatificum, sed potius in illa sancta anima est principium intrinsecum corruptionis illius operationis, quod ex se est si præscindatur à visione beatifica.

216 Confirmatur primo, quia inde sequitur, nullam suppositionem esse possibilem, quæ afferat necessitatem absolutam alicuius volitionis, excludatque illius libertatem, quia nulla suppositio potest efficere, vt inter volitionem, & meam voluntatem sit intrinseca connexio, si voluntas mea secundũ se consideretur, præcisa tali suppositione.

217 Etit secundus sensus, si prædicta distinctio intelligatur de intrinseca connexione inter operationem, & personam, seu voluntatem operantem, non secundum se consideratam; sed simul cum suppositione antecedente. Quomodo iam est ab intrinseco necessarium, vt anima Beati Petri ex suppositione, quod Deum clare videt, eundem perpetuo, & inseparabiliter diligat.

218 Ita intellecta solutio veram doctrinam tradit in generali, sed falso illam applicat in particulari, nam inter volitionem, & hominem viatorem provt physica prædeterminatione affectum est necessaria connexio ab intrinseco, quoniam intrinseca quidditas physice prædeterminationis necessario infert talem volitionem ad quam determinat. Et vsque adeo inseparabilis, & intrinseca est prædicta connexio, vt etiam de potentia absoluta contradictionem implicet talem prædeterminationem existere, & non existere, volitionem ad quam determinat.

Tertius sensus talis solutionis connexionem 219
intrinsecam volitionis non refert ad voluntatem, siue secundum se consideratam, siue prædeterminatione affectam, sed ad Deum; dicunt enim authores citati, si Deus ab intrinseco necessario moueret voluntatem non relinqueret in illa indifferentiam, vel libertatem, quia tamen necessitas, qua mouetur voluntas à Deo est ex suppositione, quatenus suppositio, quod mouetur necessario mouetur, sit vt hæc motio nullam tollat libertatem.

Quartus sensus, quo incidit cum hoc ac proin- 220
de non est repetendus, sed solum breuitatis causa ne diutius immoremur vniuersali oppugnatione omnes solutiones in hunc modum oppugnandæ sunt, quoniam Anselmus à præscientia, voluntate, & prædestinatione, Dei atque etiam à diuina gratia relegat quamcumque necessitatem antecedentem, ne libertatem perimat: ergo siue necessitas antecedens proueniat ab intrinseco, siue ab extrinseco; si tamen vere est necessitas antecedens, semper libertatem tollit, alias scientia & prædestinatio, quæ extrinsecæ sunt, etiam si necessitatem antecedentem ponerent non tollerent libertatem, quod est falsum, vt patet ex dictis; è contra vero Anselmus solum modo consequentem necessitatem admittit consiliari posse cum libertate, quam definit esse, [necessitatem, quæ rei positionem non præcedat] & rursus: [quam facit voluntas & quæ descendit ex libera voluntate;] itaque sola necessitas, quæ hac ratione consequens fuerit, siue proueniat ab intrinseca connexione prædicati cum subiecto, siue ab extrinseco potuerit prouenire (quod nihil attinet ad præsens argumentum) consiliari poterit cum libertate.

## SVBSECTIO X.

*Secundum argumentum ponitur.*

QVia dilectio beatifica, licet non sit necessa- 221
ria in sensu, diuiso hoc est secluso visione beatifica & lumine gloriæ, sed tantum sit necessaria in sensu composito supposita visione beatifica, nihilominus eiusdem dilectionis necessitas est simpliciter & absolute talis, repugnans libertati: ergo licet necessitas amoris Dei proueniens à physica prædeterminatione, non sit talis in sensu diuiso, sed solum in composito, nihilominus erit necessitas simpliciter repugnans libertati; patet consequentia, quia tota ratio quare datur in dilectione beatifica necessitas simpliciter repugnans libertati, est quia beatus neque potest à se visionem beatificam abijcere, neque illa existente in intellectu suam voluntatem potest à dilectione continere: sed in nostro casu datur eadem ratio formalis, quia physice prædeterminatus, neque potest à se prædeterminationem physicam abijcere, neque illa existente in voluntate suam voluntatem potest à dilectione continere: ergo datur idem effectus, vel quasi effectus formalis, scilicet quod hæc dilectio sit necessaria simpliciter, sicut illa, quia vbi datur

eadem

eadem ratio formalis &c. Nam in vtroque casu dilectio prouenit à necessitate antecedente.

222 Ratio à priori huius demonstrationis est, quia in bona consequentia si antecedens est necessarium consequens non potest esse contingens; sed omnino debet necessarium esse. Hanc ita scripsit Aristoteles *lib. 1. Posteriorum, cap. 6. post medium text. 17.* Quando autem medium ex necessitate, & conclusio ex necessitate: quemadmodum & ex veris verum semper, & post pauca, quando autem non necessaria sit conclusio, neque medium necessarium potest esse. Vnde S. Thomas *1. p. q. 14. art. 13. in argumento secundo* supponit, tanquam certum, & indubitabile in quacumque materia, siue creata, siue increata quod ex principijs necessarijs nõ sequitur conclusio nisi necessaria. Similiter S. Bonauentura, & reliqui scholastici communiter locis citatis *in disp. præcedenti sect. 6. & sequentibus.*

223 Huius demonstrationem à priori attigit Aristot. illis verbis: quemadmodum, & ex veris verum semper videlicet, quia contingens potest non esse, ac proinde potest esse falsum. At vero necessarium non potest esse falsum, ac proinde si ex antecedenti necessario sequitur consequens contingens; foret possibile, vt antecedente necessario manente semper vero, consequens contingens non esse verum. Quapropter dari potuisset antecedens verum, & consequens falsum; quod repugnat quidditati consequentiæ simpliciter necessariæ, non minus, quam animæ nostræ repugnat, esse mortalem. Quapropter in omni materia etiam diuina repugnabit.

224 Huius demonstrationis confirmatio sumitur ex discursu Aristot. in eodem loco citato, quia nisi lex illa inuiolabilis sit, nullius conclusionis erit possibilis scientia certa. Nam licet præmissæ fuerint euidentissimæ, & certissimæ, & consequentia euidentissima; dubitare tamen poterimus, an consequens possit esse falsum; si consequens contingens potest inferri ex antecedenti necessario.

225 Ex eisdem principiis deducitur impossibilem esse consequentiam simpliciter necessariam, cuius antecedens nullo modo pendeat à tua libera electione, & nihilominus consequens sit tibi liberum & à tua electione dependens. Nam huiusmodi consequens eo ipso non erit necessarium, sed contingens comparatione tui arbitrij, quod poterit facere, vt non sit consequens, ac proinde poterit reddere consequens falsum: & nihilominus antecedens permanebit adhuc verum; quia eius veritas nullo modo pendet à tua libera electione, quapropter dabitur antecedens verum, & consequens falsum.

226 Confirmatur, quia si tua libera electione redderes falsum prædicatum consequens; inde necessario sequeretur vnum è duobus, aut enim antecedens etiam redderetur falsum; & tunc antecedens penderet à tua libera electione, siquidem in tuo arbitrio est illud reddere, vel non reddere falsum: cuius contrarium supponitur in casum, quem tractamus: aut permaneret adhuc antecedens verum, & nunc darentur simul antecedens verum, & consequens falsum; quapropter si antecedens non pendet à libero arbitrio, nihil potest libertas circa consequens, ne committat vnum ex duobus impossibilibus nuper explicatis.

227 Hæc ad physicam prædeterminationem applicare promptum est; quoniam physica prædeterminatio est antecedens nullo modo dependens à tua libera electione *sup. num. 2. & 3.* & tamen per consequentiam simpliciter necessariam infertur volitio, ad quam determinat, ita vt simpliciter impossibile sit manente isto antecedente, non existere illud consequens: ergo istud consequens nullo modo dependet à tuo libero arbitrio; nam si dependet, atque in tua potestate positum est consequens, videlicet volitio potens efficere vt non sit, ac proinde vt consequens sit falsum, & nihilominus antecedens permanebit verum, manet namque physica prædeterminatio, quam auferre non est in tua potestate, quapropter S. Thomas *1. part. quæst. 14. art. 13.* multo fusius quam pro more discutiens solutiones varias, ad eam tandem recurrit, in qua diuina scientia supponit necessitatem liberi ex suppositione quod iam sit existens, & præsens, vt ea ratione volitio libera provt est formaliter consequens necessario illatum ex diuina scientia sit necessarium, sicut antecedens est necessarium, in qua veritate conueniunt cæteri scholastici.

Dices maximum discrimen reperiri inter physicã prædeterminationẽ in ordine ad distinctionẽ viæ, & inter visionẽ beatificam in ordine ad dilectionem patriæ, quoniam beatus fertur in Deum medio iudicio, quo intellectus iudicat summum illud bonum habere necessariam connexionem cum bono in communi, ad quod naturaliter determinatur voluntas, ac per consequens esse necessario amandum. Vnde voluntas videntis Deum per essentiam, ex necessitate diligit illum, & non libere. Addunt primo in statu beatifico expletam manere totam capacitatem intellectualis naturæ. Vnde non solum non habet actum contrarium visioni aut dilectioni beatificæ; sed nec etiam poterit illum habere: sicut materia cæli non solum non habet aliam formam ab ea, quam actu habet; sed neque potest illam habere; quia per formam, quam habet expletur tota capacitas illius. Addunt secundo in voluntatem beati respectu amoris Dei non manere libertatis indifferentiam quoniam eius radix est intellectus, potest habere diuersas conceptiones boni; at vero intellectus videntis Deum non potest concipere vt bonum, cessare à dilectione Dei. 228

Has alias disparitates inter amorem beatificum & quascunque volitiones hominis viatoris reperire promptum est, cæterum vim argumenti non eneruant quia non auferunt formalem; & adæquatam rationem exclusiuam libertatis: sicut enim libertas formaliter, & adæquate consistit in eo, quod voluntas, positis omnibus requisitis ad operandum, possit operari, & non operari, vt ex communi sententia Philosophorum, & scholasticorum ostendemus *disp. 39.* & multis sequentibus, & *disp. 49.* præsertim vero *disp. 50. sect. 3. & 4.* ita etiam formalis, & adæquata ratio exclusiua libertatis consistet in eo, quod impediat ne voluntas, positis omnibus requisitis ad operandum, possit operari, & non operari: eo quod faciat, vt actualiter operari simpliciter necessarium sit: vnde actualiter non operari absolute sit impossibile. 229

Sed quamuis hæc sit ratio à priori, vtiliter tamen vigetur exemplis nuper adductis, vt ostendatur in præsenti controversia non satisfacere sensum compositum; si quidem in visione beatifica, & in alijs exemplis necessitas non est in sensu diviso, sed in sensu composito: cum tamen absoluta sit & libertati repugnans, idque propter hanc rationem 230

rationem formalem, quoniam efficit vt voluntas non possit agere, & non agere, sed necessario determinat ad agendum. Quod propterea præstat, quia voluntas nec potest subducere à visione beatifica, nec in sensu composito cum illa potest actionem omittere. Quæ rationes formales, & adæquatæ verificantur in physica prædeterminatione.

231 Respondent alij rationem discriminis esse, quoniam ex intrinseca connexione inter lumen gloriæ, visionem Dei, & dilectionem prouenit illa necessitas. Sed refutantur, quoniam inter physicam prædeterminationem, & volitionem ad quam determinat, est connexio ita illarum quidditati intrinseca, vt neque de potentia absoluta possit impediri, vt fusius dicemus *in sect. 3.*

232 Confirmatur primo, quoniam physica prædeterminatio aufert possibilitatem alterius formæ, & inducit necessitatem vnius, perinde ac si satiaret appetitum voluntatis: ergo quod attinet ad libertatem huius actionis excludendam, perinde se habet, atque visio beatifica satians appetitum beati: sicut humores noxij, aut quodlibet aliud impedimentum stomachi, si omnino reddunt impossibile quemlibet alium cibum traijcere præter hunc determinatum, perinde se habet capacitas stomachi, ac si talis cibus plene satiaret appetitum stomachi.

233 Confirmatur secundo, nam absolute falsum est, quod postremo additur in prædicta solutione; quoniam Beati etiam in Deo per visionem beatificam, & per scientiam infusam perfectissime cognoscunt quamlibet rationem apparentis boni, quæ mouere potuit angelos, aut homines, vt diuina præcepta violando, deponerent illius amorem. Quapropter Beatis non deficit cognitio, ex se sufficiens ad libertatem, sed adest alia cognitio antecedenti necessitate rapiens.

234 Confirmatur tertio, quia quando voluntas ita determinatur ad vnam partem, vt sit impossibile actualiter se mouere in contrariam partem; tunc iudicium, quo intellectus iudicat bonum particulare non habere necessariam connexionem cum bono in communi, sed in opposito illius reperiri aliquas rationes boni, hoc inquam iudicium in eo casu nihil concurrit, aut influit ad potestatem sequendi eam partem quam actualiter sequi est impossibile, vt ostendemus, *disp. 52. sect. 3. & 4.*

235 Confirmatur quarto ex verbis S. Thom. *de malo, quæst. 6. articul. vnico in fine corporis.* Secundum philosophum, qualis vnusquisque est talis finis videtur ei vnde aliter mouetur ad aliquid voluntas irati, & voluntas quieti, quia non idem est conueniens vtrique, sicut etiam aliter accipitur cibus à sano, & ægro. Si ergo dispositio per quam alicui videtur aliquid bonum, & conueniens, fuerit naturalis, & non subiacens voluntati ex necessitate naturali; voluntas præeligit illud sicut omnes homines naturaliter desiderant esse, viuere, & intelligere.

236 Hic nota primò naturale accipi, non vt opponitur supernaturali; sed vt opponitur libero, cui proprerea subiungitur illa explicatio, non subiacens voluntati. Secundò notanda est significatio illius phrasis, videtur bonum, neque enim significat iudicium intellectus, sed complacentiam voluntatis: hoc enim loquendi modo non solum Scriptura, & Patres; sed etiam docti omnes & indocti afferunt sibi non videri bonum, quod suæ voluntati non placet, quamvis iudicium intellectus dictet esse bonum. Confirmatur, nam S. Thom. agit de peccato ex passione, vt constat ex ipsis verbis citatis; hoc autem peccatum ex passione supponere in intellectu cognitionem malitiæ saltem in communi idem D. Thom. docet 1. 2. q. 77. *art. 2.* & nos ibi fusius.

Quibus suppositis arguitur accipiendo quasi maiorem propositionem, quam ex D. Thom. nuper retulimus, & addendo minorem, & conclusionem sic: Physica prædeterminatio est dispositio per quam alicui videtur aliquid bonum, & conueniens insuper est naturalis, & non subiacens voluntati: ergo ex necessitate naturali voluntas præeligit illud, quod sibi propter physicam determinationem placet.

Præcipue, quia hæc est ratio adæquata 237
formaliter excludens libertatem, cum quotiescumque ponitur hæc ratio formalis excludatur libertas, vt constat ex verbis nuper adductis, & quotiescumque deficit hæc ratio formalis, consequenter libertas deficit, vt constat ex verbis, quæ S. Thomas continuo subiicit: [Si autem sit talis dispositio, quæ non sit naturalis, sed subiacens voluntati, puta cum aliquid disponitur per habitum, vel passionem ad hoc, quod sibi videatur aliquid vel bonum, vel malum in hoc particulari; non ex necessitate mouetur voluntas, quia poterit hanc dispositionem remouere, vt sibi non videatur aliquid sic, vt scilicet cum aliquis quietat in se iram vt non iudicet, sed aliquo tanquam iratus.]

Aliter alij asserunt antecedentem necessita- 238
tem physica prædeterminatione inductam non repugnare libertati, etiamsi actualiter illi non consentire sit in sensu composito impossibile, rationem autem esse dicunt eius authores, quoniam prædeterminatio physica non tollit cognitionem indifferentiæ mediorum, quapropter eo ipso voluntatem mouet suauiter, & conformiter ad suam naturam; vnde inferunt Deum per illa eodem modo voluntatem nostram determinare, vt libere operetur, sicut ipsa voluntas se determinat ad libere operandum.

Sed contra, quia hæc solutio non ener- 239
nat argumentum, quia supponendo prædictam cognitionem plurima testimonia sacræ Scripturæ, Consiliorum, & Sanctorum Patrum ad libertatem vlterius requirunt potestatem dissentiendi in eo, qui consentit, & potestatem consentiendi in eo, qui dissentit, insuper requirunt hanc potestatem nullius necessitatis vinculo ligari, aut determinari ad vnam partem, quia etiamsi ex parte intellectus detur indifferentia, si voluntas est ligata & determinata, talis indifferentia se habet, quasi non esset ad libertatem, & indifferentiam voluntatis, sicut si aliquis qui manibus, & pedibus ligatus esset, ac proinde determinatus, vt non moueretur, etiam si cognosceret in spatio plures vias, per quas posset se mouere, nihilominus talis indifferentia, & indeterminatio plurium locorum, & viarum nullo modo con-

duceret ad indifferentiam mouendi se hac, & illac quia talis cognitio, sa haberet quasi non esset, ex eo quod potentia motiua esset determinata ad carentiam motus: ergo pari modo cognoscere rationes indifferentes boni, & mali in vtraque parte contradictionis, non sufficit ad libertatem voluntatis; si aliunde ipsa voluntas necessitatis vinculo determinetur ad vnam partem, itavt fuerit impossibile actualiter dissentire motioni illi primæ causæ, cui de facto consentit, & similiter faceret impossibile consentire illi motioni, cui de facto dissentit ex suppositione quod tales motiones datæ fuerint, & non aliæ ratio à priori est, quia omnes rationes quibus supra persuasimus, antecedentem necessitatem esse directe contrariam libertati, eædem omnes vim suam integram retinent, etiam si supponatur intellectum recte cognoscere rationes ex se sufficientes, vt voluntas amplectatur vtramque partem contradictionis. Quapropter etiam hac cognitione suppositâ, si aliunde necessitas antecedens voluntatem ad vnam partem determinat, eo ipso libertatis vsus est impossibilis. Peculiariter vero recolenda est, & huic conclusioni applicanda illa primaria ratio, quoniam nec potest voluntas repellere à se necessitatem antecedentem, neque potest illa necessitas suppositas, non agere ac proinde absolutè non potest non agere id quod agit per antecedentem necessitatem. Quæ ratio nihil prorsus eneruatur, etiamsi supponatur ex parte intellectus, quæcumque cognitio dictans rationes vtriusque partis, dummodo ex illa non sequatur potestas abijciendi necessitatem, vel illi resistendi.

240 Probatur, quoniam in Christo Domino, Beatissima Virgine, cæterisque confirmatis in gratia, tam in patria quam in via indubitabilis erat cognitio intellectus ostendens rationes boni veri, vel apparentis, quæcumque possent excogitari in obiecto suarum volitionum, nihilominus hac veritate præsuppositâ, & nunquam indubium vocata Doctores Scholastici communiter in Christo D. cæterisque sanctissimis personis varias vias, & rationes excogitarunt, vt retineant potestatem vtriusque partis, exclusa necessitate qualibet, quæ antecedenter determinaret ad earum actiones meritorias: ergo supponebant non satisfacere libertati prædictam cognitionis indifferentiam, nisi etiam ex parte voluntatis seruetur indifferentia vtriusque partis electiua sine vllo vinculo necessitatis.

241 Deinde quia quidditas libertatis postulat positis omnibus prærequisitis ad operandum, posse operari, & non operari: sed vnum ex prærequisitis ad libere operandum, est cognoscere aliquam rationem boni, quæ ad operandum inuitet: similiterque vt libere omittatur eadem operatia, prærequiritur cognoscere aliquam rationi boni, quæ ab operatione reuocet animam, & inuitet ad non operandum: ergo libertas vtrumque simul postulat, ex quibus primum prærequisitum ex parte intellectus est, cognoscere duas saltem rationes boni, alteram quæ inuitet ad operandum, alteram quæ inuitet ad non operandum; secundum vero prærequisitum ex parte voluntatis, eiusque libertatem constituens, est, prædicta cognitione posita, & cæteris omnibus prærequisitis adhuc nulla necessitate impediri quominus possit operari, & possit etiam non operari. Quam rationem confirmant omnia, quæ dicta sunt *in disputatione 50. sect. & sequentibus.*

Confirmatur, quia quamuis radicalis, & primaria liberras in eo consistat formaliter quod voluntas ex natura sua sit potens eligere alteram partem contradictionis ex his, quas intellectus proposuerit, propterea que inter conditiones requisitas ad vsum libertatis, vna ex præcipuis conditio sit intellectio proponens bonum, ostendensque rationes pro vtraque parte contradictionis, nihilominushæc omnia non sufficiunt ad libertatis vsum, si aliunde conijcitur voluntas in vincula necessitatis antecedentis, prouenientis ex prædeterminatione physica: sicut manum esse sanam, & integram, nec non cerebrum, & cor, à quibus mouenda est perfecta sanitate gaudere, non sufficit, vt expeditè manum moueas, si à potentiori agente constringeris vinculis ne moueas manum, nisi proprius mouerit potentius agens. 242

## SVBSECTIO XI.

### *Aliud argumentum ponitur.*

NAm suppositâ vestra sententia, non solum sequitur voluntatem creatam habere ligatam & impeditam formalem libertatem, ratione physicæ prædeterminationis, eo modo quo beati habent impeditam, ratione visionis beatificæ, sed quod magis est, neque radicalem libertatem habere, quod sic probo; quia illa potentia, quæ in nullo statu habet plenam indifferentiam ad vtrumlibet, sed semper est determinata, non solum non habet libertatem formalem, sed neque radicalem, vt videre est in potentia visiua, quæ quia in omni statu illi connaturali est determinata ad non videndum, quando deficiunt requisita ad videndum; ad videndum quando habet omnia requisita ad visionem, quia tunc non potest suspendere visionem, sed necessario videt, non solum non habet formalem libertatem, sed neque radicalem. 243

Tunc sic, potentia volitiua, suppositâ vestra sententia, semper & in quocumque statu sibi connaturali est determinata, siue ad non operandum, siue ad operandum, quia voluntas solum in duplici statu potest reperiri & considerari, nimirum in statu sensus diuisi, in quo est diuisa, & separata à physica prædeterminatione, quando non habet illam, & in hoc statu est determinata ad non operandum, quia sine physica prædeterminatione nullo modo potest operari, quia physica prædeterminatio est omnino necessaria ad operandum; vnde in hoc statu nullo modo habet indifferentiam sed potius oppositum illius, videlicet determinationem ad carentiam actus. 244

Item in alio statu potest voluntas existere connaturaliter, scilicet in statu in quo habet physicam, prædeterminationem, & in hoc statu, est etiam determinata ad operandum, quia physica prædeterminatio ex eo, quod sit determinatio vnita voluntati, reddit ipsam determinatam ad operandum, quapropter suppositâ physica prædeterminatione, non 245

non potest voluntas non operari : ergo in isto statu nullam habet indifferentiam, sed omnimodam determinationem; sed præter hos status non datur alius, quia esse cum physica prædeterminatione & esse sine physica prædeterminatione, contradictorie opponuntur, ac proinde non datur medium inter illa : ergo nullus est status connaturalis voluntati, in quo habeat plenam indifferentiam ad operandum, & non operandum; sed potius in omni statu est omnino determinata, sicut potentia visiua, siue ad carentiam actus, quando deficiunt requisita siue ad actum quando concurrunt requisita : ergo neque formalem, neque radicalem libertatem habet voluntas nostra, & sic est sicut potentia visiua supposita vestra sententia : declaratur, quia ideo in nostra sententia voluntas Beati, licet habeat impeditam libertatem formalem, habet radicalem, quia talis voluntas potest esse in statu sibi connaturali scilicet extra patriam in via, & sine visione beatifica à qua ligatur eius libertas, in quo statu habet plenam indifferentiam ad amandum, & non amandum Deum, sed vt iam demonstrauimus supposita vestra sententia, in nullo statu potest reperiri voluntas cum indifferentia plena ad operandum, & non operandum, positis omnibus requisitis ita vt possit operari, & non operari, & quando operatur possit non operari, & quando non operatur possit operari : ergo voluntas neque formalem, neque radicalem libertatem, & indifferentiam habet Dominij & perfectionis, sed potius habet indifferentiam indigentiæ & necessitatis similem illi, quam habet ignis ad comburendum, & non comburendum, non ex dominio quod habeat, ratione cuius possit comburere & non comburere ad libitum proprium, sed potius dicitur indifferens ex indigentia & necessitate, eo quod possit comburere si dentur omnia requisita ad comburendum, & ita tunc comburat, vt non possit non comburere, quia positis omnibus requisitis ad comburendum, necessario comburit) & possit non comburere, non quando comburit, sed quando non dantur omnia requisita ad comburendum, & quando indiget illis (& tunc ita non comburit, & non possit comburere) quæ indifferentia, vocatur imperfectionis, & necessitatis, quia illam habet ignis ex indigentia, & ex necessitate, & non ex dominio, ita similiter supposita vestra sententia voluntas habet indifferentiam solum ad operandum, & non operandum, non simul sed diuisim, eo modo quo ignis videlicet quod possit non operari quando deficit physica prædeterminatio, & tunc non operatur necessario, quia deficiente illâ non operatur, quia non potest operari, & potest operari, quando physica prædeterminatio, & tunc ita potest operari, vt necessario operetur, quia posita illa non potest non operari : sed hæc indifferentia non est dominij, & perfectionis, ac proinde non est libertas, sed potius est indifferentia indigentiæ, imperfectionis & necessitatis, quæ pugnat cum libertate : ergo supposita vestra sententia in voluntate, sicut in igne, neque radicalis, neque formalis libertas datur.

246 Vrgetur, & argumentor sic fortiter, quia ex vna parte conceditis talem sensum compositum esse necessarium ad libertatem, & ex alia parte dicitis talem sensum compositum destruere, & impedire libertatem : ergo euidenter sequitur vos ipsos vobismetipsis clarissime contradicere, atque pugnantia loqui; consequentia hæc sic demonstratur, quia pugnantia loqui est asserere id quod est necessarium ad aliquid, destruere ipsum ad quod dicitur esse necessarium, verbi gratia, si ego assererem vnionem animæ, & corporis esse necessariam ad constitutionem hominis, & iterum affirmarem ipsam vnionem, inter animam, & corpus destruere hominem, nonne in hoc casu pugnantia loquerer? & ratio est manifesta, quia id quod est necessarium ad constitutionem alicuius dat esse illi quod constituit, & id quod destruit, non dat esse vllo modo, sed potius tollit : atqui idem dare esse & non esse idem sunt opposita contradictoria : ergo tu qui asseris sensum compositum esse necessarium ad libertatem, & simul asseris destruere libertatem vel cum illo non posse consistere illam, affirmas simul talem compositum sensum simul esse necessariuum ad illam, & non esse necessarium, & sic opposita contradictoria simul affirmas, ac proinde pugnantia loqueris.

Prima pars antecedentis in qua est difficultas sic demonstratur, quia nihil aliud est sensus compositus, nisi quod simul sit concursus in voluntate creata, & voluntas creata simul excitetur, & moueatur à concursu diuino, hoc est compositio ex voluntate creata, & concursu diuino, quia enim dum concurrit Deus, & existit concursus diuinus in voluntate, resultat hoc compositum voluntas creata adiuta, mota, excitata, completa, & determinata à concursu diuino, ideo voluntas dum habet concursum diuinum dicitur esse in sensu composito seu in statu compositionis, & coniunctionis cum concursu diuino. 247

Sed ad libertatem voluntatis requitur sine dubio, vt simul sint concursus diuinus, & voluntas creata, quia certissimum est quod nec voluntas sola sine concursu Dei possit operari quod est necessarium ad libertatem, nec solum concursus Diuinus sine libertate est sufficiens vt homo libere operetur, quia libere operari est hominem indifferenter operari : sed concursus diuinus solus, est operari solum Deum, & minime operari hominem : ergo ad libertatem creatam nec sufficit concursus seu actio Dei in sensu diuiso à voluntate, siue diuisa ab illa, nec voluntas, in sensu diuiso à concursu Dei, hoc est separata à tali concursu & sine illo, sed necessarius est sensus compositus ex voluntate & concursu diuino. 248

Secunda autem pars, antecedentis est vestra sententia & solutio, vos enim dicitis in sensu diuiso esse libertatem, & non in sensu composito. 249

Secundo contra illam solutionem aduersantium de sensu composito, & diuiso sic argumentor, quia vt bene aduertit P. Suarez, hæc responsio ab vsu voluntatis libere ad facultatem liberam diuertit, & recte quidem diceretur necessitatem illam operandi, quæ à tali determinatione provenit non tollere à voluntate ipsa facultatem radicalem libertatis (ut sic dicam) si necessitas illius determinationis non esset ex impotentia, & indigentia intrinseca voluntatis; nam hoc sen- 250

su etiam si Deus necessitatem inferat voluntati in aliquo actu prout est, non ideo destruet facultatem liberam, sed impediet solum vsum: sed hoc neque in præsenti dicere possunt hi Doctores, quia ponunt hanc prædeterminationem vt necessariam ex indigentis, & impotentia voluntatis ad operandum, ex quo plane sequitur, vt etiam facultas eius libera destruatur, quia si nunquam talis facultas potest libere operari: ergo non datur illa, quia quotiescumque aliqua potentia non potest operari non datur, vt de se patet.

251 Neque etiam si de facultate libera admittamus, quidquam iuuat, quia satis nobis est vsum liberum prorsus auferri demonstremus.

Quod enim pertinet facultatem habere liberam,
252 si ita illam extrinsecus præuentam & impeditam ponamus vt liber vsus nullomodo illi sit permissus; hoc autem euidenter sequitur, si alterutra pars potestatis in omni actu, & in omni vsu est omnino ligata, & impedita, quod ex prædicta positione euidenter sequitur.

Tertio contra, quia hæc solutio est contra
253 Concilium Tridentinum, quod adhuc insensu composito vt videmus asserit dari indifferentiam libertatis, nam definiuit etiam insuper naturalibus actibus posse liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum (ecce sensus compositus ex motione, seu excitatione diuina voluntate creata) & consentire, & resistere si velit vt supra late diximus.

Quarto contra, quia vt ex notabili secundo
254 constat, cum hæc suppositio motionis diuinæ, ex qua & ex voluntate fit sensus compositus sit omnino antecedens si ex illa sequitur necessario actus, talis suppositio tollit libertatem iuxta doctrinam Anselmi in notabili enucleatam, & iuxta dicta supra de vera indifferentia libertati; imo iuxta doctrinam Tridentini, ut ex dictis supra patet.

Sed hæc suppositio motionis diuinæ efficacis
255 ponitur omnino antecedenter ad voluntatem humanam, eiusque consensum, & ex illa sequitur necessario opus, ita ut nulla creatura possit illi resistere: ergo nulla est libertas.

Minor propositio quoad priorem partẽ est ipsa
256 assertio contrariæ sententiæ, & dicenti Deum præuenire nostram voluntatem efficaci præmotione physica prædeterminante suæ voluntatis absolute.

Quoad posteriorem vero partem est de fide,
257 quia voluntati Dei nemo potest resistere; vnde quod Deus absolute fieri vult physice prædeterminando, tam necesse est fieri, vt simplicet contradictionem non fieri.

Maior vero propositio quoad auctoritatem.
258 Anselmi constat ex ipso, vt diximus *in libro de concordia à principio*, ubi non loquitur de suppositione aliqua inhærente, sed simpliciter, & uniuerse; immo potissimum loquitur de scientia & voluntate Dei, & cum illis concordat nostram libertatem per hoc quod non sunt suppositiones omnino antecedentes vsum nostræ libertatis, sed illum potius suponentes aliquomodo vel concomitantes.

Altera vero pars, definitionem libertatis constat ex his quæ diximus supra notabili primo; demonstratum enim est libertatem quoad exercitium requirere indifferentiam ad non agendum secundum proximam, & expeditam potestatem potentiæ liberæ; at in præsenti non relinquitur talis potestas, nam voluntas humana ita applicatur ad operandum cum tali concursu, & motione Dei prænia ad talem actum, ut non sit in potestate eius suspendere suum influxum, sed necessario debet influere, & operari: ergo reverà in usu talis operationis non retinet indifferentiam libertatis.

Confirmatur hoc ac declaratur amplius ex il- 260
la communi sententia Theologorum, scilicet posse Deum manente eodem iudicio intellectus ex se sufficiente ad liberam operationem impedire usum liberum, & necessitatem inferre creatæ voluntati, quod satis clare demonstrat P. Suarez *lib. 1. de concursu Dei cum voluntate, cap. 2.* ex hac enim doctrina sic colligo, argumentorque: non potest Deus efficatiorem vim inferre creatæ voluntati, quam per suam efficacem, & absolutam volitionem, quia non habet ipsemet Deus aliquid in seipso, quo efficatius, & fortius operetur quidquid potest operari; nam operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ita ut mensura operationis sit voluntas eius; nulla autem est voluntas Dei potentior ad operandum, quam sit voluntas efficax, & absoluta: ergo si secundum hanc mouet, & determinat voluntatem, non relinquitur alius modus, quo illi possit necessitatem inferre, immo nec intelligi potest, quæ maior possit esse necessitas quam quod independenter à me Deus statuat quid ego facturus sim, & ex vi illius voluntatis infligat voluntati creatæ entitatem siue modalem, siue realem physice prædeterminantem voluntatem, qua posita non possim aliter velle quam Deus me determinauerit.

Secunda principalis ratio sit, quia ex his om- 261
nibus manifeste patet sensum compositum ex auxilio diuino efficaci, & ex voluntate creata ita esse necessarium, ut non possit voluntas sine eo esse libera, quia sine eo non potest voluntas operari: ergo si ex alio capite probauero talem sensum compositum destruere voluntatis libertatem, sine dubio demonstrabo vestram sententiam omnino destruere libertatem; quod autem talis sensus compositus destruat, sic patet euidenter, quia vt necessitus, quæ est in sensu composito, non tollat libertatem, requiritur vt id quod componitur cum mea voluntate sit in potestate voluntatis, vt sunt actus eiusdem voluntatis, vel aliquomodo pendeat ab eo quod est in potestate voluntatis, vel aliquid supponat, quod à tali pendeat, tunc enim locum habet distinctio illa sensu compositi, & diuisi v. g. qui currit necessario mouetur non absolute, sed in sensu composito, quia impossibile est ut non moueatur quamdiu cursus cum illo componitur, seu illi inest absolute tamen, seu in sensu diuiso libere mouetur, quia in potestate ipsius est cursum inhibere; sic etiam, præscitus necessario damnabitur non absolute, sed in sensu composito; hæc enim est particula diminuens, quia fieri nequit, vt non damnetur composita cum eo illa præscientia, est enim necessaria connexio inter præscientiam, & rem præscitam; absolute tamen potest non damnari? quia in eius potestate est se ita viuere vsque ad ultimum spiritum, vt non moriatur in peccato mortali, supposita diuina gratia, quæ nulli negatur, quod si fecerit, sequetur talem præscientiam numquam fuisse, & ipsum numquã fuisse præscitum nõquid postquam præ-

scieu

scientia semel est posita possit non esse, sed quia si obiectum non fuerit positum, vt potest non poni, sequetur præscientiam illam nunquam fuisse; nam obiectum esse in aliqua temporis differentia, prius est ratione, quam esse eius præscientiam obiectiue quidem, vt ex Patribus & omnibus Theologis aperte colligitur, dum dicunt ideo rem præsciri futuram, quia futura est, non e contra ideo futura est, quia præscitur.

262 Addo, quando aliquid dicitur solum necessario fieri in sensu composito, quod absolute libere fit, solum significari necessariam connexionem inter rem à quæ componitur cum voluntate, & inter actum voluntatis, verbi gratia, inter præscientiam diuinam, & opus præscitum cum inter voluntatem, & opus nulla talis connexio sit.

263 Atqui dum quis habet impressionem prædeterminantem ad velle, non solum est necessaria connexio inter impressionem illam, & volitionem, sed etiam inter potentiam voluntatis & volitionem ipsam; nam potentia ad illam ab alio determinatur; item inter potentiam voluntatis, & illam impressionem; nam hæc connexio non est in potestate voluntatis, vt sit vel non sit; est ergo in hoc casu absoluta necessitas absolutam voco cui voluntas non potest resistere.

264 Ratio autem à priori huius argumenti, & totius doctrinæ est, quia vt homo possit libere dissentire debet habere assensum, & dissensum in sua potestate proxime, vel saltem remote; homo autem prædeterminatus ad consensum neutro modo habet in sua potestate dissensum, non quidem proxime, quia deest illi aliquid requisitum ex parte principij proximi, nempe prædeterminatio ad consensum, non etiam remote, quia non est in sua potestate dissensus; item nec consensus potest esse in eius libera potestate, quia non est in eius potestate quod consensus sequatur, vel non sequatur posita prædeterminatione; hic enim necessario sequitur ex suppositione determinationis ad illum, & fuit in eius potestate quod poneretur prædeterminatio ad consensum seu suppositio illa: ergo non potest ei imputari moraliter, quod ponatur, vel non ponatur consensus: ergo non manet libertas si solum potest dissentire, vel consentire in sensu diuiso.

265 Hæc ratio maximam habet vim, si res moraliter, & sincero animo consideretur, videtur enim tolli de medio vtilitas correctionis, precum, supplicij, suasionis, &c. Pone enim me non esse prædeterminatum ad dandum tibi librum, quem petis, quid mecum præcibus agis, præces enim non prædeterminant, nec causant prædeterminationem? Respondebo tibi impune, quid obtecro faciam, vt prædeterminer ad dandum librum, da mihi medium obtinendi prædeterminationem, dabo tibi librum, alioqui frustra laboras sicut si peteres ab igne niuem, vel ab aqua ignem.

266 Refert D. Didacus Lopes Episcopus Turia de Zonensis, *libro secundo, Historiæ Anglicæ, cap.* 8. Latronem quendam hæreticum fuisse captum in Anglia ab hæreticis eiusdem sectæ, & furti accusatum excusabat ille suum crimen ex doctrina inter ipsos iam recepta, quia prædeterminatus esset ad furandum, quid enim facerem inquit, vt non furarer si prædeterminatus eram, vt furtum committerem, tunc iudex subridens, quia nullam fidem adhibebat tali doctrinæ, ego etiam, inquit, prædeterminatus sum ad te occidendum, sicut tu prædeterminatus fuisti ad furtum committendum, & sic prædeterminaberis ad suspendiũ, sic prudens Iudex excusationem ridiculam, & falsam latronis labefactauit.

Alio modo formari solet hæc ratio in hunc mo- 267
dum, quia si voluntas prædeterminata habet potentiam ad dissensum in sensu solo diuiso: ergo non habet potentiam proximam ad dissensum, sed remotam, sicut homo ligatis pedibus non habet potentiam proximam seu proxime expeditam ab ambulandum, sed remotam, quia potentia proxima includit omnia requisita, quorum vnum est non habere impedimentum ad operationem ambulatiuam: ergo numquam habet voluntas potentiam proximam ad consensum, & dissensum: ergo neque habet propriam indifferentiam, & libertatem: demonstratur hoc exemplis manifestis, ignis enim, ita calefacit quando adsunt omnia requisita, vt tamen possit non calefacere in sensu diuiso, hoc est si desit aliquod requisitum; item oculus quando videt potest non videre, si desit species, intellectus, quando assentitur, potest non assentire si desit motiuum, Beatus, diligés Deum potest non diligere ipsum, in sensu diuiso, hoc est si desit visio beatifica, & tamen hæc omnia non operantur libere, sed necessario, quia nimirum non est in eorum potestate ponere, vel non ponere suppositionem illam, vt quod illa posita non sequatur effectus: ergo ex hac potentia quam voluntas prædeterminata retinet ad dissensum in sensu diuiso, non saluatur bene eius libertas, hoc enim commune est causis necessariis.

Vrgetur ex Patribus, qui semper docent volun- 268
tatem nostram ideo esse liberam, non quia potest in sensu diuiso dissentire, sed quia potest in sensu composito auxilij dissensum facere coniungendo dissensum cum præmotione, & cæteris causis antecedentibus, ita loquitur Augustinus *lib.* 3. *de libero arbitrio, tomo* 1. his præclaris verbis: [ sed laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc breuissimum tene quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti sine peccato ei cedatur: si autem potest non ei cedatur, & non peccabitur.] Augustinus ad libertatem arbitrij exigit quod possit resistere omnibus causis, quæcumque illæ sint: ergo quod si possit coniungere dissensum cum his causis ea est, vt non possit resistere, & sic voluntas libera non relinquitur.

Constat etiam ex Anselmo, necessitatem, quæ 269
non obstat libertati esse illam solam, quæ non facit seu quæ non est causa rei; ita loquitur *lib.* 2. *cur Deus homo, capite* 18. ibi: [ est namque necessitas præcedens quæ causa est vt sit res, & necessitas consequens, quam res fecit: ergo ex mente Anselmi necessitas orta ex prædeterminatione, non est consequens, sed antecedens, quia hæc necessitas facit consensum, non fit à consensu. ] eodem modo loquitur Sanctus Thomas, *libro secundo, phsic. lect.* 15. *text.* 88. vbi dicit, quod necessitas, quæ dependet ex causis prioribus, est necessitas absoluta; addit postea *text.* 89. quod autem habet necessitatem ab eo, quod est posterius in esse est necessarium ex suppositione, vel ex conditione.

Vides aperte apud Sanctum Thomam neces- 270
sitatem, quæ non oritur ex ipso effectu, sed ex causa antecedenti non esse necessitatem secundum quid, sed necessitatem simpliciter, & per consequens simpliciter opponi libertati; sic etiam loquitur *quodlib.* 1. *artic.* 7. *ad* 2. vbi probat naturam rationalem moueri à Deo cum libertate, quia sic Deus mouet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere;

si ergo non posset resistere, seu dissentiri in sensu composito motionis cum voluntate, non moueretur libere.

271 Accedat idem Sanctus Thomas *quæst.6.de malo, artic.1. ad quindecimum argumentum*, explicans, quomodo arbitrium non necessitetur, dum mouetur à Deo, hanc vnicam rationem reddit his verbis: sic ergo illa causa, quæ facit voluntatem aliquid velle, non oportet quod ex necessitate hoc faciat, quia patet per ipsam voluntatem impedimentum præstari, vel remouendo talem considerationem quæ inducit eam ad volendum, vel considerando oppositum, &c. ergo si voluntas neutrum posset, neque aliter posset impedire illam causam priorem à sua operatione, non maneret libera.

272 Respondet Albelda *q.19. art.8. disp.57.§. Respondetur*; in primis hic locum habere vulgatam illam distinctionem de sensu diuiso, & composito recte intellectam, iuxta mentem Aristotelis & D. Thomæ, pro cuius luce inquit, aduertere oportet quod sicuti in hac materia distinguimus duplicem necessitatem, antecedentem alteram, quæ est necessitas causæ per modum naturæ ab intrinseco determinatæ; alteram vero consequentem, quæ nihil aliud est, quam infallibilitas effectus sequuturi, itavt non contingat, talem effectum impediri, quamuis possit; sic eodem modo proportionaliter oportet distinguere duplicem possibilitatem, alteram antecedentem, quæ est indifferentia intrinseca causæ non determinatæ ad vnum; alteram consequentem, quæ nihil est aliud, quam quod de facto aliquando sequatur oppositum eius, ad quod causa erat inclinata.

273 Quo posito sensus diuisus nihil aliud est in propositione affirmatiua de ly *potest*, quam quod possit non sequi effectus possibilitate antecedenti, quatenus causa non præsupponitur intrinsece determinata per modum naturæ, sed potius intrinsece indifferens ad vtrumlibet. Sensus autem compositus in propositione affirmatiua de ly *potest*, nihil est aliud, quam quod aliquando fiat oppositus effectus; vnde in præsenti hæc propositio, stante prædeterminatione physica in Petro de futura pœnitentia eiusdem, sine dubio Petrus potest non pœnitere in sensu diuiso, vera est, falsa autem in sensu composito, quia quamuis stante illa dei prædeterminatione ab intrinseca indifferentia ad vtrúlibet, sic Petrus potest possibilitate causæ proxime non pœnitere, tamen nunquam ita continget stante illa suppositione, & ideo quod nunquam ita contingit, quodam lato sensu dicitur impossibile, id est impossibilitate conditionata, seu consequentiæ, & hoc appellatur non posse in sensu composito: quod tamen nullatenus impedit libertatem quantum ad vsum, quia libertas quantum ad vsum non consistit in hoc, quod est facere oppositum eius, quod aliquis facit; sed in hoc quod est posse proxime ex intrinseca indifferentia non impedita facere oppositum eius, quod aliquis facit, de quo videndus est D.Th.1. *contra Gent.cap.67. & 2.2. quæst.24.art.11.* vbi ait: [charitas ex parte Spiritus sancti mouentis animam ad diligendum Deum impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus sancti, qui infallibiliter operatur quodcunque voluerit; vnde impossibile est, hæc duo esse simul vera; quod Spiritus sanctus velit aliquem mouere ad actum charitatis, & quod ipse charitatem amittat peccando;] vbi impossibilitatem in sensu composito explicuit simul cum vera, & expedita possibilitate in [illegible] diuiso. & *prima parte. q.*

*ad 2.* licet sit possibile, inquit, eum, qui est prædestinatus mori in peccato mortali, secundum se consideratum, id est ab intrinseca indifferentia causæ proximæ, etiam stante illa suppositione, tamen hoc est impossibile, posito prout scilicet ponitur eum esse prædestinatum; vnde non sequitur, quod prædestinatio falli possit.

Sed contra: ergo stante prædeterminatione ad pœnitentiam, est indifferens voluntas ad pœnitendum, & non pœnitendum; itavt possit voluntas, si velit non pœnitere, sed peccare; & nihilominus ipsa voluntas infallibiliter quia volet, non peccabit, sed potius pœnitebit, vt exigit prædeterminatio illa physica; primam enim partem vocat Albelda sensum diuisum, & sic ait, in sensu diuiso posse operari, quia in eius sententia sensus diuisus non est quod voluntas sit separata, & diuisa à concursu diuino physice prædeterminante, id est sine physica prædeterminatione, sed quod non sit determinata per modum naturæ ab ipsa prædeterminatione; secundam partem vocat sensum compositum, quia nihil aliud est sensus compositus secundum hunc Authorem, quam quod aliquando fiat effectus oppositus prædeterminationi. 274

Sed primo, hæc explicatio sensus compositi, & diuisi inaudita est apud Thomistas, quia omnes ante Albeldam, vt patet ex verbis citatis supra Bannez, Nauarrete, &c. sensum compositum, & diuisum asserebant esse, quos supra retulimus, & impugnauimus, imo & ex ipso vocabulo, & terminis sensus compositi, & diuisi patet melius Thomistas antiquiores loquutos fuisse, quam Albeldam; quis enim qui vel solum Latinitatis limina salutauerit, significationem horum vocabulorum, *compono*, & *diuido*, calluerit leuiter, non iudicabit, toto cœlo aberrare Albeldam? sed non mirum, quod sic abutatur hic author terminis antiquis, cum solum intendat hac palliatione verborum fugere fortissima argumenta, quæ contra illam solutionem à Doctoribus Societatis inuenta sunt. Deinde sequitur secundo in sententia Albeldæ illam prædeterminationem non esse vllo modo prædeterminationem, ac proinde sibi ipsi verbis apertis contradicere; patet hæc sequela, quia illa prædeterminatio non determinat, necessitat aut cogit voluntatem ad operandum; siquidem adhuc posita & existente prædeterminatione in voluntate, illa potest absolute & simpliciter non operari id ad quod prædeterminatur, sed potius potest operari oppositum prædeterminationi, itavt in actu primo, non sit minus indifferens, & potest non operari id ad quod prædeterminatur voluntas, quam si non haberet illam prædeterminationem. 275

Sed id quod non determinat necessario, itavt posito illo non possit voluntas resistere illi, nullo modo dici potest prædeterminatio, vt patet ex supradictis, & videre est in habitu, verbi gratia, inhonestatis, qui etiam si ita peccatorem, ad peccatum fornicationis inclinet, vt videatur quasi impossibile posito illo habitu non fornicare (sic refertur de Diuo Augustino, dum Manichæus esset) nihilominus non dicitur prædeterminatio talis habitus, quia non necessitat & determinat vere & realiter, sed potius liberam relinquit voluntatem ad fornicandum, & non fornicandum, ab effectu enim formali colligimus esse formam huius vel illius conditionis: ergo si ille concursus diuinus non habet pro effectu formali præsus diuinus non habet pro effectu formali præ-
determinare voluntatem, & cogere illam ad 276

vnum

vnum vt antiquiores Thomistæ asserebant, certe non erit prædeterminatio, quare in sententia Albeldæ erit & non erit prædeterminatio, & melius loquar ex vna parte conuictus Albelda argumentorum pondere Societatis & ex alia parte oppressus timore discedendi à tam inueterato modo loquendi Thomistarum, & vt solet dici propter timores nocturnos prædeterminationem verbis affirmat, & explicatione negat & destruit.

277 Dices ideo dici prædeterminationem, non quia determinet ad vnum voluntatem, ita vt non possit voluntas non operari, oppositum illius cum simpliciter possit resistere tali prædeterminationi, sed quia infallibiliter operabitur voluntas id ad quod prædeterminatur.

278 Sed contra primo, quia ex hac solutione sequitur Albeldam destruere omnia principia Thomistarum; primum enim principium Thomistarum, erat quod voluntas non possit resistere prædeterminationi, vt patet ex verbis supradictis; & infra afferendis Thomistarum, in quo nulla dabatur dubitatio ante adventum Albeldæ ad mundum, qui potius Antithomista quam Thomista) Albelda autem ait voluntatem posse resistere illi; ecce ex diametro opponitur illis.

Thomistæ asserebant, ideo dari prædeterminationem ad vnum, quia nulla potentia indifferés & indeterminata potest operari aliquod opus determinatum, nisi prius determinetur & ab indifferenti ad determinatam reducatur. Albelda autem asserit adhuc posita prædeterminatione manere indifferentem voluntatem ad vtrumlibet, & potentem operari & non operari, & sic indifferentem determinatum opus conversionis efficere, imo ita operatur ait stante prædeterminatione, vt indifferens & indeterminata operetur, quia ipsa vult & non quia cogitur à prædeterminatione; vnde Albelda in re Societatis veritatem defendit & inde oppugnat Thomistas licet hypochrisi verborum eorum vestigijs insistere videatur.

279 Secundo contra, & interrogo an hæc infallibilitas sit ab ipso auxilio faciente quod operetur, ita vt non possit voluntas non operari vel resistere & sic iam hæc erit prædeterminatio physica, vt antiquiores Thomistæ asserebant, contra quam insurgunt omnia argumenta supra facta, quæ eludere intendens Albelda solutionem illam confictam proposuit.

280 Vel illa infallibilitas ita sit à scientia cognoscente ab æterno quod si tali auxilio adiuvetur voluntas operabitur illa certissime, & sic est concedere scientiam mediam seu conditionatam, deinde est ligatis manibus & pedibus ad nostram sententiam procumbere illiusque veritatem venerari & infallibilitatem aut efficaciam auxilij non in physica prædeterminatione, sed incongruitate morali proueniente à scientia media, & terminatur à voluntate creata ponere & collocare, vnde est incidere in id quod ipsi Thomistæ tantum abhorrent, & de quo ita blasphemant.

281 Deinde si non confiteatur Albelda infallibilitatem & efficaciam auxilij eo modo esse quo nos ponimus illam, sed alio modo vt supra contra illam insurgit argumentum tertium principale cum omnibus suis confirmationibus, quibus vtimur ad talem infallibilitatem infringẽdam, videte illud validissime hanc solutionem in principijs Thomistarum oppugnant.

Præterea, quia in vestra sententia nulla est hæc 282
infallibilitas, in casu posito, nam Deus per vos non potest sua scientia diuina cognoscere infallibiliter in voluntate & potentia creata aliquod opus futurum, ex quod voluntas creata sit indifferens ad vtrumlibet, & in esse indifferenti, & determinato non potest aliquid determinatum cognosci: atqui per te adhuc posito illo auxilio manet voluntas indifferens ad hoc vt operetur & non operetur cum illo, quia tale auxilium est huiusmodi, vt voluntas possit vti & non vti illo: ergo scientia diuina & terminata ad voluntatem vel ad illud auxilium in voluntate existens, non dum infallibiliter cognoscit tale opus futurum: ergo tale auxilium nullam habere potest infallibilitatem; si ex vno capite negas scientiam conditionatam, & ex alio capite negas ita physice prædeterminare, vt necessitet voluntatem & cogat illam determinate ad operandum, ita vt non possit voluntas tali auxilio resistere.

Tandem, quia cum illa infallibilitas non pro- 283
ueniat ex suppositione vsus ipsius liberi arbitrij, ac proinde non sit fundata in impossibilitate consequente necessario est absoluta, & antecedens, & sic erit physica prædeterminatio eo modo quo docebant Thomistæ antiquiores, & non eo modo quo tu contra illos asserebas.

Confirmatur, quia infallibile est quod est de- 284
nominatio à cognitione infallibili supponit in obiecto impotentiam aliquam aliter se habendi; nam si aliter se potest habere cognito circa illud obiectum, erit infallibilis, ac proinde supponere debet in obiecto aliquam necessitatem ita se habendi, quæ cum non fundetur in ipso vsu liberi arbitrij ante præuiso, per vos est necessitas absoluta & antecedens, ac proinde pugnans aperte cum libertate.

Vrgetur; & admitto quod asserunt aduersarij, 285
nimirum cum physica prædeterminatione posse compati potentiam ad dissentiendum.

Sed contra argumentor, quia vel physica prædeterminatio repugnat cum indifferentia voluntatis ad dissentiendum, & sic repugnabit cum libertate, ac proinde expellenda erit secũdum Concilium Tridentium & secundum totam fidem catholicam; quia indifferentia est ipsa libertas formalissime, vel non repugnat; si non repugnat habemus intentum, quia cum negamus physicam prædeterminationem, hoc solum negamus, nimirum quod posita formali determinatione in voluntate non possit vna simul cum illa poni dissensus, circa obiectum circa quod physica prædeterminatio ponit consensum.

Quod autem simul sint consensus & dissensus 286
plane repugnat, quo circa non solum non ponet dissensum stante physica prædeterminatione ponente consensum, sed nec potest ponere, quia homo non solum non facit contradictoria, sed nec potest facere, est autem cõtradictio quod simul assentiatur & dissentiatur, quia est non assentiri; si: ergo necessario consentit ex tali suppositione non habet potentiam ad coiungendum dissensum simul cum tali auxilio ex vi talis suppositionis posito, quia tale auxilium necessario inducit consensum qui omnino pugnat cum dissensu.

Tertio principaliter sic argumentor confirman- 287
do amplius dicta; quia necessario ex sententia aduersariorum vnum ex duobus necessario debet sequi, aut quod physica prædeterminatio subdatur voluntati, aut quod non subdatur,

sed

sed potius rapiat illam ad opus ex necessitate ad operandum, sed quodcunque sequatur est maximum inconueniens contra vos, & maximum absurdum in vestra sententia: ergo maxime absurda est conclusio illa, ex qua sequitur tale absurdum, & inconueniens.

288 Maior est euidens, quia duo illa subdi videlicet, & non subdi opponuntur contradictorie: sed inter opposita contradictoria necessario debet vnum ex illis euenire, quia non datur medium inter illa secundum illud euidentissimum, axioma, nimirum quodlibet necessario aut est aut non est: ergo necessario, physica prædeterminatio debet subdi voluntati, aut non subdi, debet rapere illam aut non rapere.

289 Minor quoad primam partem, videlicet quod ex eo quod physica prædeterminatio subdatur voluntati, sequatur absurdum &c. sic patet, quia si concursus subditur voluntati, voluntas ex sua liberalitate poterit, suspendere suum influxum nonobstante tali motione & prædeterminatione & resistere illi, ex quo sequitur manifeste talem concursum, motionem seu prædeterminationem non esse talem, nec posse dici determinationem physicam quod est aperte contra aduersarios; vnde ipsi sibi ipsis contradicent, quod nullum aliud maius absurdum potest erui contra ipsos. Sequela hæc sic demonstratur quia illa est prædeterminatio physica, quæ formaliter & intrinsece prædeterminat, cogit & necessitat voluntatem: sed ille concursus non prædeterminat voluntatem cum indifferentem relinquat illam vt possit operari, vel non operari, suspendere aut non suspendere suam operationem adhuc posito diuino concursu: ergo talis concursus non est prædeterminatio physica.

290 Explicatur, quia ideo auxilium sufficiens non est physica prædeterminatio, & idem est de habituali charitate supernaturali, quia licet auxilium sufficiens, & habitualis charitas inclinent ad suum actum, & ex se formaliter libera non sint, tamen habitualis charitas & auxilium sufficiens subduntur voluntati: ita vt licet existat habitus, & auxilium in voluntate, potest voluntas suum influxum suspendere, etiamsi sine sufficiente auxilio, & habituali charitate, non possit operari voluntas actum supernaturalem: ergo supposito concursu diuino & auxilio efficaci potest voluntas operari, & non operari, & subditur tale auxilium efficax illi, minime poterit cum veritate dici illud auxilium efficax esse prædeterminationem physicam, quia si talis esset physice prædeterminaret voluntatem, & si physice prædeterminaret illam, non subderetur voluntati tale auxilium, sed potius ipsam raperet secum ad operandum necessario, & ipsi concursui subderetur voluntas.

291 Quod si totum hoc concesserint contrarij, maximo gaudio perfundemur quod ipsi aduersarij tollant è medio prædeterminationem physicam voluntatis ad vnum; nam ipsa præmotio diuina vt in actum secundum exeat à nostra libertate, pendet vt illius liberum vsum expectare dicatur.

292 Tamen si hæc vera sunt secundum rem, falsum erit appellare auxilium efficax prædeterminationem physicam, vt patet exemplo habitus, & auxilij sufficientis.

Item falsum erit principium illud quo hi au- 293
thores vociferantes, & manus ad cœlum tollentes vtuntur, scilicet à voluntate creata indifferenti nullum determinatum affectum posse prodire, nisi prius determinetur, quia voluntas etiam illa præmotione affecta adhuc est indeterminata, quandoquidem potest adhuc posito illo auxilio operari, vel non operari, & tamen potest exire in actum secundum, cum solo concursu concomitante, & cum auxilio relinquente voluntatem indeterminatam sine alio prædeterminante, neque enim potest aliud prædeterminans auxilium postulari suppositis prædicta responsione, quia de illo vsque in infinitum procedit simi'is ratio, vt de se patet.

Falsum denique est hanc motionem esse ita 294
actualem vt sit quasi inclinatio ipsius actus secundi, & inseparabilis ab actuali concursu primæ causæ, & opere seu conuersione actuali quam ipse peccator facit medio auxilio efficaci, quod etiam ipsi Authores aiebant, nam re vera est solus actus primus & separabilis in reipsa à secundo per vsum libertatis nolentis operari: non ergo potest illo modo in ea sententia responderi nisi ab illa plene recedatur.

Supposito quod illi Authores asserunt tale au- 295
xilium infallibile esse, inquiri potest vnde sciant, aut vnde sit certum & infallibile voluntatem semper operari posito concursu si talis concursus subdatur ipsi, & potest non operari, & suspendere suum influxum posito tali concursu, aut enim id est infallibile in sola præscientia Dei cognoscentis ex sua æternitate futuros esse effectus, vt præsentes, & hoc non est ad rem; tum quia talis præscientia non requirit prædeterminationem in causa, tum etiam quia si talis forma ex se non habet necessariam coniunctionem, cum actu secundo; vnde constat, aut qua reuelatione ostensum est Deum præsciuisse semper intercedere hanc coniunctionem; esseque necessariam illationem, & consequentiam inter hanc prædeterminationem & actum secundum; quod si connexio non est infallibilis in tali præscientia, necessarium est quod illa infallibilitas, quæ absoluta esse dicitur; & simpliciter oriatur ex intrinseca natura talis formæ, & ex modo operandi eius, ac denique ex intrinseca repugnantia, quæ sit in hoc quod voluntas determinetur à Deo, & non operetur, & sic non solum sequitur voluntatem operari semper cum illa motione, sed etiam non posse non operari, quia illa repugnantia oritur ex necessaria connexione, inter determinationem, & actum, & maxima efficacia illius determinationis cui non potest voluntas resistere: nam si possit non erit repugnantia quod posita determinatione, non sequatur actio, ac proinde non erit infallibilis effectus supposito tali auxilio efficaci.

Nisi fortasse dicant illud posse solum consiste- 296
re in hoc quod ablata illa prædeterminatione potest voluntas non operari, quod esset ludere verbis, & transire de sensu compositio ad diuisum, quia id non esset posse resistere aut abijcere motionem, sed esset retinere solum radicalem potentiam ad non operandum si Deus ipse cesset à motione, quæ potentia semper manet in voluntate etiam si maxime necessitetur à Deo: nullus ergo apparet modus, quo hæc determinatio cum libertate arbitrij in ipso vsu, & cum doctrina Concilij Tridentini in concordiam redigatur.

Deinde

Deinde idem euidentius vrgeo, quia vel Deus cognouit ab æterno antequam decernat mouere voluntatem tali motione ipsum liberum arbitrium posita illa motione se determinaturum ad operandum ex sua voluntate, & quia volet solum, & non quia determinauit, nec rapiet, aut necessitabit ipsam voluntatem ad operandum talis motio, vel non cognouit antequam tale decretum faceret; si cognouit, & ideo est infallibilis illa motio: ergo in mente diuina extitit pro tunc hæc veritas, si ego Petrum moueam tali motione ipse quia volet, & non quia rapietur ab illa determinabit se ad operandum, sed hæc est scientia conditionata, & media futurorum vt de se patet: ergo conceditis in Deo scientiam conditionatam futurorum, quam abhorretis maxime.

298 Deinde (vt supra dixi breuiter) efficaciam auxilij ponitis sine dubio non in physica prædeterminatione, sed in congruitate proueniente ex scientia conditionata, tanquam à dirigente ex Decreto Diuino, tanquam ab imperante ex omnipotentia, tanquam ab influente ex voluntate creata, tanquam à causa concurrente, &c. & sic nostram sententiam quam verbis increpatis, & reprehenditis coacti veritate, & vi argumentorum nostrorum mente, & responsione sequimini, hoc est in re. Patet hæc consequentia, quia nos ideo in congruitate illa ponimus efficaciam auxilij, quia asserimus opus illud à voluntate creata faciendum, vt infallibile dependere ab omnibus illis, nam si ponatur à Deo talis motio de qua cognoscit sua scientia, quod si moueatur homo per illam operaturum esse sine dubio, ac proinde ad hoc vt de facto operetur voluntas, debet Deus decernere mouere voluntatem motione vt sic cognita à scientia, & post decretum illud mouere in tempore, qua posita voluntas cooperabitur sine dubio. Ecce quomodo operatio illa dependet ab illis omnibus: ergo si eodem modo ponitis efficaciam auxilij, & infallibilitatem, sine dubio in congruitate, & non in physica prædeterminatione ponetis, quia admissa congruitate non est necessaria physica prædeterminatio ad mouendam voluntatem.

299 Si autem non cognouit antequam decerneret mouere illam: ergo nec cognouit postquam decreuit, quia tale decretum nihil posuit efficaciæ in tali motione; imo si postquam decreuit, ex eo solum quod decreuerit cognouit esse efficax ad mouendam voluntatem, vel cognouit esse efficax, quia decreuit mouere voluntatem illa motione, ita vt ex se non haberet talem efficaciam, nisi per decretum illam accipiat, & ideo decreuit vt tribueret efficaciam Decreto suo tali motioni, vel cognouit motionem illam ex se, & ante Decretum esse efficacem, & ideo decreuit potius hac, quam alia mouere, quia potius hæc quam alia habebat hanc efficaciam; si dicatur hoc secundum: ergo cognouit antequam decerneret, quod si ipse vellet mouere voluntatem illa motione ipsa voluntas, quia volet se determinare libere se determinaturam, sed hoc est cognoscere futurum sub conditione: ergo iam Deus habet scientiam de illo obiecto, vnde habebit sine dubio scientiam conditionalem, quod est contra vos.

300 Declaratur amplius hoc, quia in sententia prædeterminantium Physice euidentissimum est Deum ante omne decretum prædefiniens, aut actum bonum, aut gloriam prænouisse medium determinatum, quo posito sine contingentia foret gloria, foretque actus bonus, quia physice prædeterminationes non habent contingentem solum connexionem, sed necessariam cum actibus bonis, & gloria quæ ab eis dependet, quod probat latissime P. Herize 1 *p. tractatu de scientia Dei, disput. 6. capit. 2.* atqui hæc scientia non est futuri contingentis, sed futuri necessarij, vt hæc verbi gratia si sol existat in nostro Hemisphærio dies erit, itaque nulla sententia cui placent hæc decreta prædefinitiua, aut prædeterminatiua potest non admittere scientiam aliquam conditionalium vt necessariam ad prædestinationem: ergo.

Præterea, quia decreta Dei in negotio præ- 301
destinationis hominum ita ordinata, & statuta sunt, vt nihil obsint libertati in adquirenda, aut amittenda gloria, & in exercitio cuiuscunque actus boni, vel mali; sed si constituantur decreta prædeterminatiua, aut gloriæ aut actuum liberorum sine scientia conditionata ea decreta de medio tollunt libertatem in adquirenda, & amittenda gloria, & in exercitio actus voluntatis: ergo necessaria est scientia conditionata ad prædestinationem si datur decretum prædeterminans & Physica prædeterminatio.

Maior huius discursus quoad vtramque par- 302
tem de fide est, vt de se patet, consequentia est manifesta. Minorem in qua tota consistit difficultas sic probo, si ponitur prædeterminatio, aut voluntas prædeterminans physice ad gloriam, aut ad amorem Dei (absque præscientia medij, quo infallibiliter, & indifferenter futura sit gloria aut actus amoris si ponatur tale medium) exponit se Deus periculo frustrandi suum decretum, nisi voluntatem ita adigat, & impellat ad amorem, & ad actus bonos, vt impossibile sit, & coactioni, & impulsui resistere; at si ita adigitur voluntas, & impellitur, non manet libertas ad amittendam, & adquirendam gloriam, neque indifferentia ad actum, & negationem eius: ergo ablacta scientia media si ponuntur hæc decreta prædefinitiua & prædeterminatiua in prædestinatione perit præfata libertas. Maiorem hanc sic probo, etenim nisi voluntas ita impellatur ad actum vt impossibilis sit resistentia, manet resistentia possibilis: ergo etiam possibile erit irritum reddi, & casum decretum efficax prædeterminatiuum Dei, etenim vt posita de facto resistentia de facto frustratur decretum, ita posita possibilitate resistentiæ ponetur possibilis frustratio, ita vero impossibile esse frustrari decretum efficax Dei, vt implicet contradictionem apud omnes Theologos in confesso est: ergo. Minorem vero nimirum posita ea coactione, & impulsu cui impossibile sit resisti à voluntate in differentiam, & libertatem euerti nostri Doctores variis in locis tam manifeste demonstrarunt, vt doctrinam oppositam ab omni schola bonæ Theologiæ relegarint.

Confirmatur, nisi Deus habeat scientiam con- 303
ditionatam metaphysice certam futuritionis conditionatæ actus boni, vel gloriæ in certo gradu imprudenter prædefiniret, & decerneret prædeterminando, tum actum tum gloriam; sed repugnat Deo omnis imprudens prædefinitio: ergo scientia conditionata necessaria est in opinione, quæ adstipulatur his decretis, quæ infallibiliter operi mandanda sunt sine determinatione physica cogente, & necessitante voluntatem ad opus.

304 Probo hanc consequentiam, quia in omni sententia ordo prædestinationis prudentibus decretis constat. Probo maiorem, imprudentia est præstituere vt sit infallibiliter, & absolute finis nulla relicta contingentia vt non sit ante præscientiam metaphysice certam de medio, quo infallibiliter erit si applicetur; etenim circunscripta hac præscientia, solum cognoscitur medium quo possibile est finem poni in rerum natura, non vero medium, quo infallibiliter erit, & adhibito medio quo possibile sit consequi finem, adhuc contingens est ipsum poni, aut non poni; nam possibile indifferens est ad existendum, & non existendum: ergo cum ex intentione prædefinientis prædecreta fuerit efficaciter existentia finis sic prædefiniens imprudenter se gerit, cum perspectum non habeat quo medio finis ille consequendus sit; sed solum quo medio possibilis sit, & proculdubio sic procedens exponit suam efficacem voluntatem periculo frustrandi, quod si hoc vitium est in quocunque gubernatore, à fortiori erit in Deo cuius decreta omnia absoluta propter eorum efficaciam, & potentissimam virtutem subire non possunt periculum frustrandi: ergo si Deus non decernit ita præmouere voluntatem physica entitate ita necessitante voluntatem, vt impediat indifferentiam, & libertatem illius necessario debet habere scientiam mediam vt infallibile sit decretum illius.

305 Si autem dicatur primum, primo sequitur etiam habere Deum scientiam conditionalem, quia Deus hanc veritatem cognoscit sine dubio si ego decrevero mouere hac motione, sine dubio redditur efficax vt voluntas libere operetur opus, & sic libere operabitur quod nihil aliud est nisi habere scientiam conditionalem de futuro libero.

306 Secundo sequitur absolute falsum esse id quod aduersarij asserunt; nam decretum Diuinum est actus immanens & non transiens; ergo nihil operatur ad extra in creaturis immediate: ergo decretum illud non potest facere efficacem motionem, quia efficacia est perfectio creata in motione ac per consequens extra Deum, sed Decretum illud quatenus distinguitur ab omnipotentia non est extra Deum operatiuum; ergo ale Decretum non potest immediate tribuere efficaciam motioni quæ extra Deum est.

307 Deinde, quia nihil aliud est actus ille diuinæ voluntatis efficax, seu Decretum, quam volitio Diuina, sed ex volitione in re volita non resultat aliquid intrinsecum: sed solum denominatio extrinseca, quia esse volitum nihil aliud est quam terminare actum voluntatis, & terminare illum est denominatio extrinseca, sicut terminare intellectionem, hoc est esse intellectum & terminare visionem esseque visum; ergo ex tali Decreto non resultat, nec deriuatur efficacia à motione, quæ in vestra sententia est intrinseca perfectio.

308 Dices ex eo quod Deus vult efficaciter sequi influxum omnipotentiæ in motionem esse efficacem illam, saltem mediate.

309 Sed contra, & interrogo an illa efficacia sit ita in motione, vt determinet voluntatem & rapiat illam, seu necessitet ipsam sine eo quod possit resistere voluntas, vel non; si hoc primum asserant, iam est concedere quod negabant, & negare quod concedebant; de quo postea videbimus, immo iam vidimus talem motionem ratione talis efficatiæ destruere libertatem; si secundum: ergo iam non est physica prædeterminatio; siquidem, vt iam dixi non determinat, & necessitat voluntatem ad operandum sed potius subditur voluntati, & relinquit indifferentem illam; vnde vt supra diximus, sicut habitus non est physica prædeterminatio, ita neque motio illa.

Secundo argumentor, & vrgetur manif. ste, 310
quia hic actus voluntatis procedit à duabus causis, seu voluntatibus, quarum inferior incipit moueri à superiori, quando superior vult, & non est in inferioris potestate, ne illa motio inchoëtur, sed in sola potestate voluntatis superioris, neque etiam potest inferior voluntas non sequi motionem superioris; ergo nullo modo est in potestate voluntatis inferioris illam actionem impedire, nec antecedenter faciendo vt motio Dei non ponatur, nec consequenter impediendo ne habeat effectum: ergo nullo modo est in voluntate, & in potestate voluntatis inferioris illam actionem impedire: ergo nunquam habet indifferentiam dominatiuam.

Deinde sequitur quod etiam ipsi aduersarij fa- 311
tentur, hanc præmotionem esse inseparabilem ab actu secundo ex natura sua, & actum secundum naturali necessitate ab illa manare: euertitur ergo omnino non solum vsus libertatis, sed etiam ipsa libertas in actu primo, quod sic patet; nam dicunt hanc determinationem esse necessariam extrinseca natura creatæ voluntatis indigentis illa: ergo sine illa non est voluntas apta proxime ad aliquid volendum indifferenter, ac proinde neque libere: ergo non solum impeditur vsus libere operandi, sed etiam sequitur potentiam ipsam non postulare ex natura sua illum liberum operandi vsum, quia non potest in sua operatione, & natura duas conditiones repugnantes simul postulare. Præterea, quia vbi non est actus secundus, non est primus, sed in voluntate quæ petit ex natura sua non habere vsum liberum, non datur, nec potest dari actus secundus libere operandi; ergo nec datur actus primus indifferentiæ, & libertatis si ponatur talem prædeterminationem physicam necessariam esse ad operandum, quia posita illa, est falsum dicere, voluntatem posse non operari, quod est necessarium ad libertatem; quod sic patet, quia voluntas sic præmota, & prædeterminata non poterit non operari, nisi possit etiam facere vt ipsa motio seu entitas illa prædeterminans non operetur, quia non potest virtus prædeterminans efficere actum sine voluntate: ergo si ipsa voluntas stante prædeterminatione potest non efficere, potest etiam facere vt determinatio non efficiat ex defectu concausæ (vt ita dicam) necessariæ: ergo è contrario, si voluntas humana non potest efficaciam necessariam illius determinationis impedire, neque etiam poterit non operari illa determinatione posita, & consequenter talis prædeterminatio tollet libertatem, & potestatem quam Concilium Tridentinum docet in nobis manere posita præmotione Dei. Prima vero consequentia euidens est ex antecedenti, quia illa determinatio ex se non habet liberam connexionem cum actu, sed necessariam & non subest in sua actione vsui libero voluntatis, vt asseritur; ergo naturali necessitate procedit actus à voluntate sic mota, & determinata tali motione.

Dices

312 Dices etiamsi sequatur actionem illam voluntatis necessario fluere à voluntate prædeterminata manere libertatem, quia manet indifferens iudicium rationis vt possit iudicare indifferentiam obiecti.

313 Sed contra primo; nam vt bene notat Pater Lessius hæretici huius temporis, qui tollunt veram libertatem in actibus bonis & malis, & dicunt nos necessario peccare & necessario bonum operari, facile admittent libertatem huiusmodi; si nihil aliud ad eam requiratur, nisi iudicium non perturbatum, admittunt enim non perturbari iudicium rationis per gratiæ efficaciam, vel diuinam prouidentiam omnia in nobis operantem, neque tolli iudicij aut obiecti iudicati indifferentiam, qui enim vult dare eleemosynam, vel furari facile videt id quod vult non esse necessarium ad finem, & tamen illud ita vult, ipsorum sententia, vt non possit velle quando voluntas à Deo ad hoc impeditur; at secundum Doctrinam Ecclesiæ amplius requiritur ad libertatem, quam quod ab hæreticis conceditur, alioquin non esset nisi discrepantia in nomine Ecclesia vocante libertatem, illud idem quod hæretici vocant necessitatem.

314 Secundo contra, quia certum est motus gratiæ præuenientis, & tentationum impulsus non esse liberos (non enim in nostra potestate est, vt hæc in nobis non excitentur,) atque experientia constat hæc sæpe in nobis excitari, & perseuerare manente iudicio rationis indifferente circa illud obiectum, potest enim ratio in illo considerare rationem cur possit appeti, & non appeti; hæc ergo iudicij indifferentia non sufficit.

315 Dices illos motus non prouenire immediate ex illa rationis indifferentia, sed ex apprehensione quadam intellectus, vel phantasiæ ad vnum determinata; vnde mirum non est si non sint liberi.

316 Sed contra, quia etiam operationes voluntatis iuxta alteram sententiam non sequuntur immediate ex indifferentia iudicij, sed ex iudicio practico ad vnum determinato, vel potius ex determinatione diuinitus impressa, ac proinde hac in re est paritas; vnde si illi motus non sunt liberi eo quod sequantur immediate ex iudicio determinato, & ex voluntatis applicatione diuinitus facta, neque etiam operationes voluntatis liberæ erunt, quia immediate sequuntur ex iudicio practico, & ex intrinseca determinatione potentiæ voluntatis.

317 Tertio contra, nam hæc indifferentia iudicij in altera sententia non videtur quidquam iuuare ad libertatem actuum voluntatis, nam præter illud iudicium, quo iudicas medium esse indifferens, requiritur actus intellectus, videlicet efficax imperium quo intellectus imperet voluntati, vt acceptet obiectum propositum, qui actus efficaciter rapit voluntatem, ita vt illo stante in intellectu nulla restet libertas in voluntate ad contradicendum, vt docet Medina 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 1. & insinuat auctor quidam Thomista, qui contra nos edidit tractatum quemdam de hac materia his verbis: [Quod iudicium, nempe, quo medium iudicatur ordinandum ad finem practicum est, & cum electione voluntatis necessario coniungitur tanquam radix efficax actualis libertatis.] Hæc autem verba non possunt intelligi de iudicio, quo medium iudicatur indifferens; hoc enim non est practicum, neque efficax actus voluntatis, sed intelligenda sunt necessario de iudicio vltimo practico, vel imperio quod est radix efficax actus, nempe quia cum illo stare non potest, vt voluntas non velit, vt ipsi docent, quod si ad singulos actus voluntatis requiritur tale iudicium, vel imperium, quod secundum se est efficax actus, & quo stante voluntas non potest contradicere, quid obsecro ad libertatem voluntatis in agendo facit quod præcedat iudicium de indifferentia medij, &c. si enim intellectus iudicet medium esse indifferens; tamen hic & nunc iudicat esse eligendum, & illo iudicio posito, voluntas determinatur ad electionem, neque est in eius potestate contradicere vnde illud iudicium de indifferentia medij est impertinens plane ad libertatem voluntatis, cum voluntas ab eo non dirigatur; vtrum autem reuera tale iudicium, vel imperium intellectus requiratur, quo stante voluntas non possit contradicere, infra dicetur.

Quarto impugnatur illa solutio ex verbis Tridentini *sess.* 6. qua probatur contra hæreticos esse libertatem arbitrij, non quidem ex eo quod præcedit iudicium indifferens, sed quia arbitrium potest abiicere, potest non recipere, potest resistere, & dissentire gratiæ diuinæ, potest non consentire, &c ergo sentit Concilium non sufficere indifferentiam iudicij ad libertatem, si non adsit hæc potentia ad resistendum, & non resistendum, alioquin facilius conuinceretur, & probaretur libertas arbitrij ex iudicio indifferenti, quod hæretici ipsi non negant: fatendum ergo est contra mentem Concilij non saluari libertatem arbitrij per solum iudicium indifferens si non adsit potestas arbitrij ad dissentiendum, quam videtur prædeterminatio destruere. 318

Dices posse arbitrium dissentire quantum est ex parte iudicij indifferentis, quod non determinat.

Sed contra hoc non est posse simpliciter dissentire, sed secundum quid, id est, quantum est ex parte iudicij, sicut si dicas hominem, qui apertis oculis videt perfecte viam: sed habet pedes vinculis alligatos, posse quidem ambulare quantum est ex parte luminis, & oculorum hoc certe non est posse simpliciter ambulare, neque ideo potest dici talem hominem alligatum habere indifferentiam, libertatem, & potestatem proximam ad ambulandum, & non ambulandum, sed solum posse non ambulare, quia determinatus est ratione vinculorum ad non ambulandum, etiam si habeat sufficientia lumina, tum oculorum, tum solis ad ambulandum: ergo similiter, si voluntas, & liberum arbitrium determinatur physica prædeterminatione ad propriam operationem consensus, licet ex parte luminis, & oculorum, seu iudicij non determinetur, non poterit simpliciter dici, quod potest dissentire, vel non consentire, aut habere libertatem ad consensum, vel dissensum. 319

Vrgetur à priori, quia potestas dissentiendi non solum includit iudicium rationis indifferens, sed etiam concursum in actu primo præparatum à Deo ad actum dissensus, finge enim hominem habere iudicium illud indifferens de bonitate obiecti, sed tamen Deum negare omnem concursum ad amorem, & odium, nunquid homo ille erit liber vel rationabiliter poterit dici posse amare, & odio habere? nihil minus. Cum ergo prædeterminatio ad consensum tollat concursum Dei in actu primo ad dissensum, 320

( repugnat enim Deum velle in actu primo concurrere ad dissensum cum arbitrio prædeterminato ad consensum ) consequens est nihil prodesse indifferentiam iudicij ad libertatem arbitrij, si cum illo iudicio ponatur prædeterminatio physica ad consensum.

321 Dices in eo casu adesse concursum Dei in actu primo ad dissensum, non quidem ad dissensum cum prædeterminatione ad consensum, sed ad dissensum in sensu diuiso ab illa prædeterminatione.

322 Sed contra, etiam homo ligatis pedibus habet concursum Dei in actu primo ad ambulandum casu quo soluantur pedes, sed tamen simpliciter, & absolute non potest ambulare hic & nunc, nec habet libertatem ad ambulandum, quia hic & nunc non debetur ille concursus ratione illius impedimenti, sic etiam licet Deus offerat homini prædeterminato ad consensum concursum ad dissensum, non tamen potest homo hic, & nunc dissentire etiam cum iudicio indifferenti, quia ille concursus ad dissensum, non debetur hic, & nunc, quandiu non tollitur prædeterminatio ad consensum.

323 Fateor libertatis radicem oriri ex indifferentia iudicij, quatenus ratione illius iudicij indifferentis debetur arbitrio concursus Dei in actu primo ad vtrumque actum, & per consequens debetur negatio totius prædeterminationis, vel necessitatis ad consensum determinate.

324 Fateor etiam esse satis probabile, quod aliqui ex nostris opinantur, non posse stante iudicio indifferenti prædeterminari physice voluntatem ad consensum, adeo enim censent repugnare prædeterminationem cum indifferentia, vt neque etiam cum iudicio indifferenti possit dari prædeterminatio voluntatis, quod docet P. Vazquez 1. *part. disput.* 90. *cap.* 2. *num.* 8. *& disput.* 98. *num.* 32. *& disput.* 99. *num.* 51. & probabile censet Pater Suarez *tomo* 1. *de gratia Prologomeno* 1. *cap.* 5. *num.* 7. licet ipse verius existimet posse dari de potentia absoluta prædeterminationem physicam cum iudicio indifferenti, sed quidquid de hoc sit, negamus tamen salvari quod requiritur ad libertatem arbitrii, si per possibile, vel impossibile ponatur prædeterminatio voluntatis cum iudicio indifferenti, quia iam non maneret potestas simpliciter ad dissensum, vt vidimus.

## SVBSECTIO XI.

### *Solutio quorumdam Recentiorum impugnatur.*

325 QVidam Theologi Dominicani Salmanticenses post tentatas alias vias ad consiliandam libertatem arbitrij cum auxilio prædeterminante, hunc modum excogitarunt, ut fugerent argumenta supra facta. Dicunt enim auxilium prædeterminans dari à Deo dependenter ab ipsa operatione arbitrij ad quam datur non solum in genere causæ finalis, sed in genere quasi causæ, vel dispositionis moralis, non enim datur prædeterminatio, ut homo operetur; sed etiam datur, quia homo se disponit per ipsam operationem ad recipiendam prædeterminationem, sicut dicunt multi, actum contritionis præcedere, vt dispositionem ad habitum Charitatis, à quo tamen habitu ipsa contritio procedit efficienter, & sicut opinantur Thomistæ vltimam dispositionem disponere ad formam, & tamen fieri ab ipsa forma. Hoc ergo supposito facile videtur consiliare prædeterminationem cum libertate, nam licet in sensu composito auxilii prædeterminantis non possit homo non conuerti, libere tamen conuertitur, quia ipsa prædeterminatio datur dependenter ab operatione libera, qua homo se disponit ad prædeterminationem, primum hac ratione explicatur; quomodo qui non conuertitur habeat auxilium sufficiens, quia per ipsum stat quod non habeat prædeterminationem, si enim se disponeret per conuersionem actualem, eo ipso haberet prædeterminationem ad ipsam conuersionem, sicut qui non conteritur habet auxilium sufficiens ad contritionem quia per actualem contritionem potuit se disponere ad recipiendum habitum charitatis, quo eliceret ipsam contritionem.

Hanc sententiam multi graues Doctores appellant sententiam mediam, quia reuera longissime distat à sententia quam antea defendebant Thomistæ, & quam adhuc modo maior eorum pars defendit, & contra quam nostra Societas tandem disputauit, & licet hanc etiam secundam sententiam improbabilem existimemus, non tamen sentio tam acriter contra eam dimicandum, quippe cuius absurdum totum fere deducitur ad principia philosophica *de mutua prioritate inter dispositionem, & formam*, quæ qui semel deuorauerit, iam videtur vtcunque saluare libertatem arbitrij, & indifferentiam, quæ ad meritum requiritur in aliis actibus piis spectantibus ad salutem. Nostri vero Doctores, vsque adhuc disputarunt contra prædeterminationem physicam datam à Deo independenter à libero arbitrio, qualem Auctores Dominicani eam ponebant vt apud ipsos facile poterit videri, & constabit ex eorum verbis; si enim inquiras à Magistro Bañez quid præcesserit ex parte huius hominis, vt prædeterminaretur potius, quam ille: Respondet nihil prorsus præcedere; sic ille 1. *p. quæst.* 23. *art.* 3. *dub.* 3. consequentia vltima his verbis: [ siquis quærat quare quibusdam in singulari hæc dona conferat Deus, aliis vero deneget? Respondetur cum D. Thoma non esse rationem quærendam, hoc enim ex simplici Dei voluntate dependet. ] 326

Facilius certe, sed longe aliter respondent hi recentiores rationem esse, quia hic se disposuit, ille non se disposuit ad prædeterminationem recipiendam? vbi ergo est altitudo illa diuitiarum & inscrutabilitas iudiciorum Dei ad quam nos frequenter remittebant? vbi est illud non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, iam enim iuxta hanc sententiam volentis est, & currentis, & disponentis se ad gratiam efficacem recipiendam, sed quid moramur in hoc? ipsimet agnoscunt diuersitatem huius sententiæ, & eam ut contrariam antiquæ, & hæreditariæ suæ doctinæ fere omnes reiiciunt. 327

Nec mirum, quia ipsimet Romæ dum suam sententiam coram illustrissimis Cardinalibus proferentur ita explicitis verbis dixerunt *in secunda assertione exhibita die* 23. *Maij. anno* 1599. efficacia hæc pendet ab æterno & absoluto voluntatis Dei prædeterminantis decreto in particulari ante prævisionem boni vsus liberi arbitrii futuri actus illos, quibus homo ad Deum conuertitur. Ecce fatentur prædeterminationem dari ante præuisionem nostræ operationis. 328

Retentio

329 Retentiores vero è contra concedunt dari ex prævisione consensus, quo se homo disponet ad eius receptionem, videat Lector an hoc sit permanere, an discedere à priori sententia, quam Romæ defendebat: nobis sufficiat argumenta proposita contra prædeterminationem adeo esse valida, vt robustissimos proceres aduersæ partis coegerint per aliam viam longe diuersam redire ad cognitionem veritatis, & prædeterminationis rigorem adeo lenire, vt faciat iam illam dependentem à libero arbitrio, sed quidquid sit de hoc adhuc nobis non placet, quia ex sententia sic explicata, non videtur vitari satis omnia inconvenientia in hac materia.

330 Primo quia non satis consulitur libertati arbitrii, ponit enim prædeterminationem antecedenter requisitam in genere causæ efficientis ad consensum: ergo consensus non fit libere. Probatur consequentia, quia actus liber est, qui positis omnibus requisitis ex parte principij potest esse, & non esse, vt in superioribus probatum est: sed consensus iste non potest non esse positis prærequisitis ex parte principij, non enim potest non esse posita prædeterminatione, quæ requiritur ex parte principij: ergo consensus non est liber, quomodo enim est liber si non procedit à principio indifferenti ad vtrumlibet.

331 Dices voluntatem esse indifferentem, quia potest dissentire in sensu diuiso casu quo careat prædeterminatione.

332 Sed hæc solutio iam supra impugnata est, & nunc iterum impugnata est, & nunc iterum impugnari potest specialiter, quia Concilia non solum exigunt libertatem in sensu diuiso, sed etiam in sensu composito, vt supra ex eorum verbis ostendimus, petunt enim libertatem, qua possit homo motus, & excitatus resistere, dissentire & abiicere vocationem illam qua mouetur adhuc quãdo mouetur per illam, quæ omnia euidenter sonant aperte sensum compositum, vt ibi probavi, in hac vero sententia non potest homo resistere auxilio prædeterminanti, nec illud abiicere, nec ei dissentire, quia non potest homo coniungere dissensum cum auxilio prædeterminante: ergo adhuc non salvatur libertas, quam Patres, & Concilia exigunt.

333 Secundo displicet hæc sententia, quia dum curat ab altero extremo recedere, & saluare indemnem libertatem, videtur in alterum extremum adeo inclinare, vt tribuat arbitrio plus quã par est in negotio nostræ salutis, ponit enim primam gratiam efficacem dari intuitu nostræ dispositionis, & per consequens initium nostræ iustificationis non prouenire omnino ex gratuita largitate Dei, sed ex dispositione arbitij; nam prima vocatio efficax ad fidem v. g. datur huic homini, quia ipse se disposuit ad illam vocationem recipiendam: ergo iam Deus non antecedit, sed subsequitur nostros conatus: ergo solum aperit pulsanti, & manifestatur soli quærenti, & petenti, qui modus loquendi fugiendus omnino est, ne videamur approbare argumenta, & sententiam Semipelagianorum, & Massilienſium, qui hoc pacto explicabant quomodo ex nobis esset initium nostræ salutis, ac proinde nos mereri de congruo primam gratiam, nam congruum est, aiebant, vt ex vi talis dispositionis compararet homo primam gratiam, quæ datur ex intuitu illius liberæ dispositionis.

334 Dices Massilienses posuisse initium salutis ex viribus naturæ per actus non ortos ex gratia; at vero hos auctores ponere initium salutis in actibus ortis ex ipsa gratia, & ideo totum hoc reducit ad gratiam.

335 Sed contra, quia Massilienses non solum videntur errasse in eo quod ponerent ex viribus naturæ initium iustificationis, sed etiam in eo quod posuerint gratiam pedissequam nostrorum operum, & subsequi ad ea, ex hoc enim fieri videtur contra Apostolum dicentem gratiam non esse gratiam cum iam esset ex operibus, quo Apostoli testimonio frequenter vtebantur Patres aduersus semipelagianos, quare Tridentinum *sess. 6. cap. 8.* docet. [ ideo hominem iustificari gratis, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam promeretur. ] Ecce omnia opera in vniuersum excluſit ne aliquis diceret per opera supernaturalia disponere se, hominem ad primam gratiam obtinendam, & subiungit rationem: [ Si enim gratia, iam non ex operibus, alioquin vt idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia. ] Ergo si præcedit aliquod opus, cuius intuitu detur prima gratia, & illud opus sit supernaturale, gratia non erit gratia; ergo stante firmo hoc fundamento, quo Ecclesia vtitur contra Massilienses non videtur dicendum dari primam gratiam ex dispositione etiam supernaturali, qua homo se disponit ad primam gratiam.

336 Dices iterum Massilienses posuisse initium iustificationis ex meritis arbitrij, saltem de congruo, & ideo erasse, quia quod datur ex meritis non datur omnino gratis; at vero hos auctores non docere consensum præcedere per modum meriti, sed solum per modum dispositionis ad recipiendum auxilium prædeterminans seu primam gratiam efficacem, ex quo non sequitur gratiam non esse gratiam, cum non detur vllo modo ex meritis.

337 Sed contrà, quia in primis Massilienses, non ita contendisse videntur de ratione meriti, vt non videantur contenti, si daretur illis præcedere vsum liberi arbitrij, per modum dispositionis, vel conditionis; imo ipsi fugere videntur sæpe vocabulum meriti, & ideo vocabant nostros conatus ansulam, occasionemque quam Deus inueniret in nobis ad largiendam gratiam; ita loquitur Cassianus *lib. 12. de spiritu superbiæ cap. 14.* his verbis dicimus secundum Salvatoris sententiam dari quidem petentibus, & aperiri pulsantibus, & à quærentibus inueniri, sed petitionem, & inquisitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei id, quod petimus dederit, vel aperuerit cum pulsamus, vel illud quod quærimus fecerit inueniri, præsto est enim, occasione sibi tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblata ad hæc omnia conferenda, & idem docet *collatione 3. capite 3. & 6.* ex quo apparet quam facile contenti essent si daretur illis bonum vsum liberi arbitrij esse dispositionem & conditionem ad gratiam, quantumuis omnis ratio meriti tolleretur.

338 Cæterum in Concilio Arausicano secundo, *Canone 4.* verba generalia passim sunt, quæ videntur excludere omnem præcedentiam, damnantur enim dicentes Deum expectare voluntatem nostram, vt à peccato purgemur, & adducitur ad hoc probandum testimonium illud Scripturæ: præparatur voluntas à Domino; quæ verba de præparatione, quam solus Deus facit intelligit Augustinus *quæst. 2. ad Simplicianum tom. 4. & libro de prædestinatione sanctorum cap. 5. & 16. & contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 8.*

& 9. tomo 7. & alibi sæpe: non ergo videtur iuxta mentem Concilij admittere posse hominem se disponere, & præparare ad primam gratiam habendam, quia iam tunc expectaret Deus nostram voluntatem; siquidem pro illo priori prævideret Deus nostram dispositionem antecedenter ad gratiam, tunc ex tali prævisione moueturDeus ad dandum auxilium prædeterminans in hac sententia, & per consequens non solum Deus præpararet voluntatem humanam, sed etiam ipse homo.

339 Quod vero illa dispositio non sit per modum meriti non videtur tollere multa ex inconuenientibus, & intentum Massilienſium magna ex parte monere, iam enim verum videtur primam gratiam dari pulsantibus, quærentibus, petentibus, & negari non pulsantibus, non quærentibus, non petentibus.

340 Item arbitrium præcedere, & gratiam subsequi, item primam nostram discretionem prouenire à nobismetipsis, non per modum meriti, sed tamen per modum dispositionis; item in nostra potestate esse quod nobis detur gratia efficax, & alia huiusmodi, quæ si Massilienſibus darentur, suspicor illos parum curaturos de nomine meriti, & quæ Doctores Societatis numquam concederent, quare mirum est eos ipsos, qui nos nuper arguebant, quasi nimirum essemus fautores arbitrij, iam tandem ita suscepisse arbitrij partes, vt tribuant in negotio salutis longe pluſquam vllus vnquam ex Societate tribuere auderet.

341 Deinde immerito negat talem dispositionem, quam concedunt esse meritum de congruo, nam Massilienſes numquam aliud concesserunt nisi talem dispositionem ex cuius intuitu dicebant dari primam gratiam à Deo, & quia dicebant congruum esse, vt posita illa dispositione daretur prima gratia, eruunt Doctores omnes ex eorum sententia sequi manifeste talem dispositionem esse meritum de congruo ad primam gratiam recipiendam.

342 Tum sic vos dicitis præcedere talem dispositionem ad primam gratiam, & congruum esse vt prima gratia detur homini ita disposito: ergo dicendum est talem dispositionem esse meritum de congruo, vt Massilienſes, & Semipelagiani asserebant, nam sicut ipsi solum concedebant dispositionem congruentem ad primam gratiam recipiendam, ita & vos; ergo sicut illorum dispositionem dicunt omnes esse meritum de congruo ad primam gratiam, ratione cuius damnatur à Concilio Arausicano eorum sententia, ita similiter (etiam vobis renuentibus, quia quod in re conceditis, negatis verbis:) debet vestra dispositio vocari meritum de congruo ad primam gratiam, quod maxime periculosum est.

343 Dicat aliquis huiusmodi dispositionem non habere aliquod inconueniens, quia non est in genere causæ efficientis, sed in genere causæ materialis, in quo genere non est libertas, nec moralitas, sed videtur esse conditio mere physica, quam non videtur excludere Concilium, nec Patres; hi enim solum videntur curasse de dispositionibus moralibus, quas Massilienſes volebant præcedere.

344 Sed contra, quia licet hi auctores solum dicant præcedere illam dispositionem in genere causæ materialis, re tamen vera vtuntur illa tanquam si præcederet libere, & moraliter, ponunt enim illam vt explicent quomodo sit in potestate arbitrij habere auxilium prædeterminans, nimirum quatenus potuit homo disponere se per consensum ad prædeterminationem quæ esset principium ipsius consensus: ergo licet verbis videantur negare, re tamen ipsa ponunt consensum, vt dispositionem moralem, quia ponunt illum vt dispositionem, media qua causa libera se disponit, vel indisponit libere ad habendum auxilium efficax, quare licet videatur distare hæc sententia à Massilienſium sententia, quia Massilienſes ponebant vsum liberi arbitrij vt dispositionem præcedentem, pendentem ab vtraque causa efficienti, & materiali ante aduentum gratiæ. Hi vero Doctores solum videntur ponere illam dispositionem præcedere gratiam in subiecto dependenter à subiecto, non tamen præcedere cum dependentia à causa efficienti. Item Massilienſes ponebant actum illum bonum disponere ad gratiam, quæ quidem non esset principium eiusdemmet actus, sed alterius actus boni vlterioris. Hi vero Doctores ponunt actum bonum disponere ad gratiam, qua fiat idemmet actus bonus in quo ad minus differunt à Massilienſibus.

345 Nihilominus ex modo ipso quo docent actum bonum disponere ad gratiam prædeterminantem, vt hoc pacto defendant esse in nostra libertate habere, vel carere gratia prædeterminante, videntur re ipsa concedere contra sui ipsorum verba dispositionem illam præcedere, non solum in genere causæ materialis, sed cum dependentia à libero arbitrio, vt à causa efficienti, alioquin non præcedit vt dispositio libera, & per consequens non adstruit vt ratione illius sit in nostra libertate habere gratiam efficacem.

346 Quod vero attinet ad secundum, licet Massilienſes non ponerent actum bonum, vt dispositionem ad gratiam, qua fieret idemmet actus, sed alium diversum; hoc tamen ideo erat, quia ipsi existimarunt esse omnino impossibile illud genus dispositionis, provt re vera impossibile est, quare Massilienſes quod attinet ad Philosophiam satis consequenter loquebantur, si aliunde non errassent in principiis fidei; at vero hi auctores, licet discedant à Massilienſibus in hoc puncto, involvunt tamen contradictionem in terminis, dum ponunt dispositionem moralem ad gratiam qua fiat ipsa dispositio, & aliunde non videntur fugere aliqua illorum inconvenientia, vt supra vidimus.

347 Denique displicet hæc sententia, quia contra commune Theologorũ axioma videtur supponere posse principium meriti cadere sub ipsum meritum, quatenus concedit per actum bonum se disponere hominem ad gratiam efficacem, qua fiat idem actus bonus, & licet non appelletur illud meritum sed dispositio ad gratiam efficacem, quoad hoc tamen parum refert, cum eadem sit repugnantia in vtroque, quis enim credat posse Deum homini cæco ita promittere; si videris parietem dabo tibi oculos quibus eum videris certe modo visio exigatur vt meritum, modo vt dispositio ad oculos vtroque modo videtur in terminis repugnare illa promissio: ergo & hæc, qua dicitur, si habueris actum contritionis dabo tibi auxilium efficax ad ipsum actum habendum, hoc pactum impossibile est quocunque modo explicetur.

348 Sed quia hæc sententia fundatur principio quodam physosophico, quod ab omnibus Societatis Doctoribus falsum appellatur, nimirum posse dari mutuam prioritatem inter causam efficientem

tem, & effectum eiusdem causæ, ideo operæ pretium duxi data opera destruere hoc fundamentum, quo labefactato ruet funditus sine dubio ædificium huius sententiæ, quia illi innititur apparenter.

349 Primo enim sic argumentor, nam actus ille, qui est dispositio ad gratiam efficacem prædeterminantem, præcedit ut dispositio cum tota sua entitate reali, quia in tantum disponit ad auxilium prædeterminans in quantum est actus supernaturalis huius vel illius speciei; sed implicat quod talis actus secundum suam realitatem vllo modo præcedat, aut prior sit prioritate aliqua reali respectu gratiæ efficacis, & prædeterminantis, quæ per vos est vera causa efficiens, quæ producit & efficit realiter talem actum bonum; ergo falsum est illud fundamentum, quo innititur tota sententia aduersariorum ac proinde falsa erit omnino sententia ipsa.

350 Maior est evidens, minor in qua est tota difficultas sic demonstratur, quia illud, quod est prius, & præcedit aliqua prioritate reali, id quod est posterius secundum suam veram, & propriam entitatem est certissimum in illo priori habere illam entitatem secundum quam præcedit id quod est posterius; sed non potest habere effectus veram entitatem in priori ante suam causam; ergo.

351 Minor sic probatur, quia si talis entitas præcederet in illo priori effectus haberet suam entitatem à se, & non à causa; sed hoc est falsum, cum entitatem, quam habet effectus fecerit causa efficiens: ergo effectus non præcedit cum propria entitate in aliquo priori ante suam causam. Maior est certissima, quia effectus ille in illo priori est ante causam; ergo in illo priori non habet esse à causa: ergo effectus habet entitatem in illo priori sine influxu causæ: ergo nunquam habebit per influxum causæ, quia si ad aliquid esset necessarius talis influxus, maxime ad dandum esse effectui; quod non habet effectus; sed in illo priori ante causam effectus habet esse; ergo influxus causæ non est necessarius vt tribuat esse effectui.

352 Dices duas res simul esse posse vnam priorem altera in vno genere, & posteriorem eadem in diverso, vnde effectus, qui in uno genere est prior, in altero genere est posterior & in eo genere in quo est posterior accipit esse à causa, & in genere in quo est prior disponit ad entitatem causæ; sed contra manifeste, quia causa efficiens v. g. est prior in genere causæ efficientis suo effectu; ergo minime est posterior.

353 Probatur consequentia, quia quod est prior simpliciter in vno genere causæ scilicet efficientis non potest esse posterius secundum suam entitatem effectu, quem causat: sed causa efficiens est prior in genere causæ efficientis secundum suam entitatem effectu: ergo secundum suam entitatem non potest esse posterius in genere causæ dispositiuæ, vel materialis.

354 Maior demonstratur exemplo, nam si forma rationalis, vel forma equina produceret materiam primam per creationem quoad entitatem materiæ primæ non posset iterum ipsa anima equi educi ex potentia materiæ primæ, & ratio manifesta est, quia id quod creat aliud, & producit de novo, præsupponitur cum sua entitate ad id quod creat & ad entitatem effectus creati, & effectus creatus habet esse post causam creantem: sed illud quod habet esse post aliud non potest dare esse illi à quo habet esse; ergo si forma equi crearet materiam primam non posset iterum secundum suum esse educi ex materia prima, quia iam daret esse illi, à quo ipsa materia acciperet esse per creationem, quod est impossibile etiam si sit in diuerso genere causæ; sed effectus causæ efficientis, scilicet actus bonus & meritorius accipit esse à physica prædeterminatione: ergo iterum non potest actus bonus dispositiue dare esse in genere causæ materialis, alias materia prima, quæ crearetur à forma equi in genere causæ efficientis posset in genere causæ materialis tribuere esse formæ equinæ, quod est falsissimum, etiam si sit in diuerso genere causæ; ergo similiter, etiam si sit in diuerso genere causæ non poterit actus bonus dare esse dispositiue physicæ prædeterminationi à qua accipit esse in genere causæ efficientis.

Secundo probatur eadem maior, quia id quod 355
præsupponitur, præsupponitur vt existens, & consequenter præsupponuntur omnes causæ à quibus pendet in existendo, qua enim ratione effectus præsupponitur existens nisi causæ talis existentiæ præsupponantur? si enim non præsupponuntur existentes causæ quomodo intelliguntur causasse aut ab illis effectum fluxisse? at inter causas efficientis causæ non præsupponitur effectus à tali causa procedens, alioquin vt eius causa esset prior in genere causæ efficientis ipso effectu, ita ipsemet effectus deberet præsupponi, quod nequit intelligi; ergo effectus causæ non præsupponitur in serie causarum ipsius causæ, quia talis effectus præsupponeretur existens à causa efficienti; hæc autem est ipsamet res, ad cuius productionem ipse supponitur, exempli gratia si albedo esset causa entitatis parietis, paries antequam materialiter causet albedinem actu intelligitur existens extra omnes suas causas, quarum una est albedo; ergo præsupponitur albedo: ergo præsupponuntur omnes causæ albedinis extra quas intelligitur albedo; sed una ex his causis est paries ipse: ergo paries supponitur ante albedinem, ergo paries supponitur ante se ipsum, quod repugnat.

Confirmatur v. g. si calor est causa productiva formæ ignis, & hæc est subiectum caloris, non 356
potest calor intelligi producens formam ignis, nisi ipse intelligatur productus esse, quia debet intelligi ut existens: sed non intelligitur tunc in illo priori quo præsupponitur nisi vt existens in subiecto, quia est accidens, vtque tale concipitur. Rogo antequam intelligatur agere, cui subiecto intelligatur inhærere: non formæ quam producit, quia cum hæc nondum intelligatur producta, non potest intelligi vt affecta calore: ergo implicat intelligere vnam rem priorem alia in vno genere causæ, & eam non intelligere vt simpliciter priorem, nulloque pacto posteriorem suo effectu.

Deinde calor ille simpliciter est natura prior a- 357
ctione qua ignem producit; ergo simpliciter est prior ipso igne: antecedens patet, quia actio à calore dependet, & calor non pendet ab ea actione, neque per eam; ergo calor simpliciter est prior illa actione. Hæc consequentia patet ex terminis, & ex iam supradictis, primam consequentiam probo, quia ignis non est prior illa actione sed simul re natura absoluta & ratione; ergo quidquid est præsuppositum illi actioni, præsupponitur illius termino.

Vrgetur, quia causa prius saltem ratione, aut na- 358
tura ponitur ad causalitatem per quam causat: sed si mutuo se præcedunt causaturque non potest ita poni: ergo. Maior probatur, quia entitas creata prius intelligitur habere suum

esse

esse in se, quam illud alteri communicare, & prius intelligitur proxime potens, quam actu causans, quia potentia proxima est ratio ob quam causat actu, quod adeo verum est, vt inde sit ortum commune adagium actiones suppositorum, quia suppositalitas est vltima naturæ perfectio, quæ donec naturæ adueniat non intelligitur natura operans, quia prius res in se perficitur quam ab ea aliquid fluat; denominationes autem tribuuntur vltimæ formæ, quæ ad eas requiritur, ea de causa actiones tribuuntur suppositis, quia sunt vltimæ formæ complentes naturas requisitæ ad operandum. Minor probatur, quia si mutuo causantur: ergo causa verbi gratia, A, non est prior causalitate per quã causatur à causa B, quia effectus non est prior causalitate qua fit: ergo neque est prior causalitate sua, quia hæc non est prior quam causa B, sed causa A, non est absolute posterior quam B, in hac sententia: ergo neque causalitas causæ A, est absolute posterior quam ipsa causa A.

359 Secundo principaliter sic probatur, quia physica prædeterminatio infunditur homini, quia est contritus, verbi gratia, vel quia toto corde per dilectionem super omnia in Deum conuertitur, & tali modo disponitur ad physicam prædeterminationem: ergo talis contritio, vel dilectio non potest esse ab ipsa physica prædeterminatione, tanquam à principio efficiente proxime: antecedens est ipsa sententia aduersariorum; hi autem auctores cum quibus pugnamus asserunt contritionem, & dilectionem super omnia esse vltimam dispositionem ad physicam prædeterminationem: ergo in illo genere causæ non potest hæc propositio causalis negari, homini infunditur physica prædeterminatio, quia est contritus.

360 Consequentia vero probatur primo, quia si contritio, verbi gratia, eliceretur à physica prædeterminatione, sequeretur manifeste hanc causalem esse veram, homini infunditur physica prædeterminatio, vt conteratur, hoc autem repugnat priori propositioni causali: ergo admitti non potest. Sequela probatur, quia si actus elicitur à physica prædeterminatione, physica prædeterminatio est quæ dat vires proximas, & efficaces voluntati ad eliciendum talem actum: ergo infunditur physica prædeterminatio voluntati, vt per illam tales actus elicere valeat, sicut datur animæ beatæ lumen gloriæ, vt videre Deum possit, vel sicut datur homini auditus vt audiat, & potentia motiua vt moueatur.

361 Ex quibus exemplis facile probatur minor; nam lumen gloriæ, eo ipso quod datur animæ vt videre possit non potest illi infundi, quia videt, idemque est de auditu; nam quia datur homini, vt audire possit non potest ei dari, quia audit, & in vniuersum nulla potẽtia fit in subiecto eo quod eliciat actum eius solum, quia datur vt possit subiectum eum actum elicere: ergo si physica prædeterminatio datur vt homo eliciat actum charitatis, fieri non potest vt homini infundatur talis physica prædeterminatio, quia eius actum elicit. Idem ergo optime declarat exemplum de habitu gratiæ, si daretur homini vt principium quo possit conuerti, seu vt conuertatur, vel è contrario si habitus datur homini vt eliciat actum per quem conuertitur, & nihilominus per conuersionem disponitur ad habitum.

362 Et confirmatur hæc Doctrina ex modo argumentandi Sãctorum Hieronymi *ad Ephesios primo*, & Augustini *libro primo, de prædestinatione Sanctorum, cap.* 17. nam ex eo quod Apostolus in dicto loco *ad Ephesios* 1. ait: elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, inferunt non elegisse nos Deum quia eramus sancti, nimirum, quia illæ duæ causales non possunt simul in eundem actum conuenire, & eodem modo Concilium Arausicanum, *Canone* 25. ex eo quod Paulus de se dicit, *primo Corinthiorum* 7. tanquam misericordiam consequutus à Domino vt sim fidelis, ponderat, & colligit non esse misericordiam consequutum, quia fidelis erat sentiens illas duas causales repugnare eidem actioni, seu respectu eiusdem effectus. Sic ergo in præsenti, si homini physica prædeterminatio infunditur vt conteratur, non ei infunditur quia contritus est.

Et ratio est manifesta, quia particula, *vt*, de- 363
notat causam finalem, quæ in intentione est prior, & in executione posterior, & solet esse effectus in genere causæ efficientis illius prædeterminationis, quæ per talem finem datur, particula autem, *quia*, denotat causam priorem in ordine executionis, quæ sit aliquomodo medium, seu principium respectu talis effectus, siue per modum principij efficientis, vel physice, vel moraliter, siue impetrando, siue aliquomodo merendo; nullo autem ex his modis fieri potest, vt medium sit effectus finis: si ergo contritio est medium ad obtinendam prædeterminationem physicam, non est finis propter quem physica prædeterminatio infunditur, & consequenter neque physica prædeterminatio est principium, quod ad eliciendam contritionem infunditur.

Tertio sic argumentor principaliter, quia effe- 364
ctus causæ efficientis non potest esse realis causa suæ causæ, neque in genere efficientis, neque in alio genere causæ, quæ existentiam realem ad causandum in ipsa causa requirat, sed solum in genere causæ finalis quæ ad causalitatem suam non requirit existentiam in re, sed tantum in apprehensione: at vero actus contritionis, verbi gratia, est talis causa dispositiua physice prædeterminationis, vt ad causandum requirat existentiam realem priorem suo effectu: ergo impossibile est hanc eandem dispositionem esse effectum eiusdem physicæ prædeterminationis in genere efficientis, seu è conuerso impossibile est physicam prædeterminationem, esse causam efficientem actus disponentis proxime subiectum ad infusionem eiusdem prædeterminationis.

Maior videtur per se nota ex terminis, quia cau- 365
sa efficiens ideo non potest immediate efficere, quia vt efficiat supponitur actu, & simpliciter existens, agit enim in quantum est in actu: ergo eadem ratione non potest efficere aliquam causam realem sui esse, quæ debeat supponi realiter existens. Patet consequentia, tum quia si non potest efficere suum esse, quia supponit illud, multo minus potest efficere esse suæ causæ, quod in illa ante suum proprium esse supponit. Tum etiam quia alias saltem mediate esset causa realis sui esse; nam efficiendo, verbi gratia, dispositionem necessariam ad suum esse effectiue pararet viam ad sui productionem, quod non minorem repugnantiam involuit.

Sicut non minus repugnat aliquem generare 366
patrem aut auum suum, quam immediate generare seipsum: similiter ergo non magis repugnat formam inducere seipsam in materiã, quam effectiue disponere, & præparare materiam ad sui receptionem; nam quod in illa causa media muretur causalitas efficiens in dispositiuam parum refert, cum in causa etiam disponente prærequiratur existentia quæ dicitur esse effectiue ab ipsa forma.

Secus vero est in causa finali, quia vt causet non

non supponitur facta, neque existens, & ideo Aristoteles solum inter finem, & efficiens posuit mutuam habitudinem prioris, & posterioris in illis diuersis generibus causarum & ad summum extenditur ad causalitatem materialem & formalem vt infra explicabo, & specialem rationem reddam, non tamen potest habere locum inter actum, qui sit realis dispositio præparans subiectum ad introductionem physice prædeterminantis, & hanc quæ sit vera causa efficiens talis dispositionis, quia talis dispositio supponitur actu disponens, non disponit autem nisi vt realiter existens & producta in subiecto, illudque informans, & ideo non potest in illo fieri à forma, ad quam disponit alias vel fieret à forma, quæ nondum est, vel forma effectiue præpararet subiectum ad sui introductionem, & sic vel præpararet illud antequam in illo esset, & consequenter antequam esset, quia accidens non potest esse nisi in subiecto, quod est contra rationem efficientiæ vel postquam in illo existeret quod est contra rationem dispositionis præparantis materiam, nam iam supponeretur forma inducta in materia nondum præparata.

368 Dicunt vero aliqui non necessario supponi existentiam actualem in causa disponente, vt sic, quia causa disponens materialis est, materia autem potest causare antequam intelligatur esse, vt quidam Thomistæ dicunt, quia materia non causat vt est in actu, sed vt est in potentia.

369 Sed contra, quia falsum est assumptum etiam in causa materiali maxime propria, quæ est materia prima, nam etiam illa non potest intelligi causans, nisi intelligatur existens, & producta ab aliqua efficiente causa, nam licet dicatur causare, vt est in potentia ad formam, non tamen potest causare nisi vt est actu secundum actum quem entitatiuum vocant.

370 Quidquid vero sit de propria, & pura materiali causa, de dispositione reali est id euidentissimum, nam licet dispositio dicatur reduci ad propriam causam materialem, quatenus præparat subiectum & ex parte illius se tenet, in re tamen ipsa disponit subiectum actuando illud, & dando illi aliquod esse, sicut calor v.g. disponit lignum calefaciendo illud formaliter disponit: ergo actuando in suo genere: ergo non potest intelligi causa sic disponens nisi intelligatur existens, & consequenter producta, seu iam educta de potentia subiecti, quod in præsenti est euidentius, quia dispositio non solum est actus actuans, & informans potentiam; sed etiam est actus secundus, & vltimus, qui maximam actualitatem requirit, est etiam actus vitalis, & liber qui intime includit efficientiam hominis disponentis se ad prædeterminationem, & ita talis dispositio non solum requirit actualem existentiam, & realem productionem, sed etiam supponit principium effectiuum sui ipsius iam præexistens, & in actu primo constitutum, vnde impossibile est vt sit, vel præintelligatur constitutum per ipsum nec habitum ad quem talis actus disponit: ergo talis dispositio vt sit, & fiat supponit principium effectiuum talis actus in quo prædeterminario non includatur, & à qua actus disponens sufficienter, & actualiter procedat & consequenter prædeterminatio postea indita ratione talis actus illâ amplius efficere non potest.

371 Quarto sic argumentor principaliter, quia si duæ res se possent causare in diuerso genere causæ: ergo etiam in eodem consequens est absurdum, tum quia in Philosophia est omnino inauditum, & ab omni Philosopho negatum; tum quia nulla interueniret naturæ prioritas inter causam, & effectum; nam inter causas caloris, exempli gratia numeratur efficiens quæ est ignis, & inter causas ignis numeratur calor illum efficiens: vel ergo nulla esset prioritas, vel idem esset prius se ipso in eodem genere: sequela probatur, quia si materia pendet à forma, v. g. ergo forma vere influit, estque vera causa materiæ: ergo materia, vt existat, requirit formam existentem, ad quam existentiam sufficit formam simul esse cum materia, licet aliquomodo sit forma posterior quam materia; sicut ergo forma potest vere causare materiam à qua ipsa forma causatur, cur duæ causæ efficientes non se mutuo causabunt? solum enim dicendum est formam, & materiam posse ad inuicem causari hoc modo vt materia causet entitatem formæ; forma autem non causet entitatem materiæ quoad intrinsecum esse substantiale ipsius materiæ, sed solum quoad esse informatum, animatum, vel humanatum: vnde impossibile est vt forma causet intrinsecam entitatem materiæ, & materia intrinsecam entitatem formæ, ratione cuius solum potest concedi mutua causalitas iam dicta, alias etiam in genere causæ materialis & formalis sequentur incommoda iam relata, quia autem causa efficiens producit entitatem effectus intrinsecam, & substantialem; ideo in hoc casu dicimus filium non posse producere entitatem substantialem sui patris à quo productus est filius quoad propriam entitatem propter inconuenientia iam supra demonstrata; vnde asserendum est in nullo genere causæ, præter causæ finalis, & efficientis, vt iam dixi posse verificari quod vna causa sit causa sui effectus quoad intrinsecam substantiam talis effectus, & quod iterum talis effectus causet intrinsecam substantiam suæ causæ in alio genere causæ ab eo in quo productus est effectus à causa.

Vltimo sic argumentor contra hanc opinionem 372
ex communi illo axiomate, quod principium meriti non potest cadere sub idem meritum; cum ergo physica prædeterminatio sit principium cõtritionis in opposita sententia, non potest eadem physica prædeterminatio dari propter contritionem tanquam propter dispositionem moralem, aut meritum de congruo.

Scio aliquos negare esse meritum de congruo 373
contritionem ad infusionem physicæ prædeterminationis, quia non præcedit, nisi in genere causæ materialis, meritum vero debet esse in genere causæ efficientis, & quidẽ commode ad suam doctrinam, sed falsò, quia alioquin infusio physicæ prædeterminationis, & donorum non esset voluntaria homini, quod est falsum, in tantum enim est voluntaria in quantum disponit se homo voluntarie, & libere ad prædeterminationem, vt ipsi asserunt: ergo contritio provt dispositio intelligitur libera homini: ergo habet quidquid requiritur ad meritum de congruo in esse dispositionis, alioquin nõ magis exigeretur ad communicationem actualis prædeterminationis actus liber contritionis, quam actus necessarius.

Confirmatur, quia actus contritionis propter 374
hanc rationem secundum Concilium Tridentinum est meritoria de congruo respectu gratiæ habitualis, quia est dispositio supernaturalis meritoria, & libera ad gratiam habitualem, sed etiam talis contritio est dispositio supernaturalis, moralis, & libera respectu physicæ prædeterminationis ergo est meritoria de congruo respectu illius.

375 Sed iam concedamus dari mutuam causalitatem inter habitum gratiæ, & actum contritionis, ratione cuius asserunt isti auctores posse etiam dari mutuam causalitatem inter prædeterminationem, & actum contritionis ab illa factum: sed re vera licet detur talis mutua causalitas inter gratiam habitualem, & contritionem, nihilominus ostendam non esse eandem rationem in mutua causalitate inter gratiam habitualem, & amorem Dei, & inter prædeterminationem, & actum, quod sic demonstro.

376 Prædeterminatio ex intrinseco suo conceptu habet repugnantiam, vt componatur cum actu, & eius carentia, quia determinate respicit actum, sine quo non potest existere: sed in hac sententia de mutua causalitate charitas, & gratia ex intrinseco suo conceptu, & secundum se non habet determinationem ad actum, sed possunt cõponi cum eius carentia: ergo non est eadem ratio; vtriusque consequentia patet, quia argumentum sumitur à principio indifferenti secundum se ad determinatum secundum se. Minor datur ab auctoribus mutuæ causalitatis, ad quos non potest argui ad hominem, quia ipsi negant gratiæ determinationem in actu primo ad operandum, & eam admittunt in prædeterminatione. Deinde, quia si gratia non habet eam indifferentiam, iam non est fugere difficultates prædeterminationis, sed eas trahere ad gratiam habitualem; vnde si ipse sentit sententiam suorum esse dignam aliqua censura, hæc etiam sententia mutuæ causalitatis est digna eadem, quod nullus potest recte admittere.

377 Tertio, quia habitus ex natura sua infundi potest sine illa dispositione vt patet in pueris baptizatis, & in adultis iustificatis in Sacramento per atritionem; item potest existere ille habitus tam in pueris, quam in adultis quin operetur; quamuis in actu primo sint in adultis omnia requisita ad operandum: ergo habitus secundum se est independens ab operatione, & ita operatur, vt possit non operari; nam quando operatur in casu, in quo disputo, operatur cum eadem indifferentia, cum qua in adulto iam iusto, in quo multi actus exercentur sine mutua dependentia, & sine determinatione ipsius actus in actu primo, quia iustus omittit libere multos actus charitatis, quos posset libere facere. Maior autem est ipsorum, & probatur, quia prædeterminatio, vel potest componi ex modo suo agendi cum actu, & eius carentia, vel non potest? Si non potest, est maior propositio primi syllogismi; si potest: ergo iam ex natura sua auxilium efficax potest esse inefficax, quia potest carere effectu; item iam illa qualitas esset qualis à nobis constituitur nempe sine efficacia physica ex se.

378 Explico, etiam est mutua causalitas per vos inter formam ignis, & calorem; nec tamen propterea calor producitur libere ab igne: ergo non sufficit quævis mutua causalitas; sed requiritur vt actio ita oriatur ab agente vt ex conceptu ipsius possit non oriri: nam vt effectus sit liber opus est vt habeat indifferentiam respectu alicuius principij, sed etiam non habet comparatione principij passiui, vnde actus prædeterminatus non habet libertatem vt præcise recipitur in voluntate: ergo præcise vt præcedit in genere dispositionis passiuæ non concipimus illum esse liberum: ergo ex hoc conceptu mutuæ causalitatis non iuuatur libertas magis quam si non esset hæc causalitas. Patet consequentia, quia hæc præter influxum actiuum non includit, nisi concursum dispositiuum materialiter: sed in hoc vt distinguitur ab actiuo nulla cernitur ratio libertatis: ergo hæc mutua causalitas non iuuat libertatem: ergo tota libertas sumitur præcise in ordine ad principium actiuum: sed principium actiuum non operatur libere, sed necessario quia operatur cum prædeterminatione ad vnum: ergo hoc genus operandi cum mutua causalitate habet eandem difficultatem, quam prædeterminatio sine causalitate mutua.

Confirmatur, quia non est in nostra potestate 379
habere prædeterminationem; quia vt sit in nostra potestate debet esse libera nobis dispositio ad illam: sed dispositio, vt est dispositio non est nobis formaliter libera, quia vt dispositio non habet influxum actiuum à nobis sed passiuum, item illam debemus habere per influxum prædeterminationis; sed hunc influxum non possumus cohibere ex suppositione prædeterminationis, quia non possumus cum illa componere dissensum: ergo illa dispositio, vt dispositio non est in nostra potestate: ergo prædeterminatio non est in nostra potestate, quod si est: ergo potuimus efficere ne prædeterminaremur. Rogo, illa actio vt libere potuit efficere ne prædeterminaremur à quo principio id habuit actiue? Nam ab aliquo id habuit necessario, quia libertas est in ordine ad agens, non potuit autem eam libertatem habere à prædeterminatione, quia hæc non intelligitur in illo priori, quia in illo priori intelliguntur causæ dispositiuæ ad prædeterminationem inter quas non est ipsa: ergo illa libertas sumitur ab alio principio actiuo non prædeterminante: ergo vel dispositio ad prædeterminationem non est nobis libera vel est ab alio principio non prædeterminante, in hac sententia damus dispositionem illam oriri à principio, à quo potuit simpliciter non oriri quod componi potuit cum actu, & eius carentia: ergo non est eadem ratio mutuæ causalitatis inter actum & habitum charitatis, ac inter prædeterminationem, & actum, quia actus prædeterminatus non oritur à suo principio cum indifferentia, vt cum illo principio componatur ipsius actus carentia, vt oritur actus ab habitu resilit: ergo hæc sententia in easdem difficultates in quas prædeterminatio sine causalitate mutua. Ex quibus manifeste concluditur minime eneruare solutio horum recentiorum argumenta validissima pro Societate.

## SVBSECTIO III.

### *Aliud argumentum ponitur.*

380 SEcundo, principaliter sic argumentor, quia si concursus prævie determinans est ad operandum necessarius: ergo sine illo influxu, seu concursu non potest moueri voluntas tanquam potentia proxima & expedita ad opus, sicut non potest calefacere ignis sine concursu Dei, nec manus potest mouere calamum nisi à voluntate vel appetitu moueatur; nam intimius, & essentialius dicitur pendere voluntas ab hac motione & determinatione Dei in operatione sua, quam dependeat motio manus à voluntate: ergo quandiu Deus non dat hanc determinationem, etiam si omnia necessaria ad volendum adsint, adhuc non est in voluntatis potestate positum velle, vel operari. Probatur consequentia, quia neque est in potestate voluntatis velle sine tali determinatione, neque est in potestate eius habere talem

lem determinationem, vt velit: ergo nequaquam ipsum velle est in potestate eius nisi prius Deus huiusmodi determinationem tribuat, quod solum est in eius potestate, & arbitrio. Vnde ipsi Deo libera esse poterit hominis motio, & determinatio, non autem ipsi homini sicut motio manus libera est voluntati non autem manui.

381 Dices cum Aluarez, *libro tertio, de auxiliis, disputat. 23. n. 29.* concursum illum seu influxum, physice prædeterminantem non esse necessarium vt homo absolute, & simpliciter possit operari, sed solum requiritur vt actu operetur; vnde ex eo quod homo non recipiat huiusmodi concursum, non infertur quod non possit operari, sed solum quod non operabitur, nec sequitur quod non sit liber, sed tantum sequitur quod homo non sit simpliciter primum liberum, neque exemplum adductum de manu mota à voluntate est ad propositum; nam manus à voluntate ita mouetur ad actum liberum, quod non se mouet per actiuum principium liberum sibi intrinsecum, cæterum voluntas creata ita mouetur, & prædeterminatur à Deo præuia motione ad actum liberū, quod in eodem instanti temporis seipsam libere mouet per actiuum principium sibi intrinsecum.

382 Sed contra, quia hæc responsio neque constare potest in sententia dictorum Auctorum, neque simpliciter satisfacere, primum enim dicti auctores docent influxum hunc esse motionem quamdam voluntati impressam, eique inhærentem, quæ est veluti complementum vltimum virtutis necessariæ ad agendum: ergo non solum est necessarius hic influxus vt voluntas operetur, sed etiam vt velle, & operari possit, quæ sine illo virtus voluntatis, imo vt ipsi aiunt virtus etiam charitatis habitualiter infusè est incōpleta, & insufficiens ad actum eliciendum: ergo sine illo influxu non solum nō aget voluntas, sed nec poterit agere, cum autē talis influxus, qui physica prædeterminatio dicitur sit auxilium efficax.

383 Sequitur euidenter sine auxilio efficaci non posse voluntatem operari actum virtutis supernaturalis, sed auxilium sufficiens: ergo cum auxilio sufficienti non poterit voluntas conuerti; ex quo euidenter sequitur nullum dari auxilium sufficiens quod est contra omnes Doctores & Patres Ecclesiæ qui diuidunt auxilium vt sic in sufficiens, & efficax, quod autem secundum principia huius sententiæ non detur auxilium sufficiens, patet euidenter, quia vt probatum est, sine auxilio efficaci non potest homo conuerti: ergo si auxilium sufficiens non est efficax vt probatum est cum illo, vt dixi non poterit conuerti, sed auxilium cum quo non potest homo conuerti non est sufficiens, quia sufficiens dicitur illud cum quo voluntas sufficienter potest conuerti: ergo nullum datur sufficiens, nisi efficax.

384 Iterum sequitur omnibus illis qui de facto non conuertuntur, & quibus negat Deus auxilium efficax physice prædeterminans negare Deum auxilia sufficientia, quod etiam est maxime periculosum in fide, quia in hac vita nulli negat deus auxilia sufficientia, vt possit conuerti, alias nulli imputaretur peccatum quod committit quando non obseruat præceptum de dilectione Dei, aut de contritione, siquidem non habet sufficientes vires ad eliciendum actum illum, quo facto adimplet præceptum, tunc enim imputatur ad culpam omissio actus præcepti quando omittens talem actum ita omittit libere, vt posset facere actum præceptum: sed qui non habet auxilium sufficiēs ad actum præceptum non potest facere illum, neque habet vires sufficientes ad eius effectionem: ergo talis omissio non imputabitur ei ad culpam, quia est carentia necessaria, & non libera.

Confirmatur tota hæc ratio principalis, quia 385
aut hic influxus physice prædeterminans est necessarius per modum principij, aut per modum concursus immediati in effectum ipsum; si dicatur primum, vt necessario dicere debent Auctores illius sententiæ, quia non ponunt hunc influxum esse immediate in effectum aut actum, sed in causam, id est in voluntatem, vt eliciat actum, si hoc inquam dicatur, sequitur hunc influxum esse necessarium ad posse velle, & non tantum ad velle; nam cum dicitur influxum esse ad posse, non est intelligendum ipsum posse, esse terminum, vel finem, ad quem ordinatur auxilium, sed esse quasi effectum formalem, qui confertur per influxum necessarium, quod datur per modum principij, & & confert posse agere, quia cum datur vt principium ad agendum cum voluntate constituit integrum principium agendi, & hoc ipsum est dare voluntati vt possit agere: ergo non tantum ad velle, sed etiam ad posse est necessarium hoc auxilium, quia sine illo nondum est constitutum sufficiens principium, nec sufficiens potentia ad agēdum: ergo implicat intelligere sufficiens posse & solum esse ad agere tale auxilium: ergo sine tali auxilio non potest operari voluntas, ac proinde nullum aliud dabitur auxilium sufficiens, nisi efficax, quod est contra communem sensum Conciliorum, & Patrum, siquidem omnibus conceditur, etiam peccantibus auxiliū sufficiens ad non peccandum, quibus non conceditur auxilium efficax, alias illi, qui peccant non peccarent, quia nullus peccat excitatus, & adiutus efficaci auxilio.

Confirmatur secundo in ordine supernaturali, 386
quia auxilium sufficiens datur per modum principij cum detur absque actu, vt possit facere illum & consequenter vt in ordine sit sufficiens vere debet aliquomodo includere omne id, quod est necessarium per modū principij, quia non potest dici principiū sufficiens illud quod non includit quidquid est necessarium in ratione principij: ergo si hoc auxilium efficax, quod est physicè prædeterminans, est necessarium in ratione principij, sine illo, nullū est auxilium sufficiens quin potius si aliquod auxilium interdum dicitur sufficiens ad actum, quē efficere non potest sine alio maiori auxilio, quod sit etiā principium actus, illud tale auxilium non potest vere esse sufficiens proxime, cum per se non sufficiat, sed remote seu per aliud ad hoc; ostēditur ergo necessarium esse, vt sit in hominis potestate aliquid facere per prius auxilium, quo posterius, & maius obtineat ad efficiendū alium actum: sic ergo in præsenti, si hoc auxilium efficax est necessariū ita per modum principij, vt sine illo non possit voluntas operari, nullum aliud poterit esse sufficiēs proxime, & immediate, sed neque esse potest sufficiens mediate, quia per illud nihil potest facere homo, quo obtineat auxilium efficax, vt ipsimet Auctores illius opinionis frequentius dicunt, ponentes hoc auxiliū efficax in sola Dei voluntate sine vllo respectu ad nostram libertatē, vel eius vsum vt antecedentem, vel concomitantē, sed tantum vt subsequentem, in quo sane consequenter loquuntur. Si vero influxus efficax dicatur tantū necessarius per modum concursus, verum quidem est talem influxum, vt actu collatum, & exhibitum esse necessarium ad agendum, vel volendum, & non ad posse, quia talis influxus hoc modo consideratus, non est aliud quam actio vt manans à Deo.

387 Nihilominus tamen, vt homo ante exhibitum hunc influxum in actu secundo sit simpliciter potens ad talem actum eliciendum, necessariũ est vt habeat alium influxũ ita præparatum seu oblatũ, ex parte Dei, vt sit in manu & potestate hominis habere illud si voluerit; nam si concursus est necessarius ad volendum, & voluntas neque actu illum habet, neque potestate, quia neque illi offertur, neque ipsa quidquam facere potest, vt illum obtineat, nullo modo dici potest voluntas moraliter, & proxime potens ad volendum; at vero si hic influxus, etiam si dicatur esse per modum concursus datur per physicam præmotionem ad arbitrium Diuinæ voluntatis, hic, qui non habet talem motionem, non solum non habet actu concursum, sed neque etiam potens est habere, igitur non solum non aget, sed neque potens est agere.

388 Vrgetur tertio, quia quamuis gratis demus aliquid esse necessarium ad actionem, quod non est necessarium ad potentiam, (hoc quidem est verum in concursu actuali non est in actu primo) tamen ad potentiam simpliciter, scilicet proxime expeditam ad agendum cum omnibus prærequisitis, necessarium est vt homo, saltem in actu primo, seu in potestate habeat quidquid in actionem est necessarium, quia alias potentia non erit proxima, & præsertim moralis, sed tantum remota, & insufficiens: ergo si influxus physice prædeterminans est necessarius ad velle, oportet vt saltem sit in potestate hominis habere illum, alioqui nullo modo dici potest homo habere auxilium sufficiens & moralem potentiam ad eliciendos hos actus, & consequenter nec voluntati eius poterit imputari, quod illos non eliciat.

389 Præterea hic nullo probabilitatis colore accommodari potest solutio aduersariorum, quia præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ est voluntatem non determinatam ab alio, quia indifferens est insufficientem esse & non posse per se se determinare: ergo sine illa determinatione, voluntas non solum non volet, sed etiam, nec velle poterit. Adde quod hæc determinatio dicitur esse necessaria, vt vltimo compleat virtutem agendi causæ proximæ: ergo sine illa non potest agere.

390 Tandem vtcumque sit necessaria, si non habetur nec haberi potest omnis potestas quæ voluntati attribuitur, erit mere physica, & remota, non autem proxima, & moralis, quæ ad vsum liberum, & culpam, aut actum virtuosum necessaria est.

391 In illo autem discrimine, quod reddit aduersarius inter manum, & voluntatem committit petitionem manifestam principij, nos enim asserimus ex sententia aduersariorum sequi, nullum dari in voluntate principium liberum, nullamque in ea reperiri libertatem, quia ideo colligimus in manu nullam dari huiusmodi libertatem, quia mouetur, & determinatur ad vnum sine aliqua indifferentia à voluntate, sed voluntas mouetur à Deo & determinatur ad vnum opus sine aliqua indifferentia illius ad operandum, & non operandum, cum necessario ex suppositione prædeterminationis operetur voluntas id ad quod prædeterminatur: ergo non habet principium liberum à quo in eodem instanti moueatur. Ecce argumentum nostrum.

392 Ad quod respondet Aluarez, manifesta petitione principij dum ait; nam manus à voluntate ita mouetur, quod non se moueat per principium liberum sibi intrinsecum, cæterum voluntas creata ita prædeterminatur à Deo, quod in eodem instanti seipsam libere moueat. Ecce Aluarez manifeste conuictus nullam tribuit solutionem, quia pro ratione conclusionis tribuit ipsam conclusionem, ac proinde committit petitionem principij.

Deinde videtur supponere non posse necessitari voluntatem, etiam si sit libera per aliquam entitatem impressam de foris; nam tota ratio quare Aluarez asserit voluntatem non necessitari à physica prædeterminatione, vt necessitatur manus, est quia in voluntate datur principium intrinsecum liberum, in manu vero non; Hoc autem esse falsum patet clarissime; nam in patria licet intrinsece, & essentialiter sit libera, necessitatur media visione beatifica, & lumine gloriæ existentibus in intellectu beatorum, & sine dubio potest Deus per aliquam entitatem, vel modalem, vel realem existentem in voluntate necessitare illam ad vnum, stante adhuc integro iudicio rationis de obiecto ex se indifferenti, & non necessario; nam vt ait Augustin. *in Enchiridione, capite* 98. Deus qui omnipotens est potest mutare voluntatem hominis quando voluerit, & vbi voluerit; sed ad eandem omnipotentiam spectat posse illam mutare quomodo voluerit si in modo nulla appareat implicatio contradictionis: ergo non solum Deus potest mutare voluntatem seruando eius libertatem, sed etiam necessitando illam & liberum vsum impediendo. Probatur hæc vltima consequentia, quia nulla maior repugnantia in vno, quam in altero modo inuenitur, imo difficilius videtur voluntatem mutare efficaciter salua eius libertate, quam eam necessitando, quæ in priori modo oportet in eadem actione coniungere potestatem non agendi cum infallibilitate agendi, quod videtur difficillimum; in modo autem posteriori cessat difficultas, quia si motio inducit necessitatem, consequenter habebit infallibilem effectum; aliunde vero ex parte ipsius voluntatis creatæ nulla est specialis repugnantia, quia licet habeat duplicem potestatem agendi scilicet & non agendi, potest per omnipotentiam dei secundum alteram sini operari, & secundum alteram impediri ne suammet operationem possit suspendere, tunc autem operatio erit necessaria, & non libera quoad exercitium, quia libertas in operatione non est sola entitas actus, vel modus intrinsecus eius: sed est denominatio à potestate agendi, & non agendi vtique ad vtrumque expedita, seu non impedita: ergo tunc actus carebit tali denominatione, & consequenter erit necessarius, neque in eo quod Deus impediat vsum illius potestatis in voluntate creata, aliqua repugnantia cogitari, vel inferri potest, quia cum omnis potestas causæ secundæ sit subdita potestati causæ primæ, facile potest per illam impediri, ne suamet potestate vtatur, & oppositum videtur multum derogare omnipotentiæ dei, & eius eminentiæ super omnem potestatem creatam; vnde hac ratione potest efficacissime impedire ne voluntas velit negando illi suum concursum, & consequenter necessitando illam ad non volendum, seu vt necessario exerceat potestatem non volendi; ergo etiam potest impedire vsum potestatis ad suspendendum actum, & sic illam necessitare ad agendum, & exercendam potentiam agendi. 393

Deinde

394 Deinde, quia maius dominium habet Deus in voluntatem creatam & magis potens est circa illam, quam vnus homo circa corpus alterius hominis: sed vnus homo potest necessitare alterum hominē vt actionem aliquam necessario faciat, vt deambulare sursum, ascendere, descendere, quæ alias essent actiones liberæ infligendo aliquam entitatem homini; ergo à fortiori poterit Deus necessitare voluntatem infligendo entitatem determinantem talem potentiam illi, vt necessario operetur, quæ alias libere operatura erat, illa autem entitas deberet esse necessario antecedens vsum liberum voluntatis, illiusque potestati non subiaceret quantum ad vsum, sed potius illam sibi subiiceret, & obsequentem faceret, ita vt non posset voluntas illi impressioni resistere, nec se continere quin velit stante tali impressione, seu præuia motione.

395 Exemplo evidentissimo probatur hoc, nam ideo motio seu impetus impressus uni homini ab alio pollente maioribus viribus necessitat illum ad mouendum, id est, vt moueatur, ita vt in tali motu nulla exerceatur libertas, quia talis impetus non dependet à voluntate hominis moti, sed à solo mouente, & respectu illius mere passive se habeat motus, licet postea supposito illo impetu moueatur & actiue se habeat, talisque impetus, seu motio est prædeterminatio ad motum, ita vt non subiaceat moti potestati, seu potius motus subiaceat illi, & non possit tali impressioni resistere: ergo similiter eveniret in casu dicto, vbi omnia, quæ hic concurrunt concurrerent sine dubio.

396 Sed dum Deus influit in voluntatem physica prædeterminatione, talis physica prædeterminatio, seu influxus antecedit omnem vsum liberum voluntatis, & respectu illius merè passiue se habet voluntas, nullumquæ dominium habet supra illum, nec illi resistere potest, quominus talis voluntas determinetur ac necessario rapiatur ad opus illud ad quod prædeterminatur per talem influxum: ergo necessitatur per illum voluntas ad operandum, & supposita illa motione licet in se in actu primo sit libera, minime libere operatur, vt male asserit Alvarez, cum non in potestate hominis sic moti, & prædeterminati, aut habere illam determinationem, aut abiicere illam postquam habet, aut non operari posita illa.

397 Dices esse in potestate hominis habere hanc determinationem, & ideo ei, ut liberæ causæ attribui carentiam eius, & actus, qui ex illa sequeretur.

398 Sed in primis Auctores contrariæ sententiæ non possunt hoc modo respondere: dicunt enim Deum suo arbitrio dare vel negare hanc efficacem motionem quibus vult, & quando vult absque vlla dependentia ab vsu, vel consensu libero humanæ voluntatis, ut antecedente vel concomitanti, solumque respicere illum, vt effectum subsequentem.

399 Deinde non potest quidquam aliud consequenter dici, prosequendo enim exemplum propositum, quid, quæso, facier ille homo vt adeo determinetur ad eam voluntatem vacandi virtuti? nam si eius potestate positum est habere determinationem illam: ergo erit positum hoc in eius voluntate, nam vt Augustinus alias dixit, nihil magis est in nostra potestate quam quod est in nostra voluntate, præsertim quia oportet hanc potestatem esse moralem, vt homini imputetur vsus eius, vel non vsus, potestas autem moralis non est in homine nisi media voluntate; quomodo ergo erit in potestate illius hominis habere illam determinationem, adeo ut virtuti vacare velit? aut enim aliquid potest facere voluntas quo obtineat adeo illam determinationem, vel nihil agere potest? si nihil potest facere: ergo non est in potestate eius habere illam determinationem, quia si esset in eius potestate; saltem efficere posset volitionem, vel desiderium habendi illam determinationem, quia non sunt aliter in potestate voluntatis nostræ, nisi quatenus possumus illas velle, & volendo, aut recipere, aut efficere; si autem aliquid potest libere facere voluntas, quo illam determinationem recipiat; interrogo vlterius an ad illud ipsum libere volendum determinationem requirat, necne? si requiritur, vel procedetur in infinitum vel sistendum erit in aliqua determinatione, quæ omnino ab extrinseco veniat, & non sit in potestate voluntatis, & in illa procedit totus discursus factus, quia tunc nullo modo intelligi potest, quomodo operatio ab illa determinatione procedens fuerit in potestate libera, & morali voluntatis. Si vero non requiritur illa determinatio ad illud opus primum, quod voluntas libere operari potest evidenter concluditur voluntatem indifferentem & nondum determinatam ab extrinseco agente posse se libere determinare ad aliquid volendum.

Dices non oportere, vt voluntas aliquid 400
efficiat ante hanc determinationem, vt illam recipiat, sed satis esse, vt non efficiat, sed se moueri sinat & non impediat determinationem Dei.

Sed hæc fuga vt recte notat Pater Suarez quæ 401
in operibus gratiæ à nonnullis inuenta est, hic nullum habere potest locum, nam si hoc consideretur voluntas humana in exemplo supra posito prius natura, quam hoc, vel illud velit, necesse est vt omnino negatiue se habeat, quia nihil potest ex se incipere: ergo omnino se sinit ad hanc, vel illam partem determinare, neque ex se magis ad vnum confert quidquam, quam ad aliam, si vero consideretur, vt iam aliquid agens quo resistat alteri parti, & non se sinat ad illam determinari illud ipsum erit ex alia prædeterminatione Dei, de illa ergo priori determinatione redibit argumentum, quod esse non potuerit in voluntatis potestate, vel habere illam, vel carere, ac ita tandem eodem revoluimur, nimirum, quod carentia primæ determinationis necessariæ ad volendum non sit in potestate nostra, sed in solo Dei arbitrio, & ideo nec libera esse possit, nec nobis imputari.

Tandem declaratur, & confirmatur hæc ra- 402
tio, nam hæc determinatio dicitur esse à solo Deo; voluntas autem dicitur solum concurrere passiue recipiendo illam; Neque enim eam efficere potest iuxta principia contrariæ sententiæ, quia ante illam voluntas est indeterminata, & vt sic operari non potest, & ideo determinari dicitur vt operetur: ergo ad hāc determinationē solum est volūtas in potētia passiva: ergo non est talis determinatio in potestate libera, & morali voluntatis, quia vt supra dixi potentia passiua non satis est ad liberam potestatem, & est per se evidens, nam quod manus possit determinari ad motum in hanc, vel illam partem non ponit ipsa liberam

potestatem aliquam, sed illa esse poterit in motore: illa ergo determinatio per se, & immediate non est in libera potestate voluntatis, neque etiam dici potest esse in potestate eius mediate, id est, media aliqua dispositione quam si adhibeat recipiet illam determinationem, sicut receptio ptimæ gratiæ habitualis dici potest esse in libera potestate nostra media dispositione libera quæ in nostra est potestate cum Diuino auxilio; non potest, inquam, hoc dici, tum propter discursum factum, quia de illamet dispositione inquiremus quomodo determinatio ad illam sit in potestate nostra; tum etiam quia ex eodem discursu impossibile est requiri in causa secunda dispositionem ab illa ad recipiendum primum, & essentialem influxum primæ causæ, cum nihil possit ipsa sine hoc influxu operari. Tum denique, quia ridiculum est ad omnem naturalem concursum primæ causæ, & ad actus omnes volendi etiam circa res minimas, ad ambulandum scilicet, loquendum &c. dispositionem ex parte hominis requirere propter ipsammet cooperationem liberam, quæ non est dispositio ad concursum, sed potius actio elicita cum ipso concursu.

403 Relinquitur ergo si determinatio hæc necessaria est illam non posse esse in libera, & morali potestate nostra, sed in sola libera Dei voluntate, ex quo vlterius fit quandocumque illa caremus, etiam operationem illam, quæ à tali determinatione essentialiter pendet, non esse in nostra libera voluntate, quia si deest nobis essentiale principium operationis, & illud habere non possimus, neque operationē ipsā habere possumus quandocunque autem voluntas non vult, aut non impedit, etiam positis alijs requisitis caret ista determinatione, & non est in potestate eius habere illam: ergo non potest illi moraliter tribui quod non velit, aut quod non impedimentum ponat; numquam ergo carentia actus volendi, & carentia positionis impedimenti est nobis libera, nec moraliter potest nobis attribui, quia semper oritur ex carentia determinationis, quia non est in nostra potestate, & ob eius defectum etiam actus oppositus, & impedimentum ponere non est in nostra potestate.

404 Denique totus hic discursus fundari potest in quadam communi Sanctorum doctrina, qui Pelagio interroganti quomodo simus liberi ad opera supernaturalia præstanda si ad illa est gratia Dei necessaria, & nobis non datur, vel quomodo nobis imputetur horum operum omissio, Respondent, quia in potestate nostra est habere hanc gratiam, quam Deus nemini denegat; supponunt ergo Patres non posse nos libere omittere, nisi vel habemus omne id, quod ad operandum necessarium est, vel saltem in nostra potestate sit illud habere; Cum ergo illa determinatio nec nobis detur, nec sit in potestate nostra, vt ostendi, si illa est ad operandum necessaria aperte concluditur omissionem operis nobis non esse liberam, nec posse nobis imputari, quod in fide erroneum esse manifestum est.

405 Deinde sic argumentor, & hanc veritatem magis confirmo, quia habere auxilium sufficiens est habere quidquid requiritur ad conversionem, sed prædeterminatio requiritur necessario ad conversionem, ita vt sine illa, nec de potentia absoluta possit poni conuersio: ergo qui non habet prædeterminationem non habet auxilium sufficiens ad conversionem. Item eos omnes, qui non implent præcepta non potuisse ea implere, sequitur manifeste ex illa sententia quod est maxime erroneum.

406 Magister Ioannes Vincentius inter Dominicanos, insignis apud Salmanticenses Theologos dixit ingenue hoc argumentum esse insolubile, teste Ledesma *in lib. de auxil. artic.* 14. paulo ante conclusionem, & in vltima probatione suæ conclusionis ad finem, & propter hoc argumentum non posse defendi necessitatem physicæ prædeterminationis ad actus liberos, alij tamen tentarunt sæpe illud soluere tum Romæ, dum hæc controversia ageretur, tum in libris, & disputationibus occurrentibus.

407 Prima solutio est auxilium sufficiens non dare quod sufficit, vt homo convertatur, dare tamen quod sufficit vt possit conuerti, dat enim posse operari, non vero dat actu operari, quia ad actu operandum necessaria est prædeterminatio. Hæc est solutio apud ipsos communis, recipiturque à Ledesma, & Alvarez, & hoc explicant exemplo albedinis, quæ necessaria est vt Petrus sit albus, non tamen vt Petrus possit esse albus, sic inquit, prædeterminatio necessaria est vt homo convertatur, non vero vt possit conuerti.

408 Hanc solutionem impugno primo, quia videtur esse contra doctrinam ipsorum, dum explicant naturam prædeterminationis, dicunt enim sæpe cum auxilio non prædeterminante non posse hominem converti; sic loquitur Bañez 1. *parte quæst.* 14. *art.* 13. *in editione Salmantina, anno* 1584. *pagina* 675. nulla, inquit, causa secunda potest operari, nisi sit efficaciter à prima determinata: ecce negat non solum operationem, sed ipsum posse sine prædeterminatione. Item Nauarrete *tomo.* 2. *controvers.* 5. §. 1. *vers. & in his principijs*, & alibi sæpe: ergo contra ipsorum sententiam est dicere, quod cum auxilio sufficienti possit homo conuerti.

409 Secundo impugno ratione, quia concursus prædeterminans non est ipsa operatio causæ secundæ; vt supponimus, sed aliquid ad ipsam operationem prærequisitum; ergo pertinet ad actum primum, modo pertineat vt virtus, modo vt complementum, modo vt applicatio causæ secundæ, de quo non constat inter ipsos, sed quidquid pertinet ad actum primum pertinet ad ipsum posse, loquendo de posse proximo, & completo: ergo qui non habet prædeterminationem, non habet posse proximum, & completum, imo habet impotentiam respectu consensus, quia habet prædeterminationem ad dissensum, quæ ex se essentialiter impedit consensum, quomodo ergo habet posse consentire?

410 Tertio, demus prædeterminationem non pertinere ad actum primum sed ad actum secundum, adhuc qui non habet prædeterminationem non habet posse, quia hic homo, qui non consentit, in tantum potest consentire in quantum est in eius potestate ponere consensum, seu actum secundum quem non habet; sed hic homo non habet in sua potestate ponere prædeterminationem, quæ non est actus secundus: ergo non est in sua potestate ponere actum secundum.

411 Item non habet in sua potestate ponere prædeterminationem à qua pendet essentialiter consensus, & aliunde non potest ponere consensum sine prædeterminatione: ergo absolute non potest ponere illum. Pone Petrum non posse iter agere sine equo Pauli, neque esse in eius potestate quod Paulus det equum, quis dicat Petrum simpliciter posse iter agere, si velit, & per ipsum stare quod non agat iter.

Ig

412 In quo obiter apparet exemplum supra positum ex albedine non esse ad rem, nam licet albedo non requiratur vt Petrus possit esse albus, sed solum vt sit albus, requiritur tamen quod Petrus habeat in sua potestate ponere albedinem ad hoc vt Petrus habeat in sua potestate esse album. Ex quo retorquetur exemplum contra ipsos, quia si non esset in potestate Petri ponere albedinem, sine qua non potest de facto esse albus, non esset in potestate Petri fieri album: ergo si non est in potestate Petri ponere prædeterminationem sine qua non potest actu conuerti, non est in potestate Petri conuerti, hoc enim probat exemplum.

413 Quarto implicat in terminis auxilium aliquod sufficere vt possit homo operari, non tamen sufficere vt operetur, si enim sufficit vt possit, ideo erit quia ponit in potestate hominis saltem remote quidquid requiritur vt operetur: ergo sufficit saltem remote vt operetur. Explico contradictionem per terminos summulisticos, hæ enim propositiones sunt contradictoriæ. Petrum cum hoc auxilio conuerti est possibile, Petrum cum hoc auxilio conuerti non est possibile; vtraque autem videtur ver. Probo primum, quia per te auxilium sufficiens dat posse conuerti: ergo denominat hominem potentem conuerti: ergo homo ex vi illius auxilij est potens conuerti: ergo illum conuerti est possibile, nam hæ omnes sunt æquipollentes propositiones.

414 Probo deinde hanc ipsam esse falsam, & per consequens secundam esse veram, quia illa prima modalis resolui debet iuxta regulam summulisticam per vnam modalem v. g. Petrum cum hoc auxilio conuerti est contingens. & alteram propositionē de in esse hoc modo, hæc est in materia cōtingenti. Petrus cum hoc auxilio conuertetur; hæc autem est falsa, quia propositio quæ est in materia contingenti, aliquando est vera, aliquando est falsa, vt dicitur in Summulis; hæc autem per te nunquam potest esse ver., Petrus cum hoc auxilio conuertetur: ergo non est in materia contingenti; repugnat ergo cum dicis auxilium sufficiens dare quod sufficit, vt possit homo conuerti, non tamen quod sufficit ut conuertatur. omnis enim potentia est in ordine ad actum secundum; si ergo repugnat illi actus secundus, quomodo habet potentiam ad illud, aut si habet potentiam ad actū secundum, quomodo semper infallibile est non habiturum actum secundum; Huc enim spectat illud Aristotelis 9. *metaphysicæ, text.* 8. [ manifestum est (inquit) quod non potest verum esse dicere, quod possibile quidem est, hoc enim non tamen erit, alioquin quænam impossibilia sint, hoc modo fugiunt nos. ]

415 Secundo ergo Respondent auxilium sufficiens dare quidem posse incompletum, seu posse quantum attinet ad virtutem operandi, non tamen dare posse completum quantum attinet ad alia complementa, & requisita, quibus virtus indiget, vt exeat in actum secundum sicut potentia visiua dat homini posse videre, licet sine lumine non possit elicere actum visionis, ita Alvarez *disp.* 69. & alibi sæpe.

416 Hanc solutionem facile impugno, quia siue prædeterminatio sit virtus, siue sit complementum, siue conditio, adhuc tamen necesse est hominem habere in sua potestate hæc omnia complementa & requisita, vt sit in eius potestate conuerti, & vt per ipsum stet non conuerti. quando de facto non conuertitur, si enim deest aliquid requisitum, quid mea refert quod desit oculus, vel quod desit lumen; si tamen vtrumque requiritur ad videndum, sane tam non stabit per me; nec imputabitur mihi non videre, quando deficit lumen, quam si deficeret oculus, quia habere vtrumque non est in mea potestate: ergo quandiu nō stat per me carere prædeterminatione, non stat per me non conuerti.

Ideo tertio tandem respondent homini imputari carentiam prædeterminationis ad conuersionem, quatenus suis peccatis impedit auxilium prædeterminans quod Deus daret ad conversionem; inde imputatur etiam illi, quod non conuertatur, sicut si homo prouocetur à Deo ad volandum oblatis alis, & concursu, si homo respuat alas ipsi imputabitur: quod non voler, ita Aluarez *disp.* 28. *num.* 20. 417

Hæc solutio in primis destruit iam commune illud axioma in eorum schola receptum, scilicet auxilium prædeterminans dari ex solo beneplacito Diuinæ voluntatis; hæc enim est illa vox Dominici Bañez relati supra, non esse rationem reddendam, neque quærendam cur his detur prædeterminatio, & illis negetur, hoc enim ex simplici Dei voluntate pendet, ideo enim recurrunt ad altitudinem diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quia non apparet ratio ex parte nostra, sed iam nescio quomodo apparuit aliqua scilicet, quia hic homo peccatis suis clausit fenestras arbitrii, ideo enim non affulsit ei lux prædeterminationis; non ergo videntur stare in sententia illa, qualem à Dominico Bañez acceperunt. 418

Secundo impugnatur solutio, quia vel homo se disposuit ad prædeterminationem per opera bona priora, vel solum per carentiam peccatorum; si per opera bona, ad hæc etiam necessaria fuit prædeterminatio ad quam debuit se disponere per alia opera priora, & sic procederetur in infinitum, vel sistendum est in aliqua prædeterminatione data sine intuitu ad alia opera; si vero se disposuit per meram carentiam liberam peccatorum, ad hanc etiam necesse habuit, vel habere prædeterminationem positiuam, si iuxta sententiam probabilem non possit dari pura omissio libera, vel saltem necesse habuit carere prædeterminatione, quia moueretur ad ea peccata pro materiali; si enim prædeterminaretur ad ea opera pro materia peccaret infallibiliter, & impediret prædeterminationem ad conuersionem. Reddit autem idem argumentum de prædeterminatione ad opus malum pro materiali, quomodo potuerit homo eam impedire, an per alia etiam opera præcedentia. 419

Tertio impugnatur, quia non est infallibilis connexio inter negationem peccati præcedentis, & inter prædeterminationem ad bene operandum, nam licet facienti quod in se est Deus conferat lucem, & auxilium ad perseuerandum, non tamen semper confert auxilium efficax, sed sufficiens; ergo neque hoc modo fuit in potestate hominis habere auxilium prædeterminans ad perseverandum. Item ponamus hominem, qui nunquam adhuc peccauit, quid faciet hic homo, vt prædeterminetur ad obediendum Deo p æcipienti actū charitatis? certe non demeruerat prædeterminationem ad obediendum præcepto Diuino per p ioa peccata, nulla enim prorsus præcesserant. Certe Angeli omnes non demeruerant prædeterminationem secundi instantis per aliquod peccatum prioris instantis; nam in primo instanti omnes dilexerunt Deum super omnia; quomodo ergo caruerunt sua culpa auxilio prædeterminante, vt ipsis imputetur hæc carentia. 420

Dicunt

421 Dicunt aliqui præcedere posse ex parte hominis, vel Angeli aliquam non resistentiam, qua se aliquomodo disponat ad prædeterminationem

422 Sed contra & interrogo quid sit hæc non resistentia? si est actus positivus, redeunt argumenta supra facta, quia ad hunc etiam actum prærequiritur prædeterminatio; si est negatio alicuius actus reflexi, quo dicat homo nolo converti, redeunt etiam argumenta facta, quia multi non habent actum reflexum, & tamen non datur illis prædeterminatio.

423 Item ad omittendum hunc actum reflexum, necesse est non prædeterminari ad ipsum; ad carendum autem hac prædeterminatione rursus prærequiritur alia non resistentia, & sic in infinitum, vel venire debes ad aliquam prædeterminationem, vel carentiam prædeterminationis, quæ nullo modo fuerit in hominis potestate.

424 Denique contra has omnes solutiones hoc modo argui potest, quod si tota carentia auxilij efficacis imputatur homini, quatenus per priora peccata vel omissionis, vel commissionis, indisposuit se ad prædeterminationem: ergo tunc solum formaliter peccavit homo, quando apposuit illud impedimentum auxilio efficaci, non postea quando elicit actum odij, verbi gratia, sicut qui proiicit breviarium in mare, tunc peccat formaliter quando ponit impedimentum precibus crastinis, & licet omissio crastina imputetur etiam ei, quia dedit causam, sed tamen cras non addit nouam malitiam formalem, sed solam denominatiuam ex causa præcedenti iuxta communem, & veram Theologorum sententiam, quia posita illa causa iam non potest impedire effectum; si ergo qui resistit, seu impedit prædeterminationem per aliquam omissionem antecedentem, tunc peccauit formaliter quando apposuit illud impedimentum; postea vero, quando ex defectu prædeterminationis omittit Sacrum verbi gratia, non peccavit, nisi denominatiue quia posito illo impedimento præcedenti iam, non potest vitare effectum.

425 Propter hæc alii ex aduersariis iam tandem dixerunt auxilium physice prædeterminans posse obtineri ab homine per actum ipsum ad quem datur prædeterminatio, ita vt detur mutua prioritas inter prædeterminationem, & actum, sicut aliqui dicunt dari inter habitum charitatis, & actum contritionis: sed hæc solutio iam satis reiecta manet, ac funditus labefactata.

## SVBSECTIO XIV.

*Aliud argumentum ponitur.*

426 PRobatur sic, quia licet omnis amor charitatis Dei sit supernaturalis, & maximæ perfectionis, omnemque actum meritorium in excellentia superet, nihilominus, quia procedit ab homine physice prædeterminato ad illum per lumen gloriæ & per visionem Beatificam, sine eo quod situm sit in sua potestate non facere illum, nec possit suspendere talem actum minime est meritorius: sed per vos omnis actus charitatis, fidei, spei, & aliarum virtutum, quæ in via fiunt, fluuntque ab homine physice prædeterminato ad vnum sine eo quod possit talis homo resistere tali prædeterminationi, aut non facere id ad quod prædeterminatur non est meritorius: ergo nullum datur opus virtutis meritorium vitæ æternæ in via secundum vestram opinionem, quia non est maior ratio in his operibus quam in amore Charitatis Beatifico, vt sit meritorius vitæ æternæ, vt patet ex paritate rationis inter hunc actum & illum, inter hanc prædeterminationem, & illam.

Dices cum Albelda *tom. 1. prima partis, disput.* 427
*57. sect. 3. art.* 8. dari duplicem prædeterminationem, prima est quam vocat naturalem seu per modum naturæ, & hanc ait tollere vsum voluntatis. Secundus modus prædeterminationis est, vt denotet præmotionem intrinsecè inhærentem voluntati habentem intrinsecam virtutem realem ad inclinandam illam, vt infallibiliter Deo vocanti consentiat, & hic modus non tollit libertatem, & compatitur cum vsu meritorio, & primus modus potest dici conuenire prædeterminationi Beatorum, ac proinde non esse meritorium actum amoris elicitum à tali physica prædeterminatione. Secundus autem modus poterit accommodari physicæ prædeterminationi, qua prædeterminatur homo eliciens actus virtutum in via, ac proinde esse liberos, & meritorios.

Sed contra primo, & interrogo quid significet illa vox prædeterminatio naturalis, vel per modum naturæ, quia hæc vox naturalis hic, vel sumitur prout opponitur supernaturali, & in hoc sensu est falsa solutio aduersariorum, quia auxilium efficax est ad eliciendum actum charitatis supernaturalem, & physica prædeterminatio voluntatis ad talem actum, & nihilominus est supernaturalis; ergo vox illa naturalis non sumitur eo sensu, quo naturale opponitur supernaturali. Vel sumitur naturale prout opponitur præternaturali, & in hoc sensu etiam secundus modus prædeterminationis dicetur naturalis, quia non est præternaturalis; vnde in hoc sensu non potest dici naturalis prædeterminatio illa principia, siquidem per illam particulam intendunt aduersarij discriminare primum modum prædeterminationis à secundo, alias eadem esset ratio conuenientiæ & differentiæ respectu eiusdem quod est impossibile, vel sumitur naturale prout opponitur libero, ac per consequens conuertitur cum necessario, ita vt idem sit naturalis prædeterminatio, ac prædeterminatio necessario inducens actum, sine eo quod possit homo non operari, suppositia physica prædeterminatione, & in hoc solo sensu videntur loqui aduersarij, sed fine dubio, si in hoc sensu loquuntur committunt evidentissimam petitionem principij, quia nos asserimus per physicam prædeterminationem, secundam oriri necessario actionem prædeterminatam ad quam dirigitur talis prædeterminatio, quod ex omnibus argumentis supra positis patet. Ex quo colligimus talem prædeterminationem esse necessariam, & non liberam his, ac proinde dicimus non distingui à prima, quia sicut posita prima necessaria sequitur actus, ita posita secunda. 428

Respondent aduersarij dicentes, primam prædeterminationem esse necessariam, & non secundam, quia prima est naturalis, & per modum naturæ. Secunda autem non. Dum autem interrogamus quid sit naturale, Respondent esse necessarium; vnde idem est ac si responderent, ideo esse necessariam prædeterminationem, quia necessaria est, sicut si ego interrogarem, quare 429

gladius

est ferreus, & respondere, quia est gladius, & ensis, & sic est idem per idem respondere, & reddere pro ratione tuæ conclusionis tuam ipsam conclusionem, quòd nihil est aliud, quam petere manifeste principium.

430 Amplius vrgeo, ideo prima tollit libertatem; quia est naturalis & per modum naturæ, & ideo est talis, quia secum rapit voluntatem, ita vt non possit ei resistere voluntas ratione cuius operatio sequitur à tali prædeterminatione, sed secunda etiam rapit voluntatem ita vt ei non possit resistere voluntas, ac per consequens sequitur necessario operatio ab ea; ergo est naturalis, & per modum naturæ, ac proinde sine dubio destruet libertatem.

431 Minorem sic probo Aduersariorum verbis, & primo verbis Bañez *1. par. q. 14. art. 13. dub. vltimo, versu autem explicuimus*, vbi de causa prima sic ait: quæ ita determinat omnes causas secundas ad suos effectus producendos, quod nulla causa secunda potest exire, & discedere ab eius determinatione, & *quæst. 23. art. 5. ad septim.* sic dicit. Itaque suaviter quidem sed efficaciter Deus mouet voluntatem, nec effectus Diuinæ voluntatis impediri potest à voluntate nostra; nostra enim voluntas nõ potest prædeterminationi Diuinæ resistere,] *& art. 3. dub. 3. in solutione ad sextum*, sic ait: ipsamet concurrentia liberi arbitrij effectus est necessario consequens necessitate dicta ex Diuino auxilio efficaci.

432 Secundo probatur verbis Nauarrete *tomo 2. controuers. 19. §. 10. & controuers. 21. §. 3. non longe à fine*, suppositâ (inquit) præmotione physica, necesse est quod voluntas operetur actum, ad quem præmouetur, & non potest contingere quod voluntas nõ operetur talem actum: ecce prædeterminantes Thomistæ concedunt, tum voluntatem non posse abjicere præmotionem; tum non posse dissentire Deo physice prædeterminanti &c.

433 Deinde Ledesma multis in locis asserit necessario coniunctam esse operationem causæ secundæ cum physica prædeterminatione. Alvarez item asserit necessario sequi actum secundum ex positione physice prædeterminationis.

434 Id autem quod asserit Albelda, nempe auxilium illud habere infallibilitatem certum est; sed cum hæc infallibilitas, vt supra late demonstrauimus non supponat vsum liberi arbitrij, sed potius antecedat illum quia rapit voluntatem, absolute tollit libertatem illius: vnde tota hæc solutio, potius est elusio vocabulorum, quam vera evasio & sic nullo modo soluit argumentum.

435 Confirmatur, quia si huiusmodi prædeterminatio est necessaria nobis ad amandum Deum amore supernaturali charitatis, non est in nostra voluntate, nisi id tantum velle, quod Deus vult nos velle, quod si hoc ita est, sequitur vlterius, nos necessario simpliciter amare Deum, ac proinde non mereri vitam æternam cum tali amore.

436 Hæc vltima consequentia certissima est, quia necessarijs nec meremur, nec demeremur. Secunda autem illatio patet, quia quando aliquid determinatum operatur voluntas, ita necessario dependenter ab aliena voluntate, non libere, sed necessario, & sine libertate operatur, vt patet in amore supra posito Patriæ qui non procedit libere, quia voluntas determinata operatur illum, ita dependenter à voluntate Diuina infundente lumẽ gloriæ, & visionem beatificam, vt non possit non operari illum, sed voluntas suppositâ physica prædeterminatione ita operatur determinate illum amorem charitatis, vt non possit non operari illum, propter dependentiam necessariam nostræ voluntatis à voluntate divina prædeterminante voluntatem nostram: ergo operatur illum amorem necessario absolute.

Vltima sequela est manifesta, quia tota mora- 437
litas meriti ita fundatur in indifferentia opposita necessitati, vt cum necessitate, & sine indifferentia non possit reperiri moralitas meriti in actibus humanis, ideo enim nutritione, & augmentatione non meremur, quia nutritio & augmentatio sunt actiones necessariæ; item nec visione, & amore beatificis possumus mereri, quia necessitatem habent, & non gaudent libertate: ergo.

Prima sequela est clara, quia nos non præde- 438
terminamur, nisi ex voluntate Diuina, & solum ex illa; item post prædeterminationem non possumus operari, nisi id, ad quod prædeterminamur ex sola voluntate Diuina: ergo de primo ad vltimum si prædeterminamur ad amorem Dei non possumus, neque est in nostra potestate, nisi id tantum velle quod Deus vult nos velle necessario, hoc est amorem Dei producere.

Aliud incommodum maximum sequitur ex 439
sententia prædeterminantium, videlicet hominem peccare etiam damnabiliter in eo quod vitare non potest, quæ sententia à Pio quinto, & Gregorio decimo tertio damnata est. Hoc sequi probatur, quia si vrgente præcepto Diuino ad sui obseruationem, illud non seruet, vel impellente tentatione consentiat in malum peccat damnabiliter, vt optime docet Pater Lessius, & tamẽ si tunc gratiam illam ex se efficacem, quæ illum determinet ad obseruandum præceptum, & ad resistendum tentationi non habeat, non potest vitare, quin præceptum violet, & tentationi succumbat.

Confirmatur primo, quia impossibile est vt ser- 440
vet præceptum, vel vt resistat tentationi sine auxilio determinante, cum vtrumque sit opus bonum, quare cum auxilium tale non habeat, nec in potestate eius sit tunc habere, vitare non potest quin à tentatione vincatur, & præceptum frangat.

Secundo confirmatur, quia nisi Deus determinet 441
me ad præceptum seruandum, & ad tentationi resistendum, infallibiliter deficiam, & peccabo, adeo vt ex eo solo, quod Deus scit se non decreuisse voluntatem meam ad hæc determinare certo præsciat me tali tempore, & momento, tali peccato peccaturum, vt ipsi docent, quod sanè iuxta illos certo scire ego absente illa determinatione in hoc euentu deprehensus ita sim ad peccatum determinatus, vt illud vitare nequeam, si enim vitare possem, iam non certo ex sola denegatione auxilij determinantis sciri posset me in hac peristasi rerum tali momento peccaturum.

Addo omnes actus positiuos, quibus tentatio- 442
ni consentitur, & præcepta negatiua violantur, iam ab æterno fuisse prædestinatos, vt fierent cum omnibus suis circunstantijs, & ne forte aliquo casu omitterentur, fuisse etiam præordinatos impulsus, seu motiones physicè prædeterminantes ad illos, vt ipsi tradunt, quomodo igitur vitari possunt? quod si illi positiui actus vitari non possunt etiam peccatum, & malitia moralis necessatio in iis resultans, dum fiunt ab homine rationis compote vitari nequit, vti igitur homo in his non peccabit, vel peccabit in eo quod vitare nequiuit, vnde vlterius colligitur iniquam & immeritam fore hominum damnationem, & Deum crudelem, qui hominem æternis addicat supplicijs ob ea quæ vitare non potuit.

Deinde sequitur Deum deserere hominem iniu- 443

ctum, antequam deseratur, deserit enim qui in tentatione, & pugna hominem relinquit, auxilium necessarium non suppeditans, nam cum physica prædeterminatio sit necessaria ad non peccandum, & ea sola dependeat ex voluntate Dei, si Deus non tribuit illam signum euidens est hominem deserere Deum, vt peccet, qui antequam peccaret iustus erat.

## SVBSECTIO XV.

*Alio argumento nostra conclusio probatur.*

444 SVpponimus Deum non esse proprie causam nostri peccati, quod late demonstrauimus anno superiori materia de peccatis ex mille Scripturæ locis, & Patrum testimoniis, vltimo denique ex definitione Tridentini, *sess. 6. can. 6.* ibi: [Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, vt bona Deum operari, non permissiue solum, sed etiam proprie, & per se, adeo vt sit proprium opus eius, non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli anathema sit.] Quibus accesserunt rationes theologicæ, & naturales, quibus hoc manifeste probatur.

445 Hoc supposito impugno præuium concursum Dei prædeterminantem efficacissime, etiam ex hoc capite, quia si nostra voluntas non potest aliquid operari nisi prædeterminata à Deo: ergo quoties peccat, non peccat, nisi prædeterminata à Deo ad illum actum eliciendum, concedunt consequentiam aduersarij, licet aliqui eorum Sectatores in hoc puncto ab illis discedant, malunt enim minus consequenter loqui, concedentes prædeterminationes ad actus bonos, & negantes ad actus malos, quam concedere in vtrisque; & merito, vident enim ægrè posse hoc explicari, quin sequatur Deum prædeterminantem ad actum odij esse causam peccati, & peccatum esse proprium Dei opus, neque esse in potestate hominis vias suas malas facere, ac proinde non sit minus proprium opus Dei proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, quæ omnia non solum sunt contra Tridentinum, sed contra manifestissimum lumen nostræ rationis. Quare quidem Blasius Verdien. & ipse Dominicanus in relectione de efficacia Diuini auxilij *parte 1. fol. 54. conclus. 13.* habet hæc verba: [Ad opera moraliter mala Deus non prædeterminat nostram voluntatem, & oppositum asserere impium est, & blasphemum.] Et postea *fol. 55. conclus. vltima*, explicat se etiam loqui de peccato pro materiali, his verbis: [Nec prædeterminat nos Deus ad actum peccati, etiamsi consideres substantiam actus pure materialiter, nam est mouere saltem indirecte, & per accidens ad peccandum, quod Deo repugnat.] Hæc ille, sed tamen fere alij omnes communiter concedunt hominem non posse elicere actum odij liberi, nisi ex prædeterminatione Dei, contra quos procedit hoc argumentum.

446 Communis solutio huic difficultati hæc est, in peccato distingui debere materiale, & formale, ad materiale pertinet entitas physica ipsius actus; formale vero est malitia, seu deuiatio à regula rationis & à lege, quæ est in actu malo; Deus itaque prædeterminat ad materiale, causat materiale, vult materiale, non prædeterminat ad formale, non causat, non vult: Aduerte tamen nomine materialis, non intelligi ab his auctoribus actum nostrum secundum ali quam ratio m communem volitionis vt sic, sed determi nata m, & indiuiduam ad esse huius volitionis, alioquin non prædeterminaretur voluntas ad talem actum, & per consequens ipsa sola voluntas se determinaret ad talem actū, in quantum talem, quod esset contra principia eorum auctorum, qui acriter negant posse prodire à principio indifferenti aliquid determinatum, sed debere ipsum principium æque determinatum ad effectus præsupponi.

Dicent itaque Deum prædeterminare ad actum odij, & Deum determinate velle quod fiat actus 447
odij, non tamen velle quod sit malus ille actus; imo sub nomine materialis non solum intelligitur actus ille, provt est hic actus odij, sed etiam provt est actus liber, & prædeterminat Deus ad actum liberum odij, dicunt enim Deum esse causam, quod homo eliciat hunc actum cum omnibus suis circunstantiis, ita Albelda *disp. 24. n. 21.* His verbis: [Ad quartum negamus ex nostra sententia sequi quod Deus sit author peccati, nam licet sit prima radix, & causa, quod homo hic, & nunc cum tali aduertentia rationis, habeat volitionem circa hoc obiectum contrarium rationi, in quantum volitio est actio, non tamen est causa, quod homo deficienter velit illud obiectum; sed eiusmodi deficientia in creatam dumtaxat voluntatem referenda est, concedunt ergo Deum prædeterminare ad hunc actum, vt liber est, hoc enim est fieri cū aduertentia rationis, & merito, quia Deus vult, & causat quod nunc homo aduertat ad præceptum, & ad malitiam obiecti, & Deus vult hic, & nunc, quod homo velit hoc obiectum: ergo Deus vult, quod homo velit nunc hoc obiectum, quia velle nunc libere non est aliud, quam velle obiectum, & aduertere ad præceptum, vel ad malitiam, seu velle cum aduertentia: ergo si Deus vult aduertentiam, & volitionem, vult etiam Deus quod homo velit libere, sed tamen dicunt non vult Deus quod volitio obiecti sit mala, & peccaminosa, ideo non prædeterminat, non causat peccatum formaliter loquendo.

Hæc solutio ex ipsis terminis, quibus proponitur, 448
impugnari potest; Repugnat enim Deū velle quod actus odij fiat hic, & nunc libere à Petro, & prædeterminare ad hoc, & tamē nolle quod ille actus sit malus, vel quod Petrus peccet in eo actu; Demus enim malitiam esse aliquid consequutum ad entitatem positiuam illius actus vt liber est, (quod tamen falsum existimant aduersarij) quid enim est, inquiunt, illum actum esse malum, nisi esse actum liberū elicitum repugnante ratione, adhuc tamen, prædeterminat ad illum actum liberū odij, & qui vult illum, vult etiam fieri peccatū, & causat illud.

Nec enim homo alio modo causat malitiam for- 449
malem odij, nisi ponendo entitatem positiuam, & actum liberum determinate quoad materiale, imo ipse homo non vult formalem malitiam, sed potius vellet poni fornicationem, & furtum sine malitia formali, sed tamen quia posito materiali sequitur necessario malitia; inde est quod homini volenti materiale imputetur etiam malitia odij, vel furti, & homo dicatur auctor malitiæ, neque malitia potest nō materialiter, sed formaliter causari, nisi ponendo materiale, ad quod necessario malitia consequitur; cum ergo Deus causet, & velit totum materiale, & totum actum liberum furti determinate volendo, & prædeterminando voluntatem ad hanc entitatem actus furti hic, & nunc, merito dicetur author malitiæ, quæ ad illū actum liberū necessario consequitur, hic enim habet locū illud cōmune axioma, qui est causa causæ, est causa causati, quando scilicet causa volita talis est, vt ad eā necessario cōsequatur effectus, tūc enim qui vult

vult causam, vult etiam effectum ad eam necessario consequutum, nec potest esse causa vnius quin sit etiam causa alterius.

450 Confirmatur, quia vnus homo dicitur causa peccati alterius hominis, eo quod impellat illum ad materiale, scilicet ad actum furti libere faciendum, non enim suadet illi formalitatem malitiæ, quod potius acceptionem rei alienæ; imo vellet, si fieri posset, vt fieret sine malitia: sed quia malitia consequitur necessario ad eum actum, ad quem mouet, ideo dicitur proprie mouere, & impellere ad peccatum: ergo similiter Deus prædeterminat si physice, & præmouet ad eum actum liberum, dicetur mouere ad malitiam, quæ necessario consequitur.

451 Secundo impugnatur solutio, quia Deus non solum prohibet formale peccati, sed eius materiale; imo non potest prohibere formale, nisi prohibendo materiale, prohibet ne Deus libere elicitum actum petiurij, & furti? equidem prohibet dum ait, ne furaberis, quia si liceret mihi libere materiale, non imputaretur malitia, quæ necessario consequitur ad illud materiale; quomodo ergo stabit Deum ex vno capite prohibere mihi hoc materiale dissuadere deterrere, & ex alio capite prædeterminare me & impellere ad illud, velle illud, desiderare, procurare? sicut si tu suaderes Petro, & moueres illum ad occidendum Paulum, vel ad actum luxuriæ, & simul ab eo enixe peteres ne peccaret in illa occisione, vel in illa copula ridicula sane esse hæc suasio, & petitio.

452 Videtur item posse peccatorem iuste conqueri aduersus Deum ipsum punientem, & dicere tu Domine, ex proprio motu me alioquin non peccaturum impulisti, & antecedenter prædeterminasti ad occidendum inimicum, quem ego non potui occidere sine peccato, quid ergo debui tunc facere? non enim potui non recipere prædeterminationem, nec illa posita potui non occidere inimicum, nec occidendo potui impedire malitiam culpæ, & formalitatem illius, quid ergo facerem, vt non essem reprehensibilis? Huc sane spectat regula illa Augustini supra posita quæcunque illa causa est voluntatis, cui resisti non potest sine peccato ei ceditur, si ergo homo non potest prædeterminationi resistere, non peccat cedendo prædeterminationi ad peccatum.

453 Tertio impugnatur, quia hæc connexio inter actum liberum odij Dei, verbi gratia, & inter malitiam formalem tanta est tamque essentialis, & necessaria, vt ratione illius non possit homo sibi, vel alteri desiderare licite actum liberum odii; ergo nec Deus poterit illum desiderare, magis enim debet distare, vt ita dicam voluntas Dei ab hoc affectu, quam voluntas humana. Antecedens vero constat, quia si liceret desiderare, liceret velle efficaciter & procurare, sicut Deus per te procurat illum actum liberum odii esse in homine, & ponit medium efficax ad illum finem, quia potest desiderare, & velle illum, non volita, & amata malitia formali.

454 Quarto impugnatur, quia ex doctrina huius solutionis videtur sequi tota causalitas Dei in peccatum, quam re ipsa concedunt hæretici nostri temporis, aduersus quos editus fuit ille canon Tridentini supra positus. Hæretici enim non intendunt Deum esse auctorē malitiæ formalis proprie, & rigoroso modo, sed potius entitatis materialis determinata voluntate ad illam, ad quam necessario consequitur malitia formalis, quod si aliquando eorum verba aliud sonant, ipsimet explicant suam mentem in hoc sensu, & negant milliēs Deum esse auctorem peccati, ita Caluinus *de aterna Dei prædeterminatione, in fine libri*, vbi sic ait: [Turpi quidem, & illiberali calumnia nos gravant, qui Deum peccati auctorem fieri obtendunt, si omnium quæ aguntur causa est eius voluntas.] Et in Anthidoto impio Concilij super illum Canonem esse contrarium suæ doctrinæ, si Patres voluerint Deum nō solum malitiam, sed etiam ipsa opera non operari, nisi permissiue quod si voluerit respectu malitiæ se habere Deum solum permissiue libenter consentit, & postea adducit Augustinum dicentem, Deum tradidisse filium suum, Iudam feciſſe peccatum, ac denique concludit hæc omnia vera esse siquidem addatur exceptio, malitiam non esse ipsius opus; sic etiā explicuit Caluini mentem Theodorus Beza eius discipulus *in responsione ad Castalionem*, vbi purgat Caluinum ab hac calumnia *& in aphorismo* 8. sic ait. [Non consequitur ex istis vlla istarum blasphemiarum, nempe vel Deum esse auctorem peccati, siue delectari in iniquitate, aut etiam velle iniquitatem, vel satanam, aut homines male agendo obedire Deo, aut quatenus male agunt facere quod Deus vult, ac proinde esse extra culpam, absint vero quam longissime omnes eiusmodi blasphemiæ non solum à linguis, sed etiam à cogitationibus nostris.] Nam potuit clarius distinguere causalitatē respectu materialis, & formalis; cum ergo Concilium id quod hæretici docebant condemnaverit, consequens videtur damnare voluisse non solum prædeterminationem ad formale quam hæretici non ponebant, sed etiam ad materiale, cum quo malitia esset necessario connexa; omitto alia loca hæreticorum, quæ videri possunt apud Bellatminum *tom. 4. contro. 2. lib. 2.* & apud Valentiam, *1. part. disp. 2. quæst. 19. puncto 3. & 1. 2. disput. 6. quæst. 9. puncto 1.*

Dices Deum nō esse auctorem peccati licet præ- 455
determinet ad materiale, quia non suadet actum furti, v. g. nec consulit, sicut suadet & consulit opus bonum: sed contra, quia in hoc etiam non videntur dissentire hæretici, vt constat ex eorum verbis apud Valentiam vbi supra; deinde licet Deus non suadeat furtum, sed tamen prædeterminat per te ad illum actum, Deus autem non tā dicitur causa boni operis ratione suasionis, & consilii, quam ratione prædeterminationis per te, ideo enim cogere nos vis ad prædeterminationem concedendam, vt Deus sit causa nostri boni operis nō solum moralis, sed physica, & propria: ergo loquendo de causalitate propria, non minus erit Deus causa operis mali, quam boni, licet desit suasio.

Dices iterum hæreticos ita ponere prædeterminationem ad actum odii vt non relinquant libertatem arbitrii, quam tamen libertatem hi auctores catholici fatentur, & in hoc differre ab hæreticis fateor, sed in primis iam supra vidimus hāc differentiam solum videri de vocibus, non de re ipsa, vtrique enim ponunt talem prædeterminationem ad actum odii; cui voluntas non possit resistere, sed cum qua maneat potentia ad amandum in sensu diuiso. Deinde hæc differentia non facit ad hoc propositum, quia quod maneat libertas non tollit Deum ratione prædeterminationis, esse veram & propriam causam, vt constat in opere bono, in quo manet etiam libertas, & tamen Deus est vera, & propria causa illius, eo quod prædeterminat ad ipsum in sententia horum auctorum: ergo hæc differentia non tollit Deum esse veram causam operis pravi. 456

## SVBSECTIO XVI.

*Alio argumento probatur nostra conclusio.*

457 PRincipio ergo cum Patre Suarez ex generali ratione causæ secundæ ostendendũ à nobis est voluntatem liberam ad suum actum liberum efficiendum, non indigere speciali influxu Dei distincto ab ipso actu, seu actione sua quo ei aliquid ad actionem præuium conferatur distinctum etiam ab eius virtute actiua permanente naturali vel infusa, & quidem hanc esse sententiam graviorum Theologorum patet ex ijs quos Pater Suarez adducit *lib. 1. de concursu Dei in opusculis, cap. 6. num. 1. & 2.* Nunc autem probatur ratione, quia concursus, qui sit idem cum actione causæ secundæ sufficit, vt omnis effectus creaturæ, omnisque actio eius à Deo vt à causa prima essentialiter pendeat ille etiam, satis est, vt causa secunda sit subordinata primæ, non per accidens, sed per se, & essentialiter ex vi propriæ naturæ imperfectæ, & participatæ, quæ est: ergo necessitas alterius adminiculi, vel motionis præviæ in causa secunda receptæ, nulla equidem; ergo non est danda.

458 Declaratur, & vrgetur amplius, nam si præter hanc alia Diuina actio necessaria est, interrogo an immediate, & per se attingat effectum creaturæ, vel solum mediate & per accidens, seu vt conditio prævia? at neutrum dici potest; de primo patet, quia per priorem concursum à nobis explicatum influit Deus per se & immediate in effectum creaturæ; ergo superfluè & sine fundamento fingeretur alius influxus distinctus manans ab eadem prima causa, vt talis est, & eundem effectum immediate, ac per se attingens, imo vix posset concipi distinctio inter vnum influxum, & alium, quare in hoc etiam nulla est opinionum diversitas, neque vllus hactenus Theologorum, aut Philosophorum hoc modo finixit duplicem concursum primæ causæ in effectus creaturarum, & cum ipsimet causis secundis, nam licet aliqui finxerint omnes effectus causarum secundarum fieri dupliciter à Deo per se, & immediate scilicet, & cum causis secundis, & sola virtute Dei, ac duabus actionibus ex natura rei distinctis, vtraque per se sufficiente, & totali, altera à solo Deo, altera à Deo cum causa secunda, tamen hæc opinio, nec est eorum Doctorum, cum quibus nunc disputamus, neque est probabilis, cum nulla ratione vel auctoritate nitatur, & per se se afferat superfluitatem, & absurditatem; nec denique ad præsentem causam quidquam refert, & ideo in ea improbanda nunc immorari non est necesse.

459 De secundo membro, in quo est difficultas dicendum supereſt, qui enim ponunt alium actualem influxum, & generalem primæ causæ in ipsam causam secundam, præter illum, qui est in effectum ipsius causæ secundæ consequenter dicunt per illum influxum non influere Deum immediate ac per se in effectum causæ secundæ, sed in ipsa causa efficere aliquid præuium, & necessarium vt ipsa agat: Hoc autem præuium quidam eorum applicationem causæ secundæ ad agendum, alij motionem, alij complementum virtutis, quo in actu primo consumatur &c. alij denique determinationẽ eiusdem causæ ad suam actionẽ vocant.

Si ergo hanc vltimam determinationem destruxero rationibus, destructæ manebunt reliquæ explicationes, quod sic facio, & primo in causis naturalibus est evidens, quia huiusmodi res ex vi suarum formarum, seu proprietatum naturalium sunt determinate ad vnum, & nullam habent intrinsecam indifferentiam; ergo non indigent noua forma, aut novo impulsu, quo determinentur ad suos effectus, qua enim determinatione superaddita indiget calor, vt calefaciat potius, quam frigefaciat, vel aliquid aliud efficiat, cum ex se sit ita determinatus, vt ad illum effectum sit potens, & non ad alium. 460

Dices, interdum has virtutes esse indifferentes, vel potius eminentes ad plura, & indigere determinatione, vt vnum potius, quam aliud efficiant, vt sol, & si quæ sunt aliæ similes causæ. 461

Sed contra, quia hoc in primis non pertinet ad subordinationem causæ secundæ respectu primæ, quam nunc inquirimus, sed ad speciales alias causarum conditiones. 462

Deinde dicitur huiusmodi eminentiam convenire aliquibus causis superioribus, seu vniuersalibus, quæ numquam possunt facere huiusmodi effectus sine adminiculo aliarum causarum, à quibus ad hos potius effectus quam ad illos determinatur, sive aliæ causæ efficientes etiam sint, sive tantum materiales, hoc enim modo determinatur sol, vel aliquod aliud astrum, vt cum altero coniunctum efficiat talem effectum, & coniunctum cum alio efficiat alium, sic etiam sol exsiccat lutum, & liquefacit ceram, & ad eas actiones determinatur ex diuersa materiæ dispositione. 463

Neque in his effectibus naturalium causarum invenitur maior indifferentia, neque continget vnquam (physice loquendo) indifferentiam vnius causæ non satis determinati ad vnum ex consortio aliarum, dico autem physice loquendo, quia cogitatione fingi potest occasio, in qua causa naturaliter agens, sit quodam modo suspensa, vt neque possit simul omnes, aut plures effectus facere, quibus æque accommodatur, nec possit ad vnum potius, quam ad alium determinari; vulgare exemplum esse solet de lapide perfecte plano æque perpendiculariter cadente super vitrum perfecte planum, & de particula ignis perfecte circulari posita in centro terræ; sed hæc relinquamus philosophis, nihil enim ad rem præsentem refert, aut gratis concedere in his eventibus nullum effectum sequi, propter impedimentum, & indeterminationem causæ, aut certe dicere tunc determinari causam secundam à prima non ex vi generalis subiectionis causæ secundæ, sed ex peculiari indigentia talis causæ, pertinet enim ad generalem providentiam causæ primæ, vt secundis indigentibus subueniat, & adhuc in eo casu licet non repugnet determinationẽ fieri per aliquid prævium superadditum causæ (nam facili negotio potest Deus maiorem impetum in hac parte imprimere, quam in alia, vel vi agendi intendere respectu huius effectus determinati) non tamen est hic modus necessarius; nam sola determinatio Diuini concursus ad hunc effectum, potius quam ad alium, est sufficiens, vt statim in simili exemplo declarabo. 464

Dici enim iterum potest, licet non indigeant causæ secundæ determinatione prævia primæ causæ ad talem effectum, in specie, tamen indigere illa ad hoc individuum potiusquam aliud producendum, calor enim, ignis v. g. licet sit determinatus ex se ad producendum calorem, non tamen hunc calorem, vel hunc ignem, & ideo indiget 465

diget prædeterminari à Deo, vt hunc determinate producat, & hæc necessitas generalis est in omnibus causis secundis, etiam in voluntate libera quia etiam si possit nostra voluntas proposito aliquo obiecto, sese ad amandum vel odio habendum illud determinate tamen si amat quod hoc actu in indiuiduo potius quam alio amet, non est positum in eius libertate, sed aliunde prouenit, scilicet ex prædeterminatione Diuina.

466 Respondemus tamen in primis, difficultatem hanc obijci nobis non posse ab his auctoribus, qui Sancti Thomæ doctrinam nobiscum profitentur; nam solent huius scholæ magistri docere hos effectus indiuiduari, vel à materia signata quantitate, vel à quantitate ipsa, vel à subiecto, in quo & à quo fit actio cum his circunstantijs scilicet hoc tempore loco &c. iuxta quam doctrinam in præsenti difficultate non oportebit confugere ad determinationem primæ causæ; sed sicut dicebamus causam, quæ habet virtutem eminentem ad plures effectus specie distinctos solere interdum determinari ad vnum potius, quam ad aliud ex dispositione passi, ita in præsenti dicetur causam ex se indifferentem ad indiuidua vnius speciei determinari ad hoc indiuiduum producendum ex eo quod in subiecto his dispositionibus affecto, ac cum his conditionibus, ac circun-

467 stantijs operatur.

Sed quoniam hæc responsio licet valde probabilis sit, magnas habet in Philosophia difficultates; admittimus modo (siue id verum, siue falsum sit) determinationem causæ secundo quoad hanc partem pendere ex voluntate sola primæ causæ; negamus tamen recte inde colligi hanc determinationem fieri à causa prima per aliquam actionem præuiam circa causam secundam, aut ei aliquam rem imprimendo, per quam eius facultas actiua ad hoc indiuiduum limitatur; Primo quidem, quia sola determinatio diuini concursus sufficit ad hanc determinationem. Probatur, quia causa secunda nullum indiuiduum potest producere sine concursu Dei: ergo si Deus hic, & nunc statuat concurrere cum hac causa v. g. cum hoc igne ad producendum hunc calorem in indiuiduo, & non alium illa erit sufficiens ratio cur illa causa illum effectum singularem producat potius, quam alium: ergo ad hunc finem non est necessaria præuia effectio alicuius qualitatis vel entitatis in ipso igne seu causa se-

468 cunda, vt ab illa determinetur.

Secundo, quia vix potest intelligi quomodo aliter hæc determinatio fiat addendo ipsi causæ rem aliquam, duobus enim modis id excogitari potest, primo per modum impedimenti, seu resistentiæ, quia nimirum id quod Deus addit causæ secundæ impedit illum, ne alia indiuidua illius speciei possit producere, & solum relinquit illam expeditam ad vnum efficiendum, & hic modus per se est incredibilis, tum quia non apparet quomodo illa qualitas, seu entitas possit ligare virtutem agendi, ne alios effectus producere valeat, quia nec potest illi resistere, cum non habeat eum illa oppositione; nec vna operetur ad destructionem alterius, nec etiam illam diminuat, aut tollat aliquam conditionem necessariam ad agendum, tum etiam quia si res aliqua additur, & illa est vnica, & eiusdem rationis, non est cur sit illi naturale impedire potius effectionem quorundam indiuiduorum vnius speciei, quam aliorum, vel (quod mirabilius est) impedire omnia præter vnum: addo hunc modum etiam esse insufficientem in causis liberis in opinione Doctorum, cum quibus disputamus, quia ex vi huius impedimenti non manebit causa secunda determinata quoad exercitium ad illum singularem actum efficiendum, ad quem manet libera, & expedita, cum tamen ipsi velint prædeterminationem, quoad exercitium debere fieri à causa prima.

Aliter enim potest hæc prædeterminatio ex- 469
cogitari per modum additionis, & augmenti virtutis actiuæ, quia nimirum illa qualitas, seu entitas, aut quouis modo appelletur addit causæ secundæ quandã specileam vim effectricem huius solius indiuidui in illa specie, quæ ita est efficax, vt trahat secum causam secundam ad efficiendum illud potius, quam aliud; nam quia ex entitate superaddita crescit virtus ad efficiendum hoc solum indiuiduum, inde fit vt virtus actiua potius se exerceat in hoc indiuiduum, quam in aliud, & quia non possunt plura fieri simul, ideo alia non efficit, sed hic modus in causis liberis habet difficultates, & grauissima incommoda statim tractanda, quia cum causa libera ex se sit indifferens non solum ad indiuidua, sed etiam ad speciem actus, quia potest velle, & nolle non potest illo modo determinari ad indiuiduum, quin etiam determinetur ad speciem; vnde necesse est, quod talis determinatio tollat libertatem quoad specificationem, quod si etiam determinet ad exercitium tollet simpliciter vtrumlibertatis, de causis autem naturalibus, siquis ita sentire voluerit, parum nostra refert, quamvis sine causa, aut necessitate vlla multiplicet res & actiones minime necessarias, & eligat modum intellectu difficillimum, nihilque conferentem ad efficaciam causæ primæ; nam si ipsamet potest determinare causam secundam solum limitando suum concursum ad tale indiuiduum, & nihil aliud agendo maioris potestatis, & dominij hoc esse videtur, quam id facere multiplicando actiones.

Accedit quod nulla res, quæ vim habet acti- 470
uam intra aliquam speciem est ex natura sua determinata, vt solum possit agere vnum indiuiduum illius speciei, vt patebit discurrendo per omnes virtutes actiuas, quas nos experimur: ergo si illa qualitas quam Deus addit causæ secundæ igni v.g. est virtus actiua caloris, siue instrumentalis, siue quovis alio modo esse fingatur ex se non erit determinata ad vnum indiuiduum illius speciei, sed indifferens ad plura; quomodo ergo ipsa determinabit causam secundam, cum eademmet indigeat alia determinatione, quod siquis mordicus dicat esse speciale huic entitati, vt suam efficaciam habeat determinatam ad vnum indiuiduum, fateor non posse demonstrari hoc esse impossibile, aut implicare contradictionem, tamen cum non possimus nos Philosophari, nisi ex virtutibus actiuis, quas experimur, & alioqui nulla ratio nos cogat ad admittendum tale genus virtutis actiuæ, immerito, & præter omnem conuenientem Philosophandi rationem fingeretur, præsertim cum necessarium consequenter sit dicere, quoties variatur actio causæ secundæ, variari etiam hanc entitatem, quam Deus in illam præinfundit, itaque quoties nouum lignum admouetur igni toties necesse est vt Deus nouam qualitatem, aut nouam rem determinantem ignem ipsi conferat, & similia possent facile inferri, quæ sine causa quilibet Philosophus concederet, sed de naturalibus causis hæc sufficiant, quæ non erunt inutilia ad facilius intelligenda ea, quæ de liberis dicenda sunt.

471 Ex his ergo recte concluditur voluntatem nostram ex sola generali ratione causæ secundæ non indigere hac prædeterminatione, nisi in ea aliquid proprium, & singulare ostendatur, ob quod illam requirat; quod sane non erit facile ostendere, quia sicut in cæteris causis naturaliter agentibus; ita & in voluntate sufficienter saluatur subordinatio eiusdem voluntatis ad Deum, vt primam causam per dependentiam essentialem, quam ab illo habet non solum in esse, sed etiam in operari ratione concursus necessarij superius explicati: ergo ex vi subordinationis non est necessaria alia motio diuina prædeterminans: ergo per se loquendo non est necessaria ad actum liberum voluntatis. Probatur hæc vltima cõsequentia, quia non est minus potens voluntas ad exercendos actus sibi connaturales, quam sint aliæ causæ naturales ad actiones suas, nec potest singularis aliqua ratio in voluntate inueniri, ob quam hæc determinatio ad voluntatis actus necessaria sit potius, quam actus reliquarum causarum.

## SVBSECTIO XVII.

### *Argumenta aduersariorum ponuntur & soluuntur.*

472 ARgumentum aduersariorum sic se habet, quod euidentissimum, & efficacissimum asserunt: à causa, inquiunt, indifferente, & indeterminata, non potest definitus prodire effectus: sed voluntas positis omnibus requisitis &c. manet omnino indifferens, & omnino indeterminata: ergo vt sic non potest aliquod opus determinatum operari; vnde oportet vt ab aliquo prius saltem natura quam aliquod definitum opus eliciat, determinetur, quia implicat eandem facultatem ex se indifferentem, se ipsam determinare, quia determinatum, & indifferens contradictionem inuoluunt.

473 Verum tamen vt bene aduertit Pater Suarez, hæc ipsa ratio, in qua maxime hi auctores nituntur, eorum sententiam falsam esse aperte declarat, eiusque rei declaratio nostram maxime assertionem confirmat, clarissime enim supponunt, qui ita argumentantur totam nostræ voluntatis indifferentiam passiuam esse & non actiuam, & negatiuam potius, quam positiuam; nam si voluntas vt est prior suo actu, ita est indifferens vt non possit se ipsam determinare etiam positis omnibus prærequisitis ad volendum, nisi ab alio extrinseco agente determinetur: ergo illa indifferentia tantum passiua est ad recipiendum nimirum hanc, vel illam determinationem pro alterius voluntate, & arbitrio.

474 Probatur consequentia, quia respectu talis determinationis voluntas solum passiue se habet, & non actiue, vt prædicti Doctores docent, & quidem consequenter; nam existimant hanc determinationem antecedere ordine causalitatis, & naturæ omnem actum voluntatis, ex quo necessario fit hanc determinationem non effici à voluntate, quia omnis efficientia voluntatis est ab hac determinatione, quia ante illam dicitur esse inepta ad agendum aliquid eo quod sit indeterminata, & indifferens; item quia si determinatio esset effectiue a voluntate; ergo esset ab illa vt indifferente; ergo eadem ratione ipsum velle licet esset determinatum posset esse à voluntate, vt indifferente, imo iuxta veram Philosophiam, voluntas nihil per se, & immediate efficit, nisi actum volendi, vel nolendi, sicut in vniuersum hæ potentiæ animæ proxime solum efficiunt suos actus secundos: sed illa determinatio, vt antecedit in voluntate iuxta sententiam, quam impugnamus, non est actus voluntatis, sed aliquid prius; fit ergo à solo Deo, & non à voluntate: ergo indifferentia voluntatis respectu talis determinationis est tantum passiua. Et similiter sequitur esse potius negatiuam, quam positiuam. Dicitur enim voluntas indifferens, quia est capax vtriusque determinationis, & ex se neutram habet in actu; sed ad summum in potentia receptiua; quomodo materia dicitur esse indifferens ad varias formas, non tamen erit indifferens positiue per actum eminentem, seu virtualem. Est autem omnino falsum voluntatem esse indifferentem tantum hoc modo; Nam inde aperte sequitur voluntatem non esse liberam non solum quoad vsum, sed nec quoad facultatem ipsam operandi, vt in secundo puncto proposito ostendemus. Procedit ergo ratio illa ex falso principio.

475 Quamobrem possumus nos hunc in modum rationem retorquere potentia quæ de se est positiue, & actiue indifferens, tanquam domina sui actus potens est sua intrinseca virtute cum generali concursu primæ causæ se se ad suum actum determinare; imo in hoc consistit eius intrinseca vis, & perfectio: ergo non indiget extrinseca prædeterminatione prævia ad actum vt operetur. Quin potius hæc vel omnino repugnat, vel certe non est consentanea intrinseco modo operandi talis facultatis consequutio per se nota est, & antecedens adeo videtur clarum ex terminis, vt non indigeat probatione, sed vt res sit euidentior explicandum amplius est facta quadam comparatione huius efficatiæ voluntatis ad efficaciam causarum naturaliter agentium, quæ videntur etiam habere indifferentiam quandam per eminentem vim effectiuam plurium effectuum, vel actionum qualem in sole, vel in intellectu ipso considerare licet, cum tamen hæ facultates non possint proprie se se determinare ad suos actus, sed à natura sint determinatæ. Est ergo notanda differentia, quod in his agentibus naturalibus non est facultas indifferens positis omnibus requisitis ad agendum, sed potius in hoc habent naturalem determinationem, ita vt sol necessario ageret tota sua eminente virtute, si simul haberet materiam susceptiuam totius effectus, cuius ipse solus potest esse causa sufficiens, quod si nunc vnum determinatum effectum facit potius, quam alium, solum est quia illi applicatur subiectum aptum ad illum effectum suscipiendum, & non alium: eo tamen subiecto applicato tam necessario agit, sicut ignis calefacit; idemque contingit in qualibet alia causa naturali, siue determinatio eius proueniat ex materia, siue ex alia concausa vt supra tetigi; & ideo hæ causæ non dicuntur proprie indifferentes, sed æquinocæ, vel vniuersales.

476 Itemque reperitur in intellectu, aliisque animæ potentijs, quæ naturaliter agunt, solum est in quibusdam earum quædam subiectio ad voluntatem in vsu, & exercitio suorum actuum, quorum ipsæmet non sunt Dominæ, & ideo illæ non possunt dici proprie ex se indifferentes, nisi passiue. At voluntas est indifferens actiue, & tanquam Domina sui actus, quia si in illa non reperitur hæc indifferentia in homine absolute non inuenitur, quia nulla est alia facultas, per quam ei conueniat, & ita non erit homo liber, nec Dominus suorum actuum, quod est contra fidem. Quia ergo voluntas non imperfecte tantum, sed perfectiss

perfectissimo, & spirituali modo indifferens est, vt positis omnibus requisitis possit efficere, vel continere actum suum, aut vnum, vel alium elicere, ideo potens est quamuis sit indifferens in actu primo determinare se ad actum secundum, quo circa illa propositio potentia indifferens non potest ex se producere determinatum effectum, vt verbis præcisis respondeatur distinguenda est, est enim vera in causa indifferente ex imperfectione virtutis, vel ex defectu alicuius conditionis requisitæ ad agendum, non autem in causa indifferenti ex excellenti Dominio ex perfecta & eminente virtute, per quam habet veram, ac propriam potestatem dominatiuam sui actus positis omnibus ad agendum requisitis.

477 Quæ omnia confirmat Pater Suarez, tum aureis verbis, tum gemmeis rationibus; nam huiusmodi facultas, & modus agendi nec in se se involuit repugnantiam; neque est cur requirat infinitam perfectionem, aut virtutem: ergo non est cur negemus conuenire voluntati, quæ domina est sui actus. Prior pars antecedentis satis probata est ex dictis, & ex illo exemplo Diuinæ voluntatis, & ex re ipsa; quia esse indifferentem in actu primo, & determinari per actum secundum non involuit repugnantiam, quia vnus actus non includit necessario negationem alterius, sicut materiam primam esse indifferentem in potentia passiua, & actuari, seu determinari per vnum actum formalem non est repugnans sed potius consequens, & consentaneum; sic ergo voluntatem esse actiue, & perfecte indifferentem, & se se explicare in vnum actum, & per illum determinari tam agendo, quam recipiendo illum nihil inuoluit in se repugnans, sed potius est maxime consequens & consentaneum.

478 Posterior vero pars antecedentis probatur, quia huiusmodi virtus actiua sic operans, & se determinans potest esse participata à superiori virtute, & ab illius influxu pendens tam in suo esse, quam in actione sua: ergo absque infinita perfectione potest habere prædictum agendi modum, quia nulla est causa ob quam infinitas requiratur, Deus enim non solum est liber; sed etiam per se, & essentialiter liber vsum libertatis habet non solum absque dependentia ab alio, sed etiam absque vlla potentialitate, compositione, aut imperfectione, & ideo infinitam perfectionem ad illum modum libertatis requirit, quæ propterea secundum illum modum nulli creaturæ communicabilis est, participatio autem eius libertatis, & indifferentiæ cum vero Dominio sui actus communicari potest creaturæ absque infinita imperfectione: sic ergo potentiam ex se indifferentem vnum actum determinate efficere potius, quam alium non ex determinatione alterius, sed sua sponte, & intrinseca vi, quamuis non sine concursu alterius non requirit infinitam perfectionem.

479 Quapropter non sequitur voluntatem liberam sic operantem esse primum liberum, nisi in hac voce sit magna æquiuocatio: nam primum liberum, proprie dicitur quod est per essentiam liberum, vel quod libertatem habet prorsus ab alio independentem; neutrum autem horum conuenit voluntati creatæ, cum non habeat libertatem, nisi participatam à libertate Dei, & ab eadem in suis determinationibus pendentem; si autem primum liberum dicatur illud agens à quo in suo genere. Primo est determinatio libera, sic verum est omnem voluntatem liberam posse in suo genere dici primam radicem suæ determinationis, quia scilicet sine illa fieri non potest nec aliter quam ex intrinseca, & libera applicatione eius: sed hæc est impropriissima acceptio huius vocis, & ideo illa vtendum non est, nec voluntati creatæ attribuenda. An vero hic modus operandi satis sit vt voluntas creata dicatur primum initium suæ determinationis, in alio loco late agemus; nam in quibusdam actibus voluntatis, scilicet in malis possumus simpliciter ita loqui, in bonis autem præsertim supernaturalibus, non item, quia licet in tali determinatione libera voluntas suas partes habeat, tamen primum initium eius non est ab ipsa, sed ex Deo quia eam præparat, & adiuuat, vt se determinet, quo fit, vt loquendo de ipsa intrinseca determinatione voluntatis non ideo voluntas velit, quia aliunde est determinata, sed potius ideo velit, quia se ipsam determinat, ita tamen vt in ea causali nota indicetur causa formalis non efficiens. Nam in genere efficientis nihil aliud est voluntatem determinari, quam efficere volitionem, vel nolitionem, in genere autem causæ formalis determinata manet, quia manet affecta hac volitione potius, quam alia, & ita in hoc sensu non est repugnantia in illa loquutione, scilicet voluntas determinatur, quia vult, quamuis non determinetur, nisi volendo, quia ibi non importatur causa efficiens, sed formalis; propriissime autem, & sine vlla æquiuocatione dicetur voluntas se se determinare volendo, & velle sese determinando. Ex quo satisfactum est vltimæ confirmationi obiectionis propositæ, satisque probatum relinquimus voluntatem ob suam indifferentiam, non indigere speciali determinatione extrinsecus proueniente, imo ideo illam non postulare quia indifferens est indifferentia dominij.

Deinde constat ex dictis, quo sensu verum sit 480
eandem potentiam non posse esse indifferentem, & determinatam, est enim hoc verum si in eodem genere sermo sit, non autem in diuersis: itaque si potentia sit ab intrinseco indifferens actiue seu ad agendum, vt est voluntas non potest in sua virtute actiua habere determinationem, in actu primo, poterit vero formaliter determinari per actum secundum, & quando est determinata in actu secundo non potest simul esse indifferens, quoad eundem statum, licet suam facultatem indifferentem retineat.

## SVBSECTIO XVIII.

### *Authoritatibus sacræ Scripturæ in contrarium positis fit satis.*

AD loca Scripturæ optime respondet P. Suarez 481
his verbis, illa & similia testimonia nihil ad causam præsentem conferre. Primo quidem quia in eis non est sermo de generali motione, seu concursu causæ primæ, nec de physico influxu eius simpliciter necessario ad actum nostræ voluntatis, alioqui ex vi illorum testimoniorum dicendum esset Deum immutare corda Principum, etiam quando cõnettantur ad creaturas, & dirigere gressus eorum, etiam quando praui sunt, quæ quam sint falsa, & absurda in secundo libro ostendemus.

Secundo dicitur in his testimonijs nullum esse 482
verbum de physica prædeterminatione voluntatis, sed de directione eius in verbis Ieremiæ, de inclinatione in verbis Salomonis, & de immutatione cordis apud Iob; longe autem est aliud dirigere & inclinare, quam physice prædeterminare,

vt

vt per se notum est. Immutatio etiam fieri potest morali modo, inspirationibus, consiliis, aliisque cogitationibus vt latius *lib. 3.* explicando gratiam excitantem dicturi sumus, vbi etiam ostendemus hanc immutationem esse posse moraliter efficacem ex se, vel etiam prorsus infallibilem ex præscientia Dei absque physica prædeterminatione. Quod autem potest Deus facere in supernaturali ordine per excitationem gratiæ, potest etiam facere in actibus moralibus, & politicis per cogitationes, & motiones proportionatas, vt per se euidens est, & hoc est quod potissimum docetur in illis locis.

483 Vnde animadverto tertio in citatis testimonijs non dici illam motionem Dei esse necessariam ad singulos actus humanos, aut ex vi subordinationis, & dependentiæ causæ secundæ à prima, sed dici solum quid Deus possit, & quid etiam agere soleat ex sua ineffabili providentia, vel positive operando, vel etiam permittendo quando vel ad quorundam salutem, vel ad aliorum suplicium id iudicat expedire. Quod maxime verum est in duobus primis testimonijs Iob & Prover. nam in loco Ieremiæ sermo est de operibus gratiæ, & de via salutis æternæ, ad quam diuina directio, & gubernatio est simpliciter necessaria, non ex generali ratione causæ primæ, sed ex speciali difficultate illius viæ, & excellentia supernaturalium actuum; vnde in eodem loco Ieremiæ statim subditur. Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, vt ponderavit, & exposuit August. *lib. 2, de peccat. merit. & remiss. cap. 17.* & significauit Hyeronimus *in comm. Ierem.*

484 Ad alia autem loca, quæ in eodem §. in fine illius adducuntur, Respondeo primo in genere omnia similia loca esse de permissione Diuina intelligenda, Chrysost *hom. 36. in Matth. non longe ab initio.* Quamquam non ipse, sed hominum improbitas horum omnium causa futura esset, se tamen facturum omnia dicit; talis quippe est scripturarum consuetudo. Augustin. *de grat. & lib. arb. c. 23.* quando auditis dicentem Dominum ego seduxi, & quem vult indurat in eo quem seduci, vel obdurari permittit mala eius merita credite. Damas. *lib. 4. cap. 20.* scire illud attineo in Scripturæ more positum esse, vt Dei permissionem, actionem ipsius appellet, idem fere Prosper ad capitula Gallor. *cap. 11. & 12.* Ratio item hoc demonstrat ex generali regula interpretandi scripturam sumpta, quandocunque enim ex sensu verborum omnino proprio, & quasi materiali sequitur absurdum aliquod pietati; aut alijs locis eiusdem Scripturæ contrarium, tunc est signum euidens in verbis illis latêre aliquam metaphoram, vel mysterium: sic ergo in prædictis locis necessarium est verbum illud agendi, seducendi, indurandi, & similia cum aliqua improprietate, & metaphora interpretari, quæ non potest esse alia, nisi quod Deo tribuitur tanquam operanti id quod solum permittit.

485 Ratio autem ob quam Spiritus Sanctus voluit ea metaphora, & loquendi modo vti, esse potest multiplex. Prima ad terrendos homines, nam licet Deus hæc positive non operetur, tamen ob eius infinitam præscientiam conditionalem actuum omnium, quos singuli homines in omnibus euentibus operaturi sunt, si in eis constituantur ob hãc (inquam) præscientiam tam infallibiliter sequitur quod permittit fieri, sicut id quod efficit, & præordinat; vnde quod ad hominem spectat, non minus malum ei prouenit diuina posita permissione, quam si positiua esset ordinatio, & efficacitas Dei; vt ergo homines Diuinam permissionem timeant permouendum effectionis proponitur quod est tantum permissum.

Secunda ratio per hoc genus loquendi signi- 486
ficatur, quamuis peccatum non sit à Deo, tamen effectum peccati esse ab ipso intentum, & sæpe præordinatum, vel in pœnam peccantium, vel in alium finem bonum; sic Assur. v.g. dicitur virga furoris Dei, quia licet Assirij peccassent affligendo populum Dei, tamen Deus illud peccatum permisit in pœnam sui populi, cuius afflictionem, & passionem, quæ bona erat Deus volebat, licet peccatum non vellet, sed permittere tantum. Tertia ratio est specialis in aliquibus peccatis ad denotandum non ex sola generali prouidentia, sed aliquo speciali Dei consilio & ratione permitti, aliquando enim Deus præter generalem concursum causæ primæ aliquid speciali, & proprio, ac peculiari consilio vult, ex quo certo scit fore, vel homo peccet ratione cuius talis permissio specialis dicitur, & illis loquutionibus explicari solet etiam nostro loquendi more. Id autem, quod Deus hoc modo vult interdum est aliquid negatiuum, interdum aliquid positiuum.

Negatiuum est cum Deus prænidens fore, vt si hominem non corrigat, vel aliqua correctione affligat lapsurus sit in plura peccata, nihilominus peculiari consilio, & inscrutabili iudicio castigationem remouet, hominemque desideriis suis tradit, hoc modo dicitur pater perdere filium, Magister discipulum, & Pedagogus alumnum; vnde *Eccles. 30.* Tunde latera filij tui ne forte induret: hunc modum attigit Orig. 3. *Periarch. c. 1.* & explicatur optime *Psalm. 72.* in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia. Deinde potest etiam esse hæc permissio, quando Deus iusto iuditio negat auxilium aliquod speciale ad vitandam culpam, quod licet non sit simpliciter necessarium, est autem moraliter necessarium, aut fere, quia considerata hominis dispositione & occasione, difficillimum est vitare culpam, nisi Deus peculiari modo adiuuet, quod tamen facere non tenetur, & ideo interdum iusto iudicio illi negat, quomodo inter homines, qui alium relinquit in manibus hostium, neque ei subuenit dicitur eum tradere, licet positiue non adiuuet, quo exemplo vtitur Chrysost. *hom. 3. in epistola ad Roman.* exponens verba illa; tradidit eos Deus, &c.

Positiuum autem aliquid facit Deus quando 487
non solum homini malum non infert, sed etiam beneficia confert prænidens fore, vt illi sint in scandalum, & ruinam, quod non solum de temporalibus bonis, sed etiam de spiritualibus verum est, interdum enim mittit Deus prædicatorem ad eum, quem præscit non fore corrigendum, sed obdurandum potius; sic etiam fecit miracula, & signa coram Pharaone præsciens illum fuisse obstinatiorem reddendum, in quo exemplo fortasse vterque modus concurrit, nimirum, & positiua signorum operatio, & denegatio abundantionis auxilij, illi homini necessarij, vel ex se moraliter loquendo, vel iuxta præscientiam Dei, aliquando etiam Deus aliquid præcipit fieri, quod sit postea futurum homini occasionem ruinæ; sic præcepit filiis Israël, vt ab Ægyptiis peterent vasa aurea, & argentea, & hac occasione dicitur contuerisse corda eorum, vt odirent populum suum,

non

nion in eis odium operando, sed aliquid ordinando, ex quo illi erant in odium excitandi, & conuertendi. Aliquando etiam Deus liberam facit homini, vel Dæmoni facultatem malum aliquod faciendi, & ideo solet nomine actionis, vel præcepti significari, vt Damas, supra aduertit, vt cum Christus dixit Iudæ, quod facis fac citius, si formam verborum spectemus videtur esse præceptum, fuit tamen permissio, & ostensio animi paratissimi ad moriendum, vt notauit Leo Papa *Serm.7. de pass.* ac si diceret, ego libenter tradar Iudæis, & quam citissime pro hominibus moriar, tu fac quod libuerit, sic *Matth.* 23. implete mensuram Patrum vestrorum *Ioan.3.* soluite templum hoc, & *Iob* 1. ait Dominus dæmoni. Ecce vniuersa, quæ habe in manu tua sunt, quæ sunt verba solius permissionis, & tamen *c.*2. ait Dominus ad Dæmonem, tu autem commouisti me, vt affligerem eum frustra.

488 Vltimo est in his omnibus obseruandum quod licet Deus faciat aliquid, vel facere committat cum certa præuisione futuri peccati, tamen nec ipsa intendit per se directe peccatum, neque etiam indirecte potest ei peccatum imputari, non quidem illud per se intendit, quia malum est alienum à diuina bonitate, quod non solum de formali, sed etiam de actu ipso peccati verum est, vt latius dicam in sequenti capite, quia ille actus ratione malitiæ quam habet adiunctam, & inseparabilem est prauum, & indignum obiectum, vt in diuinam intentionem, & voluntatem directe cadat. Neque etiam indirecte ei imputari potest, quia non tenetur, vel id facere quod committit, vel id committere quod operatur, ne peccatum quod præuidet futurum inde sequatur, vt autem ex principiis moralibus constat effectus per accidens sequutus ex actione, vel commissione, alicuius non imputatur ei, nisi intercedat obligatio cauendi vnum, ne aliud sequatur: Quo fit, vt huiusmodi peccata non possint Deo vere, ac proprie attribui; si ergo interdum in verborum specie Deo attribui videntur, vel est metaphorica locutio vt dixi, ad mysterium aliquod significandum, præsertim ad indicandam diuinam iram, & animaduersionem, à qua talis permissio procedit, vel certe non intelligitur de ipso peccato, sed de aliquo bono effectu quem Deus intendit per talis peccati permissionem, sic enim dixit Augustin. *Enchirid. c.*100. Nec sineret bonus fieri mala, nisi omnipotens etiam de malis facere posset bene.

489 Ex his facile est ad singula testimonia Scripturæ respondere. *Secundo* itaque *Reg.*16. Dauid permissionem factam Semei, vt ipsum malediceret præceptum appellauit, non proprie, sed translate, vt August. notauit *de Grat. & lib. arb. c.*20. cognoscebat enim Dauid ex speciali Dei ordinatione id fuisse permissum in pœnam sui delicti, & exercitium patientiæ suæ, illam ergo, quæ respectu Semei erat permissio, respectu sui æstimauit præceptum, similiter 2. *Reg.*24. verbum illud commouit permissiue exponendum est, id est, in supplicium populi permisisse Deum, vt Dauid commoueretur vano, & superbo affectu ad numerandum populū. Similiter explicanda sunt illa verba *Psal.*104. Declinasti semitas nostras, id est, permisisti & sciuisti nos declinare; idem denique est sensus cæterorum verborum indurandi, excæcandi, quæ ita esse intelligenda in aliis Scripturæ locis satis explicatur *Serm.*5. Percussisti eos, & non doluerunt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam induraerunt facies suas, & noluerunt reuerti, vnde *Psal.*9. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, & *Rom.*2. Tu autem secundum duritiam tuam, &c. ita late Aug. *lib.*1. *q. ad simp. q.*2. D. Th. *ad Rom.*9. *sect.*3. vnde recte dixit Faustus *lib.*1 *c.*18. *de Grat. & lib. arb.* Non vtique violentia compellentis, sed clementia relaxantis obdurationis occasio est.

Ad alias generales locutiones Scripturæ respondetur esse, vel iuxta subiectam materiam, vel cum distributione accōmoda intelligenda *in c. ergo* 12. 1. *Cor.* aperte est sermo de operibus gratiæ. Diuisiones (ait) gratiarum sunt, idem autem spiritus diuisiones operationum sunt, idem vero dominus quia operatur omnia in omnibus extendēdo vero illa verba ad omnia, quæ simpliciter fiunt, verum est Deum omnia operari, vel specialiter, vel generaliter ad ea concurrendo ad vnūquodq; quatenus ens est, & ita etiam operatur entitatē actus peccati concurrendo ad illā, non tamen prædeterminando, eodē modo exponuntur verba *Rom.*11. ex quo omnia. Locus autē Hyer. non est contra nos aperte enim ibi est sermō de via motum quam nō potest homo facere rectam, nisi à Deo dirigatur & hoc modo dicitur non esse in homine, vt ibidem statim declaratur. Locum autem *ad Ephes.*1. ibidem optime exponit per distributionem accommodam Hyeronimus, dicens. Non quo omnia, quæ in mundo fiunt, Dei voluntate, & consilio peragantur, alioqui & mala Deo poterunt imputari, sed quo vniuersa quæ facit, consilio facit, ac voluntate; si ergo peccatum voluntate etiam, & consilio permittit, & ad actum peccati voluntate, & consilio concurrit, quomodo etiam Augustinus *in Enchir. cap.*100. ait peccatum ipsum quod est contra Dei voluntatem non est præter Dei voluntatem. 490

Ad locum Pauli: *Ex epist. ad Philip.* Respondeo, quia hoc testimonium sæpissime, tanquam palmarium *in disp. de Grat. efficaci* adfertur, tum ab hæreticis ad probandum gratiam ita omnia facere vt ei non libere cooperemur, vt patet apud Caluin. *lib.*2. *inst. c.*2. *in fine, & c.*3. *n.*6. *& n.*11. *c.*5. *n.*11. *& lib.*3. *c.*2. *n.*23. *& c.*11. *n.*12. cuius verba prolixitatis vitandæ causa committo. Tum à quibusdam catholicis ad probandam gratiam prædeterminantem; (quæ quomodo ab illa re ipsa differat nunquam, cogitatione assequitur ostendam hunc locum eorum sententiæ aduersari potius, quam suffragari. Apostolus eo loco hortatur Philippenses ad humilitatem, & obedientiam. Primo exemplo Christi, cum ait, hoc enim sentire in vobis, &c. vbi Christi humilitatem & obedientiam ponit ob oculos, vt ipsi eosdem affectus, & sensus induant, vnde concludit. Itaque fratres mei, sicut semper obedistis, non vt in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea; cum metu, & tremore vestram salutem operamini, quasi dicat si Christus se humiliauit & obediens fuit vsque ad mortem, & vos debetis obedire Deo, Præpositisque vestris operando salurem vestram, idque non cum præsumptione, & iactantia præferendo vos alijs, vel existimando vos esse aliquid, sed cum timore & tremore, sicut Christus cum humilitate, & reuetentia Patri obediens fuit. 491

Deinde subdit alteram rationem, Deus enim est, qui in vobis &c. quasi dicat debetis cum timore, & tremore salutem vestram operari quia non vestris viribus, eam potestis operari, sed Deus est qui illam operatur, nempe vt causa principalis, vires assidue suppeditans, & inspirans; itaque ne Deus suo auxilio vos de- 492

betis cum timore, & tremore illam operari, hoc si feceritis, ipse quoque operabitur perficere; id est perseuerantiam sicut operatus est velle, id est, propositum bonæ vitæ, hoc est quod alibi dicit; qui capit bonum opus, ipse perficiet. Hinc sequitur esse in potestate illorum facere vt Deus in ipsis operetur perficere, & consequenter non requiri motiones prædeterminantes, hæ enim nullo modo sunt in nostra potestate, vt supra ostensum est, si enim Deus eas mihi præparauit, non est quod multum timeam, aut solicitus sim, Deus solicitus erit, vt decretum suum impleat, mihique eas suis temporibus inserat; si vero non præparauit, non potero eas mihi arcessere: quid ergo mihi proderit timor, & anxietas? Denique est in potestate nostra operari nostram salutem, & non operari, vnde Apostolus hortatur nos vt eam operemur: ergo ad singula opera non requiritur illud auxilium prædeterminans, quod non est in potestate cuiusque habere, vel non habere, & dum habetur non potest homo operari. Ex quibus constat, vel ex hoc loco, quo maxime, fulcire conantur gratiam prædeterminantem eam euerti.

493 Similis plane est locus ille Concilij Tridentini, (vtpote ex verbis Apostoli desumptus,) *sess. 6. capite decimoterzio.* Nemo sibi certi aliquid absolutæ certitudine polliceatur tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debeant, Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere, veruntamen, qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur, &c. qui locus plane hanc esse Apostoli mentem, quam diximus, declarat, quid enim aliud est gratiæ non deesse quam salutem suam cum metu, & tremore operari? Porro dicitur Deus operari in nobis velle, (id est, propositum bonæ vitæ, quod concipit homo dum iustificatur,) quia dat vires ad illud concipiendum, suadet, & allicit ad illud, & cum illud concipimus per dona sua cooperatur vobiscum: deinde quia infundit virtutem charitatis, per quam illud velle cessante actu in nobis perseueret habitu perficere operatur, partim per dona habitualia, quæ cum dedit velle infudit, partim per quotidiana auxilia, quæ largitur, per hæc enim iuncta ipsius protectione accipit homo potestatem perseuerandi, & perficit id quod in prima iustificatione proposuerat, nempe custodiam mandatorum vsque in finem. Hæc tamen omnia dona, & auxilia talia sunt, vt in singulis operibus prius natura quam eis vtamur possimus non vti, non acquiescere, & resistere.

494 Dices, quare Deus dicitur operari potius velle, & perficere, quam homo cum homo sit qui libere hos actus elicit? Respondeo etiam homo dicitur hæc operari, dicitur enim homo seipsum conuertere *Ioël 2.* sibi facere cor nouum *Ezechielis 18.* se mundare à peccatis *2. ad Thimoteum 2.* perseuerare in finem & similia peculiari tamen modo hæc tribuuntur Deo, tum quia Deus hominem ad hæc excitat, & solicitat antequam ipse de illis cogitet, tum quia ad hæc vires præbet, sine quibus homo non potest in his quidquam; is autem qui vires ad aliquid præbet, quibus id conficiatur peculiari modo tanquam auctor principalis dicitur esse causa rei, eamque operari, & conficere, sic Regem dicimus expugnasse vrbem, consequutum victoriam, subiugasse noua regna, quia militem, & sumptus suis ducibus suppeditauit, sic *Matth. 10.* dicitur non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, nempe quia non sapientia, & industria humana loquebantur, sed dono Spiritus sancti, qui omnia opportuna suggerebat, hic tamen spiritus quoad vsum doni illius erat illis subiectus iuxta illud Apostoli *1. Cor. 14.* Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt, itaque non determinabat eos ad loquendum, simile quoque est illud *1. Cor. 15.* plus omnibus laboraui, non ego sed gratia Dei mecum, vel vt Græca habent, οὐκ ἐγὼ ἀλλὰ χάρις τοῦ θεοῦ σὺν ἐμοί, id est, non ego sed gratia Dei, quæ mecum est, de qua ante dixerat, gratia Dei sum id quod sum, dicit gratiam laborasse, quia ipse per vires gratiæ laborem præstitit, vnde Hieronym. *Dial. 2. contra Pelagianos* dicit, inquit se plus omnibus laborasse, stat imque laborem suum ad Dei refert auxilium. Non ego inquiens, sed gratia Dei, quæ mecum est.

Ad locum *ex Cant. 1.* in hunc modum respon- 495
deo, si tantum illi trahuntur, qui efficaci motione præparantur: ergo nemo trahitur à Deo, nisi qui sequitur, & consentit, atqui nemo sine tractu Dei potest sequi iuxta illud Domini *Ioan. 6.* Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum: ergo nemo potest consentire Deo, nisi qui consentit, consequens est contra sanam Doctrinam: ergo & antecedens. Deinde quomodo libera voluntate sequimur si tractatui illi non possumus resistere? quomodo libera voluntate sequimur cum ipse prius natura operetur, & influat in nostrum consensum, quam nostra voluntas in eundem influat, itaque liberum hic, & alibi, vel idem valet quod libens & libertas, quod libentia, vel est sine mente sonus. Nec obstat locus ille Cantici, Ecclesia enim desiderans imitari christum flagitat gratiam, vt id possit perficere & recte Haymo, & alij, itaque tractum petit quo præstentur vires exequendi sui propositi, ex tali tractu sequitur cursus, quia desiderium currendi iam supponitur. Potest etiam dici non esse necesse vt omnes in particulari currant, Ecclesia enim cum sit vnum corpus politicum, vt ipsa dicatur imitari Christum, sufficit vt perfectiores in ipsa id præstent, sic *ad Ephes. 5.* Christus dicitur Ecclesiam suam mundare lauacro aquæ, cum tamen non omnes mundentur, baptizantur, & apud *Ezech. capite 36.* effundam super vos aquam mundam, & mundabimini, &c. tamen non omnes mundantur super quos hæc aqua effunditur, solum enim significatur huiusmodi locutionibus rem habere eam vim, vt omnes per eam sint sanctificandi, si per ipsos non steterit; si gratiæ diuinæ non defuerint, & plurimos non defuturos reipsa. Simili modo illis verbis; Trahe me, &c. significatur plurimos per illum tractum imitaturos Christum, & omnes per illum posse si velint. Posset etiam exponi de tractu, quem vocant congruum, sed non videtur ad mentem Scripturæ, neque ex eo, quod gratia dicitur non prædeterminare voluntatem, sequitur nos Deum bene operando præuenire, aut nos Deum proprie trahere ad operandum, non ab eo trahi; nam bene operari bonum possumus nisi à Deo præuenti, id est, attracti, & allecti diuina inspiratione, quia volũtas nostra præparetur, vt iam bonum opus sit in ipsius potestate, sed neque volũtas sic præparata præuenit Deum in efficiendo opere bono, quia nõ nisi per vires gratiæ illud efficere potest. Ffatemur tamen liberum arbitriũ directæ esse causam

causam, cur hic & nunc Deus influat opus, tum per dona sua, tum per se ipsum, non autem Deum, aut gratiam, cur liberum arbitrium hic, & nunc influat. Non enim ideo hic, & nunc fit hoc opus, quia Deus absolute vult illud hic, & nunc fieri, aut gratia ex se determinat voluntatem, vt hic, & nunc illud faciat: sed quia voluntas diuinitus præparata vult hic, & nunc illud facere, non tamen solis naturæ viribus liberum arbitrium est illius causa, sed vna cum viribus gratiæ, sicut vicissim gratia est causa cur opus sit supernaturale fuse ostensum est. Hinc tamen non sequitur nos proprie trahere Deum ad operandum, quia Deus nos ante traxit quamuis id sensu quodam admitti possit, quatenus liberum arbitrium est causa cur hic, & nunc Deus influat in opus, vt dictum est. Vnde Gregor. Arimin. dicit Deum sequi determinationem voluntatis. Ad alium locum Pauli patet ex dictis supra §. *superiori*.

## SVBSECTIO XIX.

### *Loca Augustini explicantur.*

496 AD Augustinum priusquam respondeam suppono certum esse eum nunquam sensisse Deum directe, & proprie inclinare voluntatem ad malum actum, sicut de Iudæis ipse ait *tract. 53. in Ioan.* fecerunt peccatum quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet; sed facturos esse præsciuit, similem Doctrinam frequenter repetit Augustinus, semperque exponit similes locutiones sacræ Scripturæ de permissione ut videre licet *epist. 105. & 106. & de prædest. & grat. cap. 4. & seq. ad Simplic. quæst. 2. ad artic. sibi falso impositos sæpe*, vbi notatu dignum est, nec Augustinum, nec Prosperum respondendo ad obiectiones dixisse Deum esse authorem peccati pro materiali, non pro formali, sed simpliciter negasse à Deo nos moueri ad malas voluntates, vel actiones: in locis ergo in obiectione citatis nihil habet Augustinus huic doctrinæ contrarium, sed in primo loco merito distinguit inter patientiam, & potentiam Dei; nam Paulus, quem ipse citat illa distinxit, sensus autem distinctionis est, quod Deus quosdam expectat per patientiam tantum, vt eorum misereatur, alios deserit etiam per potentiam, quia supposita eorum malitia, vult eos acriter punire; itaque per patientiam expectare Deum, nihil aliud est, quam non statim punire, quod præcise sumptum potius est opus misericordiæ quam iustitiæ, iuxta illud: ignorans quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? vnde hoc modo per patientiam expectare non est deserere, nam proprie deserere est opus iustitiæ; vnde constat quid sit per potentiam tradere hominem desideriis suis, est enim illum deserere, hoc autem non est per potentiam inclinare voluntatem hominis ad malum actum; sed est Deum potentia sua hominem acerrime punire, primum non agendo sed relinquendo, & postea efficiendo vt homo suam propriam voluntatem implens ea maxime torqueatur, quod est signum maximæ potentiæ Dei, & ideo dicitur in hoc potentiam suam manifestare deserendo hominem, & vitiis ac desideriis suis illum tradendo, vt tandem in illo diuina ira, & iustitia manifestetur, iuxta illud in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam; & illud, quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam. Rursus quod Augustinus ait, vel deserendo, vel alio quouis modo, ideo dixit, quia vt declaraui, Deus non solum non agendo, sed etiam aliquid exterius, vel interius operando id facit, vel offert homini, quod illi est occasio ruinæ, quam licet Deus non intendat, nec ad illam directe inclinet, tamen admirabili potentia, & iudicio occultissimo vtitur, dum id operatur in homine, & in corde etiam hominis, quod licet de se bonum, & sanctum sit, & ad id, quod honestum est inclinans, tamen ipsi homini futurum est in scandalum, & occasionem ruinæ, ita exponit Divus Thom. *lect. 3. ad Rom. 9.*

Ad alium locum Augustini primum responderi 497
potest eodem modo ex generalibus principiis positis, sed vt clarius in specie mens August. intelligatur, aduertendum est in principio capitis, in particulari loqui de voluntatibus Angelicis, has enim videtur intelligere cum ait: verum etiam eas, scilicet voluntates, quæ conseruant seculi creaturam, quamuis extendi id possit ad quascumque voluntates Principum, & Potentium, has ergo voluntates ait Augustinus inclinare Deum, vel ad beneficia præstanda, vel ad pœnas ingerendas, vtrumque autem fieri potest sine malitia voluntatis, & ita ex hoc capite non sequitur inclinare Deum voluntatem ad actum malum.

Quia vero interdum punit Deus quosdam per 498
malas voluntates aliorum, addit Augustinus mirabilem quemdam modum dicens, interdum Deum voluntatem iam vitioso suo malam inclinare in hoc peccatum potius, quam in aliud, ut talem hominem puniat, vel affligat, vel interdum etiam, vt à tanto malo eum liberet, vel alios fines prouidentiæ suæ, v. g. cum Dæmon paratissimus sit ad tentandos, vel affligendos homines, inclinat eum Deus, vt hunc potius, quam illum affligat, & de Semei ait Aug. fuisse hoc modo inclinatum à Deo ad maledicendum Dauid, quia iam suo arbitrio odium Dauid conceperat, & voluntatem ei nocendi habebat, optimum exemplum est in fratribus Ioseph, qui iam decreuerant eum interficere, Ruben eis persuasit, ut non effunderent eius sanguinem, sed in cisternam viuum immitterent, & postea transeuntibus Madianitis, Iudas fratres induxit vt eum venderent potius, quam ibi mori sinerent; Hæc ergo inclinatio illarum voluntatum in tale obiectum recte potuit esse ex speciali Dei prouidentia, & excitatione, de qua Augustinus loquitur, non de prædeterminatione physica, & ratio est, quia hoc modo voluntatem iam per se malam ex suo libero decreto inclinare ad hoc, vel illud obiectum, non est per se malum, imo potest esse honestum si ad minus malum inclinetur, vt in exemplo dato apparet; vel interdum etiam satis erit, vt malum sit eiusdem rationis, & gravitatis, solumque materialiter diuersum, vt si voluntas Principis decreuit inferre bellū, & deprædari quicquam possit; non est malum inclinare illam ad hanc gentem potius, quam ad illam, etiam si in eo non cernatur minus malum, satis enim est quod nō cernatur maius, in his ergo casibus potest Deus iuxta infinitam suam sapientiam & iustitiam inclinare voluntates, vel directe interius consulendo per Angelos bonos hoc potius quam illud opus eligere, vel per Angelos malos eis facultatem præbendo limitatam, & definitam ad talem personā, vel actionem quomodo legimus se gessisse cū dæmone *Iob. 1.* vt notavit etiam Aug. *lib. 1. ad Simplic.*

pic. q. 2. vel certe præbendo occasiones, vt talia obiecta repræsententur vel excitetur memoria talis personæ, aut quid simile, quo pacto statim homo pravam voluntatem prius conceptam ad talē actionem, vel personam applicat. His ergo modis intelligendus est Augustinus, cum sæpe ibi ait, agere Deum in cordibus hominum etiam motus voluntatis eorum, scilicet, cum motus est bonus, directe illum intendendo, cum vero est malus vel permittendo solum, vel intendendo etiã, vt voluntas iam ex se praua, & ad malum determinata, in hac re potiùs, quam in alia se exerceat; ita fere rem hanc explicuit August. Victor. *lib. 1. de sacram. p. 5. c. 29.*

499 In tertia obiecto ne proposita duo petuntur, quæ breuiter explicanda sunt, primum quomodo voluntas Dei se habeat ad actum peccati, seu quomodo ad illud præbeat concursum. Secundum quæ sit differentia inter concursum, & prædeterminationem.

500 Prima pars huius difficultatis manifeste declaratur aduertendo Deum non concurrere ad actum malum creatæ voluntatis medio aliquo actu voluntatis suæ, quo absolute, & efficaciter velit talem actum esse aut fieri in rerum natura, sed medio actu quasi conditionato quo vult talem actum fieri, & in eum influere si voluntas creata in illum etiam influxerit, vnde ex vi talis decreti, seu actus voluntatis suæ Deus non determinat concursum ad actum malum solum, sed indifferenter applicat potentiam suam executiuam ad hunc, vel illum actum, ad quem voluntas creata sese applicuerit, & postea in tempore ex vi illius applicationis, & voluntatis, dum illi sese adiungit causa secunda influit in actum malum diuina voluntas, humana simul sese determinante; hunc modum concurrendi indicauit Epiphanius *hæresi 66.* vbi ad vindicandum Deum à calumnia auctoris, & causæ peccati inquit iuxta permissionem liberi arbitrij omnibus propria voluntate, vti concedit, vt quisque quod voluerit faciat, itaque Deus confert generalem concursum creaturæ, non voluntate præmouente, nec voluntate absoluta, qua velit talem actum esse, sed voluntate quasi generali qua vult ad illum actum concurrere, & qua vult illum actum esse non absolute, sed subintellecta conditione, si liberum arbitrium ad illum efficiendum sese applicuerit, seu determinauerit, cum autem voluntatem illam generalem appello, non est sensus, vt quidam interpretati sunt, voluntatem Dei solum confuse versari circa actus voluntatis creatæ, volentem generatim concurrere ad actus eius, quæ interpretatio est in rigore falsa; nam in Deum non cadit confusa cognitio, vnde sicut distinctissime omnia intuetur, ita sua voluntate vniuersa in particulari vel disponit vel permittit, atque ita in præsenti ad hunc actum in particulari, etiam si malus futurus sit, vult Deus concurrere volente homine.

501 Vocatur autem illa voluntas generalis, quia Deus quantum est ex se non limitat concursum suum ad illum actum, sed offert illum ad alios bonos, vel malos etiam in particulari, quos in eodem momento posset voluntas hominis habere, si vellet. Neque enim probo quod quidam aiunt, Deum de facto non habere voluntatem concurrendi in hoc instanti cum hoc libero agente creato, nisi ad hunc actum, quem præscit, voluntatem creatam operaturam. Aiunt enim Deum scientia conditionata præscire, quid voluntas creata effectura sit, si ipse præbeat ei consensum & præuidens effecturam hunc malum actum, ad illum solum velle concurrere, quia superfluum est velle concurrere ad alios quos præscit hominis voluntatem non esse facturam. Hoc inquam mihi non probatur, quia si Deus de facto non offerret suum concursum ad alios actus absolute non esset in potestate proxima hominis illos efficere, & ita non esset liber ad illos efficiendos. Nec illa præscientia conditionata obstat, quia illamet supponit ex parte obiecti hanc conditionem, scilicet si Deus det concursum accommodatum voluntati humanæ, ipsa libere hunc actum eliciet potius, quam alium: ergo vt effectus postea libere fiat, oportet vt hæc conditio impleatur: ergo Deus non tantum ad illum actū, sed etiam ad alios debet offerre concursum, alias non implebitur conditio, & actus non erit liber saltem quoad specificationem; vnde non est otiosa, aut superflua illa voluntas Dei, quandoquidem ad hoc tendit vt voluntas humana, re ipsa sit expedita ad actum cuiuscunque speciei, quem in eo instanti posset efficere. Cum autem illa voluntas sit conditionata non oportet, vt aliquid ponat in effectu non adhibita conditione, sed quod sit tantum in affectu, seu præparatione ex parte Dei.

Dices; ergo ponitur in rerum natura aliquis 502
effectus positiuus, & realis sine absoluta & efficaci voluntate qua velit Deus illum esse contra illud, omnia quæcunque voluit fecit, & illud operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, & illud Augustin. *3. de Doctor. capite 4.* voluntas Dei est prima causa, & summa omnium specierum corporalium, atque motionum, & *libro 83. quæstionum, quæstione 3.* Hoc est aliquid fieri Deo agente quod Deo volente, & super id *Psalm. 144.* Iustus dominus in omnibus viis suis. Apud Deum hoc est velle quod facere, quia ex eius voluntate res habent esse; Nec videtur sufficere res conditionata, quia non solum necesse est vt Deus velit concurrere si creatura agat, sed necesse est vt Deus illam agere velit, & ita necesse est vt ipsa conditio cadat in voluntatem Dei, & ita voluntas conditionata transit in absolutam. Assumptum ostendo, quia sicut non potest creatura esse, nisi Deus velit illam esse, ita nec potest agere nisi Deus velit illam agere, tantum enim in agendo, quantum in esse à Deo pendet.

Respondetur concedendo aliquem realem ef- 503
fectum à voluntate creata fieri, quem Deus absoluta voluntate beneplaciti non vult esse.

Neque hoc est mirum, quia nec talis volun- 504
tas absoluta Dei necessaria est, vt ille effectus fiat, sicut declaratum est, nec ille effectus provt in re fit, est obiectum decens diuinam voluntatem. Neque hoc est alienum à doctrina Concilij Tridentini dicentis Deum hos actus malos operari tantum permittendo; non igitur simpliciter volendo illos. Idemque fere est, quod Auguſtinus, & alij Sancti dicunt Deum esse Auctorem omnium potestatum, non autem omnium voluntatum, scilicet actualium, seu volitionum; si ergo illarum auctor non esset, neque illas simpliciter vult. Denique idem est, quod Diuus Thomas dixit hos actus non esse ex voluntate Dei consequente, & beneplaciti, neque contra illam, sed præter illam, & idem est sensus aliorum Theologorum, quos retuli. Quamuis ergo Deus omnia, quæ voluit fecit, quæ tamen simpliciter non facit, non oportet vt ea simpliciter velit, huiusmodi autem sunt peccata, vt vero in

in actus illorum influat, & suo modo illos efficiat, satis est vt in eos etiam velit influere, non per se solum neque absolute, sed concurrente causa secunda; vnde eo modo, quo hunc effectum operatur illum facit secundum consilium voluntatis suæ accomodatum tali modo concurrendi, nam æterno suo consilio prudentissime decreuit suum concursum ad hos actus præstare, & id exequitur media voluntate modo supra declarato. Et ita etiam veræ sunt omnes locutiones Augustini sumptæ cum distributione accómodata, nam voluntas Dei est principium huius effectionis prout à Deo est, non tamen voluntas absoluta de tali actu secundum se, sed voluntas concurrendi ad illum modo prædicto.

505 Neque oportet vt Deus absoluta & efficaci voluntate velit nostram voluntatem agere ad hoc, vt ipsa agat, sed satis est, quod eam agere permittat, aut sinat, atque adeo vt velit eam agere non simpliciter, sed sub intellecta conditione si ipsa velit.

506 Neque est in hoc exacta similitudo inter esse à solo Deo, & ideo necessaria est absoluta voluntas Dei, qua velit ei dare esse, seu creare illam, voluntatem vero agere non est à solo Deo, sed est etiam ab ipsa voluntate, & ita est ab illa, vt possit non esse ex intrinseca vi, & facultate eius, & ideo non est necesse quod Deus simpliciter velit illam agere, sed quod velit præbere concursum illamque sinere, ut sua facultate volendi, aut agendi, vtatur.

### *Differentia inter prædeterminationem, & concursum.*

507 Atque ex his facile est intelligere differentiam inter hanc voluntatem concurrendi, & voluntatem prædeterminantem: est enim multiplex. Prima, quod in voluntate concurrendi modo prædicto Deus nihil efficit se solo circa actum peccati, & ex hac parte non potest ei tribui, vt auctori. At vero per voluntatem prædeterminantem Deus se solo efficeret in voluntate nostra determinationem ad actum peccati præuiam ad illud, ratione cuius merito tribueretur Deo, & actus peccati, & quidquid cum illo coniunctum est, nam si illa prædeterminatio est aliquid physicum, & reale voluntati inhærens, illud est tanquam grauitas quædam pertrahens voluntatem ad profundum peccati; merito ergo tribuetur peccatum Deo danti talem impetum multo magis, quam motus grauis tribuatur generanti, vel quæ consequuntur formam ei, qui dat illam, vel motus proiectorum imprimendi impetum. Si vero illa determinatio non est præuium aliquid inhærens, sed efficiat motio Dei immediatius tribuendum erit Deo quidquid ex illa motione consequitur, sicut tribuitur voluntati quidquid ex brachii motione sequitur, quamuis nihil præuium imprimat, sed ex naturali subiectione efficaciter moveat.

508 Secunda differentia est, quod voluntas concurrendi non est de se determinata ad malum actum, sed indifferens, vt explicatum est; at vero voluntas prædeterminans est ex se definita ad actum malum, & ideo ex vi eius cadit in Dei voluntatem actus malus & virtualiter saltem, & implicite mal itia eius quandoquidem Deus ex solo arbitrii suo ad illum potius, quam ad bonum suum velleo definiuit, & per illud voluntatem humanam determinauit, ex vi autem prioris concursus non cadit in Dei voluntatem absolutam actus malus, sed sola permissio eius.

Tertium discrimen est, quo voluntas concurrendi, de se & absolute non est efficax, sed sufficiens, & cum cooperatione humanæ voluntatis habet effectum, voluntas autem prædeterminans, esset efficax ex se, & ideo ratione illius, vere diceretur Deus facere, vt faciamus malos actus, quod nullatenus dicendum est. 509

## SVBSECTIO XX.

### *Diui Thomæ verba explicantur.*

CIrca loca Diui Thomæ, aduertit optime Pater Suarez in primis nunquam reperiri apud sanctum Thomam in citatis locis causam primam determinare secundas ad omnes actiones earum, multoque minus reperiri apud eum mentionem physicæ prædeterminationis, præsertim respectu voluntatis liberæ; solum ergo reperiuntur hæc verba apud sanctum Thomam. Causa prima mouet causam secundam, applicat illam, præbet illi concursum, vel auxilium tanquam primum mouens; hæ autem voces recte intelligi, & exponi possunt absque illa actione præuia in causam secundam, vt supra tetigi, & nunc latius dicam. 510

Deinde aduertendum est sanctum Thomam ponere varios modos, quibus causa prima operatur effectus causarum secundarum. Primus est dando causis secundis virtutes ad agendum, seu formas per quas agant. Secundus est conseruando eas in esse. Tertius quasi applicando virtutes, & formas causarum secundarum ad operationes, quos tres modos posuit 1. *parte, quæstione* 105. *art.* 5. addit etiam quartum genus mouendi per modum finis, qui ad rem præsentem non spectat, & in tertio modo notanda est illa particula, quasi, quæ videtur esse conditio diminuens, non enim dicit simpliciter applicans, sed quasi applicans, & ratione huius applicationis, dicit primam causam mouere secundam ad agendum, & secundam agere in virtute primæ, in toto autem illo corpore articuli nullam facit Diuus Thoma mentionem illius concursus, quo Deus vt prima causa immediate concurrit ad actionem creaturæ in ipsum effectum proxime, & immediate influendo, & in solutione ad tertium in summam redigit totam doctrinam articuli his verbis; Dicendum, quod Deus non solum dat formas rebus; sed etiam conseruat illas in esse, & applicat eas ad agendum, & est finis omnium actionum, vt dictum est, solum hoc posteriori loco effectionem, & conservationem virtutis activæ ad vnum caput reduxit, & quod ibi vocauit auxilium Dei mouentis, hic vocat applicationem. Neque enim dubitari potest quin per hanc applicationem Divus Thomas intellexerit aliquid distinctum ab effectione, & conseruatione virtutis causæ secundæ, vt ex verbis adductis constat: ergo vel asserendum est Diuum Thomam ignorasse illum concursum per immediatum influxum in ipsum effectum, vel per illam quasi applicationem hunc concursum intellexisse. Primum dici non potest, tum quia esset imponere Divo Thomæ intolerabilem errorem, tum etiam quia ibidem in solutione ad

secundum ex doctrina articuli colligit vnam, & eandem actionem esse à primo, & secundo agente, quod non esset verum, nisi primum agens immediate influeret in effectum secundi agentis: ergo per illam applicationem nihil aliud potuit illo loco Diuus Thomas intelligere nisi concursum illum, quem aliis locis auxilium Dei mouentis vocauit.

512 Quibus verbis vsus est, vt significaret hunc concursum, licet sit per modum simultaneæ cooperationis, tamen à prima causa dari, vt à superiori, à qua inferior pendet, & non è conuerso. Item, vt indicaret dari ex vi illius prouidentiæ, qua ad primam causam pertinet gubernare secundas, easque ad suos fines suasque operationes perducere, hoc enim est quoddam applicationis genus. Tandem vt ostenderet influere Deum in actionem causæ secundæ intimæ, & secundum omnem rationem eius.

513 Quod ita potest amplius declarari; nam duplex applicatio causæ ad agendum, distingui potest. Vna est præuia ad actionem tanquam conditio requisita quæ non habet locum in præsenti; nam vt dixi loquimur de causa secunda habente iam omnem dispositionem intrinsecam, permanentem, necessariam ad agendum, & materiam, siue passum, siue obiectum sufficienter applicatum, & propositum, quam applicationem supponimus factam esse, & conseruatam à Deo, vel per se, vel concurrente cum aliqua causa secunda. Causa autem secunda iam sic proposita & applicata, non indiget noua applicatione per nouum influxum solius primæ causæ, vt in superioribus late probatum est.

514 Alia ergo potest intelligi applicatio formalis, quæ ipsamet actione fit, quomodo potest quis dici applicari ad opus dum operatur, & voluntas applicari ad amandum, dum amat, quæ applicatio non est aliud ab ipso amore, vel alia simili actione, sed applicatio vocari potest, quia dum agens operari incipit, coniungitur quodammodo actioni suæ, vel per illam coniungitur materiæ, circa quam operatur; & hæc applicatio ita fit à causa secunda, sicut & ipsa actio, & eodem modo fit à causa prima non sola, nec per actionem præuiam, sed cum ipsa causa secunda, & per concursum concomitantem quocum illa concurrit. Hoc ergo modo vere dicitur causa secunda applicari ad agendum à causa prima non sola: sed concurrente cum ipsa se applicante: quia ergo sub hac ratione, & denominatione applicationis significatur actio, vt primo egrediens ab ipso agente; ideo ad significandum Deum concurrere ad illam actionem secundam primæuam, & radicalem emanationem à suo proprio agente, dicitur Deus concurrere applicando causam secundam. Et hæc satis, superque sunt ad reddendam vocis rationem; nam de re vix potest dubitari suppositis quæ diximus, quæ non esse aliena à sensu Diui Thomæ, satis verisimile fit discursu facto.

515 Nec obstat quod Diuus Thomas vsus fuerit exemplo motionis, & applicationis instrumentorum artis, quia non affertur exemplum, vt omnino simile, sed vt manuducens ad rem explicandam, & ibi præsertim adducitur ad declarandum, non concurrere Deum cum causis secundis, supponendo in eis virtutem agendi, sed dando, & conseruando illam.

516 Vltra hos autem tres modos agendi non tribuit Diuus Thomas primæ causæ alium, quo effectus, & operationes causarum secundarum efficiat, qui sit vniuersalis, & quasi essentialis causis secundis, sicut sunt tres supradicti, alias Diuus Thomas illum non prætermisisset, vbi ex professo hanc materiam tractauit, ex quo mihi fit valde credibile tacite Diuum Thomam, retractasse quod *in quæstione illa de potent.* dixerat, vbi eandem quæstionem, quam prima parte versans præter illos tres modos ponit quartum, quo causa secunda per virtutem instrumentalem fluentem agat, vt instrumentum primæ causæ. Ex quo loco in primis calligo apud D. Th. aliud significari per illam applicationem, aliud per impressionem virtutis fluentis; nam expresse hos modos illo loco distinxit; vnde vel dicendum est, causam primam duas res imprimere secundæ, vnam ad applicandam illam, aliam vt illi det virtutem instrumentalem, quod est plane absurdum, vel fatendum est per illam applicationem nihil imprimi causæ secundæ, quod intendimus. Secundo colligo Diuum Thomam doctiorem factum commisisse, & retractasse, *in prima parte*, sententiam illam de virtute fluente; nam certe, si in illa sententia permansisset, eam in prima parte non prætermisisset, ne diminutam, sed maxime completam & exactam nobis traderet in proprio loco, & præcipuo, in quo rem ex professo tractabat: vidit ergo modum illum non esse verum, & ideo merito illum prætermisit.

Nec discursus, quo *in illa quæstione de potent.* vtitur Diuus Thomas est efficax, sic enim colligit. Causa secunda non potest esse principalis causa existentiæ, nec potest illam propria virtute conferre, quia ipsum esse est vniuersalissimus effectus, & est quoddam esse alio quocunque existente in omnibus rebus intimius, & actualius, & ideo à sola causa prima, & vniuersalissima fieri potest, vt à causa propria & principali; causa ergo secunda solum vt instrumentum primæ potest dare esse, & ideo requirit virtutem instrumentalem præuiam, per quam efficiat; hæc enim ratio eodem modo applicari potest ad illam virtutem instrumentalem, seu transeuntem, quæ dicitur addi causis secundis; nam illa non est perfectior, quam virtus earum permanens. 517

Respondetur ergo illa ratione recte probari, causam secundam non posse agere sine influxu primæ principalius, & intimius, vt ita loquar, influentis in effectum quatenus esse existentiæ participat, quod est veluti adæquatum obiectum solius diuinæ efficacitatis, non tamen probari non esse in causis secundis virtutem propriam & sufficientem in suo genere ad communicandum esse quod habet cum concursu, & dependentia à prima causa, sicut ipse illud esse possident, sicque possunt illud esse aliis communicare, non quidem sub generali ratione existentiæ, sed sub tali particulari, ac determinata ratione. Quamobrem non est necessaria alia virtus superaddita, neque alius causandi modus & ideo Diuus Thomas in Summa merito illum modum prætermisit, & tacite retractauit. 518

Cuius facti non leue signum est, quod *in 3. contra Gent. c. 70.* (qui liber simul cum Summa censetur, quasi vltimum Diui Thomæ testamentum) tres supradictos modos attingens, quartum prætermisit, quem immerito Ferrar adiunxit, 519

xit, cum ibidem Diuus Thomas consulto illum omiserit, qui eo loco nullam aliam virtutem agendi agnoscit impressam causæ secundæ, præter facultates ipsas naturales, vt est calor in igne & similes, seu proportionales, vt sunt habitus infusi in ordine supernaturali.

520 Neque in tota Diui Thomæ doctrina aliquid aliud reperio, quod generaliter ad omnes causas secundas pertineat; specialiter autem de voluntate, & intellectu disputans solet Deo Tribuere vim peculiarem ad mouendum has potentias, & præsertim illi attribuit primos actus harum potentiarum, de hac motione diuina tractat 1. p. quæst. 104. *articulo* 3. & 4. vbi (legenti euidenter constabit,) non agit de motione Dei, vt causæ primæ concurrentis cum voluntate, & intellectu vt causis secundis, sed de illa actione, qua Deus dedit his facultatibus virtutes intelligendi, & volendi, & inclinationem in proprios actus, & obiecta, rationem cuius ad illa feruntur. Tractat etiam de motione ex parte obiecti, quam Deus facere potest, vel imprimendo species in intellectu, vel per modum obiecti summe boni mouendo voluntatem, quod tunc solum facit omnino efficaciter, quando est clare visus, vt ipse docuerat, *eadem prima parte*, *quæstione* 82. *articulo secundo*. De hac etiam motione voluntatis agit *prima secundæ* sæpissime, præsertim *quæstione* 9. & 10. & *quæstione* 109. & *sequentibus*, sed in his locis interdum loquitur de motione per inclinationem naturalem inditam voluntati ad volendum bonum, vt cum ait, voluntatem moueri à suo auctore ad volendum bonum in communi, vel finem. Interdum loquitur de motione per concursum generalem, quia cum voluntas per suum velle moueatur Deo concurrente ad illud, vere dicitur moueri voluntas à Deo, quamuis non à solo, sed cum ipsa, & ita etiam potest intelligi quod dicit *in articulo* 4. *quæst.* 105. 1. *parte*, Deum intime inclinare voluntatem efficiendo in ea ipsum velle, quia velle est inclinari.

521 Interdum vero, & sæpius loquitur de motione morali, vel antecedente, quæ est vel ex parte obiecti, vel per sanctas inclinationes, quomodo loquitur aperte *prima secundæ quæstione* 109. *articulo* 6. *ad tertium*, & *in tota materia de gratia*. Nunquam tamen in eo reperies (quod iterum animaduertere non grauabor) Deum prædeterminare voluntatem nedum physice prædeterminare, imo in eisdem citatis locis semper obseruat, Deum ita mouere voluntatem, vt illam se mouere sinat, imo vt eam ad vnum non determinet prævia determinatione vt satis significauit *prima secundæ*, *quæstione* 10. *articulo* 4.

522 Ad tertium præter propositionem ibi allatam sunt aliæ similes in eo libro, quas Diuus Thomas ex parte refert dicta *quæstione* 3. *de potentia*, *articulo* 7. Prima est. [ virtus causæ primæ prius agit in causatum, & vehementius ingreditur in ipsum. ] Nona in ordine est. [ Intelligentia non dat esse, nisi provt est in ea virtus diuina. ] Sed hæc 9. & 16. quæ in obiectione citantur, optime exponuntur verbis Diui Thomæ 3. *contra Gent. cap.* 70. vbi sic scribit. [ Virtus inferioris agentis pendet ex virtute superioris agentis, in quantum superius agens dat virtutem ipsam inferiori agenti, per quam agit, vel conseruat eam. ] Vnde inferius sic colligit: [ Oportet igitur, quod actio inferioris agentis non solum sit ab eo per virtutem propriam; sed per virtutem omnium superiorum agentium, agit enim in virtute omnium. ] Igitur ex Diui Thomæ interpretatione causam secundum agere in virtute primæ, nihil aliud est, quam agere per virtutem ab illa participatam, & ita dependentem ab illa in agendo, vt omnis actio eius magis, principaliusque nitatur in virtute causæ primæ, quam in propria, & hac etiam ratione subdit idem Diuus Thomas eodem loco virtutem primi agentis esse ex se productiuam, virtutes autem inferiorum, non nisi ex virtute superioris, id est, vt in illa nixæ, & ab illa adiutæ.

Ex hac ergo Doctrina facile intelligitur verus 523
sensus illarum propositionum libri de causis, & similium, in prima enim dicitur causa prima prius agere, quia ex se, & independenter agit. Dicitur tiam vehementius ingredi effectum, quia intimius est in illo, magisque in illum influit, & ipse essentialius ab illa pendet. In nona dicitur causa secunda dare esse, provt est in ea virtus diuina, vel participatiue per ipsammet facultatem, & virtutem intrinsecam à Deo participatam, quomodo dicitur charitas Diuina esse in nobis, & Diuinum lumen in Beatis, vel causaliter, idest, quatenus ipsamet virtus Dei est in causa secunda adiuuans illam, & cum illa concurrens. Atque hoc etiã modo dicitur *in propria* 16. virtutẽ Diuinam esse virtutem omnium causarum, vel quia omnes ab illa habent virtutem, vel quia illa omnes iuuat, & cum omnibus agit, & concurrit, quo sensu etiam dici potest coniungere omnes causas suis effectibus & applicare illas, vt dictum est.

Ad reliqua loca Diui Thomæ Respondeo ex 524
eodem Angelico Doctore, *primo contra Gentes cap.* 82. duplicem esse indifferentiam ad vtrumlibet, Alteram ortam ex defectu virtutis, seu indigentia, sic videmus materiam primam esse indifferentem ad plures formas, & libram ex se esse indifferenter ad vtramque lancem ex defectu virtutis scilicet; adueniente autem pondere, & grauitate determinatur, & inclinatur in vnam lancem potius quam in aliam; Hanc etiam influentiam habet voluntas quandiu non apparet bonitas in hoc, vel illo obiecto, & tunc indiget aliqua inclinatione, vel cognitione vt operetur. Altera est indifferentia orta ex imperfectione obiecti, quod non apparet necessarium & tunc non indiget principium aliqua alia inclinatione antecedenti, vt operetur. Sanctus Thomas igitur, quoties petit in voluntate creata aliquam inclinationem præuiam, vt operetur propter indifferentiam, quam habet ad vtrumlibet, loquitur de prima indifferentia orta ex defectu cognitionis, quam cognitionem dicit debere prouenire à Deo, ipsum vero Deum, quia est actus purus, & ex se habet cognitionem non indigere aliqua inclinatione, vel motione ab extrinseco. Sic loquitur *dicta quæstione* 9. *articulo* 4. & clarius *in* 2. *distinctione* 25. *quæstione* 1. *articulo* 1. *in corpore*, vbi adducto testimonio Commentatoris dicit determinationem, quam voluntas prærequirit ad operandum esse cognitionem aliquam de fine, & *primo contra gentes cap.* 82. *ratione vltima*, Respondet Deum non indigere eiusmodi determinatione, quia habet ex se intellectionem, & cognitionem obiecti: ergo determinatio quam Sanctus Thomas prærequirit in nostra voluntate, nihil aliud est quam cognitio obiecti quam nostra voluntas non habet, quando est sub illa priori indifferentia.

525 Neque obstat, quod Sanctus Thomas aliquando hanc cognitionem appellat inclinationem, aliquando determinationem, non enim intelligit nomine determinationis aliquid necessitans, vel tollens indifferentiam secundi generis, sed appellat determinationem, quia aufert indifferentiam prioris generis, & quia cognitio bonitatis, quantum est ex se inclinat, & determinat magis ad amorem, quam ad odium, sed adhuc manet voluntas indifferens, quia habet aliam cognitionem alterius boni contrarij, quæ etiam quantum est ex se inclinat, & determinat ad amorem contrarium, & per consequens habet, vt ita dicam quasi determinationes contrarias duas improprie dictas, per quas tollitur prima indifferentia, quam habebat & tribuitur ansa, vt voluntas secundam indifferentiam exerceat quomodo voluerit.

526 Deinde quando Sanctus Thomas vniuersaliter ait causam creatam posse operari, nisi prius determinetur à Deo, ibi loquitur de causis naturalibus, & necessarijs, non autem de liberis, ac si diceret Diuus Thomas non posse lapidem moueri ad centrum, nisi Deus prius determinet illum tribuendo illi grauitatem, quæ determinat lapidem ad centrum, quod expresse docuit Diuus Thomas 1. *parte, quæstione* 105. *articulo* 5. His verbis, Deus non solum dat formas rebus, & conseruat eas in esse, sed etiam tribuit virtutem media qua applicat agens ad operandum.

## SVBSECTIO XXI.

### *Modi loquendi communes explicantur.*

527 AD primum modum loquendi, qui contrà nos obijcitur de applicatione causæ secundæ à Prima; suppono quod verissimum est, videlicet omnes causas creatas aliquam applicationem præviam requirere (vt optime notauit Pater Suarez) ad actiones suas, siue fiat ex parte ipsarum, siue ex parte subiecti, siue materiæ circa quam operaturæ sunt, quæ applicatio in corporalibus agentibus, semper fit per motum localem, aut aliam actionem, qua agens, & passum loco cõniungantur, seu propinqua fiant; in potentijs autem, seu viribus animæ, præcipue in intellectu & voluntate fit per sufficientem propositionem obiecti, aut per imperium vnius potentiæ in aliam, vel aliam motionem, vel eiusdem potentiæ in se ipsam secundum actus diuersos, quando subordinationem inter se habent, vt late Sanctus Thomas *prima secundæ quæstione* 9. docet, vnde in genere omnis hæc applicationum varietas ad duo capita reduci potest, & vt breues habeamus terminos, quibus vtamur, alteram materialem, seu localem, alteram animalem, seu intentionalem appellemus.

528 Deinde suppono, omnem hanc applicationem præviam fieri à Deo, vel per causas secundas, vel interdum per se solum si causæ secundæ desint. Ratio generalis est evidens, quia hæc applicatio est aliquid in rerum natura, est enim, vel motus localis, aut alia loci adquisitio, vel cognitio, appetitio, aliquidve simile: ergo necesse est à Deo fieri; item ex hac applicatione diversimode facta in diuersis agentibus, & patientibus exoritur fere omnis varietas effectuum, quæ in vniverso contingit, tam in naturalibus, quàm in moralibus; imo perpetua conseruatio vniuersi per continuas generationes & corruptiones, ex hac applicatione maxime pendet: sed Deus est qui providentia sua, & maxima efficatia hæc omnia gubernat, & continet: ergo necesse est vt ipse sit causa prima omnis huiusmodi applicationis, quia vero Deus suauiter omnia disponit regulariter hanc actionem non facit, nisi per causas secundas, & tunc non aliter ipse concurrit quam dando priorem concursum generalem illi causæ secundæ, quæ per se, & immediate efficit hanc applicationem, vt si Angelus exempli causa sit causa applicans ignem Sodomæ, vt comburatur, Deus concurrit cum Angelo ad efficientiam illius motus per generalem concursum supra explicatum, & simili modo cum alijs. Potest autem Deus facere interdum hanc applicationem sua sola efficacitate: sed id (vt creditur) ordinarie non facit, nisi vel in operibus aliquibus miraculosis, vel interdum in operibus gratiæ, quando intellectum, aut voluntatem hominis in se ipsis immutat illuminando, vel inspirando aliquem motum, quo ipsa voluntas ad alium actum applicetur. Hic enim modus applicationis maxime pertinet ad ordinem gratiæ, omnia vero hæc applicationum genera, sunt omnino extra causam, & rem de qua disputamus, quamuis nonnulli Doctores circa hanc applicationem mirabiliter allucinentur, ob vocis æquiuocationem, etenim præsens quæstio de necessitate Diuini concursus solum versatur suppositis alijs omnibus requisitis conditionibus ad operandum, ex parte ipsius causæ secundæ, verbi gratia, postquam sol præsens est huic Hemisphærio, & omnia impedimenta ablata sunt, quo Dei concursum indigeat ad illuminandum, & in re circa quam versamur postquam voluntas habet præsens obiectum per iudicium rationis, & ipsa quantum est de se apta est ad operandum circa tale obiectum, inquiritur quid sit necessarium ex parte Dei, & hoc sensu dicimus illam applicationem præuiam nullam esse.

Nam in primis inquiro, quis sit terminus 529
huius applicationis; cum enim hæc applicatio, actio aliqua esse dicatur, & non sit tantum immanens in Deo; sed transiens in causam secundam terminum aliquem habere necesse est; imo iuxta opinionem asserentem actionem Dei non transire proprie in extrinsecam materiam, nisi quoad effectum suum hæc applicatio cum sit à solo Deo, provt recipitur in causa secunda, non erit actio Dei, sed terminus aliquis, vel effectus Diuinæ voluntatis; at nullus talis terminus fingi, vel excogitari potest.

Dices terminum esse actionem causæ secun- 530
dæ, hæc enim applicatio ad hoc fit, vt causa secunda suam actionem exerceat, sed hoc non recte dicitur, hæc enim applicatio dicitur esse aliquid in causa secunda præuium ad actionem: vnde actio talis causæ ad summum dici poterit finis ad quem ordinatur talis applicatio; sicut illuminatio solis dici potest terminus, seu finis extrinsecus applicationis eius, quæ per motum localem fit. At hic inquirimus intrinsecum terminum huius applicationis, qui vel formaliter sit ipsa applicatio, vel per illum proxime fiat, nam sicut per applicationem solis immediate

immediate sit existentia eius in hoc loco ad quam deinde sequitur illuminatio, ita oporteret dare aliquid simile in hac applicatione. At vero nihil tale fingi potest; nam ponimus omnem applicationem localem si necessaria sit esse factam similiter omnem obiecti applicationem intentionalem; quid igitur esse potest illa alia applicatio, aut per eam fieri quid potest?

531 Dices per eam actionem fieri maiorem, quandam coniunctionem agentis ad passum, vel potentiæ ad obiectum, coniunctionem inquam non localem, sed virtulem, aut secundum propensionem maiorem vnius ad alterum.

532 Sed hoc etiam nihil esse potest, quod ratione fundetur, aut satis percipi possit; nam si illa coniunctio sit in actu secundo, hæc non fit nisi per actionem ipsius causæ secundæ, & non per aliquid præuium ad actionem; si vero fit in actu primo, non fit nisi per ipsam virtutem agendi quæ per se est propensa ad dictam actionem, & ita suppositis alijs extrinsecis conditionibus requisitis per se ipsam, est satis applicata, seu potius inclinata ad actionem suam.

533 Nec potest hæc applicatio, propensio aut inclinatio augeri nisi aucta virtute ipsa agendi, quod per se loquendo necessarium non est ad concursum causæ primæ vt sic, vt circa aliud membrum de illis locutionibus dicetur, ergo talis applicatio præuia, quæ per se necessaria sit ex vi concursus primæ causæ præter conditiones omnes requisitas ex parte causarum secundarum, & quæ à sola prima causa fiat est ficta, & impossibilis, quia nihil omnino est.

534 Deinde quando dicunt talem applicationem causæ secundæ ad opus esse aliquid creatum distinctum à virtute operatiua talis causæ, & distinctum etiam à Deo, ac proinde esse factum à Deo, imo necesse esse ita factum à solo Deo sine ipsa causa secunda, cum illa applicatio antecedat actionem talis causæ. Respondetur æquiuocationem committi posse in illa voce applicationis; nam si sit sermo de vera applicatione præuia, externa, & locali, vel interna, seu animali; sic omnis applicatio fit à D.o. vel solo si extraordinario modo fiat, vel cum causis secundis, non quidem cum illamet causa; vel facultate, quæ applicatur, quia vt recte dicitur in obiectionibus, illa non efficit applicationem suam, sed cum alijs causis concurrendo, quæ illam efficiunt; nam per actionem quarumdam rerum aliæ applicantur ad opus, vt mouente Angelo applicatur sol, & agente sole eleuantur vapores, & applicantur mediæ Regioni aëris, & fiunt pluuiæ, & sic de alijs, quæ omnis applicatio fit iuxta ordinem causarum, & rerum à Deo institutum, conseruatum & gubernatum iuxta finem ab ipso intentum, & in hoc sensu videtur procedere hæc obiectio, quapropter non procedit contra nos, vt ex dictis patet; si autem per applicationem intelligatur quippiam aliud requisitum in agente secundo præter virtutem agendi permanentem in suo genere sufficientem, & præter alias conditiones, scilicet quod habeat passum, vel obiectum, & alia requisita satis applicata eo modo, quo illis indiget; sic negamus illam applicationem esse aliud quid præter actionem, quod satis à nobis probatum est. Vnde fit talem applicationem neque esse propter finem à Deo intentum, nec propter alium, quia omnino non est. Quod si ipsamet actio vocetur applicatio formalis in sensu à nobis exposito, hæc fit à Deo & vt sic ordinatur in finem à Deo intentum, quamuis proue est à causa secunda, non semper tendat in finem à Deo intentum, vt de actione peccaminosa infra dicetur.

Denique potest applicationis nomine si- 534
gnificari ipsamet inclinatio, & propensio, quam causa secunda habet ad agendum, & hæc sicut non est aliud à virtute eius, ita fit, & conseruatur à Deo, & dante, & conseruante virtutem, & ita etiam non est propter finem à Deo intentum, atque hac ratione sæpe dicitur Deus, & non improprie applicare omnes causas secundas ad actiones influendo actu in eis virtutes, quæ natura sua in eas actiones propensæ sunt, & ad eas propterea applicantur: sed ex his nullo modo potest colligi physica prædeterminatio, neque aliquid contra veritatem nostram.

Quoad secundum modum loquendi de no- 535
mine excitationis virtutis actiuæ, Respondeo sane ad rem de qua agimus, & ad declarandum concursum necessarium causæ primæ & subordinationem causæ secundæ non magis conferre, quam applicationem; nam excitatio proprie locum habet in potentijs animæ, quatenus vna per actum alterius ad operandum monetur ob sympathiam naturalem, quam habent quatenus in eadem anima radicantur. Solet etiam applicari hæc vox aliquibus virtutibus naturalibus, quæ interdum aliquam alterationem prærequirunt, vt suam actionem exerceant, vt vis odorifera quæ non diffundit odorem nisi calefiat, ita piper & sinapi non calefaciunt, nisi conterantur, & sic de alijs, sed omnis hæc excitatio fit, aut quia virtus actiua per illam alterationem completur vel quia disponitur dum fare fit, aut alio modo simili afficitur, vt melius ad agendum applicetur, nihil autem horum est necessarium in causa secunda ex præcisa subordinatione eius ad primam, & quando aliquid simile necessarium est ex peculiari natura, vel defectu alicuius rei conferri, seu fieri potest per aliam causam concurrente prima suo generali concursu, dummodo actio aliunde non sit miraculosa, vel ad ordinem supernaturalem pertineat; ergo hæc excitatio à causa prima, quæ propria eius fingitur, & necessaria in omni actione causæ secundæ, solum quia causa secunda est, etiam sine fundamento ad inuenta, nec maiorem probabilitatem habet hæc declaratio huius præuiæ actionis, quam reliquæ; omitto vix posse ab his explicari, quæ & qualis sit hæc entitas aut qualitas, aut quouis alio nomine appelletur, & cur fluens esse dicatur cum ostensum sit non esse actionem, vel motionem veram, neque etiam ratio reddi potest, cur statim corrumpatur transacta actione, cum neque ab actione pendeat, neque actio ab ipsa, nec sit violenta subiecto, aut repugnans naturæ illius, de subiecto item illius quis dicat an vt compleat vim agendi caloris in sit ipsi, vel satis sit, vt simul eidem subiecto inhæreat, & quando virtus

actius

actiua causæ proximæ ex multis rebus constat, vt efficacitas ad videndum consurgit ex potentia, & specie, an vnaquæque harum rerum indigeat sua virtute fluente qua compleatur in sua actiuitate, vel cur potius vna quam alia, in his enim, & similibus multa dici possent, quæ sufficiat attigisse vt aliis occasionem discurrendi præbeamus, & considerandi, quot difficultates ex prædicta Doctrina oriantur.

537 Ad alterum modum loquendi respondeo quod est de præmotione, nullam maiorem difficultatem habere, quam præcedentes, nihilominus eius æquiuocationem explicabo in hunc modum, eodem enim modo inquirendum est quem intrinsecum terminum habeat hæc motio, omne enim quod mouetur ad aliquid moueri necesse est; hæc autem motio non est intrinsece, & immediate ad actionem causæ secundæ, sed ad summum dici potest ad illam, vt ad extrinsecum finem ordinari, tum quia dicitur esse hæc motio præuia ad illam actionem, & re distincta ab illa, tum etiam quia actio non est terminus productus per aliam actionem, seu motionem; Tum denique, quia in causis secundis naturalibus, quæ agunt actione transeunte, hæc motio dicitur esse in ipsa causa secunda, actio vero causæ secundæ est in passo: quomodo ergo vna erit proximus, & intrinsecus terminus alterius? in voluntate vero hæc mutatio tantum dicitur fieri à Deo, & voluntatem solum passiue se habere respectu illius: ergo non potest hæc motio terminari ad ipsam actionem vitalem, & liberam voluntatis, vt ad terminum intrinsecum, aliàs à quo fit illa motio, fieret etiam hæc actio quia terminus intrinsecus motionis ab eo tantum fit à quo fit ipsa motio ex quo fieret, actionem ipsius voluntatis, ad quam hæc motio terminari dicitur à solo Deo fieri, & voluntatem solum passiue ad ipsam concurrere quod est Hæreticum in actionibus liberis, de quibus tractamus, secluſa autem causæ secundæ actione nullus alius terminus intrinsecus talis actionis fingi, aut excogitari potest, quia neque est aliquod vbi, neque aliquod quantum, & sic de reliquis solum dici potest hanc motionem terminari ad aliquam qualitatem, quæ (vt aiunt) detur per modum transeuntis, seu fluentis, sed quæ est necessitas, quod munus, quis vsus, aut formalis effectus huius qualitatis? denique nihil dici potest nisi fortasse quod sit virtus actiua fluens, quod in tertio membro refutandum est.

538 Accedit quod agens non mutatur teste Aristotele 3. *Physicorum*. Respondent aliqui agentia creata agendo mutari, quia perficiuntur dum vim suam quodammodo ad alia extendunt; illa enim virtutis extensio, perfectio quædam est. At hoc falsum est, & non solum communi doctrinæ Aristotelis & aliorum Philosophorum parum consentaneum, verum etiam per se incredibile, quid enim perfectionis soli accresceat in hoc præcisè, quod aërem illuminet: illa enim extensio virtutis nihil est aliud, quam ipsa actio illuminandi, quæ non illuminantem, sed illuminatum perficit. Communicatio item perfectionis, signum quidem est præexistentis perfectionis, non vero intrinseca perfectio. Quod si ea quæ agunt actione immanente agendo perficiuntur non in quantum agentia sunt, hoc eis accidit, sed quatenus in se recipiunt id, quod agunt, quæ mutatio non est præuia ad actionem, sed consequens vel concomitans: sed esto demum agentia creata agendo perfici vel mutari, hoc tamen posito ad summum id fiet ipsamet actione si fortasse in ipsis recipitur, aut aliquid inde in eis resultat: tamen prius quam agant non mutantur vt agant.

Dicent, imo agens creatum non agere nisi 539
prius motum: hoc enim modo Aristoteles reduxit vniuersam naturam ad vnum primum mouens immobile. Quo discursu etiam Theologi vtuntur ad probandum esse vnum deum; respondetur axioma illud in hoc habere verum, quod agens creatum non agit, nisi virtutem agendi ab alio accipiat, quæ per continuum influxum in eo conseruatur. Rursus in eo etiam verum habet, quod supra dicebam agentia creata fere nunquam inchoare actionem sine noua aliqua applicatione vel locali, si actio sit extrinseca, & corporalis, quæ applicatio interdum fit per motum agentis, interdum per motum passi; vel sine applicatione mentali aut interna si sit intellectualis, vel intentionalis. At vero quod post receptam virtutem, & factam applicationem passi, vel materiæ sufficientem sit necessaria noua motio in ipso agente vt agat, neque est verum, neque ab Aristotele alicubi in hoc sensu traditum. Nec fieri potest aliqua ratione verisimile, quia nullus terminus talis motionis, nullaue necessitas illius inueniri potest.

Discursus autem ille de reductione totius na- 540
turæ ad primũ mouens immobile non fundatur in tam occulta, & incognita motione: Aristoteles enim ex sensibilibus processit, non ex his, quæ nec mente percipiuntur nedum sensu, igitur si fiat progressus ille physice fũdatur in reductione totius inferioris naturæ ad motum cœli à quo suo modo pendet vt experientia, & Philosophia docent, cœlum autem ipsum non creditur moueri à se; (nam vt Philosophus sumit,) omne quod mouetur ab alio mouetur; & ita inuestigãdo motorem eius peruenit Aristoteles ad vnum primum motorem immobilem, si autem illa reductio fiat metaphysice fundatur in dependentia, quam omnis res creata habet ab illo tam in se quam in agendo: sic enim longe certus est, omne quod non est à se reducendum esse ad aliquid quod non sit ab alio, & quod à se non agit reducendum esse ad aliud in quo nitatur in agendo, & ita necessario est perueniendum esse ab aliquod per se ens & per se agens, & hoc modo discursus hic longe certius fundari potest in concursu generali primæ causæ, quem explicuimus, quam in alia occulta motione; nam ille concursus licet sensu non percipiatur, tamen ratione constare potest; nam tamen motio, nec sensu, nec ratione ostenditur, Si denique velimus reductionem illam facere quodammodo moraliter fundari potest in illamet sensibili applicatione agentium, & patientium, quam constat esse ad actiones physicas necessariam; hæc enim tali ordine, ac modo fit in vniuerso in ordine ad conseruationem eius per continuas generationes, & corruptiones, vt certum signum sit vnius primi mouentis, seu gubernantis, & ordinantis hæc omnia ad hunc finem: illa ergo alia motio occulta est prorsus inutilis, & conficta.

Ex quibus patet quid dicendum sit ad deter- 541
minationem illam, quæ requiritur ab aduersariis in causa secunda à prima, de qua late tractauimus

vimus supra; item dum dicitur causam secundam esse instrumentum Dei, & agere in virtute Dei non stricte hoc, sed late sumpto nomine instrumenti intelligendum esse quatenus causa secunda omnem suam virtutem operatiuam non habet à se, sed acceptam à Deo, à quo habet quidquid habet, & quidquid est, quibus explicatis tota ruet argumenti primi vis atque robur.

542 Ad secundum argumentum concedo maiorem, & distinguo minorem quin compleantur causæ secundæ per prædeterminationem antecedentem ad actionem nego; per concursum diuinum identificatum cum actione creata concedo, eo modo quo supra late explicuimus.

543 Ad tertium argumentum distinguo, est actus vniuersalissimus, & proprius effectus Dei &c. dum creatur ens concedo, dum producitur ex præiacente subiecto, ita vt non possit produci à creatura, nego.

544 Ad quartum argumentum iam supra late responsum est *speciali sectione* in qua præcipuum aduersariorum argumentum labefactauimus.

545 Ad quintam rationem satis superque responsum est, dum de applicatione egimus.

546 Ad textam rationem respondetur, primo hanc determinationem præuiam non solum à nobis reijci propter impedimentum libertatis, sed etiam quia nihil est, neque habet in natura munus aliquod quando alioqui virtus actiua est proportionata ad effectum; nam si sit improportionata, vt est voluntas nostra ad actus supernaturales, tunc indigere poterit aliqua re indita, vel sibi coniuncta, non vt applicante tantum, sed vt adiuuante vel cooperante; si autem virtus sit inn su ordine sufficiens, nec necessarium, nec verisimile credimus ei superaddi oportere aliam applicationem, seu determinationem præuiam ex parte ipsiusmet facultatis actiuæ etiam secluſa determinatione libertati contraria. Secundo dicitur hanc applicationem physicæ prædeterminantem ad vnum esse videri contra vsum libertatis, & in hoc sensu non solum repugnare cum principijs Philosophiæ, sed etiam fidei vt late probatum est.

547 Ad primam vero probationem respondetur ad omnipotentiam Dei non pertinere contradictoria facere, qualia essent manere potentiam indifferentem, & determinatam ad vnum, seu (quod perinde est) motionem, seu entitatem illam præinfusam voluntati subdi in sua effectione actuali libero vsui voluntatis & necessario prodire in actum, & secum rapere voluntatem. Primum enim horum est necessarium, vt voluntas maneat libera. Secundum autem, vt illa entitas determinet voluntatem; sicut ergo repugnat fieri formam habentem ex natura sua proprietates oppositas, ita & fieri entitatem physice determinantem potentiam, & se subijcientem libero vsui eius. Quamuis ergo ad omnipotentiam Dei pertineat vt quod vult, & quale, ac quomodo vult fiat, & ad eius prouidentiam spectet ita fortiter, & suauiter ea disponere, quæ ad liberum arbitrium pertinent, vt & diuinæ voluntati seruiat, quando ipsa vult, & nihilominus ipsum etiam suam volitionem libere faciat, tamen non est necesse vt hoc faciat Deus prædicto modo repugnantiam inuoluente, sed alio quem iam explicuimus.

Sed aiunt non esse repugnantiam, quod forma aliqua voluntati impressa possit non agere, & tamen infallibiliter agat: ergo non repugnant quod hæc forma relinquat voluntatem liberam, id est, potentem non agere, & determinatam physice vt infallibiliter agat. Sed hæc responsio virtute impugnata & supra tractando locum Concilij Tridentini; nam formam aliquam infallibiliter agere non morali infallibilitate, sed physica & omni modo, neque ex suppositione actionis (quomodo id, quod agit quando agit necesse est agere) sed ex se, & vt præsupponitur actioni formam in quam (hoc modo agere non potest oriri nisi extrinseca eius natura, quæ omnino est determinata ad agendum, neque potest impediri ab actione per subiectum, vel voluntatem, cui inest; si enim potest, vnde erit infallibilis actio? cum infallibile licet referatur admentem supponat tamen in re fundamentum. Nam sicut ex eo, quod res est, vel non est præpositio vera vel falsa est: ita ex aliqua rei necessitate prouenit infallibilis illa coniunctio actionis cum illo principio; est enim infallibile quod falsum esse non potest, quod autem falsum esse non potest, est necessariò verum, ad quod necessario est verum in aliqua necessitate rei, vel actionis fundatur; si ergo hæc necessitas non sit ex suppositione ipsius actionis, oportet vt sit ex natura ipsius principij, ita nimirum ex se determinati ad agendum, vt à subiecto vel causa non possit impediri, sed illam potius secum ad agendum ex necessitate trahat. 548

Nisi forte dicatur illam infalibilitatem fundari in extrinseca Dei scientia, vel voluntate aut motione. Sed in sententia, quam tractamus, hoc non habet locum, quia si infallibilitas oritur ex scientia vt sic secluſa omni causalitate; ergo supponitur præsentia futuri euentus ante hanc prædeterminationem: ergo non est prædeterminatio, de qua loquitur, quia hæc dicit antecessionem ad scientiam futurorum, vt sæpe iam diximus; imo talis scientia supponit causam determinatam ad agendum in præsentia æternitatis, vel in priori aliqua voluntate Dei: ergo supponit iam infalibilitatrm in obiecto. Si autem infallibilitas oritur ex sola Dei voluntate efficaci, & extrinseca motione, iam forma illa non determinat physice, & intrinsece voluntatem: sed voluntas effecta illa forma adhuc manet indifferens, & diuina voluntas extrinsece illam determinat: & hoc sensu incidemus in sententiam Scoto attributam. Nunc vero ex totò hoc discursu concludimus quod intendimus scilicet, non posse vllam entitatem præuiam ad actionem, & principium eius voluntati inhærentem illam physice determinare, vt infallibiliter efficiat actionem talis formæ vel entitatis extrinseca vi, & natura talis entitatis; & tamen quod simul relinquat voluntatem liberam, ad non efficiendam actionem, ad quem talis forma inclinat. 549

Ad aliam partem illius obiectionis respondetur ex doctrina Anselmi superius posita & communiter recepta, necessitatem ex suppositione actionis, quæ dicitur necessitas consequens, non tollere libertatem; necessitatem vero ex suppositione antecedenti, quæ sit causa actionis tollere libertatem, vt ibi & in discursu totius libri satis probatum est. Ad exemplum primum 550

de

de iudicio rationis respondetur ex Bernardo *lib. de grat. & libero arbit.* (vt alios scholasticos omittam) iudicium rationis vi sua non posse determinare voluntatem si obiectum illam non determinet; vel quod specificationem, vt cum iudicatur bonum esse amandum vel quoad exercitium vt in sola clara visione Dei; nam si iudicium ex se voluntatem determinaret necessitatem illi imponeret, qui ipsum iudicium sine libertate profertur: si ergo voluntas omnino esse adstricta ad illud sequendum periret libertas; vnde in exemplis positis sicut determinatur voluntas, ita necessitatem patitur in altero quoad specificationem in altero, quoad exercitium. Hinc Bernardus: [est (inquit) ratio data voluntati vt instruat illam non vt destruat, destrueret autem si necessitatem vllam imponeret quominus libere pro arbitrio sese voluetet.]

Dixi autem iudicium vi sua hoc non posse, quia ex vi prioris voluntatis potest interueniens iudicium omnino determinare voluntatem, vt velit id; quod priori voluntatis actui annexum est: vt si voluntas efficaciter intendit finem, & medium iudicatur necessarium ad illud volendum ad quod necessario determinatur, nisi à priori intentioni recedat: & idem est de vsu respectu prioris electionis: hæc tamen sicut est determinatio ita & necessitas, scilicet ex suppositione, quia vero illa suppositio libera est; ideo ex hac parte actio libera etiam. Atque ita in omnibus, ac semper necessitas, & determinatio ad vnum, pari passu currunt vel certe idem sunt. Vnde si supponunt vsum liberum, & in eo fundantur sunt tantum secundum quid, & non tollunt libertatem simpliciter, quam simpliciter destruunt, & libertati repugnant si supponantur ad vsum, & exercitium libertatis. Quomodo autem omnes, qui voluntate male eligunt, in iudicio, vel consideratione deficiant, & an sit hoc moraliter, vel metaphysice intelligendum: item an voluntas vt resistat iudicio opus habeat illud diuertere, seu suspendere, & intellectum ad alia consideranda transferre; an vero persistente iudicio etiam practico, & vltimo possit illa non consentire non spectat ad hunc locum hæc discutere: satis nobis est iudicium per se non esse efficax ad determinandam voluntatem si ipsa velit resistere, sine aduertendo illius siue ipsi palam renitendo.

551 Secundum exemplum diuina scientia non est ad rem quia scientia futurorum absoluta & simpliciter, de qua procedit argumentum, includit suppositionem futuri effectus, quomodi Sancti dicunt res non esse futuras, quia præsciuntur futuræ, sed potius ideo præsciri, quia futuræ sunt, & ita illa necessitas est ex suppositione consequenti.

552 Tertium exemplum latum offerebat campum dicendi de Christi Domini libertate in suis actionibus; sed hæc disputatio ad alium locum spectat, vbi pro viribus, licet non pro dignitate declarata est. Quod ergo ad rem præsentem spectat, dicimus voluntatem Christi Domini sicut ex vi vnionis determinata est ad non peccandum, seu facta est impeccabilis, ita non mansisse liberam ad peccandum; mansit tamen simpliciter libera ad operandum, non solum quoad circunstantias actionum suarum, verum quoad substantiam etiam in ea voluntate, qua pro nobis mori voluit; imo in ea maxime; nam libertas ad peccandum neque est necessaria ad libertatem simpliciter, neque ad illius perfectionem artinet. At sicut Christus Dominus liber fuit in his, quæ exta Deum dare visum voluit, & amauit; ita non habuit voluntatem suam physice prædeterminatam ad aliquem actum per extrinsecam actionem, vel motionem: sed ipse se libere determinauit concurrente Deo, vel generali concursu, vel per auxilia gratiæ iuxta rationem actuum, quos exercebat; & ita ex hoc exemplo nihil contra doctrinam traditam sumi non potest, quomodo autem hæc omnia simul in Christo, inuenta fuerint, alibi, vt dixi, declaratum est. Hæc igitur de hac physica prædeterminatione inhærente in voluntate dixisse sufficiat.

DISPVT

# DISPVTATIO XX. & VLTIMA.

## *De Natura Entis rationis.*

### QVÆSTIO I.

*An sit ens rationis, & quid sit?*

### SECTIO I.

*Sententiæ Adversariorum.*

1 PRIMA sententia asserit nullo modo dari entia rationis; hanc sententiam tuentur Vallesius *contr. 9. ad Tyrones*, Durandus, & Picus Mirandulanus. Probatur hæc sententia.

2 Primo intelligibile supponit ens: ergo si ens rationis est intelligibile, supponit entitatem, quæ sit intelligibilis.

3 Secundo ens rationis, neque est in intellectu tanquam in subiecto, cum accidentia realia debeant esse in subiecto reali, neque efficitur ab aliqua causa; nam causa realis debet effectum realem habere; neque etiam est obiectiuè in intellectu, quia sicut entia realia nihil entitatis accipiunt, ex eo quod objciantur intellectui, ita ea quæ non sunt non accipiunt entitatem ex eo quod objciantur intellectui: ergo nullo modo datur ens rationis.

4 Tertio, quia ens rationis est, quod fingitur ab intellectu; sed esse ens, & esse fictum est maxima fictio: ergo si ens rationis fingitur nullo modo est ens.

5 Quarto, quia nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu; sed ens rationis quod fingitur à ratione nunquam fuit in sensu; ergo non datur tale ens rationis.

6 Quinto si daretur ens rationis darentur duæ contradictoriæ; ergo. Antecedens sic probatur: negatio entis rationis est ens rationis, negatio entis rationis non est ens rationis: sed esse ens rationis, & non esse ens rationis sunt duæ contradictoriæ; ergo si darentur entia rationis darentur duæ contradictoriæ.

7 Secunda sententia asserit ens rationis consistere in denominatione extrinseca, minimè in ente fictitio intrinseco, sic multi ex nostra Societate in manuscriptis, & probatur sic.

8 Primo, quia ens rationis est esse communicatum à ratione, seu esse cognitum à ratione; sed esse cognitum, & communicatum à ratione est denominatio extrinseca: ergo totum esse entis rationis consistit in denominatione extrinseca. Minor sic probatur; quia intellectus formaliter est potentia cognoscitiua, & repræsentatiua, ut patet ex illius definitione; ergo modus versandi circa suum obiectum est illud cognoscendo, & repræsentando: ergo tantum potest communicare esse cognitum, & repræsentatum omni subiecto; sed hoc est formaliter denominatio extrinseca; ergo ens rationis est denominatio extrinseca.

9 Secundo interrogo in quo genere causæ, & qua virtute fiat illud ens intrinsecum rationis si non est denominatio extrinseca? & si dicatur in genere causæ efficientis; ergo per aliquam virtutem intrinsece existentem in ipso intellectu, non enim potest communicare esse intrinsecum extra se intellectus nisi per virtutem per quam illud efficit; sed hæc virtus est intrinseca, cum non distinguatur ab intellectu; ergo per virtutem realem intrinsecam illum efficit: sed intellectus non potest efficere ens rationis per virtutem intrinsecam realem; ergo illud esse entis rationis non est esse intrinsecum. Probatur illa minor; quia causa intrinseca realis non ordinatur nisi ad effectum realem producendum, & per actionem realem, quia totum esse causæ est esse effectiuum reale, & posse causare realiter aliquid intrinsecum reale; sed ens rationis nihil habet realitatis; ergo non producitur per virtutem intrinsecam realem.

10 Neque obstat dicere esse causam efficientem impropriam respectu entis rationis, atque illud efficere per repræsentationem necessario coniunctam cum aliqua actione.

11 Contra primò, aut illud additum impropriè, tollit omnino vim intrinsecam effectiuam intellectus, per quam communicet aliquod esse intrinsecum entis rationis, aut non; si primum, habemus intentum; si secundum, adhuc ratio prædicta retinet suum robur, quia illa vis intrinseca realis, quamtumuis appelles illam impropriè effectiuam, non est nisi ad causandum realiter, si quidem est per actionem realem.

12 Contra Secundò, quia falsum est illud ens rationis intrinsecum in obiecto fieri per repræsentationem formaliter ut repræsentatio est, quia ut talis formaliter denominat obiectum repræsentatum, neque ut sic dat illi aliud esse intrinsecum, sicut neque visio obiecto viso, quare ibi necessario ponenda est alia actio, qua producatur illud esse intrinsecum; quod autem ista actio sit coniuncta cum repræsentatione non tollit quin sit realis, nam actio, qua actus intellectus producit habitum est necessario coniuncta cùm repræsentatione, & tamen est realis: sed realis actio non potest, ut probatum est; ergo minimè producitur &c.

13 Confirmatur, quia sicut repræsentatio picturæ circa res pictas in pictura Centauri, chimæræ, Tragelasi, saluatur & intelligitur in hoc quod repræsentet partes obiecti ut vnitas, cum vere non sint, absque eo quod ipsi obiecto communicetur aliquod esse intrinsecum, ita etiam suo modo repræsentatio intellectus circa res fictas in hoc vere saluari & intelligi potest sine eo quod aliquid intrinsecum tribuat obiecto.

## SECTIO. II.

*Aliqua notantur.*

14 AD intelligentiam huius quæstionis animaduertendum est entis rationis naturam venandam esse ex analogia ad ens reale, & per habitudinem ad rationem, ut ipsum nomen præ se fert. Primum est apud omnes certissimum, quia cum entia rationis non sint vera entia, & illud esse quod habent, quodquod illud sit, fingat intellectus ad modum entis realis, inde est quod tota natura, & essentia entis rationis sit per similitudinem, analogiam, & proportionem ad ens reale; cum autem ens reale dupliciter sumatur, nominabiliter scilicet, & participaliter; sic similiter ens rationis sumitur ut ens nominale, & vt ens participale rationis; ens nominale est ens secundum essentiam, & connexionem prædicatorum essentialium abstrahentium ab omni tempore & existentia; participale vero est secundum existentiam; certum est autem apud omnes quod essentia entis rationis quatenus ab existentia distinguitur, ut quæcumque essentia realis eo modo quo supra explicuimus, est æternæ veritatis, & non subest contingentiæ, quia sicut est infallibile quod homo est animal rationale, ita est infallibile quod ens rationis non est verum ens, sed fictitium, ut communiter solet dici, & quod essentialiter distinguitur ab ente reali, & quod uniuersale est vnum aptum ad esendum in multis; existentia autem sicut in ente reali, est contingens, id est, quæ potest esse & non esse; ita etiam existentia entis rationis; seu quod actualiter existat; Quomodo autem sit intelligendum quod ens rationis quoad essentiam, hoc est, quoad connexionem prædicatorum essentialium sit æternum, & ratione cuius verificetur hoc, an ratione possibilitatis, & non repugnantiæ entis rationis, vel quomodo, satis clare patebit ex dicendis de æterna veritate prædicatorum essentialium entis realis, videte ibi latissime.

Secundum autem quod ens rationis sumatur per habitudinem, & quasi respectum ad rationem ex terminis, & ex ipsius entis rationis denominatione euidenter clarescit. Cum autem varia sit hæc habitudo ad rationem sic etiá ens rationis solet sumi (vt adnotat communis nostræ Societatis magister Suarez his verbis) varie. Primo enim est quoddam ens quod effectiuè fit à ratione, vera tamen, & reali efficientia, eo modo scilicet quo omnia artificiosa possunt entia rationis appellari, quia per rationem fiunt; non est tamen in usu hæc appellatio; quia propter solam habitudinem ad causam efficientem vel exemplarem non solet effectus ita singulariter appellari; aliud est habitudo ad rationem ut ad subiectum inhæsionis, & est magis propria denominatio, nam accidens dicitur esse eius subiecti in quo est, quia accidens est entis ens, & ita omnes perfectiones quæ inhærent intellectui siue ab illo fiãt, siue aliunde proueniant, vel infundantur dici possunt entia rationis; sed nunc non est sermo de illis, quia illa sunt vera entia realia contenta sub generibus accidentium; hactenus declaratis, unde neque illa acceptio entis rationis multum est vsitata, quia ratio valde materialiter consideratur in ea habitudine; alio ergo modo dicitur aliquid esse in ratione per modum obiecti, nam quia cognitio fit per quandam assimilationem, & quasi attractionem rei cognitæ ad cognoscentem, dicitur res cognita esse in cognoscente, non solum inhæsiue per suam imaginem, sed etiam obiectiuè secundum se ipsum; id autem quod sic est obiectiue in mente interdum habet, vel potest habere in se verum esse reale, secundum quod ratione objcitur, & hoc absolute, & simpliciter non est verum ens rationis sed reale, quia hoc esse est quod simpliciter ac per se illi conuenit; obiici autem rationi est illi extrinsecum, & accidentale; aliquid vero interdum objcitur, seu consideratur à ratione quod non habet in se aliud reale, ac positiuum esse præterquam objci intellectui, seu rationi falso cognoscenti cogitantique, & hoc propriissimè vocatur ens rationis, quia est aliquomodo in ratione scilicet obiectiuè, & non habet alium nobiliorem, aut magis talem essendi modum, vnde possit ens appellari; quod dupliciter potest esse. Primo ita ut totum esse talis entis sit dependẽs à ratione, & non habeat aliquid quod non sit obiectiuum respectu rationis. Secundo sumitur pro eo quod habet perfectionem aliquam, & complementum ab intellectu, quomodo secundum multos, tempus, numerus, & similia dicuntur entia rationis, quia secundum illos non habent suum esse completum, & perfectum sine ratione, & intellectu, etiam si verè sint aliquid a parte rei.

## SECTIO III.

*Nostra sententia proponitur.*

PRima conclusio: certum est dari entia rationis; sic omnes Theologi & Philosophi præter supra citatos. 15

Primo, quia datur aliquod ens quod non est ens reale in tota latitudine realitatis prout abstrahit à modis, & à rebus; neque est pura negatio, nec priuatio, nec purum nihil, sed quoddam quasi medium inter hæc essentialiter distinctum ab iis: sed non potest esse aliud nisi ens rationis; ergo datur à parte rei ens rationis; maior quoad primã partem sic probatur, quia senectus, & canities in Patre Æterno, iuuentus, & pulchritudo in Angelo, forma columbæ in Spiritu Sancto; item distinctio absoluta inter attributa diuina, & alia id genus, non sunt vllo modo nec realiter, nec modaliter à parte rei, ut fides, & lumen naturale docet; ergo talia non sunt ens reale in tota sua latitudine sumpta; item non est purum nihil, ut probabimus postea, nec priuationes, & negationes, quæ realiter à parte rei sunt, ut postea probabitur, & etiam, quia senectus, & iuuentus quæ concipiuntur in Deo, & Angelo non sunt negationes, sed prædicata positiua distincta à negatione ratione rationis, v. g. à carentia intellectus & à carentia iustitiæ, quæ fingitur à me in Deo, & à carentia visus quæ à me concipitur in chimæra; ergo est medium inter ens positiuum reale, & negatiuum reale, vtrunque in tota latitudine; siquidem nec est vnum, nec alterum, & ex alio capite illud esse est essentialiter à ratione, & solum obiectiuè in ratione existens; ergo formaliter est ens rationis; ergo datur; minor illa prima sic probatur; quia illud quod quasi medium concipitur non est 16

ens

ens rationis; ergo datur: minor illa prima, sic probatur; quia illud quod quasi medium concipitur non est ens reale, ut probabimus, nec positivum nec negativum: ergo aliquod ens aliquo modo debet denominari, & esse, quia vt ens, & cum similitudine ad ens concipitur, & existit obiectiuè, & à ratione habet totum suum esse; ergo est ens rationis.

17 Confirmatur, quia multa affirmamus, & negamus, multa concipimus in ordine ad alia quæ in se ad illa non ordinantur realiter, multa distinguntur à ratione, quæ in se realiter non sunt distincta; ergo sunt entia rationis: patet quia eo modo est prædicatum superius, & transcendens essentialiter inferiora, quo sunt inferiora: sed illa relatio, & distinctio sunt inferiora rationis; quia sunt relatio, & distinctio fictæ per rationem: ergo prædicatum entis superius quod illa denominat, & quod est de essentia illorum est sicut sunt illa; illa sunt inferiora rationis & non realia; ergo illud erit non ens reale sed rationis, nam ens reale non est prædicatum essentiale entis rationis, alias esset reale, & non esset reale; antecedens primum sic patet, quia in hac propositione Petrus est homo, hominem vt prædicatum ordinamus ad Petrum, ut subiectum, vt ad aliquid distinctum. Item animal vt sic facimus relatum, & cum superioritate respectu hominis, cum tamen nec relationem habeant animal, & homo, homo, & Petrus, sed potius identitatem realem. Item iustitiam Dei concipimus distinctam à misericordia, & misericordiam ab omnipotentia, cum hæc omnia realiter sint idem in Deo vt tenet ortodoxa fides; ergo dantur plura entia rationis.

18 Deinde, quia cum intellectus noster habeat pro obiecto primario ens positivum, & pro obiecto secundario priuationes, & negationes; cum has vt sunt in se non perfectè concipiat, concipit illas vt positiuas entitates, & ad modum, & similitudinem entis; ergo in eorum conceptione fabricatur ens rationis.

19 Dices posse nos concipere negationem instar entis positiui sine vlla fictione.

20 Contra, quia intellectus noster potest cognoscere cæcitatem v. g. non solum instar entis realis, sed ac si realem, & positivam existentiam haberet, imo affirmando ita esse; vt v. g. Patres antiqui affirmabant Angelos verè, & realiter esse corpòreos; sed hoc fieri nequit quin intellectus in tali conceptione efficiat ens rationis cum fingat mens nostra (imo, & hæretici Antropoformitæ, qui affirmabant Deum esse corporeum) corporeitatem vbi nulla corporeitas datur scilicet in Deo, & in Angelis; ergo datur ens rationis quòd non potest negari dum fingimus chimæram, id est, dum intellectus identificat, & vnit essentiam hominis, leonis, aquilæ, & equi, quæ monstra nullibi, nec esse, nec posse esse euidenter patet, nisi in ratione; ergo si talia entia sunt in ratione, & minimè à parte rei, talia entia sine dubio erunt non realia, sed rationis.

## SVBSECTIO I.

*Secunda conclusio ponitur.*

ENs rationis non est denominatio extrinseca 21
à ratione proueniens; sed est quoddam esse fictitium intrinsecum, vel cum fundamento, vel sine illo; hæc est communis Doctorum sententia, & præcipuè nostræ Societatis Doctorum, qui typis sua scripta tradidere, & probatur.

Primò, ex Aristotele 4. *lib. Met. c.* 2. & 22
*lib.* 5. *c.* 7. *& lib.* 6. *c.* 6. *tex.* 8. iuxta vulgarem interpretum sententiam, sed præcipuè 5. *Met. tex.* 14. vbi agens de ente quod intrinsecum est, distinguit illud in duplex, aliud quod verè est in re, & aliud quod non semper est in re, sed solum in apprehensione: sed membra diuidentia debent participare diuisum; ergo si ens intrinsecum diuiditur in ens reale, & ens rationis, ens rationis, & reale erunt intrinseca, præcipuè cum hæc diuisio sit potius annumeratio entium intrinsecorum quod asserit diuus Thomas 1. *p. q.* 15. *art.* 2. *ad* 3. *& q.* 16. *art.* 3. *ad* 2. *&* 2. 2. *q.* 8. *art.* 1. *ad* 3. *opusculo.* 42. *c.* 1. Caietanus *c.* 1. *&* 4. *de ente, & essentia.*

Secundo etiam probatur ex communi diuisio- 23
ne entis realis, & rationis in negationem, priuationem, & relationem rationis, quam diuisionem latissimè tractat diuus Thomas *q.* 1. *de veritate, art.* 1. Item 4. *Met. cap.* 2. *&* 1. *part. q.* 75. *art.* 1. *& in* 1. *distinctione.* 2. *q.* 1. *art.* 3. *dist.* 19. *q.* 1. *art.* 1. quæ diuisio sumitur ex Aristotele 4. *Met. tex.* 2. *&* 3. *Met. c.* 4. *& ex lib.* 5. *Met. c.* 7. ex qua sic argumentor: Ens rationis diuiditur in ens rationis, quæ relatio est &c. sed relatio rationis non est denominatio extrinseca sed intrinseca entitas ficta; ergo ens rationis quod diuiditur in relationem non est ens extrinsecum, sed intrinsecum fictum; patet consequentia, quia sicut impossibile est quod ens reale, quod diuiditur in relationem realem, &c. sit extrinsecum, cum relatio realis non possit esse denominatio extrinseca, sed potius entitas realis intrinseca, quia ratio superior debet esse eo modo quo est inferior; alias relatio esset intrinseca & extrinseca entitas; esset intrinseca vt supponitur; esset extrinseca, & non intrinseca, quia denominatio extrinseca esset prædicatum superius, quod de essentia illius esset; vnde idem esset, & non esset simul; sic similiter cum relatio rationis non sit denominatio extrinseca, sed intrinseca entitas, & sit ens rationis iam ens rationis non erit denominatio extrinseca. Item ens quod diuiditur vt superius prædicatum propter eandem rationem erit ens intrinsecum, & non denominatio extrinseca; nam eo modo debet esse diuisum vt sunt membra diuidentia, quia diuisum est de essentia illorum.

Minor illa sic probatur, quia relatio realis est 24
exemplar, & prototypon ad cuius similitudinem, & analogiam fingitur relatio rationis, vt patet; sed nulla datur relatio realis, quæ sit denominatio extrinseca; ergo relatio rationis quæ non habet aliud esse nisi esse obiectiuum totum positum in quadam proportione cum ente reali relatiuo erit intrinseca, & non extrinseca, v. g. distinctio rationis, quia concipitur ad similitudinem entis realis, hoc est distinctionis realis de-

bet necessatio concipi vt realis, & non cum oppositione, & contrarietate ad illam, quia similitudo non in oppositione, sed in conuenientia consistit & si substantiale compositum rationis fingo, non debeo concipere ut inhærens, sed potius vt subsistens vt quando concipimus chimæram, & si cæcitatem concipimus per modum qualitatis impedientis visum, non possumus fingere illam per modum per se stantis, sed potius per modum inhærentis alteri, quia qualitas rationis debet esse vt qualitas realis, quæ potius inhæret quam subsistit; ipsa relatio non concipitur per modum absolutæ entitatis quia relationi repugnat quod sit absoluta entitas: sed relatio rationis concipitur ad modum relationis realis, ergo debet concipi non cum prædicatis oppositis relationi reali, sed potius vt simili illi: sed repugnat quod relatio realis sit extrinseca entitas vt est communis sententia Doctorum, imo ipsorum aduersariorum: ergo repugnat fingere relationem rationis vt extrinsecam denominationem.

25 Tertio, quia nullo alio modo habet esse ens rationis nisi eo modo, quo concipitur, & cognoscitur à potentia faciente ens rationis v. g. ab intellectu; ens enim rationis nullum aliud habet esse nec alio modo habet illud, nisi quod ei tribuit, & eo modo quo tribuit potentia cognoscens rem aliter ac est; sed intellectus quando concipit relationem transcendentalem, & potentiam in vniuersali non cõcipit nec fingit illam vt denominationem extrinsecam nisi vt intrinsecam, & essentialem rationem respectu vniuersalis, quia fingit relationem transcendentalem, quæ in hoc distinguitur non solum à denominatione extrinseca, sed etiam à relatione prædicamentali, quod hæ non sunt essentiales, relatio vero transcendentalis est maximè essentialis, & intrinseca. Item quando concipit, & fingit intellectus chimeram facit aut identitatem rationis, aut ens rationis; sed identitas, & vnio non sunt denominationes extrinsecæ, sed prædicata maximè essentialia toti composito, cuius sunt vnio, & identitas, ergo omne ens rationis est denominatio extrinseca.

26 Vrgetur, quia aliquando fingit intellectus ens rationis extrinsecum, & denominationem extrinsecam rationis, v. g. dum intellectus concipit chimæram videntem aliquod obiectum, ibi enim concipit obiectum visum à chimæra, & item est si concipiat vt dexterum respectu illius; item subijcibilitas in specie respectu generis includit denominationem extrinsecam rationis, vt ibi late probatum manet, in hoc enim casu, hoc ens rationis distinguitur ab ipsa chimæra à distinctione inter prædicata diuina à relatione prædicamentali, & transcendentali vniuersalis, & à cæteris, & non distinguitur in hoc quod vnum sit ens rationis, alterum non, nam vtrumque est ens rationis: sed in hoc quod vnum est ens rationis, seu denominatio extrinseca rationis, aliud ens rationis intrinsecum; ergo falsum est dicere omne ens rationis esse denominationem extrinsecam.

27 Quarto efficacius, ens rationis in sententia aduersariorum non est nisi denominatio cogniti, & repræsentati à cognitione reali intellectus, ita vt præter hoc nihil aliud sit ens rationis, sed totaliter, & adæquate consistat in tali denominatione extrinseca à cognitione; sed vt euidenter demonstrandum est quæstione sequẽti, illa denominatio non est ens rationis vllo modo, sed potius denominatio realis extrinseca; ergo ens rationis non est talis denominatio.

## SVBSECTIO II.

*Vltima conclusio ponitur.*

ENs rationis est illud quod existit fictè, & 28
& non verè, ac rate; quod aliter solet à communi Doctorum sententia definiri, dicentium; ens rationis est quod tantum habet esse obiectiuè in potentia cognoscente, id est, est illud quod actu non existit, & concipitur ac si actu existeret. Item solet dici quod à ratione cogitatur vt ens, cum tamen in se entitatem non habeat, vel concipitur intrinsecum, quod minimè tale est; quia merè extrinsecè existit, vnde rectè dicit Commentator 6. *Met.* 5. *com.* 3. ens rationis solum posse habere esse obiectiuè in potentia cognoscente, & Angelicus Doctor *opuscu-lo* 4. *c.* 1. ait tunc effici ens rationis quando intellectus nititur apprehendere quod non est, ac si esset, & ideo fingit illud aliquo modo vt ens: quod aliter expressit 1. *p. q.* 16. *art.* 3. *ad* 2. *&* 1. 2. *q.* 8. *art.* 1. *ad* 3. dicens illud quod non est in natura accipit vt ens in ratione, sed.

Aduerte quod esse obiectiuè in intellectu est 29
cognosci ab illo, seu est esse obiectum cognitionis, & sicut à cognitione res dicitur cognita; ita ab eodem est obiectiuè in intellectu, quia cognitio intellectui obijcit, proponit, atque repræsentat obiectum; vbi duo reperiuntur, & cognitio quæ rem denominat cognitam, & obiectiue in mente existentem & res ipsa siue obiectum, quod extrinsecè à tali cognitione denominatur; quando cognitio (vt aduertit Hurtado) denominat rem quæ habet illud esse, sicut cognoscitur, & denominatur, tunc talis res non habet esse obiectiuè in intellectu tantum, sed præter illam extrinsecam denominationem, & existentiam obiectiuam in intellectu, habet etiam proprium conceptum obiectiuum respondentem illi denominationi, & conceptui formali, prioremque illa; in quo euentu nullum sit ens rationis, vt cum quis mente affirmat Petrus est homo, identitas inter Petrum, & hominem habet esse obiectiuè in intellectu id cognoscente; quia in tali intellectu repræsentatur ea propositio, præter illud esse obiectiuum, habet etiam esse reale illa identitas, quia Petrus habet identitatem cum homine etiam extra intellectum, & etiam si non obijciatur intellectui, & obiectiuè sit in illo, & sic non habet tantum esse obiectiue in intellectu, quia & habet esse obiectiuè in intellectu, & habet esse extra intellectum in se ipsa; quando autem cognitio non terminatur ad rem sicuti est, neque illi respondet obiectum vt per illam repræsentatur, tunc sit ens rationis, quia obiectum non est in re, sed tantum est in cognitione, nec supponitur ante cognitionem, sed potius per illam efficitur; tale autem obiectum per illam cognitionem factum, talique cognitioni obiectum, & non extra cognitionem existens vocatur ens rationis, quia non habet esse nisi à cognitione, seu ratione apprehensum, v. g. fingo in animali relationem superioris; & affirmo animal est superius homine, quod à parte rei non est supe

superius; ecce illa superioritas nullum aliud esse habet nisi obiectiuum in intellectu, quod in conclusione diximus consistere in quodam esse fictitio, & apparenti, quod solum apparet cum obijcitur potentiæ cognoscenti, & concipitur ab illa potentia, vt si haberet esse, quod minimè habet esse, & hac de causa vocatur esse obiectiuè tantum.

30 Hoc esse obiectiuum in ente rationis est duplex, alterum extrinsecum, ratione cuius dicitur ens rationis res cognita & obiectum cognitionis realis, ideoque dicitur esse extrinsecè in intellectu per sui repræsentationem, & hoc est esse cognitum extrinsecum realiter in ente rationis, id est sumptum hoc esse cognitum vt denominatum, seu ut denominationem extrinsecam à cognitione reali; ex eo solum quod cognitio, quasi purè speculatiuè terminetur ad ens rationis, & cum cognitio ex parte obiecti, vel vt clarius loquar respectu obiecti sit forma extrinseca realis, sic etiam illud esse cognitum sumptum ex parte formæ extrinsecæ cognitionis est extrinsecum reale; cum forma sit realis, nihilque ponat in obiecto intrinsecum, sed tantum repræsentet, realiter absolutè ex sua parte quasi pure speculatiuè id quod in obiecto est, siue verum siue fictum ab alia cognitione; cum v. g. ens rationis cognitum practicè, & fictitiè ab homine, cognoscitur speculatiuè à Deo; vel cum intellectus humanus in ipso obiecto apprehendit essentiam, & existentiam quam habet iam ens rationis fictam ab ipsa ratione practicè cognoscente.

31 Alterum est esse intrinsecum in ente rationis, cum intellectus in ipso obiecto cognoscit non purè speculatiuè, sed potius apprehendendo, & cognoscendo practicè, siue expressè, siuè confusè quasi producit existentiam in illo, cum in obiecto non sit talis existentia; quæ cognitio non solum vocatur cognitio obiecti iam præsuppositi, sed faciens suum ipsum obiectum; quia est factiua illius quod minimè præsupponebatur ante talem cognitionem.

32 Prior modus existendi, seu essendi obiectiuum conuenit quidem enti rationis non propriè ipsi quatenus tale est, sed quatenus aliquomodo conuenit cum entibus realibus, quia sicut alia obiecta realia per conceptum intellectus existunt in intellectu extrinsecè, ita similiter ens rationis; & sicut realiter cognoscuntur entia realia sumpta denominatione cogniti ex parte ipsius cognitionis realis, quatenus terminatur ad obiectum; ita similiter ens rationis. Quæ denominatio consistit in habitudine, vel formali, vel æquiualenti actuali extrinseca reali respectu obiecti à conceptu intellectus, quasi purè speculatiuè terminato ad obiectum, qua de causa non potest hæc esse existentia propria entis rationis, quia illa realis extrinseca denominatio est communis enti reali & rationis. Et etiam quia existentia ficta, & non vera est sola propria entis rationis, sed illa est fictione carens, & vera: ergo non est propria entis rationis.

Secundus modus est proprius entis rationis,
33 qui consistit, vt diximus in quodam esse fictitio intrinseco, & quasi producto per actum intellectus practicè cognoscentem, quia illud esse concipitur ab ipso intellectu, & tribuitur enti, & obiecto cum ipsum obiectum in se non habeat vllum esse.

Explicatur discrimen inter primum, & secundum modum, hoc exemplo euidenti ad quod supponamus quod realis entitas obiiciatur intellectui; tunc in ea inuenit intellectus rationem entis præsuppositam ante intellectionem, & sic minimè facit illam, ut cum cognoscit hominem ad quem non practicè, sed purè speculatiuè talis cognitio terminatur, & ideo non facit hominem esse hominem, sed solum repræsentat illum in mente, qui iam talis factus & constitutus ante talem repræsentationem extrinsecam illi præsupponitur: at cum ens rationis obiiciatur intellectui, & fingit illud intellectus non reperit in eo rationem entis, sed facit illam apprehendendo, quasi esset ens quod antea tale non erat; ita ut ens rationis sit ens solum quasi productum per repræsentationem per quam solum habet totum suum esse, & in tantum habet esse inquantum obiicitur & est obiectum cognitionis, ita ut statim ac cessat repræsentari se vt esse entis rationis per talem repræsentationem metaphoricè productum, ens vero reale extra apprehensionem est ens, & non accipit esse per repræsentationem, imo supponitur ante illam; ens rationis ideo est ens, quia apprehenditur, cum autem ens rationis, ex eo quod cognoscatur practicè, constituatur in esse entis, & illud extra cognitionem non habeat rationem entis, dicitur ens obiectiuum tantum; vnde cognitio per quam ens rationis producitur non terminatur ad ipsum, vt sæpe diximus, quasi purè speculatiuè, sed potius practicè, quasi producendo ipsum esse entis ficti, & apparentis per quod constituitur ens rationis in suo esse essentiali, quod non dicitur obiectiuum solum, quia obiicitur intellectui per conceptum realem, quia sic realiter existit extrinsecè, id est extrinsecè realiter denominatur, in quo non differt ab aliis obiectis realibus ut supra diximus, nam sicut alia obiecta realia, quia obiiciuntur intellectui per realem conceptum dicuntur eo modo habere existentiam realem extrinsecam obiecti cogniti, id est denominantur extrinsecè cognita à cognitione reali, quæ denominatio analogicè vocatur existentia; sic similiter ens rationis à cognitione reali Dei, vel Angeli ad illud terminata denominatur verè, & realiter cognitum, & quasi productum ab homine; hæc conclusio sic explicata probatur.

Illud ens quod fingitur ab intellectu, & quod 34
repugnat esse à parte rei, & tantum concipitur ac si esset intrinsecum est ens, & tamen non est ens reale: ergo est ens rationis; maior, & minor clarissima sunt, consequentia sic probatur, totum illud esse habet v. g. ab intellectu vel à potentia cognoscente, ita essentialiter ut repugnet non habere ab intellectu, vel à potentia cognoscente, vel quod possit habere ab alio præter potentiam cognoscentem, & extra illam; ergo si illud est tale esse, quod non sit à parte rei, sed essentialiter dependens à ratione, seu à fictione cognitionis, quasi tribuente illud apparens esse, & fictitium erit sine dubio, ac tergiuersatione ens rationis, cum non habeat aliud esse à quo denominetur ens, nisi acceptum à ratione, ut diximus, & à cognitione, & ex alio capite denominatio entis sit ab entitate quam habet denominatum.

Confirmatur, ideo ens creatum dicitur tale, 35
& non potest dici increatum, seu non creatum, nec alio modo ens, quia habet quoddam esse

essentialiter dependens à creatione, & à creatore, ita ut nisi à creatore haberet esse, & produceretur, à nullo alio haberet illud, imo repugnat quod vel ab alio solum excludendo Deum, vel aliter excludendo actionem Dei vllo modo habeat esse; quare impossibile est quod tale esse habeat nisi à creatore, sed illud esse fictium entis rationis intrinsecum ita habet ens rationis, ut repugnet habere aliter nisi à ratione, vel à cognitione, ut uniuersalius loquar, imo non habet aliud esse præter esse fictum à cognitione & à ratione; ergo illud dicitur ens rationis.

36 In fine huius quæstionis aduerte existentiæ entis rationis correspondere ab æterno suam possibilitatem (ratione cuius propositiones essentiales factæ de ente rationis dicuntur æternæ veritatis) quæ dicit non repugnantiam ad existendum obiectiue tantum in intellectu, id est, dependenter solum essentialiter ab illo; vnde hoc discrimen versatur inter possibilitatem, & existentiam entis rationis, quod possibilitas illius non dependet actualiter ab intellectu, nec fit in suo esse formali possibilitatis ab aliquo, quatenus illud esse possibile distinguitur ab ipsa existentia, sed ex se est ante omnem intellectum non repugnantia; vnde in illo formali possibilitatis distincto ab actualitate, sicut non dependet ab intellectu neque à ratione, sed ab æterno supponitur, ita non est formaliter ens rationis, licet connotatum illius sit formaliter tale. Imo potius iure optimo præcisa illa possibilitas, vt ex se, & à parte rei est, sic realis, & ens reale negatiuum dicitur, nam ens reale est illud, quod in illo esse quod habet, non dependet à ratione, nec habet esse obiectiuum tantum in intellectu, sed extra intellectum habet suum esse; atqui possibilitas quatenus distinguitur ab existentia obiectiua rationis, non habet illud esse non repugnantiæ dependens ab intellectu; quia hæc propositio est vera, ab æterno datur possibilitas entis rationis, & quia de se non repugnat fieri fit existens à ratione: sed ab æterno nullus fuit intellectus à quo posset dependere; ergo possibilitas illa non dependet ab illo; unde non habet esse obiectiuè solum in intellectu, sed extra intellectum vt ab æterno habuit.

37 Totum hoc exemplo possibilitatis creaturæ realis probatur, quæ non est creatura, nec fit nec suum formalissimum esse possibilitatis habet dependens à Deo, sed potius à se ut latissime demonstratum manet, & ideo potius ens negatiuum increatum quam creatum dicitur, licet existentia cuius est possibilitas, sit ita essentialiter creatura vt repugnet esse nisi à creatore, & per dependentiam ab illo; vnde non implicat vt possibilitas habeat quasi oppositas conditiones in se ac habet in sua existentia, & ideo possibilitas creaturæ non est creatura, & est à se, & non ab alio, licet creatura sit ab alio, & non à se; sic similiter possibilitas entis rationis non est ens rationis in se, sed est à se ab æterno independens in illo esse formalissimo possibilitatis à ratione, & ideo dicitur esse possibilitas ens reale negatiuum, & possibilitas realis, non quod sit possibilitas alicuius entis realis, quia est possibilitas entis rationis, sed quia in se vt distinguitur à connotato à parte rei datur sine dependentia à ratione.

## SECTIO VLTIMA.

*Argumenta aduersariorum dissoluuntur.*

AD primum concedo maiorem, & nego minorem, quod ens rationis non supponat in se suam intelligibilitatem, ens fictum, nihil enim impedit quod procedat per intellectionem, & quod illud esse per talem intellectionem procedens præsupponatur vel virtualiter à parte rei, vel formaliter per intellectum ante suam intelligibilitatem; v. g. Verbum diuinum procedit per formalissimam cognitionem, & nihilominus essentia, & ratio entitatis diuinæ in Verbo diuino præsupponitur ante suam intelligibilitatem, quæ attributum eius est, vel virtualiter, vel per rationem; & in creatis habitus producitur per intellectionem, & nihilominus esse habitus præsupponitur ante suum esse intelligibile, quod est verum, & attributum eius; sic similiter licet ens rationis fingatur, & quasi producatur per rationem ante suum intelligibile præsupponit esse, vel possibile à parte rei, vel fictum per rationem; ex hoc autem non potest sequi quod illud esse præsuppositum si existentia sit vel essentia actualis sit ens reale; quia licet existentia entis rationis, & essentia actualis illius præsupponatur ante suam veritatem, non tamen est hæc præsuppositio sine dependentia à ratione, & illud esse præsupponitur non ante intellectionem producentem, licet possit præsupponi ante intellectionem purè speculativam illius. 38

Ad secundum omissa prima parte antecedentis, distinguo secundam, ens rationis non efficitur ab aliqua causa directè, & quasi per se intendente illud facere concedo; ab aliqua causa indirectè, & veluti deficiente nego. Itaque cognitio per quam fit ens rationis per se fuit effecta ab intellectu, & quia in illa repræsentatur ens rationis, potest dici intellectus causa mediata, & remota indirecta entis rationis, quia scilicet efficit id, quod repræsentat ens rationis. Tertiam partem antecedentis nega pendet enim ens rationis obiectiuè ab intellectus operatione, à qua habet vere cognosci, & denominari cognitum, quod etiam conuenit rebus realibus, cum hac differentia, quod realia entia præter illud esse obiectiuum quod habent ab intellectu, habent etiam, & retinent suum esse extra intellectum; entia autem rationis solum habent esse obiectiuum. 39

Ad tertium argumentum distinguo minorem; esse ens, & esse ens fictum est fictio; esse ens absolutè, & simpliciter, quod est verum ens reale, concedo; esse ens apparens, & simile analogicè enti reali nego; fictum enim vt fictum etiam habet suum esse existens apparens, quod solum dependet ab intellectu vt causa illius; dicuntur autem entia ficta, & rationis, quia à cognitione vel rationis, vel sensitiua finguntur. 40

Ad quartum distinguo maiorem si quod est in intellectu sit reale existens à parte rei, & per speciem emissam cognitum concedo; si fuerit fictum, & rationis, vel etiam non vere cognitum nego, vt patet ex libris de anima. 41

Ad quintum respondetur negando antecedens; ad probationem illius distinguo, est ens rationis positiuum nego; negatiuum concedo; sicut 42

sicut cæcitas quæ est negatio visus est ens reale negatiuum, non autem positiuum; sic similiter formalis negatio entis rationis positiui, negatio rationis est. Secunda pars si neget absolutè ens rationis provt dicit negatiuum, & positiuum est falsa; vnde si in vno eodemque sensu sumatur vtraque propositio, non verificaretur vtraque, & sic non sunt contradictoriæ, quia contradictoriæ sunt affirmatio, & negatio sub eadem ratione formalissima & non sub diuersis, vt patet ex Summulis.

43 Ad argumenta secundæ sententiæ respondeo ad primum, quia ens rationis est esse communicatum, seu cognitum, distinguo; esse communicatum seu productum propriè, directè, & realiter nego; qvasi communicatum, & productum impropriè, & indirectè concedo: Item quando dicitur illud esse cognitum, in vltima parte maioris, distinguo, esse cognitum, id est, purè denominatum extrinsecè à ratione nego; speculatiuè cognoscente suum obiectum præsupposito ante talem cognitionem: esse cognitum, hoc est, esse productum indirectè à cognitione fingente esse quod non est, & communicãdo quasi practicè illi esse quod non habet, concedo: item nego minorem vt patet ad maiorem; item negatur consequentia; ad probationem minoris concedo antecedens, & distinguo consequens, modus versandi circa suum obiectum est illud cognoscendo tantum speculatiuè nego; practicè etiam fingendo aliquid in illo concedo, quia cum non omne esse cognitum sit denominatio purè extrinseca, quia esse cognitum entis rationis est intrinsecum fictum à ratione cognoscente rem aliter ac est in se.

44 Ad secundum argumentum respondetur vt in solutione ibi tradita; nam illud esse non est factum in aliquo proprio genere causæ, quia cum illud esse entis rationis non sit proprium, nec verum esse, non est necesse quod in aliquo proprio genere causæ producatur, sed sufficit produci impropriè, quia sicut non propriè est, sed tantum est esse apparens, & fictũ; sic non est necesse quod producatur propriè, sed sufficit quod fingatur, hoc est, vt concipiatur vt ens quod minimè est, nec potest esse tale, & hoc potest reduci analogicè, & similitudinariè ad genus causæ efficientis; quia quando intellectus fingit cognoscendo quod non est, ac si esset, quasi communicat, & producit esse vbi nullum est.

45 Ad illud vero quod dicitur in illo argumento, quod virtus realis non ordinatur ad ens rationis concedo; virtus enim intellectus non producit ens rationis ordinando se ad illud, sed potius vt causa superioris ordinis, & æquiuoca illius fingendo aliquid ac si esset; hæc sufficiunt ad solutionem argumenti in materia; sed in forma respondeamus.

46 Concedo primam, & secundam consequentiam, & nego minorem illam: sed intellectus non potest efficere ens rationis per &c. Ad probationem illius concedo quod ens reale non ordinetur nisi ad ens reale; ad illud autem quod in illa probatione dicitur, quod totum esse causæ realis est effectiuum reale producendo aliquid reale tantum nego, producendo illud, & fingendo ens rationis concedo; vnde licet effectiuum reale vniuoce petat producere aliquid reale directè, & per se, indirectè tamen, & æquiuoce, ac metaphoricè potest producere ens fictum.

47 Ad replicam primam contra solutionem respondeo dicendo Distinguo, tollit omnem vim per quam communicet aliquod esse intrinsecum reale proprium directè productum concedo: indirectè impropriè, & metaphoricè productũ, hoc est, fictum, & apparens, id est per cognitionem concipientem rem cum non sit nec habeat esse, ac si haberet nego, vt patet ex supradictis; item concedimus virtutem realem non ordinari ad ens rationis, sicut nec potentia Dei ad creaturam producendam; negamus tamen, quod ideo non producat fingendo vt diximus.

Ad secundam replicam negamus esse falsum 48
dicere, quod illud ens rationis fiat per repræsentationem, vt diximus sæpè sæpius supra, & latè explicuimus. Ad probationem distinguo, quia vt talis denominat &c. neque vt talis &c. Si talis cognitio sit purè speculatiuè (vt terminis aduersariorum loquamur) cognoscens rem vt in se est concedo, si sit practicè terminata, & cognoscens rem aliter ac est nego; nam si cognitio practicè terminetur ad obiectum non solum denominat repræsentatum extrinsecè, sed etiam tribuit illi esseque non habet, cognoscens rem aliter ac est in se.

Ad exemplum de visione dicimus eo modo 49
concurrere intellectionem, & procedere circa suum obiectum, sicut visio circa suum; & sicut visio quando terminatur ad verum, & reale visibile cognoscendo illud eo modo quo solum denominat extrinsecè; sic similiter, quando intellectio cognoscit rem veram vti est extrinsecè terminatur, & solum extrinsecè denominat illud; & sicut visio quando non cognoscit rem eo modo quo est, sed fallitur cognoscendo rem aliter ac est, non solum denominat extrinsecè, sed quasi producit colorem fictum intrinsecè, cum v. g. in cœlo tribuendo esse coloris obiecto, quod in se non est color; sic similiter cognitio, quando cognoscit rem aliter ac est, non solum denominat extrinsecè, sed etiam intrinsecum esse producit fictum, vt patet ex dictis; ex quo patet non esse ponendam aliam actionem coniunctam cum intellectione, sed sufficere ad illam metaphoricam entis rationis productionem, intellectionem ipsam.

Ad confirmationem respondeo, negando 50
quod pictura non det aliquid intrinsecum obiecto, vt signum conceptionis internæ; nam pictura repræsentat hyrcoceruum &c. exprimendo illud esse intrinsecum, quod illud accipit à ratione pictoris fingente illud intrinsecum esse per suam rationem, vnde cognitioni formaliter tribuendum est illud esse intrinsecum chimæræ, tanquam ei, quæ est causa illius esse impropria, cognitioque practica per quam producitur illud esse intrinsecum rei pictæ; picturæ vero non nisi remotè, & vt signo productionis intentionalis chimæræ; non enim pictor pingendo facit ens rationis in se, sed quod est factum per suam cognitionem repræsentat per picturam, vel facit vt pingendo existat cognitio chimæræ, per quam facienda est chimæra scilicet ens rationis.

## QVÆSTIO II.

*Virum priuationes & denominationes extrinsecæ sint entia rationis?*

### SECTIO I.

*Sententia Aduersariorum proponuntur.*

1 PRima sententia est Thomistarum, asserentium denominationes extrinsecas, siue in concreto, siue in abstracto esse entia rationis; & probatur sic.

2 Primo, quia ens rationis non habet aliud esse, quam esse cognitum; siquidem, tunc solum est cum cognoscitur: sed esse cognitum est denominatio extrinseca; ergo denominatio extrinseca est ens rationis.

3 Confirmatur; quia naturam aliquam esse genus, vel speciem, aut prædicari, vel subijci, vel referri ad multa nihil aliud est nisi ab intellectu cognosci tali modo, cum istas proprietates non habeat nisi ab intellectu, simili ratione esse hircocerum, nihil aliud est quam esse talem de eo cognitionem in intellectu; ergo.

4 Secundo, quia donominatio extrinseca, nec est modus, nec substantia, nec accidens reale; ergo non est ens reale; quia illa est adæquata diuisio entis realis, sed sic est quod non est purum nihil, ergo ens, & aliquid rationis, quia si est ens, & non reale, necessario est ens rationis; maior quod non sit modus conceditur ab aduersarijs, quia modus identificatur realiter cum re quod minimè habet ens rationis; quod non sit substantia patet; quia substantia realis est per se realiter, & existit per se, sed denominatio extrinseca non existit & subsistit per se; ergo non est substantia realis; quod non sit accidens patet; quia accidens inhæret rei quam denominat, sed denominatio extrinseca non inhæret in re denominata; alias non accidens, seu denominatio extrinseca, sed intrinseca esset; ergo non est accidens reale.

5 Confirmatur; quia esse dexterum, & esse visum in pariete est aliquid in ipso pariete, cum verè denominetur talis: sed non est aliquid reale, vt ex dictis patet: ergo est ens rationis.

6 Secunda sententia asserit omnes negationes, & priuationes, vt cæcitatem, & tenebras formaliter esse entia rationis propter esse diminutum quod habent, sic communiter Thomistæ vt Sonzinas 6. *Meth. q.* 18. Iabellus *in Meth. q.* 10. Sanctius *q.* 3. *proœmiali.*

7 Pater vero Fonseca *lib.* 5. *Meth. c.* 7. *q.* 6. *sec.* 5. & 15. *q.* 4. *sec.* 4. & 5. §. *tota difficultas.* Conimb. *in Logica q.* 6. *in præfatione Porphyrij. art.* 3. §. 3. *demum sententia*, distinguunt in negationibus, & priuationibus duplicem rationem, aliud est ipsa formalis relatio rationis, & existentia illius; aliud vero est actualis conuenientia; dicuntque relationem rationis, vel quodcunque ens rationis fundatũ in priuatione, & negatione secundum suam actualem existentiam non esse in rebus ante operationem intellectus, esse tamen quantum ad actualem conuenientiam, vnde priuatio est à parte rei ens rationis quantum ad actualem conuenientiam.

8 Sententia Thomistarum sic probatur; quia priuatio, & negatio non sunt entia realia: ergo sunt entia rationis; probatur antecedens, quia quod est priuatio, & negatio entis realis est expulsio entis realis: sed expulsio entis realis non potest esse ipsum ens reale expulsum, sicut priuatio, & expulsio visus non est visus: ergo.

Placitum Fonsecæ sic probat ipse primo, quotiescunque in aliquo subiecto dantur omnia necessaria ad formam realem, & solum deest eius productio, talis forma debetur tali subiecto, & consequenter potest de illo verè prædicari; v. g. posita in corpore ea proportione primarum qualitum ex qua naturaliter resultat albedo, esto hæc non resultet, substrahente Deo concursum ad actionem, deberetur nihilominus subiecto, & quantum ad conuenientiam de eo verè affirmari posset; nam tunc albedo respectu subiecti non aliter se haberet, quam proprietas comparatione subiecti naturalis; ergo similiter quotiescunque in aliquo subiecto dantur omnia necessaria ad formam rationis, & solum deest consideratio actualis eius debetur talis forma rationis subiecto, & de illo enuntiari poterit quantum ad actualem conuenientiam, & rebus in esse potest ante mentis operationem. 9

Secundò, relatio creatoris est relatio rationis: sed hæc conuenit Deo ante omnem mentis operationem, semel posita actione creandi; ergo relatio rationis quantum ad actualem conuenientiam rebus conuenire potest, ante omnem mentis operationem; maior est certissima, & ab omnibus de diuina immutabilitate sentientibus rectè admitti debet; minor vero sic probatur; hæc prædicatio, Deus est creator, est prædicatio formalis; ergo sumitur à relatione saltem conueniente, alias prædicari non posset. 10

### SECTIO II.

*Nostra sententia proponitur.*

PRima conclusio: nulla denominatio extrinseca à forma reali qua aliquod subiectum realiter denominatur est ens rationis formaliter, sic communiter omnes nostræ Societatis Doctores, vt videre est in P. Suario, & probatur. 11

Primo, illud est ens reale quod habet omnia constitutiua realia: sed ens extrinsecum, seu denominatum extrinsecè habet omnia constitutiua realia; ergo ens extrinsecum est ens reale; maior euidens est, quia ideo homo, & Angelus sunt entia realia; quia habent omnia constitutiua realia, & ratio euidens est, quia constitutum est eiusdem rationis in prædicatis transcendentalibus cum constitutiuis, præcipuè cum illis, quæ sunt forma, materia, & vnio, cum illa simul non distinguantur à constituto, vt videre est in anima rationali, vnione, & materia respectu hominis; minor in qua est tota difficultas sic probatur; illa sunt propriè constitutiua prout distinguntur à causis alicuius, à quibus necessario, & essentialiter habet esse constitutum: sed omnia illa à quibus necessario, & essentialiter habet esse ens extrinsecum sunt realia; ergo omnia constitutiua illius; maior euidens est; quia constitutiua hominis in esse physico sunt forma rationalis, materia, & vnio, quia ab his necessario, & essentialiter habet esse homo; vnde in ente artificiali vt in vase aureo constitutiua propriè illius 12

dicuntur,

dicuntur, & sunt aurum, & forma vasis, non vero artifex, qui dicitur causa intrinseca illius; minor sic probatur; illa sunt à quibus essentialiter, & necessario habet esse compositum quæ sunt partes necessariæ, & essentiales illius; forma nimirum, materia, & vnio: sed in ente extrinseco, materia, forma, & vnio, quæ sunt partes necessariæ, & essentiales illius sunt reales; ergo omnia à quibus &c. Probatur hæc minor; quia in pariete viso qui est extrinsecum forma extrinseca est visio qua videtur, & constituitur paries in esse visi, & est realis vt patet cum sit actus vitalis realis, & realiter videatur paries; materia illius est paries qui videtur, qui realis est vt de se patet; vnio etiam est realis, cum nihil aliud sit quam illa coaptatio seu terminatio visionis in obiectum quæ non solum realis est, sed etiam essentialis ipsi visioni, cum visio sit perceptio obiecti essentialiter, & totum esse perceptionis sit terminari ad obiectum.

13 Item terminatio passiua ex parte obiecti ad visionem etiam realis est, cum obiectum verè, & realiter terminet visionem per realem entitatem, quam habet; impossibile enim est, vt visio habeat pro termino, & terminetur realiter ad parietem visum, & paries non terminet visionem per realem entitatem; sicut impossibile est quod filius habeat realiter pro termino Patrem, & quod pater non sit terminus realis esse filij, vel quod non terminet relationem filij realiter, & quod detur actio realis in materia, & non detur realis passio, & quod creatio terminetur realiter producendo Angelum, & quod Angelus non producatur realiter ab illa, seu terminet realiter illam; ergo in extrinseco ente omnia constitutiua essentialia, quæ sunt forma, materia, & vnio sunt realia; ergo etiam ipsum erit reale.

14 Confirmatur; illud quod identificatur adæquate cum ente extrinseco est reale; ergo ipsum erit reale; quia impossibile est, quod idem sit reale, & non reale, sed rationis adæquate; ideo enim in ente intrinseco est omne esse reale, quia identificatur adæquate cum partibus realibus simul sumptis; antecedens sic probatur, in omni composito omnes partes simul sumptæ identificantur cum illo adæquate: sed omnes partes entis extrinseci quod est compositum sunt reales simul sumptæ; ergo illud quod identificatur cum ente extrinseco adæquate est quid reale, scilicet materia, forma, & vnio simul sumptæ: maior euidens est in physicis, minor iam probata est in primo argumento, consequentia vera est.

15 Secundo probatur; illud quod habet existentiam realem est ens reale, sed ens extrinsecum habet existentiam realem; ergo est ens reale, maior est euidens; quia impossibile est quod aliquid habeat modum essendi realiter extra causas, vno modo, & alio modo habeat essentiam, sicut impossibile est, quod aliquid habeat existentiam quantitatis, & habeat essentiam qualitatis; quia vel essentia, & existentia identificantur, vel ad minus existentia in omnium sententia sequitur esse essentiæ: minor sic probatur, v. g. Angelus Gabriel comprehensus, & actu cognitus à Deo actualiter, non solum realiter existit ex parte sui præcisè, sed etiam quatenus comprehenditur, & actu comprehensus est à Deo existit; nam esse comprehensum non est de possibili sed actu, sed actu esse est habere existentiam, & hæc existentia est realis, nam existentia Angeli Gabrielis est realis secundum se, ipsa quatenus cognoscitur est realis, quia non est fictio intellectus dicere, quod Angelus actu cognoscatur à Deo, imo est articulus de fide, & veritas infallibilis; Item quod Deus comprehendat est reale actu; quia in Deo sua cognitio est summè actualis; sed entitas ipsius Gabrielis quatenus comprehensa est ens extrinsecum: ergo tale ens habet existentiam realem; maior quoad secundam partem sic probatur, quia si Angelus vt comprehensus, & vt comprehenditur à Deo, non existeret etiam comprehensio ipsius Angeli à Deo; sicut si paries in quantum albus non existeret realiter intrinsecè, ipsa albedo non existeret realiter intrinsecè, à qua constituitur albus; sicut qui comprehenditur in illo esse extrinseco constituitur à comprehensione; sed comprehensio Angeli existit realiter, cum de fide constet existere scientiam Dei à qua comprehenditur, quæ est comprehensio illius: minor sic probatur; quia nihil aliud est ens extrinsecum, quam illud quod denominatur, & constituitur à forma extrinseca: sed Gabriel in esse comprehensi denominatur, & constituitur à comprehensione, quæ est extrinseca forma, cum non sit in ipso sed in Deo; ergo Gabriel quatenus comprehenditur est ens extrinsecum; ergo.

Item, quia omnia constitutiua essentialia entis, & extrinseci existunt realiter: sed quando talia constitutiua realiter existunt, existit etiam constitutum per illa; ergo ens extrinsecum quod est constitutum per illa existit realiter sine dubio; maior supra probata est, quia constitutiua parietis visi, vel Angeli comprehensi sunt & comprehensio Dei, quæ existit realiter, & entitas Angeli: sed totum hoc existit realiter: ergo omnia constitutiua entis extrinseci existunt realiter; minor est euidens, quia existentia omnium constitutiuorum simul est idem cum existentia constituti, cum totum non distinguatur ab omnibus suis partibus simul sumptis, & vnitis. 16

Vrgetur, in hoc concreto Deus creans, huic concreto conuenit conceptus existentis à parte rei ante omnem operationem intellectus: sed hoc concretum est extrinsecum; ergo denominationi extrinsecæ conuenit conceptus rei existentis; probatur maior, conceptus qui conuenit omnibus partibus alicuius concreti conuenit ipsi concreto: sed omnibus partibus illius concreti conuenit conceptus existentis à parte rei; ergo ipsi concreto. Maior est certa, quia ideo conuenit homini conceptus substantiæ, quia omnibus illius partibus conuenit talis conceptus; & ratio est, quia concretum vel compositum non habet aliud esse ab eo quod habent omnes partes illius; minor probatur, partes illius concreti: seu compositi sunt Deus, & creatio: sed his omnibus partibus conuenit conceptus existentis à parte rei: ergo ipsi composito, seu concreto; minor probatur, & imprimis Deo conuenit conceptus existentis à parte rei; deinde etiam conuenit creationi; ergo &c. Antecedens probatur. Quantum ad secundam partem (licet sit etiam certa, & indubitata) quia ante quamcumque operationem intellectus Deus creauit cœlum: ergo ante quamcumque operationem intellectus erat creatio: patet consequentia, implicat Deum creare quin detur creatio, sed ante quamcunque operationem intellectus Deus creauit cœlum; ergo fuit creatio. 17

Dices Deum non denominari creantem per creationem 18

creationem formaliter: sed fundamentaliter tantum, formaliter autem per ens rationis quod fingit intellectus humanus.

19 Sed contra primo: ergo Deus realiter, & à parte rei est fundamentaliter proximè creans: ergo constituitur in esse fundamentaliter creantis proximè per aliquam formam; sicut Petrus constituitur in ratione fundamentaliter similis proximè per albedinem: sed non est alia forma per quam Deus constituatur actu in ratione fundamentaliter creantis proximè nisi ipsa actio creatiua: ergo per illam Deus constituitur in esse talis: ergo per illã denominatur fundamentaliter proxime creans: atqui illa denominatio fundamentaliter creãtis est realis denominatio respectu Dei; ergo vel extrinseca, vel intrinseca: sed non potest esse intrinseca, quia non prouenit ab aliquo intrinsecè existente in Deo, prouenit enim ab actione quæ est extrinseca Deo: ergo est denominatio extrinseca: sed illa denominatio fundamentaliter creantis non est ens rationis, quia prouenit ab aliqua forma reali: ergo non omnis denominatio extrinseca est ens rationis.

20 Contra secundo; Deus dicitur formaliter creans per actionem: ergo nulla est solutio, probatur antecedens, cœlum est creatum, & productum à parte rei per illam actionem: sed omne creatum est ab alio creatum: ergo cœlum est ab alio creatum: sed non est aliud nisi Deus: ergo Deus est creans cœlum, quod autem sit formaliter creans à parte rei probatur; illa forma constituit aliquid formaliter, & non fundamentaliter quæ in illo genere est vltima, & non est fundamentum alterius in illo genere: sed creatio est vltima forma à parte rei constituens Deum in ratione creantis realiter, & non est fundamentum alterius formæ in illo genere reali: ergo constituit Deum formaliter creantem; maior est certa; nam ideo albedo constituit formaliter album, quia in illa ratione est vltima forma, & ideo non constituit formaliter relatum, quia non est vltima forma in illo genere: sed est fundamentum alterius; minor probatur à parte rei non est dabilis alia forma per quam Deus constituatur formaliter creans; ergo creatio est vltima forma à parte rei: ergo à parte rei dicitur Deus formaliter creans per creationem; de hoc enim conereto quod datur à parte rei, & explicatur per hoc nomen Deus à parte rei creat Angelum, est quæstio præsens: sed respectu illius concreti à parte rei existentis est vltima forma creatio: ergo &c.

21 Dices in his formis esse verum in cognitione autem esse falsum.

22 Sed contra, & imprimis hoc discrimen est voluntariè inventum ad illudendam vim argumenti; contra secundo, ideo denominatio creantis in Deo est realis quia prouenit à forma reali: sed denominatio cogniti prouenit à forma reali: ergo est denominatio realis; maior est certissima, minor probatur; denominatio cogniti prouenit à cognitione formaliter: sed cognitio est forma realis: ergo denominatio cogniti prouenit ab aliqua forma reali, probatur maior; cognitio formaliter in esse cognitionis est repræsentatio alicuius obiecti: ergo illud obiectum est repræsentatum: ergo cognitum; patet consequentia, obiectum esse cognitum nil est aliud quam esse repræsentatum: sed obiectum illud est repræsentatum per cognitionem: ergo est cognitum per illam.

Dices cum Fonseca *lib. 5. Meth. cap. 15. q. & sect.*... Posse ens rationis actu conuenire alicui subiecto, v. g. relationem rationis in Deo, & cogniti in obiecto, etiam si actu non existat suo modo, id est obiectiuè in intellectu; atque hoc satis esse vt ens rationis denominet actu; quod autem hæc duo sint seperabilia probatur; quia Antichristo conuenit esse animal etiam si non existat, & hoc vocat Fonseca dari ens rationis quantum ad conuenientiam. 23

Sed solutionem hanc optimè reijcit eximius noster Doctor, *2. tomo. Meth. disp. 47. sec. 16. n. 11.* Primo, quia prædicata contingentia non conueniunt subiectis, neque illa denominant nisi actu existant: sed ens rationis est prædicatum contingens vt ipse Fonseca fatetur: ergo non conuenit Deo nisi actu existat. 24

Secundo illa prædicata dicuntur actu conuenire alicui subiecto, quæ vel sunt essentia illius, vel proprietates habentes necessariam connexionem cum illo: sed vtæ relationes rationis neque sunt essentia entis realis, neque proprietates habentes necessariam connexionem cum entibus realibus: ergo illis non conueniunt si actu non existunt; maior est certa ipso exemplo adducto à Patre Fonseca; nam ideo de Antichristo, licèt non existat potest prædicari animal rationale quia est essentia illius; & etiam potest prædicari visibilitas quia est proprietas illius habens necessariam connexionem cum essentia illius; minor probatur, illud ens rationis dependet ab intellectu humano liberè fabricante, & fingente illam relationem; ergo neque est essentia entis realis, neque proprietas habens necessariam connexionem cum illo; ergo non potest prædicari de illo, nisi actu existat. 25

Tertiò, quia intellectio realis eadem quæ dat esse intrinsecum reale intelligenti, dat esse extrinsecum intellecto obiecto: sed impossibile est quod esse intelligentis intrinsecum non sit reale, & tota ratio est quia forma à qua constituitur illud principium intelligens reale est realis; ergo impossibile est quod esse extrinsecum intellecti obiecti non sit reale, cum eadem forma sit respectu huius, ac illius; nam ubi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis, sed ex eo præcisè quod intellectio est realis respectu intelligentis realis, totum concretum resultans necessario est reale; ergo si intellectio quæ constituit obiectum intellectum reale est realis, & etiam totum concretum resultans ex intellectione, & obiecto erit reale. 26

Explicatur, per cognitionem potentia cognoscit; ergo per eandem formalitatem cognitionis aliquod obiectum videt, & cognoscit, nam si per eandem formalitatem cognitionis nihil cognoscit; ergo per eam non cognoscit, quia cognitio non attingit nisi cognoscibile, cognoscit ergo per illam formalitatem; ergo per illam aliquid cognoscitur; patet consequentia quia non potest potentia per aliquam formalitatem cognoscere aliquid, quin aliquid per eandem formalitatem cognoscatur; nam qui cognoscit aliquid per illam formalitatem attingit extrinsecè, & denominat obiectum, quia per illam formaliter tendit in illud tendentia extrinseca; & sicut vnio intrinseca formæ realis constituit intrinsecè ens reale intrinsecum, sic etiam realis tendentia extrinseca obiecto reali constituet ens extrinsecum 27

cum reale ex tendentia, & forma tendente, & obiecto, & sic denominatum erit reale.

28 Dices hoc ipso quod est sola denominatio, non potest esse plus quam ens rationis, nam denominatio est opus rationis.

29 Contra, nam si per denominationem quis intelligat impositionem nominis, vt optimè aduertit Pater Suarez, denominatio est opus rationis; sed nunc non agimus de impositione nominum; hoc etiam modo denominatio intrinseca quantum ad impositionem nominis denominatiui est opus rationis; sed agimus de ipsarum rerum vnionibus, aut habitudinibus, in quibus talia denominatiua nomina fundantur, quæ non sunt opera rationis, sed in denominatione intrinseca est realis vnio, vel identitas aut aliquid simile, in denominatione autem extrinseca, quæ ex rebus ipsis sumitur est habitudo realis vnius rei ad aliam; ex qua prouenit vt illa res ad quam est habitudo denominetur per modum termini alterius habitudinis, & vt clarius procedamus, & sine æquiuocatione data opera non denominationem extrinsecam; sed ens extrinsecum, & constitutum extrinsecè appello, quo tollitur omnis funditúsque euertitur elusio aduersariorum. Ad quod aduerte tunc denominationes extrinsecas esse reales quando cognoscuntur vt sunt; videlicet, cum intellectus cognoscit visionem, amorem, vel intellectionem intrinsecè esse in oculo, in voluntate, & in intellectu, extrinsecè vero terminari ad obiecta; ex qua determinatione obiecta denominantur visa, volita, & intellecta; nam omnia illa reuera ita sunt vt cognoscuntur, scilicet res denominata, forma denominans, & illa qualiscunque vnio complens denominationem, sunt vero entia rationis, cum res in quibus est visio, volitio, & intellectio concipiuntur vt relatæ & ordinatæ per aliquem respectum ad potentiam visiuam, volitiuam, & intellectiuam.

30 Et licet verum sit hoc totum, & lumine naturali notum, si non obtenebretur intellectus, nihilominus non potest dubitari, quin aliqua denominatio extrinseca sit ens rationis, illa nimirum quæ est forma rationis; nam esse dexterum respectu chimeræ, esse visum à trasclafo vel hircoseruo, denominatio extrinseca subiicibilitatis in specie respectu generis, & alia id genus sunt necessario entia rationis cum forma à qua denominatur sit ens rationis, v. g. visio, dexteritas, trasclasi, & chimeræ, vt subiicibilitas speciei, & ideo diximus denominationem extrinsecam à forma reali in subiecto reali esse ens reale, & non rationis.

31 Vltimo sic vrgeo, quia amor v. g. constituit obiectum dilectum, & amatum, sed non constituit fictitiè tale, sed realiter & à parte rei; ergo ens extrinsecum v. g. amatum, non est ens rationis sed reale; minor est de fide, nam *in libris Sapientiæ* dicitur, *dilectus Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione est*; & Ioannes passim ait: *Discipulus ille quem diligebat IESVS*, id est, amatus, & dilectus à Iesv; sed hic articulus de fide non exprimit aliquam fictionem, sed maximam & realem veritatem, & realiter, & à parte rei tale obiectum esse amatum; fides enim vti diuino testimonio, & reuelationi innitens sine fictione, imo cum maxima veritate procedit: ergo amor, & dilectio realiter constituit obiectum; Quod clarius patet, quia hæc constitutio non est in genere causæ efficientis, ita vt sit producendo aliquid extra se, sed potius est in genere causæ formalis: ergo si amor constituit, est per suam ipsam entitatem essentialiter per ordinem transcendentalem qui est essentia, & natura talis amoris: sed talis natura non est ens rationis sed reale, & non fictitiè, & per rationem tendit in illud obiectum, sed realiter: ergo amor realiter constituit obiectum amatum; quod autem amor & dilectio constituant obiectum patet, obiectum amatum ab aliqua forma debet in suo esse constitui, sed non est alia forma, quia 1. non est propria entitas obiecti; alias de se non poset non amari Petrus quod est falsum, nam dum peccator est, licet habeat propriam entitatem non est dilectus: 2. non est alia extrinseca forma præter dilectionem, & amorem; vnde sicut visio constituit visum, & intellectio intellectum, ita amor, & dilectio constituunt amatum, & dilectum, & ratio euidens à priori est; quia sicut intrinseca coaptatio formæ realis intrinsecè, & realiter constituit subiectum cui coaptat; ita etiam extrinseca coaptatio seu ordo, & habitudo realis ad subiectum sufficiet vt realiter constituat extrinsecè in suo esse, & sic amor, & dilectio per habitudinem essentialem, & tendentiam essentialem quam dicunt ad sua obiecta extrinsecè constituunt illa in esse amati, & dilecti: sed amatum, & dilectum est ens extrinsecum: ergo ens extrinsecum à parte rei sine fictione est, habet essentiam, & existit; sed quod eo modo existit, & est non est ens rationis formaliter, sed potius formaliter est ens reale: ergo ens extrinsecum, siue denominatio extrinseca non est ens rationis formaliter, sed potius est ens reale.

Ratio autem à priori horum omnium est, quia 32
vt denominet forma vt sic denominatione sibi proportionata, & eiusdem ordinis cum tali forma, solum indiget vnione ad subiectum, & subiecto capaci talis denominationis, sed dum forma extrinseca, respectu obiecti intrinsecè existit actu in potentia v. g. intellectio sicut habet vnionem intrinsecam in tali potentia habet vnionem extrinsecam respectu obiecti, quod est subiectum capax denominationis à forma: ergo forma extrinseca realis vt intellectio v. g. dum actu datur in potentia denominat obiectum denominatione sibi proportionata & eiusdem ordinis cum tali forma: sed denominatio proportionata formæ extrinsecæ reali est denominatio extrinseca realis, sicut denominatio proportionata formæ intrinsecæ reali, & denominatio intrinseca realis à paritate rationis; præcipuè quia non est maior ratio vnius quam alterius. Nam illa est denominatio proportionata alicui formæ in qua relucent omnes formalitates repertæ in forma, quia denominatio formæ aut non distinguitur ab illa, aut est omnino similis illi; nam si formaliter sumitur est solum nomen aut propositio vera, & hæc debet significare rem eo modo quo est, quia ex eo quod res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa; ita vt significet omnes formalitates repertas in denominato, assimilando se omnino, & habendo intentionaliter formalitates repertas in forma vnita subiecto, quod nihil aliud est quam significare illas; si autem sumatur obiectiue denominatio est idem quod forma vnita subiecto, aut totum resultans ex illis, ac proinde habet easdem formalitates omnes, quæ dantur

in forma denominante, sed in forma denominante datur formalitas extrinseca, & realis: ergo denominatio à tali forma est extrinseca realis.

33 Maior illa prima est euidens, quia forma, vnio formæ, & subiectum capax talis formæ, & vnionis ad illam est totum effectum formale eiusdem ordinis, & rationis cum forma; nam totum nihil addit supra materiam, formam, & vnionem, eo quod nullo modo distinguatur ab illis, sed potius sit idem omnino cum illis, vt latissimè demonstro in Physicis contra Scotum, & ipsi Thomistæ, cum quibus nunc pugnamus concedunt, quod statim ac datur effectus formalis formæ, datur denominatio in subiecto capaci illius: ergo vt forma denominet denominatione sibi proportionata, non indiget nisi vnione, & subiecto capaci talis denominationis; impossibile enim est, vt forma tribuat effectum formale, & constituat totum concretum, & quod non tribuat denominationem quæ sit eiusdem rationis cum tali forma.

34 Minor illa in qua est difficultas sic demonstratur. Quia forma illa extrinseca habet habitudinem, repræsentationem, & terminationem, extrinsecam, actualem, realem respectu obiecti per quam attingit extrinsecè intentionaliter obiectum coniungendo se cum illo, & connectendo se intentionaliter cum ipso: sed habitudo actualis extrinseca, & actualis repræsentatio per quam attingitur obiectum, & per quam potentia connectitur, & coniungitur cum illo, seu vnitur extrinsecè ipsi est vnio: ergo forma illa habet actualem vnionem extrinsecam respectu obiecti.

35 Vrgetur amplius, quia illa est vnio per quam forma constituit concretum: sed cognitio per repræsentationem actualem constituit hoc concretum repræsentatum: ergo repræsentatio est vnio respectu obiecti; ac proinde in forma extrinseca reali datur vnio respectu obiecti.

36 Præterea, quia cognitio realiter cognoscit obiectum, & realiter repræsentat illud, & non fictitiè, quia cognoscere, & repræsentare obiectum in cognitione est idem quod ipsa cognitio, quæ realis est: ergo obiectum realiter repræsentatur à cognitione, & realiter repræsentatum est ab illa; patet consequentia; quia voces activæ, & passiuæ sunt synonimæ, & idem omnino significant: sed impossibile est quod vnum synonimum sit reale, & alterum sit rationis; sicut v. g. si ensis est realis, gladius non potest esse ens rationis, sed realis debet esse: sed hæc propositio actiua cogniti cognoscit obiectum realiter, habet pro obiecto ens reale: ergo hæc quæ est passiua illius, obiectum est cognitum, ab illa, debet habere obiectum reale, & non rationis, & sic est vera addita illa particula, realiter: sed obiectum cognitum realiter est concretum reale à forma extrinseca: ergo est effectus formalis realis formæ extrinsecæ; sed effectus formalis est denominatum extrinsecè realiter includens realem extrinsecam denominationem: ergo denominatio extrinseca à forma reali est realis, & non rationis.

37 Declaratur amplius; quia cognitio dicit essentialem ordinem, & habitudinem, tum ad obiectum, tum ad subiectum, seu potentiam in qua est, hoc tamen discrimine, quod habitudo ad potentiam intrinsecè attingit, & terminatur ad potentiam, & quia intrinsecè attingit intrinsecè denominat, ita vt ratio intrinseca correspondeat in denominatione intrinsecæ attingentia cognitionis, ratio denominationis realis attingentiæ realis habitudinis cognitionis: ergo si forma extrinseca realiter extrinsecè attingat obiectum repræsentando illud per habitudinem realem ad ipsum, denominabit extrinsecè realiter obiectum; ita vt extrinsecæ attingentiæ habitudinis illius correspondeat in denominatione extrinseca ratio, & habitudini reali illius formæ correspondeat ratio denominationis realis à paritate rationis inter vtramque denominationem; nam si eadem forma per suam entitatem respicit intrinsecè vnam rem & extrinsecè aliam: ergo per suam entitatem potest alteri communicare effectum formalem intrinsecum, & extrinsecum alteri: Probo consequentiam; quia ex parte formæ effectus formalis est ipsa forma: ergo vt eadem est intrinseca, & extrinseca, eadem præstabit effectum vtrumque, imo id præstabit multo melius quam ens rationis; hoc enim tam extrinsecum est obiecto quam visio, aliunde vero non habet ordinem transcendentalem ad obiectum, quia ens rationis nullius est ordo, quod si metaphoricè dicetur, ordo est per metaphoram, & æquivocationem; visio autem habet proprium ordinem ad obiectum.

## SVBSECTIO III.

*Secunda conclusio ponitur.*

38 NEgatio, & priuatio formaliter non sunt entia rationis, & probatur, loquor enim de cæcitate, & nocte.

39 Primo, quia vel negatio, & priuatio sunt formaliter entia rationis propter id quod eam m datur à parte rei ante fictionem intellectus, vel propter id quod fingitur in eis ab intellectu per modum positiui: sed nec propter primum, nec propter secundum, sunt vllo modo entia rationis; ergo. Non propter primum, quia illud, quod earum datur in priuationibus est entia cum aptitudine in rerum natura, & à parte rei verè, sed quod datur, & reperitur verè, & realiter in rerum natura non est ens rationis: ergo maior sic patet, quia ex modo tum Philosophorum, tum Theologorum loquendi, illud quod verè, & realiter est suo modo, nullam habens dependentiam in suo esse (eo modo quo est, siue priuatiuè, siue negatiuè) à ratione, quatenus, verè & in rerum natura reperitur non est ens rationis: sed priuationes, & negationes nullam habent dependentiam à ratione: ergo non sunt entia rationis; maior euidens est, ideo enim homo non est ens rationis, quia eo modo quo reperitur à parte rei nullam dependentiam habet à ratione; & ratio adæquata quare chimæra sit ens rationis est quia dependet essentialiter à cognitione fingente; & ratio quare cæcitas, & mors &c. sunt negationes rationis in chimæra, & negatio quam dicit deitatis tragelafus & vniuersale negationem analogiæ, & individuationis, & alia id genus sunt entia rationis negatiua; quia in illo esse eo modo quo sunt, dependet à ratione, seu à cognitione fingente essentialiter; alias eis non conueniret definitio entis rationis; quæ petit vt tantum habeant esse à ratione, seu

à

à cognitione obiectiuè : sed si non haberent dependentiam à ratione, nullum esse haberent ab illa : ergo ; nam creaturæ ideò habent esse à Deo, quia habent dependentiam ab illo in suo esse ; minor sic probatur, quia si priuationes, & negationes haberent dependentiam à ratione non darentur ante fictionem rationis, vel sine fictione illius : sed negatio est ante fictionem intellectus, imo fuit ante productionem omnium intellectuum, & creaturarum intelligibilium, vt ex scriptura constat, tenebræ erant super faciem abyssi, quæ loquutiones de existentia illorum ante productionem hominum veræ sunt : item datur mors, & cæcitas in oculis, quæ sunt priuationes sine fictione aliqua, vel ante illam ; alias omnes cæci facti essent tales ; & omnes mortui non vere morirentur : ergo nullam habent dependentiam à ratione, cum illud quod est prius, minimè dependeat ab illo quod est posterius : ergo nullam habent &c.

40 Item omne ens est tale ab esse quod habet, sed quod nullam habet dependentiam à ratione, nec à cognitione fingente in suo esse nihil habet in illa rationis : ergo priuationes, & negationes, quæ nullam dependentiam habent à ratione, nec sunt, nec possunt denominari entia rationis.

41 Secundo, quia tripliciter solum potest aliquid esse ens rationis, vt bene adnotat Pater Franciscus Suarez cum communi D D. Primum eo quod efficitur à ratione ; id est, effectiuè, vel in genere causæ efficientis producitur ; vt sunt omnia artificiata, & vocantur entia rationis, quia per rationem fiunt ; aliud ens rationis est, quod subiectatur in ratione, & in intellectu, vt sunt veritas in intellectione, seu directio logicalis, & actus, & habitus in intellectu, tertio modo dicitur ens rationis, quia est obiectum rationis, & hoc si habuerit esse reale secundum quod rationi obiciatur lato modo, & impropriè dicitur ens rationis ; alias Deus, & Angelus essent entia rationis : sed ad hoc vt propriè sit ens rationis debet esse tale ens, quod non habeat esse, nisi à ratione, ita vt ante esse quod à ratione accipit, non habeat esse reale, secundum quod obijcitur rationi ; sed priuationes, & negationes nullum horum habent esse, quia nec producuntur à ratione, nec subiectantur in illa, nec solum reperiuntur obiectiuè in intellectu, cum ante omnem intellectionem reperiantur in rerum natura.

42 Secunda pars maioris primi, & præcipui syllogismi scilicet, quod priuatio, nec ratione illius quod fingitur &c. probatur. Nam illud quod additur, & fingitur à ratione in eis non est formaliter ipsa priuatio, & negatio quæ sunt à parte rei : sed aliquid distinctum ab ipsis eisque additum per rationem, sicut v. g. albedo, vel infirmitas, vel color rubeus, vel luridus additus realiter homini, non est homo, sed aliquid distinctum ab homine ; & senectus, quæ à nobis fingitur in Patre Æterno, & relatio rationis quæ fingitur in natura hominis non est Deus, nec natura humana, sed aliquid distinctum ab illis ; negationes autem, & priuationes, quibus illud positiuum rationis fingitur esse fundamentum à parte rei huius additi per rationem : sed fundamentum alicuius non est illud, quod fundatur in tali fundamento ; v. g. carina non est nauis, fundamentum domus non est ipsa domus : ergo priuatio, & negatio, quæ sunt fundamenta entis rationis positiui ; non sunt ens rationis formaliter ; sicut nec Deus, & attributa sua sunt ens rationis, quia fundant relationes, & distinctiones rationis.

Item quia aliquid dicitur tale per illud prædicatum à quo constituitur : sed priuationes, & negationes non constituuntur in suo esse formali priuationum per illud ens rationis fictum, & fundatum supra illas : ergo priuationes, & negationes non sunt ens rationis. 43

Respondet Fonseca, vt vidimus supra, negationem, & priuationem esse entia rationis quoad conuenientiam formaliter, &c. 44

Contra, quia de illo in quo non est conuenientia formæ non potest prædicari illa : sed in priuatione, & negatione realiter non datur conuenientia entis rationis : ergo non prædicatur ; maior euidens est ; minor sic probatur, quia quando aliqua forma non existit, nec potest existere in aliquo statu non datur conuenientia illius in illo statu, sed à parte rei non existit ens rationis, nec potest existere : ergo non datur conuenientia illius formaliter ; maior sic probatur, quia ideo in homine posito in statu impossibilitatis non datur conuenientia doloris, aut morbi, quia dolor, & morbus nec existunt, nec possunt existere in illo statu, v. g. in statu beatorum ; de illis enim non potest prædicari infirmitas, nec de homine in statu beatifico potest prædicari peccatum, quia nec existit, nec potest existere in illo statu, & ratio est, quia illa conuenientia formæ, nihil aliud est quam formam pertinere ad subiectum ; sed talis forma non potest pertinere nisi in genere causæ formalis, quia non potest pertinere, nisi eo modo, quo est ; sed omnis ratio formæ est dando se ipsam formam subiecto per exhibitionem sui ipsius, quod nihil aliud est, quam existere formam in subiecto : ergo si non datur talis conuenientia, quia non datur existentia formæ rationis in subiecto illo priuationis de illa priuatione, non poterit esse, & prædicari tale ens rationis, seu forma ficta quoad conuenientiam. 45

Secundo principaliter argumentor. Quando aliqua forma nec ratione dispositionis, nec complementi subiecti est debita subiecto, nullo modo potest dici de subiecto antequam existat in illo : sed ens rationis est huiusmodi forma respectu priuationis, & negationis : ergo nullo modo dicitur de illis antequam existit in illis. Maior sic probatur : ideo non dicitur homo prædestinatus antequam prædestinatio existat, nec beatitudo, quia sunt formæ omnino indebitæ, cum nec deatur ad complendum naturaliter, nec detur propter aliquam dispositionem determinantem ad illam, similiter creatio non potest attribui alicui, quia est indebita illi, cui vt creanti creato conuenit, & non datur dispositio ex parte illius ad illam, quod è contra euenit in introductione formæ ignis respectu dispositionis caloris determinantis ad illam. Minor sic probatur, quia ad ens rationis in priuatione, & negatione non datur dispositio, quia nec est aliquid reale, nec rationis illa dispositio, quæ daretur ; non ens reale, quia vel esset positiuum, vel negatiuum, non primum, quia in negatione, & priuatione totum, quod reperitur formaliter est carentia, cum in negatiuo non possit fundari positiuum, alias positiuum esset imper- 46

fectius negatiuo, à quo sustentaretur, & cui inniteretur ab ipsoque conseruaretur.

47 Nec illa dispositio est negatiuum, quia si primum negatiuum non poterat per se disponere ens rationis, nec etiam secundum negatiuum, quia non est maior ratio vnius, quam alterius.

48 Nec est aliquid rationis illa dispositio, nam de dispositione ad illud ens rationis, quod est dispositio interrogabo quid sit, & sic procederetur in infinitum, si dicatur quod est aliud ens rationis, & quod non præcedit ad illud ens rationis, aliud etiam posset dici de omni, & ratio euidens est, quia ad ens rationis non determinatur intellectus per aliquid ex parte subiecti, sed ex defectu cognitionis vel ex mera libertate fingentis illud; vnde non est necessaria aliqua conditio, aut dispositio ex parte subiecti, supra quod fingimus ens rationis.

49 Nec est complementum, quia illud, quod est prius non potest compleri, nec constitui à posteriori, quod idem est, cum non possit dependere ab alio, vt commune proloquium docet, nec carentia, quæ datur sine fictione potest compleri à positiuo rationis, nec quod est pura negatio, quia iam esset mixtum quid ex negatiuo reali, & positiuo rationis, quod est chymæra: sed negatio, & priuatio, quæ dantur à parte rei, vt probauimus, sunt priores omni ente rationis: ergo non possunt compleri ab illo.

50 Confirmatur, prædicata contingentia, quæ possunt abesse, & adesse præter subiecti corruptionem non conueniunt actu subiectis, nisi actu existant, sed entia rationis v. g. relationes creatoris in Deo, & vniuersalitatis in natura humana sunt prædicata contingentia: ergo non conueniunt actu rebus, nisi actu existant; sed non existunt ante actualem mentis considerationem: ergo non conueniunt actu, ante actualem mentis considerationem.

51 Respondent aduersarij maiorem habere verum in relationibus, & aliis prædicatis realibus contingentibus, non vero in relationibus rationis, quæ etsi ab extrinseco, & contingenter conueniunt, imitantur tamen prædicata, quæ necessariam connexionem habent cum subiectis penes id quod sicut hæc actu conueniunt propriis subiectis, etiam quando non existunt; vt animal homini, ita, & relationes rationis actu conueniunt suis subiectis ante existentiam obiectiuam.

52 Sed contra quia discrimen hoc inter prædicata realia contingentia, & prædicata contingentia rationis est voluntaria & liberè inuenta sine fundamento, vt ait Suarez ad astruendum relationes omnes reales tam mutuas, quam non mutuas terminari ad respectiuum, quod quam sit absurdum, ex terminis patet.

53 Deinde secluſa actuali existentia vnicuique prædicato proportionata nullum prædicatum dici potest actu conuenire subiecto, nisi vel quia est de eius essentia; vel certè, quia ab illa manat & necessariam connexionem, & per se cum illis habent; sed entia rationis sunt prædicata omnia contingentia, & extrinseca subiectis, & sunt extra eorum essentias, nec ab illis manant, nec necessariam connexionem, & per se cum illis habent: ergo secluſa actuali entium rationis existentia obiectiua non possunt dici actu conuenire subiectis.

## SECTIO VLTIMA.

### *Argumenta aduersaria soluuntur.*

AD primum primæ sententiæ respondetur 54
distinguendo esse cognitum, id est, fictum, & quasi productum à cognitione fingente concedo maiorem, esse cognitum, id est, denominatum à cognitione reali cognoscente rem vt à parte rei est, nego maiorem.

Ad minorem distinguo, esse cognitum primo 55
modo, nego, secundo modo concedo, cum autem ens rationis non sit secundo modo cognitum; sed primo, potius est ens intrinsecum rationis, quam extrinsecum reale.

Ad confirmationem eodem modo respondetur, 56
nam esse vniuersale, & esse speciem non est cognosci purè speculatiuè, sed practicè fingendo relationem transcendentalem intrinsecam in natura.

Ad secundum dicimus denominationem ex- 57
trinsecam esse accidens extrinsecum, quare, quasi accidens dicitur, quia sicut accidens potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem, ita & similiter denominatio extrinseca, cum hoc tamen discrimine, quod accidens absolutè immutat realiter subiectum, quia cum per illud fiat realis, & intrinseca additio in subiecto, necesse est vt fiat per intrinsecam, & realem mutationem in illo, nec obstat dicere quod omne accidens inhæret intrinsecè in subiecto; nam falsum, quia aliquod accidens adhæret, & tamen est verè accidēs, vt vnio, actio &c. Nec valet si dicas esse modalia accidentia, quod non habet denominatio extrinseca, non enim valet; nam sicut ex eo quod est accidens modale sine inhærentia intrinseca potest esse à parte rei sine fictione, ita etiam ex eo quod denominatio extrinseca sit accidens extrinsecum potest esse à parte rei sine eo quod inhæreat intrinsecè in subiecto, quia sicut accidens modale propter suam imbecillitatem, & tenuitatem potest esse cum sola adhæsione, ita denominatio extrinseca propter maiorem tenuitatem, & imbecillitatem, quam habet respectu sui termini, vel subiecti, potest saluari sine adhæsione, vel inhæsione cum sola habitudine, vel tendentia extrinseca respectu illius, & cum illo constituere extrinsecum concretiuè; vnde in forma negatur maior quoad vltimam partem in tota latitudine accidentis, vt diximus concessa prima parte illius maioris quoad modum intrinsecum, & substantiam, quia actio respectu agentis, modus extrinsecus est. Ad probationem illius iam responsum est cum distinctione de accidente extrinseco, & intrinseco.

Ad confirmationem negatur maior, quia esse 58
visum non est aliquid in pariete, sed potius est concretum extrinsecum ex pariete, & ex forma extrinseca tendente in illud realiter, ex qua tendentia extrinsecè denominatur paries in esse visi &c.

Ad primum argumentum secundæ sententiæ 59
Thomistarum sic Respondetur. Distinguo maiorem, non sunt entia realia, hoc est, non dantur à parte rei carentiæ cum aptitudine, & sine illa in subiectis, id est, tales carentiæ non sunt verè sine fictione nego maiorem; non sunt entia, id est, non habent positiuum esse reale, & entitatem perfectam positiuam concedo.

Ad

60 Ad primum Fonsecæ, distinguo antecedens, si forma, cuius productio solum deest, & ad quam dantur in subiecto omnia necessaria, sit de essentia eorum, vel ex illis manet tanquam propria passio, concedo quod statim debeatur subiecto, de illoque enunciari queat, nego tamen idem antecedens, quando forma cum illis ita connexa est minimè, sed omnino ab extrinseco sine aliqua exhibitione illius, nec petitione ex parte subiecti conuenit, cuius generis sunt entia rationis comparatione subiectorum, quæ denominant.

61 Ad secundum concessa maiori, neganda est minor, & ad eius probationem dicimus prædicationem illam non esse formalem: sed solum fundamentalem, si quando profertur actualiter relatio proferenti non obijcitur. Dixi fundamentalem, hoc est per illam solum tunc enunciari de Deo, quod potentiam suam creatiuam, ad actum reduxerit creaturis esse communicando, quod est fundamentum, vt tam creatura referatur realiter ad Deum, quam vt Deus concipiatur formaliter per rationem relatus ad creaturas.

## QVÆSTIO III.

### *Vtrum ens rationis sit purum nihil.*

1 PRIMA Sententia, asserit, ens rationis esse purum nihil, sic communiter Thomistæ. Probatur.

2 Primo, quia illud quod negat omnem entitatem, est omnino nihil: sed ens rationis negat omnem entitatem realem: ergo est omnino nihil. Maior est certa, minor sic probatur, quia illud quod opponitur, imo excludit ex se omnem entitatem realem, negat illam: sed ens rationis opponitur entitati reali, & excludit illam: ergo.

3 Secundo, ens rationis non est aliquid: ergo est purum nihil. Patet consequentia ex immediata oppositione inter ens, & non ens, cuius proprietas, vel saltem synonimum est aliquid, vnde quod non est aliquid non est ens, & quod non est ens, est nihil: ergo si ens rationis non est aliquid, necessario est nihil. Antecedens sic probatur, quia quod aliquid est, aliquid potest operari, vel alicubi est: sed ens rationis non potest aliquid operari, nec potest alicubi esse, sed tantum cognosci: ergo necessario dicendum est non esse aliquid.

4 Tertio, illud quod non est Deus, & non est productum est purum nihil: sed ens rationis non est Deus, vt de se patet, nec est productum: ergo est purum nihil. Maior est euidens, quia quod non est Deus, nec est productum nihil participat de ente vt sic immediate oppositio nihilo, nec est vllo modo sub ente, vt sic: sed quod non est sub vno contradictorio necessario debet esse sub alio contradictorio propter immediatam oppositionem vnius contradictorij cum alio: ergo si ens rationis nec est productum, nec improductum, non erit sub ente vt sic: ergo necessario debet esse sub non ente vt sic, quod est nihil: sed prædicatum superius prædicatur de inferiori: ergo est verum dicere nihil, quod est superius entis rationis de illo prædicatur; vnde erit verum dicere ens rationis est nihil.

## SECTIO II.

### *Aliqua notantur.*

ADuertendum est cum Herueo, *quodlibeto 3. quæstione 1. articulo 1.* non ens, seu nihil dupliciter sumi posse. Primo pro eo, quod nihil ponit formale, non tamen negat omnem entitatem: sed dicitur nihil non ponendo, quia nimirum nihil ponit, imo tollit, vel potius est carentia illius quod erat in subiecto, vt v. g. Tenebræ nihil ponunt in aëre, imo tollunt, seu potius sunt non lux, & carentia illius, & licet nihil ponat, supponit tamen aliquod ens, vel connectitur cum illo connotando illud, vnde non negat omnem entitatem, quod videre est etiam in possibilitate, quæ dicitur nihil ex eo quod, cum non sit positiua entitas nihil ponit. Vnde licèt supponatur ante productionem, cum illa possibilitas nihil ponat, dicitur nihil, & ideo Angelus licèt supponat suam possibilitatem antè sui productionem dicitur fieri ex nihilo: sed nihilominus possibilitas connectitur necessario, & connotat ens & existentiam rei, vnde non negat omnem entitatem. 5

Secundo sumitur nihil, pro eo, quod nihil ponendo negat omnem entitatem, quod dicitur nihil negando, quia non solum negat in se habere aliquod esse, sed etiam negat omnem connexionem, & habitudinem ad ens, & ad aliquid positiuum, quomodo tenebræ non dicuntur nihil, quia non negant omnem entitatem, vel connotationem ad illam: sed solum aliquam determinatam lucem, nimirum, cui opponitur, imo etiam aliam entitatem connotat, & supponit, ad illamque habitudinem dicit, est autem manifestum discrimen inter nihil non ponendo, quod non purum, & simpliciter nihil est: sed secundum quid, & inter purum nihil, quod nihil negando. Primo, quia nihil non ponendo potest prædicari de aliquo ente positiuo, & sic dicimus aër est tenebrosus, homo est possibilis, oculus est cæcus. Nihil autem negando minimè potest affirmari de aliquo ente reali positiuo, non enim possumus dicere homo est nihil, oculus est nihil. Secundo nihil non ponendo potest esse obiectum intellectus secundum se, quia aliquam habet entitatem, quod non potest habere nihil negando, quod nullam omnino habet entitatem, imo excludit omnem tam in se, quam in connexione, connotatione, & habitudine ad terminum &c. Tertio aduerte hoc, vt aliquid non sit omnino, & simpliciter nihil, non est necessarium, vt dicat formaliter entitatem aliquam: sed satis est vt illam supponat, vel cum illa connectatur v. g. dicimus hominem, qui non est actu esse in potentia, hominem autem esse in potentia, neque est aliquid actu, neque est omnino nihil, quia connotat aliquod esse cui coniungatur, vt fiat vnum, formalitas vnitatis in Deo non dicit entitatem, & nihilominus quia non negat omnem non est purum nihil, imo est formalitas vnitatis Dei, ac per consequens formalitas Dei, quibus positis.

SECTIO

## SECTIO III.

*Nostra sententia proponitur.*

6 PRima conclusio: ens rationis non est purum & simpliciter nihil, probatur.

7 Primo, quia purum, & simpliciter nihil negat tam in se, quam in connotato, siuè vt subiecto, siuè vt termino entitatem omnem: sed sic est quod ens rationis non negat omnem entitatem siuè in se, siuè in connotato: ergo ens rationis non est purum nihil. Maior est euidens, quia alias possibilitas, cæcitas & tenebræ essent omnino nihil, imo & vnitas Dei, & non daretur vnitas in Deo; nam, quod nihil est, nihil potest facere seu constituere, vt patet ex euidentissimo axiomate: ergo illa formalitas non potest constituere, nec est constitutiuum vnitatis Dei: sed vnitas non potest esse sine constitutiuo aliquid: ergo nihil est: ergo non est vnitas, quod est hæreticum: ergo datur vnitas: ergo constitutiuum illius; sed tale constitutiuum est negatio, vt patet ex metaphysica, vbi id probatum manet: ergo negatio quæcunque licèt in se non dicat entitatem, vt formalitas vnitatis, & negatio creaturæ in Deo, dum tamen connectatur cum ente nullo modo est purum nihil: ergo è contra purum nihil debet tam in se quam in connotato negare omnem entitatem.

8 Minor præcipua sic patet, quia ens rationis vniuersalitatis generis speciei tantum abest, vt neget entitatem in connotato, imo essentialiter petit, & supponit tale esse, id est, naturam realem animalis, hominis, & equi, lapidis &c. Ita vt si non essent tales entitates reales aptæ vt communicentur, non resultaret in illis relatio rationis vniuersalitatis, ex qua, & ex tali natura componitur vniuersale, & ratio euidens est, quia vniuersale saltem quoad materiale, v. g. animalitatis, est de essentia leonis: sed quod non est reale positiuum non potest esse prædicatum transcendentale, & transcendens, vt essentia inferiorum positiuorum: ergo vniuersalitas, quæ necessario vt sic petit illam naturam, quæ de essentia est entis positiui realiter, in quo distinguitur ab ente rationis sine fundamento necessario connotat entitatem positiuam, & minimè negat in connotato entitatem, imo essentialiter vt sit supponit, & connotat, illique coniungitur, vt ex illis fiat vnum, quod amplius patet in distinctione rationis inter intellectum divinum, & voluntatem quæ non solum non negat coniungi cum ente, & non solum non negat supponere entitatem: sed potius petit necessario infinitatem entitatiuam Dei, quæ ideo patitur ab intellectu creato distinctionem rationis, quia infinita entitas est, & non potest concipere illam, vt in se est: ergo ens rationis cum fundamento non negat omnem entitatem in connotato.

9 Nec in se, quia relatio rationis in suo primario conceptu, non est negatio adhuc per rationem in quo distinguitur à cæcitate chimæræ à negatione vitæ in Deo fictæ per intellectum &c. Sed dicit primario positiuam rationem fictam, nam relatio de suo formalissimo conceptu, quomodocunque sit, siuè realiter, siuè per rationem non est negatio: sed positiua entitas, vt patet, quia negatio est carentia, relatio non est carentia: sed potius est ordinatio, & positiuum, cuius contradictorium est negatio relationis rationis, vt negatio vniuersalitatis, quæ datur in indiuiduo, chimæra nimirum: ergo licèt non sit ens reale, non tamen negat illud primario, vt negatio, nec expellit ex se in se omne positiuum, cum admittat positiuam rationem relationis: ergo non est purum nihil.

Confirmatur, illud quod aliquomodo habet de nouo esse per aliquam productionem, saltem analogicam, & impropriam, non est omnino nihil: sed ens rationis est huiusmodi: ergo non est omnino nihil. Maior est ipsa sententia aduersariorum. Minor sic probatur, illud quod aliquomodo est, habet causam aliquomodo, id est, eo modo, quo est, deducentem ipsum de non esse, ad tale esse, quomodocunque illud sit: sed entia rationis eo modo quo actu sunt aliquando non sunt, & postea sunt, eo modo, quo sunt fictæ: ergo. Maior sic probatur, quia nihil deducit se de non se ad se. Minor probatur, relatio præteriti ad futurum est relatio rationis tantum, & idem est in vniuersali, quod ego hodie, & non heri finxi vniuersalitatem fingendam hodie, & est in actu, quando alterum est præteritum, vel quando actu fingo vniuersale non fictum heri: ergo ens rationis habet esse per productionem: ergo non est omnino nihil, quia omnino nihil nullo modo, nec propriè nec impropriè dicitur produci, quia quod omnino non est, omnino, & omnimodo non producitur: ergo aliquomodo non producitur, quia omnimodo non produci & aliquomodo produci sunt duæ contradictoriæ, & sic idem esset & non esset, v. g. vacuum, quod est intra cœlum, quod Thomistæ omnino nihil vocant à quo nec propriè, nec impropriè est productum, nec realiter, nec per rationem. 10

Vltimo. Purum nihil est omnimoda carentia, & negatio entis realis: sed ens rationis non est carentia à parte rei omnis entitatis, ergo ens rationis non est purum nihil. Maior sic probatur, quia in sententia aduersariorum, vacuum illud quod est supra cœlum est purum nihil: sed illud vacuum est carentia à parte rei omnis entitatis: ergo purum &c. Minor sic probatur, quia vel extra, vel supra cœlum est aliquid, vel non; si aliquid: ergo alius mundus, quia non esset illud aliquid huius mundi, cum omne quod pertinet ad hunc mundum sit, & contineatur intra cœlos, & ab illis: ergo esset non pertinens ad hunc mundum: ergo ad alium: sed est articulus de fide non dari alium mundum: ergo extra cœlum non est aliquid verè, & realiter: ergo extra cœlum à parte rei, & verè datur carentia & negatio omnis entitatis: ergo à parte rei purum nihil est carentia vera omnis entitatis. Minor est clara, quia sicut ens rationis non datur à parte rei verè, sic à parte rei non est carentia omnis entitatis. Item quia, purum nihil ab æterno fuit v.g. illud vacuum, quod nunc extra cœlum est: sed ens rationis est fictum positiuum, & non est ab æterno, nec est extra cœlum, sed obiectiuè in intellectu: ergo ens rationis non est purum nihil. 11

SECTIO

## SECTIO VLTIMA.

*Argumenta adversaria soluuntur.*

12 AD primum argumentum respondetur, quod negat sine fictione concedo, cum fictione, nego, & sic nego minorem &c.

13 Ad probationem illius distinguo, quod opponitur immediatè, & excludit verè, & realiter, primarioque concedo, quod non verè, & realiter, & secundario per rationem, & fictionem intellectus, nego; cum autem ens rationis non neget à parte rei, sed fictitie ens reale, & non primario, sed secundario, quia relatio rationis non opponitur primario, & negat ens reale, imo habet similitudinem analogicam cum ente reali, relatione nimirum reali, quia omne ens rationis est ad similitudinem entis realis: sed quod est ad similitudinem entis realis non primario opponitur illi: ergo ens rationis, quod est huiusmodi non est purum nihil.

14 Ad secundum respondetur distinguendo, non est aliquid reale concedo, non est aliquid rationis, & fictum nego. Ad probationem dico, quod ens rationis, sicut est aliquid fictitium & per rationem, sic existit obiectiuè, per rationem & in intellectu, & ratione, & potest operari fictitiè, & per rationem, vt quando concipio chimæram videntem, & relationem vniuersalitatis constituentem, & reddentem naturam formaliter vniuersalem.

15 Ad Tertium, Respondetur distinguendo secundam partem maioris, & non est productum verè à parte rei vel per intellectum, hoc est propriè, vel impropriè concedo, propriè tantum nego, purum enim nihil nec per rationem nec realiter est aliquid productum, cum autem ens rationis, licèt non producatur realiter, producatur per rationem, ideo non est purum nihil &c.

## QVÆSTIO IV.

*Vtrum ens rationis, sit prima, vel secunda intentio.*

1 HÆc quæstio potius explicatione terminorum, quam argumentis indaganda iudicatur à Sapientibus; vnde explicando potius, quid sit intentio quid prima, quid secunda enodanda est; ad quod.

2 Dico primo cum Patre Valio, intensionem nihil aliud esse, quam in aliud tentionem, seu actum quo in aliud tendimus, quoniam autem tam intellectus, quam voluntas per suos actus tendunt in sua obiecta, inde fit vt intentio vtrique potentiæ conueniat; in intellectu dupliciter sumitur intentio, primo vt significet actum intellectus, quo intelligitur, & repræsentatur obiectum, seu quo intellectus tendit in suum obiectum cognoscendo illud. Secundo, vt significet obiectum, in quod tendit, seu ad quod terminatur talis actus intellectus, vt v. g. si quis cognoscat hominem tam actus cognoscentis hominem, quam homo cognitus, dicitur esse intentio. Hinc nata est alia distinctio intentionis in formalem & obiectiuam.

3 Intentio formalis nihil aliud est, quam formalis ratio tendendi in obiectum, actus nimirum, quo tendimus repræsentatiuè in obiectum. Intentio vero obiectiua significat obiectum talis actus repræsentatum per illum.

Dico secundo, intentio quæcunque, siue formalis, siue obiectiua est duplex, prima, & secunda. Intentio prima formalis est ille actus, quo intellectus primo intelligit aliquid, id est, ille actus, quo rem cum veritate, & adæquando se eum ea cognoscit. Secunda vero est actus ille quo intellectus cognoscit rem aliter, ac est fingendo aliquid, vt quando cognosco chimæram vniuersale faciendo illud, cognitio practicè terminata ad ens rationis est secunda intentio formalis. Prima intentio obiectiua est id quod, vt obiectum repræsentatur in prima intentione formali, v. g. homo qui cum veritate cognoscitur à me, & quia est obiectum primæ intentionis, prima intentio obiectiua dicitur. Intentio vero obiectiua secunda est illud obiectum fictum cognitum per actum fingentem, & quia talis actus fingens dicitur secunda intentio formalis, ideo illud fictum per illam, quia est obiectiuum illius secundæ intentionis, ideo secunda intentio obiectiua dicitur, v. g. vniuersale, chimæra, tragelafus &c. Vnde quidquid convenit rebus à parte rei sine fictione, vt in homine esse musicum, esse rationale, esse risibile, totum hoc est prima intentio obiectiua, quia terminant vt obiecta primam intentionem formalem; è contra vero, omnia illa, quæ conueniunt rebus, quatenus obiectiuè sunt in intellectu solum, seu quatenus solum cognoscuntur ab intellectu, v. g. esse genus, esse speciem, esse vniuersale &c. Proprie hæc omnia ad secundam intentionem obiectiuam pertinent. Differunt autem intentiones formales ab obiectiuis, primo in hoc, quod formales, tam primæ, quam secundæ sunt entia realia, & à parte rei existentia, sine eo quod fingantur, licet verum sit quod secunda formalis non existat, nisi fingendo, obiectiuæ autem licet primæ sint entia realia; secundæ vero non sunt talia, vt sequentibus videbimus. Secundo differunt in hoc, quod primæ intentiones, & secundæ formales sunt actus intellectus, & actiones vitales, ac per consequens accidentia vitalia; intentiones autem obiectiuæ non sunt actus intellectus, nec actiones vitales, ac per consequens non sunt vita actualis, sed potius obiecta actuum intellectus, quæ aliquando sunt accidentia ficta, aliquando si primæ sunt, sunt vel accidentia realia, vt quando cognosco accidens vel substantia, vt quando cognosco Deum, Angelos, & homines. 4

Dico tertio, non omnis secunda intentio est ens rationis. Hæc conclusio patet ex dictis, quia secunda intentio formalis, licèt fingat, & repræsentet fictum; ipsa autem non est ficta: sed vera entitas realis, realiter existens, quia est actus vitalis realis intellectus; sed quod existit à parte rei non est ens rationis: ergo non omnis secunda intentio est ens rationis. 5

Dico quarto, omnis secunda intentio obiectiua est ens rationis. Probatur, quia omnis secunda intentio obiectiua est formalissimum obiectum actus intellectus prout formaliter fingentis: ergo illud est formaliter fictum: sed ens fictum est formaliter ens rationis: ergo omnis secunda intentio obiectiua est ens rationis. Consequentia prima sic patet, quia obiectum formale ali- 6

cuius actus est, quod est eiusdem rationis, & in quod relucet formalitas illius, vt creatum est formale obiectum, seu terminus creationis, & visum visionis, & volitum volitionis: sed secunda intentio est fictio formalis: ergo eius formale obiectum est fictum formaliter, quia vbi est eadem ratio, est idem &c. Sed quia est creatio eius obiectum formale, est creatum & visi visionis, seu visibile: ergo fictum erit fictionis, seu fingibile: sed hoc est ens rationis: ergo.

7 Ens rationis vocatur secunda intentio, quia cum ens rationis solum sit ens secundarium, quia totum quotquot habet esse est ad similitudinem entis primarij, quod est reale, vt latè explicuimus *in quæstione proœmiali, Vtrum ens rationis sit obiectum formale Logicæ*, & per analogiam ad illud, & ens eo modo sit cognoscibile, quo est, vt ibidem probauimus: ergo si ens rationis est secundario ens, secundario est cognoscibile: ergo secundario intenditur cognosci: ergo secundaria intentio obiectiua, & etiam quia secundario, & indirectè producitur, quia impropriè, & lato modo produci dicitur, cum metaphoricè tantum producatur, metaphoricum enim comparatum cum proprio secundarium dicitur, vt risus prati comparatus cum risu hominis, risus secundarius dicitur. Item licet Angelus sit perfecta, & realis entitas, quia tamen dependet essentialiter, & est participatio, & similitudo, seu vmbra Dei, dicitur secundarium, & secundum ens, & secundario cognoscitur à Deo & à beatis scientia beata: ergo multo magis ens rationis, cum minimè sit verum ens, & totum sit ad similitudinem, & analogiam apparentem & fictam entis veri, & dependeat essentialiter ab intellectu reali erit secundario, & secundum ens, & secundario productum, quia intellectione, vel per actionem intellectionis primario, & per se producitur, quod est primario & per se ens, habitus nimirum realis, vel species expressa, cum per veram, & realem productionem producatur, ens autem rationis, cum ex omni intellectione cognoscatur, & fingatur de nouo quasi producitur, & quia hæc productio non est propria, non est primaria; debet igitur esse secundaria: ergo quia ens rationis, tum in esse obiecti, tum in esse termini producti secundario intenditur, secundario intentum obiectum dicitur, ac per consequens secundaria seu secunda intentio obiectiua nuncupatur, sicut obiectum beatitudinis formalis creaturæ nimirum secunda beatitudo obiectiua dicitur, hæc explicatio in nullo reperitur sit clarè posita.

8 Dico vltimo, omne ens rationis est indirectè respectu intellectus. Hoc sic explicat Pater Valius cum Diuo Thoma, dupliciter enim potest aliquid esse obiectum intellectus. Primo directè. Secundo indirectè, illud dicitur esse obiectiuè directè, quod primario, & per se, dataque opera, & præcipuè ab intellectu cognoscitur, quod potest esse realiter extra intellectum, v. g. si intellectus cognosceret lapidem, lapis ille siuè existat, siuè actu non existat à parte rei, dicitur obiectiuè directè, quia primario, & per se cognoscitur ab intellectu.

9 Indirectè verò obiectiuè esse illud quod sequitur ex aliquo alio, quod est obiectiuè in intellectu directè, quatenus est obiectiuè directè in illo, v. g. cognoscitur ab intellectu homo, & ex eo quod cognoscitur, sequitur fingi, vt species, & cognosci, vt vniuersalis species homo est obiectiuè directè, esse autem vniuersale &c. Et alia id genus dicuntur esse obiectiuè indirectè, quia etiam si hæc non cognoscantur eo tempore ab intellectu, sequuntur tamen ex vi fictionis in homine directè cognito, qui directum obiectum illius actus est, & hoc modo omnes secundæ intentiones sunt obiectiuè indirectè in intellectu, & hoc totum explicare possumus, ait Valius, sicut communiter explicari solet exemplo visus, & visibilis, quando enim visus v.g. videt pomum illud quod obijcitur directè visui, & color illius pomi, dulcedo vero, & sapor illius pomi, quæ cognoscuntur esse in pomo ab eo, qui videt colorem pomi, dici possunt esse obiectiuè indirectè in visu, seu percipi, & cognosci à visu indirectè, quatenus non cognoscuntur per se, & directè à visu: sed ab aliqua alia potentia, non autem cognoscuntur ab illa, nisi color perciperetur à visu, ideoque cognitio illius saporis videtur esse quid consequens ex cognitione coloris, quamuis in hoc exemplo non sint omnia similia, quæ dicuntur esse in intellectu obiectiuè indirectè iis non est opus potentia alia cognoscente distincta à prima, quæ percipiat id quod est hoc modo obiectiuè indirectè, in exemplo vero posito opus est alia potentia, & ideo sapor, quem dicimus dici posse esse obiectiuè indirectè in visu, eodem tempore est directè in alia potentia, v. g. in imaginatione, & intellectu à quibus tunc directè cognoscitur sapor, quia quando visus videt colorem & figuram pomi, simul imaginatio videt pomum esse dulce, & ratione illius imaginationis dicitur visus videre saporem & dulcedinem illius; hoc enim modo dicitur in scriptura Euam vidisse pomum scientiæ boni, & mali, & ad vescendum suaue, secundæ vero intentiones, & aliæ quæ dicuntur obiectiuè indirectè in intellectu, non debent necessario esse tunc obiectiuè, directè in intellectu, vel alia potentia, & ideo quamuis hoc exemplum visus afferatur à multis ad explicandum quid sit esse obiectiuè indirectè in intellectu, multo tamen melius est exemplum voluntatis, in qua dicitur esse obiectiuè directè illud, in quod explicitè, & expresse, directeque fertur voluntas amando, & volendo illud; illud vero quod consequitur, & implicitè continetur ita vt, qui vult eo tempore, quo vult, non aduertat, illud dici potest esse obiectiuè indirectè in voluntate, & ideo dicitur esse indirectè volitum, quamuis nullus actus voluntatis, aut alterius potentiæ interueniat, quo illud directè appetatur, vt v. g. eo actu, quo quis vult actionem peccati, dici potest, & verè dicitur indirectè velle offensam Dei, vel damnum alterius, quod inde sequitur, quamuis ille, qui vult hanc actionem directè, nec cogitet, neque velit illud, & hac de causa entia rationis vocantur secundæ intentiones, quia indirectè cognoscuntur, & producuntur, cum autem indirecta cognitio supponat, vel commitetur aliam directam, & directa, quia supponitur, vel quia perfectior est, vocetur prima, indirecta vocatur secunda intentio, cognitio enim ex eo quod repræsentatio est, intentio est, & quia obiecta realia primo directè cognoscuntur ab intellectu, ideo primæ intentiones ab omnibus Doctoribus nuncupantur, quia primo intenduntur cognosci ab intellectu.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO V.

*Quotuplex sit ens rationis.*

### SECTIO I.

*Sententiæ Aduersariorum proponuntur.*

1 PRIMA sententia est omnium Thomistarum, (qui vno consensu captiuantes intellectum in obsequium, non fidei diuinæ: sed humanæ, non infallibilis, & certæ: sed incertæ, & fallibilis, vt in more positum est passim apud ipsos, qui non rationum pondere: sed linguarum, & opprobriorum, & contumeliarum digladiatione, ac verberatione, fæmineo more, sententias proprias persuadere nituntur) asserentium diuisionem entis rationis cum fundamento formaliter adæquatam, ac sufficientem esse, maximeque diuisionis legibus consonam, in negationem, priuationem, ac relationem hanc opinionem nulla alia ratione præter explicationem, & propriam auctoritatem, veluti alicuius consilij definitioni innitentes probant, eam sequuntur aliqui ex nostra Societate, Pater Suar. *in Metaph. tom. 2. disp. 50. sect. 6.* Rubius hîc.

### SECTIO. II.

*Nostra sententia proponitur.*

2 PRima conclusio: prædicta diuisio non est recta, primo quia non est formalis: secundo, quia non est adæquata, ac sufficiens, & probatur.

3 Primo, primum diuisio quæ non datur per membra diuidentia propria, & formaliter talia non est formalis, ac recta: sed prædicta diuisio entis rationis in negationem, priuationem, & relationem est huiusmodi; ergo. Maior patet, quia omnis essentia, & proprietas diuisionis sumitur ex membris diuidentibus, & ideo hæc est mala diuisio; homo, alius equus, alius Petrus, nam equus non est membrum diuidens diuisum, & quia membra diuidentia non sunt recta, ideo diuisio quæ per illa tribuitur non est recta. Minor, in qua est tota difficultas sic probatur.

4 Priuatio, & negatio, vt sumuntur ab auctoribus sunt à parte rei sine fictione aliqua non sunt recta, & propria, ac formalia membra diuidentia ens rationis, quod est diuisum huius diuisionis; ergo dicta diuisio non datur per propria formalia, & recta membra diuidentia. Maior sic probatur, quia priuatio, vt cœcitas, & negatio, vt negatio brutalitatis in homine sumuntur ab aduersariis vt carentiæ visus, & brutalitatis: sed tales carentiæ vt sic, sunt à parte rei formaliter: ergo priuationes, & negationes, quæ sunt membra diuidentia, vt sumuntur ab aduersariis sunt à parte rei. Maior est euidens. Minor longè, lateque demonstrata manet quæstionibus præcedentibus, & admittitur à Suario, & Rubio.

5 Minor illa sic probatur, quia omnia membra diuidentia recta, propria, & formalia diuisione metaphysica alicuius participant essentialiter naturam diuisi: sed illa, quæ dantur à parte rei eo modo, quo dantur, & sunt sine fictione aliqua non participant essentialiter naturam entis rationis: ergo illa non sunt recta, propria & formalia membra diuidentia entis rationis, quod est diuisum huius diuisionis. Maior sic probatur, quia illa sunt proptia &c. membra diuidentia metaphysica, de quibus prædicatur diuisum à quibus abstrahitur vt ad inferiora, vt patet in exemplo animalis, quod rectè diuiditur in hominem, & leonem, & lapis in adamantem, & zaphirum, & Angelus in Gabrielem, & Michaëlem propter rationes dictas: sed membra diuidentia à quibus abstrahitur, & ad quæ contrahitur, vt ad inferiora essentialiter diuisum participant essentialiter, vt prædicatum essentiale, & constitutiuum essentiale diuisum, vt videre est in homine respectu animalis, in corpore, & spiritu respectu substantiæ: ergo. Minor illa sic probatur, quia illud, quod datur à parte rei, eo modo quo datur verè, & sine fictione, non est ens fictum, & ens rationis: sed verum à parte rei, & reale, & si carentia, vera & realis carentia, & non carentia rationis, seu ficta: sed quod non ens fictum est, & ens rationis: sed verum reale, seu carentia realis non potest participare essentialiter, & essentialiter constitui ente rationis vt sic: ergo alias essent entia rationis quia constituerentur ente rationis non essent entia rationis, quia sunt à parte rei; vnde idem simul esset, & non esset, quod est contra lumen naturæ.

6 Dices priuationem & negationem esse entia rationis, non formaliter, sed virtualiter.

7 Contra; quia propria, & formalia & recta diuidentia diuisione metaphysicæ non virtualiter, sed formaliter participant essentiam diuisi, quia omnia diuidentia metaph. debent esse inferiora essentialia diuisi, omnia autem inferiora essentialia participant essentialiter essentiam superioris diuisi, v. g. ens vt sic participatur essentialiter, & formaliter à substantia, & accidenti, & substantia ab Angelo, & homine: sed illud, quod est tantum virtualiter non participat esse formaliter illius, ideo enim Deus non est membrum diuidens animal vt sic, licet virtualiter sit homo, leo &c. quia non est formaliter homo, & ratio est quia diuisum in formali prædicatione dicitur de vnoquoque inferiori formaliter, homo est animal formaliter, & Angelus est formaliter substantia, & sic non dicitur Deus est formaliter animal, quia non est formaliter homo; ergo.

8 Item falsum est dicere quod priuatio sit virtualiter ens rationis, quia nullam habet virtutem, nec potentiam ad producendum ens rationis: sed quod est huiusmodi non est virtualiter ens rationis, sicut Angelus, nec formaliter, nec virtualiter est homo, quia non est, nec habet essentiam hominis, & non habet virtutem producendi illum, & etiam homo non est virtualiter Angelus propter rationem dictam.

9 Dicunt esse fundamentum, & fundamentaliter ens rationis & hoc sufficere.

10 Contra primo, & redit idem primum argumentum factum nuper, quia ad hoc, vt sit formaliter membrum diuidens debet esse formaliter tale.

11 Secundo: ergo hæc esset bona diuisio vniuersalis. Vniuersale diuiditur formaliter in genus, speciem, & Petrum conuenientem cum Paulo, & similem illi, quia Petrus vt sic conueniens est fundamentum vniuersalis, & homo vt sic in materiam primam ad formam Pauli, & in Ioannem, quia materia sic dispositа est fundamentum Pauli, quod est absurdum. Item nauis, vt sic diuiditur in carinam, quam hispane *quilla* vocamus, & in hanc, & illam nauim, & domus vt sic, in fundamentum, arcem, & Palatium, quia carina est fundamentum nauis, fundamentum est tale, in quo fundatur domus hæc: sed in omnium sententia quia vnum membrum diuidens est formaliter domus, aliud autem membrum est fundamentum ad illam, & non formaliter domus, non est bona diuisio: ergo similiter si vnum membrum diuidens in hac diuisione est formaliter ens rationis, relatio nimirum rationis & alia sunt, priuatio nimirum, & negatio tantum fundamentum ad ens rationis, necessario dicendum est esse malam, & non formalem diuisionem, & ratio à priori est, quia diuidentia recta sunt inferiora &c. vt supra diximus. Item, quia si ex eo, quod est fundamentum entis rationis priuatio ponitur vt membrum diuidens, potior erit hæc diuisio: ens rationis diuiditur in priuationem, negationem, & Deum, seu quodcunque absolutum: sed est hæreticum dicere esse ens rationis, & membrum diuidens ens fictum, & rationis vt sic, cum Deus sit verissima, & infinitè perfecta entitas: ergo similiter est mala diuisio in priuationem & negationem à paritate rationis. Maior sic probatur, vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis: sed solum quia in priuatione datur formalitas essendi, fundamentum entis rationis dicitur tale, & membrum formale diuidens illud: ergo Deus, in quo datur eadem ratio formalis essendi fundamentum fingendi ens rationis, distinctionis, lucis, ignis, corporis, senis columbæ, maris solis, & leonis &c. dabitur necessario idem effectus formalis essendi, & poterit denominari ens rationis & membrum diuidens ens rationis, vt sic, quod est hæreticum, abhorretquæ causas, & pias aures, de quibus æquo iure poterit occini adagium illud, incidit in cillam, cupiens vitare caribdim, *y en nuestro Romançe Castellano: huyendo, o saltando de la sarten, dio en brasas*, & si non sequitur in Deo, licet detur illud fundamentum, signum est esse fundamentum entis rationis non esse formalitatem inducendi denominationem membri diuidentis ens rationis, & essendi ens fictum, & rationis.

12 Dices priuationem, & negationem non sumi, vt sunt à parte rei: sed vt concipiuntur à nobis fictè, & fiunt in illis entia rationis.

13 Contra, quia hoc modo priuatio, & negatio non sunt priuatio & negatio rationis: sed potius sunt positiua entia rationis, nam cœcitatem concipimus per modum nigræ, obscuræ, & opacæ qualitatis, & tenebras per modum panni nigri, vel pallij muliebris cooperientis totum mundum, vt & ipsi aduersarij fatentur: sed hoc modo sumpta priuatio, & negatio potius sunt positiua entia, qualitas nimirum, & substantia quam negatio, & priuatio, sub prioritate priuationis, & negationis, vt de se patet: ergo improprie diuiditur ens rationis secundum hunc modum defendendi in priuationem, & negationem, cum qualitas, & substantia, licet in negatione fundentur, impropriè denominantur talia sicut ens rationis, distinctionis, senectutis, columbæ &c. quæ fundantur in Deo, non dicuntur Deus, & ratio euidens est, quia quando denominatio fundamenti opponitur immediate rei fundatæ supra illud, non potest talis denominatio applicari rei fundatæ, quia vnico nomine non appellantur opposita, quis enim calorem, & frigiditatem eodem nomine denominabit: sed ens rationis est fictum, & non verum, & hoc nomen Deus significat rem verissimam actu, & necessario existentem à parte rei; vnde ens rationis non potest denominari illo nomine: sed similiter priuatio, & negatio dantur à parte rei, & sunt negatio, & priuatio, & ens rationis fictum supra illas est positiua entitas rationis per modum qualitatis, vel substantiæ, vel dispositionis: sed positiuum & negatiuum opponuntur, ens verum, & fictum similiter: ergo nomine priuationis realis non potest denominari positiua entitas, licet fundetur in illa, alias ens rationis fundatum in Deo esset Deus, & omnis relatio rationis vocaretur absoluta entitas, quia omnis relatio rationis fundatur in absoluto, quod adeo necessarium est hoc, vt nisi desit relatio realis non fingitur relatio rationis: ergo si relatio licet fundetur in absoluto, non potest denominari absoluta, quia relatio quasi opponitur absoluto: ergo à fortiori positiua entitas rationis, non poterit denominari negatio, vel priuatio licet fundetur in illa, quia minus opponuntur absolutum, & relatiuum, quam negatiuum & positiuum: ergo.

Sed demus, quod aduersarij intendunt, nihilominus malè procedunt, quia sicut non potest diuidi relatio realis in paternitatem, & relationem vniuersalitatis, ne confundamus res, & propter rationes dictas, ita similiter non possumus diuidere ens rationis in relationem rationis, in priuationem, & negationem quæ existunt à parte rei, vel in res significatas nominibus existentium à parte rei sine fictione, quod ex sequentibus oppugnationibus amplius constabit. 14

Secunda pars conclusionis, quod sit insufficiens ista diuisio, patet. 15

Illa non est sufficiens, & adæquata diuisio, quæ non claudit sub se omnia membra diuidentia: sed hæc non claudit: ergo. Maior, ex Summulis patet. Minor sic probatur, quia sunt alia entia rationis cum fundamento, & maximè necessaria ad scientias, quæ nec sunt priuatio, nec negatio, nec relatio rationis, & non includuntur in hac diuisione: ergo ista diuisio non claudit &c. Antecedens sic probatur, quia tempus imaginarium quod est maximè necessarium, & adeo sua existentia fauet opinioni Thomistarum, vt si tollatur tempus imaginarium funditus ruet sine dubio illa sententia asserens non posse adhuc absoluta potentia Dei reproduci tempus propter specificationem ab hoc tempore imaginario. Item vnio rationis inter animal, & rationale in homine distinctio rationis inter attributa diuina, quæ omnia nec sunt priuatio, nec negatio, nec relatio formalis: ergo dantur alia entia rationis præter illa tria cum fundamento, quæ non includuntur in illa diuisione. Item identitas inter ea, quæ distinguntur &c. Item spatium imaginarium. 16

Dices cum Patre Suarez tempus imaginarium 17

posse

posse reduci ad priuationem, vel negationem latè sumptam, quia tempus illud secluſis dimensionibus negatiuum quid est, nos vero ad illud declarandum ita illud concipimus, & de illo loquimur, ac si esset quid positiuum, & in hoc consistit ens rationis, quod est negatio, vel priuatio.

18 Sed contra, quia quod est ens rationis non reducitur ad reale, tanquam membrum diuidens ens rationis: sed tempus imaginarium, & identitas seu distinctio sunt entia rationis: ergo non reducuntur ad priuationem realem. v. g. homo, qui est ens reale non reducitur ad ens rationis tanquam membrum diuidens entis realis animalis nimirum, imo medium, vt sit incapax essendi membrum diuidens entis rationis est reduci ad ens reale; & è contra medium vt sit in capax essendi membrum diuidens ens reale, est reduci ad ens rationis.

19 Item, quia positiuum non potest reduci, cui opponitur: sed si deberet reduci deberet esse alteri positiuo, ad cuius similitudinem fit per rationem: sed negatiuum, & priuatiuum opponuntur in modo essendi dispositioni, & qualitati positiuæ: ergo ista positiua entia non debent reduci ad priuationem & negationem: sed potius debent denominari qualitates, ita, vt diuisio entis rationis sit in qualitatem, & relationem rationis.

20 Dices non reduci ad priuationem, vt realis est: sed potius, vt ens rationis est, quod fundatur in priuatione.

21 Contra quia ipse Suarez *disput. 54. sect. 5. num. 20.* explicans quid sit ens rationis in priuatione fundatum, hæc verba profert. Vnde vtrique priuationi, & negationi commune esse videtur, vt fingatur, aut cogitetur per modum cuiusdam qualitatis afficientis subiectum, v. g. cæcitas apprehenditur tamquam dispositio quædam talis organi, & tenebræ apprehenduntur tanquam dispositio quædam aëris, & loquens *de tempore imaginario disp. 55. sect. 9.* distinguens illud ab spatio imaginario ait, vt autem hoc melius intelligatur distinguendum est inter illud interuallum, & illud spatium imaginarium successiuum, quod mente concipimus, tanquam necessario fluens, & successione temporis necessario consistens. Ecce quomodo priuatio, & negatio, si vt ens rationis sumantur, explicantur per modum cuiusdam qualitatis, & dispositionis permanentis, tempus autem imaginarium per modum durationis necessario fluentis: sed duratio non reducitur ab qualitatem alias duratio realis, quod est prædicamentum quando reduceretur ad prædicamentum qualitatis, quia vnum prædicamentum non reducitur ad aliud: ergo similiter duratio successiua rationis non reducitur ad priuationem, & negationem, quæ sumpta, vt entia rationis, sunt qualitates, præcipuè, cum successiuum non debeat reduci ad permanens, quia oppositè constituitur permanens, ac successiuum; nam successiuum constat partibus prioribus & posterioribus realiter, permanens partibus simul, successiuum statim fluit, permanens durat, perseuerat, & permanet, & non statim fluit: ergo oppositè se habet in sua constitutione successiuum, ac permanens: ergo non reducitur successiuum ad permanens; vnde tempus imaginarium, non ad priuationem est reducendum, alias, si solum ex eo quod, vt ait Suarez ablatis dimensionibus tempus illud est negatio, ablata essentia etiam relationis, & ablata ordinatione rationis, relatio rationis erit negatio: sed nihilominus relatio rationis est distinctum ens rationis, quia res, vt distinguntur, non debent sumi ablato aliquo constitutiuo earum, v. g. ablato ab homine animali rationali, non est aliquid, sed nihil, & nihilominus hominem, quando est non reducimus ad negationem: ergo similiter spatium imaginarium, seu tempus imaginarium quando positiuè concipiuntur, non debent reduci ad priuationem, quia ablatis dimensionibus, siuè permanentibus, hoc est, partibus mollis, siuè successiuis, quæ sunt priores, & posteriores à quibus essentialiter constituitur spatium imaginarium, & tempus imaginarium non sunt entia, rationis, & hic dubitamus de illis in quantum sunt entia rationis: ergo falso asseritur ab aduersariis, reducendum esse spatium imaginarium & tempus imaginarium ad priuationem, & negationem.

Confirmatur, quia potentia, qua constituitur 22
vniuersale, non est relatio formalis prædicamentalis, (vt latissimè à me demonstratur, *tract. de vniuersalibus, quæst. Quid sit forma vniuersalis,*) sed est relatio transcendentalis, potentia nimirum qua apta est natura ad communicandum se inferioribus, quæ potentia qualitas absoluta est, potentia enim de prædicamento qualitatis est, & qualitas, licet dicat relationem transcendentalem, non extrahitur ab accidenti absoluto, etiam nullum accidens est, quod non dicat relationem essentialem minimum ad subiectum, alias nullum accidens daretur absolutum: sed relatiuum, quod est contra commune pronuntiatum Philosophorum, & Dialecticorum asserentium, in hoc distingui relationem prædicamentalem à transcendentali, quod vna extrahit ab absoluto, transcendentalis autem minimè, ita vt falso vocaret, qui diceret absolutè qualitatem esse relationem. Item potentia est res; relatio est modus rationis: sed absolutum non reducitur ad relatiuum, & res ad modum, imo potius modus ad rem: ergo datur ens rationis absolutum, quod nec est relatio, negatio, & probatio. Item, quia nobilitas in Rege, & honor in honorato sunt qualitates absolutè, rationis, quæ minimè possunt reduci ad relationem rationis, nam licet videantur respicere alios homines, siuè parentes à quibus nobilitas hereditario iure transfusa est in posteros, hoc tamen non conuincit talem nobilitatem esse relationem: sed potius qualitatem esse absolutum rationis, quasi acceptam tamen, vel productam à parentibus in genere causæ efficientis, vt cæteræ qualitates, quæ licet producantur realiter à causis efficientibus, non ideo dicuntur relationes, sed absoluta entia.

Præterea quia identitas rationis, & distinctio 23
rationis non possunt reduci ad priuationem, & negationem, quia identitas, & distinctio non sunt dispositio, nec qualitas: ergo non possunt reduci ad qualitates rationis, quæ sunt negatio, & priuatio.

Dices distinctionem rationis esse reducendam 24
ad relationem rationis.

Sed contra, quia fundamentum rationis di- 25
stinguitur à relatione rationis fundata in ipsa: sed distinctio rationis est fundamentum relationis rationis, sicut distinctio realis est fundamen-

tum relationis realis : ergo distinctio rationis distinguitur per rationem à relatione rationis, sicut in vestra sententia distinctio realis distinguitur à relatione reali : ergo non est relatio rationis distinctio rationis in vestra sententia, quia illud, quod distinguitur ab aliquo non est illud à quo distinguitur : sed in vestra sententia distinctio non est formaliter relatio : ergo nec reducitur ad illam sicut distinctio realis non reducitur ad relationem realem, quia distinctio apud aduersarios est absoluta relatio, non distinctio est prius, vti causa, & fundamentum relationis, & prius non reducitur ad posterius : ergo.

26 Vltimo sic probatur, quia substantia non reducitur ad accidens, & positiuum non reducitur ad negatiuum, imo è contra reductio fit, quia potius imperfectius reducitur ad perfectius, quam è contra : sed negatio illa omnium rerum vacuumque, quod reperiebatur ante creationem mundi concipiebatur per modum substantiæ rationis : ergo erat ens substantiale rationis, quia eo modo est ens rationis, quo fingitur vt patet de se, quia ex se non habet aliud esse, nisi quod ei tribuit per fictionem ratio : ergo illa substantia rationis non reducitur ad relationem, quia relatio est modus accidentalis, & substantia, vt diximus non reducitur ad modum accidentalem, nec ad priuationem, quia priuatio, & negatio, vel sumuntur, vt carentiæ à parte rei, & sic non reducitur illa substantia rationis ad illam, quia ens rationis non reducitur, vt supra diximus, vt sit membrum diuidens ad reale aliquid, nec positiuum ad negatiuum. Vel sumuntur negatio, & priuatio, vt sunt entia rationis, & sic sunt accidentia qualitatis, & dispositionis nimirum : sed substantia rationis non reducitur ad accidens rationis : sed potius è contra, vt substantia realis non reducitur ad accidens reale : sed potius è contra : ergo illa substantia nullo modo potest reduci ad illa membra : ergo iam datur aliud : ergo non est adæquata ; quod autem cum fundamento concipiatur, vt substantia, patet, quia negatio seu vacuum concipitur vt existens, & per se subsistens, non inhærendo in aliquo, quod est proprium substantiæ & in quo distinguitur ab accidentibus, nam illius negationis non concipitur aliud subiectum, nam illud subiectum, vel erat positiuum, vel negatiuum ; si negatiuum, de illo alio negatiuo interrogo ; an in se, vel in alio sit ; si in se, & per se : ergo illud negatiuum erit substantia rationis ; si in alio, iterum redibit eadem quæstio, & sic procedetur in infinitum ; si positiuum non est reale quia tale non fuit : ergo rationis : sed illud positiuum non erat in alio : sed in se : ergo erat substantia, & erat positiuum fictum : ergo erat substantia ficta & sic rationis. Maior sic patet, quia de illo alio redit idem argumentum, & sic vel procedetur in infinitum vel dicendum est, illud esse substantiam rationis ; præterea, quia fides docet, non extitisse tale positiuum : ergo non fingit intellectus, cum certificetur de eius absentia : ergo concipit illud vacuum, vt substantiam rationis, quæ non reducitur : ergo.

27 Item Patres antiqui fingebant corpus in Angelis : sed corpus illud erat substantia, qua fingebant corpora subsistentia, vti sunt Angeli, qui non sunt accidentia, & inhærentia alteri : ergo iam datur substantia rationis, imo nos concipimus Angelos, vt iuuenes aligeros ; vnde, vt corpora, & substantiæ corporeæ.

Dicit Suarius esse chimæram. 28

Contra, quia chimera est cum coniungo duo, 29
quæ video, & cognosco esse incompatibilia, vt quando coniungo hominem cum equo, & leone ex mera mea libertate, imo cum repugnantia ex parte rationis propriè ; cum autem non coniungo incompatibilia : sed loco vnius cognosco aliud, non facio ens rationis chimæricum v. g. facerem chimæram, si Angelum remanendo, vt spiritualem, simul cognoscerem vt corporeum, quia in illa simultate & coniunctione, ipse intellectus, qui cognoscit, & facit illam coniunctionem, cognoscit repugnantiam, vt in chimæra : sed concipere Angelum loco spiritualis vt corporeum, non coniungendo vtrumque non est chimæra, alias relatio quæ concipitur in Deo esset chimæra quia chimæra est, quod id quod est absolutum sit simul relatiuum, cum autem non sic faciat intellectus : sed quod ex se absolutum est concipiat vt relativum, & non absolutum, non est chimæra, sicut non est chimæra concipere tenebras vt positiuam qualitatem, seu dispositionem aëris, quia non fingit intellectus, nec fingit, vt simul tenebræ essendo tenebræ, hoc est carentia, seu priuatio, & remanendo in esse priuationis sint positiuum ens, seu positiua entitas qualitatis : sed illud, quod à parte rei est priuatio, concipitur ac si non esset priuatio ; sed positiua entitas, & per modum qualitatis ; in quo nulla ratio chimæræ reperitur ; si autem intellectus tenebras, seu cæcitatem concipiendo vt priuationem coniungeret aut fingeret esse simul qualitatem positiuam, tunc faceret chimæram, quia tunc coniungeret duo incompatibilia ; imo magis repugnantia, seu potius immediatius repugnantia, quam homo, leo, equus &c. positiuum enim, & negatiuum magis & immediatus opponuntur quam duæ entitates positiuæ ; cum autem intellectus non coniungat simul, & fingat, & simul vna, & eadem formalitas tenebrarum sit positiua, & priuatiua entitas : sed potius quod est priuatio à parte rei, concipit, ac si minimè esset talis, imo ac si esset positiua entitas, & per modum qualitatis, ideo non facit ens rationis chimæricum, quia non coniungit formaliter incompatibilia ; sed solum vnum loco alterius cognoscit. Sic similiter, si Angelum vt spiritualem, hoc est purum à corpore, & vt corporeum simul cognosceret, tunc faceret chimæram ; cum autem non coniungat hæc incompatibilia : sed solum Angelum, qui spiritualis est, non cognoscant vt spiritualem : sed vt corporeum, cognoscendo vnum loco alterius ; sicut Patres, qui negabant Angelos esse purè spirituales : sed potius esse corporeos affirmabant, nullo modo facit chimæram, quo destruitur fundamentum, & solutio aduersariorum.

Et idem est, si spatium imaginarium, quod infinitum est extra cælum, concipiat vt corpus substantiale, quantum in se subsistens. Nam vt videre est, licet illud spatium imaginarium possit concipi, vt inhærens per suam extremam, & vltimam partem in cælo, nihilominus per illud profundum quasi infinitum non inhæret, quia ad hoc, vt inhæreret necesse esset, vt intra illud profundum esset substantia cæli quæ minimè est, v. g. vt inhæreat profunditas quantitatis secundum suam profunditatem materiæ primæ, non

est

est solum sufficiens, vt attingat extremum superficiei meam materiam, sed necesse est, vt mea substantia penetret per profundum illius, quia omne accidens eo modo, quo accidens est, debet inhærere: sed quantitas non solum est accidens secundum vltimam superficiem: sed etiam secundum profunditatem: ergo etiam secundum illam debet inhærere: sed non potest profundum inhærere per solam attingentiam vltimi superficiei, nisi sit penetrata profunditas quantitatis per substantiam: ergo si cœlum non est per totum profundum spatij imaginarij, alias esset infinite crassum, & profundum, licet illud spatium secundum vltimum sui attingat cœlum, non dicetur, vel cogitabitur vt inhærens: sed potius vt subsistens: ergo concipitur vt substantia quanta, & cum maximo fundamento ex parte sui, & ex suo modo essendi independentia à subiecto secundum suam profunditatem, & cum fundamento in rebus: ergo iam cum fundamento in re datur substantia rationis, & qualitas rationis, & relatio rationis: ergo talis diuisio non est adæquata, & sufficiens.

30 Secunda conclusio: ens rationis aliud est negatiuum, aliud est positiuum: quod patet, quia distinctio rationis in sententia P. Suarez fingitur ad similitudinem distinctionis realis: sed distinctio realis in sententia ipsius est negatio identitatis: ergo etiam distinctio rationis est negatio identitatis.

31 In mea sententia carentia indiuiduationis in natura humana, quando abstrahitur & separatur ab illa, est vera carentia per rationem, id est vt vera carentia fingitur, nam cum natura humana erat contracta in indiuiduo, erat facta indiuidua, quia afficiebatur ab indiuiduatione: ergo habebat indiuiduationem, quia effectus ille formalis erat ex existentia indiuiduationis in natura: ergo quando abstrahitur, & separatur ab indiuiduatione cum desinit esse indiuiduata, quæ antea erat indiuiduata, caret indiuiduatione talem effectum causante: ergo datur carentia indiuiduationis in natura humana: ergo datur negatio illius, carentia enim negatio est: sed est carentia in subiecto apto habere indiuiduationem, quo caret: ergo est priuatio.

32 Item animal, quando contrahitur à rationali, componit cum rationali hominem: ergo inter illa prædicata datur compositio; vnde vnio: sed potest abstrahi animal à tali prædicato, ita vt non actu componat: ergo tunc caret illa compositione & vnione actuali; quod patet, quia potest habere illam: ergo in illo datur priuatio: quod autem detur negatio sic patet; quia genereitas dicit negationem identitatis cum specieitate, quia non est specieitas, & vniuersalitas dicit negationem analogiæ, cum dicat vniuocationem: sed hæ negationes sunt in subiectis ineptis, cum nullam dicat vniuersalitas aptitudinem essendi analogum, & nulla datur capacitas in genereitate essendi specieitas: ergo est propria negatio: ergo iam datur ens rationis, quæ propria negatio rationis est: sed ex alio capite datur relatio rationis, & qualitas, seu dispositio rationis fundata in priuatione, & negatione, quæ sunt positiua: ergo rectè dicitur ens rationis aliud negatiuum, quatenus comprehendit negationem & priuationem; & aliud positiuum scilicet relatio, & dispositio.

33 Confirmatur, quia eo modo potest fingi ens rationis vt est ens reale: sed datur ens reale negatiuum, & positiuum: ergo potest dari ens rationis negatiuum, & positiuum; vnde rectè procedet conclusio.

Positiuum ens rationis diuiditur in absolutum, 34
& respectiuum, vt patet ex relatione rationis, & qualitate ficta supra negationem, & priuationem. Item positiuum absolutum in substantiam, & accidens, vt videre est in iuuentute allata, & aliis, v. g. in senectute Patris, & columba Spiritus Sancti, quæ omnia vti figura, & proprietates substantiæ corporeæ necessario innuunt quantitatem coæuam substantiæ corporeæ, & ipsam substantiam corpoream. Item in spatio imaginario. Accidens autem diuiditur in quantitatem, vt liquet ex exemplis adductis; & in qualitatem, vt patet ex ipsa sententia aduersariorum. Item diuiditur in vbi, & situm, quia Angelus, vt iuuenis conceptus, concipitur, & fingitur ad modum hominis existentis circunscriptiuè & quatenus constantis partibus heterenogeneis, ad quas sequitur situs necessario. Item datur duratio, tempus scilicet imaginarium in sententia omnium aduersariorum. Datur etiam habere, quia datur denominatio extrinseca subiicibilitatis, vt patet ex illa quæstione, vbi latè probauimus subiicibilitatem dicere relationem, & denominationem extrinsecam: ergo dantur, &c. alia entia rationis, vt actio & passio, &c. quia non est maior ratio, quare ens rationis fingatur per omnia prædicamenta, & cum fundamento & doctrinaliter, & non fingatur in prædicamento actionis; præcipuè, quia ipsa quantitas, relatio, &c. finguntur; ac si emanarent: sed emanatio est vera actio, vt patet *ex libris de generatione*, & vbi datur actio, datur passio: ergo per omnia prædicamenta datur ens rationis doctrinale cum fundamento.

## QVÆSTIO VI.

*Vtrum per omnem potentiam vitalem fiat ens rationis.*

### SECTIO I.

*Sententia Aduersariorum proponitur.*

PRIMA sententia asserit ens rationis posse 1
fieri per omnem potentiam vitalem, vt per intellectum, imaginationem, & voluntatem, sic Scotus *distinct.* 45. *q.* 1. Pater Valius hic, Pater Herize 1.*p.* & probatur.

Primo, Tunc fit ens rationis ab aliqua potentia, quando illa dat aliquod esse quod obiectum ex se non habet realiter: sed voluntas dat huiusmodi esse suo obiecto: ergo voluntas facit ens rationis. Minor sic probatur. Quia voluntas facit ordinatum ad finem quod ex se non est ordinatum, v.g. quando ordinat pecuniam ad emendum cum tanto valore, vt videre fuit in moneta quam fecit Carolus V. Imperator, ac Rex Hispaniæ ex corio bobino dum belli egestate, penuria argenti præmeretur, cum tale corium non esset ad illud ordinatum: sed hoc est dare aliquod esse ordinatum scilicet, quod ex se non habet obiectum

iectum realiter : ergo voluntas dat huiusmodi esse.

3 Secundo intellectus componendo impossibilia inter se incompossibilia facit ens rationis : sed voluntas componit talia incompossibilia inter se, vt cum Lucifer volebat similitudinem, & æqualitatem cum Deo, cum esset creatura : ergo voluntas facit ens rationis.

4 Tertio non est minus efficax voluntas circa suum obiectum, quam intellectus circa suum & imaginatio circa proprium : sed intellectus, & imaginatio propter hanc efficaciam faciunt ens rationis : ergo à fortiori voluntas propter maiorem efficaciam, & propter libertatem formalem, quam non habent illi, poterit facere ens rationis.

5 Secunda sententia est asserentium, nec voluntatem, nec alios sensus, & potentias præter intellectum, & imaginatiuam posse facere ens rationis ; ita Pater Suar. *in Met. tract. de ente rationis.* Pater Rubius *in Logica*, Hurt. *in met. disp* 19. *sect.* 1. *n.* 18. Conimbricenses *ibidem*, & probatur.

6 Primo illa potentia facit ens rationis, quæ habet virtutem reflectendi supra proprios actus, & obiecta : sed intellectus habet virtutem reflectendi, & non sensus externi : ergo intellectus &c. maior sic probatur, quia entia rationis sunt denominationes, quæ tribuuntur rebus iam cognitis : sed huiusmodi denominationes sunt à potentia reflectente : ergo &c.

7 Secundo ens rationis ex eo dicitur ens, quod obijcitur potentiæ illud efformanti per modum entis, vt tradunt Doctores logici : sed nulli potentiæ præter intellectum obijci potest per modum entis id quod in se ens non est, quia ens, vt ens est solum, & adæquatum obiectum mentis : ergo nulla potentia præter intellectum efformat ens rationis.

8 Tertio phantasia, & cæteri sensus præter intellectum, non sunt capaces concipiendi res, & coniungendi vnam alteri per modum compositionis : ergo nequit efficere chymæram, consequentia est certa, quia licet apprehendat hominem, & equm, nisi illa vnita, & coniungat per vnionem in ipso fictè accomodatam non erit chimæra, quia homo &c. diuisiuè sumpta sunt entia realia. Antecedens probatur, quia componere potius est actu iudicij, quam apprehensionis : sed sensus interni, & externi non iudicant : sed solum apprehendunt : ergo nequeunt facere ens rationis.

## SECTIO II.

### *Aliqua aduertenda proponuntur.*

9 ADuertendum est dupliciter sumi posse ens rationis : Primo pro illo esse fictitio, & apparenti, quod ab intellectu fingitur, & à quo accipit esse intrinsecum, & apparens, & denominationem rationis, & in hoc sensu definitur à Doctoribus dum dicunt, ens rationis est quod tantum habet esse obiectiuè in intellectu, quodque per antonomasiam ens rationis vocatur, quia ab hoc ente, quod ab intellectu fingitur manauit denominatio entis rationis ad cætera, quæ propriissimè sunt entia ficta, & apparentia, licet non ab intellectu fingantur, & sic sumptum ens rationis certum est non posse fieri ab alia potentia præter intellectum, quia certum est illud, quod fingit à se prout ab illa fingitur non posse fingi ab alia potentia, vt fortè chimæra v. g.

Secundo modo potest sumi ens rationis pro 10 ente quoddam apparenti, & fictitio, quod in se nihil est à parte rei, & nihilominus cognoscitur, ac si esset aliquid intrinsecum, siue sit ab intellectu, siuè à quacumque potentia producente illud ens intrinsecum, cum non habeat in se talem entitatem fictitiam, & apparentem, quæ nec à parte rei est, nec est purum nihil, sed quoddam esse intrinsecum fallax & fictitium, quod solum habet esse obiectiuum, & propter illud esse obiectiuum non habet aliud esse, & sic de hoc ente apparenti sumpto vniuersaliter quærit titulus quæstionis per quam potentiam accipiat esse primo & quasi producatur.

## SECTIO III.

### *Nostra sententia ponitur.*

PRima conclusio : voluntas non potest facere 11 ens rationis ; sic P. Suarez, & est communis Doctorum sententia ; & probatur.

Primo, illa potentia facit ens rationis, quæ est 12 quasi productiua illius : sed voluntas non est huiusmodi : ergo voluntas non potest facere ens rationis. Maior euidens est, quia idem est efficere ens rationis ac producere illud ; sicut idem est efficere hominem, ac producere illud. Minor sic probatur, illud est productiuum alicuius esse, quod habet vim faciendi, vt quod antea non erat, primo, & de nouo habeat esse eo modo, quo est : sed voluntas non habet hanc virtutem : ergo. Maior euidens est.

Quia productio, in omnium sententia, nihil 13 aliud est, quam tribuere esse de nouo illi, quod antea non habebat esse, & in hoc distinguitur à cæteris operationibus v. g. à conservatione, alteratione, &c. quia istæ operationes præsupponunt esse totius circa quod versentur, productio autem non præsupponit, sed primo, & de nouo confert. Minor sic probatur, voluntas non proponit sibi, nec sibi facit obiectum de novo, sed tendit in obiectum hoc modo præsuppositum ab intellectu : sed potentia, quæ tendit in obiectum ab altera potentia præsuppositum non habet virtutem faciendi, vt quod obiectum antea non erat, vel non habebat esse obiectiuum de nouo habeat illud : ergo voluntas, quæ est huiusmodi ; non facit, &c. Maior euidens est, omnibusque concessa, quia naturaliter saltem nihil volitum, quin præcognitum ; id est, nihil prosequutum à voluntate, quod non habeat ante esse obiectivum, seu cognitum ab intellectu, & ideo cognitio præsupponitur necessario ad volitionẽ, vt vel voluntas non feratur in nihilum, vel illuminetur ad aliquod, quia cum voluntas sit cæca & non possit amare, nec tendere nisi illuminata ab intellectu, vt non feratur in incognitum. Minor sic probatur, illud obiectum præsuppositum, & vt cognitum, & obiectum, antequam adveniat actus voluntatis, & tendat in illud, habet iam esse obiectiuum, cum habeat iam esse cognitum ab intellectu : ergo non producitur obiectiuum à voluntate ; siquidem iam supponitur in illo esse,

alias

alias voluntas faceret, quod iam antea factum esset, vel produceret quod iam esset productum, quod est contra naturam: ergo solùm producitur in illo esse obiectiuo ab intellectu, cum intellectus sit qui primo fecit, vt transiret de non esse obiectiuo ad esse obiectiuum.

14 Dices præsupponi vt obiectum intellectus ante actum voluntatis, non tamen vt obiectum voluntatis.

15 Contra, quia præsupponitur vt bonum, vel vt malum; ergo vt obiectum voluntatis. Antecedens sic probatur, quia ideo voluntas amat aliquid, vel fugit illud, quia est bonum, & quia repræsentatur vt bonum: sed non fit bonum, nec repræsentatur vt bonum ab ipsa voluntate: ergo est huiusmodi ab intellectu. Maior concessa est ab omnibus. Minor sic probatur quoad primam partem, quia voluntas non est factiua, nec operativa sed solùm prosequutiua, & fugitiua: ergo voluntas non facit bonum, sed tantum amat quod est iam bonum. Secunda pars sic probatur, quia voluntas est cæca potentia in omnibus suis actionibus: sed huiusmodi potentia non est repræsentatiua, & ideo voluntas præsupponit semper illuminationem intellectus circa suum obiectum, alias si ipsa haberet virtutem repræsentandi, tum esset illuminatiua, vel repræsentatiua, hoc est intellectiua; intellectus enim ideo talis est, quia repræsentat; tum non indigeret intellectu ad suas operationes.

16 Nec obstat, quod ante actum intellectus non præsupponatur obiectum, vt amatum.

17 Contra, quia esse amatum est ens extrinsecum à forma reali: sed ens extrinsecum huiusmodi non est rationis: ergo illud esse amatum, quod non præcedit actum voluntatis, sed per ipsum constituitur, nihil facit contra nos.

18 Et quamvis, vt optimè ait Suarez int rdum voluntas humana tendat in id quod in re non est bonum, vt si bonum esset, tamen ipsa non fingit tale bonum, sed supponit apprehensum, & repræsentatum per intellectum. Vnde etiam si illud computetur inter entia rationis, non est à voluntate fabricatum, sed ab intellectu; quamquam autem voluntas denominet suum obiectum amatum, vt diximus, & desideratum denominatione reali extrinseca per habitudinem sui actus ad tale obiectum, tamen ipsa voluntas non vlterius reflectitur, vel inquirit, quid sit in tali obiecto esse amatum, vel desideratum, nec in eo fingit relationem rationis: sed hoc spectat ad intellectum, & quamvis voluntas possit in suo ordine reflectere in suum actum amando amorem vel desiderium, & possit etiam reflectere in obiectum, vt denominatum ab actu eiusdem, vel similis voluntatis, scilicet amando obiectum, eo quod ab alio sit amatum, tamen per hanc reflexionem non fingit aliquid per modum entis, aut boni, quod in se bonum non sit, sed in vnumquodque tendit, sicut in se est, vel sicut ab intellectu proponitur vel fingitur, & ob tandem causam, quamvis voluntas possit tendere in obiectum vniuersale; ipsa tamen non fabricatur ipsum vniuersale, sed supponit fabricatum ab intellectu, & idem est de omnibus obiectis, in quæ tendit voluntas propter extrinsecam denominationem, vel habitudinem, quæ si per modum relationis concipiantur, re vera tantum sunt relationes rationis, & intellectus fingentis, vt cum voluntas amat aliquem actum, quia præceptus est, nam esse præceptum denominatio est extrinseca, qui si apprehendatur vt aliquid existens in ipsa re præcepta, erit ens rationis, tamen id non fit à voluntate, sed ab intellectu.

Secundo probatur contra Scotum eisdem argumentis inversis, quibus contra nos argumentatur hic non subtilis, sed debilis Doctor. 19

Primo voluntas non ordinat vnum ad aliud, quod in se non est ordinatum: ergo voluntas non efficit ens rationis. Antecedens probatur, tum quia ordinare vnum ad aliud est actus intellectus; tum quia voluntas vult vnum propter aliud, supponit iam vnum ordinatum ad aliud per intellectum: ergo ipsa non ordinat vnum ad aliud. Antecedens patet, quia voluntas non vult, nisi quod intellectus apprehendit, vt tale. Consequentia autem certa est, quia si illa ordinatio haberet prius esse per intellectum, sequeretur manifestè non habere esse per voluntatem, voluntas enim in iis, quæ non habent verum esse nihil aliud potest efficere, quam velle illud esse, vel fugere illud esse, quod dat intellectus, cum eius obiectum non sit esse, sed bonum. 20

Secundò, quia voluntas nequit distinguere (vt asserebat Scotus) per rationem, quæ non sunt distincta, sed ad summum amare quæ illi, vt distincta repræsentavit intellectus, voluntas enim fertur in res, vt factas, vel repræsentatas per priorem potentiam intellectivam: at vero intellectus attrahit illas, ac proinde potest effingere aliquod esse, quod non est à parte rei, maxime illud, cuius totum suum esse est esse intelligibile. 21

Secunda conclusio: non solum intellectus, sed etiam omnes potentiæ cognoscentes faciunt aliquod ens intrinsecum apparens, quod potest aliquomodo vocari ens rationis, tum propter similitudinem, quam habet cum ente rationis, tum ne multiplicemus nomina, dicendo ens visionis, ens gustus, ens imaginationis, ens auditionis, &c. quod ab ipsis aduersariis maximum inconueniens iudicatur, probatur. 22

Primò (in potentia visiua, in qua clarius hoc apparet; quidquid autem de hac potentia dicetur, erit idem in cæteris potentiis cognoscitiuis, quia non est maior ratio vnius, quam alterius,) quia potentia visiua habet virtutem faciendi, quod incipiat de nouo esse obiectivum intrinsecum apparens, quod ex se à parte rei non habet tale esse; sed hoc est facere ens fictitium, quod vt dixi, potest vocari ens rationis: ergo potentia visiua facit illud. Maior est euidens, quia dum potentia visiua respicit colorem cæruleum in montibus, & in cœlo de longè apparentem, facit quod ille color, qui ante non erat nec à parte rei, nec obiectiuè, de nouo sit obiectiuè, & ita sit dependenter à visu, vt nullum aliud habeat esse, præter obiectivum visus: ergo potentia visiua habet vim, ac virtutem faciendi quod incipiat de novo esse obiectivum intrinsecum apparens, quod ex se non habet tale esse à parte rei. Consequentia sic probatur; quia nihil aliud est incipere de nouo aliquid ex vi alicuius potentiæ, quam ex vi talis potentiæ nunc habere esse, quod antea non habebat, nec habet à parte rei; sed ex vi potentiæ visiuæ color ille cæruleus cœli, & montium habet esse obiectiuum quod antea non habebat, nec obiectiuè, nec à parte rei: ergo ex vi potentiæ visiuæ color ille cæruleus incipit de nouo habere esse obiectivum apparens, quod ex se non habebat. Minor hæc sic probatur quo- 23

ad secundam partem. Nam color ille cæruleus non est in montibus, quod patet manifestè, nam dum approximamur illis, in quibus color cæruleus videbatur, non apparet talis color, sed potius alius distinctus: ergo signum euidens est, colorem illum solum esse apparentem & fictum à visu, & non existere à parte rei in montibus, alias si verè existeret in illis, perfectius videretur à nobis, dum magis approximamur montibus vt ipsa experientia clarissima, & euidentissima patet in reliquis obiectis vero, & proprio colore imbutis, quorum colores eo perfectius videntur, & percipiuntur à visu, quo proximius accedit videns. Item quia impossibile est, quod idem mons simul sit viridis, & cæruleus vel luridus, & cæruleus simul: sed mons, quia longè visus apparebat cæruleus, quando herbarum viriditate vestitur in primo vere ex se, & à parte rei est viridis, & in æstate, dum herbis destituitur luridus est ex vi arenæ, aut terræ, ex quibus substantialiter componitur à parte rei: ergo simul non est cæruleus ex se à parte rei.

Tandem de cœlo euidentissimum est; quia cœlum apud ipsos aduersarios neque habet colorem vllum, neque est capax illius, quia color petit mixtionem primarum qualitatum, quæ dari non potest in cœlo ratione propriæ incorruptibilitatis illius; primæ enim qualitates, & mixtiones illarum petunt subiectum corruptibile, quod disponant ad corruptionem: ergo ille color cæruleus, qui in cœlo, & in montibus apparet, ex se non est verus, nec à parte rei datur: ergo antequam videretur à potentia visiua, non habebat esse à parte rei; quod autem nec obiectivum haberet antequam videretur euidentius patet. Quia color solum ex vi illius potentiæ potest habere esse obiectivum, cuius obiectum est talis color, & cuius potentiæ actiones potest terminare; sed color solum est obiectum terminativum potentiæ visiuæ, ratione cuius solum terminat actiones illius potentiæ: ergo color solum ratione potentiæ visiuæ potest habere esse obiectivum, sed nihil potest habere esse ante actionem propriæ potentiæ, cum per illam actionem formaliter à propria potentia recipiat esse, vnde creatura ante actionem omnipotentiæ non potest habere esse, & ens rationis factum ab intellectu ante intellectionem non potest habere esse obiectivum, quia hoc accipit esse obiectivum ab intellectu media intellectione, & illa accipit esse reale ab omnipotentia mediante actione formaliter: sed color ille apparens habet esse à potentia visiua mediante visione formaliter: ergo ante visionem non habet esse obiectivum color ille apparens: ergo tunc incipit habere esse de nouo obiectivum, quando primo videtur à potentia visiua in montibus, & in cœlo: ergo ille color, qui nunc videtur, & reperitur obiectiuè vt color in visu ante visionem non erat color, & postquam videtur, incipit esse color intrinsecus apparens, quia ipse visus, qui concipit illum colorem, non concipit illum extra cœlum, & montes, sed potius vt intrinsece vnitum illis, quare si à barbaro quodam omnino sibi persuadente esse verum colorem, quem respicit in montibus &c. interrogaremus, an ille color esset in montibus, an extra montes, sine dubio diceret esse in montibus intrinsece, eo quod sola apparentia visus duceretur, quæ repræsentat colorem illum vt intrinsecum montibus.

Minor primi, & præcipui syllogismi sic demonstratur; quia nihil aliud est facere ens rationis fictitium, intrinsecum, apparens, quam facere, quod de nouo habeat esse tale ens fictum, quod ex se, & ante cognitionem nullum habebat esse apparens: sed potentia visiua facit, vt color cæruleus in montibus, & in cœlo apparens, & fictus habeat de nouo esse, quod ante cognitionem potentiæ visiuæ non habebat esse: ergo potentia visiua facit ens fictitium & apparens. 23

Vrgetur, & declaratur amplius, & magis in forma, quia nihil est facere ens reale, quam facere vt de nouo incipiat aliquid reale, quod ante actionem potentiæ nullum habebat esse reale, vt est in Deo producente creaturam, & in Paulo generante Petrum filium: sed facere ens rationis est ad similitudinem effectionis entis realis: ergo facere ens rationis est facere, vt de nouo habeat esse apparens, & fictitium, quod antea non habebat; exemplo intellectus manifestissimè declaratur. Id enim intellectus facit ens rationis proprium quia facit, vt chimæra v. g. habeat de nouo esse fictum, & apparens ex vi intellectionis, quod ante illam nullum habebat esse apparens: ergo facere ens rationis est agere vt habeat de nouo esse fictum, quod antea non habebat.

Confirmatur, quia illa potentia facit ens rationis quæ cognoscit rem aliter, ac est in se dando illi esse, quod non habet à parte rei: sed potentia visiua v. g. cognoscit rem aliter ac est in se, dando illi esse quod non habet à parte rei: ergo facit ens rationis. Maior est ita certa, vt sit ratio, qua omnes probant dari ens rationis; nam ideo intellectus humanus facit ens rationis, quia cognoscit rem aliter, ac est in se; & ideo intellectus diuinus licet cognoscat entia rationis, non potest facere illa, quia non potest cognoscere rem aliter, ac est in se, vt probauimus tam. Minor probatur, potentia visiua cognoscit in cælo & in montibus colorem cæruleum: sed tunc cognoscit rem aliter, ac est in se, dando illi esse, quod non habet à parte rei: ergo &c. Minor probatur. Ille color non datur à parte rei: sed est omnino fictitius & apparens, vt est in confesso apud omnes Philosophos, & patet experientia, quia dum accedimus ad montes, euanescit talis color: ergo potentia visiua dat illi esse: ergo illud non habet à parte rei: ergo cognoscit rem aliter, ac est in se: ergo facit ens rationis. 24

Declaratur amplius, quia ille color tantum habet esse obiectiuè in potentia visiua, id est tantum habet esse, dum videtur, & obiicitur visui: sed quod est huiusmodi est ens fictum, quod vocatur ens rationis: ergo ille color est color apparens, fictus, & ens rationis: consequentia est euidens, supposita maiori, & minori. Minor patet, quia ideo chimæra est ens rationis fictum, & apparens quia tantum habet esse obiectiuum in potentia cognoscente, sed ille color apparens habet tantum esse obiectiuum in potentia cognoscitiua, qualis est visiua: ergo est ens fictum: ergo illud, quod tantum habet esse obiectiuè in potentia cognoscente est ens fictum, apparens, & rationis. Maior ex ipsa definitione entis rationis apparentis, & ficti est manifesta, quia definitio entis rationis sic se habet, est quod tantum habet esse, dum cognoscitur, & extra cognitionem à parte rei nullum habet esse: sed ille color 25

cæruleus

ceruleus montium, & cæli apparet, & est, dum videtur & dum obiicitur potentiæ visiuæ, ac proinde dum obiectiuè est in uisu, & extra potentiam visiuam, seu vltra esse obiectiuum non habet esse à parte rei: ergo ille color tantum habet esse obiectiuè in potentia visiua.

26 Tunc sic: quidquid cognoscitur, vel est ens reale, vel rationis: sed ille color cognoscitur à potentia visiua: ergo vel est ens reale, vel rationis; atqui non est reale, vt supra demonstratum manet: ergo rationis: sed accipit esse à potentia visiua: ergo potentia visiua tribuit, & dat esse entis rationis, quia quidquid accipitur ab aliquo, tribuitur ab ipso: sed quidquid dat esse, facit illud esse: ergo potentia visiua facit illud ens rationis.

27 Quod sic demonstratur in homine philosophiam ignorante, & videnre colorem illum ceruleum, talis homo per illum cognoscit colorem illum: sed tunc facit ens rationis: ergo etiam potentia visiua facit ens rationis. Minor est certa; & ratio est quia intellectus cognoscit rem aliter ac est in se, dando illi esse, quod non habet à parte rei, & habet esse tantum ab intellectu: ergo est ens rationis.

28 Dices, potentiam visiuam non posse facere ens rationis quia non concipit quod non est tanquam ens.

29 Sed contra; quia vel ideo non facit, quia non concipit tanquam ens, vt ens in communi, & vt sic, vel quia non concipit vt tale ens: sed primum non abest ad productionem entis rationis, & secundum est falsum: ergo nihil datur impedimenti ad hoc, vt potentia visiua faciat ens rationis.

30 Secunda pars minoris sic probatur; quia per omnes aduersarios imaginatio facit ens rationis, dum fingit montem aureum, vel fingit monstrum ex variis formis, & figuris, & nihilominus non potest concipere ens vt ens in communi, & vt sic nec etsentiam vt esentiam in communi secundum prædicata quidditatiua illius, cum hoc solum sit obiectum intellectus ratione abstractionis à singularitate; nulla enim potentia cognoscitiua corporea ratione propriæ materialitis potest tendere in obiectum vniuersale, neque cognoscere, aut percipere illud sub ratione præcisionis à differentiis singularibus, & indiuiduantibus; hoc enim pertinet ad potentiam vniuersalissimam, & perfectissimam, qualis est intellectus, ratione cuius dixit Aristoteles, obiecta intellectus, & scientiarum esse vniuersalia, æterna, & necessaria, qualia sunt prædicata essentialia quæ non attinguntur à potentiis corporeis, quæ solum percipiunt accidentia, non autem essentias rerum vt latissimè *libris de anima* probatur à nobis: ergo imaginatio non cognoscit ens vt ens in communi, & vt sic sub vniuersalissima ratione entis, & nihilominus facit ens rationis, vt dixi, eo quod cognoscit rem aliter, ac est à parte rei: sed potentia visiua, licèt non cognoscat quod non est, ac si esset in communi, cognoscit tamen rem aliter ac est: ergo facit ens rationis, imo si imaginatio cognoscit ens vt ens etiam visus: sed hoc non obstante pro certissimo habendum est, non cognoscere, quod non est, ac si esset ens vt sic, non obesse ad faciendum ens rationis.

31 Secunda pars sic probatur; quia potentia visiua cognoscit colorem, qui à parte rei non est color: item videt in aqua remum fractum, cum non sit nisi integer: in iride, & collo columbæ colores apparentes, per vitrum artificiosum, & triangulare videt vnam rem simul in pluribus locis, quæ cum non sint entia realia, dicendum est, esse entia ficta, & rationis. Item infirmum vt amarum dulce, vt dulce amarum sentit in gustu; de quibus sic insto. Talis color in cælo v. g. videtur à potentia visiua, qui non est verè color: sed color vt color indiuiduus est tale ens, vt de se patet: ergo quando potentia visiua videt colorem indiuiduum, qui à parte rei non est color, videt tale ens, quod à parte rei non est tale, quia potentia visiua dum cognoscit colorem, qui non est, cognoscit aliquid, quod antea non erat aliquid: ergo cognoscit aliquod ens, saltem apparens, quia ens, & aliquid synonyma sunt.

Confirmatur, cum intellectus concipit senectutem in Patre æterno, relationem in vniuersali, qualitatem in aëre loco tenebrarum, non concipit ens, vt ens in communi: sed potius concipit tale ens apparens, & fictum; v. g. relationem, qualitatem, senectutem &c. quia vero talia entia non sunt à parte rei vera, & realia, & concipiuntur, ac si verè essent ab intellectu in omnium sententia potentia intellectiua facit ens rationis: ergo impertinens est ad effectionem entis rationis, quod cognoscatur, vel non cognoscatur aliquid, ac si esset ens in communi, cum modus ordinarius, & communis faciendi entia rationis propria, vt videre est in intellectu, sit cognoscendo vnum particulare ens quod non est à parte rei, ac si esset; in qua fallatia tota effectio entis rationis consistit: sed oculus, licet non cognoscat ens vt sic, & in communi, fallitur tamen cognoscendo aliquod ens scilicet colorem, qui non est à parte rei, ac si esset, & cognoscendo lucem, ac si esset color: ergo etiam si non cognoscat ens vt sic, faciet in toto rigore, & sine dubio quoddam ens, non verum, nec reale: sed fictum & apparens simile illi, quod facit intellectus, dum fallitur, cognoscendo rem aliter, ac est (vocetur, vel non vocetur ens rationis) quod est intentum conclusionis, & de quo quæritur in titulo quæstionis; Nos enim nec fatigamur, nec curamus de vocabulis, dum tamen in certamine rei victoriam reportemus. 32

## SVBSECTIO I.

### *Aliæ solutiones oppugnantur.*

DIces, potentiam visiuam cognoscentem colorem illum non facere ens rationis, quia facit illum colorem propter imperfectionem propriam, & propter distantiam, quæ datur inter potentiam visiuam, & obiectum; hæc est solutio valdè communis inter neotericos. 33

Sed contra primo, quia tantum abest, vt soluat argumentum quin potius confirmet illud, siquidem tribuit rationem, cur potentia visiua faciat colorem apparentem, vnde & concedit conclusionem nostram, & reddit rationem illius, licèt vocabulis neget conclusionem; nam reddendo rationem cognitionis percipientis colorem qui non est, ac si esset, confirmat nostrum intentum, supponendo potentiam visiuam illud 34

ens fictum facere ; v. g. quæritur, an intellectus contingat distinctionem fictam & apparentem inter attributa diuina, & hoc probatur efficacissima ratione, si autem aliquis responderet, dicendo, illam distinctionem non esse ens rationis fictum, & apparens, & intellectum cognoscentem talem distinctionem non facere ens rationis, quia facit distinctionem propter suam imperfectionem, aut propter intentionalem distantiam, quæ datur inter hominem viatorem, & obiectum spirituale, eo quod non habeat lumen gloriæ ad cognoscenda attributa diuina, medio quo intellectus approximatur obiecto, certè barbarè procederet, & sibi contradiceret ; nam dicendo facere illam distinctionem propter imperfectionem, & distantiam intellectus, concedit facere illam, & tribuit rationem talis effectionis, dum autem negat facere ens rationis, negat idipsum quod concesserat ; nam ipse concesserat facere distinctionem fictam non veram, & realem, sed apparentem ; atqui huiusmodi ens est ens rationis : ergo facit ens rationis propter distantiam ; & imperfectionem : ergo quando iterum asseris, licet faciat illud ens rationis non facere ens rationis, quia facit illud propter imperfectionem aut distantiam, concedis simul & negas facere ens rationis, imo negas id, quod concesseras, & cuius causam affirmationis tribueras.

Exemplo clarissimo declaratur ; si aliquis diceret, ignem vrentem signum sibi approximamatum, non vrere illud, quia vrit ratione approximationis, item si diceret, Petrum interficientem Paulum non occidere illum, quia interfecit gladio, irrideretur iure optimo ab hominibus ; sicut irrideretur, qui diceret Deum creantem Angelum non producere illum eo quod creet Angelum per omnipotentiam, iure optimo irrideretur, quia concedendo effectum, negaret ipsum propter causam, per quam producitur talis effectus. Tunc sic, tu asseris, potentiam visiuam cognoscendo colorem cæruleum in montibus falli in tali cognitione, cognoscereque rem aliter ac est in se, ac proinde necessario debes concedere facere potentiam visiuam quoddam ens fictum & apparens ; quod quidem facit tum propter imperfectionem propriam, tum propter distantiam localem ; nam statim ac approximatur potentia montibus, non fit talis color, neque percipitur : ergo quando tu iterum aseris non facere ens rationis, & negas nostram conclusionem, & tribuis rationem quia facit propter distantiam & imperfectionem, vel negas facere ens fictum, & apparens, & sic negas idipsum, quod concesseras propter eandem causam ob quam negaueras illud, & ita te habes, ac si diceres, potentia visiua facit ens fictum, & apparens propter distantiam, & imperfectionem ; & quia propter distantiam, & imperfectionem facit, non facit illud, quæ est euidens contradictio. Si autem non neges facere ens apparens : sed solum neges debere vocari ens rationis, solutio non est ad rem, quia hic non curamus de nomine, dum tamen rem ipsam & intentum argumenti concedas præcipuè, quia adhuc in hoc ipso falleris, & tibi ipsi te opponis ; nam tota ratio, propter quam asseris, non debere vocari ens rationis, est quia fit propter distantiam, & imperfectionem : sed ens fictum ab imaginatione, & ens fictum ab intellectu per te, etiam si fiat propter imperfectionem, & distantiam à te vocatur ens rationis : ergo inconsequentiæ vitio laboras, dum negas ens fictum, & apparens fabricatum à visu non debere vocari ens rationis, ex eo quod fiat propter distantiam & imperfectionem, cum eadem ratio distantiæ, & imperfectionis militet in visu, ac in imaginatione, & in intellectu.

Ista enim ratio, quare ens apparens fictum ab intellectu est ens rationis, licet fiat ratione distantiæ, & imperfectionis est, quia tale ens non est verum à parte rei existens, & concipitur ab intellectu ac si existeret à parte rei ; Nam si intellectus approximatus esset intentionaliter Deo per visionem beatificam, & lumen gloriæ non fingeret senectutem in Patre æterno, distinctionem inter attributa, compositionem rationis inter constitutiua diuina ; sicut etiam non fingeret ea entia, si non haberet innatam imperfectionem cognitionis abstractiuæ per alienas species, vt videre est in Beatis, qui huiusmodi entia non fingunt, qui carenti distantia illa, & imperfectionibus supradictis, & euidentius videtur hoc in Deo, qui nullo modo potest fingere ens rationis, quia nullam imperfectionem & distantiam habet in cognoscendo : ergo etiamsi visus propter distantiam, & imperfectionem, faciat illum colorem fictum, & apparentem, non poterit negari quod faciat ens rationis, nam si hic negetur, necessario negandum est propter eandem causam id ipsum de intellectu, quod nullo modo negant aduersarij.

Secundò clarius, & euidentius hoc demon- 35
stratur ; nam homines illi Philosophiam ignorantes, qui sibi persuadent, & intellectualiter affirmant, solem, & lunam non excedere in magnitudine notam currus, & qui existentes Limæ multa fingunt Romæ, componunt, & fabricantur propria entia rationis, cuius tota & adæquata causa est, quia cognoscunt rem aliter, ac est in se, & nihilominus talia entia rationis fingunt propter distantiam localem, quæ datur inter ipsos, & solem, lunam, ac Romam ; nam si localiter approximarentur lunæ, soli, & Romæ, talia entia non fingerent, sed aliter de magnitudine illorum Astrorum, & rebus quæ Romæ contingunt, loquerentur ; sed potentia visiua quando videt colorem cæruleum in montibus & in cœlo, remum fractum in aqua, varios colores in collo columbæ, ac per vitrium triangulare fallitur sine dubio, & cognoscit rem aliter, ac est in se à parte rei : ergo etiamsi propter distantiam localem id contingat, & hoc fiat propter imperfectionem illius, fabricabitur entia ficta, & apparentia, quæ ne multiplicemus vocabula, dicendo ens visus, auditus, imaginationis, &c. appellamus iure optimo entia rationis propter analogatum principale, quod est ens fictum ab intellectu, cui maximè assimilantur hæc entia fictitia : igitur nostra conclusio suo vigore perseuerat, imo amplius confirmata manet post tuam solutionem, quæ adstruit quod dicimus, & tribuit rationem illius ; solutio autem hæc quoad aliquam partem illius haberet vim si aliquis assereret, talem colorem non fingi propter distantiam, & imperfectionem potentiæ ; nobis autem fauet quia asserimus, talem colorem cæruleum fieri ratione distantiæ & imperfectionis potentiæ, & quia ens fictum est esse ens rationis. Nihilominus tamen non potest negari, esse illam extra rem ad quæ-

stionem

stionem; quia hìc non quæritur de causa, propter quam fiat, sed potius de effectu ipso, qui fit à potentia visiua concipiente rem aliter, ac est in se, quem effectum, vt diximus, propter rationes positas vocamus ens rationis.

## SVBSECTIO II.

*Secundum argumentum principale ponitur, & solutiones aduersariorum diluuntur.*

36 ILludens, quod producitur, vel quasi producitur à visu, dum cognoscit rem aliter ac est, & illud quod producitur ab imaginatione, quando imaginatio cognoscit montem aureum, conueniunt vnivoce in ratione entis apparentis: sed quod producit imaginatio, est ens rationis, quia est fictum: ergo similiter productum à visu. Item entia illa producta à visu, & imaginatione conueniunt vnivoce in ratione entis apparentis, ficti intrinsece cum producto ab intellectu; sed illud ens, quod producitur ab intellectu propter illam entitatem quam habet, non veram, sed fictam, non realem, sed apparentem, distinctam ab ente reali, est ens rationis: ergo etiam illud ens productum ab imaginatione, & à visu propter illam entitatem, quam habet, non veram sed fictam, non realem sed apparentem distinctam ab ente reali coloris erit ens rationis.

37 Maior sic probatur; quia quemadmodum ens illud quod producitur ab intellectu est ens intrinsecum apparens, & non habet esse à parte rei, etiam quod producitur à sensibus est ens intrinsecum apparens, & fictitium, & non habet esse à parte rei; & sicut illud non habet aliud esse, præter obiectivum in potentia cognoscente, ita similiter hoc non habet aliud esse, præter obiectivum in visu, qui est potentia cognoscens: ergo conueniunt vnivoce in ratione entis apparentis: ergo sunt entia rationis.

38 Nec potest dici, quod non conueniunt vnivoce, cum vnum producatur essentialiter ab intellectu, aliud vero non.

39 Contra. Adam immediatè & solum à Deo fuit productus, & ego à Patre meo: sed Deus, & pater meus distant magis, quam visus, & intellectus, & nihilominus conueniunt vnivoce in ratione entis realis: ergo. Deinde, quia intellectio producitur essentialiter ab intellectu, & visio non producitur nisi à visu, & nihilominus conueniunt vnivoce in esse entis realis; licet vna sit ab intellectu essentialiter, altera à visu essentialiter, quia vtraque habet verum esse à parte rei: ergo similiter conueniunt illa vnivoce, licet vnum sit ab intellectu, aliud vero non, cum conueniant in esse intrinseco apparenti fictitio solum obiectivo essentialiter hæc enim sunt constitutiua entis rationis.

40 Confirmatur; quia illud ens, quod producitur à ratione non ideo est ens rationis, quia dependet essentialiter à ratione, alias intellectio esset ens rationis, cum dependeat essentialiter ab illa: ergo in tantum dicitur ens rationis, in quantum dependet à cognitione percipiente rem aliter ac est, & fingente quoddam ens, quod non est à parte rei, sed potius est fictitium, apparens, & obiectivum solum in potentia cognoscente, & ratio est manifesta, quia non est in ente ficto ab intellectu formaliter alia ratio, à qua sumatur illa denominatio, præter esse fictum, & apparens: sed ens productum à sensibus dependet essentialiter à cognitione fingente rem aliter ac est in se, & cognoscente id quod non est, ac si esset, & ex alio capite habet esse apparens, fictitium, obiectivum solum in cognitione: ergo merito potest vocari ens rationis color ille, vt distinguatur à colore vero & reali, quia per talem denominationem non intendimus asserere potentiam visiuam facere illud ipsum ens apparens, quod intellectus, seu ratio fingit prout sic, quia hoc est implicatorium, alias sensus esset intellectus, & cognitio sensitiua, per quam fingitur color esset intellectio, seu ratio, quod nullus etiam amens poterit asserere, solum enim intendimus significare per tale nomen colorem illum non esse verum & realem: sed obiectivum, apparentem, & fictitium, & similem in suo esse enti ficto, & apparenti fabricato à ratione, seu ab intellectu, in quo nullum inconueniens datur, sicut nullum reperitur in hoc, quod ens fictum & apparens fabricatum ab imaginatione appelletur ab aduersariis ens rationis; licet imaginatiua non sit intellectus, & imaginatio, per quam fingitur, non sit ratio, eo quod per talem denominationem intendunt significare quoddam ens ita diminutum, & imperfectum, vt non existat à parte rei: sed solum appareat, dum cognoscitur à potentia, quæ fallitur in tali cognitione: ergo similiter in nostro casu.

Dices cum Smiglesio, ideo intellectum facere 41
ens rationis, non vero sensum, quia intellectus cognoscit aliquod impossibile, sensus vero non cognoscit.

Sed contra; quia potentia visiua cognoscit 42
lucem, vt colorem: sed impossibile est quod lux sit color: ergo potentia visiua cognoscit aliquod impossibile: ergo facit ens rationis. Minor sic probatur. Quia lux distinguitur essentialiter à colore: sed impossibile est, vt id, quod distinguitur ab aliquo essentialiter sit idem cum illo, à quo distinguitur, sicut impossibile est, quod homo sit equus: ergo impossibile est quod lux sit color. Maior prima & præcipua sic probatur, quia dum potentia visiua videt lucem refractam in collo columbæ, videt illam vt colores varios, & dum à longe videt montem opaca luce imbutum, cognoscit illum, ac cœruleum: ergo potentia visiua cognoscit lucem ac si esset color.

Vrgetur, quia dum visus videt illum colo- 43
rem viridem v.g. in aquis maris, & per vitrium triangulare varietatem colorum, fallitur visus in cognoscenda luce: ergo cognoscit lucem falsè, hoc est aliter ac est, nimirum cognoscendo lucem vt colores, cum non sit verè color, sed potius lux distincta à colore. Antecedens euidens est, omnibusque Philosophis conceditur; consequentia sic probatur; quia nihil aliud est falli cognitionem circa aliquod obiectum, quam non conformari cum illo, vel cognoscere illud alio modo, ac est; sed potentia visiua dum cognoscit lucem cognoscit illam alio modo ac est, percipiendo illam per modum coloris: ergo fallitur in tali cognitione, ac proinde cognoscit aliquod impossibile in actu exercito.

Vrgetur; intellectus quando concipit relationem superioritatis in natura respectu indiuiduo-

rum, & quando concipit Angelum ad modum iuuenis alati, concipit aliquod impossibile sufficiens ad productionem entis rationis, quia concipit spiritum ad modum corporis, & quod non potest esse superius à parte rei ad modum superioris, quod obiectum impossibile dicitur, quia impossibile est, vt existat à parte rei spiritus vt corpus, & natura identificata cum individuis, vt superior respectu illorum: sed potentia visiua cognoscit lucem vt colorem, & cælum incapax omnis coloris ac si haberet colorem: ergo cognoscit aliquod impossibile sufficiens ad productionem entis rationis apparentis, & fictitij, quia omnino impossibile est vt lux à parte rei sit color, & vt cælum imbuatur colore ceruleo.

44 Deinde interrogo ab aduersariis, quare ille color fictus à visu non sit impossibilis, sed possibilis. Respondent, quia Deus potest facere colorem cœruleum similem illi; sed contra: ergo similiter est possibilis senectus in Patre æterno ficta, & iuuentus allata in Angelo, & qualitas nigra, quæ concipitur in aëre, quando concipimus tenebras, quia Deus potest facere in hominibus senectutem illi similem, sicut potest facere qualitatem nigram similem illi, & iuuentutem allatam similem iuuentuti fictæ in Angelo, ac proinde talia entia non erunt entia rationis; atqui hoc est falsum, quia talis senectus in Patre æterno, iuuentus in Angelo, & qualitas nigra in aëre sunt entia rationis, & habent impossibilitatem necessariam ad hoc; nam licet Deus faciat alias similes his, non tamen ideo hæ sunt possibiles: sed impossibiles, quia res non dicuntur possibiles, nisi à propria indiuidua possibilitate, & non ab aliena alterius à se distinctæ. Vrgetur, nam ille color, licet sit possibilis à parte rei cum existentia reali, nihilominus non est possibilis à parte rei à Deo cum existentia ficta, & apparenti, quia implicat simul à parte rei existere, & existere per fictam, & apparentem existentiam: sed iste color, qui producitur à visu cognoscibiliter producitur, & est cum existentia apparenti, & fictitia, ac proinde sine existentia vera, & reali: ergo hic color, qui producitur à visu, & obiectivè existit in potentia visiua non potest produci à Deo, sicut non potest produci ab ipso propter eandem rationem id, quod fingitur ab intellecta.

Vnde si aliquis diceret, ens fictum ab intellectu non esse impossibile: sed possibile hoc discursu euidenti conuinceretur. Quia vel illud ens esset possibile, quia quatenus cognoscitur ab intellectu cum illa existenti, & fictitia potest fieri à Deo, vel quia aliud ens simile illi potest fieri ab ipso: sed neque primum neque secundum obstat: ergo falsa est solutio; non primum, quia licet illud ens esset possibile, & posset existere à parte rei, tamen non potest existere à parte rei cum existentia illa imaginaria, & per consequens sic non est possibile: ergo non obstat primum, neque secundum; quia per vos etiam Deus potest facere alias relationes similes relationibus rationis, & ideo sunt cum fundamento in re, & nihilominus illæ relationes sunt fictitiæ, & ens rationis: ergo similiter licet possit facere Deus aliud ens absolutum simile illi, quod fingit intellectus, non ideo desinet esse ens fictum, & rationis, nam sicut licet existat aliud simile huic, non existit hoc à parte rei, quod fingitur à ratione, ita similiter licet aliud simile huic sit possibile, nihilominus tamen hoc absolutum, quod fingitur à ratione, non est possibile, quia ipsum vt sic non potest existere à parte rei, licet aliud simile illi possit existere; si autem dicas propter eandem rationem relationem illã non esse ens rationis: ergo nullum est ens rationis fictum ab intellectu cum fundamento in re, quia Deus potest facere entia similia à parte rei his, quæ finguntur cum fundamento in re ab intellectu, quod est summum absurdum, ex cuius concessione manifestè colligitur euidentem esse demonstrationem nuper dictam, quæ talia absurda fateri cogit aduersarios, qui veritatem nostram negant.

Dices euidentem esse hanc ratiocinationem in intellectu, ac proinde omne ens fictum ab illo esse ens rationis: ex hoc tamen non posse colligi, potentiam visiuam facere ens rationis; quia color, qui fingitur à potentia visiua non est impossibilis. 45

Sed contra manifestè, quia solum mutata materia de ente ficto ab intellectu in ens fictum a potentia visiua, potest applicari eadem demonstratio seu argumentatio formaliter, quare si in ente ficto ab intellectu est euidens, sine dubio erit euidens in colore ficto à potentia visiua; quod autem eadem demonstratio possit applicari; patet manifestè ex hac applicatione. 46

Quia vel ille color possibilis esset, quia quatenus cognoscitur à potentia visiua cum illa existentia apparenti, & fictitia, potest fieri à Deo, vel quia alius color similis illi potest fieri ab ipso: sed neque primum; neque secundum obstat: ergo falsa est solutio, non primum, quia licet color esset possibilis, & posset existere à parte rei, tamen non potest existere à parte rei cum existentia illa imaginaria & ficta per visum, ac per consequens hic vt fingitur à visu non est possibilis: ergo non obstat primum. 47

Neque obstat secundum; quia etiam per vos, licet Deus possit facere alia entia similia fictis ab intellectu, nihilominus illa sunt vera entia rationis; quia sunt solum obiectiua in intellectu, & non habent verum esse à parte rei: ergo similiter licet possit facere Deus alios colores similes illis, quos potentia visiua fingit in cœlo, & in montibus, nihilominus tamen illi erunt vera entia rationis, & colores impossibiles, quia licet alij similes illis possint existere à parte rei, nihilominus tamen isti, vt finguntur à visu & prout habent existentiam fictitiam, & solum obiectiuam nullo modo possunt existere à parte rei. 48

Vltimo confirmatur, impossibile est omnino, quod aliquod subiectum habens negationem formæ sine destructione talis negationis, retinendo illam, & remanendo formaliter sub illa simul afficiatur forma, cuius carentiam, & negationem habet; v. g. impossibile est, vt lapis, qui habet negationem, & carentiam visus prout sic, simul habeat potentiam visiuam; sed potentia visiua videt cælum colore affectum quando ipsum cælum in se habet negationem coloris, quia repugnat habere illum, quia negatio, seu carentia coloris est inseparabilis à cælo: ergo visus videns talem colorem in cælo videt aliquid impossibile in ipso; v. g. ideo intellectus cognoscit aliquid impossibile, quando cognoscit Angelum ad modum corporis, quia cognoscit corporeitatem in illo, qui omnino incapax est illius, & 49

& ex se habet negationem talis rationis: ergo similiter cognoscet visus aliquid impossibile, quia cognoscit colorem in cælo, vbi datur negatio illius.

50 Dicit aduersarius, licet impossibile sit, quod cælum sit ceruleum, nihilominus non cognoscitur à visu vt impossibile formaliter, & sic tantum est materialiter impossibile, & ideo non facit ens rationis.

51 Contra; quia Scotista dum cognoscit distinctionem à parte rei inter attributa diuina, facit ens rationis, quia cognoscit quod non est, ac si esset: sed nihilominus non cognoscit illam distinctionem vt impossibilem, imo maximè possibilem, imo actu necessario existentem cognoscit, & iudicat ita esse, sicut cognoscit: ergo ens rationis producitur, licet non cognoscatur esse impossibile.

52 Clarius; Patres antiqui, vt Bernardus, Chrysostomus, &c. qui Angelos corporeos esse iudicabant, faciebant absque dubio entia rationis, cum conciperent esse quod non est, ac si esset, & quod est impossibile in Angelo (vt definitum est *cap. firmiter de summa Trin. & fide cathol*) ac si esset possibile illi, imo tantum aberat, vt conciperent esse impossibile id quod concipiebant, quin potius iudicarent non esse impossibile: sed maximè possibile, & actu necessario, & non posse aliter esse: ergo ad faciendum ens rationis nihil obest, vt sit impossibile formaliter &c. & ratio est, vt diximus, quia illud ens sit, vel non sit impossibile formaliter est, & non purum nihil, cum purum nihil nullam habeat causam sui esse, nec connexionem cum ente reali, quam habet necessario color cæli, nec est ens reale: ergo ens rationis, quia non datur medium inter ens rationis, reale, & purum nihil.

53 Nec obstat dicere, quod illud non est obiectiuum solum in intellectu.

54 Contra; quia hæc est petitio principij; idem est, quod quæritur, & ventilatur, an solum sit productum ab intellectu ens rationis.

55 Vltimo principaliter sic probatur; quia vel solum fit vis in nomine entis rationis vel non, nisi in re? in re non, quia color ille est apparens &c. si in nomine vt solum ens apparens, & fictum per rationem sit nominandum ens rationis, sint, vel non sint alia entia ficta, & apparentia &c. contra, quia iam sunt admittenda, & multiplicanda alia genera entium, quæ nec sint rationis, nec realia, nec purum nihil, nec priuationes, & negationes, quod sic probatur; quia si ens illud apparens intrinsecum quasi productum ratione habet propriam quandam rationem entis condistinctam à reali, & ab entitate producta à sensibus, & solum hoc, & ratione illius vocatur ens rationis, etiam illud ens apparens, quod producitur à visu, habet quandam rationem entis condistinctam ab ente reali, & etiam ab ente illo producto à ratione: sed hoc non vocatur ab aduersariis ens rationis: ergo vocabitur ens imaginationis, ens visionis, ens gustus, ens olfactus, ens tactus, & sic erit incidere in incommodum, quod maximum vocant aduersarij, & in quod detrudentes illos, qui dicunt denominationem visi, auditi, & cætera entia extrinseca esse ens rationis, nullam aliam victoriam gloriosiorem se reportare velle prædicant, plaudentes manibus præcipuè Hurtado, quam extorquere ab aduersariis hanc multitudinem entium, cuius argumenti non meminerunt, dum nobiscum in arenam literariam descendunt.

Dices, solum denominationem extrinsecam 56
ab actibus intellectus humani, & obiectum fictum per illam esse ens rationis.

Sed contra hanc solutionem retorqueo argu- 57
mentum, quo vtitur P. Hurt. *in met. disp.* 19. *sect.* 1. argumentum enim huius Auctoris sic se habet; quia sicut hæc denominatio intellecti nihil ponit intrinsecum in obiecto, ita nec denominationes ab aliis potentiis &c. ergo omnes erunt, aut entia rationis, aut entia realia; si non entia rationis, multiplicabo entia pro multiplicitate potentiarum vt ens voluntatis, ens visus, ens auditus; si vero illæ denominationes non sunt reale ens, quid sunt, cum nec sint ens reale, nec rationis. Erunt ergo ens visus & auditus, & imaginationis, quod adhuc neque visum, neque auditum, neque imaginatum est; sic Hurtado; quo argumento conuincere se aduersarios asserit, qui dicebant denominationes extrinsecas ab intellectu esse ens rationis, & reliqua non esse ens rationis; ex quo colligit sequi magnum inconueniens, scilicet, multiplicari entia v. g. visus, auditus, imaginationis &c. ego autem contra Patrem Hurt. retorqueo ipsius argumentum. Nam quia intellectus cognoscit quod non est, ac si esset, facit quoddam ens apparens, quod non est reale, sed fictum, & vocatur rationis, ac secunda intentio: sed imaginatio, visus, & cæteræ potentiæ materiales cognoscentes cognoscunt rem aliter, ac est in se, imaginatio enim cognoscit montem aureum, ac si esset, qui non est à parte rei, & cognoscit colorem ceruleum, qui realiter non existit: ergo faciunt quædam entia apparentia, & fictitia à paritate rationis, sicut intellectus, quia non datur maior ratio in vno, quam in altero. Tunc sic de illis entibus apparentibus interrogo, an sint entia realia, vel rationis realia non sunt, quia non existunt à parte rei; si autem per te non sunt entia rationis: ergo sunt multiplicanda entia, ac proinde erunt ens visus, ens auditus, ens imaginationis, quod vt asseris nec est visum, nec auditum, nec imaginatum, quare tibi dicendum est aut omnia esse entia rationis, ne sequatur hoc quod tibi videtur magnum inconueniens, de multiplicatione entium, aut asserendum est nullius esse momenti hoc inconueniens contra aduersarios, quia eodem modo te premit, ac illos.

Vltima conclusio: potentia visiua, & cæteri 58
sensus non faciunt relationem rationis, & ratio est manifesta; quia potentia non fingit ens, nisi ad similitudinem illius, quod est obiectum talis potiæ; vnde visus non potest fingere corpus ad similitudinem spiritus, quia spiritus non est obiectum visus; fingit autem colorem, quia color est obiectum adæquatum visus: sed relationes reales non sunt obiectum sensuum: sed potius sunt extra obiectum adæquatum illorum: ergo sensus non possunt fingere relationes rationis.

SECTIO

## SECTIO VLTIMA.

*Argumenta dissoluuntur.*

59 AD primum primæ sententiæ concedo maiorem, & nego minorem: ad probationem minoris nego maiorem; voluntas enim non ordinat, sed potius tendit in id quod supponit ordinatum ab intellectu.

60 Ad secundum concedo maiorem & nego minorem propter eandem rationem; voluntas enim non facit impossibile componendo: sed id, quod supponitur compositum ab intellectu, vel identificatum, amat v. g. voluntas Luciferi amauit se esse Deum, non factum à se, nec fictum: sed fictum ab intellectu, intellectus enim fingebat se esse Deum, & id amauit voluntas.

61 Ad tertium concedo, voluntatem habere efficaciam intra sphæram proprij actus; nego tamen habere illam extra sphæram propriam; vnde licet voluntas sit efficax efficacia sibi proportionata, in hoc nimirum quod amet, vel non amet, nihilominus tamen non est efficax, vt amet incognitum aut fingat aliquid, nam fingere dicit repræsentare de nouo, ac si esset, quod non est; cum autem voluntas non sit repræsentatiua: sed solum prosequutiua illius quod ab altera repræsentatur; inde euenit quod licet habeat efficaciam volendi, vel nolendi circa suum obiectum, non habeat illam in fingendo ens rationis.

Ad primum secundæ sententiæ nego maiorem;
62 nam in sententia aduersariorum imaginatio facit ens rationis, & nihilominus non est reflexiua, cum ad reflexionem petant ipsi spiritualitatem in potentia, quam nullo modo habet imaginatio: ergo nullius momenti est reflexio in potentia ad producendum ens rationis necessario.

Dicunt aduersarij, aliud reperiri in intellectu ad producendum ens rationis, nimirum
63 quod id, quod fingitur ab intellectu extra intellectum non habet esse; color autem extra visum habet esse; quia est in intellectu obiectiuè: sed hoc est friuolum, nam in ente rationis solum requiritur, vt habeat tantum esse obiectiuum, & nullo modo reale, vt ens rationis fictum ab intellectu creato cognoscitur ab intellectu diuino, vt ipsi aduersarij asserunt, ac proinde habet esse obiectiuum in illo intellectu; quare non repugnat enti rationis esse in multis potentiis obiectiuè, sub diuersis rationibus, dummodo extra potentias illas non sit realiter, nam certum est ens rationis posse voluntati proponi ab intellectu per modum boni; tunc autem existet obiectiuè in voluntate, neque tamen idcirco desinit esse ens rationis. Deinde existendo in pluribus potentiis nullam maiorem realitatem acquiret, sed æquè habebit purum esse obiectiuum, & nullo modo reale: ac si in vna tantum potentia existeret; quare non repugnat enti rationis extra intellectum esse in aliis potentiis: sed tantum repugnat esse extra potentias in rebus, si enim sit in aliis potentiis tale prorsus, & tantum esse habebit in illis: quale in intellectu, nempe esse tantum obiectiuum.

64 Ad minorem primi argumenti respondetur, negando illam; nam voluntas etiam est reflexiua, cum possit amare suum amorem, & rem prout à se amatam: ex quibus omnibus colligitur, nihil interesse ad productionem entis rationis, quod potentia sit, vel non sit reflexiua, cum voluntas sit reflexiua, & non faciat ens rationis, & imaginatio licet non sit reflexiua, faciat illud.

Item demus, quod reflexio esset necessaria; 65
visus habet hanc reflexionem, quæ postulatur ab aduersariis; quæ impropriè reflexio est, & consistit in hoc, quod sit cognitio, quæ aliquomodo supponit aliam cognitionem entis positiui, ad cuius proportionem, seu imitationem efformatur ens rationis: sed visus habet cognitionem coloris positiui, & realis, ad cuius similitudinem concipit quod non est color, ac si esset talis: ergo habet sufficientem reflexionem ad ens rationis.

Ad probationem maioris nego, quod omnia 66
entia rationis sint denominationes, quæ tribuuntur rebus iam ante cognitis, hoc fortasse habent relationes rationis.

Ad secundum respondetur per modum entis vt 67
sic, nego; per modum talis entis, vt coloris, relationis, qualitatis &c. vt iam diximus; cum autem potentia visiua repræsentet quod non est color, ac si esset color, inde est &c.

Ad tertium nego maiorem seu antecedens. Ad 68
probationem antecedentis distinguo, coniungere, nego; componere, id est affirmare, & attribuere, concedo; cum autem imaginatio, licet non componat, id est affirmet, componit, id est coniungit, vel cognoscit vt coniuncta, indè est quod faciat ens rationis; visus enim non concipit colorem abstractum: sed potius vnitum montibus, seu cælo.

Alij dicunt, quod ad formandum ens ratio- 69
nis, est necesse quod potentia concipiat quod minimè est ens sub ratione entis formaliter vt ens est, negamus enim hoc; nam dum intellectus fingit relationem in absolutis non cognoscit quod minimè est ens, nec supponit rationem entis, vt ens vt sic: sed concipit quod vt tale ens supponitur, scilicet absolutum, vt aliud ens particulare, scilicet, vt relatiuum; quod habent omnes potentiæ cognoscentes, nam visus cognoscit lucem, & colorem.

## QVÆSTIO VII.

*Per quam intellectus operationem fiat ens rationis.*

## SECTIO I.

*Sententiæ aduersariæ ponuntur.*

PRIMA sententia asserit, relationem ra- 1
tionis fieri per propriam reflexionem; cætera autem necessario fieri per operationem intellectus, saltem lato modo reflexam, & comparatiuam; hæc autem vocatur reflexa, & comparatiua, quia semper cognitio, quæ fit ens rationis, præsupponit aliam, vt diximus *quæst. præcedenti*; sic P. Suar. *tract. de ente rationis*, & alij multi.

Prima pars sententiæ sic probatur. Ille est actus 2
propriè

propriè reflexus, qui habet pro obiecto alium actum eiusdem potentiæ vt intellectus &c. sed cognitio, qua fit ens rationis, necessario habet pro obiecto aliam cognitionem: ergo. Probatur minor, quia denominatio cogniti est relatio rationis: sed illa cognitio ex vi cuius fit illa relatio rationis necessario habet pro obiecto ipsam cognitionem, cum terminetur ad illud esse cognitum: ergo.

3 Secunda pars sic probatur: notitia impropriè reflexa est illa, quæ supponit aliam quomodocunque: sed omnis efformatio entis rationis supponit necessario alteram cognitionem: ergo. Probatur minor, quia vel ens rationis efformatur per simplicem apprehensionem, vel per iudicium, vel per discursum; si per simplicem apprehensionem, necessario supponit duas simplices apprehensiones, quæ terminantur ad extrema, quorum vnum concipitur vt relatum in ordine ad aliud per superuenientem cognitionem reflexam, & sic de cæteris.

4 Secundo, quia quando concipio qualitatem rationis in priuatione, vel negatione; hæc cognitio supponit cognitionem qualitatis realis, ad cuius similitudinem concipio qualitatem existentem in obiecto: ergo.

5 Secunda sententia est Patris Hurt. *in met. disp. 9. sect. 1. n. 15. & 17.* & probatur his verbis, per apprehensionem iudicatiuam non debere dici fieri ens rationis absolutè, quia licet absolutè sit obiectiuè in intellectu tantum, quia obiectiuè cognoscitur, & non est alibi, tamen ly *est*, videtur significare affirmationem, & negationem, nam sicut esse à parte rei significat habere determinatam existentiam, sublata indifferentia ad illam; apprehensio autem nullam partem determinet: ergo ita non dicimur scire aut errare, nisi quod affirmamus, aut negamus; quando vero iudicamus, tunc dicimus rem in mente habere apud nostrates. *Para mi es esto assi*, ad hæc moreor quia rationis ens nescio quo pacto ens reale imitatur.

6 Paulo ante superius sic ait, in apprehensione iudicatiua minimè contingit, dari ens rationis, postea autem *sectione 3. num. 32.* sic ait. Tandem Pater Vazq. *tom. 1. in 1. p. disp. 76. n. 6.* ait, omnia entia rationis fieri posse per apprehensionem, excepta relatione, verum etiam simplex apprehensio potest facere relationem rationis, quia apprehensio præcedit iudicium de eodem obiecto.

## SECTIO II.

*Nostra sententia ponitur, & probatur.*

7 PRima conclusio: cognitio, per quam fiunt alia entia rationis præter relationem non est necessario, nec propriè, nec impropriè reflexa, & probatur.

8 Primo, illa tantum cognitio necessaria est ad efformationem entis rationis, qua cognoscitur, vt ens quod non est ens: sed hæc cognitio non est propriè, nec impropriè necessario reflexa: ergo. Maior euidens est, & supra satis explicata *quæst. 1.* Minor sic probatur. Hæc cognitio est communis intellectui cum sensibus, vt cum vi sic, imaginatione &c. ergo necessario non est impropriè, aut propriè reflexa. Consequentia sic probatur. Per vos sensus nec propriè nec impropriè est reflexiuus, & ideo in vestra sententia non potest facere aliquod ens rationis, etiam illud, quod impropriè reflexionem petit: ergo. Antecedens probatur, quia tunc est aliqua cognitio communis intellectui &c. quando eodem modo cognoscit sensus, ac intellectio v. g. ideo simplex apprehensio non est propria intellectus, quia sine iudicio cognoscunt, etiam sensus: sed sensus vt latissimè probatum manet cognoscit quod non est, ac si esset: ergo hic modus cognoscendi communis est sensibus, & intellectui.

Secundo probatur, si ex eo quod vnus actus 9
potentiæ sequatur alterum eiusdem potentiæ, dicitur reflexus, saltim lato modo: ergo omnes potentiæ appetitiuæ & sensus sunt lato modo reflexiui: sed hoc est contra vos asserentes nullam potentiam corpoream esse nec propriè, nec impropriè reflectentem: ergo. Hæc minor est propria eorum sententia. Illa consequentia sic probatur de appetitu sensitiuo in brutis, quia leo ex eo quod amat, seu appetit escam, appetit cursum & motum ad aucupanda, seu venanda, tam terrestria, quam volatilia si potest animalia, & in oue actus, quo timet lupum sequitur actum, quo vult fugere & in imaginatione ex actu, quo cognoscit lupum, sequitur actus, quo cognoscitur disconuenientia: sed in his casibus vnus actus sequitur alterum eiusdem potentiæ: ergo si propter hanc consequutionem hoc contingit, omnes istæ potentiæ brutorum erunt reflexæ.

Dicunt aduersarij in imaginatione dari, sal- 10
tem impropriè reflexionem: atqui non soluunt difficultatem: sed quasi oneri succumbunt.

Contra, imaginatio non solum poterit facere 11
ens rationis sine fundamento: sed cum fundamento, hoc enim solum requiritur in intellectu, vt faciat ens rationis cum fundamento: ergo Rubius, qui hoc negauerat malè concedit illud, ex quo mediatè sequitur oppositum suæ conclusioni.

Secunda conclusio: falsum est dicere ens ra- 12
tionis logicum, & relationem rationis petere actum propriè reflexum & probatur.

Primo ad faciendum ens rationis relatiuum vt 13
in omnipotentia Dei, vel in Verbo diuino, quatenus creaturas repræsentat, sufficit vt conexionem omnipotentiæ concipiam; ac si esset respectus, & esse eminentissimum Verbi, vt relatum ad ipsas per relationem prædicamentalem, vel transcendentalem: sed in tota efformatione non datur actus propriè reflexus: ergo non est necessarius. Maior clara est, quia illa esset relatio, & non realis: ergo rationis, cum totum illius esse relationis esset apparés, & purè obiectiuum, cũ realiter neque sit actu, neque potentia. Minor probatur, actus propriè reflexus vt definitur ab aduersariis est qui habet pro obiecto aliũ actum intellectus, quem supponit: sed in efformatione illius relationis rationis actus qui efformat relationem rationis, non habet pro obiecto actum primum intellectus: ergo. Minor probatur, quia in illa efformatione illa cognitio habet pro obiecto connexionem, & relationem, & nihil aliud, cum nihil aliud per illam repræsentetur: ergo non habet pro obiecto cognitionem, nec in concreto, nec in abstracto, quia in cognitione connexionis, ac si esset relatio minimè reperitur repræsentatio

gnitionis : sed tantum connexionis, & relationis : ergo falsum est dicere ad efformationem relationis rationis requiri cognitionem reflexam.

14 Item, quia possunt etiam simplici ratione apprehendere relationem vnius ad aliud, vbi non est talis relatio, vt in dexteritate parietis, vbi tantum est denominatio extrinseca, & hoc per modum simplicis intuitus sine aliqua reflexione ad alteram cognitionem.

15 Secundo probatur de ente rationis logico, de vniuersali nimirum efformatio vniuersalis relatiui, se habet huiusmodi prius cognoscitur natura abstracta à suis conditionibus indiuiduantibus, & postea illa natura sic præcisa extrinsecè ab intellectu concipitur, vt relata : sed hic non datur reflexio propriè : ergo. Probatur minor, quia secundus actus fingens relationem non habet pro obiecto primam cognitionem abstrahentem : sed tantum habet pro obiecto naturam, cui tribuitur illa relatio per illum actum : sed non tribuitur naturæ, vt sic cognitæ reduplicatiuæ : sed naturæ, quæ cognoscitur specificatiuæ : ergo. Probatur minor, nam si secunda cognitio haberet pro obiecto primam cognosceret primam : sed non est necessum hoc : sed sufficit, quod cognoscat naturam, cui attribuitur relatio : ergo ; in illa enim cognitione confingente potentiam vniuersalitatis non repræsentatur cognitio præscindens naturam, alias per hanc secundam cognosceretur præscindi animal ab indiuiduatione, & à se cognosci illam naturam sine indiuiduatione, quod est falsum, nam in illa secunda cognitione solum cognoscitur quod clarè resplendet : sed non resplendet cognitio prima : sed tantum natura, & potentia vniuersalitatis : ergo.

16 Dices non posse secundam cognitionem dare relationem vniuersalitatis ; nisi cognoscat illam naturam esse cognitam & præcisam à se.

17 Contra, quia solum sufficit quod intellectus cognoscat per primam cognitionem, nam vt sic præcisam naturam per secundam, non est necesse quod cognoscat se abstraxisse illam naturam : sed sufficit, vt concipiat illam, vt relatam.

18 Confirmatur, quia dum præscinditur illa natura attribuitur illi quædam entitas & vnitas, quam non habet, & est efformatio entis rationis logici : sed ibi non cognoscitur alia præcedens cognitio cum illa sit prima : ergo.

19 Vrgetur, quia cognitio non est causa formalis constituens naturam in esse vniuersalis : sed solum est causa efficiens, quasi producens illam in esse vniuersalis ; sed quando cognoscitur aliquis effectus, non est necesse, vt concipiatur causa efficiens essentialiter, nam potest concipi id quod alias effectus est, & non reduplicatiuè vt effectus v. g. quando cognosco hominem, non est necesse, vt cognoscam vt effectum : sed sufficit vt cognoscam essentiam illius vel naturam : ergo si illa natura efficienter tantum producitur vt vniuersalis, non est necesse vt cognoscatur cognitio per quam, quasi producitur in illo esse ; vnde hæc secunda cognitio non est reflexiua, immo licet necessario sit cognoscenda vt effectus, directè tunc cognosceretur natura indirectè effectio illius, id est, cognitio præscidens : sed vt sit propriè reflexio directè debet cognosci cognitio, & non indirectè : ergo illa cognitio, quæ non directè : sed indirectè cognoscit illam, non est propriè reflexa.

20 Tota ergo falsitas opinionis contrariæ inde prouenit, quod non adverterit varia fundamenta relationis rationis, & quia solum cogitabant aduersari, denominationem cogniti posse concipi, vt relationem, quæ necessario petit cognitionem reflexam ; nam omnia absoluta possunt cum relatione rationis concipi, & omnes denominationes extrinsecè, v. g. vt dextrum, amatum, visum, imaginatum &c. Item proregens regem, & imperatorem, creatorem, dominum, maritum, vxorem, quæ omnes denominationes extrinsecè, vt relationes concipiuntur sine eo, quod cognitio fingens illas præsuppponat, & habeat pro obiecto alium actum intellectus quod solum contingit in denominatione cogniti &c. ergo malè dicitur ab aduersariis omnes relationes rationis fieri per actum reflexum.

21 Tertia conclusio : per simplicem apprehensionem fit ens rationis, quia in sententia Patris Hurtado, & in omnium sententia per illum actum producitur, aut fit ens rationis, per quem cognoscitur aut concipitur res aliter ac est : sed per simplicem apprehensionem cognoscitur res aliter, ac est : ergo per simplicem apprehensionem producitur ens rationis. Maior est euidens, ideo enim, quando concipio naturam relatam ad inferiora, facio ens rationis, quia cognosco naturam, quæ non habet relationem cum relatione, id est naturam aliter ac est in se, &c. Minor sic probatur, quia simplex apprehensio est defectibilis, & imperfecta, vt iudicium, & discursus ; sed propter suam propriam defectibilitatem, & imperfectionem cognoscunt aliter obiectum, ac est in se iudicium, & discursus ; & quia sic concipiunt illud faciunt ens rationis : ergo similiter simplex apprehensio propter propriam imperfectionem, & defectibilitatem cognoscit rem aliter ac est, & propter hanc cognitionem faciet ens rationis sine dubio, quod à posteriori sic probatur ; Nam Barbarus, qui concipit magnitudinem solis vti rotam currus sine discursu concipit, & sine iudicio cognoscit rem aliter ac est, & demon, dum fallitur in sua cognitione, vel circa futuras cognitiones veras, vel circa mysteria fidei, vel res supernaturales sine iudicio aut discursu cognoscit rem aliter ac est : ergo tunc per simplicem apprehensionem faciunt ens rationis.

22 Confirmatur. Quia ideo in sententia Hurtado non fit ens rationis per simplicem apprehensionem, quia in illa cognitione non datur falsitas : sed hoc est falsum nimirum dicere non dari falsitatem in simplici apprehensione : ergo in simplici apprehensione producitur, & fit ens rationis. Hæc minor latius demonstranda in libris de anima, sic probatur ; quia nihil aliud est esse falsam cognitionem nisi non habere veritatem ex difformitate cum obiecto : sed simplex apprehensio cognoscit rem aliter ac est, & cognoscere rem aliter ac est, est non conformari cum obiecto : ergo simplex apprehensio facit ens rationis, & in illa datur falsitas formalis. Explicatur, quia in iudicio datur falsitas, quia iudicium affirmat rem, & cognoscit iudicatiuè rem aliter ac est, & sic affirmando non conformatur cum suo obiecto, sed similiter simplex apprehensio cognoscit rem aliter ac est, & sic cognoscendo non conformatur : ergo fallitur. Explicatur.

23 Nam potentia visiua habet simplicem apprehensionem sicut intellectus : sed simplex apprehensio

hensio visus, quia creata imperfecta est, cognoscit rem aliter ac est in se, & quia sic cognoscit facit ens rationis: ergo simplex apprehensio intellectus, quæ imperfecta est, cognoscet aliquando rem aliter ac est, & sic cognoscendo faciet sine dubio ens rationis.

24 Confirmatur, quia ad cognoscendum rem aliter ac est in se, non est necessaria affirmatio, ac negatio, sed solum quod talis cognitio sit defectibilis, quia non est increata, & prima regula: sed simplex apprehensio est creata imperfecta, & defectibilis: ergo sine affirmatione, & negatione, cum sine illa cognoscit rem aliter ac est. Explicatur iudicium, & discursus conueniunt in esse falsæ cognitionis: sed discursus, & iudicium non conueniunt, nisi in ratione cognitionis realiter ac est in se: ergo simplex apprehensio, quæ etiam est cognitio rei aliter ac est in se, conueniet cum illis in ratione falsæ cognitionis; sed falsa solum cognitio sufficit ad faciendum ens rationis: ergo simplex apprehensio potest facere illud, nam ideo discursus, & iudicium in sententia Hurtado facit, non quia iudicat: sed quia falso iudicat, & falso cognoscit, cum cognoscat aliter ac est in se, & etiam fictio coloris cærulei, quia aliter ac est in se cognoscit: sed etiam simplex apprehensio sic se habet in intellectu: ergo illa est falsa cognitio: ergo illa facit ens rationis.

25 Secundò, quia in nullo ente rationis efformando intercedit necessario mendacium, & si detur advertentia, sed non est alia causa huius, nisi quia non intercedit affirmatio, vel negatio: ergo sine affirmatione, & negatione per simplicem apprehensionem efformatur ens rationis. Major clara est præcipuè inter homines veritatem intactam illibatamque seruantes, nemo enim probatæ vitæ hoc modo entia rationis efficeret, si necessum esset vt mendacium efformaret. Minor probatur, quia vbi de obiecto, v. g. de priuatione affirmaretur quod esset qualitas positiua præcipuè cum aduertentia, & in hominibus doctis daretur mendacium, vel ibi negaretur de illa, quod non esset carentia: ergo ratio totalis, quare non intercedit mendacium inordinario modo fabricandi ens rationis, apud peritos dum illud efficiunt cum aduertentia plena, est quia non datur affirmatio illius, quod efficitur, quare si aliquis diceret ita contingere à parte rei, quod confingitur per rationem, sine dubio efficeretur mendacium.

26 Et si dicas, hic non dari affirmationem entis rationis, dum dico hircoceruus non est relatio: sed potius negatio, & nihilominus non dari mendacium: ergo etiamsi detur iudicium de ente rationis, non est necesse vt detur mendacium etiamsi tale iudicium fingat, & faciat ens rationis, vt in supradicto iudicio negante clarè patet, quod licet fingat, non induit rationem mendacij.

27 Respondeo ibi per iudicium illud non efformari ens rationis, nisi præsupponi vt factum per simplicem apprehensionem, quia simplex apprehensio finxit illum hircocervum, & per illam fuit conceptus vt vnus, & distinctus à quolibet alio, & sic hic actus supradictus iudicij non est practicus, sed mere speculativus; sicut non est practicus, hic leo est species, vbi non efformatur, sed affirmatur, vt efformata species.

28 Et si dicas hic fieri ens rationis, qualitas est substantia, intellectus est anima. Primo dico ibi non fieri, sed affirmari quod factum est per simplicem apprehensionem.

Secundo si iudicetur aliter, ac concipitur in simplici apprehensione, tunc autem intercedere mendacium in homine, nimirum docto, cognoscente substantiam non esse qualitatem, in illo autem, qui non cognoscit rectè per apprehensionem sed apprehendit, sicut iudicat; tunc autem non fit per iudicium illud ens rationis, sed factum per simplicem apprehensionem conseruat iudicium, v.g. si aliquis catholicus, qui rectè callit, Deum esse spiritum, sic iudicaret; Deus verè & realiter est lux, est ignis; & mendacium esset, & hæresis; & si barbarus diceret, Deus est ignis, non diceret mendacium, quia mentiri est contra mentem ire: sed primus in hoc iudicio it contra mentem, id est contra cognitum per mentem media cognitione prima: ergo primus mendacium profert, barbarus autem non mentitur, quia non it contra mentem, quod amplius constabit in sequenti conclusione. 29

Vltimo ad hominem contra Hurt. quia ipse contradicens Vazq. sic ait, verum etiam simplex apprehensio potest facere relationem rationis: sed relatio rationis est verum, & proprium ens rationis: ergo sibi contradicit Hurtado, sui immemor, dicendo simplicem apprehensionem non facere ens rationis, cum hic dicat facere relationem, quæ est verum ens rationis, in quo consequentiam ab ipso in Vazq. desideratam iterum ego desidero, quæ consequutio, si reperitur, adeo obscura est, vt reperiri non possit, in quo aut peccat culpa contradictionis, aut confusionis, & obscuritatis, ex quibus quod sit maius peccatum tu videbis. 30

Quarta conclusio: probabilissimè potest dici ordinario modo loquendi omnem productionem primam entis rationis non per iudicium, nec per discursum, sed per simplicem apprehensionem fieri, licet etiam sit probabile oppositum; moueor ad primum his argumentis. 31

Primò, quia ad iudicium, & discursum præsupponitur necessario simplex apprehensio, ita vt si rectè debeamus procedere, & non defectu mendacij, &c. vt diximus, nihil iudicatur per iudicium, negando aut affirmando, nisi quod apprehenditur per simplicem apprehensionem: ergo iudicium iam inuenit factum ens rationis, & solum affirmat (si cum veritate debeat procedere) illud esse, vel negat illud esse, vt concipitur à simplici apprehensione, quod est, aut conseruare ens rationis factum à simplici apprehensione, vt quando colorem à sole productum conseruat ignis, & non producit, quia iam inuenit factum à sole. Vel est tantum speculatiuè se habere circa illud obiectum, cum circa idem versentur: ergo vnum est conseruativum, & aliud productivum; vel vnum speculativum, & aliud practicum; frustra enim fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora; nihil enim superfluum datur in natura: ergo si simplex apprehensio finxit illud ens rationis, iudicium, quod versatur circa illud non facit, sed vel conseruat solum, vel solum quodammodo speculatur. 32

Confirmatur; & arguo ex verbis Hurt. contra ipsum. Nam *disp. 20. met. num. 32.* sic ait; verum etiam simplex apprehensio potest facere relationes rationis; quia apprehensio præcedit iudicium de eodem obiecto. Tunc sic, idem numero 33

mero obiectum, quod attingit prius simplex apprehensio, attingit eodem instanti, aut sequenti, vel vt volueris, si eodem instanti posteriioritate naturæ; sed simplex apprehensio cognoscens rem, aliter ac est, fecit ens rationis: ergo iudicium non facit, quia idem perseuerando in suo esse, non bis producitur, sed solum conseruatur factum, vt iam exemplo caloris explicatum est: ergo solum fit primo ordinario modo loquendi vt simplici apprehensione attingat iudicium, vt ait Hurtado.

34 Vrgetur; ideo voluntas non fait ens rationis, quia non est de nouo productiua alicuius esse; sed circa iam factum ab intellectu versatur; atqui iudicium versatur circa iam factum à simplici apprehensione: ergo iudicium, sicut voluntas non facit ens rationis: ergo solum conseruat, vel considerariuè cognoscit speculatiuè quodãmodo.

35 Vltima conclusio; omnis actus faciens ens rationis est falsus; quod sic probatur.

36 Actus, qui est difformis suo obiecto, est falsus; sed actus fingens, & faciens ens rationis est difformis obiecto proprio: ergo ille actus est falsus. Maior est euidens, quia in actu, vbi est oppositum veritatis, est falsitas; sed vbi datur difformitas, datur oppositum veritati: ergo actus, vbi datur ad suum obiectum est falsus, in ipsoque datur falsitas. Minor præcipua sic probatur. Actus faciens ens rationis, discordat ab obiecto, quod est à parte rei; sed discordare actum ab obiecto, est esse difformem obiecto: ergo actus fingens ens rationis, cum discordet ab obiecto, erit difformis obiecto. Minor hæc est euidens, nam sunt synonyma actum esse discordem cum obiecto, & esse difformem, sicut peccatoris voluntas, quia discordat à lege, difformis est illi, positiuè enim non conformatur positiuè repræsentando quod non est in obiecto; & ideo talis cognitio discordans, difformis est obiecto. Maior sic probatur; tunc aliquid discordat ab aliquo, v.g actus intellectus cum suo obiecto, quando actus repræsentat in obiecto quod non datur in illo, & quod in illo reperitur: sed actus faciens ens rationis v. g. actus efficiens vniuersale formaliter, tribuit naturæ, & cognoscit in illa relationem vniuersalitatis quæ non reperitur in ipsa: ergo actus faciens ens rationis, discordat à suo obiecto. Item actus faciens chimæram tribuit naturis hominis & leonis identitatem, quam inter se non habent, & actus distinguens attributa diuina repræsentat in illis distinctionem, quæ in ipsis non datur respectu diuinitatis: ergo actus faciens ens rationis, discordat à suo obiecto, & non concordat cum illo, quia aliter repræsentat obiectum, ac est in se.

37 Confirmatur; quia actus qui cognoscit Petrum esse lapidem facit ens rationis, siue talis actus sit iudicium, siue simplex apprehensio; sed ille actus est difformis obiecto: ergo ille actus est falsus. Patet consequentia, tum à definitione falsitatis, tum quia actus verus est, qui est conformis obiecto: ergo falsus erit, qui est difformis ipsi; probatur minor, quia tunc actus est difformis obiecto, quando non cognoscit obiectum eo modo, quo est, & cognoscit in illo aliquid quod non est, ac si esset: sed ille actus cognoscit identitatem in Petro cum lapide, quæ non datur in ipso, ac si daretur in eodem: ergo ille actus difformis est obiecto, etiam si sit simplex apprehensio; nam iudicium in sententia aduersariorum ea ratione est difforme, quia cognoscit rem esse id, quod non est: sed etiam obiectum non est, sicut per illam apprehensionem repræsentatur; repræsentatur enim per illam Petrus vt idem cum lapide: ergo actus ille est difformis obiecto.

38 Secundo probatur ex eo quod res est, vel non est, cognitio dicitur vera, vel falsa; id est ex eo quod non est obiectum, vt percipitur, & repræsentatur per cognitionem, cognotio illud repræsentans est falsa; sicut contra est vera: sed cognitio faciens ens rationis non repræsentat rem vt est: sed alio modo, ac est, vel eo modo quo non est: ergo talis cognitio est falsa. Maior est principium euidens, quod latè explicui *trat. de Principiis*, videte ibi. Minor est est euidens, nam actus, quo facio ens rationis priuationis in omnium sententia est quo repræsento priuationem vt qualitatem, & dispositionem, vt vos explicatis; vel in mea sententia, quando concipio carentiam alicuius vbi, non est talis carentia: sed per illum actum non repræsentatur res vt est: ergo. Hæc minor sic patet, quia in hoc actu repræsentatur qualitas, quæ non est realiter qualitas, & carentia vbi non est carentia: ergo repræsentatur aliter ac est obiectum, & quod non est, ac si esset: ergo.

39 Vltimo cum Hurtado sic argumentor; quia ens rationis tantum habet esse obiectiuè in intellectu, & non alio modo, v. g. à parte rei: ergo actus, qui facit ens rationis, est falsus: patet consequentia, quia ex parte obiecti non est id, quod actus repræsentat, vt ex parte quantitatis non est quod repræsentatur in hoc actu, quantitas est substantia: ergo talis actus est difformis obiecto: ergo falsus. Prima consequentia est clara, quia actus tribuit obiecto, quod non habet, in quo consistit difformitas. Secunda consequentia est nota, quia vt iam diximus, quando actus est conformis obiecto, est verus, & quando difformis, falsus.

40 Confirmatur; si obiectum esset, sicut repræsentatur, actus esset verus, & obiectum haberet esse in se distinctum ab esse obiectiuo in intellectu, vt ex terminis patet: ergo actus efficiens ens rationis, est falsus, quia obiectum non est in se, sicut per actum intellectus repræsentatur, & ea ratione dicitur ens rationis habere esse obiectiuè tantum in intellectu, id est in se non habet illud esse à parte rei, nec ex parte obiecti illud esse, vt est à parte rei, respondet cognitioni, sed in sola cognitione est repræsentatiuè; nam si alibi esset, non esset repræsentatiuè, tantum in intellectu: hoc totum patebit ex dicendis à nobis in libris de anima, vbi penitius enucleabimus Aristotelis mentem, sicque enucleatum proponam; sensum Diui Thomæ inuestigabo, librabo item pondera, ac latera rationis, quibus dilucidius veritas proposita claresçet.

## SECTIO VLTIMA.

### *Argumenta aduersaria soluuntur.*

41 AD primum concedo maiorem & nego minorem; ad probationem nego absolutè maiorem, quia non est, nisi denominatio realis extrinseca cõcedi potest secunda pars, seu explicatio maioris, vbi probatur minor, & potest negari, quia

quia esse cognitum etiam potest considerari per modum qualitatis absolutæ, sed demus esse cognitum esse relationem rationis: deinde concedo illam relationem fieri per actum reflexum, nego tamen inde colligi omnem relationem rationis esse reflexionem, nam relatio omnipotentiæ, visi, dextri &c. nulla est reflexio.

42 Ad probationem partis secundæ nego maiorem; deinde transeat maior, & præterea negatur, quod omnis relatio seu ens factum per simplicem apprehensionem supponat cognitionem aliam priorem se; sufficit enim, vt cognitio terminetur ad obiectum aliter, ac est in se, vt cognoscat vnum ad similitudinem alterius, sine eo quod supponatur cognitio actualis illius obiecti, ad cuius similitudinem cognoscitur & fingitur illud, vt videre est in potentia visiua, quæ primo adspectu, & intuitu fingit colorem cæruleum in montibus, sine eo quod ante talem cognitionem supponatur actualis cognitio veri coloris cærulei, ad cuius similitudinem fingitur ille.

43 Ad secundum patet ex dictis. Ad argumentum Patris Hurt. negamus, particulam illam *est* significare affirmationem vel negationem formalem; nam rectè concipitur essentia, & existentia rei sine affirmatione, & negatione per simplicem apprehensionem, nam apprehensio simplex, qua concipiunt hæretici non dari tres personas in diuinis, aut dari tres Deos, est hæretica & erronea apprehensio, & nihilominus est sine affirmatione, & negatione; & ratio est quia ad hoc, vt erret intellectus, sufficit quod eius cognitio, quæcunque illa sit, cognoscat rem aliter ac est, & falso cognoscat; cum autem nostra simplex apprehensio, quia fallibilis est, cognoscat rem aliter ac est, inde euenit, quod erret circa suum obiectum, licet non sit affirmatio, & negatio, & hoc determinate; vnde quando repræsentat rem, sicuti est, determinatè per illam scimus sine indifferentia vlla ex vi illius cognitionis ad errandum, licet ex vi alterius possimus errare, quia cum illa cognitio sit naturalis repræsentatio, essentialiter per suam essentiam determinatur ad illud obiectum repræsentandum, ita vt non habeat indifferentiam ad aliud.

## QVÆSTIO VIII.

*Vtrum Deus cognoscat ens rationis.*

### SECTIO I.

*Sententia aduersaria ponitur.*

1 PAter Gabriel Vazquez singularis in hac re, *tom. 2. in 1. p. q. 28. d. sp. 118. c. 4.* his argumentis probat Deum nullo modo cognoscere ens rationis.

Primò quia si Deus cognoscit ens rationis, licet non primariè, sed quia prius factum est ab intellectu creato, reuera format in intellectu suo illud ens rationis, quod cognoscit: sed hoc est absurdum: ergo illud ex quo sequitur. Probatur maior; quia Deus conseruat virtute sui intellectus ens illud rationis factum ab intellectu creato: sed conseruare aliquid etiam factum seu productum ab alio, est facere, seu producere illud: ergo intellectus diuinus, qui conseruat ens rationis factum à creatura facit illud. Maior probatur sic, quia illud esse obiectiuum, quod res habent in intellectu Dei, habent vt à causa integra ab ipso intellectu diuino, cui obiiciuntur: sed habere hoc modo est conseruari ab illo: ergo. Maior probatur; quia ad illud esse provt est in intellectu diuino, non concurrit intellectus humanus: ergo Deus est integra, & adæquata causa entis rationis adhuc post formationem ab intellectu creato: sed hoc tam absurdum est, ac si primario formaretur: ergo.

Secundò probatur; quia si Deus nunc cognoscit entia rationis, ab æterno illa cognouit, cum nihil cognoscat in tempore, quod ab æterno non cognouerit, alias Deus mutaretur; sed si Deus ab æterno cognouit ens rationis, sequitur quod Deus fecerit ab æterno: ergo Deus non cognouit entia rationis. Probatur minor; quia illud ens rationis quod cognouit Deus antequam ab intellectu humano esset fabricatum, cum ab æterno nulla sit creatura, à qua habeat esse, & nunc illud habeat, necesse est vt sit effectum à Deo, & actu obiectiuè in suo intellectu: sed tale esse obiectivum actu pendens ab intellectu divino, non cooperante, & nondum illud operante intellectu creato, nec est à parte rei, nec potest esse à parte rei aliquid reale: ergo est aliquid rationis factum à solo intellectu diuino: fateri igitur debent aduersarij posse à Deo fingi ens rationis, si semel concedant posse à Deo cognosci. 2

Neque obstat, quod tale ens rationis ideo cognoscatur à Deo, quia potest ab intellectu creato in tempore confingi, quominus dicamus, cum illud cognoscitur à Deo ab æterno, ab eo tantum confingi; nam cum ab æterno solus Deus intellectu suo tribuat illi esse obiectivum actu, quod nondum tribuitur ab intellectu creato, solus Deus dicetur illud esse obiectivum ab æterno effingere. 3

Tertiò fieri ens rationis & formari, nihil aliud est, quam obiici intellectui, vel intelligi: sed diuinus intellectus habet illud sibi obiectiuè præsens: ergo facit illud, & format scilicet, non primario, sed occasione nostri intellectus. 4

Quartò quia impossibile est, quod intellectui diuino obiiciatur animal rationale, provt in intellectu humano sunt distincta talia prædicata: ergo diuinus intellectus non potest illa apprehendere provt distincta sunt & relata consequentia est nota, quia nullus intellectus intelligit nisi quod sibi obiectiuè repræsentatur. Antecedens verò sic probatur, conceptus obiectivus nostri intellectus vt sic formaliter pendet à formali nostro conceptu, ita vt à nullo alio vt sic possit repræsentari: sed conceptus formalis quo animal, & rationale distinguuntur, & referuntur, non potest Deo conuenire propter suam imperfectionem: ergo conceptus obiectiui animalis & rationis, qui apud humanum intellectum sunt distincti, & relati, non possunt vt ita distincti repræsentari intellectui diuino: ergo diuinus intellectus nequit cognoscere ens rationis, quod est distinctio illa inter animal, & rationale. 5

Secunda sententia asserit, Deum non cognoscere entia rationis immediatè, & directè: sed tantum vt cognoscibilia ab imperfecto intel- 6

lectu nostro sic Smiglesius *in logica, disp. 1. q. 8. §. docent igitur.*

7 Probatur sic; quia cognitio entium rationis immediatè, & directè inuoluit in se perfectum modum cognoscendi, qui in Deum cadere non potest, magna enim cognitionis imperfectio est, cognoscere obiectum aliter ac est, porrò sic cognoscuntur immediatè & directè entia rationis, cum enim ens rationis consistat in coniunctione, vel compositione impossibili, aut etiam in essentia simplici impossibili, & quæ realiter nunquam esse potest; vnde manifestum est taliter cognoscere ens rationis esse cognoscere tanquam ens id, quod non est ens, & quod est impossibile esse ens, & ex consequenti est cognoscere rem aliter, quam sit; talis enim imperfectio intellectui diuino immediatè tribui non potest.

## SECTIO II.

*Nostra sententia ponitur & probatur.*

8 PRima conclusio: Deus cognoscit ens rationis, quod intellectus creatus efficit: est communis hæc sententia, & probatur.

9 Primo, quia omne id, quod continetur sub obiecto scientiæ diuinæ cognoscitur ab illa: sed ens rationis continetur sub obiecto scientiæ diuinæ: ergo ens rationis cognoscitur ab illa. Maior euidens est, minor sic probatur; omne id, quod continetur sub obiecto potentiæ entis participati, & finiti, continetur sub obiecto potentiæ, vel quasi potentiæ entis primi imparticipati, & infiniti, ablatis imperfectionibus; sed ens rationis continetur sub obiecto potentiæ, vel virtutis cognoscitiuæ entis creati, & participati: ergo continetur sub obiecto potentiæ, vel virtutis cognoscitiuæ diuinæ ablatis imperfectionibus. Probatur maior: omnis ratio participata continetur sub illa ratione, à qua participatur: sed omne id, quod continetur sub obiecto potentiæ creatæ est ratio participata vel pars obiecti, potentiæ, vel virtutis increatæ, vel imparticipatæ: ergo omne quod continetur sub obiecto virtutis cognoscitiuæ entis creati, & participati &c. Maior euidens est, quia ideo homo, & Angelus continetur in Deo ablatis imperfectionibus, quia sunt rationes participatæ à Deo; item quia illud, quod est pars, vel quasi pars illius, à quo participat, debet contineri in eo, quod est totum, vel quasi totum illius: sed omnis ratio participata est quasi pars illius eminentialiter, aut æquiualenter, à quo participatur; participare enim est partem capere à participato: ergo debet contineri in eo, à quo participat eo modo, quo participat, siue eminentialiter, siue formaliter, siue æquualenter &c. Minor sic probatur.

10 Quia omne id, quod est finitum, & limitatum in aliquo esse, & gradu entis, est participatum ab eo, quod in illo esse, seu gradu entis est diuinum, infinitum, & illimitatum; sed omne id, quod continetur sub obiecto potentiæ creatæ, est finitum, & limitatum in esse obiecti, quia eo modo est obiectum, quo est potentia: sed potentia est finita: ergo obiectum debet esse finitum, vel ex parte sui, vel ex parte modi tendendi ad illud: ergo debet esse participatum ab obiecto diuino: sed id est debet esse aliqua pars obiecti diuini, essendo aliquid ex illis, quæ in obiecto diuino continentur, non tamen omne: hæc consequentia sic patet; quia obiectum diuinum est infinitum: sed finitum in aliquo genere continetur, vel est pars infiniti in illo genere: ergo obiectum creatum quod in esse obiecti est finitum, continetur sub obiecto diuino quod in esse obiecti est infinitum & imparticipatum, & erit pars, vel quasi pars illius obiecti, quia est participatum ab illo. Maior sic probatur, quia ideo scientia quæcunque, bonitas, iustitia, entitas creata &c. sunt participatæ à scientia, bonitate, entitate diuina, & continentur in illis, non quia sunt scientia vt sic, bonitas vt sic, entitas vt sic: sed quia hæc est infinita, illimitata, & imparticipata, illa vero creata, participata, & finita: ergo omne, quod est finitum &c. sed obiectum virtutis, & potentiæ cognoscitiuæ creatæ est finitum, & limitatum: ergo debet contineri sub obiecto increatæ, & imparticipatæ scientiæ, quod est infinitum, & imparticipatum; ita vt obiectum infinitum sua latitudine comprehendat finitum, & limitatum.

Confirmatur, quia obiectum diuinæ scientiæ, 11
& virtutis cognoscitiuæ Dei est omne scibile, & cognoscibile: ergo includitur in illo, & sub illo continetur quidquid cognoscibile est: sed ens rationis est cognoscibile: ergo ens rationis continetur sub obiecto diuinæ scientiæ; & ratio manifesta à priori est, quia omne, quod vniuersale est, continet quidquid est particulare in illo genere; vnde sub omni homine, seu sub homine vt sic continetur quicunque homo particularis, sicut sub albo vt sic, seu sub omni albo continetur quidquid album est; ex eo quod omne album vniuersale est: sed obiectum scientiæ diuinæ est omne scibile: ergo quodcumque scibile continetur sub obiecto scientiæ diuinæ; cum autem ens rationis sit aliquod scibile vel cognoscibile, necesse est vt contineatur sub omni scibili, quod est obiectum scientiæ diuinæ; quare si aliquis concedat ens rationis esse scibile, & ex alio capite neget contineri sub omni scibili contradictoria concedit, scilicet quod omne scibile sit tale, & non sit tale scilicet quod sit omniscibile, & non omniscibile; concedit enim esse omniscibile, vt patet, negat autem esse omniscibile, quia non est ita vniuersale in ratione scibilis, vt comprehendat quodcunque scibile, & in hoc fundatur, quod propositio vniuersalis ad suam veritatem petat, vt quodcunque cum sua veritate contineatur sub illa propositione; quare etiamsi infinita obiecta illius propositionis veritatem haberent, & solum vnum obiectum non haberet veritatem, non esset vniuersalis illa veritas, nec esset omnis in ratione veritatis; vnde esset omnis, & non esset omnis; quare si aliquis affirmaret, omnem hominem esse animal rationale, & solus vnus homo esset brutum, & non animal rationale, non posset illa vniuersalis propositio esse vera; itaque certissimum est apud omnes, quod id quod est vniuersale, debeat includere quodcunque illius rationis, in quo vniuersale est: sed obiectum scientiæ diuinæ est omne in ratione cognoscibilis: ergo necessario debet includere sub se quidquid est cognoscibile, ita vt nullum sit tale, quin sub omni cognoscibili includatur.

Maior illa prima & præcipua est manifesta; 12
quia obiectum diuinæ scientiæ debet esse proportio

portionatum (loquor de adæquato) & æquale in vniuersalitate scientiæ diuinæ: sed diuina scientia ita est vniuersalis in ratione scientiæ, vt sit non solum scientia: sed omniscientia: ergo obiectum adæquatum illius scientiæ non solum debet esse aliquod scibile vel plura scibilia: sed potius omniscibile; patet hoc manifestè. Nam quod est aliquod, & non omne, non adæquatur cum virtute, quæ est omnis in illa ratione; sicut quod est finitum in esse obiecti, non adæquatur cum infinita scientia: sed scientia diuina est omnis in ratione scientiæ, & ideo est omniscientia: ergo obiectum, quod debet adæquari cum illa, & esse æquale illi, debet esse omne in ratione scibilis, ita vt sit omne scibile.

13 Vrgetur à paritate rationis; ideo omnipotentia habet pro obiecto omne possibile, tanquam obiectum adæquatum, quia non est quomodocumque potentia: sed ita vniuersalis, vt sit omnipotentia, & ideo est talis, quia est à se infinita, & imparticipata: sed scientia diuina aut virtus cognoscitiua diuina est à se, sicut omnipotentia est imparticipata, & infinita, sicut illa: ergo est omnis in ratione scientiæ, sicut illa est omnis in ratione potentiæ: ergo sicut illa est omnipotentia, quia est omnis in ratione potentiæ eminentissimo, & perfectissimo modo, ita hæc erit omniscientia, quia est omnis in ratione scientiæ: ergo habet pro obiecto omne scibile: ergo quidquid est scibile continetur intra obiectum scientiæ diuinæ.

14 Ergo omne scibile cognoscitur à Deo: patet euidenter hæc consequentia; omne, quod est obiectum terminativum alicuius potentiæ, & quod est scibile ab aliqua virtute, cognoscitur à tali virtute, quando obiicitur illi, præcipue si virtus sit infinita, quę extenditur ad omne cognoscibile ab illa comprehendendo quidquid est cognoscibile in suo obiecto, ita vt non possit esse in potentia cognoscendi, quia est actus purus in ratione virtutis cognoscitiuæ sine vlla potentialitate ad cognoscendum; quia autem actualiter est purus, & infinitus actus, neque successiuè percipit obiectum, sed potius comprehendit actu omne quod est obiectum talis virtutis infinitæ.

15 Sed scientia diuina est infinita, & infinitè perfecta sine vllo fine, ac limite, & est purus, & perfectissimus, ac infinitus actus permanens sine vlla potentialitate, & successione: ergo cognoscit simul comprehensiuè sine vlla successione, & potentialitate actu quidquid continetur sub obiecto adæquato talis scientiæ, & quod est obiectum adæquatum illius; sed obiectum adæquatum talis scientiæ diuinæ non est hoc vel illud cognoscibile, sed omne cognoscibile: ergo scientia diuina actu comprehensiuè cognoscit, & attingit omne cognoscibile, ac proinde omne id, quod continetur sub obiecto talis scientiæ.

16 Declaratur amplius: omne id, quod continetur sub obiecto scientiæ diuinæ est cognoscibile à scientia diuina: sed omne quod est cognoscibile à scientia diuina, cognoscitur à Deo per talem scientiam: ergo omne quod continetur sub obiecto scientiæ diuinæ, cognoscitur à Deo. Maior est euidens ex ipsis terminis; quia v. g. omne quod continetur sub obiecto potentiæ visiuæ est visibile ab illa potentia, & omne id, quod continetur sub obiecto omnipotentiæ est possibile à Deo; & ratio est, quia omne id quod est obiectum alicuius potentiæ, potest obiici tali potentiæ, ab obiiciendo enim se obiectum dicitur: & id quod potest obiici alicui potentiæ, est attingibile ab illa potentia; vnde si potentia est cognoscitiua est cognoscibile ab illa; sicut si potentia est appetitiua est appetibile ab ea; vnde cum scientia divina sit cognoscitiua, omne obiectum illius est cognoscibile ab illa.

Quod autem omne cognoscibile actu cognoscatur à Deo: patet manifestè; nam licet non bene valeat argumentum, est possibile: ergo fit à Deo, nihilominus euidens est consequentia in materia scientiæ ratione disparitatis quæ reperitur inter scientiam, & omnipotentiam; omnipotentia enim subditur liberæ voluntati Dei, & sic dicitur formaliter necessaria, radicaliter libera; cum autem voluntas, cui subiicitur, & à qua imperatur, sit indifferens ratione propriæ libertatis ad volendum & nolendum producere, ad volendum vel nolendum imperare omnipotentiæ, vt producat, ratione cuius voluntas libera Dei, licet possit imperare omnipotentiæ, vt producat omnia, quæ potest, nihilominus pro suo arbitrio, & libito imperat non omne quod potest; cum autem ex alio capite omnipotentia debeat necessario subiici imperio, & libertati voluntatis diuinæ, ita vt nullo modo possit transgredi imperium illius, neque possit operari, nisi secundum imperium talis voluntatis, inde est, quod licet omnipotentia possit omne possibile, non producat illud: sed solum id quod hic, & nunc imperat voluntas diuina produci. 17

Econtra vero contingit in scientia; quæ quia modo nostro intelligendi est radix diuinæ libertatis, ac proinde prior illa, ratione cuius neque subditur diuinæ libertati, neque imperatur ab illa: sed potius antecedit omnem actum illius; vnde formalissimè, & radicaliter est necessaria, & quia talis necessitas non est potentiæ cognoscitiuæ: sed actus puri cognoscentis, inde est, quod necessario quidquid est possibile cognosci, vel actu est cognoscibile, actu cognoscat; in qua scientia non datur posse cognoscere separatum, & præcisum ab actu cognoscere: sed potius necessario quidquid potest cognoscere, actu cognoscit, & in hac materia verificatur axioma illud Theologorum maximè celebratum in Concilio Niceno, in diuinis idem est posse, ac esse: sed scientia diuina potest cognoscere omne cognoscibile, hoc est omne quod continetur sub obiecto ipsius scientiæ: ergo scientia diuina necessario cognoscit omne cognoscibile, ac proinde omne quod continetur sub obiecto scientiæ diuinæ, actu cognoscitur à Deo per talem scientiam, licet non omne, quod potest, faciat. 18

Amplius declaratur hoc, quia vt patet ex dictis, Deus cognoscit omne cognoscibile: sed ens rationis est cognoscibile: ergo cognoscitur à Deo. Maior est certa ex D. Paulo ad Hæbreos 4. ibi, cum nihil inuisibile sit in conspectu eius: sed omnia nuda & aperta sunt oculis eius, & ratio est manifesta, quia sicut omnipotentia, quia est infinita in ratione potentis; extenditur potentialiter ad omne possibile, ita scientia diuina quia in ratione actus puri cognoscentis est infinita à se, & imparticipata, extenditur actualiter ad omne cognoscibile, cognoscendo, percipiendo, penetrando, & comprehendendo actu quidquid est cognoscibile. 19

Minorem distinguunt aduersarij his verbis;

ens

ens rationis est cognoscibile à creatura, concedo, à Deo, nego.

21 Sed contra; quia impossibile est, quod aliquid sit cognoscibile respectu potentiæ finitæ, & quod non sit cognoscibile respectu potentiæ increatæ, & imparticipatæ, quæ eminenter continet creatam, & sic patet, quia illud, quod est intelligibile à potentia creata, est aliquod intelligibile: sed aliquod intelligibile necessario includitur sub omni intelligibili; sicut aliquod possibile continetur sub omni possibili, & aliqui homo sub omni homine: sed omne intelligibile est obiectum omniintelligentiæ: ergo aliquod intelligibile continetur sub obiecto omniintelligentiæ: sed non est alia omniintelligentia, nisi intelligentia omnem gradum intelligentiæ, & omnem perfectionem intelligentiæ comprehendens; atqui nulla est huiusmodi, nisi infinita intelligentia, & nulla est infinita intelligentia, & infinitè perfecta, nisi intelligentia infiniti, & infinitè perfecti intelligentis, & hic est solus Deus: ergo illud, & quodcumque intelligibile est, continetur, & comprehenditur ab omni intelligentia Dei; sicut aliquod & quodcumque possibile ab infinita potentia Dei comprehenditur: sed ens rationis est aliquod cognoscibile: ergo ens rationis comprehenditur ab omni intelligentia Dei, alias Deus non esset infinitè intelligens, quia esset aliquod intelligibile, quod non caderet sub intelligentiam diuinam, sicut Deus non esset omnipotens, si aliquod possibile à creatura, non posset facere Deus. Et ratio est, quia singulare, vel particulare continetur sub vniuersali, vnde ex eo quod deficiat aliquod particulare deficit veritas vniuersalis, imo contradictorium est, & maximè impossibile, quod singulare, vel particulare non comprehendatur sub vniuersali; vnde si est vniuersalis hæc veritas: omnis homo est animal rationale, subsistit taliter, quia omne, & quodcumque, & quicumque homo est animal rationale: ergo si est vera hæc vniuersalis propositio; Deus intelligit omne intelligibile, & ideo est omniintelligens, & infinitè intelligens: ergo ideo est vera, quia aliquod, & quodcumque intelligibile intelligitur à Deo, alias si Deus est omniintelligens, hoc est omne intelligibile sciens, sicut omnipotens omne possibile potens, & etiam est verum quod intelligibile non intelligit: ergo hæ sunt duæ propositiones veræ simul Deus hoc intelligit, Deus aliquod non intelligit: sed omne intelligens, aliquod non intelligens sunt duæ contradictoriæ: ergo verificarentur duæ contradictoriæ; sicut enim omnis homo est animal, & aliquis homo non est animal, sunt duæ contradictoriæ; ita similiter, omne intelligens, id est Deus est omne intelligens, Deus est aliquod non intelligens sunt duæ contradictoriæ: sed quando vna contradictoria est vera, altera est falsa: ergo si ista propositio est fide sancta, & verissima, non solum propter reuelationem: sed etiam propter lumen euidens intellectus, Deus est omniscius, id est sciens omne; sicut Deus est omnipotens, id est omne potens, falsa erit eius contradictoria; Deus est non sciens aliquod: sed ens rationis est aliquod scibile: ergo falsum est dicere Deus est non sciens ens rationis.

## SVBSECTIO I.

### *Aliæ solutiones refutantur.*

DIces, sicut non omne possibile continetur 22
sub obiecto omnipotentiæ, nam peccatum est aliquod possibile à creaturis, & non est possibile a Deo, sic non omne scibile est scibile à Deo, scilicet ens rationis.

Contra primo, quia in peccato omne quod 23
est possibile continetur sub omnipotentia, & nihil possibile in illo fugit potentiam diuinam; nam in peccato & datur positivum peccati; v.g. in odio Dei vitalis illa entitas supra quam cadit malitia, & hoc vti bonum fit à Deo, ad materialem peccati, & ad positivum eius Deus vti prima, & infinita causa concurrit simpliciter, & immediatè: & datur malitia, hæc autem, cum non sit propriè ens sed in sententia Patris Vazq. ens rationis, & in sententia communi est non esse, & sic non est possibile: sed quia est carentia entis, est defectus entis, & vt sic potius est defectus possibilitatis, quia cum possibilitas sit ad esse, & in carentia non detur esse, imo est absentia esse; v.g. cæcitas non est aliquid: sed potius est non esse visus in oculo, seu defectus illius, & sic facere talem carentiam, potius arguit defectum faciendi, quam potentiam faciendi; & ideo dixit D. Augustinus, tantum ab esse vt diminuat potentiam in Deo non posse facere malitiam peccati, vt potius arguat infinitam potentiam, & in creatura arguat impotentiam potentia ad peccatum; vnde in malitia peccati non datur propriè fieri, sicut non datur propriè esse; vnde licet hæc malitia non possit fieri à Deo, nihilominus ideo non est verum dicere, aliquod propriè possibile non potest fieri à Deo, cum illa malitia non sit aliquod possibile propriè: sed ens rationis verè, & propriè cognoscibile: ergo ens rationis continetur sub scientia diuina, & verè, & propriè cognoscitur à Deo, cum ab illo cognoscatur omne propriè, & verè cognoscibile; hæc minor sic probatur, quia ens rationis potest cognosci vt ens fictum merè speculativè: sed hoc non est esse cognoscibile fictè, & impropriè, sed verè, & propriè: ergo ens rationis est verè, & propriè cognoscibile. Minor sic probatur, tunc datur vera cognitio alicuius rei, & cognoscibile est verè, & propriè cognoscibile quando cognoscibile adæquatur cum cognitione, & cognitio cum illo, hoc est quando cognoscit obiectum vt in se est: sed quando cognitio cognoscit ens rationis, vt ens apparens, & fictum, cognoscitur ens illud, sicuti est, & adæquatur cognitio cum cognoscibili: ergo verè, & propriè cognoscitur: ergo ens rationis est verè, & propriè cognoscibile: sed omne vere cognoscibile debet cognosci à diuina scientia, & continetur sub cognoscibili diuino: ergo ens rationis, &c.

Et si dicas, ens rationis solum fictè co- 24
gnosci.

Contra; quia si ens rationis solum fictè posset 25
cognosci, non posset cognosci vt ens rationis: sed omne quod est, eo modo quo est, est cognoscibile: ergo ens rationis potest cognosci, quo est, & vt ens rationis est: ergo potest cognosci

gnosci verè, & non fictè; quod autem ens rationis possit cognosci vt ens fictum, patet: Cognoscibilitas alicuius est capacitas rei, vt cognoscatur vt est, quæ sequitur rem ita vt nulla res detur quomodocumque, in qua non detur sua cognoscibilitas: ergo in ente rationis eo modo, quo datur, datur capacitas, vt cognoscatur vti est: ergo vt cognoscatur, vt ens fictum. Vrgetur euidenter; quia impossibile est, vt actu sicut fictum cognoscatur, & quod in illo cognito vt sic non detur capacitas passiua, vt cognoscatur; nam ab actu ad potentiam euidens fit argumentum; v. g. hoc est euidens argumentum: ego cognosco actu: ergo possum cognoscere: sic similiter ens rationis cognoscitur vt ens fictum, & apparens: ergo potest cognosci, vt actu cognoscitur: sed actu cognoscitur vt apparens, & fictum & vt ens rationis: ergo potest cognosci vt sic. Minor sic probatur; quia à me nunc cognoscitur sic, quando in hac definitione dico, ens rationis est ens fictum, apparens & non verum: ecce à me actu cognoscitur, vt est: ergo verè, & propriè & cognoscibile: ergo verè est cognitum à Deo.

26 Nec obstat dicere, quod totum esse entis rationis est cognosci, & cum ens rationis sit fictum, cognosci etiam erit fictum.

27 Contra; quia aliud est obiectum cognitionis, aliud est cognitio ipsa; cognitio enim est realis, & obiectum est fictum; vnde licet obiectum cognitionis ratione fictionis non sit verum, & reale, nihilominus tamen cognitio ipsa realis est, & non ficta v. g. ex eo quod cognoscam ego cognitionem falsam, si ipsam cognoscam vt falsam, non sequitur vt falso eam cognoscam, aut quod cognitio illa reflexa sit falsa: sicut non colligitur benè, ex eo quod cognoscam cognitionem hæreticam, si vt hæreticam cognoscam, me hæretice cognoscere, alias quicumque cognoscens hæresim, seu errorem alterius in hæresim incideret necessario; vnde qualificatores Inquisitionis, Inquisitores & quod caput est ipse Deus, qui apertè cognoscit, certissimè, & euidenter hæresim, hæretice cognosceret, aut hæreticus esset, quæ omnium maxima hæresis est. Item Deus, qui certissimè percipit falsam cognitionem, & mendacium creaturæ falso, & mendaciter cognosceret: sed non falso cognoscit licet cognoscat falsam cognitionem, quia cognoscit falsum sicut falsum: ergo etiam licet cognoscatur ens fictum, cum tamen cognoscatur vt fictum non fictè, sed verè cognoscitur: ergo est verè cognoscibile, sicut cognitio falsa, licet falsa sit, est tamen verè cognoscibilis.

28 Vrgetur; quia mendacia, quæ ab hæreticis proferuntur; v. g. quando Arrius asserebat, & pertinaciter docebat in Deo dari negationē personarum diuinarum, & Eutiches asserebat, nō dari animam in Christo, & Monotelitæ, qui negabant duas voluntates in eodem Christo Domino; hæc enim mendacia habebāt pro obiecto negationes fictas, quæ sine dubio erāt entia rationis, negationes nimirum rationis. Item alij hæretici, qui ponebant quatuor personas in diuinis, & fingebant Spiritum sanctum incarnatum esse v. g. Montanus, & Tertulianus, talia enim mendacia proferentes, ac fingentes illam tertiam personam, & hanc vnionem hypostaticam sine dubio entia rationis efficiebant, & ratio est manifesta petita ex definitione efficientiæ entis rationis, quia nihil aliud est efficere ens rationis, quam cognoscere rem aliter ac est; atqui isti cognoscebant diuinitatem, & Spiritum sanctum aliter ac est, & non eo modo quo est, scilicet cum quarta persona, quam non habet diuinitas, & cum vnione hypostatica, quam non habet Spiritus sanctus, & idem est de Gilberto Porretano, qui ponebat distinctionem realem inter attributa diuina, relationes, & diuinitatem; atqui hæc omnia figmenta verè vt figmenta cognoscebant Concilia, Sancti Patres, & tota Ecclesia, quæ damnauit illa, tanquam figmenta, & mendacia oppositа veritati fidei diuinæ à Deo reuelatæ; itaque media reuelatione, & luce diuina cognoscebant apertè falsitatem illorum figmentorum: ergo secundum ipsam fidem non potest dici, Deum non cognouisse illa, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis; nam si Ecclesia lumine diuino cognoscit ipsa, à fortiori eodem lumine proprio talia figmenta comprehendit, & perfectissimè cognouit; quia certum est de fide, hæc omnia puniri à Deo qui ponderator est cordium: atqui Deus punit ea, quæ perfectissimè cognoscit, quia ad mensuram culpæ accommodat proportionatam pœnam quam non potest accommodare nisi vltimo, & comprehensiuè penetrando, quo genere, quo ordine, & modo sit peccatum illud, aut mendacium, & qua ratione à diuina veritate discordet: ergo perfectissimè cognouit Deus omnia figmenta hæreticorum æternis inferorum pœnis punienda, præcipuè quia si Deus immediatè concurrit ad omnem intellectionem, vt agens infinitè liberum, & intelligens, necesse est, vt cognoscat perfectè figmenta illa facta ab intellectione.

Atqui, vt iam probatum manet, talia figmenta sunt entia rationis propriissimè: ergo Deus secundum rationem naturalem, & fidem nostram perfectissimè cognoscit entia rationis ab intellectu creato fabricata. 29

Secundò contra: quia in hoc distinguitur omnipotentia à scientia Dei, quod respectu illius potest dari aliquod operabile, quod non sit possibile à Deo propter summam imperfectionem, quam exigit in suo operari; v. g. peccatum sub ratione formali malitiæ ita est imperfectum & eam imperfectionem refundit in operantem, vt non possit sine summa imperfectione produci peccatum formaliter; vnde hoc saltem possibile à creatura fieri, non potest fieri ab omnipotentia Dei: sed nullum potest dari cognoscibile, quod dicat imperfectionem in sua cognitione respectu cognoscentis infiniti; imo maxima imperfectio esset in scientia Dei si aliquod etiam imperfectissimum obiectum non cognosceretur ab illa, quid enim imperfectius potest inueniri odio formali Dei, nihilo, priuatione, ignorantia, errore, & hæresi, & nihilominus non cognoscere hæc imperfectissima esset summa imperfectio, & limitatio diuinæ scientiæ, & econtra summa perfectio cognoscere omnia, etiam hæc minutissima; nam summa perfectio luminis est etiam infima, & imperfecta illuminare; quia quanto magis illuminat, tanto magis habet perfectionis extensiuæ & intensiuæ; & sic ratio quare sol perfectissimus est inter omnia sydera in suo esse, non est alia, nisi quia tot & tam varia, multa, ac minutissima illuminat, & in prouidentia diuina summa perfectio est, quod æquè attendat ad gubernationem maximorum entium, ac ad minimorum moderationem. 30

31 Et ratio discriminis inter potentiam, & scientiam est, quia cum effectus oritur à causa, & actio, qua producitur ille intimè emanat à causa per quam accipit esse effectus, ipsi causæ attribuuntur imperfectiones, & defectus quos habet effectus, quia tales defectus potius sunt in existentia actuali, quam in pura possibilitate: ergo si causa tribuit existentiam & esse effectui producendo ipsum, ita similiter producet imperfectionem eiusdem, ac per consequens erit causa talis imperfectionis, quæ refunditur in talem causam efficienter, sicut formaliter refunditur in ipsum effectum; nam imperfectio effectus resplendet in operatione illius, quia eo modo est fieri, quo est factum esse: sed operatio, per quam producitur effectus, constituit causam in esse operantis formaliter per suum ipsum esse, inde est quod constituat causam efficientem in perfectione propria, quam in se habet, vt quantitas constituit rem quantam, & rem figuratam constituit figura per ipsam entitatem, quam in se habet: ergo si operatio, qua producitur aliquid imperfectum est operatio imperfecta, & ipsa operatio per suam imperfectionem constituit causam à qua fluit in esse operantis: ergo constituit ipsam in esse operantis imperfecti: ergo æquo iure de primo ad vltimum, vt diximus, imperfectio, & malitia effectus imputatur causæ, à qua intime emanat effectus, & operatio.

32 Obiectum autem cognoscibile, cum merè terminativum extrinsecum sit tam respectu cognitionis, quam respectu cognoscentis, neque cognitio, quæ emanat à cognoscente, vniatur intrinsecè cum effectu, nihil accipit ab effectu imperfectionis, ac proinde certum est, quod ex defectu illius nihil refundatur in cognoscentem, quia nec obiectum intimè emanat à cognoscente, nec cognoscens est causa, quare tale obiectum sit imperfectum; vnde minimè debet ei tribui, v.g. maximus defectus refunditur ex odio Dei in illud operantem, & nihilominus nulla imperfectio, nec defectus refunditur in illud cognoscentem ex illius cognitione. Item summa imperfectio est mentiri, hæresim proferre, & peccatum facere, & nihilominus nulla est imperfectio hæc omnia facta ab alio cognoscere suprà gradus grauitatis, quos hæc omnia continent; imo maxima perfectio est, & sic à iustis, à beatis, & à Deo hæc omnia cognoscuntur, imo adeo bona est hæc cognitio grauitatis peccati, vt sit principium fugiendi peccatum, & conuertendi se ad Deum, & amandi illum. Tandem ea est perfectio illius vt sit participatio luminis Dei; Deus enim quomodo varios gradus suppliciorum decreuit, nisi ponderando gradus grauitatis peccatorum; vnde cognitio clara peccati perfectio est, & nihilominus summa infœlicitas miseriæ est facere peccatum, & ex vno refunditur perfectio, & ex alio imperfectio, ita vt peccatum, & hæresim facere est imperfectio & continere sub obiecto potentiæ peccatum est imperfectio creaturæ, quæ non cadit in Deum propter infinitam perfectionem suam, & nihilominus habere sub obiecto suæ scientiæ est perfectio, vt dictum est: ergo peruersè dicitur ab aduersariis, quod sicut aliquod possibile non continetur sub omnipotentia Dei, ita aliquod scibile non continetur sub scientia Dei; male enim arguitur, quia ex prima non continentia accrescit, indicatur, seu colligitur summa, & infinita perfectio primæ regulæ indefectibilis, & ex secunda non continentia colligeretur, & refunderetur in Deum summa imperfectio scientiæ; vnde colligeretur sine dubio Deum non esse.

Instatur; quia si per impossibile (quod certè possibile est, imo de facto est certissimum) fieri ens rationis non esset cognosci in sententia Patris Vazq. absque dubio hic author concederet efficientiam entis rationis in Deo, & non posset concedere efficientiam; imo ideo de facto negat, quia iudicat, scire esse efficere; nam si scire non esset efficere, scire esset perfectio, & efficere imperfectio: ergo malè arguitur ex non posse ad non cognoscere, dicendo aliquod non potest Deus facere: ergo aliquod non cognoscit, & sic benè potest Deus non facere ens rationis, & peccatum propter suam imperfectionem, quæ non datur in cognitione peccati entis rationis. 33

Confirmatur: Deus ob infinitam suam perfectionem in intelligendo non potest non intelligere omne id quod aliquo modo habet rationem entis, & intelligibilis, quare dixit D. Thomas 1.*p.q.*14. *art.*9. Deum cognoscere omnia, quæ sunt in potentia opinandi, imaginandi, vel quocumque modo significandi: sed ens rationis est in potentia imaginandi, & cogitandi, cum de facto cogitetur à mente creata; & aliquo modo est ens, & intelligibile: ergo Deus intelligit ens rationis. Maior est nota, & constat ex D. Paulo *ad Hebr.*4. cum nihil inuisibile sit in conspectu eius: sed omnia nuda, & aperta sunt oculis eius. Minorem vero probat commune Dialecticorum & metaphysicorum placitum: quod affirmat esse rationis esse quoddam genus entis à re alia diuersum, & omnes Doctores, quamuis negent communem entis conceptum præcisum ab ente reali, & rationis, affirmant tamen nomen entis non merè æquiuoce, & casu participari ab ente rationis: sed per aliquam analogiam, & proportionalitatem ad verum ens reale; & adducit pro hac sententia Suarez Aristotelem 4. *met. in principio*, vbi analogiam entis declarat etiam in ordine ad negationem, & priuationem, *& l.*5. *cap.*7. diuidit ens in reale, & rationis, in quo libro non distinguit nomina merè æquiuoca: ergo ens rationis est aliquomodo ens, & intelligibile. 34

Vrgetur; posse intelligere, quod intelligibile est & de facto illud intelligere, etiamsi in propria entitate obiectiua sit maximè imperfectum, est maxima perfectio: sed ens rationis est aliquomodo intelligibile, etiamsi maximè imperfectum sit in entitate obiectiua: ergo posse illud intelligere, & de facto illud intelligere, est maxima perfectio: sed maxima perfectio Deo denegari non potest: ergo Deus potest, & de facto intelligit ens rationis. Maior constat ex ipsis terminis, nec opus est alia probatione, cum intelligere, & scire in suo conceptu formali nullam includat imperfectionem: sed sit perfectio simpliciter simplex ex eo quod ad res imperfectas aliquo modo terminetur tanquam ad obiectum; Deus enim intelligit corporalia, cum hæc imperfecta sint spiritualium substantiarum comparatione. Minor iam probata manet; nam omne quod intelligitur ab humano intellectu, est aliquomodo intelligibile: sed ens rationis intelligitur ab intellectu humano, illiusque terminat cognitionem: ergo ens rationis est aliquomodo intelligibile: ergo intelligitur à Deo. 35

Nec obstat dicere, quod ens rationis sit aliquomodo 36

quomodo factibile, & non sit: ergo licet sit cognoscibile, non ideo debet cognosci à Deo.

Contra; quia iam supra impugnatum est hoc
37 ex discrimine, & differentia, quæ versatur inter scientiam, & omnipotentiam Dei; nam ex effectione imperfectio refunditur in efficientem, sicut ex cognitione imperfecta, quæ facta est; & ideo effectio entis rationis dicitur imperfectio efficientis illud, non autem refunditur imperfectio entis rationis verè cognoscibilis in cognitionem infinitam, & perfectè cognoscentem illud, vt est; sicut in exemplo peccati patet, vbi cognoscere peccatum est perfectio, & efficere non est nisi imperfectio: ergo licet efficere ens rationis non detur in Deo, sicut nec datur efficere peccatum in ipso, nihilominus reperitur in eo cognoscere vtrumque propter rationem dictam.

## SVBSECTIO II.

*Secundum argumentum principale ponitur.*

38 OMne ens participatum comprehenditur à Deo infinita, & perfectissima comprehensione, tam intensiua, quam extensiua: sed virtus factiua, seu cognoscitiua entis rationis est ens participatum à Deo: ergo comprehenditur ab ipso.

39 Tunc sic; si Deus non cognosceret clarè, & distinctè ens rationis, Deus non comprehenderet virtutem factiuam vel cognoscitiuam entis rationis: sed Deus necessario comprehendit: ergo Deus necessario cognoscit distinctè, & clarè ens rationis. Quod autem Deus comprehendat virtutem factiuam entis rationis, hoc est intellectum creatum, omnemque creaturam, est de fide, & euidens lumine naturæ, quia cum Deus sit agens intellectuale, nihil producit, quod ignotum sit suæ scientiæ diuinæ, & cum cognoscibilitas effectuum creatorum sit finita, & limitata, & Deus habeat infinitam cognitionem, Deus non solum comprehendit, sed supercomprehendit, vt ait Augustinus, & superat infinita comprehensione quidquid cognoscibilitatis est in effectu. Minor, in qua est tota difficultas, sic probatur. Non comprehenditur extensiuè causa, & intensiuè continentia alicuius, quin comprehendatur omne, quod dependet, & oritur à causa, vel quasi causa illius, maximè si sit essentialiter hoc: sed ens rationis dependet essentialiter à virtute factiua creata: ergo ad hoc vt comprehendatur virtus hæc factiua, vel potius factiua entis rationis, necessario debet clarè & distinctè cognosci ens rationis, quod dependet essentialiter à tali virtute factiua illius. Maior probatur ex verbis ipsius Patris Vazq. 1. *p. q.* 12. *art.* 8. *disp.* 53. *cap.* 3. *n.* 15. vbi assignans modos comprehensionis sic ait; aliter autem modo dicitur res aliqua comprehendi, quando non tantum cognoscimus quidquid est in illa formaliter: sed etiam quidquid eam consequi, vel ab ea dependere potest; id enim ad eam aliquomodo pertinet; & rationem reddit, *num.* 17. his verbis, quia ad rem intelligibilem quatenus ad intellectum refertur, non solum dicuntur pertinere quæ illi intrinseca sunt: sed etiam, quæ ex illa fieri, aut deduci possunt, tanquam aliquid illius, sic enim intelligimus quid ipsa possit, quo circa vt ipsa etiam intellectuali cognitione comprehendatur, necesse est cognosci quæ ab ipsa oriri possunt; sic dicimur non comprehendere aliquod principium, nisi penetremus omnes conclusiones, quæ ab ipso oriri, & deduci possunt.

Quæ doctrina sumitur ex D. Augustino 4. *de* 40
*Genesi ad liter. & lib.* 11. *de ciuitate Dei, & epist.* 112. *cap.* 8. sic dicente. Tunc aliquid comprehenditur, cum totum ita videtur, vt nihil illius lateat cognoscentem; & ex D. Thoma 1. *p. quæst.* 12. *art.* 8. Diuo Anselmo *in Monologio, cap.* 28. Tunc sic res non comprehenditur ex his Doctoribus, quando non cognoscuntur omnia quæ ab ipsa oriuntur, & dependent: sed ens rationis dependet essentialiter, & oritur à virtute intellectiua: ergo non comprehenditur virtus intellectiua à Deo, nisi cognoscatur ens rationis, quod dependet essentialiter ab illa, quod etiam à priori sic probatur.

Tunc aliquid comprehenditur perfectissimè, 41
quando tota cognoscibilitas illius penetratur à comprehendente: sed si ens rationis non cognosceretur, non penetraretur tota cognoscibilitas intellectus à Deo: ergo non comprehenderetur ab ipso. Maior euidens est. Minor sic demonstratur; illud pertinet ad cognoscibilitatem, quod continetur in virtute, vel quasi virtute illius, & ideo omnes creaturæ pertinent ad cognoscibilitatem comprehensiuam Dei, quia continentur in virtute Dei, & dependent essentialiter ab illa; vnde creatura dicitur aliquid creatoris, & sic non potest comprehendi Deus, nisi cognoscantur omnes creaturæ possibiles, vt ait ipse Vazquez *tom.* 2. 1 *partis, disp.* 144. sed ens rationis continetur, & dependet essentialiter à virtute intellectiua creata: ergo pertinet ad cognoscibilitatem illius; quod autem dependeat, sic patet, quia illud dependet essentialiter ab aliquo, quod totum suum esse habet essentialiter ab illo, & non potest aliter esse vlla potentia: sed ens rationis habet esse essentialiter à potentia cognoscente, ita vt non possit aliter habere esse: ergo ens rationis dependet ab intellectu, vel potentia creata.

Confirmatur: comprehensio Dei est infinita, 42
& infinitè perfecta in esse cognitionis: sed non esset huiusmodi, si non cognosceret omnia, quæ dependent essentialiter ab intellectu qui comprehenditur: ergo ad hoc, vt Deus perfectissimè cõprehẽdat intellectum humanum, non solum debet cognoscere entitatem, & formalitatem intellectus: sed etiam ens rationis, quod est aliquid intellectus, & dependet essentialiter ab illo. Maior euidens est. Minor sic probatur. Illa cognitio est infinitè perfectissima, quæ penetrat omne illius, quod comprehenditur, & ideo D. August. dixit pertinere ad comprehensionem, quæ perfectissima, & infinita cognitio est, vt nihil lateat illius, quod cognoscitur cognoscentem, & nihil illius, vt cognoscibile est, sit extra cognoscentem, quia infinitum vt infinitum, omnia comprehendit: sed si cognitio Dei non cognosceret omne, quod est intellectus, non penetraret omne illud quod est intellectus humani, qui comprehenditur: ergo non esset infinitè perfecta. Probatur prima consequentia, ens rationis est aliquid intellectus humani, cum dependeat essentialiter ab illo tam in fieri, quam in conseruari, & continetur in illo, vel cognoscitiuè, vel productiuè; nam ideo creatura est aliquid Dei, quia conseruatur, & fit essentialiter, & con-

tinetur in Deo: ergo ad hoc vt Deus perfectissimè comprehendat, &c. Item quia non solum est aliquid causæ quod dependet à causa, sed etiam pertinet ad suam cognoscibilitatem: sed non esset comprehensio infinita, nisi exhauriret totam cognoscibilitatem illius causæ: ergo à Deo, qui comprehendit intellectum, debet etiam cognosci ens rationis, quod pertinet ad intellectus cognoscibilitatem.

43 Possunt respondere aduersarij, illa entia rationis non pertinere ad cognoscibilitatem intellectus, quia non dicit relationem transcendentalem ad ens rationis.

44 Contra, quia hoc esset verum de quacumque cognoscibilitate, non autem de comprehensiua, & infinita scientia Dei, quia omnipotentia Dei in sententia Patris Vazquez & omnium probatorum Theologorum non dicit relationem transcendentalem ad creaturas possibiles, & nihilominus, quia dependent à Deo in sua existentia, ita pertinent ad cognoscibilitatem illius comprehensiuam, vt si Deus non cognosceret aliquem effectum, vel omnes creaturas possibiles, vt ait ipse Vazquez, quæ omnium secundum esse existentiale ab omnipotentia, non comprehenderet omnipotentiam perfectissimè.

45 Confirmatur; sicut se habet ens rationis ad intellectum, sic se habet iris, & color cæruleus fictus in cœlo apparens (secundum sententiam aduersariorum) ad visum, vt latissimè supra probatum manet: sed Deus cognoscit iridem, quia comprehendit potentiam visiuam à qua pendet essentialiter & quasi producitur: ergo ex eo quod comprehendat intellectum creatum, à quo dependet ens rationis essentialiter, cognoscit clarissimè ens rationis: maior est manifesta, & consequentia à paritate rationis, & etiam quia vbi est eadem ratio, vel quasi ratio formalis &c. Minor sic probatur; quia nemo loquitur de re aliqua & de proprietatibus eius sapientissimè, certissimè, & prudentissimè, qui non cognoscit entitatem, & proprietates illius; imo hilpanè dicimus loquentem de eo, quod non intelligit: *habla como papagayo, sin entender lo que dice:* quo modo loquendi ignorantiam illius propalamus: sed Deus loquitur in Scriptura de iride sapientissimè, & prudentissimè v.g. *Genes.* 9. arcum meum ponam in nubibus &c. cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & erit signum fœderis: ergo Deus cognoscit iridem cum de illo loquatur.

Item loquitur de colore cæruleo *Exod.* 24. 10. ibi: [Et viderunt Deum Israël, & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirinis & quasi cœlum cum serenum est;] id est quasi cœlum colore cæruleo imbutum, quia quando cœlum serenum est, huiusmodi colorem præ se fert, cum autem color cæruleus cœli in nullius sententia sit verus color, sed apparens & fictus per visum, necessario sequitur cognosci à Deo colorem fictum & apparentem, quia impossibile est aliquem loqui de aliqua re sine cognitione ipsius, quia loquutio est significatio aut manifestatio rei vt conceptæ alloquente; vnde eandem rem debet habere in mente quam manifestat in verbis, quod si in animo nihil habeat, neque in voce poterit habere: sed Deus in verbis loquitur de colore cæruleo: ergo sine dubio cognoscit & comprehendit illum.

46 Vrgetur hoc ex Patre Suarez, addendo nec-

IL. DEPH. PENNAFI. Theologiæ naturalis. VII

uos rationi, quam Suarez adfert; ad quod suppono ex doctrina euidenti in metaphysica, quod licet ens rationis non habeat propriam speciem impressam; sed cognoscatur per speciem entis realis, habere tamen propriam speciem expressam, seu proprium conceptum mentis, quo ipsum ens rationis tanquam obiectum repræsentetur intellectui; tunc sic.

Deus perfectissimè comprehendit huiusmodi 47
speciem seu conceptum entis rationis: ergo etiam cognoscit ipsum ens rationis: consequentia patet, quia actus non comprehenditur, nisi cognoscatur obiectum, sed obiectum huius actus, seu conceptus mentis est ipsum ens rationis: ergo Deus comprehendens ipsum mentis conceptum, cognoscit etiam ens rationis, quod tanquam obiectum repræsentat conceptus comprehensus.

Pater Vazq. docet ens rationis non repræsen- 48
tari illo actu, sed extrema realia quæ sunt partes entis rationis.

Sed contra: nam hæc sententia falsa est, quia 49
destruit propriam expressam speciem, & intellectionem entis rationis; si autem est propria species expressa, propriusque conceptus entis rationis, proculdubio ipsum ens rationis est obiectum talis speciei, vel conceptus, quia id est obiectum speciei vel conceptus, cuius fuerit propria species vel conceptus, vt ex terminis constat: sed datur propria species expressa, & proprius conceptus entis rationis: ergo ipsum ens rationis est obiectum talis speciei, & repræsentatur tali conceptu.

Declaratur amplius: vel talis species, aut con- 50
ceptus naturaliter, & ab intrinseco repræsentat ens rationis, vel non? Hoc vltimum non dices, quia iam negares, quod supposito concesseras; sequeretur enim non dari cognitionem creatam entis rationis contra experientiam, nam species, & conceptus naturaliter repræsentat suum obiectum: ergo ens rationis est obiectum illius conceptus, quia quod naturaliter repræsentat species, est obiectum speciei, & consequenter debet cognosci à Deo ens rationis. Nam mente intelligibile est, quod ista cognitio comprehendatur à Deo secundum intrinsecam, & naturalem repræsentationem, & quod non cognoscatur ab ipsa naturaliter ens rationis, quod per ipsam essentialiter repræsentatur, præcipuè quia ipse Pater Vazquez asserit, non posse vnum principium comprehendi, quin cognoscantur omnes conclusiones, quæ possunt deduci ab illo, & secundum omnes Doctores scientia diuina non potest comprehendi, quin cognoscantur omnia obiecta illius scientiæ, tam primaria quam secundaria, atqui conclusiones non dependent à principio, neque obiecta à scientia per veram, & realem dependentiam, & causalitatem vt ipse Vazq. asserit, neque scientia dicit relationem transcendentalem ad obiecta, & nihilominus quia conclusiones, & obiecta pertinent ad scientiam & ad principia, necessario debent cognosci, vt comprehendantur principia, & scientia: ergo etiamsi ens rationis non dependeat essentialiter à cognitione, ex eo præcisè quod sit obiectum cognitionis, vt comprehendatur ipsa cognitio.

Vrgetur, quia si Deus non cognosceret ens 51
rationis, non cognosceret id quod formaliter est in cognitione creata & reali: sed hoc est falsum: ergo Deus cognoscit ens rationis. Minor est certissima;

certissima; quia quidquid est in ente creato à Deo formaliter cognoscit Deus, quia cum ipse sic agens intellectuale, nihil producit quod incognitum sit diuinæ sapientiæ; vnde cum quidquid est formaliter in cognitione creata producatur à Deo; inde est, quod quidquid formaliter est in ipsa, cognoscatur ab ipso. Sequela illa maioris sic probatur; in actu intellectus est formaliter repræsentatio entis rationis: sed Deus non cognoscit in actu intellectus repræsentationem entis rationis, quatenus talis est per vos, quia non cognoscit ens rationis: ergo si non cognoscit ens rationis, non cognoscit aliquid, quod est formaliter in actum intellectus. Maior est certa, & conceditur ab eodem Patre Vazquez *tom. 2. in 1. p. disp. 118. cap. 4. n. 14.* Minor probatur; vt cognoscatur repræsentatio formalis alicuius obiecti, debet cognosci obiectum repræsentatum per illam repræsentationem formaliter: sed Deus non cognoscit obiectum repræsentatum per illam repræsentationem formaliter: ergo non cognoscit illam repræsentationem, vt repræsentatio est formaliter illius obiecti. Maior probatur; licet scientia diuina sit repræsentatio hominis, & equi, si ex vi illius scientiæ tantum cognoscitur equus, non cognoscitur scientia vt est repræsentatio hominis: ergo etiamsi Deus cognoscat repræsentationem extremorum realium, si non cognoscat ens rationis ex vi illius cognitionis, non cognoscet repræsentationem entis rationis vt talis repræsentatio est: sed talis repræsentatio est aliquid formaliter in cognitione creata: ergo Deus non cognoscit aliquid, quod est formaliter in cognitione creata; ergo Deus non comprehendit illam.

52 Confirmatur hoc exemplo: in huiusmodi actu chimærico; homo est lapis, obiectum repræsentatum non possunt esse extrema realia, homo scilicet, & lapis seorsim: sed potius illa provt coniuncta intentionaliter, & identificata repræsentando illa cognitio identitatem illorum extremorum inter se; tum quia hac ratione ille actus est falsus, & chimæricus, seu fictitius, quia intentionaliter vnit extrema repugnantia in re, in hoc autem, quod est repræsentare hominem seorsim, & lapidem seorsim, quæ fictio esse potest? Quæ falsitas & chimæra? Tum quia ille actus est iudicium, & affirmatio, distinguiturque à simplici apprehensione (& in sententia Vazquez à iudicio fit ens rationis) de ratione autem iudicij mentalis est repræsentare extrema intentionaliter vnita; tum demum quia ille actus est naturalis imago illius entis rationis, Deus autem perfectissimè comprehendit hunc actum repræsentantem hominem vnitum, & identificatum cum lapide intentionaliter, vt sic esse falsum, & chimæricum, quia talem identitatem repræsentat: ergo cognoscit vnionem, & identitatem inter hæc repugnantia extrema intentionaliter repræsentantem per intellectus conceptum, & consequenter cognoscit ens rationis, quia illa vnio & identitas hominis cum lapide intentionaliter repræsentata ratione cuius ille conceptus est falsus, est ens rationis, vt constat, quia non habet aliud esse, quam fingi, & obiici intellectui, præcipuè quia Deus scit à nobis, vt optimè ait Pater Hurtado, modo agi de chimeris, quia scit Deus à nobis disputari, hoc enim negare esset sacrilegium, cum Deus immediatè, infinitè sapiens, & intellectuale agens concurrat ad nostram cognitionem: ergo aliquomodo apprehendit chimæras, nam si eas non apprehendat, neque de illis conceptum vllum efformat; qui scit à nobis disputari de illis? Vnde certissimè dicendum est terminis implicari, dum conceditur cognosci à Deo me disputare de chimæra, quin apprehendat chimæram, imo videtur per se notum à Deo cognosci comprehensiuè chimæram, non directè in illa, vt à se ficta: sed potius directè cognita vt à nobis fabricata.

Vrgetur, Deus cognoscit veritatem omnium 53
propositionum, cum diuinus intellectus sit prima totius veritatis regula: sed propositio hæc est vera, & euidens; homo non est chimæra: ergo cognoscit intellectus veritatem: sed cognitio propositionis, eiusque veritas pendet ex cognitione extremorum essentialiter: ergo debet Deus vtrumque propositionis extremum cognoscere; at vnum ex extremis est ens rationis formaliter: ergo Deus cognoscit ens rationis formaliter. Econtra vero, cum quis iudicat chimæram existere; Deus cognoscit huiusmodi iudicium esse falsum: sed illud non posset cognoscere, nisi cognosceret obiectum talis actus, quod est chimæra: ergo hanc potest Deus cognoscere, atque adeo ens rationis; chimæra enim ens rationis formaliter est. Probatur minor; ab eo quod res est, vel non est, iudicium intellectus dicitur verum, aut falsum: ergo fieri non potest Deum cognoscere prædictum iudicium esse falsum, quin cognoscat obiectum, quod existere affirmatur, non esse ita, sicut per propositionem significatur: consequentia sic probatur; quia ad hoc vt cognoscatur aliqua propositio falsa debet cognosci illa propositio, vt minimè adæquans se cum obiecto; vel debet cognosci per illam propositionem rem aliter, ac est, repræsentari: sed non potest cognosci rem aliter ac est repræsentari, nisi cognoscatur priuationem repræsentari vt qualitatem, & hominem repræsentari vt identificatum cum leone, quæ non se habent à parte rei ita: sed cognoscere quod priuatio vt qualitas cognoscatur à Petro, & homo vt identificatus cum leone, est cognoscere qualitatem in priuatione, & identificationem hominis cum leone repræsentatam, & fictam à creatura; huiusmodi enim obiecta sunt entia rationis: ergo cognoscit entia rationis, provt repræsentata, ficta, & fabricata à propositione, & cognitione hominis.

## SVBSECTIO III.

*Tertium argumentum principale ponitur.*

EVidenter totum hoc conuincitur: Deus po- 54
test dicere certissimè; hæc propositio falsa est, & hæretica; Deus est chimæra; Deus est ens rationis: sed non potest dicere certissimè illud, nisi clarissimè cognosceret essentiam Dei, & essentiam chimæræ: ergo Deus cognoscit chimæram secundum suum esse & essentiam. Maior est de fide, & lumine naturali euidens est; nam quæcumque veritas creata, seu scientia, est in Deo eminentissimo modo & perfectissimo: sed hæc est scientia creata, & veritas creata dum à me profertur hæc propositio, falsum est dicere, Deum esse chimæram, & ens fictum: ergo est eminen-

tissimo modo in Deo: sed Deus potest loqui secundum suam perfectissimam scientiam quodcumque voluerit: ergo potest. Minor illa sic probatur. Non potest certissimè iudicium ferre, vel formale, vel eminentiale de rebus, vel affirmando vnum de alio, vel negando de illo aliquod prædicatum, nisi cognoscatur vtrumque extremum; nam si sine cognitione perfecta extremorum affirmatur, vel negatur aliquid de aliquo, certe tale iudicium obnoxium est falsitati, & in falsitatem potest incidere, falsumque reddi, imo de facto falsum est, quia certissimè affirmatur hoc esse illud, vel hoc non esse illud, cum certissimè non cognoscatur esse, vel non esse; quomodo enim possum ego certissimè affirmare hominem non esse equum, si non cognosco naturam hominis, & naturam equi, & vtrumque inter se repugnare, ex vi prædicatorum suorum essentialium; imo temerarium iudicamus eum, qui sine cognitione duorum extremorum affirmat certissimè vnum non esse aliud, vel econtra.

55 Exemplis manifestis hoc conuinco, & illustro; si Petrus diceret non cognoscendo hoc extremum Microchosmos, homo non est Microchosmos, certè temerariè, & falsò procederet; temerariè, quia non cognoscendo prædicatum, & naturam illius, negat de homine, falsò; quia negat, quod non est negandum; imò si non negaret, sed affirmaret, dicendo hominem esse Microchosmon, diceremus, iste temerariè, & audacter procedit, quia non cognoscendo naturam prædicati, & an conueniat subiecto, affirmat de illo & imprudenter procedere diceremus, tum quia tam certè affirmat quod non certè scit; tum quia in proxima se ponit occasione errandi, & quia obnoxius est falsitati, imo hispanè vt imperfectionem illius iudicij explicemus, & imperfectionem illius certitudinis, seu adæquationem illius, qui non cognoscendo vtrumque extremum vnum negat, vel affirmat de alio, solemus dicere; *aunque a certò, pero fue esto casualmente, i como a certò, pudo errar, y se puso a esto iugo, y assi no se puede escapar de temerario, que ne conociendo la natura leza de las cosas, juzga de ellas*; atqui non potest attribui Deo hæc imperfectio: ergo si Deus dicit, certissimè hæretica, & falsa est hæc propositio; Deus est chimæra, Deus est ens fictum, ideo est, quia perfectissimè cognoscit, & naturam Dei, & naturam entis rationis cum omni suo constitutiuo essentiali secundum quod repugnat identificari cum Deo.

Vrgeo, si ego interrogarem à Deo dum Deus dicit, falsum est dicere, chimæram esse Deum, tu scis certissimè chimæram non habere essentiam Dei? Quid responderet Deus? Absque dubio diceret, se certissimè scire. Ergo Deus cognoscit naturam chimæræ, cum sciat non esse naturam Dei, qui talis naturæ est, vt illi repugnet esse Deum. Nam si Deus non cognosceret essentiam, & naturam chimæræ, quomodo posset scire talem naturam esse, cui repugnet esse Deum, quia illa repugnantia fundatur in essentia, & in sententia aduersariorum est idem negatio Dei in chimæra, & talis essentia chimæræ, quia per suam essentiam, quatenus ficta & ens rationis est, repugnat esse Deum, & non est Deus: ergo qui cognoscit perfectissimè, & sapientissimè illam repugnantiam, quæ est de essentia chimæræ, cognoscit, & ipsam essentiam, quæ idem est cum illa repugnantia, cum repugnantia non possit cognosci, nisi cognoscatur illud, ratione cuius sit illa; sicut non potest cognosci repugnantia in homine respectu equi, si non cognoscatur, hominem esse animal rationale, & equum esse irrationale, & irrationale dicere negationem, & dictam repugnantiam respectu hominis, & hominem respectu equi.

Deinde Deus, vt diximus scit infinitè seipsum 56
non esse chimæram, & ens rationis; si enim quæramus à Deo vnde sciat potius, Deum esse ens independens, quam chimæram, ens rationis? Absque dubio dicet, quia scio me esse à parte rei infinitum absolutè, à me ipso necessario, & realiter existens sine vlla fictione, & si aliquis instaret stultè, fortè etiam ens rationis existens esse à se infinitè existens à parte rei necessario; sine dubio Deus diceret falleris, quia certissimum est chimæram, & ens rationis non esse ens reale infinitum: sed potius imperfectissimum, fictum, purum, obiectiuum in cognitione propter suam imperfectionem. Sed hoc est cognoscere perfectè essentiam entis rationis: ergo Deus illam cognoscit; alias si Deus non cognosceret, essentiam illam, anceps, & dubius remaneret nec determinatè, & certè affirmaret illam chimæram non esse Deum; quia imprudenter procederet, cum non certum de illa re iudicaret tam determinatè; vnde & imperfectissimè procederet cum se manifestissimo errori ea falsitate exponeret, affirmando quod non scit, vt manifeste patet: ergo ne has imperfectiones in Deum accumulemus, dicendum est, Deum perfectissimè cognoscere ens rationis.

Nec potest dici, quod Deus dum sic interro- 57
gatur, suspendatur, & non possit respondere, nec possit determinari; nam hoc infinitè abhorret ab infinita, & perfectissima scientia, nimirum, quod non sciat an ipse sit, vel non sit chimæra; ô miserrimus Deus ab istis tam miserrimis miserrimè fictus, qui tam indignè sentiant de tam infinitè perfecto ente, & de tam infinitè sapiente; quod audiant dicere, Deum dicernere non posse inter Deum, ac chimæram, nec posse certe cognoscere, an sit ipse Deus chimæra, vel non; quod hispanè dicere solemus. *Sabe tan poco, que aun no sabe, qual es su mano derecha, ni sabe distinguir entre blanco, y negro*: Maximè enim chimæricum est ad tot ignorantiæ angustias coarctare nostrum infinitum creatorem; coram Deo enim trement columnæ cœlorum, & Cherubin, quæ plenitudo scientiæ interpretantur, velabant faciem suam propriam ignorantiam confitentes; vtinam isti authores aliquando temerariè ob solum propria iudicia defendenda, non determinatè infinitudinem, & Deitatem tollant; quid mirum cum tam indignè sentiant de Deo, vt negent scientiæ Dei, quod ipsi scient; tunc scis Deum non esse chimæram determinatè, & te non esse chimæram, cum sis miserrimus homuncio, quid enim negas, Deum seipsum cognoscere, non esse suam fictionem?

Quartò sic probo illudendo totum, & præci- 58
puum fundamentum Patris Vazq.

Si propter aliquam rationem non esset con- 59
cedenda cognitio entis rationis in Deo, maximè quia sequitur, quod Deus ex eo quod cognoscat, faciat ens rationis: sed facere est summa imperfectio: ergo. Sed hæc ratio non rectè procedit

cedit: ergo fundamentum vnicum, & Achilles Vazquez vti debilissimum sua tenuitate corruit. Nam primo interrogo, an solum præcisè cognoscere sit facere ens rationis, & nulla alia imperfectio, vel aliud amplius misceatur in tali efficientia, præter cognitionem; si enim purè cognoscere est facere, & purè cognoscere, vt probatum est, nulla est imperfectio, imo vt ait D. Thomas, & ratio naturalis dictat; summa perfectio scientiæ est, etiam ad imperfectissima & minutissima descendere, vt satis latissimè demonstratum manet: ergo si facere est tantum purum cognoscere ens rationis, & cognoscere ens rationis nulla sit imperfectio; sed maxima perfectio quantum est de se, non solum erit concedendum in Deo talem scientiam dari: sed etiam vt nullum inconueniens est concedere talem efficientiam.

60 Inquit Vazquez, facere aliquid amplius, præter purum cognoscere est, nimirum cognoscere fingendo, & cognoscendo rem aliter ac est, & cum hæc sit imperfectio, non potest concedi Deo.

61 Sed contra primo non sequitur, quod semper ac cognoscitur ens rationis, fingatur; nec sequitur, quod cognoscatur res aliter ac est, quia separabiles sunt cognitiones, quæ fingunt ab iis, quæ cognoscunt ens rationis, vt in se est, & cum veritate cognoscendo scilicet ens rationis, vt fictum, & non verum ens: ergo potest reperiri hæc cognitio, quæ perfecta, & vera est in Deo circa ens rationis, sine eo quod necessario reperiatur illa cognitio, quæ est fictio entis rationis falsa, imperfecta, & quæ fabricatio illius nominatur: ergo friuolum est fundamentum aduersariorum, & procedit ex ignorantia distinctionis, & separationis illarum cognitionum; quapropter conclusio falsa erit & friuola.

Primum antecedens sic demonstratur; quia hæc cognitio: ens rationis est ens fictum, & chimæra est identitas falsa, & ficta inter hominem, & leonem, seu est ens compositum sine fundamento veritatis, non est fictio, nec est falsa, sed vera cognitio, nec est compositio, seu fabricatio entis rationis: sed potius est destructio, vt ita dicam, & detectio falsitatis entis rationis, seu cognitionis fingentis ens rationis, dum asserit, ens rationis est fictum, & cognitio, per quam fit, est falsa cognitio; vnde qui sic loquitur, cognoscit hominem fingentem esse deceptum in hoc, quod cognoscat vt ens, quod non est ens, & componat, seu coniungat incompatibilia inter se, quod potius destruere, quam facere ens rationis est: v. g. fingit Arius diuinitatem monstruosam carentem illa infinita perfectione Trinitatis, & fœcunditatis diuinæ ad intra, Filium enim minorem Patre fingebat, ac proinde non esse Deum prædicabat, quare enim fingebat illud monstruosum ens rationis? Fortè quia cognoscebat, dicere Filium minorem Patre, esse commentitium, & figmentum, & carentiam illius secundæ personæ in diuinis esse phantasticam, & deceptionem? Minimè quidem. nam si hoc ita contingeret, potius esset rectè, & perfectè cognoscere, detegere ignorantiam, reserare errorem, reuelare hæresim, & destruere illud monstrum rationis, quam illud fingere, expellere tandem densissimas illas ignorantiæ & fictionis tenebras, luciditissimo, ac splendenti claritatis radio; alias tota Ecclesia, & vniuersa Concilia, vt supra dixi contra figmenta illa Ariana collecta, ens illud fingerent; vnde & errorem, imo & in hæresim inciderent; quia nihil aliud est errorem, & hæresim operari; nisi fingere in Deo non dari Trinitatem personarum, fingere Verbum diuinum esse minorem Patre, & non habere essentiam increatam, ideoque passim Doctores, vt Hieronymus, Augustinus, & Hilarius agentes de hac hæresi, imo & Concilia v.g. Nicenum illud magnum sub Syluestro, imperante Constantino Magno, præsidibus Osio Episcopo Cordubensi, & Victore presbytero, vti Sedis Apostolicæ Legatis, vbi octodecim supra trecentos Patres adfuere, decernendo veritatem Catholicam, vocat figmentum, fictionem, & deceptionem hæresim illam: ergo si fingere est errare & in hæresim incidere, & cognoscere quomodocumque hæresim, & fictionem, seu errorem obiectiuum est fingere de primo ad vltimum, Ecclesia tota errauit, in hæresim incidit; imo Christus, qui sub specie pueri scindentis sua vestimenta tunc temporis Alexandro Alexandriæ Patriarchæ apparuit, & reuelauit illa visione hæresim Arianam, errauit, in hæresim incidit, quod est insignis, valdeque detestanda hæresis.

Vnde vt certissimum dicendum est cognoscere ens rationis vt fictum, & vt apparens veram cognitionem esse, & non esse fabricationem entis rationis: v. g. cognoscere mendacium fictum ab homine vt fictum contra veritatem, non est mendacium facere, neque mentiri; esset autem mentiri & mendacium, si aliquis assereret, tale mendacium non esse mendacium, sed veritatem; & affirmaret ita esse rem, vt per mendacium iam factum asseritur; At vero cognoscere illud vt figmentum deuians à veritate, vt diximus, non est falsa, sed vera, non est imperfecta, sed perfecta, non fictio, & fabricatio entis rationis, sed potius est oppugnatio, & destructio illius; imo hæc cognitio qua cognoscitur purè speculatiuè ens rationis, vt ens fictum, est realiter distincta à cognitione, qua cognoscitur res aliter ac est, & à cognitione, qua fingitur ens rationis; ratione cuius est omnino independens & separabilis ab illa, imo de facto separatur in homine, nam postquam quis cognouit rem aliter ac est, v. g. per simplicem apprehensionem Angelum vt iuuenem alatum, Deum vt solem immensæ claritatis & lucis, per iudicium destruit id quod cognouerat per simplicem apprehensionem, dicendo, & affirmando, licet à me cognoscatur Deus, Angelus vt iuuenis alatus, nullo modo est talis, nec Deus est propriè & verè sol, sed spiritus purissimus, infinitus, omnino distinctus à sole; cognoscimus enim spiritualia, vt corporea, tum propter fragilitatem nostram & imperfectum modum intelligendi mentis nostræ, dum corporis ergastulis detinetur; tum quia caremus speciebus propriis rerum spiritualium, & illas per species quas habemus rerum corporearum cognoscimus.

Ecce quomodo dantur duæ cognitiones; prima, quæ fabricat ens rationis, eo quod cognoscit rem aliter ac est. Secunda, quæ solum est purè speculatiua entis rationis iam fabricati, cognoscentis ipsum sicuti est. Prima est falsa cognitio, secunda verissima, & distincta à prima ac separabilis omnino ab ea. Item si aliquis, vt hæreticus diceret non dari Trinitatem personarum in diuinis, & postea diuino Numinis auxilio illumi-

natus

natus resipiscceret, cognoscceretque se errasse, iudicaretque fictum esse illud monstruosum commentum in hoc casu de hoc secundo iudicio quis, etiam amens dicere auderet, esse fictionem, ac falsam cognitionem? Certè nullus, quia tam hæresis est, & contra fidem dicere; non dantur tres personæ in diuinis, ac dicere falsum, & erroneum est asserere, esse tres personas in diuinis, & condemnare conditionem Arrianam; tanquam falsam, & hæreticam: ergo si vna cognitio non est realiter fictio: sed diuina reuelatio, & articulus de fide, & verissima, ac perfecta cognitio digna Deo; alia autem est detestanda hæresis, falsissima, & erronea cognitio, distinguentur sine dubio realiter separabunturque necessario inter se, vt de facto separantur in catholicis, & Doctoribus Ecclesiæ, qui cognoscunt figmenta Lutheri, Caluini, Arrij & alia id genus entia ficta, & rationis, & non fingunt illa: ergo similiter poterit dari vna cognitio sine alia in Deo vera sine falsa, destructio entis rationis sine fictione illius, purè speculatiua cognitio chimæræ sine cognitione practica illius.

Ex quo euidenter colligitur, si catholicè, & sapienter loquamur, nullius momenti esse hunc syllogismum. Datur in Deo per vos cognitio entis rationis, per quam perfectissimè cognoscit, tale ens esse fictum, procedereque à cognitione imperfecta, & falsa hominis cognoscentis rem aliter, ac est in se: ergo datur in Deo fictio, & productio entis rationis, & cognoscit rem aliter ac est in se; quæ collectio similis omnino est huic: Deus cognoscit errorem, ignorantiam actualem, cognitionem mendosam hæreticam, vt tales, & cum omnibus imperfectionibus, quas in seipsis habent: ergo Deus cognoscit cognitione mendosa, erronea, falsa, & imperfecta, fingit, errat, mendacium & ignorantiam fabricatur, absit tam ignorans, erroneus, & mendax colligendi, & arguendi modus, fateamurque nostram ignorantiam, & infinitam Dei sapientiam miris laudibus prædicemus, & collaudemus, quæ cognoscit nostra figmenta sine fictione, nostra mendacia cum summa veritate, nostros errores cum summa scientia, sicut spirituali & infinito modo corporea, & finita comprehendit.

62 Secundò contra; quia apud ipsum Patrem Vazquez ens rationis fit per actum fingentem: sed si Deus cognosceret ens rationis ab homine fabricatum, nihil fingeret (supponamus per impossibile Deum in tua sententia cognoscere ens rationis:) ergo etiamsi Deus cognoscat huiusmodi ens fictum ab homine, non faciet illud; minor in qua est difficultas sic probatur; quia fictio est actus intellectus difformis, & non conformis obiecto: sed actus, quo Deus cognosceret ens rationis fabricatum ab intellectu, vt apparens omnino fictum, & non verum, non esset difformis, sed conformis obiecto: ergo etiam si cognosceret illud, non fingeret; vnde cognitio illius non esset fictio. Minor sic demonstratur, quia illa est cognitio conformis obiecto, & non difformis illi, quæ repræsentat, & cognoscit obiectum sicuti est, & non aliter ac est: sed illa cognitio Dei repræsentaret & cognosceret ens rationis, quod est apparens, vt apparens, quod est fictum vt fictum, & quod non est à parte rei: sed solum fabricatum ab intellectu vt tale, quod est cognoscere ens rationis, quod est obiectum talis cognitionis, sicuti est & non aliter ac est: ergo talis cognitio non est fictio: sed vera, & propria speculatio entis rationis.

Item quia respectu intellectus diuini illud obiectum non est solum obiectiuè, siquidem extra intellectum diuinum in intellectu humano est purè obiectiuè; vnde Deus cognoscit illud ens rationis nihil esse ex parte obiecti à parte rei: sed illud esse fictum, fingendum, aut fictibile ab humano intellectu: ergo extra intellectum Dei est ens rationis eo modo, quo cognoscitur à Deo: ergo illud obiectum non habet esse obiectiuè tantum in intellectu diuino; vnde intellectio, qua cognoscit ens rationis, non est fabricatio illius, nec Deus cognoscens ens rationis factum ab homine, aliquid fingit; cum non tribuat Deus illi purum esse obiectiuum, nec existit purè obiectiuè in intellectu diuino, cum ita existat extra intellectum diuinum eo modo quo intellectus diuinus cognoscit illud.

## SVBSECTIO IV.

### *Vltimum argumentum principale ponitur.*

SI Deus non cognosceret ens rationis, faceret ens rationis: sed Deus non potest facere ens rationis, vt probabimus *quæst. sequenti*, & est absurdum quod intendit vitare Pater Vazq. ergo Deus cognoscit ens rationis. Maior probatur. Facere ens rationis, est cognoscere rem aliter ac est in se: sed si Deus non cognosceret rem aliter ac est in se: ergo faceret ens rationis. Maior est definitio effectionis entis rationis. Minor probatur. Actus nostri intellectus in se, & à parte rei repræsentant ens rationis: sed Deus cognoscit, ac si non repræsentaret illud: ergo cognoscit rem aliter ac est in se. 63

Dices, Deum non cognoscere actum intellectus, ac si non repræsentaret ens rationis: sed tantum vt repræsentantem extrema realia; sicut quando homo cognoscit essentiam diuinam solum vt repræsentantem hominem, etiam si non cognoscat vt repræsentantem equum, & sic non facere ens rationis.

Sed contra: ergo Deus facit distinctionem rationis. Probatur consequentia: tunc aliquis intellectus in obiecto facit distinctionem rationis, quando vnam formalitatem cognoscit sine alia: sed Deus in nostra cognitione vnam formalitatem cognoscit sine alia: ergo facit distinctionem rationis. Maior est certa, & patet in exemplo posito de scientia diuina; quando cognoscimus scientiam diuinam vt est repræsentatio Dei, & non vt est repræsentatio equi, distinguimus ipsam essentiam diuinam formaliter & per rationem, & quando cognoscimus ipsam scientiam diuinam vt est repræsentatio hominis, & non vt est repræsentatio equi, distinguimus idæam diuinam hominis ab idæa equi; & ratio à priori est, quia quoties vnum cognoscimus, non cognito alio, quod est idem realiter cum ipso, intelligibiliter separamus vnum ab alio: sed separari vnum ab alio sub ea ratione, qua separatur est distingui vnum ab alio: ergo intelligibiliter distinguimus vnum ab alio. Minor præcipua probatur. Deus cognoscit repræsentationem extremorum realium in nostra cognitione, &

& non cognoscit repræsentationem obiecti rationis: sed illæ sunt duæ formalitates in eadem cognitione: ergo cognoscit vnam formalitatem, non cognita alia: ergo distinguit vnam ab alia: ergo Deus facit distinctionem rationis.

Confirmatur; si Deus non cognoscit ens rationis, non cognoscit iudicium nostrum falsum, vt falsum: ergo cognoscit rem aliter ac est in se. Probatur antecedens, hoc iudicium v. g. homo est quantitas, in tantum est falsum, in quantum habet pro obiecto identitatem quantitatis cum homine & vnionem illorum extremorum: sed Deus non cognoscit illam vnionem, quia est ens rationis: ergo non cognoscit falsitatem iudicij: ergo non cognoscit iudicium vt falsum: ergo cognoscit illud vt verum: patet consequentia; quia inter iudicium verum, & falsum à parte rei non datur medium: sed Deus non potest cognoscere iudicium illud, vt falsum: ergo cognoscit vt verum: ergo cognoscit rem aliter, ac est in se: ergo facit ens rationis.

Confirmatur secundo, & ante confirmationem aduerte, mendacium esse duplex aliud materiale, & hoc est, quando propositio conformatur cum mente loquentis, non tamen cum obiecto provt est à parte rei: v. g. currit Petrus, & si ego intelligam non currere, & dicam quod non currit erit mendacium materiale, quia propositio conformatur cum mea cognitione, & non conformatur cum obiecto, provt existit à parte rei. Mendacium autem formale, quando propositio non conformatur cum cognitione loquentis, & si conformetur cum obiecto provt est à parte rei; vt si Petrus currat, & ego intelligam, quod non currit, & dicam, quod currit, illud est mendacium formale, quia licet propositio conformetur cum obiecto provt est à parte rei, non conformatur cum mea cognitione: quo posito sic argumentor.

Deo repugnat omne mendacium, tam formale, quam materiale: sed si Deus non cognosceret ens rationis, vel non posset loqui de actu, quo ego facio ens rationis, quod absurdum est, illi non repugnaret omne mendacium: ergo Deus cognoscit ens rationis. Maior est de fide, vt latè probat Suarez in materia de fide, *tract.* 1. *disp.* 3. *sect.* 5. *per totam.* Minor probatur; si Deus loqueretur de cognitione hominis fingente ens rationis, deberet loqui non conformando se cum sua cognitione, dicendo actum intellectus humani esse repræsentationem entis rationis, & tamen esset mendax formaliter: sed hoc est absurdum & contra fidem: ergo non est dicendum: ergo deberet conformari cum sua cognitione in loquutione illa: sed tunc esset mendacium materialiter: ergo &c. Probatur minor, quia tunc loquutio diuina non conformaretur cum obiecto provt est à parte rei: sed provt cognoscitur à Deo: sed loquutio, quæ non conformatur cum obiecto provt est à parte rei, etiamsi conformetur cum illo provt cognoscitur à loquente, est mendacium materiale: ergo illa loquutio diuina esset mendacium materiale: ne ergo incidatur in hoc absurdum, dicendum est Deum cognoscere ens rationis.

## SECTIO III.

*Secunda conclusio ponitur.*

64 DEus in se, & directè cognoscit purè speculatiuè ens rationis; hæc est contra Smiglesium, & probatur euidenter sic: ens rationis fictum ab intellectu humano est cognoscibile in se immediatè: sed omne cognoscibile eo modo quo est cognoscibile debet cognosci à Deo: ergo ens rationis quod est cognoscibile immediatè, & in se, cognoscitur à Deo. Maior sic probatur; quia illud est cognoscibile immediatè, & in se, quod actu immediatè, & in se cognoscitur: sed intellectus creatus immediatè, & in se cognoscit ens rationis; nam hæc cognitio, ens rationis est fictum, & non verum, est cui repugnat existere à parte rei, est cognitio sine aliquo medio terminata ad naturam entis rationis, in illa enim cognitione, nec intellectus creatus, nec aliquid aliud præter ens rationis immediatè attingitur, in ipsaque repræsentatur: ergo immediatè, & in se est cognoscibile: patet hæc consequentia euidenter; quia ab actu ad potentiam euidens est consequentia; sed ens rationis actu cognoscitur immediatè: ergo ens rationis habet non repugnantiam seu capacitatem logicam, vt cognoscatur actu immediatè; nam si non haberet capacitatem, & non repugnantiam haberet repugnantiam; cum repugnantia enim actus non potest compati actus; ergo non esset talis actus, sicut quia chimæræ repugnat existere, est inexistibilis à parte rei & sic non existit necessario essentialiter; vnde econtra actu cognoscitur: ergo non repugnat cognosci in se, & immediatè: ergo habet non repugnantiam: ergo est cognoscibile immediatè &c. Deinde quia vt ens rationis extrinsecè terminet actum cognitionis in se, non est necesse vt actu realiter existant, sed sufficit vt non habeant repugnantiam vt actu cognoscantur, vt distincta ab ente reali, & præcipuè quia cognitio, quæ ad ens rationis terminatur, non affirmat ipsa esse à parte rei, sed ea esse entia ficta: ergo siue sint realia, siue non, in se sunt immediatè cognoscibilia; præcipuè quia ens rationis eo modo quo est, habet esse distinctum ab ente reali, & ab intellectu creato per immediatam negationem vnius respectu alterius; nam est verum dicere; ens rationis in se, & immediatè non est ens reale, nec intellectus creatus; at intellectus creatus immediatè non est ens rationis: entia enim rationis non distinguuntur per aliud à quocumque alio: sed per proprium esse immediatè; nam ab intellectu, & cogitatione creata distinguitur ens rationis, rogo per quod distinguatur, non per aliud, quia vel illud aliud est ens rationis, & de illo interrogo, an & per quid distinguatur, vel illud aliud est reale; & ab illo debet distingui, vel per se, vel per aliud; si per aliud, proceditur in infinitum; nec per se, quia impossibile est quod ratio formalis distinguendi sit ipsum extremum, à quo est distinctio, vt latissimè in Metaphysica probatum relinquo: ergo per seipsum est distinctum immediatè: ergo immediatè habet aliud esse ab intellectu: ergo aliam cognoscibilitatem quia cognoscibilitas sequitur esse: sed ens rationis habet

bet immediatè esse distinctum ab intellectu, & ab intellectione, & ab omni esse creato vel increato reali: ergo habet distinctam cognoscibilitatem immediatè, & in se præter cognoscibilitatem illorum: ergo potest immediate, & in se cognosci, & non mediante cognitione, vel intellectu creato: ergo. Minor sic probatur; quia scientia Dei est omniscientia, quia est infinita: sed sub omniscientia est hoc cognoscibile eo modo, quo est cognoscibile: sicut sub omnipotentia est omne possibile eo modo quo est possibile: ergo ens rationis, quod immediatè cognoscibile est ab intellectu creato, est cognoscibile immediatè ab omni scientia Dei, & à Deo.

Dices; sicut non valet, aliquod est cognoscibile discursiue, & abstractiuè à creaturis: ergo discursiue & abstractiuè est cognoscibile à Deo; sic similiter ens rationis est immediatè cognoscibile à creaturis: ergo est immediatè cognoscibile à Deo.

Sed contra, quia quando modus, quo potest cognosci illud obiectum non dicit secundum se imperfectionem, si conuenit creaturis, perfectiori, & eminentiori modo conuenit Deo; imo non potest conuenire respectu creaturarum, quin conueniat respectu Dei. Et ratio à priori est, quia id, quod fuerit perfectio sine imperfectione debet attribui Deo continenti omnem perfectionem sine imperfectione; quia vti infinitè perfectus est omniperfectus, vt patet, & quia cognoscibile intuitiuè secundum se est perfectio sine imperfectione, & est respectu creaturæ necessario attribuitur Deo, & quia cognoscibile vt est ens rationis cum veritate est perfectio, & conuenit creaturæ necessario est concedenda respectu Dei. Econtra vero cognoscibile discursiue dicit imperfectionem discursus, nam discursus dicit imperfectionem actuum intellectus realiter distinctorum, abstractiuè cognoscere dicit imperfectionem, & ideo non conceditur Deo; imo inconsequenter dicunt aduersarij abstractiuè non posse cognosci à Deo, cum de facto detur cognitio abstractiua in Deo respectu entis rationis in eorum sententia; ipsi namque dicunt, Deum non cognoscere immediatè ens rationis in se, sed solum in intellectione creata; quod est abstractiuè cognoscere: ergo vel male arguunt, vel imperfectionem à se concessam in cognitione abstractiua ponunt in Deo; quod an sit securum in fide, ipsi viderint? Ego enim iam video ita non esse: sed cognoscere immediatè ens rationis vt in se est fictum, cognoscendo esse fictum, nullam dicit imperfectionem: ergo Deus cognoscit illud ens rationis immediatè, & ens rationis est cognoscibile respectu Dei immediatè.

Hæc minor sic probatur, quia cognitio vera secundum se immediatè terminata ad obiectum non est imperfectio, imo est perfectio: ergo scire immediatè aliquod obiectum, non est imperfectio; hoc sic patet, quia vel illa cognitio dicit imperfectionem; quia est immediatè cognitio vera, vt sic, & hoc est falsissimum, quia Deus immediatè cognoscit verè multa, vt hominem, &c. vel quia est immediata cognitio tam imperfecti obiecti; & hoc etiam non: Nam peccatum, aut perfectius est ente rationis, aut æquè imperfectum, aut ad minus est imperfectissimum, & nihilominus Deus cognoscit immediatè peccata vt in Scriptura patet: increpate illa in se, vt fornicationem, idololatriam, homicidium. Item in lege Decalogi ait, non occides, non falsum testimonium dices, &c. vbi immediatè, cognoscit Deus peccata, & loquitur de illis, imo super viam dæmonis quæ consistebat in fictione illius, qui fingebat se esse æqualem Deo increpat, ac de figmento illo pœnas dignas, ac debitas repetit, imo Deus illudens Adamum, ait; ecce Adam quasi vnus ex nobis, vbi apertè cognoscit Deus, & explicat, se cognoscere illud figmentum Adami, illudque portentosum ens rationis, se nimirum Deum esse, cum sit creatura, se enim falsum à Deo credebat, & ad diuinitatis statum assensurum putabat Adam; quod Deus increpat, & illudit, & increpando immediatè indicat se euidenter cognoscere immediatè, & non medio aliquo: ergo iam Deus immediatè cognoscit ens rationis: ergo illud cognoscere nullam dicit imperfectionem.

Item, quia si ex eo quod ens rationis est imperfectum, non posset cognosci immediatè, etiam peccatum, quod imperfectissimum est non posset cognosci propter eandem rationem; vbi enim est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis: sed licet sit imperfectum, cognoscitur immediatè: ergo licet ens rationis sit imperfectum cognoscetur immediatè. Nam sicut est summa perfectio scientiæ verè cognoscere etiam minutissima, & infima; ita etiam est summa perfectio verè, & immediatè cognoscere infima, & imperfectissima; quia ex imperfectione obiecti cogniti nulla refunditur imperfectio in cognoscentem: ergo. Item quia illa ratio, seu modus ex parte cognitionis, quæ potest dari in Deo, respectu vnius, licet perfectum sit vnum, & imperfectum aliud obiectum respectu cuius datur, potest dari respectu omnium, imo si esset imperfectus ille modus respectu nullius conueniret Deo, quia quod est imperfectio respectu nullius est concedenda in Deo: sed ille modus immediatè cum veritate cognoscendi conuenit Deo respectu sui, hominis, leonis, &c. ergo etiam potest sine imperfectione conuenire illi respectu cuiuscumque entis rationis; v. g. quia modus cognoscendi simplicissimè cum veritate, euidenter intuitiuè, & certissimè conuenit Deo respectu sui, conueniunt sine aliqua imperfectione respectu omnium, etiam respectu entis rationis: sed immediatè, & in se cognoscere est modus perfectus sine imperfectione cognoscendi respectu sui, Angelorum &c. ergo etiam conueniet Deo respectu cuiuscumque, etiam respectu entis rationis.

Econtra vero, quia modus cognoscendi dubitanter dicit imperfectionem, & quia modi opinatiuè falsè, obnoxiè falsitati, discursiue &c. dicunt imperfectionem respectu nullius, nec entis realis nec rationis conueniunt, nam respectu Dei quod semel conuenit in ordine ad aliquod obiectum sine imperfectione respectu omnium potest competere illi, quia cognitio Dei, cum non dependeat ab obiectis nec habeat esse ab illis, respectu omnium eadem permanet sine mutatione, aut vicissitudine: sed immediatè cognoscere conuenit Deo cum perfectione sine imperfectione: ergo respectu omnium conueniet, etiam respectu entis rationis sine imperfectione cum perfectione summa; vnde cum de aliquo obiecto dubitatur, an in se cognoscatur respectu Dei, vt de

de futuro contingenti absoluto, & conditionato, de possibilitate creaturarum, de priuatione, & negatione est quia dubitatur, an sit in se immediatè cognoscibile, & ideo statim ac conuincitur esse tale obiectum cognoscibile in se respectu cuiuscumque intellectus, statim conuincitur, & conceditur cognosci à Deo, quia quidquid sine imperfectione, vel ablatis imperfectionibus cognoscitur à creatura, debet perfectiori modo cognosci à Deo; quia infinita Dei scientia non solum cognoscit: sed etiam supercomprehendit omnia imaginabilia, cognoscibilia, & opinabilia à creatura propter suam infinitam perfectionem cognoscendi. Deinde probatur ex solutione argumentorum simplicis.

Secundò & interrogo quare Deus non cognoscat ens rationis directè, & immediatè? Dicit Smiglesius quia tunc cognosceret rem aliter ac est, quæ imperfectio non cadit in Deum.

Contra, quia quando obiectum est cognoscibile mediatè cum veritate, etiam potest cognosci cum illa & sine imperfectione, mediatum autem, & immediatus modus cognoscendi non facit quod cognoscatur res vt in se est, cum veritate, vel falsitate vt in se non est; v. g. homo potest cognosci in Deo, vt in speculo, vel in omnipotentia Dei, quod est mediatè cognoscere cum sit cognoscere in causa, & quia potest tunc cognosci cum veritate vt in se est sine fictione, potest etiam cognosci immediatè in se sine fictione; modus enim immediatus cognoscendi rem non facit quod obiectum, quod cum veritate cognoscitur, falsè cognoscatur, ex eo solum quod cognoscitur nunc immediatè, quod antea mediatè cum veritate cognoscebatur; quod euidenter sic concluditur.

Nam quidquid est etiam falsum, si in se cognoscibile est, immediatè est cum veritate cognoscibile, quia cognoscibilitas alicuius est quædam non repugnantia, vt cognoscatur vt in se est: sed ens rationis est cognoscibile immediatè vt supra demonstratum est: ergo est cognoscibile vt in se est immediatè: ergo verè cognoscibile immediatè, cum verè cognoscibile sit illud, quod cognoscibile est, eo modo quo est in se. Deinde quia vt supra probauimus à me, & à quocumque definiente ens rationis verè, & immediatè cognoscitur, & sine aliqua falsitate: ergo est cognoscibile cum veritate immediatè: ergo à fortiori à Deo est cognoscibile immediatè cum veritate summa, imo falsum est dicere, quod à Deo sit mediatè cognoscibile cum veritate, & à creatura mediatè, & immediatè cum veritate; & à Deo solum mediatè cum veritate, & immediatè cum falsitate; nam cum veritate cognoscere siue mediatè, siue immediatè est perfectio sine imperfectione: ergo debet attribui Deo si respectu creaturæ datur perfectio cognoscendi cum veritate tam mediatè, quam immediatè ens rationis, & respectu Dei dabitur illa perfectio cognoscendi tam mediatè, quam immediatè ens rationis cum veritate; sicut quia error Arij, qui ens rationis est, cognoscitur tam mediatè, quam immediatè à creato Doctore, & Angelo, etiam cognoscitur tam mediatè, quam immediatè cum veritate à Deo, quia hoc modo cognoscere summa & Deo digna perfectio est, & illam negare indignum est infinitæ perfectioni diuinæ omnia vt in se sunt immediatè, etiam minutissima scienti, & comprehendenti; ideoque ait Paulus, omnia nuda & aperta sunt oculis eius.



## SECTIO VLTIMA.

*Argumenta aduersariorum dissoluuntur.*

AD primum primæ sententiæ argumentum respondetur, negando, quod ex eo quod Deus cognoscat ens rationis, efformet illud. Ad probationem illius nego maiorem; ad secundam probationem istius maioris negatur etiam maior. Ad tertiam probationem distinguo, non concurrit intellectus humanus, actualiter concedo; potentialiter, nego. Nam licet verum sit, quod actualiter non producat intellectus ens rationis, nihilominus possibilitatem habet tale ens, vt producatur ab intellectu, ab ipsoque suam existen- recipiat. 66

Item negatur suppositum, quod provt est ab æterno in intellectu diuino sit actu ens rationis existens, & actu fabricatum, tantum enim cognoscitur pro tunc speculatiuè vt fabricabile, & vt fabricandum in tempore vt quid fictitium per cognitionem cognoscentem rem aliter ac est; ex hac autem cognitione non sequitur, quod conseruetur à Deo, quia sicut ens rationis non producitur nisi per cognitionem fictiuam; cognitio autem Dei non est fictiua, quia est vera cognitio, & opposita fictiuæ, imo potius vt diximus, est quasi destructiua entis rationis, cum per illam cognoscat Deus, hominem decipiendum esse in tali fabricatione, vt iam supra diximus, conseruaret vtique ens rationis, si cognosceret quod non est, ac si esset; vel si affirmaret Deus ita esse illud obiectum vt cognoscitur à cognitione fingente, vt diximus de iudicio Barbari, quod quia oritur à simplici apprehensione falsa, per quam cognouit lunam esse minorem rota currus, iudicium affirmat ita esse, vel quia hæreticus per simplicem apprehensionem fallitur cognoscendo Deum non esse trinum, confirmat per iudicium similiter iudicando Deum non esse trinum, quod iudicium certè non seruat ens rationis factum à simplici apprehensione, quia tam fallitur hoc iudicium, quam illa simplex apprehensio circa idem obiectum, quod aliter euenit in homine sapiente & catholico, qui per simplicem apprehensionem cognoscit vt senem Patrem æternum, & Angelum vt iuuenem alatum; per iudicium vero corrigit dicendo, & iudicando non esse ita vt simplex apprehensio cognoscit; imo affirmat Deum nihil habere senectutis, & Angelum minimè esse iuuenem, falliique simplicem cognitionem, de quo iudicio quis poterit dicere conseruare ens rationis fictum à simplici apprehensione, quin potius dicendum est tale iudicium esse destructivum entis rationis facti à simplici apprehensione; sic similiter cognitio Dei, quæ cognoscit ens rationis esse fictum ens potius destruit, quam conseruat ens rationis factum ab homine, sicut quando cognoscit mendacium esse tale potius destruit quam conseruat illud. 67

Ad secundum conceditur tota illa maior quanta sit, & nego minorem; ad probationem nego quod ab æterno ens rationis habeat existentiam, seu esse existentiale, solum enim cognoscit

gnoscit Deus ens rationis vt possibile, vel vt postea producendum, vnde cum nondum sit fictum non à creatura, quæ tunc non est; non à Deo, quia non cognoscit rem aliter ac est, sed solum verè cognoscit Deus ens rationis, vel vt possibile, vel vt futurum ab intellectu creato, ideo solum potest dici talem possibilitatem entis rationis habere à Deo esse extrinsecum cognitum quod potius est reale quam rationis, quia verè à parte rei cognita est à Deo talis possibilitas entis rationis; vnde sumpta hac constitutione entis rationis ab æterno ex parte cognitionis diuinæ realis extrinseca denominatio est, vt latè diximus explicantes naturam & essentiam entis rationis; vnde cum hic non quæramus de esse extrinseco entis rationis, sed potius de esse intrinseco apparente & ficto; inde est quod optimè negetur à nobis ens rationis habere esse ab æterno actuale.

Confirmatur ac declaratur, Deus cognouit ab æterno hæresim Arrianam & negationem Trinitatis in Deo ab Arrio fictam, quæ hæresis minimè habuit esse actuale ab æterno, quia non fecit illam Deus, cùm solum cognouerit talem hæresim vt possibilem, & vt futuram ab Arrio; vnde absolutè dicendum est hæresim ab æterno non habere existentiam: sed tantum possibilitatem eius actu esse cognitam vt sic, quæ denominatio, vt diximus, realis est sumpta ex parte cognitionis diuinæ; cum autem talis denominatio extrinseca non sit existentia hæresis obiectiuè, quia talis hæresis quando existit, existit intrinsecè, fictiuè, & apparenter; inde est quod licet cognoscatur à Deo actu ab æterno, & sit cognita actu cum ex vi illius cognitionis non cognoscatur res aliter ac est; ideo colligitur necessario ab æterno non esse actu hæresim, seu monstram illud fictum ab Arrio, quod eodemmodo euenit in quocumque ente rationis, vt diximus.

Ad illud autem, quod ait Vazquez, illud nimirum esse obiectiuum, nec esse, nec posse esse. Respondetur cum P. Hurtado, quod licet habeat illud esse obiectiuè in Deo, non tamen habere esse obiectiuè tantum in mente diuina, nam etiam ex parte obiecti est, sicut obiicitur intellectui diuino; vnde non obiicitur diuerso modo intellectui diuino quo in se est, ens autem rationis licet nullum habeat esse in se reale actuale, nec possibile, habet tamen in se esse fictum in aliqua differentia temporis, seu vt melius loquar fingendum, futurumque, vel saltem esse fingibile, & vt tale cognoscitur à Deo; nam vt obiectum possit à Deo verè cognosci, sufficit si cognitio Dei possit illi conformari exprimendo illud, sicut in se est possibile, vel futurum, vel fictum actu, nam licet esse obiectiuè habeat formaliter à Deo, tamen non habet esse obiectiuè tantum in Dei cognitione, sed ex parte obiecti est illud, sicut obiicitur menti diuinæ, quod non contingit in cognitione fingente.

Ad illud, nec obstat, respondetur similiter negando Deum facere ens rationis, quia cognoscit illud, nam licet possibilitati entis rationis tribuat Deus esse cognitum extrinsecum, cum illud non sit falsum esse, & fictitium: sed potius sit vera denominatio extrinseca realis, proueniens à cognitione diuina percipiente rem sicuti est; inde euenit quod minimè fingat Deus ens rationis, sicut ex eo quod Deus cognoscat ab æterno mendacium, non sequitur à Deo produci, vel fingi illud, vt patet ex supradictis.

Ad tertium respondetur cum distinctione, nihil aliud est quam obiici, si obiiciatur res aliter ac est, concedo; si non obiiciatur nisi vt est, nego.

Ad quartum, negatur antecedens, ad probationem antecedentis nego secundam partem illius, nimirum quod non possit repræsentari per alium conceptum formalem; quis enim dicet hoc gymnasium, quod cognoscitur ab vno, non posse ab alio iterum atque iterum, imo millies cognosci. Deinde experientia docet, quod actus reflexus tendit in idem obiectum vt cognitum, & vt obiicitur actui directo, hac enim de causa talis actus reflexus vocatur, ita similiter potest cognoscere animal, & rationale in homine esse idem inter se & ab intellectu humano, non obstante illa identitate propter suam imperfectionem distingui illa prædicata, quæ cognitio Dei, quatenus terminatur non solum ad res realiter, sed ad figmenta hominum non tamen fingendo illa: sed potius cognoscendo esse ficta ab homine summa perfectio Dei est; vnde falso Deo à contrariis denegatur.

Ad argumentum Smiglesij nego maiorem; deinde negatur quod omnis cognitio entis rationis sit cognoscere rem aliter ac est, vt patet ex demonstrationibus supra factis; deinde falsum est dicere, quod ex eo quod ens rationis sit ficta vnio entium, debeat cognosci fictè, nam quæcumque fictio, & figmentum, si vt in se est cognoscatur, non fictè sed verè cognoscitur, & verè est cognoscibile, vt patet ex supra latissimè dictis; vnde riget & alget hæc ratio, solum debet addi, quod omne obiectum creatæ cognitionis idem ipsum, quod à creatura cognoscitur, cognoscatur à Deo, vt passim ait D. Thom. vt supra *prima ratione* probauimus, sed in fictis cum hoc discrimine, vt illud quod creatura cognoscit per cognitionem fingentem, Deus cognoscat cum summè vera cognitione, vt quod creatura per assensum falsum cognoscit Deus per dissensum verum; vnde idem ipsum obiectum, quod creatura cognoscit aliter ac est in se, Deus cognoscit sicut est in se, & etiam sicut cognoscitur à creatura per deuiationem à veritate, quam intuetur in actu creato Deus verbi gratia, homo cognoscit Angelum, vt iuuenem alatum; Deus autem cognoscit Angelum, & cognoscit non vt iuuenem, sed vt spiritum purissimum, & simul cognoscit talem Angelum cognosci ab homine vt iuuenem alatum, deuiando à veritate, & sic penetrat falsitatem assensus creati, cognoscendo obiectum illius assensus non esse sicut à creatura cognoscitur, deuiareque creaturam in sua cognitione à veritate, quia non conformatur cum suo obiecto, quatenus est à parte rei.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO IX.

*Vtrum Deus faciat ens rationis.*

### SECTIO I.

*Sententiæ aduersariorum probantur.*

1 PRima sententia est eorum, qui asserunt à Deo fieri proprium ens rationis: hanc opinionem defendit Ægidius *de præsent. lib. 5. de visione Dei, quæst. 6. artic.* 10. §. 7. Smiglesius *tom. 1. Logicæ disp. 1. quæst. 8.* P. Gilius *tract. de distinct. rationis*, Albertinus; qui licet neget Deum facere distinctionem rationis, ait tamen nullam dari implicationem ad hoc vt Deus faciat relationem rationis; hæc sententia probatur primo ex D. Thom. *1. part. quæst. 15. art. 2. ad 3.* vbi sic ait: [respectus quibus multiplicantur idææ, non causantur à rebus: sed ab intellectu diuino comparante essentiam suam ad res,] & in solutione ad §. sic ait respectus multiplicantes idæas non sunt in rebus creatis: sed in Deo, & postea subdit, ne quis fortè responderet esse in illo fundamentaliter, ratione perfectionis essentiæ, quæ secundum se est multipliciter imitabilis, dicendo non tamen sunt reales respectus, sicut illi, quibus distinguuntur personæ: sed respectus intellecti à Deo, quibus omnibus verbis plane conuincitur de sententia D. Thomæ, respectus rationis, & distinctionem per rationem confictam fieri à Deo.

2 Secundò de nouo à me excogitato argumento contra me sic insurgo: hæc est vera propositio in Christo Domino recepta ab omni Schola Theologorum, Deus prædestinauit hunc hominem ad esse filij naturalis: sed prædestinatio est ordinatio, seu ordo obiecti, vel subiecti prædestinati ad terminum prædestinationis: ergo hic homo est ordinatus à Deo ad esse filij Dei naturalis, quia hic homo est subiectum prædestinatum, & esse filij Dei naturalis est terminus illius prædestinationis. Illa minor sic probatur, ideo Beatus Petrus ordinatur ad beatitudinem cœlestem & supernaturalem, quia prædestinatio est ordinatio, Diuus Petrus est subiectum prædestinatum, & beatitudo est terminus illius prædestinationis: ergo prædestinatio est ordinatio, seu ordo subiecti prædestinati ad terminum prædestinationis. Tunc sic in Christo Domino hic homo & esse filij naturalis non sunt extrema realiter distincta, sed potius identificata realiter: nam idem est esse hunc hominem, & esse hunc filium Dei naturalem, quia hic homo constat ex suppositio diuino, & hac humanitate Christi, & hic filius Dei naturalis nihil aliud est quam subsistentia Verbi, & hæc humanitas suppositata per illam, ita vt ex hac humanitate & subsistentia Verbi, constituantur identicè hic homo, & hic filius Dei naturalis, qui sine aliqua distinctione identificantur realiter: ergo si talis prædestinatio est à Deo prædestinante Deus enim & non alius præstinauit hunc hominem ad esse filij Dei naturalis) & talis prædestinatio est ordinatio seu ordo necessario erit à Deo ordo, seu ordinatio inter hunc hominem & esse filij Dei naturalis: ergo fit à Deo ordinatio seu relatio rationis. Patet hæc vltima consequentia, quia tunc est ordo seu relatio rationis, quando extrema inter quæ reperitur talis ordo, non realiter sed solum per rationem distinguuntur, vt patet euidenter ex omnium, tam Philosophorum quam Theologorum vnanimi consensu. Item ex conditione necessaria ad relationem realem, quæ necessario vt talis sit, petit extrema realiter distincta vt in Metaphysica, & Logica latè demonstratum manet; præcipuè si loquamur de relatione prædicamentali, & non transcendentali, vt est hæc, quæ minimè transcendentalis est, alias prædestinatio esset de essentia huius hominis prædestinati, omnis enim relatio transcendentalis est de essentia illius, cuius relatio est; ratio autem quare relatio prædicamentalis petat duo extrema realiter distincta inter se est, quia inter extrema relata datur realis oppositio: sed non potest dari realis oppositio nisi inter extrema realiter distincta, ideo enim inter prædicatum, & subiectum, inter genus & differentiam, inter vniuersale, & particulare non datur relatio realis: sed rationis, quia non distinguuntur realiter: ergo. Sed hæc extrema hic homo & esse filij Dei naturalis inter quæ datur illa ordinatio prædestinationis vt probauimus non distinguntur realiter sed tantum per rationem: ergo talis ordinatio, seu relatio erit non realis sed rationis; atqui talis ordinatio fit à Deo: ergo à Deo fit ordo, seu relatio rationis.

3 Tertiò, quia facere ens rationis nihil aliud est, quam dare illi essentiam, & existentiam obiectiuam per conceptum, & repræsentationem: sed Deus enti rationis à se cognito dat per conceptum, & repræsationem diuinam distinctam essentiam & existentiam obiectiuam, ab existentia, quam tribuit illi intellectus creatus: ergo Deus facit ens rationis.

Confirmatur, quia esse obiectivum quod ens rationis habet in mente diuina, non est illud ipsum esse obiectivum quod habet in mente creata. Tum quia antequam haberet existentiam ab ente creato ab æterno habebat à diuino. Tum quia illa existentia prouenit à repræsentatione: ergo à diuersa repræsentatione prouenit diuersa existentia: ergo à diuina, quæ est infinitè diuersè creata, proueniet diuersa existentia.

4 Dices illud ens rationis cognosci à Deo, vt factibile vel vt factum, aut denique vt faciendum à creatura. non tamen fieri à Deo.

5 Contra, quia sicut à creato intellectu, ideo dicitur factum, quia ab eo esse obiectivum recipit quod nec est nec potest esse realiter, ita similiter ab intellectu diuino noua ratione accipit esse obiectivum, quod nec est nec potest esse realiter.

Deinde ens rationis habebat actu ab æterno in mente diuina esse obiectivum cum actu esset obiectum diuinæ cognitionis: sed illud esse obiectivum erat existentia entis rationis: ergo erat actu existens ab æterno in mente diuina; sed vt sic cognoscebatur: ergo cognoscebatur vt existens, etiam factum non à creato intellectu, quia ab æterno nullus creatus intellectus extitit: ergo à mente diuina: ergo non vt factibile solum vel vt faciendum, sed vt iam factum à se, & vt faciendum à creaturis cognoscebatur.

6 Vltimo Deus cognouit suam voluntatem &

distinctam ab intellectu suo: sed hæc distinctio non est realis: ergo rationis. Maior probatur, ea quæ separantur in ea ratione, qua separantur, distinguuntur: sed in mente diuina separantur, intellectus & voluntas diuina: ergo distinguuntur in mente diuina: Maior clara est, minor probatur, Deus cognoscit Verbum diuinum procedere per intellectum, & non per voluntatem: ergo in cognitione diuina voluntas non est producens Verbum, & est producens intellectus in cognitione diuina: ergo in cognitione diuina separantur quoad filij productionem: ergo distinguuntur in mente diuina.

7 Secunda sententia est eorum, qui asserunt Deum facere ens quoddam rationis, quod non est propriè tale, sed potius est verum & à parte rei, vocatur tamen ens rationis, quia est minimæ, & imperfectæ entitatis; hanc sententiam defendunt Fonsec. 4. *Met. cap. 2. quæstione 10. sect. 3. cap. 4.* & alij.

Probatur primò, negationes & priuationes sunt entia rationis: sed huiusmodi entia efficit Deus: ergo Deus efficit entia rationis. Maior clara est & sumitur ex Aristotele 4. *Met. cap. 2. textu 2. & lib. 9. cap. 7. textu 14.* Minor probatur, quia Deus cognoscit directè huiusmodi entia: sed cognitio directa est effectio: ergo Deus efficit; quod autem Deus cognoscat directè probatur, quia Deus videns oculum, & visum, iudicat visum non esse in oculo cœci, vt aduersarij fatentur: ergo iudicat carentiam visus esse in oculo: sed huiusmodi iudicium non potest dari, quin detur directa cognitio negationis, seu priuationis: ergo.

8 Secundò, quia si propter aliquam rationem Deus non faceret entia rationis, maximè quia sunt entia conficta, & concepta tanquam entia, ea, quæ non sunt talia, quæ conceptio propter suam imperfectionem, non potest conuenire intellectui diuino: sed hoc est falsum, quia entia rationis logica sunt sine fictione & sine falsa cognitione, secundum D. Thom. Duran. Herueum, cæterosque Theologos, qui admittentes secundas Logicorum intentiones, dicunt esse entia, quædam vera, & positiua, debilissimæ tamen entitatis, & quæ solum conueniant rebus ratione existentiæ obiectiuæ, quod clarissimè iam relatus Angelicus Doctor, *opusc. 48. tract. 2. cap. 1.* vbi ait, non esse entia realia, sed intentiones; vnde non negat entitatem, seu realitatem: ergo non repugnat per intellectum, &c.

9 Tertiò, quia ens rationis participat rationes entis vt sic communes enti reali, & rationis: sed ens vt sic quatenus commune est entibus realibus non est ens fictum, sed verum: ergo ens rationis participat veram rationem entis: maior clara est ex Aristotele dicente ens diuidi in reale, & rationis: sed hæc diuisio non est merè æquiuoca: ergo analoga; atqui si non esset verum ens de quo loquimur non esset diuisio analoga, sed solum nominis, & æquiuoca: ergo.

Quartò, Deus cognoscit denominatione extrinseca creaturam, in esse dilectæ, & amatæ, quatenus amat, & diligit illam; amatum enim esse, & dilectum denominatio extrinseca est, sed denominatio extrinseca, vti minimæ entitatis est ens rationis: ergo Deus facit, & constituit ens rationis.

## SECTIO II.

### *Aliqua certa notantur.*

AD tituli quæstionis intelligentiam aduertendum est contra Fonsec. Gil. & alios ex Thomistis hanc quæstionem solum loqui de entibus, quæ propria entia rationis sunt, quæque ficta, & non vera, seu apparentia vocantur, minimeque à parte rei reperiuntur, nec habent esse ante omnem fictionem intellectus; nam si ea vocemus entia rationis, quæ verè reperiuntur à parte rei, & positiua, vel negatiua sunt, debilissimæ tamen entitatis, & quæ habent proprium esse ante omnem fictionem, & operationem intellectus, potius est elusio vocabulorum, quam recta entis rationis assignatio; ea enim entia realia appellanda sunt absolutè, & minimè entia rationis, alias species intentionales vocarentur entia rationis, quia debilissimæ entitatis sunt, & vocantur ab omnibus Philosophis. Item, modi omnes, vt actiones præsentiæ, figuræ, &c. qua debilissimæ entitatis sunt, & hac de causa distinctio, quæ ad modos consequitur minima omnium distinctionum dicitur, ideoque ab aliquibus solet dici, modum identificari realiter cum re cuius est modus, & nihilominus licet debilissimæ & minimæ entitatis sint hæc, vera entia realia sunt, & nominantur verè, quia ante omnem fictionem intellectus reperiuntur, veramque habent nullo configente intellectu entitatem, quapropter talia debent iure optimo nuncupari, vt de facto nuncupari asserimus; imo licet non habeant entitatem positiuam, vt sunt cœcitas, mors, vacuum &c. cum tamen sine fictione dentur à parte rei, ante omnem operationem intellectus non sunt dicenda entia rationis: sed entia realia negatiua, vel clarius, & rectius carentiæ reales, vt supra latè demonstratum manet, & ratio vniuersalis horum omnium euidens est, nam modi habent positiuam rationem essendi à parte rei: ergo ab hac potius entia realia, quam à nostra fictione entia rationis nominanda sunt, cum habeant essendi modum perfectiorem à parte rei, à quo possint denominari talia, & idem dicendum est de omnibus, quæ à parte rei veræ sunt, licet minimæ, & debilissimæ entitatis sint, & carentiæ similiter, vt priuationes, & negationes minimæ entia rationis nuncupari debent, propter rationes efficaces, suprà positas, de eis enim omnibus, siue falsò vocentur, vel verè non vocentur entia rationis, non loquitur quæstio præsens, si secundum rigorem metaph. & non secundum abusum Fonsecæ loquamur; nec inquirit titulus quæstionis, an Deus faciat huiusmodi entia, alias idem esset, ac si quæreretur, vtrum entia, quæ dantur à parte rei verè, licet debilissima, fiant à Deo, de quibus nulla dubitatio inter Theologos catholicos Philosophosque Christianos potest agitari, cum certum sit, omne quod est à parte rei dependere ab omnipotentia Dei per immediatum influxum, vt entia positiua, vel per mediatum, vt carentiæ; ex eo enim quod producatur homo, quasi indirectè producitur negatio equi, & ex eo quod substrahatur concursus ab oculo, conseruante potentiam visiuam quasi resultat priuatio illius, cœcitas nimirum in oculis, itaque

itaque in præsenti dubitatione controuertitur verum, sicut intellectus creatus facit, vel quasi producit quædam entia positiua, & priuatiua, quæ non sunt verè à parte rei: sed tantum, per fictionem intellectus, ac proinde sunt entia apparentia, & fictæ entiæ, eodem modo Deus faciat huiusmodi entia fictitia; itaque titulus quæstionis non agit de entibus, quæ vera entia sunt siue sint debilissimæ vel non debilissimæ entitatis.

11 Secundò aduertendum est, quod sicut datur duplex vis naturalis, alia, quæ purè cognoscitiua est, siue euidenter, siue opinatiuè, quæ vel propriè, vel impropriè speculatiua dicitur (cuius iudicium iam determinatum est supra in proæmialibus, videte ibi, nunc autem latiori modo loquimur, vt claritati consulamus) quæ cognoscendo obiectum nihil producit in illo, alia practica, id est cognoscitiua obiecti operando illud, & faciendo, quod antea non extiterat, nunc existat; sic similiter datur duplex cognitio orta ex his principiis, alia purè cognoscitiua obiecti nihil operando in illo, sed potius supponendo illud, vt iam factum, & productum, & respiciendo, vel considerando illud, secundum id esse, quod in se habet, ita ut si hoc esse sit fictum, cognoscendo vt fictum, si sit reale cognoscendo vt tale, iudicando de obiecto eo modo quo in se est, contemplandoque vt ita loquar illud, vt totum iam præsuppositum, secundum suum esse ante illam cognitionem, per quam illud contemplatur intellectus, alia datur cognitio practica, quæ producit, vel operatur obiectum illud circa quod versatur.

Illustratur hoc exemplis, v. g. hæc cognitio, Deus est simplicissima entitas infinita in omni genere entis, & in omni genere, & gradu perfectionis simpliciter: item hæc, chimera est ens fictum sine fundamento, priuatio cognita, per modum qualitatis est ens rationis, quæ omnes cognitiones puræ speculatiuæ sunt, quia purè contemplantur obiectum, nihil efficiendo in illo; hæ autem cognitiones practicæ sunt, omnis syllogismus, in quo sic ordinantur maior, minor, & consequentia, est rectus & secundum regulas artis fabricatus, omnis homo est animal: sed Petrus est homo: ergo Petrus est animal; item cognitio, qua cognouimus Deum ad modum lucis, & Angelum ad modum iuuenis alati, quæ omnes cognitiones non sunt præcognitiones, non sunt puræ cognoscitiuæ: sed potius practicè, procedunt producendo obiectum, quod respiciunt, cum autem ens rationis eo modo quo est, sit obiectum intellectus eo modo quo est, potest esse obiectum terminans cognitionem practicam vel speculatiuam, seu purè cognoscitiuam; nam hic actus ens factum, vel fabricatum ab homine fingente, cognoscenteque rem aliter, ac est, est ens rationis fictum, & apparens; item hic actus, chimera distinguitur ab iride, & colore cæruleo in cœlo, & à relatione rationis, purè speculatiui sunt; ille autem actus, quo cognosco Angelum, vt corporeum in Deo non dari Trinitatem personarum, & cognitio qua vnitur homo cum leone, sunt cognitiones practicæ, quia non supponunt vnionem iam factam: sed potius illam de nouo fingit, inter hominem equum, & leonem, cum minimè detur à parte rei talis vnio, vnde cum ante istam cognitionem non præsupponeretur chimera: sed potius habet esse, per illam cognitionem & post illam sequitur tale esse, & idem est de cognitione dicta, qua cognoscimus Angelum vt corporeum, & ideo practicæ cognitiones entis dicuntur, quia autem ante illam primam cognitionem iam præsupponebatur ens rationis; imo de ipso, vt de iam habente esse asserit esse ens fictum, & non verum, sed apparens, ac proinde vocatur speculatiua, & vera, & perfecta, practica autem vero, falsa fictiua, & imperfecta.

Aptius explico clarioribus exemplis, v. g. intellectus versatur circa colorem cæruleum cœli, & montium, & circa colores repræsentatos per vitrum triangulare & in collo columbæ, cognoscendo, & iudicando tam hos, quam illos non esse veros, sed fictos: visus etiam versatur circa illos, sed cum hoc discrimine quod visio est cognitio practica, & productiua entis illius fictii, quia ante visionem non habent esse apparens tales colores: sed potius accipiunt illud per visum concipientem lucem, quæ non est color; ac si esset color, & sic de nouo habent esse per cognitionem visiuam, cognitio autem intellectus versatur circa illos colores, non dando esse illorum, quia iam habent à visu: sed purè speculatiuæ, cognoscendo illos vt sunt, scilicet ficti, quæ tantum abest vt sit practica, quin potius sit destructio falsitatis, & fictionis practicatæ à potentia visiua detegendo apparentiam illorum colorum, iudicandoque non esse à parte rei veros colores; vnde vera, & perfecta cognitio est intellectus; cognitio autem visus imperfecta, & falsa; nam omnis conceptio (vt profundè notat eximius Doctor P. Franciscus Suares communis huius sæculi, toto plaudente orbe, magister sapientissimus, his verbis) rei quæ aliter se habet ex parte obiecti; aut modi repræsentandi ex parte illius quam res cognita se habeat in se est imperfecta, & non habet illam conditionem ex vi obiecti, sed ex parte cognoscentis: dico autem ex parte obiecti, &c. quia ex parte cognoscentis, & actus seu entitatis eius fieri potest, vt res aliter formetur in intelligente quam sit in se ob maiorem perfectionem cognoscentis, sicut enim cognoscimus materialia immaterialiter, & Deus cognoscit finita infinito modo, & composita simplicissimè, & mutabilia immutabiliter, & potentialia per purissimum actum, qua hæc omnia solum dicunt perfectionem in illo esse quo cognitio perficitur; at vero, quoad repræsentationem obiecti, pertinet ad perfectionem cognitionis, vt ita repræsentet illud sicut est, & omnis cognitio, quæ recedit ab hac proprietate, non potest id habere ex perfectione cognitionis: sed ex aliqua imperfectione vel limitatione adiuncta, quia perfectio cognitionis consistit in adæquate ad rem cognitam, & consequenter in repræsentatione eius, sicut in se est, atque hinc fit vt ex vi obiecti, intellectus, & terminatiui nunquam sit necessarius alius modus cognitionis; nam potius ipsum obiectum postulat cognosci sicuti est, itaque quotiescunque cognitio repræsentat aliquod in obiecto quod non est tale, vel demum ab illo, quod habet est imperfecta.

Tertiò aduerto cum accutissimo P. Vazquez, 12
qui his verbis, vt solet apprime veritatis scopum collimauit, ex eo quod Deus cognoscat nostrum intellectum discurrere, non fieri, vt ipse etiam discurrat, illa namque optimè nouit discursum;

&

& modum quo nos discurrimus, & ex vno in aliud in cognitione proficimus, & homo ipse dum ista cognoscit, non discurrit, nec in sua cognitione ex vno in aliud procedit, eodem modo Deus cognoscit aliqua per nostrum intellectum distingui; ideo tamen non sequitur ea etiam distingui per intellectum diuinum aliquo modo, sicut ex eo quod sciat, & cognoscat nos intelligere per species materiales spiritualia, & conuersione ad phantasmata, & ita habere de rebus spiritualibus alienos conceptus, instar rerum corporearum, ipse tamen in suo intellectu non potest ita intelligere, & similes de rebus conceptiones formare; nam talis conceptus obiectivus in nostro intellectu pendet ex formali quem habemus, quo solo repræsentari potest illo modo, cumque Deo talis conceptus formalis non conueniat non potest habere nostrum obiectivum, ita præsentem, vt nobis præsens est, cum illis imperfectionibus, veluti conceptus auditus non habet eo modo quo nos, quia non habet visionem, seu auditionem, &c.

13 Deinde obserua, vt aliqua per intellectum distinguantur, opus esse obiectiones, tanquam distinctas, & vt talia, sua cognitione repræsentari, cognoscendo obiectum, quod non habet talem distinctionem, ac si haberet illam; Nec satis esse vt cognoscat illa posse distingui per alium intellectum, alio modo intelligentem; veluti vt aliquis intelligat rem, per discursum & relatè ad aliam opus est, vnum ex alia in sua ipsius cognitione colligere: ergo cum Deus non cognoscat eo modo imperfecto, non potest attributa distinguere quin optimè sciat ea, per nostrum intellectum suo modo imperfecto, cognoscentem distingui, quia ita nouit nostrum imperfectum modum cognoscendi, vt tamen eo modo ipse non intelligat quare videat Deus attributa sua à nobis distingui, & intueatur nostrum conceptum formalem, tamen nunquam ei attributa in sua cognitione obiiciuntur, sicut scit nostro intellectu repræsentari, scit igitur Deus ea posse à nobis nostro imperfecto modo distingui, sed hoc scit simplicissimo modo; ex quo nulla in obiecto distinctio prouenit: vt enim ea ipse distingueret, deberent in suo intellectu repræsentari, sicut in nostra.

## SECTIO III.

### *Nostra sententia proponitur.*

14 PRima conclusio: Deus non facit propriè ens rationis, de quo in primo notabili egimus. Hæc est communior inter Doctores, & probatur.

Primò authoritate D. Pauli *ad Hebræos* 4. vbi sic ait: & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius, per aperta Græcè est τετραχηλισμένα, τ: τραχηλα, σμενα, quod vt erudite aduertunt Salmeron, & Cornelius à Lapide, ἀτράχηλος. ideſt à collo deducitur, ac primo verti potest cum Theophilacto iugulata, aut decollata, & cum Chrysostomo excoriata, vt sit metaphora ab ouibus iugulatis, & excoriatis petita, quod sicut oues pelle sua excoriatæ à collo ad caudam vsque nudæ sunt, & omnia eorum extima, & intima reuelantur, sic diuinæ scientiæ omnia sunt nuda, & aperta; Gagneus autem Ιραχηλίζει inquit, est à collo ad caudam medium secare, siue per medium dorsi findere, ita vt intestina animalis fisci denudentur, & pateant intuenti, sic Deo omnia patent videnti, perinde ac si diffissa essent. Tertiò est Erasmus Riuera, & Escapula *in lexico*, Romanius in hunc locum, & Audatianus *in tractatu critico* τραχηλίζω, inquiunt est in collum, siue cervicem reclino, & resupino hominem, aut animal, ita vt facies resupinata omnibus appareat, & conspicua proponatur, quo sensu Persius poëta ait, aulam resupinat amici; resupinat, ideſt aperit patentem, & conspicuam facit, vt eam quisque perscrutetur, sic Deus omnia quasi resupinata in facie nude, & clarè intuetur, oculos Dei simul vniuersa cernentis inquit Augustinus. *serm. 2. de tempore*, non abdita locorum, non parietum septa secludunt, nec solum ei acta, & cogitata, verum & agenda, & cogitanda sunt nota; ista vera scientia summi iudicis; cui pervium est omne solidum, & apertum omne secretum; cui obscura clarent, Gentiles id ipsum agnouerunt, ita Milesius septem sapientum Græciæ sapientissimus, dicebat hominem sibi persuadere debere deos omnia clarè cernere, deorumque omnia esse plena, seipsumque contemplari; dilucide Homerus quid sit Deus ita definit, Ἥλιος ὃσπαντ' ἐφορᾷ πανυπερτατος ἐστί, est sol, qui omnia videt, & omnia audit. Nimirum, vt ait sapiens, *in omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos*, & vt ait Febardensius; bonos contemplatur, tum comprehensiuè clarè, & vt in se est; primo seipsum, qui summè bonus est, cognoscit reuelata facie, & creaturas, quæ bonitate participata ab eo bonæ sunt; hinc Ægyptij pingebant Deum, quasi oculum vaculo innitentem, vt significarent Dei omniscientiam, omnia contemplantem, & clarè perspicientem, ita Osyrin Deum suum pingebant, quasi Septrum habens in se oculum insculptum, ait Macrobius *lib. 1. cap. 21.* septrum significat dominium, & potestatem regiam, oculus omniscientiam; vnde Græcè θεὸν λέγω τὸ θεαῦσθαι, id est ac clarissimè videndo sine fictione nominant, ideoque Cleantes asserit Deus omnia videt claris oculis, vbi non decipitur, sed omnia inquit Casiodorus, sine veste deceptionis contemplatur nuda, & aperta.

Ex quibus omnibus sic argumentor: Deus Paulum nude, sine aliqua deceptione, & sine veste fictionis cooperta apertè & clarè, non solum seipsum: sed omnia creata contemplatur, vt in se sunt: ergo Deus omnia ex se primo sine ente rationis aliquo fabricato cognoscit. Hæc consequentia clara est, quia res vt in se sunt non habent ens rationis, quia vt in se sunt, existunt à parte rei secundum statum realitatis, sed à parte rei non possunt habere res aliquod ens rationis, quia ens rationis est ens fictum & apparens, ac proinde non est à parte rei: ergo si Deus videt omnia, vt in se sunt, & in se nullum habent ens rationis, videbit sine dubio sine ente rationis aliquo; item, qua si cum ente rationis videret Deus à se primo fabricato in rebus non videret nuda, & aperta omnia, vt ait Paulus: sed potius videret illa vestita, quasi vestibus entis rationis, nam quod est absolutum non videret, vt nudum absolutum: sed vt circumdatum, vestitum & affectum relationibus, & priuationem non videret, vt

vt nudam in esse priuationis: sed quasi vestita qualitate positiua, & oculum cœcum non videret nudum & sine aliqua entitate positiua, quæ est potentia visiua, & cum carentia illius entitatis positiuæ: sed potius videret ipsum oculum cœcum, vt coopertum, & quasi vestitum qualitate; vnde omnia, & aperta videret, vt ait Paulus, nudum enim contemplatur intellectus aliquod, quando vt in se est, & sine aliquo quasi addito videt, v.g. ideo quando coopertus est homo vestibus, quia habet aliquod superadditum in se dum sic videtur, non videtur nudus & apertus sed potius vestitus, & coopertus, & quia Deum in hac vita videmus, quasi lucem, quasi ignem; & Angelum quasi iuuenem, quia Deus nec est lux, nec Angelus iuuenis, dicimur spiritualia vt velata corporeitate, & vestita materialitate cognoscere, cum vt corporea videamus & vt affecta corporeitate.

Vnde ad significandum hoc, & ad denotandum Paulus indicandumque nos spiritualia non cognoscere nuda: sed velata, vestita, & cooperta, minimeque aperta, vt in alia vita, ait tunc videbimus Deum sicuti est reuelata facie gloriam Domini speculantes, id est ablatis velaminibus, & quasi vestibus entis rationis, quibus consideramus spiritualia cooperta, cognoscendo illa vt corporea, Deum vt distinctū à suis attributis, vt relatum ad creaturas, cum nihil horum habeant; quare ait Augustin. tunc reuelabuntur omnia, quia sine fucco, sine vestimentis fictionum, & deceptionum nostrarum videbimus res sicuti sunt, nihil addendo, nihil demendo ab eis: sed si cum ente rationis cognosceret Deus; cognosceret sine dubio obiecta vestita, & cooperta; vnde minimè nuda, & aperta: ergo si vt ait Paulus nuda, & aperta videt, videbit sine dubio absque vestibus entis rationis, vt in se sunt, non cognoscendo res, quæ non habent distinctionem cum illa absoluta cum relatione, simplicia cum compositione; vnde nullum ens rationis fabricabitur à Deo: ipseque nulla apparente veste entis rationis vestitum cognoscet, nam qui ens rationis facit, ideo operatur illud, quia quod absolutum est ad modum relatiui cognoscit cognoscendo illud ac si esset relatum, & quod est idem sine distinctione ac si haberet illam, & priuationem non vt priuationem, sed vt qualitatem positiuam: sed hoc modo cognoscere est cognoscere vestiendo res vestibus entis rationis, quas in se non habent, v. g. absolutum, vt dixi, cognoscit qui facit ens rationis, non nudum, vt absolutum: sed vestiendo illud relatione, & quasi cooperiendo illud tali veste relatiua, & quod est idem cognoscendo non vt nudum idem, sed potius quasi indutum distinctione, & aërem tenebrosum non vt sine qualitate positiua: sed potius vt vestitum illa; atqui Deus non cognoscit vt vestita, nec vestiendo obiecta fictis relationibus, sed aperta, & apertè, nec aërem sine luce cognoscit vestitum qualitate: sed nudum à tali ficta quasi veste, & apertum, & spiritualia non vt vestita, & vestiendo corporeitate, vt v.g. nos Patrem æternum vestimus senectute, & Angelum iuuentute, & pulchritudine corporea, sed omnia omniscientia Dei, vt in se sunt, nihil illis fictum addendo, nec ab illis tollendo, minime velando, vestiendo, aut induendo, sed potius vt nuda omnia, & aperta, & vt ita loquar decollata, iugulata, excoriata, resupinata, & vt in se sunt comprehendit, ita vt spiritualia non cognoscat vestiendo corporeitate ficta, seu ente rationis, & factum ens rationis ab ente creato, non cognoscit, ac si esset verum ens, & vestiendo illud veritate, sed potius quia res nudas videt verū cognoscit vt verum, fictum vt fictum, ens reale vt reale, ens rationis vt tale, solidum vt solidum, & apparens vt apparens, omnia tamen nihil addendo, vt dixi, nec demendo ab illis, quia omnia nuda, vt ait Paulus, videt, & aperta: ergo non facit ens rationis, vt euidenter sequitur ex verbis Apostoli, quia si faceret vestiendo cognosceret, vt nos quando facimus illud, res vestiendo cognoscimus; vnde sic vestita obiecta à se cognosceret, ac proinde non nuda, & aperta, nec sicuti sunt comprehenderet, nos enim quando fingimus ens rationis, ideo non vt in se sunt res cognoscimus, quia cognoscimus spiritualia vt corporea, relata vt absoluta; econtra vero absoluta vt relata, ac per consequens non nuda, sed inducta, & vestita: ergo si Deus faceret ens rationis vestita, & vestiendo illa, & non vt nuda, & in se sunt cognosceret, quando immediatè opponitur verbis Pauli Apostoli.

Hic locus Pauli consonat cum verbis Iob, 15
eandemque veritatem declarat, ac illa *Iob num.* 8. *vers.* 4. sic ait: Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis; supra quæ verba aduerte cum D. Gregorio, Aug. & Hieron. sensum illorum verborum hunc esse, Deus non habet oculos carneos, id est humanos. Caro enim homo est, & ideo non iudicat Deus, de externa tantum specie, intima enim penetrat, & veritatem non solum exuit ex profundo; sed vbicumque delitescat perspicit clarissimè, in quo non se gerit vt creatura, quæ haud verè, & clarè, sed fucate, & apparenter iusta vt iniusta iudicando, spiritualia vt corporea, bona denique vt mala contemplando, & iniquo iudicio condemnando, propter maximas imperfectiones, quibus tota intingitur, ac perfunditur creatura propter corpus denique mortis huius à quo liberari volebat Paulus, dum exclamabat, dicens: quis me liberabit à corpore mortis huius, iudicium, & cognitio; propter videndi facultatis præstantiam; reliqui etiam sensus suam ex oculis appellationem mutuari solent, nam totius corporis sensus, seu sensatio oculorum nomine significari vsu venit, vt supra diximus, quodque significauit Iob, *cap.* 13. Dum inquit; non abstulit mala ab oculis meis, à meo nimirum corpore, cum grauissimos dolores sentiam, ac perferam audiens (prop belle ex Hebræo) & Septuaginta, videns Iacob, quod alimenta venderentur in Ægypto, idem 1. *Reg.* 23. vidit &c. hinc, etiam reliqua, quæ ad sensus omnes pertinent visibilia passim nuncupantur, vt notauit Aug. ad animum etiam oculus transferri solet, & pro interna mentis intelligentia sumi; hinc dicitur mens, aut cor, quasi oculus vt *Actorum* 16. cuius dominus aperuerat cor; item, & excœcari, & obscurari dicitur vt *Marci* 8. nondum cognoscitis, nec intelligitis, adhuc excœcatum cor vestrum, & oculos habentes, non videtis, sic etiam *Num.* 24. dixit: homo cuius obturatus est oculus, non corporeus, vt quidam existimarunt, sed mentis, qui primum enim visionem non habuit propheticam, tunc iam apertis oculis, & lumine prophetico circumfusis, multa videbat præclara.

Aduerte quod in Scriptura non solum malè

videre, sed etiam male audire soleat carneus oculus, nam cum humanus, & carneus oculus externam tantum faciem contemplétur secum frequenter rapit, quòque mentis iudicium, ne ad interiora penetret, quare fallitur, fingit, ac decipitur, & ideo dicebat Dauid: *auerte oculos meos ne videant vanitatem*, id est, ne externa duntaxat rerum specie delecter: sed penetrent ad interiora, perspiciam quid subsit solidæ substantiæ, an externus splendor inanis sit, nam verbum auertendi est eo loco propriè scopum collimare, non decipi vel pertransire fac oculos meos, ne me decipiant externa specie vanissimæ, & fictæ rei, solumque apparentes, hoc enim affert carnis nomen, id quod oculus pellicit, & detinet, quam vanissimum, & verum aurum non sit, quod splendet, & fulget dummodo conspiciatur, ac videatur, sic habetur *Isai* 13. Ægyptus homo, & non Deus, & equi eorum caro, & non spiritus, externa species, sine re, sine robore; sic igitur sunt oculi carnei secundum carnem iudicantes, ac divini oculi à videndi perspicacitate, sine fallacia, sine deceptione, sine fucco, & fictione semper maximopere tamen dantur, quia omnia vt sunt sine aliqua imperfectione videt, nihil ab eis demendo, vel addendo, maximaque claritatis excellentia oculorum luminibus vsurpat ea omnia, quæ in objectis sunt, non autem aliter ac sunt, præterquam enim quod ipsum Dei nomen Græcum hanc videndi efficacitatem præseferat *Theos*, nimirum, à *Theaome*, quod est pure, & sine aliqua fallaciæ, aut imperfectionis mixtione spectare, despicere, contemplari, vt observat Gregor. Nicen. *orat.* 9. *in Cantic.* ideoque ait dici sponsum similem Capreæ, quod animal *Dorcas* dicitur à vi cernendi, Deus enim de supernis cælorum montibus despectat cuncta terrena, ideoque oculos suos passim commendat in scriptura Deus ab illis omnibus rebus, quæ necessaria sunt, ad purissime sine fictione, & fallacia cernendum, & sine errore vllo videndum, atque iudicandum cum summa perfectione cognoscendo vnumquodque provt est, & secundum quod est, cum summa adæquatione cognitionis, cum objecto, ac summa comprehensione ipsius; primo quidem à *lumine*, nam quamvis res in tenebris plusquam simeriis demersæ, & sepultæ sint; habet tamen Deus insitum lumen, vt quasi per extramissionem radiorum objectum splendenti luce perfundere videatur, & videndo aptissimum reddat tali visioni, *Ecclesiastici* 13. oculi eius lucidiores sole. *Apocalip.* 1. & 2. oculi eius tanquam flamma ignis, & clarius *Daniel.* novit in tenebris constituta, & lux cum eo est.

Præterea non solum est proximus objecto sed etiam intime, per quasi lapsum illi præsens ipsique conjunctus, quæ conjunctio non solum non impedit diuinam visionem, sed potius in causa est, vt res ab ipso intime cognoscantur, *Proverb.* 19. in omni loco, oculi domini. *Hieremiæ* 23. si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum dicit Dominus. Tandem divini oculi eminenter continent, infinitoque intervallo superant omnes alias videndi facultates; atque adeo oportet divinam vim cognoscendi infinitam esse certissimam, clarissimam, evidentissimam, nunquam fallacem, haudquaquam errori obnoxiam, semperque recte iudicantem, & vt sunt in se res omnes cognoscentem, quapropter verbis à nobis citatis, ait *Iob*: numquid oculi tibi carnei sunt, aut sicut videt homo, ita & tu vides; quasi diceret propter summam tuæ scientiæ perfectionem infinitamque præstantiam infinite distas à iudicio, & cognitione hominum, ipsi enim falluntur, ac decipiuntur bona pro malis, mala pro bonis, iudicantes spiritualia vt corporea, simplicissima ac si essent composita, summe eadem vt distincta, vna ac si essent plura, & ficta vt vera, apparentia vt solida, absoluta vt relata, & hoc totum, quia carneis, idest imperfectis oculis videnti; tu autem quia non carneis, sed infinita scientiæ perfectione præditis oculis vides omnia sine errore, ac deceptione; & vt vno verbo pandam, non vt homo, cum ignorantia, sed perfectissime, & clarissime omnia circumspicis: hominem errare necesse est in iudicandis, & decernendis rebus aut per imprudentiam, aut per ignorantiam; tu autem, inquit August. quia infinitus es, nec in iudicanda re, nec in discernenda veritate, errare vllo modo potes; vnde minime decipi, nec iudicare vnum pro alio, aut cognoscere rem aliter ac est, sic explicant DD. Ecclesiæ vt Gregor. Hyeron. Fulgentius, & alij hunc locum.

Ex quo ita argumentor, Deus non videt vt homo, & non cognoscit vt homo, vt ait Iob; sed in cognitione hominis, & creaturæ duo dantur, & perfectio euidentiæ, vt sic, certitudinis, veritatis cognoscere rem, sicuti est, &c. & in his perfectionibus vt sic conceptis, non cognoscit Deus aliter ac homo, quia euidentia vt sic, veritas, & certitudo, sunt perfectiones simpliciter sine imperfectione ac perconsequens perfectiones simpliciter simplices; aliud datur in cognitione creata, nimirum finito modo cognoscere, limitato & per discursum, &c. & in his aliter cognoscit Deus, quia infinitè comprehensive simplicissime cognoscit; at vero de his imperfectionibus ratione quarum homo cognoscit aliter, ac Deus, non loquitur Iob verbis relatis, quia tales imperfectiones se habent ex parte cognoscentis; loquitur enim Iob, de differentia ex parte objecti cogniti, cognitio enim creata, & præcipuè humana habet quandam imperfectionem propriissimam creaturæ, maximeque propriam hominis, & quæ correspondet sæpissimè intellectui ipsius, cognoscere videlicet objectum aliter ac est in se, errando quatenus cognoscit vnum, ac si esset alterum, simplicissimum ac si esset distinctum, compositumque ex partibus, spirituale iudicando vt corporeum, negativum vt positivum, cognoscendo vanum & apparens pro solido iudicando, quæ maxima imperfectio est, radicaturque in limitatione creaturæ, ratione cuius maxime discriminatur ac differt Deus à creatura, & de hac (loquitur Iob secundum sensum literalem) differentia dum dicit, nunquid oculi tibi carnei sunt? aut sicut videt homo, ita & tu videbis; ac si diceret homo videt rem aliter ac est, cognoscendo quod non est, ac si esset in illa, talique afficitur imperfectione in sua cognitione, tu minime ita vides, cum perfectissime, ac clarissime vnumquodque quatenus est comprehendas, & ratio est quia non habes oculos corporeos, idest imperfectos, sed infinito luminis splendore præditos, aptissimosque ut omnia præsentissima cognoscas; penetresque etiam minima, cuiuscunque rei, sed in solo illo modo datur fabricatio entis rationis, solumque illo modo cognoscendi potest fieri ens fictum,

ctum, & apparens, vt patet ex supradictis, & ex ipsa experientia constat: ergo si Deus nullo modo vt creatura cognoscit rem aliter, ac est, nec iudicat aliter de rebus quam ipsæ sunt à parte rei, sequitur evidenter nullo modo facere ens rationis vt homo, nam si faceret illud ipsumque operaretur, sine dubio haberet propriissimum modum cognoscendi, quo tale ens fictum solet operari creatura; vnde spirituale cognosceret vt corporeum, absolutum vt relativum, idem vt distinctum, & tandem cognosceret vt homo, cui contradicit evidenter Iob, cum ait; *aut sicut videt homo, & tu videbis*: ergo ex scriptura liquido patet, Deum minime facere tale ens fictum, apparens, & rationis, quod solum illo modo fit; nam si Deus rem simplicissimam vt compositam, negativam vt positivam videret, esset cognoscere rem aliter ac est; & sine dubio tali modo cognoscendi fingeret, quod est proprium hominis, & creaturæ ipsiusque propria imperfectio, vnde si cum hac imperfectione videret, & cognosceret Deus quæ propria est hominum, aut cæterarum etiam creaturarum, de quibus ut multi DD. volunt loquitur Iob, nomine Hominis, quo modo posset dicere Iob: Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, ita & tu videbis; nam certe posset dicere quispiam, Deus maxime videt vt homo, quia fingendo cognoscit, & percipiendo rem aliter ac est fabricatur entia rationis, & ficta.

Confirmatur, quia in originali videndi verbo correspondet verbum Hebræum quod significat fucate fallaciterque cognoscere sine sinceritate, & puritate, non adæquando se cum objecto, sed potius cognoscendo ipsum aliter ac est, & sic locum illum *Cantic. primo*: nolite me considerare; Septuaginta nolite aspicere me, quod fusca sim, idest nolite me aliter cognoscere ac sum, cognoscendo in colore fusco deformitatem, nam licet fusca pulchra sum, sic multi DD. itaque ait Iob, mos est hominum videre rem aliter, ac est cum fictione, cum deceptione, & fallacia non repræsentando res vt sunt, tu autem infinite sapiens non sic, sed cum summa veritate, cum summa claritate, maximaque perfectione, vti sunt nuda, & aperta cognoscis vnumquodq; provt natura propria exigit, cum summa adæquatione objecti ad cognitionem divinam, non vnum tanquam si esset aliud videndo absolutum, videlicet vt relativum, negativum vt positivum, malum vt bonum, sed potius bonum vt bonum, malum vt malum, vnumquodque denique vt in se est; in quo maximopere distingueris ab eo quod creatum est, ab homine inquam. Ex quo sic colligo, Deus non cognoscit vt homo rem aliter ac est; idem nimirum vt distinctum, &c. sed potius cum summa veritate vnumquodque cognoscit quatenus est, & vt est: ergo evidenter sequitur ex verbis clarissimis Iob Deum non facere ens rationis, quia ens rationis, vt supra late probatum manet, non fit nisi per cognitionem qua cognoscitur res aliter ac est, quæ minime in Deo reperitur, quia non videt, nec cognoscit, vt homo.

16 Hæc sententia est expressa D. Bernardi, *lib. 9. de consider. ad Eugenium cap. 7.* vbi negat absolutè Deum posse facere distinctionem rationis, cum eadem ratio sit de hoc ente rationis, ac de cæteris, reliqua etiam negare necesse est. Hæc, enim sunt aurea verba melliflui Doctoris; est autem vnus, & quomodo aliud nihil, si dici possit vnissimus est, quid plus, vnus est, etiam sibi (antea autem sic dixerat eodem capite) non habens, quod ad numerum dividat. Ex quo sic argumentor, Deus est in esse rei vnus; imo & vnissimus, ita vt in esse rei non possit aliud vnitius excogitari, quæ vnitas Dei est; item sibi vnus est, id est non solum essentia Dei vnissima est, sed etiam respectu cognitionis Diuinæ non potest non esse vnus, quia in Deo nihil est quod ad numerum diuidat, vbi pro certissimo habendum est non loqui Bernardum de diuisione reali; nam omne spirituale, etiam licet creatum sit, non potest diuidi realiter, quanto minus Deus: ergo non loquitur tantus Doctor de tali diuisione, quia agere de illa stultum esset; ergo loquitur de alia diuisione, idest de qua poterat rationabiliter dubitari, vt nunc dubitatur inter Theologos, id est de diuisione per intellectum, ita vt in Deo nihil sit, quod possit ipsum diuidere in numerum, sed si esset cognitio in Deo faciens distinctionem rationis esset aliquid in Deo diuidens ipsum, cognitio nimirum quæ in ipso est diuidens ipsum: ergo aliquid in numerum diuidens daretur in Deo, sed ait Bernard. nihil esse in Deo taliter ipsum diuidens: ergo nulla cognitio est in Deo quæ distinguat ipsum Deum, distinguere enim & diuidere synonima sunt.

Item, quid ait Bernard. & quid addit, verbis exaggeratiuis dum dicit, quid plus vnus est, etiam sibi, antea dixerat merum simplex est Deus, est autem vnus amplius, & quomodo aliud nihil, magis addit, si dici possit vnissimus est: ergo non loquebatur in illis verbis de vnitate in esse rei, nam plus est esse vnissimum superlatiuè, quam positiue vnum: ergo si dum dicit esse vnum sibi verbis exaggerantibus, & plus significantibus, loquitur non in esse rei, sed in esse cognitionis, dicendo non solum Deus in esse rei est vnus, sed in esse intentionali, idest respectu suæ cognitionis, ac proinde ait sibi, vt ostendat non solum Deum esse sibi vnum à parte rei, & vnissimum, sed etiam in esse objecti, & respectu sui vt cognoscentis, quod plus est quam esse à parte rei vnissimum, quia de hoc non dubitatur; & dubitatur de illo tanquam de difficiliori; vnitas enim quam Deus habet, etiam sibi est, cui enim potest esse mea vnitas, nisi mihi: ergo amplius ne eludat vocabulis, & actum agat, dum dicit sibi, idest ita Deus vnus est, vt si rectè cognoscatur, vt à seipso cognoscitur, etiam vnus sit, sine distinctione non solum in esse rei, vt de se patet, sed etiam in esse intentionali, vt ab aliquibus male dubitatur. 17

Vrgeo hoc, quia ipse S. D. asserit nos distinguere attributa, & perfectiones diuinas profunditatem nimirum, longitudinem, & sublimitatem, facereque nos quaternitatem ex illis per intellectum, quod non fit propter perfectionem in cognoscendo nostram. Sed potius propter nostram imperfectionem, & infirmitatem, vt explicat his verbis, quid est Deus? Longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Quid inquis tenemus re quaternitatem, minime visus sum protulisse plura: sed vnus es, alioquin hoc singulum est, nobis autem quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, contendimus apprehendere vnum, occurri veluti quadruplicatum, & quia adhuc in quærendo res est, interim ascendamus quadrigam istam, vtpote infirmi & imbe- 18

cilles indigentes tali vehiculo; sic ille, ex quibus sic argumentor, quia infirmi sumus, & imperfecti facimus Deum distinctum mente quadruplicatum: sed imperfectio non potest dari in Deo, & in sua cognitione: ergo non potest diuidere, distinguere, nec distinctionem rationis facere, alias esset infirmus & imperfectus, quod abominatus, inquit Bernardus, & abominor dicere.

19 Item, nam ideo ait nos quadruplicatam facere prægnitionem, quia nostra cognitione, nec in cognoscendo possumus cum Deo simplicitate contendere, vt patet: sed Deus potest secum, vt ita dicam, in cognoscendo simplicitate contendere, id est tam simplex est cognitio, tam infinita, tam perfecta, & tam indiuisibilis, sicut ipse Deus, quod non potest aliter esse: ergo non potest Deus distinguere, & quadruplicatum reddere se, per cognitionem. Videte alias ponderationes P. Vazquez *tom* 2. 1. *part. disp.* 118. *cap.* 2. nobis enim nostræ sufficiant.

20 Etiam hæc sententia est D. Thom. pluribus suæ doctrinæ locis, & præcipuè *quæst.* 7. *de potentia, art.* 6. vbi asserit, id ipsum quod Bernardus dixerat ex infinitate nimirum, & imperfectione nostri intellectus prouenire vt rem non integrè: sed distinguendo cognoscamus, quod minimè datur in Deo, vnde Deus non distinguit vllo modo, hoc ipsum probat 1. *part.* 9. 3. *art.* 4. *in corpore, & in solut. ad tertium, & de vnitate. quæst.* 3. *art.* 2. *ad* 3. vbi clarè docet radicem distinctionis in Deo prouenire ex eius infinitate, & finitate, limitatione, ac imperfectione intellectus nostri, quod pluribus, & inadæquatis conceptibus concipiat ea quæ in Deo sunt cum maxima identitate, ac simplicitate: ergo ex mente D. Thom. intellectus qui est infinitè perfectus qualis est diuinus, non potest ea quæ in re non sunt distincta distinguere, & cætera entia rationis, per consequens vllo modo facere, *& opuscul.* 42. *cap.* 1. 1. *part. quæst.* 16. *artic.* 3. *ad* 2. *&* 1. 2. *quæst.* 8. *art.* 10. *ad* 3. asserit ens rationis per fictionem, & cognitionem falsam cognoscentem rem aliter ac est, sed Deo repugnat cognitio fictiua, & falsa, vt fide diuina constat, & lumine naturali patet: ergo secundum mentem D. Thom. Deus non potest facere ens rationis, alia loca D. Thom. breuitatis ergo relinquo; prius enim me lux deficeret, quam possem omnia Angelici Doctoris dicta in fauorem nostræ sententiæ in lucem proferre: eia aggerationum pondere, argumentorum lateribus aduersarios premamus.

## SECTIO IV.

### *Rationibus nostra sententia probatur.*

21 PRimò: omnis cognitio diuina tam intensiuè, quam extensiuè est infinita, & perfectissima comprehensio: sed à comprehensione diuina non potest fieri ens rationis: ergo Deus non potest sua cognitione facere ens rationis. Maior est certa, quia quidquid est obiectum cognitionis diuinæ, aut est creatum, aut increatum: sed nihil creati, aut increati latet cognitionem diuinam, imo potius adæquatè, quidquid est cognoscibile in illis cognoscit perfectissimè, clarissimè penetrando omnes formalitates illorum, ita vt nulla ex illis possit fugere cognitionem Dei: ergo omnis cognitio diuina est comprehensio, cum huiusmodi cognitio in se contineat omne requisitum ad veram, infinitam, ac perfectissimam comprehensionem, vt patet ex his quæ ex mente D. Aug. optimè sentientis de diuina comprehensione optimeque meritum de ipsa adduximus *sup. quæst. præcedenti.* Minor sic probatur, quia omni prædicato essentiali comprehensionis diuinæ repugnat fabricatio entis rationis: sed quando aliquid omnibus prædicatis essentialibus alicuius repugnat etiam constituto per illa prædicata: ergo repugnat comprehensio naturæ diuinæ fabricatio talis entis. Minor est clara, quia constitutum per prædicata essentialia non distinguetur ab illis omnibus: ergo si illis repugnat constituto per illa repugnare necesse est, imo si solum vni ex prædicatis essentialibus repugnat omnibus prout in constituto, & toti constituto ab illis sine dubio repugnabit, v. g. quia brutalitas repugnat rationalitati, repugnat etiam enti substantiæ viuenti, animali, non prout præcisis, sed prout contractis à rationalitate ad hominem, & quatenus cum illa constituunt speciem humanam, & quod certius ac euidentius est, repugnat toti homini constituto per rationalitatem, & cætera prædicata: ergo si omnibus prædicatis essentialibus comprehensionis diuinæ repugnat facere ens rationis, vel minimum alicui ex illis absolutè, & simpliciter toti comprehensioni diuinæ repugnabit.

Maior illa sensim, & paulatim probatur; nam hæc sunt prædicata essentialia comprehensionis, veritas, certitudo, euidentia, seu claritas, intuitiuè cognoscere, hoc est percipere rem vt in se est, item vt cognitio tam clara, & intensa sit, tantumque extendatur, quantum necesse est ad exactè cognoscendas, & penetrandas in obiecto omnes formalitates, eminentias, habitudines, & connectiones, quas ex natura sua habet, & habere potest, cum omnibus rebus, à quibus ipsum pendet, & quæ ab ipso pendere possunt, & vt ait D. Aug. vt nihil lateat cognoscentem, aut eminenter, aut formaliter contenti in obiecto: hæc omnia prædicata essentialia constituunt comprehensionem diuinam, vt sumitur ex D. Aug. 12. *de ciuitate Dei, cap.* 18. *& epist.* 112. *cap.* 5. 6. *&* 7. *&* 8. *serm.* 38. *& lib.* 3. *&* 4. *de Trinitate, lib. denique de Genesi ad literam*, præterea ex D. Thom. 1. *part. quæst.* 12. *art.* 7. *&* 8. 3. *contra Gentes, cap.* 55. *&* 56. & vbicumque agit de comprehensione, *vt in quæstion.* 8. *de veritate, artic.* 2. *&* 6. *in corp.* quod probat latissimè P. Suar. *tom.* 1. *in tertium partem tractat. de incarnat. quæst.* 10. *art.* 4. *disp.* 26. *sect.* 1. videte si volueritis, vobisque libuerit legere: sed his prædicatis essentialibus repugnat fabricatio entis rationis: ergo omnibus constituentibus diuinam comprehensionem, totique comprehensioni repugnabit. Hæc minor in qua est difficultas sic probatur, maior enim euidens est, & primo quod repugnet veritati cognitionis diuinæ, ratione cuius nihil latet ipsam cognoscendum in obiectum, nec amplius quam est in obiecto cognoscit, quia si fieret ens rationis à cognitione diuina, aut esset negativum, aut positivum, negativum ens rationis fit cum cognoscitur in obiecto carentia alicuius perfectionis, quæ datur in illo, cum verè non sit talis carentia: atqui Deus non potest cognoscere carentiam alicuius diuinæ perfectionis in ipso: ergo Deus non potest facere ens rationis

nega

negativum. Hæc minor sic probatur, quia maior ipsa luce patet, homo enim tunc facit negationem identitatis fictam inter animal, & rationale quia concipit carentiam identitatis inter ipsa, & ratio est, quia si facere ens rationis positivum est cognoscendo aliquid positivum quod non est, ac si esset facere ens rationis negativum erit cognoscere aliquam negationem, seu carentiam quæ non est ac si esset: ergo; nam si Deus cognosceret carentiam omnipotentiæ in ipso, v. g. non cognosceret omnipotentiam, quia carentia omnipotentiæ est non omnipotentia in tali subiecto; vnde si cognoscendo carentiam omnipotentiæ, cognosceret etiam Deus omnipotentiam, cognosceret simul omnipotentiam, & non omnipotentiam in ipso: sed impossibile est vt in eodem subiecto, respectu eiusdem detur perfectio, & non perfectio aliqua: ergo impossibile est vt in Deo respectu diuinæ cognitionis detur, & non detur omnipotentia, cum impossibile sit idem simul esse, & non esse: ergo vel cognoscit in ipso carentiam omnipotentiæ, & negationem illius, vel omnipotentiam in seipso; si cognoscit omnipotentiam, & non potest cognoscere carentiam illius in seipso non poterit facere ens rationis negativum, circa omnipotentiam: sed non est maior ratio de ente rationis negatiuo, circa hanc perfectionem quam circa cæteras: ergo nullum ens rationis negativum potest Deus facere; si autem eligas secundum, dicendo Deum cognoscere carentiam omnipotentiæ in seipso, falsè ac hæreticè procedis; vnde falsùm, & hæreticum erit dicere cognitionem diuinam facere ens rationis negativum.

Quod autem falso procedas, sic probatur; quia fide sanctum est Deum se cognoscere cum omnibus suis perfectionibus, vt cum omni sapientia, omni bonitate, infinitate, omnipotentia, & cæteris; ita vt nulla sit perfectio in Deo quæ non cognoscatur ab ipso, & ideo certum est Verbum diuinum procedere ex cognitione omnium perfectionum in diuina natura existentium formaliter; nam si certum est quemcumque beatum videre Deum in se ita clarè, vt omnes perfectiones in Deo existentes clarissimè cognoscat, & adeo certum, vt sit de fide dictante Paulo, videbimus eum sicuti est, infinitum, omnipotentem &c. quanto magis de fide certum erit seipsum, qui infinitè perfectiori modo superat veritate, & euidentia, ac certitudine intuitionis quamcumque cognitionem creatam, circa seipsum cognoscere omnipotentem, & cum hac infinita perfectione, quod non solum vt de fide certum veneramur: sed etiam lumine naturali euidenter patere profitemur, nam si cognosceret se sine omnipotentia, cognosceret se sine omni perfectione: ergo se cognosceret non vt infinitè perfectum: sed potius vt infinitè & limitate perfectum cum non omniperfectum, quia non omni perfectione decoratum cognoscit, vnde vt imperfectum videret se, quia finitè & limitate perfectum imperfectum est, misceturque pluribus imperfectionibus; solum enim id quod infinitè perfectum est, id est, quod claudit in se omnem perfectionem, purum ab omni imperfectione debet iudicari.

Item ipsa cognitio esset imperfectissima, ac per consequens non esset comprehensio; tum quia non attingeret omne cognoscibile; nam vt omnipotentia identificatur cum diuinitate, & quatenus in diuinitate existit aliquod cognoscibile est: sed non cognosceret omnipotentiam vt sic: ergo diuina cognitio non attingeret omne cognoscibile, ac proinde erit imperfecta, & finita, quia illud est finitum in aliquo genere quod non continet nec attingit omne intra illud genus existens, vt supra latè demonstratum manet; tum etiam quia non cognosceret rem vti est, sed aliter ac est in se; nam cognosceret diuinitatem ac si non haberet omnipotentiam, cum verè & vt in se est, habeat illam talique perfectione mirum immodum decoretur; vnde non cognosceret diuinitatem, quia entitas sine omnipotentia non diuinitas est, quod elegantissimè protulit Fulgentius sanctissimus æquè ac sapientissimus Doctor, loquens de hoc modo imperfecto cognoscendi *lib. responsionum ad Ferrandum Diaconum ad quæstion. 3.* qui modus indignus est Deo, solumque videtur creaturæ conuenire; tanti Doctoris verba hæc sunt: quia ipsa diuinitas sic se nouit vt inueniat se esse quod nouit, anima vero ita nouit deitat m, vt deitas non sit; hoc est, Deus ita nouit se, vt explicat Doctissimus Alcabas, quæ sit se esse infinitum, omnipotentem &c. cum omni sua perfectione, ac denique cognoscat se esse Deum verum, & vt Deus obiiciatur cognitioni increatæ; creatura autem suo imperfecto modo cognoscendi ita limitate cognoscit, ac si Deus esset finitus; nam si tantum numen à parte rei se haberet vt in mente creata non esset Deus, hoc enim sonant illa verba, anima vero ita nouit deitatem, vt deitas non sit; quapropter asseruit Augustinus nostram cognitionem nunquam posse cum ea qua Deus se cognoscit comparari, quia Deus se sine imperfectione, creatura autem imperfectè, & minimum limitate cognoscit Deum, quod his verbis asseruit Cherubicus Doctor 4. *de Genesi ad literam, cap. 6.* quamquam & si corda mundissima, & mentes simplicissimas generemus, sanctisque Angelis iam essemus æquales, non vtique nobis ita esset nota diuina substantia, sicut ipsa sibi; sic ille, Deus enim omnia quæ in Deo dantur infinito modo cognoscit, ita vt impossibile sit ipsi non cognoscere aliquam propriam perfectionem in sua diuinitate existentem aut carentiam illius, ac si esset in ipsa, quia iam lateret aliquid Dei cognitionem diuinam, quod est contra comprehensionem infinitam vt expressit ipse Augustinus solita sui ingenij claritate, ac profunditate *epist. 112. cap. 8.* aliud est, inquit, videre, aliud est totum videndo comprehendere, quandoque id videtur, quod præsens vtcumque sentitur; totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil illius lateat videntem, aut cuius finis circunspici potest, sicut te nihil lateat præsentis voluntatis tuæ; circunspicere autem potest fines annuli tui, exempli gratia, duo posui, quorum alterum ad mentis obtutum, alterum ad corporales oculos pertinet; est itaque vt notat optimè Vazquez comprehensio visio rei, cuius nihil latet videntem, aut quæ non solum entitatem, sed fines etiam & extrema rei complectitur. Denique, qua cognoscitur tota res ipsa & nihil est eius, quod non videatur, quam definitionem colligere possumus ex Nazianz. *orat. 36. quæst. 4. de Theologia, num. 66.* ex Chrysost. *homil. 5. de incomprehensibili Dei natura,* ex Veda in illud 1. *Ioannis 3.* Videbimus eum, sicuti est; ex Nizeta & Pzelo, quapropter, Aug. *serm. 38. de Verbis Domini,* docet oculo corporeo non posse corpus aliquod à nobis comprehendi,

quia non possumus ipsum simul, per omnem sui partem & extrema cognoscere, nam si ex parte anteriori videamus, latebit posteriori: ergo si Deus infinitè, perfectissimè, verissimè, ac tandem comprehensiuè se cognoscit, non potest non videre omnipotentiam in sua diuinitate, & omnes alias perfectiones atributaque in ipsa existentia; vnde non poterit cognoscere aliquam perfectionem diuinam, quasi deficientem in ipso, carientiamque illius in Deo, vel ac si non esset illa in ipso: ergo nec potest facere per suam cognitionem carentiam perfectionis diuinæ naturæ: atqui carentia huiusmodi est negatio, aut priuatio ficta, & ens rationis negatiuum: ergo Deus non potest facere illud, repugnatque comprehensioni diuinæ ex vi suorum prædicatorum essentialium entis rationis negatiui fabricatio.

Etiam repugnat comprehensioni diuinæ productio entis rationis positiui, nam ens rationis positiuum fabricatur cum cognoscit intellectus aliquod prædicatum positiuum in obiecto, quod ex se non habet illud à parte rei, & v. g. quando cognoscit Patrem æternum cum senectute, Angelum cum iuuentute, aut in aëre tenebroso loco tenebrarum, & in oculis cæcis cæcitatis loco qualitatem nigram & fuscam per modum velaminis obscure cooperientis vniuersum orbem, aut oculos priuatos visu; ac denique naturam humanam, cum vniuersalitate, & relatione rationis, quæ prædicata positiua sunt, & quia concipiuntur in obiectis, in quibus minime alia reperiuntur prædicata, ideo fit ens rationis positiuum ipsa concipiente cognitione prædicata, vt patet clarissime ex supra adductis ex D. Thom. & cæteris Doctoribus, sed hoc modo cognoscere repugnat verissimæ ac infinitæ comprehensioni diuinæ: ergo repugnat illi entis rationis positiui operatio; hæc minor sic patet, nam verissima cognitio est illa per quam cognoscitur obiectum, eo modo quo est, & non aliter ac est sine aliquo addito, quod in se non habeat, ac per consequens non cognoscendo aliquid amplius quam habet obiectum à parte rei, v. g. hæc est vera cognitio iudicatiua, Deus est trinus & vnus omnipotens, &c. quia tantum iudicat de obiecto secundum id quod habet in se, non attribuendo aliquid illi quod non habet à parte rei in se; & è contra hoc est falsum iudicium in Deo, datur quaternitas personarum, in homine datur inhibilitas & brutalitas, quia cognoscit in Deo quartam personam, illique attribuit quaternitatem, quæ non datur in Deo qui est obiectum talis cognitionis; & ratio est, quia cognoscit in obiecto id quod non habet illud, ac proinde talis cognitio formaliter est falsa, & imperfecta; sed verissimæ, & infinitæ comprehensioni diuinæ repugnat esse falsam, mendacem, imperfectam, ac minimè veram cognitionem, vt de se patet: ergo comprehensioni diuinæ, quæ verissima est, repugnat tali modo (vt in minori diximus) cognoscere, quia talis modus repugnat cum veritate diuina. Hæc consequentia sic probatur, de intrinseca ratione verissimæ cognitionis est summa adæquatio cum obiecto, sed adæquationi summæ cum illo repugnat cognoscere aliquid in obiecto, quod non est in illo: ergo. Hæc minor sic probatur, quia adæquatio duorum est quod non detur in vno amplius, ac in alio, quatenus cum illo comparatur; ideo enim duæ quantitates palmares adæquantur inter se, quia in vna quantitate non datur aliquid amplius quantitatis quam in alia; sed quando cognoscitur aliquid in obiecto, quod non est in illo v. g. quando cognosco in Patre æterno senectutem, & inter attributa diuina distinctionem, & in diuinitate relationem ad creaturas, est aliquid amplius in cognitione, quam in obiecto; nam in cognitione est illa senectus, distinctio & relatio, & in Deo, qui est obiectum talis cognitionis non datur vlla relatio, senectus, ac distinctio: ergo non adæquatur cum obiecto talis cognitio, nec in illa datur adæquatio, respectu sui obiecti, sed potius contradictorium adæquationis, quod maximè repugnat adæquationi: ergo de primo ad vltimum verissimæ cognitioni repugnat videre aliquid in obiecto, quod non est in illo; cum autem verissima cognitio petat adæquationem, inde est quod hæc imperfectio, quæ repugnat adæquationi repugnet etiam verissimæ cognitioni; sed comprehensio diuina est verissima cognitio, quæ petit necessario adæquationem cum obiecto, vel vt melius loquar, quod obiectum cum illa summè adæquatur, ideò vt nihil cognoscatur in obiecto, quod non habeat illud: ergo repugnat comprehensioni diuinæ, quæcumque imperfectio huiusmodi adæquationi cum obiecto repugnans, ac contradicens, & ideo summè repugnat Deo reuelare Spiritum sanctum non esse Deum vt Montanus somniabatur, quia hæc cognitio seu reuelatio non adæquaretur cum obiecto reuelato, & quia esset imperfecta, & falsa, & mendosa: ergo si cognitio diuina cognoscit apprehendendo vel eminenter iudicando dari in obiecto, quod non est in illo, v. g. cognoscendo relationem, distinctionem in ipso propter eandem rationem formalem, non adæquationis addendi aliquid Deo, erit imperfectissima, falsissima, & mendosa, ac proinde indigna Deo; nam vbi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis; sed ex eo dumtaxat, & non propter aliam rationem formalem, quod illa relatio seu loquutio reuelat de Deo, quod non habet Deus est falsa, & imperfecta, & indigna diuinæ bonitatis & sapientiæ: ergo cognitio illa eodem modo esset imperfecta, & falsa; siquidem habet eandem rationem formalem addendi Deo, & cognoscendi in illo relationem ad creaturas, distinctionem inter sua attributa, cum eam non habet Deus in se; nam ille modus cognoscendi tollit diuinam veritatem & adæquationem cum obiecto maximè debitam infinitæ cognitioni.

Illustro exemplis hoc, nam licet in dubium possit reuocari an simplex apprehensio, quæ cognouit relatum obiectum cum non habeat talem relationem in se obiectum cognitum sit, non sit falsa, nihilominus non potest dubitari quin sit imperfectissima, quia non adæquatur cum suo obiecto cognoscendo in illo, quod ipsum non habet quod est maxima imperfectio, & patet euidenter, quia talis cognitio est radix iudicij falsi erronei, & ignorantis: ergo causa, quæ ex natura sua est fons, seu radix tam mali, & imperfecti effectus non potest esse non imperfectissima natura, vt ait sapientia Patris: ex fructibus eorum cognoscetis eos, quia arbor bona non potest malos fructus facere, & è contra; quapropter apprehensionem barbari qua simpliciter apprehendit magnitudinem solis, esse æqualem rotæ currus, & apprehensionem Arrianam cognoscentem non dari in Deo Trinitatem personarum, sine dubio imperfectissimam iudicamus, tum

quia

cognoscunt res non vt sunt : tum quia causant iudicia erronea in intellectu : ergo cognoscere Deum relatum ad creaturas, & cum distinctione inter attributa, quam non habet, est imperfectissimum cognoscere : ergo non potest Deo attribui, sed cognoscere seu cognitione huiusmodi solum fit ens rationis positiuum : ergo facere ens rationis positiuum repugnat Deo comprehensiuè cognoscenti ratione veritatis & perfectionis, quibus talis comprehensio necessario essentialiter constituitur.

Aliud prædicatum comprehensionis diuinæ est esse infinitam visionem, & purissimam intuitionem obiecti immediatè in se secundum id quod habet in se ipso ; sed huic prædicato repugnat facere ens rationis : ergo Deus ratione suæ comprehensionis non potest facere ens rationis. Maior est clarissima sententia D. Augustini, loco supracitato, vbi de comprehensione sic ait, aliud est videre, aliud totum videndo comprehendere, totum autem comprehenditur, quod ita videtur in se vt nihil eius lateat videntem ; quid clarius præter lucem Augustini splendidissimus sol Scripturæ illustrat hanc sententiam *Eccles.* 43. [ ne laboretis non enim comprehendetis ; ] reddit enim rationem, his verbis. [ Quis videbit Deum & enarrabit, & quis magnificabit eum sicut est ab initio, ] quasi dicat cum eum nemo viderit sicuti est, nemo potest eum comprehendere, quia qui comprehendit debet necessario videre licet non omnis qui videt comprehendat, vnde eleganter docuit Gregor. X. Moralium ad comprehensionem necessariam esse visionem & perfectissimam intuitionem, his verbis : [in retributionis autem culmine reperiri omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest, quia & si hunc claritate sua quandoque conspicimus, non tamen eius essentiam plene contuemur, vt comprehendamus ; Beda in illud *Ioannis tertio*, [ videbimus eum sicuti est, ] sic ait : aliud enim est videre, aliud est totum videndo comprehendere ; cum autem comprehensio Dei sit independens, & actus Dei, inde est quod non solum sit visio, & intuitio, sed infinita in illo genere : ergo Deus non potest facere in se nec in alio ens rationis, distinctionis, aut relationis &c. Patet hæc consequentia, quia visione intuitiua videntur res vt in se ipsis sunt, quia hæc est natura intuitiuæ cognitionis ; sed essentia diuina non habet relationem in se nec distinctionem inter attributa, nec absolutum creatum, aut idem à parte rei, in quibus debet fingi relatio, & distinctio non habet talem distinctionem aut relationem, imo potius sunt indistincta, & non relata in se ipsis : ergo Deus videt ea obiecta, ut indistincta, & sine relatione ; imo non potest videre cum distinctione, & relatione ; vnde nullo modo potest facere distinctionem, nec relationem quia si illas faceret non cognosceret cum indistinctione, & cum non relatione, sed potius cum distinctione & relatione, ac proinde non videret sicuti in se sunt. Vrgetur & explicatur amplius, quia Deus videt se habere summam identitatem inter prædicata, imo videt non posse habere distinctionem, quia idem est posse ac esse in diuinis ; sed qui perfectissimè videt identitatem non potest videre ex vi eiusdem cognitionis distinctionem, alias videret, & non videret identitatem, cum distinctio sit non identitas, præcipuè quia tunc facimus distinctionem, & cognoscimus illam, quando non possumus cognoscere identitatem cum distinctione virtuali : ergo Deus, qui perfectissimè cognoscit vtrunque, non potest facere illud ens rationis.

Confirmatur, res quæ intellectui obiciuntur 22
sicut ipsæ sunt, si in se nullam habent relationem, distinctionem &c. nullo modo apud intellectum possunt referri, aut distingui, vel apparere vt distinctè. Sed diuina essentia objicitur diuino intellectui vt ipsa est in se ; in se autem nullam habet relationem ad creaturas, distinctionem, aut pluralitatem : ergo nullo modo poterunt per diuinum intellectum ratione distingui, nec illi vt relata, aut distincta apparere.

Vltimum prædicatum diuinæ comprehensio- 23
nis est vt sit æqualis in esse intellectionis diuinæ essentiæ in esse intelligibilis, ita vt in quantum intelligibilis est, tantum intelligatur, & nihil latet diuinæ essentiæ cognoscendum intellectionem diuinam ; quia vtraque infinita est in suo esse : sed diuina essentia cum sit infinita in esse existentiæ realis, & status existentiæ est æqualis cum illa, vel est idem cum illa secundum suum esse essentiæ, & in illo statu existentiæ nullam habet distinctionem, nec relationem : ergo in statu obiectiuo, & intentionali diuinæ cognitionis, nullam habebit distinctionem, & relationem, quia ille status est infinitus, sicut ipsa essentia, & æqualis illi, vel idem cum diuina essentia, quod non habet in statu intentionali & obiectiuo creaturarum ; nam cum ille status sit finitus, quia finita est cognitio, non potest Deus simul totus, & totalis esse in tali cognitione, seu statu, quia infinitate superat statum illum ; vnde necesse est, vt cum distinctione sit, & per inadæquatam rationem, & vt Hispanè solet dici, *apedaços*, propter suam magnitudinem, & infinitatem, simul cum finitudine & paruitate creatæ mentis, ideoque creata mens cognoscit Deum nunc secundum hanc rationem, nunc secundum alias, quia secundum omnem simul non potest : Exemplo sit, res materialis, quæ magnitudine superat arcam, in qua vult includi, & custodiri, quæ quia illa sua magnitudine, & excessu qua superat arcam, non potest tota simul contineri secundum totam suam magnitudinem, imo, quia impedimento est adhoc vt possit includi, diuiditur in partes, & per partes, quæ tota simul propter incapacitatem arcæ non poterat, potest post diuisionem ; sic similiter cum totus Deus secundum omnem gradum cognoscibilitatis simul non possit comprehendi ab intellectu creato per inadæquatos conceptus cognoscitur, & intentionaliter diuiditur, & partitur, & sic cognoscitur per partes cum distinctione, qui totus propter suam infinitatem, & incapacitatem creaturæ non poterat, vt sic aliquo modo percipiatur ; sed essentia diuina tota, & secundum omnem totalitatem eius est æqualis Diuinæ comprehensioni, ita vt totus simul Deus & totaliter capiatur, & circunscribatur à diuina cognitione cum summa æqualitate vtriusque, propter infinitatem tam essentiæ cognitæ, quam diuinæ cognitionis cognoscentis ; ergo vt intentionaliter includatur divina essentia in thesauro divinæ cognitionis, cum non superet illam, & capacitatem illius sua infinitate, sed potius æqualis sit illi, non est necesse vt quasi diuidatur, & partiatur intentionaliter ; sed totus secundum omnem suam infinitatem, sine tali diuisione, & distinctione potest capi, & comprehendi :

prehendi : ergo non fit à Deo distinctio rationis, & diuisio, cum hæc fiat a creata cognitione, quia non potest propter suam imperfectionem, & incapacitatem totum, & totaliter comprehendere.

24 Explicatur, Deus propter suam infinitatem sine aliqua distinctione potest habere prædicata infinita & contradictorie opposita cum summa identitate, & simplicitate, quia eminentissima est : sed diuina cognitio est eodem modo infinita, & eminentissima : ergo sine eo quod distinguat essentiam, & sine vlla distinctione rationis poterit, & cognoscet de facto eminentissimo modo diuinam essentiam cum summa, & infinitè perfecta identitate, vnitate ac simplicitate, quia non est minus infinita, simplex, indiuisibilis, eminentissima, diuina cognitio in repræsentando, ac diuina essentia in essendo : sed diuina essentia propter illam eminentiam sine distinctione distincta operatur, & est eminentissima : ergo similiter propter eandem perfectionem diuinæ cognitionis potest comprehendere diuinam illam essentiam sine aliqua diuisione, ac partitione à se in diuina essentia fabricata, quia ideo creatura diuidit quia non potest cognoscere, vt est eminentissimo modo eminentissimam identitatem, & absolutam rationem diuinæ essentiæ : sed diuina cognitio comprehendit vt est, diuinam eminentiam, identitatem, & infinitatem eminentissimo, & perfectissimo modo : ergo diuina cognitio non diuidit, partitur, ac distinctionem rationis facit in illa vllo modo.

25 Confirmatur, quia si Deus faceret distinctionem rationis per cognitionem cognosceret vt actu distincta attributa propria v. g. sed hoc est imperfectè cognoscere : ergo Deus non distinguit ; & probatur minor, cognoscere aliter ac res est, non est cognoscere perfectè, sed imperfectè : sed si Deus cognosceret actu distincta, id est, ac si essent distincta, cognosceret attributa aliter ac sunt : ergo. Probatur hæc minor, quia cognoscit attributa, quæ sunt idem inter se, vt inter se distincta, cum non sint distincta : sed cognoscere ea quæ sunt idem, & non distincta in se, vt non idem, & distincta est cognoscere aliter ac sunt & non vt sunt : ergo.

26 Dices, licet Deus non cognoscat rem aliter ac est facit ens rationis, imo cognoscendo vt est facit illud, nam cognoscendo Deum, & attributa vt virtualiter distincta facit distinctionem rationis, ita vt attributa cognoscat virtualiter, vt virtualiter distincta est per rationem distingui, & cum verè detur à parte rei hæc virtualis distinctio, ideo cognoscendo id quod est à parte rei, & vt est, facit distinctionem rationis, sic Ægidius *de præsentatione lib. 5. de visione diuinæ essentiæ, quæst. 6. art. 10. §. 6. num. 62.* citat pro hac solutione Alexandrum, Gerardum, Argentinam, Molinam *1. part. quæst. 28. art. 2. disp. 3. conclusione 2.*

27 Sed contra illam sic insurgo, quia illa distinctio virtualis non fit per cognitionem, sed supponitur iam à parte rei in ipsa essentia diuina, & ea quæ supponitur cognoscitur : ergo intellectus non distinguit, nec facit distinctionem rationis. Antecedens sic patet, quia à parte rei diuina essentia habet distinctionem virtualem : ergo ante quamcunque cognitionem supponitur illa in esse obiecti, Deus enim propter suam perfectionem, & infinitatem licet sit vna, & indiuisibilis entitas, æquialet multis realiter distinctis, & potest producere multa, ideoque virtualiter distinctionem habet ; vnde cum hæc infinitudo, eminentia, & æquialentia sit à parte rei, etiam est à parte rei illa distinctio virtualis. Consequentia illa prima sic probatur, quia ex eo quod Deus cognoscat entitatem suam, vt virtualiter cognoscibilem per discursum, non facit ideo discursum, nec cognoscendo illam capacitatem, quæ supponitur à parte rei, & potest cognosci per cognitionem discursiuam : ergo similiter, quia cognoscit entitatem, quæ propter suam eminentiam potest distingui, & partiri, non ideo partitur illam, nec distinguit ipsam : clarius, diuina cognitio est virtualiter, seu æquialenter, eminenterque discursiua id est æquialet sua perfectione, & continet eminenter discursum humanum : sed Deus licet cognoscat illam cognitionem, vt virtualiter & eminenter discursum, non discurrit : ergo similiter licet cognoscat distinctionem virtualem non distinguit formaliter, & actualiter.

Declaratur amplus, Deus cognoscit intellectum humanum, qui virtualiter est error, & ignorantia, & hæresis, id est quædam potentia, quæ propter suam imperfectionem est virtus productiua erroris, hæresis, & ignorantiæ, ideoque virtualiter error vocatur, sicut lux dicitur virtualiter calor, quia habet virtutem calorem producendi, & Deus cognoscit peccatum virtualiter, id est voluntatem, quæ virtutem habet producendi peccatum, & nihilominus quia Deus cognoscit virtualem errorem, seu hæresim, & peccatum virtualiter, non ideo errat actualiter, & hæretizat, seu ignorat, nec peccat actualiter : ergo similiter licet cognoscat distinctionem virtualem, non ideo facit distinctionem actualem, seu formaliter distinguet per rationem : hæc consequentia à paritate rationis patet : quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus formalis : ergo si ex eo solum quod Deus cognoscit virtualiter distinctionem, distinguet ex eo etiam, quod cognoscit virtualem errorem, errabit actualiter, & formaliter ; vnde si hic non valet consequentia, nec ibi erit ratio consona. 28

Et ratio à priori est, quia actus distinctionis virtualis non est absolutè, & simpliciter distinctio per rationem, vt malè intelligit Ægidius, proprius enim actus distinctionis virtualis est v. g. in intellectu diuino respectu voluntatis, vt producat verbum, & voluntas non producat actus ; separatio autem actualis, & formalis distinctio &c. vti entia rationis sunt actus metaphorici, & sic non correspondet à parte rei propter suam imperfectionem distinctioni virtuali : ergo nec potest apparere & correspondere ei in statu intentionali perfectissimo dum cognoscitur à Deo, licet possit correspondere ei vt actus secundus in statu intentionali imperfecto cognitionis creatæ, ex quo sic argumentor : si non benè valet, Deus cognoscit distinctionem virtualem inter iustitiam, & misericordiam : ergo per intellectum misereretur, cum misereri sit actus illius distinctionis : ergo quanto minus valebit, Deus cognoscit distinctionem virtualem : ergo actu distinguit, & facit distinctionem rationis, qui est actus metaphoricus, & improprius ; & clarius, si non benè valet, Deus cognoscit virtualem errorem cuius actus est propriè error actualis : ergo Deus errat actualiter, minus valebit Deus cognoscit distinctionem virtualem, cuius actus me- 29

taphoricus,

taphoricus, & improprius est distinctio actualis: ergo facit illam, aut distinguit actualiter, distincta virtualiter.

30 Confirmatur, si ex eo quod Deus cognoscat distinctionem virtualem, faceret distinctionem formalem rationis ex eo, quod cognoscat suam omnipotentiam quæ est virtualiter homo, leo, qualitas &c. cum sit potentia factiua propriissimè illorum, imo infinitorum entium Deus faciet hominem rationis, leonem rationis, qualitatem rationis, & infinita entia rationis, imo ex quacunque cognoscitiua ratione intuitiua Dei, quæ terminatur in aliquod virtualiter continens plura, vt ex cognitione terminata ad cœlum, vel solem, in quibus virtualiter continentur infinita, resultabunt ex tali cognitione infinita entia rationis, quod est absurdum, & nunquam auditum figmentum, quod patet: quia sicut in potentia, visiua non ex quacumque cognitione intuitiua resultat color fictus, vt est cæruleus cœli: sed solum ex imperfecta, nam si perfectè intuitiua est, vt quando approximor monti, non video vt cæruleum, & nostra intellectio quando perfectè cognoscit res, non facit ens rationis semper: sed quando aliqua circa illud obiectum miscetur imperfectio, sic similiter in Deo vbi nulla datur imperfectio cognitionis, sed semper vt sunt cognoscit, licet virtualiter videat, non ideo faciet distinctionem rationis formarum, perfectissimè enim cognoscit Deus res vti sunt cum summa, & perfectissima adæquatione obiecti: ergo non potest facere distinctionem actualem.

31 Et si dicas ideo facere ens rationis, distinctionis quia cognitio distinctionis virtualis est actus talis distinctionis, qua de virtuali redditur actualis?

32 Contra, quia ille actus non est factivus, vel practicus: sed tantum speculativus illius distinctionis: sed cognitio speculatiua tantum, & non practica, non est actus faciendi distincta, quæ non sunt talia: ergo ille actus non est distinguendi, sed speculandi distinctionem. Maior clara est, quia factum, vel operatum, non supponitur quoad actualitatem nec est per accidens respectu illius cognitio quæ practica est: sed illa distinctio supponitur, & est per accidens ad illam cognitionem terminatam ad ipsam distinctionem virtualem: ergo talis actus non est practicus, sed merè speculativus. Maior euidens est, quia chimera est facta ab homine, quia ante cognitionem fingentem, non habet actualitatem, & minimè est illi per accidens talis cognitio, sed maximè per se, quia sine illa non esset talis chimera, imo si reflexe cognoscatur chimera, talis reflexa cognitio est per accidens, respectu illius quia iam supponitur vt facta ante illam, cum talis actus reflexus sequatur ad chimeram, vnde talis reflexio non est practica illius sed per accidens, vt diximus, & chimera si cognoscatur à Deo non fit ab ipso, sicut non fit à Deo error, nec hæresis, quia cognoscuntur à Deo, vt ab homine facta, vt supra latè demonstratum manet, imo ad esse illius per accidens est cognitio Dei, quare probabimus voluntatem non facere ens rationis, quia ens rationis supponitur ante actum voluntatis: ergo ille actus cognoscens distinctionem virtualem, minimè facit distinctionem actualem, quia talis cognitio non est practica sed tantum speculatiua distinctionis.

Dices esse speculatiuam respectu distinctionis virtualis, practicam tamen respectu formalis.

Contra primo, quia ad hoc vt sit practica debet cognoscere rem aliter ac est, sed non cognoscit distinctionem illam virtualem aliter ac est, sed vt est: ergo nullo modo facit distinctionem actualem.

Secundò, quia per vos ille actus facit illam distinctionem: sed ille actus facit in quantum cognoscit: ergo illud facit, quod cognoscit, & non id, quod non cognoscit: sed cognoscit virtualiter distincta, & non actu distincta: ergo si facit, non facit actu distincta: sed virtute tantum distincta; atqui per vos talis virtualis distinctio supponitur: ergo non facit illam, præcipuè cum sit realis, nec facit actualem distinctionem, quia ad hoc vt faceret actualem distinctionem deberet cognoscere, vt actu distincta v. g. vt intellectus creatus faciat distinctionem actualem rationis inter attributa Dei debet cognoscere illa, vt si essent distincta actu, sicut ad hoc quod intellectus humanus faciat compositum rationis, debet cognoscere necessario, vt actu compositum, quia illa productio non est productio propria, sed solum impropria; nam ex eo quod cognoscat quod non est ac si esset, dicitur producere ens rationis, ideoque ens rationis dicitur, cuius totum suum esse est obiici intellectui solum, aut potentiæ cognoscitiuæ: nam, vt fingatur relatio rationis debet cognosci actu: sed distinctio actu & formalis non cognoscitur à Deo, sed solum virtualis, vt in se est: ergo distinctio formalis non fit à Deo. 33

Tertiò contra ex eo quod homo concipiat hominem, & leonem, vt coniungibilem, & vnibilem perfectionem non facit vnionem inter hominem, & leonem, nec fait chimeram; ergo ex eo quod Deus cognoscat suam essentiam, vt distinguibilem non distinguit. Probatur hæc consequentia, quia sicut actus distinctionis virtualis, vel distinguibilitatis est distinctio per rationem actualis, ita actus vnibilitatis, seu vnionis virtualis est vnio rationis per intellectum actualis: sed licet sit actus illius vnibilitatis vnio, ex eo quod cognoscatur vnibilitas non fit vnio rationis: ergo à paritate rationis, licet cognoscatur distinctio virtualis, seu distinguibilitas, non ideo fiet distinctio rationis. Maior illa est clara, quia chimera est actu compositum ex impossibilibus: sed ex eo quod actu cognoscatur vt vnibile, non cognoscitur vt compositum: ergo. Probatur quia in actu composito debet dari actu compositio, & vnio: sed in eo, quod tantum est vnibile non datur actualis vnio: ergo non est actu compositum, sicut licet materia, & forma rationalis creentur à Deo vt vnibiles, non erit vnitum, nec compositum actu, nisi actu sint coniuncta inter se materia, & forma: ergo licet illa cognoscantur, vt vnibilia, non erit compositum factum donec actu, vt vnita cognoscantur: ergo similiter licet cognoscantur, vt distinguibilia attributa, seu vt virtualiter, seu fundamentaliter distincta, dum tamen non cognoscantur vt actu distincta, non fiet actualis distinctio: sed impossibile est quod cognoscantur vt actu distincta a Deo, quia iam à Deo cognoscuntur aliter ac sunt: ergo impossibile est quod Deus faciat distinctionem rationis, & relationem fictam; item, ea quæ distinguuntur, possunt separari, saltem præcisivè cognoscendo vnum sine alio, vel non cognito alio: sed

Deus non potest cognoscere vnum attributum non cognito alio : ergo Deus non potest distinguere.

Et si dicas cum Smiglesio facere, & cognoscere ens rationis esse idem, & sic cum Deus cognoscat ens rationis Deus facit illud.

Sed contra primo & insurgunt omnia argumenta à me facta *quæstione præcedenti*, ad refutanda fundamenta Vasquez.

34 Contra secundo, quia per illam cognitionem, quæ est pure cognoscitiva, & speculatiua non fit ens rationis, sed per illam, quæ est cognoscitiua illius, quod non est, ac si esset : sed Deus solum habet illam primam, non vero secundam : ergo Deus non facit ens rationis. Probatur maior, quia illud ens apparens non est in se, sed est per cognitionem, quæ cognoscit quod non est ac si esset : ergo debet esse per cognitionem, quæ repræsentat rem aliter, ac est, quia totum illud esse eo modo quo est, est per cognitionem ; sed illud esse totum est ac si esset, cum non sit : ergo debet habere illud esse per cognitionem, qua cognoscatur, & repræsentetur id quod non est, ac si esset : sed hoc totum non fit per cognitionem speculatiuam rei, vt est in se, quia illa non cognoscit id, quod non est ac si esset : sed quod est eo modo, quo est, cognoscit : ergo fit per cognitionem practicam, quæ vt diximus cognoscit quod non est, ac si esset, minor probatur, quia illa cognitio non est cognitio cum adæquatione obiecti, nec est intuitiua : ergo non est in Deo.

35 Vrgetur, quia eo modo producitur res ac est, sed illud ens non est verum, sed apparens, & fictum : ergo debet produci per cognitionem non veram, sed apparenter cognoscentem, hoc est per quam quasi producitur quoddam ens, quod non est à parte rei, sicut est obiectiuè, & intentionaliter producitur ; sed Deus non est capax alicuius actus non veri, & repræsentantis aliquod quod non est, ac si esset, cum sit omnis cognitio Dei summe vera, adæquata, & perfecta : ergo præcipuè, quia si omnis cognitio faceret ens rationis, vel faceret quia cognosceret illud quod est vt est, sine eo quod cognosceret aliud amplius, quàm sit in se, vel ex eo quod cognoscendo obiectum, non solum cognoscit quod est ; sed quod non est ac si esset, primum est falsum quia ibi totum quod est, est reale quia ibi non datur, nisi cognitio, quæ realis est, & obiectum, quod videtur, quod etiam reale est, cum totum quod videtur, sit id quod à parte rei est in se vere, vel illud esse cognitum, quod etiam reale est, vt supra demonstratum est, si secundum verum est, quia licet cognitio sit realis, & denominatio ex parte illius possit realis aliquo modo vocari, attamen illud esse cognitum ex parte obiecti, cum non sit à parte rei, sed tantum est apparenter, id est apparet ac si esset, cum non sit, dicitur ens rationis fictum ; sed Deus nullam habet cognitionem, quæ non sit vt prima, & nullam, vt est secunda quia secunda est fictio, & cognoscitiua rei, non vt in se, quæ maxima imperfectio est : ergo in Deo non datur cognitio faciens ens rationis.

## SVBSECTIO I.

*Tertio probatur principaliter.*

36 QVia Deus non potest cognoscere res spirituales, vt corporeas : ergo neque poterit Deus cognoscere vt relata, quæ relata non sunt, & vnita illa, quæ vnita non sunt, vt hirci caput, vel caput hominis, & corpus cervi, & facere Hircocerum : antecedens probatur, quia ad perfectionem cognitionis diuinæ pertinet vt omnia cognoscat, sicuti sunt in se ; sed spiritualia non sunt corporea : ergo Deus non potest illa cognoscere, vt corporea.

37 Ægidius concedit antecedens, & negat consequentiam, & dat rationem discriminis, quæ in hoc stat, quia ideo Deus non potest cognoscere spiritualia vt corporea, quia cognoscit illa intuitivè & sic cognoscit rem sicuti est in se. Sed contra, etiam Deus cognoscit absoluta intuitivè, & sicuti sunt in se : ergo non potest cognoscere instar relatiuorum ; antecedens est fide sancta, & lumine naturali notum, consequentia est manifesta, ideo Deus non potest cognoscere spiritualia, instar corporalium, quia cognoscet rem aliter ac est in se, & non vt est in se ; sed si Deus cognosceret absoluta instar relatiuorum cognosceret rem aliter ac est in se, & non vt est in se : ergo implicat quod Deus cognoscat absoluta instar relatiuorum. Probatur minor, ideo implicat quod spirituale cognoscatur vt corpus, quia implicat quod spirituale sit corpus, & si ita cognosceretur res aliter ac est in se ; sed similiter implicat quod absolutum sit relatio : ergo concipere absolutum vt relatio est concipere rem aliter ac est in se, quia conciperetur illud, quod est impossibile.

38 Respondet Ægidius *num.* 87. Deum non concipere illam compositionem cervi, & hominis, vt existentem à parte rei sed vt imaginabilem, & eodem modo loquitur de distinctione, & relatione rationis, atque adeo cognoscit rem vt est in se imaginabiliter. Sed contra : ergo eodem modo poterit Deus cognoscere spiritualia, vt corpus, non provt sunt à parte rei sed provt sunt imaginabiliter in se, & in intellectu ; sed hoc implicat secundum ipsum : ergo & quod cognoscat entia absoluta vt relatiua, & ratio à priori huius est, quia ideo implicat cognoscere vnam speciem esse aliam, etiam imaginabiliter, quia à parte rei implicat, quod vna species sit alia, & intellectus qui ita cognoscit non conformatur cum subiecto, quod est maxima imperfectio.

39 Quarto, Deo omnino repugnat iudicium falsum ; sed si Deus faceret ens rationis non repugnaret illi iudicium falsum : ergo &c. Maior est de fide certa, & lumine naturæ nota ob infinitam perfectionem Dei in cognoscendo. Minor probatur, Deus secundum aduersarios facit ens rationis per actum, qui est eminenter iudicium, & non per actum qui sit eminenter simplex apprehensio : sed actus iudicij efformans ens rationis in opinione omnium est falsus : ergo Deus haberet iudicium falsum.

40 Confirmatur, non est maior ratio quare iudicium, quo Petrus affirmaret substantiam esse quantitatem sit falsum, & non esset falsum in

Deo

Deo si daretur, sed in Petro est falsum illud iudicium : ergo esset falsum in Deo si daretur; minor est certa, consequentia probatur, ideo illud iudicium in Petro est falsum, quia non conformatur cum re, provt est à parte rei : sed iudicium diuinum si daretur formans ens rationis concipiens absolutum instar relatiui, non conformaretur cum obiecto provt est à parte rei : ergo Deo non repugnaret actus falsus.

41 Quinto sic probatur, principaliter ratione, Deus vt summe perfectè, & infinite intelligens est incapax alicuius imperfectionis in cognitione : sed si Deus faceret ens rationis esset capax alicuius imperfectionis : ergo Deus non potest facere entia rationis ; maior non solum est euidens, sed etiam de fide. Minor probatur, quia productio entis rationis, est fictio entis apparentis, & fictè cognoscere quod non est, ac si esset, vel compositio rationis, eius quod non est ac si esset, vt ait Damascenus *cap.64. suæ Logicæ* dicendo : fingere ex iis, quæ non sunt, est per rationem componere, & D. Gregor. *Homil. 23. in c. 24. eu, lu,* fingere, componere dicimus : vnde compositores luti, figulas vocamus ; sed hæc est summa imperfectio in cognitione : ergo si Deus faceret ens rationis non solum esset capax imperfectionis, sed haberet illam : minor probatur quia ens rationis, est res apparens & ens fictum cum fundamento, vel sine illo : ergo ens fictum fit per fictionem, sicut ens creatum per creationem, & ens genitum à generatione. Consequentia sic probatur, quia omne denominatur ab aliqua ratione formali, vel quasi formali, sed non potest constitui in tali esse ens fictum ab alia ratione formali, nisi à fictione per quam producitur, sicut genitum à generatione, per quam etiam producitur : ergo ens rationis, quod est fictum, fit per fictionem.

42 Vrgetur, quia ens rationis habet illud esse apparens per aliquam cognitionem, sed non per cognitionem adæquatam obiecto, ac veram, v. g. in cognitione priuationis, & relationis : ergo per cognitionem non adæquatam, & falsam. Probatur minor, quia si esset cognitio adæquata, esset cognitio adæquans se cum obiecto in esse intentionali, id est nihil amplius, nec minus repræsentaret, quam esset in obiecto ; vnde esset cognitio repræsentans priuationem, vt priuationem, & non per modum qualitatis, & absolutum, non per modum relatiui, & ac si esset relativum ; sed sine relatione & spirituale non ac si esset corporeum, & per modum corporis ; sed cognitio, per quam producitur ens rationis, non est huiusmodi, quia per illam cognoscimus priuationem per modum qualitatis, & absolutum ac si esset relatiuum : ergo talis cognitio non est adæquata cum aliquid detur amplius repræsentatum in cognitione, quam sit in obiecto, nam in obiecto non est relatio, & est relatio in cognitione, & in carentia non est qualitas, & dantur in cognitione repræsentante Angelum & priuationem, in quo excedunt obiectum : atqui æqualitas duorum consistit in hoc, vt vnum non excedat aliud, ideoq; hæc propositio non est æqualis, seu adæquata, & vera respectu Regis in Rege Hispaniæ Philippo IV. sunt natiuæ alæ, & virtus sanandi strumas, quia in illa propositione repræsentatiuè datur amplius ac in suo obiecto, ita vt excedat propositio in aliquo obiectum repræsentatum ; & è contra, ideo hæc non est adæquata, & falsa sed vera ; Rex Galliæ habet virtutem sanandi strumas, quia tantum est repræsentatiuè in propositione, quantum realiter in obiecto secundum se, & cum nec Rex excedat in hoc propositionem, nec propositio obiectum ; inde est quod hæc sit vera & adæquata ; è contra vero alia sit falsa : illa minor sic probatur, quia si cognitio per quam producitur ens rationis, cognosceret cum adæquatione cognoscendo priuationem vt carentiam, & absolutum sine relatione, & spirituale non vt corpus, non daretur ex vi illius cognitionis ens apparens & fictum v. g. relatiuum, qualitatiuum, & corporeum, & sic non daretur ens rationis, quia per cognitionem cognoscentem rem absolutam sine relatione, id est in qua minimè repræsentatur relatio, non potest produci relatio, quia tota productio illius non est productio realis, vel ad extra ; sed tantum obiectiua & intentionalis, repræsentando illud quod producitur, ideoque vt diximus ens rationis non habet aliud esse, nisi purum obiectiuum & repræsentatum, quod non est ac si esset ; nam cum tota productio sit adæquatè cognitio, & cognoscitiua, & cognitio, vt cognitio sit repræsentatio, non potest produci, quod minimè repræsentatur, alias ex vi cuiuscumque cognitionis repræsentantis Deum, infinita entia rationis producerentur, quia ex vi illius cognitionis producitur quod non repræsentatur, sed infinita non repræsentatur, imo ex non repræsentatis, non est maior ratio quare vnum potius quam aliud repræsentetur : ergo infinita entia rationis producuntur ; sed necesse est vt illud quod ex vi illius cognitionis producitur, repræsentetur & cognoscatur : atqui per illam cognitionem absoluti præcise non cognoscitur, nec in illa repræsentatur relatio, & per cognitionem spiritus, non repræsentatur corpus, & per cognitionem priuationis non repræsentatur qualitas : ergo ex vi illorum nec ens rationis relatiuum, nec corporeum, nec qualitatiuum producitur, solum enim resultat, vel vt melius loquar, constituitur absolutum in esse cogniti vt absoluti, & spiritus in esse cogniti vt sic, quæ sunt denominationes extrinsecæ reales.

Explicatur vltimo, quia ens apparens producitur vel cognoscitur practicè per cognitionem, quæ fallitur circa obiectum : sed cognitio quæ fallitur non potest esse in cognoscente cum summa certitudine, & comprehensione euidente, & perfectissima vt est Deus : ergo productio entis rationis non est in Deo. Maior probatur, quia esse corporeum in Angelo, esse positiuum in negatiuo, & relatiuum in absoluto producuntur ex vi cognitionis cognoscentis spiritum vt corpus, absolutum vt relatum &c. quia cognitio cognoscens priuationem, vt carentiam non potest cognosci vt positiuum, & cognitio absoluti vt absoluti non cognoscit vt relatum, quia cognitio absoluti vt talis, dicit negationem relationis, & priuationis, vt carentia positiui dicit negationem positiuæ qualitatis ; sed nulla cognitio potest esse entis & non entis, positiui & non positiui, relatiui & non relatiui ; sed cognitio cognoscens absolutum vt relatiuum &c. fallitur, sicut hæc cognitio fallitur, Deus non est trinus, quia iudicat de Deo, & cognoscit illum ac si non esset trinus, cum à parte rei verè Trinitate decoretur, est imperfecta talis cognitio ; sicut fallitur cognitio sensitiua, visus cognoscens lucem, vt colorem 43

cæruleum, & remum fractum in aqua, & colorem per vitrum triangulare, nam tales colores non repræsentantur ex vi perfectæ cognitionis; sed imperfectæ, quia nihil aliud est falli, quam cognoscere colorem, vbi non est color, & relationem vbi non est relatio, quia ideo dicimus Hispanè *Pedro ce Engañe en pensar, que yo soy su amigo, porque en Realidad de Verdad, yo no lo soy.* Vnde cognitio illa est entis apparentis, id est, illius quod solum habet esse apparenter, & in apparitione, vel tantum quando apparet in imperfecta cognitione, hoc est, tantum habet esse dum apparet, & tantum apparet quando obiectivè repræsentatur, & sic in huiusmodi cognitione datur imperfectio, sicut datur in gustu vili infecto, cum dulce, vt amarum sentit, & in oculis tericia infectis, cum omnia etiam cærulea vel punicea, aut rubra lucida cognoscat: ergo cognitio per quam &c. fallitur, sed hæreticum est dicere Deum falli: ergo falsum est dicere Deum facere entia rationis.

44 Declaratur, quando intellectus facit distinctionem rationis, vel relationem &c. aut concipit vt actu distincta ea quæ à parte rei sunt verè distincta, & relata, vel ea vt actu à parte rei non distincta, & relata; non enim est assignabile aliud medium, si primum non erit distinctio rationis quandoquidem iam supponitur actualis à parte rei: ergo secundum est concedendum: ergo iam intellectus diuinus conciperet res aliter ac sunt, quandoquidem actu distincta non sunt, & concipiantur vt actu distincta quæ est aggregatio imperfectionum, falsitatis, fictionis, non veritatis, erroris, & ignorantiæ, vt iam supra probatum manet in cognitione, & idem argumentum debet fieri de relatione, nam vel concipit intellectus extrema vt relata, quæ non sunt talia, aut quæ talia sunt à parte rei & ex se, & sic fiet idem arguendi modus; vnde argumentor à fortiori, nam omnes Thomistæ cum Diuo Thoma constanter asseuerant non posse adhuc diuinitus videre Deum, ac diuinam essentiam sine personis, quia ille actus est verus intuitivus, & perfecta visio, & per consequens debet attingere Deum sicuti est, cumque à parte rei sit trinus, & vnus in seipso ita vt essentia, & proprietates sint vna simplicissima formalitas, implicatorium est, quod totus Deus adæquate, provt trinus, & vnus est non attingatur, quia cognitio non se adæquans cum obiecto, ad imperfectam, & abstractiuam notitiam pertinet, non ad veram, & intuitiuam, qualis est beatifica.

45 Item minimè potest Deus videri à Beatis cum quaternario relationum, & personarum quia est vera, & intuitiua cognitio beatorum addendo, vel cognoscendo vnam relationem, & personam amplius quam habet diuinitas, quia esset erronea, & hæretica illa cognitio, ad minus falsa, & ficticia: sed cognitio diuina est vera, adæquata, & infinitè superans iis omnibus perfectionibus quamcumque cognitionem diuinam creatam: ergo non potest cognoscere Deum cum alia relatione, præter tres, nec potest concipere sine identitate, & cum distinctione, quia vel tollitur à Deo quod habet, vel additur quod non habet, esset enim falsa fictio, & erronea cognitio: ergo Deus non potest facere distinctionem, vel relationem rationis, quia ad talem efficientiam omnino necessaria est cognitio eiusmodi.

## SVBSECTIO II.

### *Vltima ratio principaliter ponitur.*

QVia si Deus faceret ens rationis, ex eo esset, 46
vt dicunt aduersarij, quia Deus cognoscit tale ens, cum autem ex eo quod Deus cognoscat, communicet enti rationis esse cognitum, inde est quod producat illud, illique tribuat suam existentiam, quæ solum in esse cognito consistit; sed hoc aduersariorum assertum est falsum: ergo falsum est dicere Deum facere ens rationis. Maior est totum fundamentum contrariorum, cui innititur eorum sententia. Minor sic probatur, si ex eo solum quod Deus cognosceret ens rationis, & constituret illud in esse cognito, sequeretur Deum facere ens rationis, omnia entia rationis à creaturis fabricata simul & semel continerent, haberentque duplicem existentiam: sed hoc est maximum absurdum, indignumque cogitari ab homine rationali: ergo falsum, & absurdum est assertum aduersariorum; minor hæc euidenter patet, nam sicut se habet existentia realis, respectu entis realis, ita se habet existentia rationis, respectu entis rationis: sed vnum, & idem ens reale, adhuc diuinitus non potest habere duplicem existentiam quia existentia identificatur cum ente reali, & idem non posset esse duplex, quia iam esset idem & non idem, vnum & duplex realiter; vnde vnum, & non vnum, duplex, & non duplex, quod est contra euidentissimum illud axioma impossibile est idem simul esse, & non esse: ergo similiter idem ens rationis non potest habere duplicem existentiam rationis. Maior illa sic probatur, quia Deus ex eo quod infinitè comprehendat mentes creatas cognoscit omnes cogitationes earum, omnia obiecta talium cogitationum; omnia denique entia rationis ab ipsis mentibus humanis, ac intellectus creatis fabricata, ita vt nullum ens rationis sit à creatura effectum, quod non cognoscatur clarissimè, ac euidentissimè à diuina, ac infinita cognitione, vt latissimè à nobis demonstratum manet quæstione præcedenti: ergo ipsissimis entibus rationis, quæ fiunt à creatura communicat Deus esse cognitum, ac per consequens existentiam, cum per vos idem sit existentia illius, & esse cognitum ipsius, & idem sit existere ens rationis, ac cognosci; tum sic, illis ipsis tribuit etiam creatura existentiam, quia creatura facit illa; ac producit in suo esse, cum hic loquamur de entibus rationis à creata mente fabricatis: atqui producere aliquid est tribuere illi existentiam cum nihil aliud sit producere de nouo aliquem effectum, quam extrahere illum ab statu possibilitatis, ad statum actualitatis, seu existentiæ, quod non aliter fit, nisi tribuendo existentiam possibilitati, communicandoque tali effectui media productione actualitatem existentiæ: ergo si creaturæ cognitione sua producunt, & faciunt ens rationis, creaturæ cognitione sua tribuunt ipsis existentiam rationis proculdubio. Vnde cum illis ipsis Deus etiam tribuat existentiam cognitione diuina eadem entia rationis habebunt duplicem existentiam, vnam quam accipiunt à Deo, aliam quam accipiunt à creatura.

Dices tales existentias non distingui inter se eamdemque

eamdemque esse tributam à Deo, & à creatura.

47 Contra, nam ea distinguuntur inter se, quæ separantur ad inuicem duratione, ita vt existat vnum ea duratione, qua non existit aliud, & ideo distinguuntur realiter Adamus, & Antichristus, quia Adamus existit in primo mundi exordio, quo non existit Antichristus, sed existit in fine vniuersi: sed existentia quam habet à Deo ens rationis, habuit illam ab æterno ab ipso, qui nunc æternitatis vsque modo habet, & existentia, quam habet à creatura minime ab æterno, quia nulla creatura fuit tunc, quæ posset tribuere talem existentiam enti rationis, sed in tempore habet ab illa: ergo separantur illæ durationes in sua prima productione, licet in sua conseruatione simul existant in eadem entitate entis rationis, cum in tam variis ac distinctis durationibus, & vt ita dicam infinitè distantibus, vt sunt æternitas, & tempus, tales existentiæ primo habuerint esse: ergo distinguuntur illæ existentiæ inter se.

Dices vt mihi argumentanti aliquando responsum fuit, nullum esse inconueniens, quod ens rationis, quia tam diminutum esse habet, duplici simul, & semel gaudeat existentia.

48 Sed contra, quia ideo ens reale non potest habere duplicem existentiam realem nec eadem essentia posse actuari duplici actu existentiali, quia existentia est actus adæquatus respectu essentiæ: sed non possunt reperiri duo actus adæquati respectu eiusdem potentiæ, quia esset, & non esset adæquatus, & ideo nec per potentiam Dei absolutam in sententia Thomistarum possunt duæ formæ informare vnicam materiam, nec duæ substantiæ vnicam naturam, quia sunt actus adæquati respectu materiæ & naturæ, & inde fide catholica certum est non posse aliud Verbum diuinum produci ab intellectu diuino, nec alius Spiritus sanctus à voluntate diuina, quia Verbum diuinum est adæquatus terminus productus per illum, & Spiritus sanctus per voluntatem; item potentia visiua non potest extendi ad aliud obiectum propter visibile in tota sua vniuersalitate sumptum, nec intellectus potest extendi vltra intelligibile vt sic, quia tam intelligibile, quam visibile sunt adæquatum obiectum visus, & intellectus, quia autem respectu vnius potentiæ detur omnimoda adæquatio cum obiecto adæquato; inde est quod potentia non possit tendere ad aliud obiectum vltra adæquatum, quia esset & non esset adæquatum, esset adæquatum vt supponimus, non esset adæquatum quia non compleret totam capacitatem potentiæ; siquidem relinqueret ipsam, vt possit se extendere ad aliud: sed impossibile est idem simul esse, & non esse: ergo impossibile est, quod respectu vnius potentiæ detur duplex obiectum, vel duplex actus adæquatus, vt est existentia respectu essentiæ realis: sed similiter existentia entis rationis est actus adæquatus respectu essentiæ entis rationis, nam vt supra diximus, sicut se habet existentia realis ad essentiam realem, sic se habet existentia rationis ad essentiam entis rationis: ergo si qua existentia realis est actus adæquatus respectu essentiæ realis non potest actuari essentia illa duplici existentia reali, similiter non poterit eadem essentia entis rationis actuari duplici existentia rationis, cum sit actus adæquatus illius existentia; patet hæc vltima consequentia, quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis: sed quia in existentia reali respectu essentiæ realis, datur ratio formalis actus adæquati non potest vna, & eadem essentia realis duplici existentia reali actuari: ergo similiter quia in existentia entis rationis datur eadem ratio formalis actus adæquati respectu essentiæ entis rationis, dabitur etiam idem effectus vel quasi effectus formalis si quod eadem essentia entis rationis non possit actuari duplici existentia rationis.

Confirmatur, quia essentia rationis, imperfectior est essentia reali: ergo si essentia realis non est capax duplicis existentiæ realis, à fortiori essentia rationis non erit capax duplicis existentiæ rationis. Patet hæc consequentia, quia si quod perfectius est, non potest, licet habeat maiorem perfectionem, acquirere duplicem perfectionem existentiæ: ergo quod non habet tantam perfectionem à fortiori non poterit acquirere duplicem perfectionem existentiæ, alias imperfectiori deberetur maior excellentia, aut plus perfectionis, quàm perfectiori, quod est absurdum. 49

Vrgetur, quia si quod fortius, & firmius est, vti est essentia realis non potest, vt ita dicam, portare onus duarum existentiarum: ergo à fortiori, quod infirmius & debilius est non poterit portare, & perferre onus duarum existentiarum, v. g. ponamus exemplum in homine sano, & infirmo, nonnè amens diceretur ille, qui toto conatu assereret, ac totis viribus asseueraret, hominem infirmum posse portare onus aliquando graue, quod homo sanus, & robustus, maioribusque viribus pollens, non poterat perferre? Item si vir robustus, maximisque viribus præditus, pondus magnum auri, vel argenti non potest euehere, aut extollere, quomodo poterit infans vnius anni illud extollere; atqui maior instantia datur inter debilitatem & infirmitatem entis rationis, & firmitatem, perfectionem, & potentiam entis realis, quam inter debilitatem pueri, & vires hominis robusti: ergo si ens reale non potest portare pondus duarum existentiarum realium, à fortiori non poterit ens rationis portare pondus duarum existentiarum rationis. 50

Confirmatur, ad quod suppono quòd præcisum fundamentum omnium aduersariorum esse, quia ex eo quod Deus cognoscit ens rationis facit illud, quo supposito sic argumentor; si Deus faceret ens rationis nullus intellectus creatus faceret illud: sed hoc est falsum: ergo id ex quo sequitur. Probatur sequela, si Deus faceret ens rationis, ab æterno fecisset omnia entia rationis: ergo non reliquisset ens rationis ab homine faciendum. Probatur consequentia, si Deus ab æterno fecisset omnes gradus caloris possibiles, Sol in tempore nullum gradum caloris produceret: ergo si Deus fecisset ab æterno omne ens rationis, nullum faceret creatura in tempore. Primum antecedens probatur, facere ens rationis per vos, est cognoscere illud: sed Deus ab æterno cognouit omne ens rationis: ergo ab æterno fecit omne ens rationis. 51

Dices quod licet Deus ab æterno produxerit ens rationis quantum ad essentiam, non tamen illi dedit omnes existentias, & diuersa est ratio in ente reali, quia ens reale tantum habet vnicam existentiam, & sic vnica productio totum producitur; ens autem rationis licet producatur quantum ad essentiam, potest habere diuersas existentias, quas in tempore tribuit intellectus humanus. 52

53 Sed contra, quia etiam Deus ab æterno tribuisset enti rationis omnes existentias: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens : tribuere enti rationis existentiam est producere existentiam, entis rationis ; sed Deus ab æterno produxisset omnes existentias entis rationis : ergo tribuisset omnes existentias enti rationis. Maior est certa in omnium sententia, quia idem est tribuere existentiam Petro, ac producere existentiam illius. Minor probatur, vel illa existentia, quam creatus intellectus tribueret enti rationis esset tantum realis & denominatio extrinseca ; vel esset ens rationis, non primum: ergo secundum. Tunc sic illam existentiam rationis Deus ab æterno cognouisset : ergo produxisset illam ab æterno. Antecedens constat *ex quæst. Superiori*, quia Deus cognouit ab æterno omne ens rationis. Consequentia probatur, idem est facere ens rationis, ac cognoscere illud secundum aduersarios ; sed Deus ab æterno cognouisset omnes illas existentias, quæ sunt ens rationis : ergo Deus ab æterno produxisset omnes illas existentias.

## SECTIO III.

*Secunda conclusio ponitur.*

54 Secunda opinio in suppositione est falsa, & ex suppositione est vera : sed non est contra nos, vt demonstratum est in notabili huius quæstionis ; explicatur, & probatur conclusio : Prima opinio supponit duo scilicet entia rationis esse quædam entia, vera, & positiua à parte rei, sed quia sunt entia debilissimæ entitatis, non vocari entia realia sed rationis. Secundo supponit entia rationis Logica esse relationes, quæ verè resultant, ex eo quod aliquod obiectum cognoscatur ab aliqua potentia : sed hæc duo suppositia sunt falsa, & ideo dico opinionem illam in illis esse falsam ; vnde si consideretur opinio ex parte suppositorum, falsitatis defectum incurrere necesse est ; sed admissis illis suppositis, asserere quod huiusmodi entia, quæ verè realia, & positiua sunt, & vocantur rationis fiant à Deo verum est, & ideo dico, & ex suppositione est vera : sed vt sic non est contra nos, nec contra aliquem Catholicum, nemo enim potest negare, quod aliquod ens verum, & positiuum, vel priuatio realis fiat à Deo illud immediatè & per influxum, ista per subtractionem concursus, & mediatè cum Deus faciat, & ab eo dependeat quidquid est à parte rei, & non est Deus, quod satis probatum manet in nostro notabili, & sic hæc secunda pars, vti vera, & potius vt pro nobis, quam contra nos, relinquitur ; suppositum autem illius opinionis licet sit iam destructum supra, vbi probauimus priuationes, & negationes, ac denominationes extrinsecas non esse entia rationis, nihilominus sic nunc oppugnatur.

55 Primo, quia illa sunt entia ante omnem fictionem intellectus, & distinguntur ab entibus apparentibus, quæ tantum habent esse dum actu concipiuntur res aliter ac sunt : sed quod est huiusmodi non est ens rationis sed reale : ergo. Maior ab ipsis aduersariis conceditur, ipsi enim aiunt esse entia quædam vera, & positiua, debilissimæ tamen entitatis, additque Ægidius, qui illam tuetur *num.* 81. illa non esse entia ficta, & tribuit rationem, nec enim ad fingi vt ens satis esse videtur, vt cum ente reali aliquem habeat cognationem, prius enim dantur hæc entia, quam obiectiuè concipiantur. Secunda pars maioris sic ostenditur, quia verum vt verum dicit negationem entis ficti, & apparentis : sed quod dicit negationem respectu alterius distinguitur ab illo, ideo enim homo distinguitur ab equo quia dicit negationem illius, & Deus verus distinguitur à Deo ficto, quia vt verus est dicit negationem Dei ficti, & sic ad significandum non esse fantasticam nec fictam humanitatem Christi & misterium incarnationis, non esse apparens tantum contra hæreticos asserentes, corpus Christi esse, fictitium, nec commentitium & apparens mysterium incarnationis, & habere Deum, seu terminare suppositum Dei illam naturam, quam in essentiali specie hominis concipimus vere esse sicut Diuus Augustin. Hyeronim. Fulg. Angel. interpretantur omnia loca Scripturæ, vbi dicitur Deus verus ; item eodem modo omnes Doctores Catholici interpretantur ac intelligunt illud Symboli Nizeni, Deum verum de Deo vero. Deinde verum vt verum est illud quod habet esse ante omnem cognitionem terminatam ad ipsam, quare Diuus Augustin. 2. *Soliloquiorum*, verum esse ait id, quod est, non autem id, quod videtur, aut quod tale est quale videtur, quia etiam si res non videretur, nihilominus vera est, sed priuationes, & negationes sunt verè carentiæ à parte rei, & denominationes extrinsecæ sunt vera extrinseca entia: ergo distinguntur ab apparentibus, & fictis, & dicunt negationem illorum, quæ tantum habent esse dum actu concipiuntur.

Minor in qua est tota difficultas sic probatur : illud quod est verum ens à parte rei ante omnem fictionem intellectus distinguitur, vt vidimus ab ente ficto cum fundamento & sine illo, vt à chimera, & relatione rationis, & à puro nihilo : atqui illud quod sic distinguitur est reale : ergo illud ens, quod sic se habet, non est rationis; quod distinguatur ab ente ficto iam probatum est ; quod distinguatur à puro nihil licet sit euidens, sic ostenditur, quia purum nihil est pura negatio totius entitatis, & nullam habet connexionem cum ente reali ; sed entia, de quibus loquimur, aut sunt entia positiua, veramque entitatem habent sine fictione, aut connexionem necessariam dicunt cum ente reali, vt supra probatum manet : ergo. Minor hæc, & etiam præcipua sic probatur, nimirum, quod illud, quod distinguitur à puro nihil, & ab ente apparente, & ficto, cum fundamento, aut sine illo, sic probatur, quia omnia entia, vel omnia genera entium positiuorum sunt tantum duo, aut realia, aut ficta cum fundamento aut sine illo : sed quæ sunt vera entia non sunt entia ficta : ergo sunt realia, quia non est dari medium, præcipuè quia non sunt purum nihil, nam à partium enumeratione euidenter constat quod illud quod non est ens fictum, nec purum nihil, sit reale ; siquidem non datur nisi reale fictum, & purum nihil, v. g. homo non est purum nihil, nec ens fictum : ergo reale ens.

Dices illa entia vera esse rationis, 56

Contra, quia ea quæ distinguuntur, in ea ratione qua distinguuntur habent, distinctam denominationem : sed entia ficta, & vera sunt maximè distincta : ergo habent distinctam denominationem : atqui ficta vocantur entia rationis : ergo

ergo vera non sunt entia rationis, vel è contra si vera vocantur entia rationis, ficta erunt realia, & non rationis; vnde ficta erunt ficta, & non ficta, & vera erunt vera, & non vera vt patet ex terminis, præcipuè quia illa de quibus agimus maiorem conuenientiam habent cum entibus realibus admissis ab aduersariis, quam cum entibus fictis: ergo potius entia realia, quam rationis denominanda sunt: antecedens patet, quia sicut entia realia habent verum modum existendi sine fictione, sic hæc, & sicut illa non dependent à cognitione fingente, & cognoscente rem aliter ac est, sic hæc: ergo.

Declaratur, quia ideo subsistentia, & inhærentia & punctum non sunt entia rationis, sed potius realia, quia sunt à parte rei verè, & non fictè, imo nullam ob causam aliam, seu rationem vocantur realia, nisi propter dicta, quia talia sunt medium necessarium inducendi realitatem quod adeò verum est vt non inueniatur medium ad probandum Deum esse reale ens, nisi quia Deus est verus, & ante omnem fictionem intellectus, nam si aliud detur, dicant aduersarij quod sit?

57 Dices dependere à cognitione, vel ab esse obiectiuo v. g. denominatio cogniti.

Contra, quia habitus dependet essentialiter à cognitione, & verbum mentis etiam, & nihilominus non sunt entia rationis, & ratio à priori est quia dependentia illa est realis licet à ratione: ergo & extrema dependentia sunt realia & non rationis, cum dependentia sit modus dependentium, & modus sequatur rem, cuius est modus, & ideo modus non potest esse realis, si dependens sit ens rationis; item quia priuatio & negatio minimè dependent à ratione, & à cognitione.

Et si dicas Deo non esse debilientia realia, quia sunt debilissimæ entitatis.

58 Contra, quia esse debilissimæ entitatis est differentia contrahens aliquid quod à parte rei est, & non quod fingitur à ratione: ergo illa debilissima ratio non extrahit à latitudine entis realis, quod sic est debilissimæ entitatis, quod sic illustro; nam modi sunt entia debiliora, & species intentionales, & nihilominus illa debilitas non extrahit modos ab ente reali, solum enim sufficit illa debilitas adhoc vt debilissima entia realia vocentur, quia illa debilitas est imperfectio, & imperfectio si sit supra ens non fictum, sed verum non extrahit à realitate, aliàs nullum ens creatum esset reale, quia omne est debile, & imperfectum, ideoque hominem comparauit Iob flori, sicut flos egreditur, & conteritur, & sicut vmbra; item infirmitas debilitas est, & nihilominus infirmitas non facit hominem esse ens rationis, sed reale debile, vel debile intra latitudinem entis realis, quæ latitudo ita ampla est, vt in se comprehendat entia perfectissima vt Deum, & debilissima vt dicta: ergo.

59 Dices minus debiles esse modos, & species intentionales, quam denominationes extrinsecas, & probationes.

Contra, quia modi debiliores sunt accidentibus, & nihilominus non ideo modi dicuntur entia rationis propter hanc maiorem debilitatem: ergo licet entia extrinseca, & probationes sint debiliora modis, non ideo erunt entia rationis: cum habeant formalitatem realitatis nimirum esse à parte rei sine fictione intellectus, ratione cuius omnia necessariò entia realia sunt illa, in quibus datur talis ratio formalis, & ratio est quia magis & minus non variant speciem, potentiam, & gradum intra eandem rationem; ergo nec magis debile extrahit à ratione entis realis.

Secundo verum vt verum quatenus distin- 60
guitur à facto, aut est passio entis realis, aut est synonimum illius, non potest dari in eo quod non est ens reale: ergo si illa sunt vera entia habent entitatem realem. Maior omnibus clara est, quia veritas conuenit illi enti cuius synonimus est res, sed res non conuenit nisi enti reali: ergo veritas conuenit enti reali. Minor clara est, quia non solum passiones, sed quod magis est nec attributa vnius possunt esse passiones, & attributa alterius, quasi oppositi: sed verum, & ratum sunt synonima, & attributa entis realis: ergo non possunt conuenire enti rationis, quod adeo opponitur enti reali, vt verum sit verum aliud minime ens rationis sit fictum ens reale, non sit vllo modo tale.

Confirmatur, illud quod est productum per 61
veram actionem, vel per veram productionem realem, non est ens rationis, sed reale, sed illa entia debilissima sunt producta per veram productionem realem: ergo sunt vera entia realia. Maior est clara, quia operatio realis non potest separari ab ente reali, ita vt conueniat alteri, quod non est ens reale: sed si ens rationis produceretur vera, & reali productione separaretur talis operatio ab ente reali, & daretur in non ente reali, nam operatio realis non existeret in termino reali: sed in ente rationis producto: ergo separaretur ab illo, sicut si albedo sit, & non in subiecto erit separata ab illo, vel si reperiatur in homine, quæ deberet esse in leone esset separata à leone. Maior sic probatur, modus vnius non potest esse sine re cuius est modus, essendo in alio, alias non esset modus, vt latissimè demonstratur in metaphysica: sed operatio realis est dependentia entis realis, & dependentia est modus: ergo operatio non potest esse sine ente reali, producendo ens rationis, hoc etiam est separari de quo loquimur: ergo illud quod producitur per veram & realem actionem non est ens rationis: sed reale, nam operatio est in termino producto; vnde si terminus productus esset rationis operatio, quæ vt modus est haberet esse in ente reali, non esset in illo, sed in ente rationis, quod non est reale, & sic esset separata à re cuius est modus: nec obstat dicere actionem non esse in termino sed in agente. Contra, quia saltem actio realis dicet ordinem transcendentalem ad terminum cum specificetur ab illo: sed ordo transcendentalis est in ratione producendi, & non potest mutari cum sit essentialis: ergo solum potest esse respectu entis realis, quia terminus actionis realis ex vi rationis transcendentalis est ens reale: ergo non potest producere ens rationis.

Minor prima, & præcipua sic patet, quia il- 62
lud, quod habet verum esse existens à parte rei, & non est Deus, producitur, & dependet per veram productionem realem à Deo, sed illa entia debilissima habent verum esse existens à parte rei, & non sunt Deus: ergo sunt producta per veram actionem, & productionem realem ad extra, & transeuntem, de hac enim actione loquimur quando dicimus ens rationis non posse produci per actionem realem, & veram. Illa maior sic probatur, omne quod est à parte rei partici-

patum

patum à Deo est productum per veram, & realem operationem, siue sit illa emanatio, siue rigorosa actio: sed illud quod habet veram existentiam realem, & non est Deus, est participatum à Deo: ergo est productum per veram actionem, quia participatio per quam habent esse est dependentia vera & realis: sed dependentia vera, & realis in genere causæ efficientis est vera, & realis productio: ergo. Minor illa conceditur ab aduersarijs, nam Ægidius sic ait his verbis, cuius entis, licet sit vera existentia, est tamen satis debilis.

63 Specialiter de esse cognito probatur, scilicet de denominatione extrinseca à forma reali, quia illud quod identificatur cum reali non est ens rationis: sed denominatio extrinseca in abstracto, siue actiua, siue passiua identificatur cum cognitione reali extrinsecè respicienti obiectum, ideoque constituente cognitionem, quæ realis est: ergo est realis denominatio. Maior est euidens. Minor sic probatur, quia illa denominatio est formalitas alicuius entis, sed non entis intrinsecè existentis in denominato: ergo extrinsecè respectu illius, sed intellectio est extrinsecè, & non intrinsecè in obiecto: ergo illa denominatio est formalitas intellectionis, à nullo enim potest constitui intellectum, & cognitum nisi a cognitione, & ab intellectione, sicut album ab albedine & amatum ab amore, nullum enim aliud formale prædicatum potest constituere obiectum cognitum, nisi cognitio; nam sicut non potest dari Petrus cognoscens, quin cognoscat obiectum, sic non potest dari obiectum cognitum, nisi à cognoscente illud, ita vt per eandem formalitatem, vt supra demonstrauimus, constituatur cognoscens, & obiectum cognitum; quia quando aliqua ratio formalis est adæquatè sufficiens ad constituendum activum respectu alicuius passiui, etiam passivum vt tale constituit & non per aliam constituitur, vt vnio vnit se, & constituit vnitum, vt eadem albedo, quasi actiuè constituit album, & eadem albedo, quasi actiuè constituitur album, & anima rationalis constituit hominem animatum, quasi actiuè, vel materiam primam, & ab eadem numero constituitur natura, & homo & non ab alia: ergo si intellectio constituit quasi actiuè intelligens eadem passiuè constituet intellectum sine alio constituente: sed formalitas intellectionis nullo modo est rationis, sed realis: ergo denominatio extrinseca intellecti quæ identificatur cum formalitate intellectionis, erit realis, & non rationis, quia omne quod est debet esse cum suo formali constitutiuo intrinsecè in aliquo, nam esse extrinsecè respectu omnium est impossibile; vnde Deus, si iniuratur, est per iniuriam peccati commissi, & intrinsecè existentis in peccatore, & si creatura amatur est amata à Deo, per amorem in Deo, & extrinsecè in creatura: ergo similiter obiectum erit cognitum per cognitionem quæ extrinsecè est in illo, & intrinsecè in cognoscente.

64 Secunda suppositio falsa probatur, esse Dei cognoscitur, & est obiectum cognitum, & actu cognoscitur à creatura, cum ante cognosceretur per totam æternitatem, & ab æterno: sed ex eo quod Deus cognoscatur, sequitur in obiecto relatio cogniti. Minor sic probatur, quia omnis relatio distinguitur à re cuius est relatio, & relatio quæ sequitur ex vi cognitionis creatæ est creata: sed in Deo ex tempore non potest esse intrinsecè aliqua relatio creata ex vi actionis creatæ: ergo ex eo quod Deus cognoscatur &c. Hæc minor si probatur, quia primò mutaretur Deus cum de nouo reciperet aliquid intrinsecum, quod non habebat distinctum à se. Deinde aliquid esset in Deo intrinsecè, quod non esset Deus, nam esset relatio creata, quæ non est Deus. Sed, fide docente, omne quod in Deo est, Deus est: ergo non datur &c.

Nec obstat dicere ideo non resultare in Deo, quia incapax est.

Contra, quia Deus est actu perfectè cognitus 65
sine relatione, imo non est necessaria talis relatio: ergo & creatura est actu cognita sine relatione, nam eadem formalitate cognoscitur Deus à se & creatura a Deo, & Deus eadem cognitione, vel eodem modo extrinsecè constituitur à cognitione creata, quam creatura: ergo. Item quia obiectum cognitum non habet virtutem producendi in se illam relationem, nam antequam cognoscatur non habet talem virtutem, vt ipsi aduersarij fatentur, & postquam cognoscitur solum habet denominationem extrinsecam cogniti, quæ non est virtus producendi, vt de se patet. Item quia vel illa relatio, quæ resultaret in Deo ex vi suæ cognitionis esset ad se, vel ad creaturas, si ad se est talis, quia in Deo non datur relatio alia præter personales. Deinde, quia eiusdem ad se ipsum non datur relatio, nec ad creaturas, quia vt in metaphysica dictum est, Deus non ordinatur ad creaturas. Nec obstat dicere quod illæ relationes sint rationis. Contra quia solum nomen est rationis, & entitates relationum sunt reales cum habeant sine fictione realitatem à parte rei, alias poset aliquis concedere peccatum in Deo sine fictione, & accidens albedinis sine fictione, & vt saluaret illud inconueniens vocaret illud peccatum rationis, & albedinem rationis.

## SECTIO VLTIMA.

*Argumenta aduersariorum dissoluuntur.*

AD primum primæ sententiæ respondetur 66
negando maiorem. Ad probationem respondetur, Aristotelem ibi non diuisse esse entia rationis priuationes, & negationes: sed esse quasi entia realia, quæ quia imperfectissimæ sunt, non concipiuntur nisi vt entia positiua, in quo consistit formalitas entis rationis, vt supra explicatum manet; vnde ipsæ priuationes si vt carentiæ sumantur, non sunt entia rationis: sed reales, quia ante omnem fictionem intellectus reperiuntur à parte rei, solum enim est ens rationis positivum illud, quod in eis concipitur, ac si esset, cum tamen non sit.

Item negatur quod cognitio directa alicuius 67
rei vt in se est sit effectio entis rationis, vt iam supra satis probatum manet; reliqua autem illius argumenti non sunt contra nos.

Ad secundum argumentum respondetur ne- 68
gando quod entia rationis sint vera & positiua entia, nam Diuus Thomas ait, entia rationis non esse realitates: sed intentiones, id est non habere veram, & propriam entitatem, sed tantum conformitatem ab intentione intellectus; vnde si supposito illius opinionis esset verum, illa entia esse vera entia, non esset contra nostram conclusionem,

nem, quia nos non negamus entia vera fieri à Deo, sed entia ficta, & apparentia.

69 Ad tertium respondetur negando maiorem; ad illud, quod ex Aristotele adducitur, negatur quod dixerit absolute Aristoteles, ens reale participari ab ente rationis, aut diuidi in ens rationis, & reale: sed dixit ens diuidi in ens reale, & rationis, hoc est secundum distributionem accommodam, ita vt ab entibus realibus participetur ens reale ab ente rationis autem solum ens simile illi, quod ab ente reali participatur, non quod aliqua vna, & eadem formalitas diuidatur in ens rationis, & reale: sed quod eodem nomine significetur ens verum, quod diuiditur in realia entia, & in entia rationis, cum hoc tamen discrimine, vt sub illo nomine æquiuocatio illorum entium, aut analogia metaphorica reperiatur, vt in risu practica hominis, & quia ens quod diuiditur in entia rationis similitudinem habeat cum ente diuiso à realibus, inde est quod dicatur ens diuidi in reale, & rationis.

70 Ad quartum concedo maiorem, nego minorem, vt supra satis demonstratum manet.

71 Ad argumentum secundæ sententiæ, & ad locum Diui Thomæ, respondetur verbis ipsius Angelici Doctoris explicantis suam mentem in corpore illius articuli, vbi sic ait. Vnde plures ideæ sunt in mente diuina, vt intellectæ ab ipso, quod hoc modo potest videri, ipse enim essentiam suam perfectè cognoscit; vnde cognoscit eam secundum omnem modum, quo cognoscibilis est, potest autem cognosci, non solum secundum quod in se est; sed secundum quod est participabilis, secundum aliquem modum similitudinis à creaturis, vnaquæque autem creatura habet propriam speciem, secundum quod aliquo modo participat diuinæ essentiæ similitudinem. Sic igitur in quantum Deus cognoscit suam essentiam vt sic imitabilem à tali creatura, cognoscit eam vt propriam rationem, & ideam huius creaturæ, & similiter de aliis; & sic patet quod Deus intelligit plures rationes proprias plurium rerum, quæ sunt plures ideæ. Sic Divus Thomas, quæ verba explicans Caïetanus *in commentar. super hanc quæstionem*, sic ait, vnde in corpore articuli auctor dixit, quod quia Deus perfectissime intelligit essentiam suam, ideo intelligit eam vt tot modis imitabilem, hoc enim est constitui plures respectus ideales, intelligique plures ideas, vt aliorum rationum sunt, & intelligere creaturas distinctè in essentia diuina sibi obiecta, & hæc si bene contemplatus fueris obiectionem aliorum deridebis, sic Cardinalis Caïetanus; itaque nihil aliud est in sententia D. Thomæ, vt explicat Caïetanus causare respectus quibus multiplicantur ideæ, nisi constituere tales respectus, & nihil aliud est constitui tales respectus à Deo, vt hic auctor asserit, nisi intelligi plures ideas, id est vnam essentiam, vt imitabilem à pluribus creaturis, & intelligere creaturas distinctè in essentia diuina sibi obiecta, quæ participant illam essentiam multipliciter, & secundum diuersos modos essendi, & quia Deus eminentissimo quodam modo intelligit illam essentiam sine distinctione, & sine relatione non facit ens rationis, quia autem ita intelligit vnam essentiam, vt in tali cognitione æquiualeat pluribus, ideo dicitur causare respectus distinctionum, id est dare fundamentum vt causentur tales respectus; vnde fundamentaliter quasi causat, id est ansam tribuit vt noster intellectus causet, & quia quando nos concipimus diuinam essentiam causamus respectus, ideo nostro modo concipiendi causat, quia non concipimus vt in se est illam eminentissimam cognitionem, sicut etiam nostro modo intelligendi distinguitur essentia ab attributis, sed non vere, sed fictè ita similiter, & hic est germanus sensus Diui Thomæ, provt ab acutissimo Caietano enucleatur, quem si benè contemplatus fueris, vt Cardinalis ait, obiectiones aliorum deridebis, qui sensus consonat explicationi Patris Rubij in Logica, vbi sic ait, explicans Divum Thomam ad primum testimonium Divi Thomæ respondetur, sensum eius ex alio loco colligi, nempè *ex quæst. 17. de potentia, art. 6.* vbi docet distinctionem rationis, quæ reperitur inter diuina attributa vt inter iustitiam, & misericordiam, aut inter ideas diuersò modo reperiri in intellectu diuino & nostro, quia in illo reperitur tanquam in radice, & quasi virtualiter, in nostro vero formaliter, quod hoc modo explicandum est. Idea non est aliud, quam essentia diuina, provt participari potest à creaturis, & cum plures creaturæ sint distinctæ secundum essentiam, distinguimus in ea plures ideas, ita vt ea ratione qua potest participari ab homine sit idea hominis, & non leonis, & vt participari potest à leone, sit idea leonis, & non hominis, & sic de cæteris, quamvis autem diuinus intellectus intelligat essentiam diuinam, vt imitabilem ab omnibus creaturis vnico, ac simplicissimo conceptu, & ideo non distinguat in ea plures ideas per illum tamen vnicum conceptum intelligit, quod à nostro intellectu imperfecto modo eam concipiente hoc est per plures, ac distinctos conceptus distinguatur in plures ideas hominis, leonis, & aliarum rerum; nam vnico conceptu intelligimus essentiam diuinam, vt participari potest ab homine, & per alium conceptum distinctum, vt participari potest à leone, & hoc est distinguere in essentia diuina plures ideas distinctione rationis, & ideo efficere entia rationis intelligendo diuinas ideas.

Ex quibus intelligitur differentia inter diuinum intellectum, & nostrum; quod ille non distinguit ideas in essentia diuina distinctione actuali, aut formali, sed fundamentali, aut virtuali, in quantum cognoscit distingui posse à nostro. Noster vero intellectus actualem distinctionem rationis inter ideas facit, & quia omnis nostra intellectio causatur, & regulatur per Diuinam, docuit Divus Thomas intellectum diuinum causare distinctionem idearum, non efficiendo eam actualiter, sed solum virtualiter, in quantum intelligit essentiam diuinam, vt intelligi potest à nostro intellectu per plures conceptus, & ideò distingui possunt à nobis plures ideæ, quam distinctionem à nobis factam, causat quasi intellectus diuinus, per suam intellectionem, vt supra diximus, quia ansam præbet, & fundamentum illius distinctionis. Hæ sunt sufficientes explicationes, quæ si non tibi placuerint, fatere Divum Thomam contrariam sententiam hic asseruisse, licet alibi nostræ fauerit clarissime; vnde à Diuo Thoma, ad Divum Thomam confugimus in alijs locis. 72

Ad illud ex responsione ad quartum, dicimus non esse in creaturis fundamentum ad illas distinctiones, sed in Deo, quia virtualis distinctio in Deo datur; vnde bene ibi ait Divus Thomas respectus multi &c. non esse in rebus creatis: sed 73

in Deo fundamentaliter nimirum, & sic confirmant hunc sensum verba illa; non tamen sunt reales respectus sicut illi, quibus distinguuntur personæ: sed respectus intellecti à Deo primo, quia illi respectus sunt constituentes personas, aut principium productivum, isti autem non, illi sunt respectus formales reales, isti sunt virtualiter, & fundamentaliter, non autem formaliter, in Deo; vnde ex verbis Doctoris confirmatur, ac robo atur nostra explicatio.

74 Ad secundum ex ratione desumptum sic respondeo primo concedendo maiorem, & distinguendo minorem; est ordinatio, id est relatio, nego, decretum decernens humanitatem Christi vniendam esse Verbo diuino concedo: ex quo decreto denominatur prædestinatus hic homo, non quod decretum illud ordinauerit hunc hominem ad essendum filius naturalis: sed quod ex eo decreto terminato ad humanitatem tanquam ad partem destinatus denominetur totus homo destinatus, verbi gratia: ex eo quod intellectus sit in sola anima, dicimus hominem esse intellectivum, non quod intellectus sit in toto homine: sed essendo in parte denominat totum, & peccatum essendo in voluntate denominat totum suppositum, & albedo quæ est in corpore denominat album totum hominem, & visio subiectata in materia prima non denominat materiam primam videntem sed hominem, ita vt vnam denominationem recipiat subiectum in quo est visio, scilicet materia habens visionem, & aliam recipit totus homo, & ideo dicitur videns, eodem modo humanitas est ordinata, id est, decreta vt vniatur ad Verbum, & totus homo est prædestinatus, nam denominatio debet applicari secundum proportionem subiectorum, ideoque dixi supra est ordinatio, id est, relatio nego, nam hoc vocabulum ordinatio dupliciter sumitur, vel pro relatione vel pro decreto; hic autem non sumitur pro relatione: sed pro decreto, nam prædestinatio est actus, vel intellectus, vel voluntatis, & ambo sunt immanentes vitales, perfectionesque intrinsecæ Dei, quæ minimè in relatione possunt consistere, quia vel relatio est rationis, vel realis; si realis nullo modo datur talis relatio in voluntate, vel intellectu, præcipuè quia ideo non dantur, nisi quatuor relationes producentis, & producti ad intra; si rationis non potest esse prædestinatio, quia relatio rationis est ens fictum, & non est perfectio diuina, actus autem voluntatis, & intellectus est vita Dei, & sic est perfectio; vnde prædestinatio minimè est relatio, nec propriè est ordinatio actiua, id est, faciens ordinatum, & sic falsum est dicere dum Beatus Petrus est prædestinatus ad beatitudinem, propriè esse ordinatum id est, relatum ad beatitudinem, quia Divum Petrum non reddit relatum, producens relationem in illo media prædestinatione sua, Deus enim lato modo dicitur ordinatus, id est, destinatus, decretus, & amatus ad beatitudinem, & ratio manifesta est, quia prædestinatio est actus immanens: sed actus immanens non producit ad extra in creatura: ergo non producet ordinationem solum realiter denominans extrinsecè destinatum electum, si sit actus intellectus, vel amatus ad beatitudinem si sit voluntatis; sic similiter ex eo quod Deus prædestinauit hunc hominem nihil aliud fecit, nisi eligere ab æterno, vel destinare, seu definire, vel amare hanc humanitatem Christi, vt in tempore vniatur hypostaticè, ex quo decreto, electione, destinatione &c. solum resultabit denominatio extrinseca in humanitate amata, scilicet ad talem vnionè, & in Christo prædestinari ad hoc vt vnione hypostatica, & subsistentia Verbi constituatur in esse filij Dei naturalis, ita vt respectu humanitatis sit terminus ad quem vnio hypostatica, & Verbum, & sic talis terminus significatur illa particula, scilicet propositio, ad, dum dicimus humanitas destinata est ab æterno & prædestinata ad huiusmodi vnionem hypostaticam, Christus autem est prædestinatus, id est decretum est vt ex hac humanitate, & vnione hypostatica, & Verbo hic homo constituatur filius Dei naturalis; vnde propriè non dicimus, hic homo est prædestinatus ad esse filij Dei naturalis, quia illa particula, ad, denotat distinctionem, quæ hic non datur; vnde Paulus nunquam illa vtitur, dum de prædestinatione Christi loquitur, vt ex his verbis Apostoli *ad Romanos* 1. Paulus servus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.

Ecce verba Pauli, vbi non dicitur Iesus Christus prædestinatus ad esse filij Dei, sed prædestinatus filius Dei naturalis; id est definitum est ab æterno, vt humanitas Christi vniatur ad Verbum, & ex hac vnione resultet Christus, qui homo Deus sit filius naturalis Dei, ita vt non sit illa filiatio terminus in decreto illo, seu intentione huius hominis, vt præsuppositi, & vt distincti, sicut est respectu humanitatis, sed potius illa filiatio sit constitutivum illius hominis in esse filij Dei naturalis, quo solutum manet argumentum, primo negando esse propriè ordinationem, nec positiuè ita vt sit relatio, nec actio ita vt sit productio ex quasi causa relationis. Secundò licet esset ordinatio, non esset ordinatio huius hominis: sed humanitatis ad vnionem, & Verbum, cum autem humanitas distinguatur realiter ab illis, inde est quod ordinatio non esset rationis ex vi illius medij, & licet idem esset in prædestinatione, esse prædestinationem, & esse ordinationem, nihilominus vna denominatio potest applicari vni, quæ non potest alteri, & è contra, v. g. si diuinitas sit idem quod Deus, nihilominus denominatio, quæ attribuitur Deo non potest attribui diuinitati dicendo Deus creat: ergo diuinitas creat; item in creatis omnes partes simul sumptæ, & vnitæ sunt Petrus: sed Petrus generatur, Petrus est filius: ergo omnes partes generantur, item definitio hominis est homo, homo generatur: ergo definitio generatur, sunt falsæ; sic similiter ordinatio, & prædestinatio sunt idem, hic homo prædestinatur filius Dei naturalis: ergo hic homo ordinatur ad esse filij Dei naturalis, malè arguitur, vt diximus, & ratio à priori est, quia variæ denominationes non tribuuntur à parte rei, sed provt idem secundum varias formalitates concipitur, & ideo vna denominatio tribuitur alicui, & alia non potest tribui, licet à parte rei idem sonant, & significant.

Respondeo secundo explicando locum Divi Pauli, vt explicat Divus Ægidius *lib. 1. de fide ad Reg.* Augustinus *in expositione inchoatæ epistolæ ad Roman.* quem sequitur Titelmanus *in*

*eandem*

*eandem Epistolam coll.* 1. Et Caïetanus ibidem, quam Pater Suarez *tom.* 1. 3. *part. disputat.* 50. asserit esse sanè probabilem, itaque dum Paulus dicit Christum, vel filium Dei dici prædestinatum, non tamen absolutè, & simpliciter est intelligendum hoc, ita vt sit filius Dei, sed vt esset in virtute secundum Spiritum sanctificationis, id est, vt ad nos descenderet cum potestate, & efficacitate ad sanctificandos homines ex resurrectione mortuorum, id est, moriendo, & resurgendo pro hominibus, quia mortuus est propter delicta nostra & resurrexit propter iustificationem nostram, vel secundum Spiritum sanctificationis, quem ex mortuis resurgendo ad nos misit, non enim fuit Spiritus datus, donec Iesu fuit glorificatus; vel denique quia prædestinatus est, vt nos sanctificaret sanctificatione perfecta & consummata, qualem habeant Sancti, quando in Christo ex mortuis resurgent, nam illud relativum qui prædestinatus est, apertè videtur referre ipsum filium Dei, de quo sermo præcesserat, quia sicut dicitur, qui factus est, ita dicitur, qui prædestinatus est: sed in priori parte refertur filius Dei: ergo in posteriori. Vnde sicut in priori additur illa particula secundum carnem ad limitandum & explicandum terminum illius effectionis, ita in posteriori additur illa particula, secundum Spiritum sanctificationis, ad indicandum, & limitandum terminum illius prædestinationis, filius enim Dei cùm sit æternus, & per se beatus non potest simpliciter dici prædestinatus, vt supra etiam diximus, sed prædestinatus est vt assumeret humanitatem in qua virtutem, ac potestatem haberet sanctificandi homines: denique hoc maxime quadrat cum textu græco, qui non habet relativum, qui; sed per adiectiva dicitur facto hoc modo secundum carnem prædestinato filio Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis, solum enim vt optime adnotat Suarez contra hanc expositionem potest obiici, quia propria & perfecta ratio prædestinationis refertur ad illud bonum, quod excellentius est in prædestinato, & ideo in puris creaturis prædestinatio dicitur in ordine ad beatitudinem, quia est hoc perfectissimum bonum eorum: at verò respectu Christi Domini esse sanctificatorem hominum non est excellentius bonum eius, maius enim est esse filium Dei: ergo.

75 Sed hæc objectio non est magni momenti ait eximius Doctor, tum quia non est necesse Paulum loqui de perfectissimo termino prædestinationis, tum quia si ipse filius Dei est obiectum talis prædestinationis, vt dicta expositio supponit, non potest tam propriè dici prædestinatus, vt sit filius Dei, quam vt sit homo habens virtutem ad sanctificandum homines.

76 Tertio dico huius prædestinationis obiectum non esse Verbum diuinum, sed potius hominem hunc directè, & formaliter dicentem humanitatem, & indirectè suppositum diuinum, sicut quando dicimus hic homo Christus est servus Dei, & terminus est sanctificatio hominum per mortem &c. secundum quam potest salvari, & quod prædestinatio sit propriè ordinatio, ita vt in homine producatur relatio, quæ relatio non est rationis, sed realis qui est, & versatur inter Christum & sanctificationem hominum, quæ sunt extrema realiter distincta, in qua solutione supponitur omnipotentiam productiuam ad extra esse voluntatem, vel intellectum, quæ probabilis opinio est, vel prædestinationem esse conditionem sine qua non resultat talis relatio, vt ex eo quod producatur Angelus in cœlo resultat relatio similitudinis, vel dissimilitudinis in malis. Secunda autem suppositio supponit prædestinationem non esse propriè ordinationem, quia Verbum diuinum non est capax relationis ad creaturas, vt est sanctificatio; intellige quam volueris ex iis tribus, quibus euidenter solutum corruit argumentum.

## SVBSECTIO VLTIMA.

*Aliæ solutiones, & responsiones refutantur.*

IPse autem Suarez, qui probabilem responsionem prædictam docuerat, probabilius asserit responsum hoc, quod his verbis explicat *tom.* 1. 3. *partis, quæst.* 24. *art.* 4. *disp.* 50 *sect.* 2. §. *quo circa*, verus, ac proprius sensus huius locutionis est Christus, vt est, hic homo prædestinatus est, vt sit filius Dei naturalis, cuius prædestinationis obiectum est hic homo vt sic, in cuius proprio conceptu non includitur suppositum filij Dei; sed solum id, quod subsistit in hac humanitate vt sic, terminus autem huius prædestinationis est, esse filij Dei naturalis, quia suppositum filij Dei non includitur in obiecto prædicto, seu conceptu huius hominis præconcipitur: igitur hic homo vt sic prius ratione, quam concipiatur esse filius Dei, & per diuinam prædestinationem ordinatur, & hic ordo rationis sufficit ad hanc prædestinationem; vnde satis est, vt in ratione sua formali & conceptu veluti obiectiuo sit prius quia prædestinato est actus mentis includens decretum diuinæ voluntatis. *Et* §. *ex quo colligitur*, ait, contra Caïetanum, at prædestinatio est actus mentis, quæ præscindere poterit ea, quæ in re coniuncta per identitatem sunt, & præcise concipere hunc hominem, vt subsistentem in hac humanitate, abstrahendo ab hoc vel illo subsistente, & ordinare vt sit tale subsistens, scilicet filius Dei, & ideo illa propositio est in rigore vera, quia ex vi Verbi prædestinandi non supponitur aliquod suppositum subsistens in hac humanitate præter suppositum filij Dei, sic Suarez. 77

Hæc expositio & verba Patris Suarez, tanti Doctoris venia, multa continent, quæ confirmant argumentum aduersariorum, probans Deum facere ens rationis, nam primo asserit prædestinationem esse actum præscindentem rationem communem absque particularibus subsistentibus, & sic concipiendo hunc hominem sine hoc numero suppositi ordinare illum, vt sit tale suppositum. 7

Contra quæ sic argumentor, quia prædestinatio est actus intellectus diuini includendo decretum: sed prædestinatio præscindit ea, quæ à parte rei sunt idem: ergo vel facit ens rationis talis actus, quia præscindendo vnum ab alio, ex his, quæ sunt idem realiter diuidimus idem à se ipso, & distinguimus illa inter se, faciendoque distinctionem inter illa, verbi gratia quando intellectus noster cognoscit iustitiam sine misericordia in Deo diuidit, & distinguit, seu separat intentionaliter repræsentando vnum sine alio, & faciendo distinctionem rationis: ergo si Deus præscindit ea quæ à parte rei non sunt distincta, cognoscit vnum sine alio: ergo diuidit vnum 79

ab alio, & separat: ergo facit distinctionem inter illa, sed talis distinctio non est realis: ergo rationis; inter ea autem quæ sunt idem à parte rei, non potest Deus facere distinctionem realem: ergo si facit distinctionem, facit distinctionem rationis; sed hæc est rationis: ergo facit illud.

Nec obstat dicere, quod ex eo modo præscindendi formaliter non oriatur distinctio rationis.

Contra, quia licet præcisio formaliter non sit fabricatio entis rationis, quod adhuc sub iudice lis est, & asseritur probabiliter à multis, nihilominus qui potest per intellectum præscindere ea, quæ à parte rei sunt idem, cum illam rem concipiat per inadæquatos conceptus, ideo enim præscindit quia non adæquate concipit rem secundum omnem formalitatem, vt asserit ipse Suarez pluribus suæ Doctrinæ locis, vt in Metaphysica *tom. 1. quæst. Vtrum præscindatur ens à perseitate, & in alieitate, & disp. de Deo. 2. tom. 1. part. tract. de attributis & tract. de Trinitate*; sed vno conceptu secundū vnam rationem, & alio secundum aliam; sed qui sic concipit cum concipiat ita imperfectè potest facere ens rationis distinctè; ideo enim homo facit distinctionem, quia præscindendo, quæ à parte rei sunt idem per inadæquatos conceptus cognoscit &c. vnum sine alio; sed Deus præscindit, & abstrahit: ergo facere potest distinctionem rationis quæ necessario sequitur ad præcisionem, præcipuè cum à Patre Suarez 2. *tom.* dicatur nihil aliud esse præcisionem facere, & præscindere, nisi partiri, & diuidere intentionaliter, seu partitionem facere.

81 Sed partiri est separare, & distinguere, & distinguere est distinctionem facere; sicut ego, qui realiter diuido aquam separo, & distinguo, & separationem facio, & partitionem vbi non erat, & ego, qui diuido & partior attributa diuina, diuisionem, & distinctionem facio inter illa vt patet ex terminis: ergo si Deus præscindit partitur, diuidit, distinguit, distinctiones faciet, diuisiones, & partitiones inter ea, quæ idem sunt: ergo facit distinctionem rationis quia inter idem non potest realiter distinguere Deus. Deinde sic distincta ait Suarez ordinare, sed non potest ordinare & referre realiter, quia sunt idem realiter: ergo ordinat per rationem & ordinationem rationis, fabricatur ergo relationem rationis. Denique licet non faciat ens rationis, non potest dubitari quod imperfectè cognoscat qui præscindit, nam præscindere est per inadæquatos conceptus concipere, vt ait Suarez, cognoscendo conceptu confuso, & ideo, quia imperfectè nos concipimus, & per inadæquatos conceptus præscindimus in Deo iustitiam à misericordia, vt ipse Suarez ait, 1. *part. tractatu de attributis*, & Beatus, quia limitata cognitione cognoscit Deum, præscindit vnum gradum cognoscibilitatis ab alio, quia non penetrat, & comprehendit Deum, quia licet in opinione positum sit, an tunc faciat ens rationis, nihilominus non est dubium quin propter illam limitationem & modum cognoscendi imperfectè cognoscat; sed Deus præscindit sua prædestinatione in Christo Domino, quæ sunt idem realiter id est hominem hunc ab hoc subsistente in hac humanitate: ergo imperfectè cognoscit Deus, quod est falsum: ergo falsa illa explicatio, ex qua hoc inconueniens sequitur.

82 Secundo dicit Suarez quod de ratione huius hominis non sit hoc suppositum, sed solum subsistens in hac humanitate vt sic, quia suppositum filij Dei non includitur in obiecto prædicto, seu conceptu huius hominis præconcipitur; igitur hic homo vt sit prius ratione, quam concipiatur esse filius Dei, & per diuinam prædestinationem ordinatur, & hic ordo rationis sufficit ad prædestinationem, contra quod sic argumentor.

Deus ordinat per se sua prædestinatione, & 83
iste ordo est rationis, vt ipse Suarez asserit: ergo Deus facit ordinem rationis sua prædestinatione, quia ordinare est ordinationem facere vt de se patet, item illa prædestinatione à Deo præconcipitur hic homo, vt sic prius ratione; quam concipiatur esse filius Dei: sed à parte rei, & in se non est ita prior: ergo Deus concipit inter illa prioritatem, & facit illam, quæ non est à parte rei: ergo facit ens rationis prioritatis: ergo concipit res aliter ac est: ergo falso cognoscit, absit hoc omne, absit igitur fons horum inconuenientium, opinio, & explicatio nimirum Suarez, quæ integra sic repellitur efficaciter. Deus comprehendit hunc Christum: ergo cognoscit illum vti est, & comprehendit euidentissimè hunc numero hominem sua diuina prædestinatione: sed hic numero homo Christus est filius Dei naturalis, imo non potest non esse filius Dei naturalis, quia Christus vt Christus petit hanc humanitatem suppositam, tam per suppositum diuinum: ergo hic homo Christus in se, & à parte rei est hæc humanitas, & hoc suppositum diuinum, & hæc vnio: ergo comprehensio diuina statim ac comprehendit hunc hominem *Christum* euidentissimè vidit totum hoc vt in se est; imo non potuit non videre illud, alias esset falsa, imperfecta, & ad minus non esset comprehensio; vnde cum sit talis vidit clarissimè vsque ad vltimam formalitatem huius humanitatis, huius vnionis, & huius suppositi diuini vt in se sunt: sed in se hic homo non est prior se ipso vt subsistente in hac humanitate, nec habet ordinem ad illud, nec est confusè ante illud: ergo non vidit vt priorem ordinationem, sed vt in se est: ergo non cognouit, nec prædestinatio terminata est ad illud obiectum, vt ait Suarez, imo contra Suarez in illo obiecto, vt obiicitur diuinæ prædestinationi, quia est comprehensiua, & clarissima & infinitè perfecta cognitio, includitur non solum vage, & confusè subsistens sine aliqua determinatione in hac humanitate, sed potius necessario includitur hoc suppositum diuinum, & hæc vnio, & hæc humanitas, quia eo modo est obiectum, vt est à parte rei, sed à parte rei in hoc homine Christo, de quo loquimur includuntur: ergo illa in obiecto illius prædestinationis, item quia maxima imperfectio est in Deo confusè cognoscere obiectum vt ipse Suarez asserit *tom. 1. in 3. partem, quæst. 1. art. 4. disputat. 5. sect. 1. §. dico 2.* Sed sua prædestinatione confusè cognoscit hunc hominem vage subsistentem in communi, in communi enim cognoscere res, est confusè cognoscere, & ideo ait Suarez loco citato hæc verba. Dico 2. in primo signo quo Deus voluit vnionem hypostaticum voluit illam determinatè in tali persona & in tali natura, & non in communi, quia non potest probabili fundamento dici Deum prius secundum rationem voluisse vnionem hypostaticam in ea abstractione, quam incarnationem diuini Verbi, nam ille modus istæ definitionis abstractæ & confusæ non potest conuenienter tribui diuinæ voluntati, nam imprimis imperfectionem involuere videtur, quia talis

modus

modus voluntatis supponit in intellectu confusam cognitionem rationum vniuersalium : ergo Suarez asserit iam esse cognoscere abstractè, & rem in communi, & vniuersaliter sine determinatione & cognoscere confusè : ergo si ipse auctor asserit prius cognoscere Deum hominem vage, & in communi subsistentem, & non determinatè, absque dubio ab ipso fatendum est Deum confusè cognoscere : ergo cum imperfectione.

Nec potest dici quod quia nostro modo concipimus hoc, ideo dicatur. Contra, quia in hac quæstione non quæritur quomodo nos cognoscamus diuinam prædestinationem, sed quomodo Deus prædestinet, & cognoscat Deus : ergo si respondet Suarez dicendo cognoscere prius in communi, & confusè, non loquitur de modo nostro, sed ex parte Dei, aut dicendum erit, in aliud inconueniens incidere, hoc est respondisse non ad propositum, nam ego interrogo quomodo &c. quomodo Deus prædestinet, & cognoscat, ille respondet, me cognoscere vt confusam illam scientiam : ergo non respondet interrogatis : ergo si ad propositum respondet, tribuit confusam cognitionem ipsi Deo : ergo imperfectionem, vnde non potest saluari Suarez vel ab vno vel ab alio inconuenienti ; vnde si ad propositum respondet, vt debemus colligere ex tanto Doctore, falso loquitur ; nam aliud est nos concipere diuina, & de illis loqui nostro modo in quo potest esse aliqua proprietas quæ non est in re concepta ; aliud vero est obiectiuè concipere in Deo, eique aliquid tribuere quod in re non sit, primum enim verum est, & non reddit falsam conceptionem nostram ; secundum vero non potest esse sine falsitate, quia conceptio non est conformis rei conceptæ, quo sensu verum est illud commune axioma vnumquodque verè concipi sicut est, vt verè concipiatur : ergo quamvis non confusè concipiamus ea quæ sunt in Deo, tamen non possumus ei verè tribuere aut voluntatem, aut minus scientiam obiecti confusi ; vt priorem etiam secundum nos, volitione, & scientia obiecti particularis, & distincti ; vnde propterea non existimandum est Deum prius versari circa vniuersalia, quam circa particularia, quia cum prius omnia distinctissimè intelligat non aut incipit velle cognoscere, etiam secundum rationem ab vniuersalibus, & confusis : sed omnino distinctè, & particulari vult, & cognoscit quidquid diuina voluntas vult, & cognoscit diuina scientia, & rationes vniuersales cognoscit, & vult in rationibus particularibus distinctè volendo, & cognoscendo particularia ; hoc enim modus ad maiorem perfectionem spectat, tam in intellectu quam in voluntate, quod explicatur hoc clarissimo exemplo, non enim est intelligendum prius secundum rationem ordinasse Deum ad gloriam homines in communi, & postea hos in particulari, hic enim modus concipiendi diuinam voluntatem, & à fortiori diuinam scientiam, neque est verus, neque in re habet fundamentum : ergo similiter non habet fundamentum dicere prius ratione prædestinationem diuinam terminatam fuisse ad hunc hominem, non in hac determinata Verbi subsistentia subsistentem, sed vage, & confusè, & postea in hac determinata propter eandem rationem.

84 Vltimo assero me nescire, quomodo concipiantur hæc omnia verba Patris Suarez, & quomodo cohæreant cum verbis ipsius in metaphysica, vbi absolutè negat Suarez Deum posse facere ens rationis, distinctionis, relationis &c. cum hic illa videatur concedere ipse viderit, me autem cohærentiam inter illa mei ingenij tarditate non videre fateor, libentissimè vellem ab aliquo in hac materia illuminari, dum malè est Magister non sequor : sed insisto cæteris explicationibus, quam argumentum oppositum euidenter solutum, non scissum vt nodum gordianum vobis trado, difficultatum enim nodos malim soluere, quam scindere licet Alexandri Magni gladio, & ense decorarer.

Ad tertium distinguo maiorem quam dare 85
existentiam id est denominationem extrinsecam per actum verum, purè speculativum cognoscentem ens rationis vt fictum nego : obiectivam, intrinsecam, fictam, apparentem per actum practicum concipientem ac si esset quod non est concedo, quod non facit vllo modo Deus.

Concedo totam illam confirmationem, quia 86
non est contra nos, nos enim concedimus Deum dare esse obiectivum extrinsecum, quod in priori est existentia entis rationis, creatura enim propriè dat existentiam entis rationis fictam intrinsecam.

Ad contra, Respondetur non ideo fieri ens 87
rationis ab ente creato, quia ab eo recipit esse obiectivum extrinsecum per actum verum, & purè speculativum, vt Deus illi tribuit : sed quia recipit à creatura esse obiectivum intrinsecum, practicum, falsum & fictivum concipienter aliter, ac sunt res, quod Deus non facit.

Ad secundum contra distinguo vt supra ma- 88
iorem, & nego minorem propriè loquendo, & vt quæritur in quæstione, & nego consequentiam, & iterum nego illam minorem : sed vt sic &c. & illam consequentiam sequentem, & iterum nego vltimam consequentiam, vt patet ex dictis.

Ad tertium argumentum negatur maior quod 89
Deus cognoscat vt distincta attributa propria, nam certum est vt benè adnotat Pater Vazquez 1. *part. disp.* 118. *cap.* 5. Deum cognoscere attributa, quæ nos diuisa, & pro nostro modulo distincta intelligimus : sed cum hæc omnia in Deo sint vna simplissima entitas, & Deus intelligat seipsum sicut reipsa est, nec in sua cognitione alio modo sibi obiiciatur, & repræsentetur, sequitur hæc omnia attributa quæ nos facimus plura & reipsa vnum tantum est, & vnum simplicissimum à Deo cognosci, argumentum sanè rectè probaret illa omnia à Deo cognosci vt distincta si ex natura rei inter se distincta essent, vt asserit Scotus ; at vero cum non distinguantur nisi per intellectum, hinc etiam fit Deum nullo modo posse per respectum ad intellectum, & voluntatem suam attributa distinguere, siquidem non minus sunt idem suaptè natura intellectus, & voluntas, quam cætera attributa.

Ad probationem respondetur concedendo 90
maiorem, negando minorem : ad probationem minoris nego quod Deus cognoscat filium procedere per intellectum, non per voluntatem, vt sunt à parte rei, quia cum intellectus similiter, & voluntas sint eadem simplicissima voluntas, & entitas, & à Deo secundum proprium conceptum considerentur non possunt à Deo concipi vt separata, quia aliter conciperentur ac sunt, ideo non est concedendum Deum videre filium procedere per illum non per voluntatem, quia in

Deo intellectus, & voluntas sunt idem omnino, & ideo absolutè illud negandum est vt iam diximus; at vero quia nos loquimur de Deo, & de his quæ sunt in Deo, secundum quod à creaturis concipiuntur à nobis, quomodo alia est ratio intellectus, & voluntatis, alia proinde sicut dicitur Deus intelligere per illum, & non per voluntatem, & sicut Deus dicitur velle per voluntatem, & non per intellectum, ita Spiritus sanctus dicitur procedere non per illum, sed per voluntatem; quod omne certum est prouenire ex diuersitate nostrorum conceptuum imperfectè, & inadæquate cognoscentium diuinitatem, & cognitionem diuinam in ordine ad nostra, nam si intellectus & voluntas conciperentur, imo & cognitio diuina vt est in Deo, & vt per illam concipiuntur intellectus, nimirum, & voluntas à Deo scilicet vt sunt in seipsis vtique vno conceptu exprimerentur, neque aliquid vni tribueremus, quod negaremus alteri, nec diceremus Deum cognoscere Verbum produci per intellectum, & non per voluntatem: sed certè videremus, & iudicaremus filium produci per eandem simplicissimam formalitatem, & entitatem qua producitur Spiritus sanctus, æquiualentem tamen pluribus, & distinctis, sicque cognosci à Deo, nam sicut Deus in sua entitate habet eminentiam quandam, ratione cuius datur communicatio ad intra respectu filij & Spiritus sancti sine distinctione intellectus, & voluntatis, sic etiam cognitio diuina vti infinitè perfectissima habet eminentiam infinitam, ratione cuius cognoscit eminentissimo modo produci per illum Verbum, & per voluntatem Spiritum sanctum sine aliqua distinctione ex parte intellectus, & voluntatis cognoscendo illam simplicitatem summam.

91 Alia solutio est, quæ solet tribui nimirum ad hoc vt dicatur Deum cognoscere filium produci per intellectum, & non per voluntatem non esse necessariam actualem distinctionem factam ab intellectu diuino inter intellectum, & voluntatem: sed satis esse cognoscere distinctionem virtualem & eminentialem, æquiualentem distinctis rebus repertam inter ipsum intellectum diuinum, & voluntatem.

# DISPVTATIO.

## *De Principiis Metaphysicis alphabetico ordine dispositis.*

### A

ACCIDENTIA magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est; hoc principium tradidit Aristoteles 1. *de anima*, cuius sensus, vt inquit D. Thomas est quod essentiæ in hac vita potius à posteriori, quam à priori quidditatiuè cognoscantur, hoc est per proprietates, & operationes; omnis enim cognitio essentiarum earum rerum, quæ simpliciter tales dicuntur, quæque substantiæ sunt, nobis potius abstractiua, quam intuitiua est, ac proinde non immediatè in se, sed per aliud medium prius cognitum attingimus obiecta substantialia; hoc autem medium, vniuersalius, & facilius est ad hunc finem consequendum accidens, quia vel inhæret intrinsecè vel adhæret substantiæ, & ab intrinsecis principiis eiusdem fluit, secundum sententiam Themistij hoc pronunciatum Aristotelis intelligitur de accidentibus per se, & propriè conuenientibus substantiæ, & ratio est quia huiusmodi accidentia sunt proprium exercitium essentiæ, & non commune aliis distinctis ab ipsa, ac proinde tanquam proprius effectus, & proprium signum ostendit nobis essentiam, à qua fluit, & quidditatem, à qua dimanat; vnde hominis essentiam per risum, discursum & intellectum optimè cognoscimus; cognitio enim propria alicuius per id, quod proprium est illius, & non commune debet ignotescere, quare essentiam hominis per albedinem non propriè, & perfectè cognoscimus; quia albedo est accidens commune multis distinctis ab homine essentialiter, & ideo ipse Philosophus vbi supra ad explicandum axioma hoc vsus est exemplo caloris summi, per quem ait melius cognosci ignem, quam per lucem; quia lux communis est tyderibus & igni, imo secundum maiorem perfectionem conuenit illis, quam huic; summus autem calor, & summè intensus est proprietas ignis, seu accidens, quod vt proprium illius à nobis cognoscitur.

Etiam potest intelligi hoc axioma de accidentibus communibus, dum tamen ita combinentur, vel tot concurrant tali ordine, ac dispositione, vt æquiualeant accidentibus propriis; vnde optimè cognosco Socratem per illa accidentia simul sumpta, & combinata, quæ licet quoad partem aliis conueniant, quoad talem collectionem tamen ordinem, & dispositionem alteri non conueniunt; ac proinde aliquomodo principia intrinseca substantialia illius nobis manifestant; v. g. talis facies, ea statura, huiusmodi color crinium, & alia id genus, quæ quotidie experimur.

Accidens definitur per subiectum, hoc secundum principium tradidit Aristoteles 7. *Metaphys.* & rationem tribuit Philosophus, quia ordo ad subiectum est de essentia accidentis; ideo enim Pater, vt Pater rectè definitur per filium, quia de essentia Patris vt talis reduplicatiuè est ordo, seu respectus ad filium, vel ad substantiam genitam, & sic dicimus, Pater est, qui genuit filium; nec mirum quia hoc non est proprium accidentis, sed etiam omnium etiam substantiarum, quæ dicunt habitudinem essentialem ad aliud; vnde materiam primam optimè definimus per formam, hoc est per respectum essentialem ad ipsam. Verum est quod cum duplex detur accidens aliud proprium, aliud commune, melius definitur accidens proprium per proprium subiectum, quam commune per commune subiectum, sicut perfectius definitur accidens per connaturale subiectum, quam per subiectum, cui violentum est tale accidens; quapropter aptior definitio caloris est per ordinem ad ignem, quam ad aquam, cui violente conuenit calor; nihilominus tamen sicut supra diximus, melius possumus definire accidentia per ordinem ad proprietates, si quas habet, & operationes proprias; quia huiusmodi operationes, tanquam proprium exercitium accidentis, vtcumque nobis ostendunt essentiam illius, secundum vltimam differentiam eiusdem.

Accidens

Accidens non migrat de subiecto in subiectum, hoc tertium principium tradidit Aristoteles 7. *Metaph.* & ipse docet, debere intelligi de subiecto inhæsionis, & non de subiecto denominationis. Hoc axioma intelligitur ab aliquibus de subiecto adæquato solum, & non de inadæquato; sic docet P. Hurtado *in Physica, disp. 5. de composito, sect. 6. num. 60.* vbi sic ait [ ad secundam respondetur, accidentia tunc non migratura de subiecto adæquato in adæquatum quod vult adagium illud; nullum autem esset inconveniens quod tunc subiecta inadæquata mutarent: ratio ob quam non perirent, est quia pereunte forma, succedit alia eiusdem virtutis ad substentanda accidentia, vt cum perit vna causa efficiens, non perit effectus, si adsit alia potens illum causare; cum tamen essentialior sit dependentia ab efficiente, quam à materiali; quod argumentum ad hominem est contra Thomistas asserentes, materiam primam, licet pendeat à forma, non perire pereunte forma, quia succedit alia prioris vices supplens.

Alij autem contrarium docent, & dicunt hoc axioma vniuersaliter intelligendum esse de omni subiecto inhæsionis, tam adæquato, quam inadæquato intrinseco, & ratio est, quia accidens ideo destruitur, destructo subiecto adæquato, quia dependet intrinsecè ab ipso; sed etiam dependet intrinsecè ab inadæquato: ergo destructo inadæquato, debet etiam destrui accidens: ergo sicut non potest migrare de subiecto adæquato in adæquatum, ita similiter non potest migrare de subiecto inadæquato in inadæquatum.

Nec videtur satisfacere, quod succedat aliud inadæquatum; tum quia etiam potest succedere aliud adæquatum, & nihilominus licet succedat, non potest migrare de hoc in illud: ergo etiam licet succedat aliud inadæquatum, non migrabit de vno in aliud.

Secundo efficatius, quia accidens non est in subiecto intrinsecè, nisi per vnionem & per eductionem talis accidentis à subiecto: ergo dum migrat de vno subiecto inadæquato in aliud, corrumpitur vnioni primo, & succedit noua vnio; item debet educi tale accidens de secundo subiecto, ad quod migrat: sed talis eductio est reproductio: ergo iam reproducitur accidens, quod asseris migrare de vno subiecto in aliud; sed reproductio eiusdem entitatis non est naturalis, sed miraculosa: ergo similiter miraculosa & non naturalis erit illa transmigratio de vno subiecto in aliud; quod autē sit reproductio patet ex his, quæ diximus, tum *libris de anima*, tum *in Met. disp. 1. q. vtrum Metaph. sit simplex qualitas*, vbi probavi contra Patrem Hurtado, & alios vnionem animæ rationalis ad corpus non esse indiuisibilem; ita vt corrupta vna succedat alia loco illius; quia prima absolutè corrumpitur, & sic debet corrumpi totum compositum; vnde si de nouo producitur alia vnio, de nouo iterum reproducitur totum compositum; videantur hæc ad longum dicta locis citatis; ita similiter quando migrat accidens per te de vno subiecto inadæquato in aliud, corrumpitur prima vnio: ergo debet corrumpi accidens, seu forma accidentalis, quæ naturaliter dependet ab illa vnione: ergo quando de nouo vnitur alteri subiecto aduenienti, debet de nouo educi vnio, ac proinde ipsa forma accidentalis de potentia subiecti: ergo sicut, si eadem numero vnio, quæ erat in alio subiecto, de potentia huius secundi educeretur, sine dubio vocaretur reproductio illius vnionis, & non conseruatio illius, quia conseruatio formalitatis accidentalis debet esse circa idem subiectum intrinsecum connaturale, quia accidens intrinsecè indiuiduatur in ordine ad subiectum connaturale. Ita similiter si idem accidens reale educitur de nouo subiecto distincto à primo, à quo intrinsecè, & naturaliter dependebat, sine dubio reproducetur in tali subiecto, cum quo facit vnum numero, vt docuit Aristoteles 1. *Ethic.* his verbis, [ accidens, & suum subiectum sunt idem numero; ] quapropter talis eductio de nouo illius accidentis in distincto subiecto non erit conseruatio, sed potius reproductio eiusdem; quia conseruatio est continuatio eiusdem secundum idem esse, seu continuata productio sine deficientia formalitatis intrinsecæ a qua dependet necessario, & naturaliter; vnde conseruatio accidentis est continuatio eiusdem actionis circa idem accidens, & circa eandem vnionem, per quam vnitur intrinsecè, & à qua dependet necessario, & naturaliter; sed accidens in hac transmigratione non habet eandem vnionem intrinsecam in hoc de nouo subiecto, quam habebat antea in subiecto antiquo, quia modus intrinsecus alicuius rei, qualis est vnio respectu subiecti, non potest conseruari extra subiectum cuius est modus: ergo accidens deperdit aliquod esse intrinsecum proprium in tali transmigratione, quia deperdit inhærentiam, aut vnionem ad subiectum, ratione cuius dixit Aristoteles, [ accidentis esse, est inesse 7. *Metaphys. text.* 24. ] Ergo accidens non conseruatur per illam transmigrationem, sed potius reproducitur, sicut reproducitur corpus Christi in Hostia; quia per actionem terminatam ad corpus Christi substantialiter iterum producitur per distinctam actionem, ac est illa, per quam in cœlo existit; sed accidens producitur in illo subiecto, ad quod migrat secundum esse vnionis, & secundum ipsam entitatem accidentis per distinctam actionem à prima, qua conseruabatur in subiecto antiquo, quia prima actio terminabatur ad accidens cum tali vnione, in tali subiecto; hæc secunda actio terminatur ad entitatem accidentis cum distincta vnione, & in distincto subiecto: ergo est actio distincta à prima realiter, præcipuè quia prima actio subiectabatur intrinsecè in primo subiecto, à quo educebat, & in quo producebat accidens cum antiqua, & distincta vnione; vnde erat modus intrinsecus terminatiuè talis vnionis, & subiectiuè talis subiecti; sed idem modus non potest separari ab vno subiecto, & esse in alio: ergo prima actio per quam educebatur accidens, & vnio illius ab antiquo subiecto non potest esse eadem numero cum actione, quæ intrinsecè dependet à nouo, & distincto subiecto; tunc sic in tua sententia conseruatio non distinguitur à prima productione rei, sed potius est idem cum illa: ergo hæc actio per quam accidens educitur in nouo, & distincto subiecto non est conseruatio actionis producentis idem accidens in primo subiecto, sed potius erit reproductio illius, ac proinde miraculosa productio; sed miraculum naturaliter non potest concedi: ergo talis transmigratio de subiecto inadæquato in aliud inadæquatum, quæ petit necessario miraculosam reproductionem, non potest naturaliter concedi.

Tertio sic argumentor, quia si ratio aduersariorum

riorum aliquid probat, eadem vi etiam demonstrat, posse accidens migrare à subiecto totali in aliud totale distinctum, quia non potest assignari ratio discriminis, probans posse mutare subiectum inadæquatum, non vero adæquatum; sicut effectus non solum potest mutare causas partiales, sed etiam totales; vnde in tua sententia calor, qui producitur solum ab igne, potest conseruari à sole absente toto igne; vnde si te conuincit, quod effectus causæ efficientis possit produci ab vna causa & conseruari ab alia succedente loco illius, ad hoc vt asseras, posse subiectum distinctum inadæquatum substentare accidens, quod antea sustentabatur ab alio, tale argumentum non solum debet te conuincere circa subiectum inadæquatum, sed etiam circa totale, & adæquatum; quia medium à causis efficientibus desumptum hoc probat, cum causæ efficientes non solum partiales, sed etiam totales adinuicem succedentes possint conservare eundem effectum. Dicendum ergo est cum communi, omnes formas materiales, etiam substantiales, etsi non magis dependeant à subiecto, quam à causa efficienti, tamen magis alligatas esse tali subiecto numero, quam tali numero causæ efficienti; vnde licet hæc numero forma ignis possit nunc pendere ab hac causa efficienti, & postea ab alia; non tamen potest nunc subiectari in hac materia, nunc in alia, etiam partiali; quod non aduertit arguens in Contra.

Confirmatur; magis alligata est forma materialis accidentalis huic numero subiecto, quam animus rationalis; sed animus rationalis non potest vnum subiectum totale in aliud totale mutare, quia ex vno corpore integro nequit in aliud integrum migrare, & solum potest ab vna parte corporis in aliam media aggeneratione intrare: ergo forma accidentalis, quæ magis alligata est subiecto non poterit non solum totale, sed nec partiale mutare.

Hæ sunt rationes pro vtraque parte, eligat earum, quam voluerit Lector.

Actiones sunt suppositorum; hoc quartum axioma est communiter receptum à Philosophis & Theologis, vt videre licet apud D. Thomam 1. *part. quæst. 39 art. 5. ad primum, & qu. 40. art. 1. ad 3. & 3. part. quæst. 19. art. 1. ad 3. & 4. & in 1. distinct. 5. quæst. 1. art. 1. & in 3. distinct. 2.* vbi cæteri Theologi, & sæpè alias tractantes de mysteriis Incarnationis, & Trinitatis, quia visum est illis hoc principium maximè necessarium ad illa duo mysteria declaranda, & conuenienter in eis loquendum; vnde in Concilio Florentino *sess. 18. non longè à fine.* Ioannes Episcopus ad declarandum, quod Pater generat, & non essentia, subdit rationem, quia essentia non significat suppositum, & addit: [ porro autem actiones iuxta omnem Philosophorum scholam suppositorum esse videntur, vt in hominum generatione fieri videmus, quamuis enim hic homo, hoc est persona, vel suppositum generet, eius tamen substantia generationis eiusmodi principium est, quandoquidem actiones suppositorum vt diximus, sunt; quæ quidem substantia, vel essentia in homine, cum sit humanitas humanæ generationis principium existit quo generat hominem. ] Ecce Ioannes ille magnus in Concilio Florentino celeberrimus nomine Concilij, & tacite approbante illo, docet, actiones esse suppositorum, quibus attribuuntur, tanquam principio quod illarum.

Potestque hæc veritas confirmari ex Aristotele 1. *de anima, text. 64.* vbi ait: [ melius dici, animam non misereri, aut discere, aut ratiocinari, sed hominem anima. ] Ex quo loco solum sumitur argumentum à similitudine rationis; ideo enim animæ non tribuitur rectè operatio, quia significatur vt pars, eadem autem ratio est de humanitate, loquitur vero de anima vt est pars, seu forma corporis; nam si sumatur anima rationalis, vt subsistens, illi potest proprie actio tribui; quia licet non sit suppositum propter incompletam naturam, est tamen subsistens singulariter, ac per se.

Probari etiam solet ex eodem Philosopho *lib. 1. Metaph. cap. 1.* cuius verba sunt, [ actiones, & generationes omnes circa singularia sunt, seu in singularibus versantur; ] vbi primum considerandum est, quod licet Aristoteles non vtatur nomine suppositi, sed singularis, re tamen vera pro eodem sumpsit vt patet ex ratione, quam statim subjungit: [ non enim hominem, nisi per accidens sanat, qui medetur, sed Caliam, aut Socratem, aut alium quempiam eorum, qui sic dicuntur: ] huiusmodi ergo suppositum intellexit, nomine rei singularis, vel quia singulare absolutè dictum significat ens completum, & singulare, provt in rerum natura existit, vel certe quia vt verisimile est, Aristoteles non agnouit distinctionem inter singularem naturam substantialem completam, & suppositum.

Hic tamen circa textum Aristotelis obseruare oportet, eum asserere medicum per se curare Socratem seu singularem hominem, per accidens vero hominem, & rationem insinuat, quia accidit Socrati, vt sit homo, vtrumque vero habet difficultatem, quia Socrates non per accidens, sed per se est homo, quia omne prædicatum superius per se enunciatur de inferiori, quod si accidere ibi non significet ex accidenti conuenire, sed absolutè in esse, vt D. Thomas exponit, non erit bona illatio, quam facit Aristoteles dicendo, hominem per accidens curari.

Neque etiam satisfacere videtur expositio alia, quam idem D. Thomas, & Alensis asserunt, nimirum, quod licet Socrati absolutè non accidat esse hominem, Socrati tamen vt curato accidit; id enim non videtur verum, quia vt Petrus curari possit, necesse est quod sit homo; non ergo medici curatio per accidens circa hominem exercetur; cum ex propria ratione sua non possit circa aliam naturam fieri, sicut visio non fit per accidens circa colorem, etiam si semper necessarioque exerceri debeat in singulari circa particularem colorem; nam sicut color est obiectum visus; ita suo modo corpus humanum est obiectum medicinæ, vt docent Galenus, & prius Hypocrates postmodum Auerroes, & Auicena; imo & ipse Aristoteles.

Respondemus, Aristotelem non loqui de curatione absolutè, & abstractè, quomodo potius concipitur, quam exerceatur: sed loqui de hac actione curandi provt in re exercetur; & hanc ait per accidens versari circa hominem, non quia omnino hoc ei accidat: sed quia non per se primo, & quasi adæquatè versetur circa hominem vt sic, ( quia conceptus vniuersales essentiæ sunt incurabiles, quia incorruptibiles, & æternæ veritatis ) sed vt contractum ad hunc singularem hominem, ex cuius propria complexione, & affectione maximè pendet curatio; vnde illud per accidens idem esse videtur, quod per aliud, sal-

tem

tem ratione distinctum, vel est idem quod per partem, eo modo quo singulare est pars subiectiua totius specifici, sic enim totum quodammodo per accidens dicitur moueri, ratione partis.

Et iuxta hæc optimè quadrat expositio alterius propositionis, scilicet accidere Socrati, quod homo sit, id est conuenire ei tanquam parti subiectiuæ contentæ sub homine; nam Aristoteles verbum, accidit, sæpissimè vsurpat pro conuenire, vel inesse, non per accidens: sed potius per se, vt patet ex definitione syllogismi vbi sic ait: [ratiocinatio est oratio, in qua quibusdam positis aliud quippiam ab his, quæ posita sunt, accidit, eo quod hæc sunt,] vbi verbo accidit, vtitur ad significandum conclusionem sequi ad præmissas in forma, & figura positas quæ necessario, & non per accidens sequitur, vt latè à nobis demonstratum manet in Summulis: ergo quando hic dicit Aristoteles, quod Socrati accidat, quod homo sit, non debet sumi pro verbo per accidens, conuenit: sed pro verbo necessario conuenit, vt in loco citato; parti enim subiectiuæ contentæ sub homine non quomodocunque conuenit: sed necessario esse hominem.

Vel certè dici potest, accidere eo modo quo inferior differentia accidit generi, id est extra rationem eius, sic enim propriæ conditiones indiuidui sunt extra rationem speciei; quod satis est vt homo per accidens, id est per aliud sanari dicatur; quanquam in hoc sensu potius dicendum esset, Socratem accidere homini, quam è conuerso, tamen in re idem significatum est, & eodem omnia tendunt, nimirum vt intelligatur actionem maxima ex parte pendere à conditionibus indiuidui; quia sicut actio oritur tanquam à principio à singulari suppositо, & non à ratione communi hominis, etiam tendit tanquam in terminum formalem, qui producitur per se in suppositum singulare; vnde obseruandum est, actionem triplicem habitudinem dicere posse ad huiusmodi rem singularem, prima est vt ad principium provt nunc dicimus, actiones esse suppositorum, secunda vt ad terminum provt dicimus, Petrum v. g. non humanitatem generari; tertia est vt ad subiectum; omitto autem quartam, quæ excogitari potest ad obiectum propriè sumptum; nam hæc solum actibus immanentibus conuenit, quatenus actus, & tales qualitates sunt, non vero vt sunt actiones productiuæ, de quibus Aristoteles loquitur. Et ideo secundum hanc quartam habitudinem fieri potest, vt actio versetur circa vniuersale; quia non versatur inhærendo illi, vel realiter efficiendo illud, sed extrinsecè denominando, seu attingendo, quod extra propositum est, & ideo communiter solet dici, actiones intentionales, seu repræsentatiuas terminari posse ad vniuersalia; quia tales actiones possunt præscindere rationes communes à particularibus, & in illis vt sic præcisis speculatiuè sistere, cognoscendo illas non cognitis inferioribus; non vero actiones productiuas, & physicas, & ideo pro adagio certissimo habetur, vniuersalia non fieri à parte rei, sed per intellectum, quapropter Doctores irrident vniuersale Platonicum, quod non intentionaliter cognitum, sed physicè à parte rei dabatur.

Loquitur ergo Aristoles de aliis modis, & expressius loqui videtur loco citato de tertia habitudine, quantum colligi potest ex simili, aut exemplo, quo vtitur Aristoteles; nam illa priora verba, actiones circa singularia versantur, indifferentia videntur ad secundam, & tertiam habitudinem; propriè vero non tam propriè videntur ad tertiam habitudinem accomodari; vnde non est dubium, quin Aristoteles illo loco non posuerit illam formalem propositionem; sumitur tamen ex similitudine rationis, quæ est eius esse fieri, cuius est esse, vel actionem circa illud versari, cui confertur esse, quia actio attendit ad aliquod esse, esse autem per se primo conuenit rei singulari, nam vniuersalia non sunt nisi in singularibus, & similiter esse propriè est singularis completi, seu suppositi aut subsistentis; nam esse propriè conuenit ei quod est, solum autem suppositum propriè est id quod est, & ideo illud proprie dicitur fieri, seu circa illud versari actio; hæc autem ratio æquè procedit in prima habitudine; nam eius etiam est operari, cuius est esse, quia sicut actio est ad esse, ita est ab esse: sed suppositum est id, quod propriè est, seu quod propriè habet esse: ergo etiam actio secundum primam habitudinem per se primo tribuitur rei singulari in prædicto sensu, id est suppositо; vnde genitivus ille suppositorum qui est casus possessionis, denotat suppositum habere possessionem circa actiones, quia actiones sunt illorum, vel tanquam termini, vel tanquam principij, quia vtroque modo verificatur veritas axiomatis.

Hoc principium sic explicatum maximè necessarium est in metaphysica ad probandum, subsistentiam non merè concomitanter se habere ad actionem agentis, sed antecedenter, nec merè per accidens, sed per se ex parte agentis, atque hoc modo actio propriè, ac per se tribuitur suppositо, vt ei quod operatur, & ratio à priori videtur esse.

Quia ex natura prius est, quod res sit in suo esse completa, ac plenè constituta, quam quod operetur: sed subsistentia pertinet ad complementum rei, & substantiæ eius: ergo ordine naturæ prius esse debet natura terminata vltimo, & completa propria subsistentia, quam possit in operationem prodire, quod expressè docet aliud axioma vsitatissimum Aristoteli, & D. Thomæ illi 12. *met. huic lib.* 1. *& 2. contra Gentes*, videlicet, omne agens operatur in quantum est actu, hoc est in quantum existit in vltima perfectione, & complemento proprio: ergo subsistentia, eiusque quasi effectus formalis non tantum concomitanter sed antecedenter se habet ad operationem naturæ: exemplo declaratur, forma accidentalis ex natura rei prius habet, quod insit quam quod ab illa manet aliqua actio; quia ille modus essendi est quasi intrinsecus terminus, & complementum talis formæ: ergo similiter in nostro casu, præcipuè quia talis modus subsistentiæ habet magis intimam connexionem naturalem cum tali forma, quam omnis actio, quæ ab illa potest dimanare: ergo. Deinde quia inter humanitatem Christi, & naturam diuinam datur communicatio idiomatum circa actiones, vel quasi actiones, & tota ratio est, quia eodem suppositо terminantur: ergo euidenter sequitur, suppositum, aut suppositalitatem non esse omnino per accidens ad actiones & operationes, sed esse per se; quibus sufficienter manent explicata hæc duo principia, actiones sunt circa singularia, & actiones sunt suppositorum, quibus consonat illud pronunciatum Aristotelis

stotelis 1. *Metaphysicæ*, [ Actus sunt suppositorum.]

Actus separat, & distinguit; hoc principium tradidit Aristoteles 7. *met.* & 3. *de anima*; nomine actus intelligit Philosophus, tam actum physicum, quam metaphysicum, id est tam formam substantialem, quam differentiam; nam homo distinguitur physicè essentialiter ab equo per formam, seu animam rationalem, & metaphysicè per rationale quod est differentia, ac proinde forma metaphysica & vtraque est actus, quæ constituendo vltimo compositum & in vltimo actu collocando ipsum, distinguit illud ab alio.

Actui repugnat accidere actum, de hoc principio egimus *in tractatu de principiis Physicis*, videatur ibi, ad quem tractatum etiam remitto illud principium actus, & potentia sunt maximè contraria, siue opposita.

B

BOnum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu; hoc principium explicui, quanta potui diligentia *disput. vltima Logicæ, tractatu de principiis*; videatur *ibi*, & *in Philosophicis*.

Bonum, & malum sunt contrariè opposita, de hoc principio egi *tractatu de principiis post libros de anima*; sicut etiam egi *ibi* de altero principio, bonum quanto communis, tanto diuinius, quod tradidit Aristoteles 1. *Ethic.* & 2. *Topicor.*

C

COnueniens fit à conuenienti; tradidit hoc principium Aristoteles 12. *met. text.* 24. propositio hæc verificatur tribus conditionibus, scilicet vt fit in agente, non instrumento, & propinquo, non in remoto, & in agente essentialiter, non accidentaliter.

Contraria maximè distant; hoc principium tradidit Philosophus in prædicamentis; verum est loquendo de graduali distantia, non autem perfectionali, seu logicali.

Contraria debent esse in eodem genere, tradit hoc principium Aristoteles 7. *metaphys.* intelligitur quod debent esse in eodem genere prædicamentali, quia si non, tunc non essent contraria, vt patet ex eorum definitione.

Contrarietas in omnibus prædicamentis est quæsita in sola qualitate reperta; hoc axioma adducit Venerabilis Beda ex Boëtio, & vtitur illo passim D. Thomas, & explicat illud dicens, intelligi debere capiendo contrarietatem strictissimè, sed sumendo illam largè, tunc etiam conuenit relationi, actioni, & passioni explicatur; videlicet quod contrarietas per se conueniat qualitati, & per accidens passioni, actioni, & relationi in ipsis, & in qualitate fundatæ.

Contra negantem principia non est, amplius disputandum, hoc principium tradidit Aristoteles 1. *Metaphys.* & 1. *Physicor.* intelligitur, quod non amplius sit disputandum contra illum in illa scientia, cuius talia principia sunt, & per media illius, quam etiam dicit, quod nullus artifex habet stabilire sua propria principia, nihilominus tamen docet metaphysicis mediis posse conuinci negantem; quia metaphysicus habet stabilire omnia principia.

D

DEscendentem à generalissimis ad specialissima necesse est ire per multitudinem; hoc principium adducit Aristoteles *lib. de prædicamentis*, & Porphyrius *lib. de prædicabilibus*, ibi dicitur, quod auctoritas in sensu diuiso est falsa; quia non est necesse ipsum descendentem ire per multitudinem, sed debet concedi in sensu composito, vt necesse est descendentem ire per multitudinem à generalissimo ad specialissima.

Dans formam dat omnia consequentia ad formam; de hoc principio egi *disputat. vltima de anima, tractatu de principiis philosophicis.*

Differentia sumitur à forma; hoc principium adducit Aristoteles 2. *Metaphysicæ*, & Porphyrius *lib. de prædicabilibus*; de quo latè ago *disput. de principio individuationis*, videantur ibi dicta, de quo etiam ago in Logica, *disput. de genere*; quia radix differendi est in principio formali Physico; sicut radix conueniendi est in principio materiali physico, seu in materia prima; & ideo communiter circumfertur genus sumi à materia, & differentiam à forma.

Differentiæ vltimæ rerum non recipiunt magis, & minus; hoc principium tradidit Aristoteles 8 *met. text.* 10. & Porphyrius, cui consonat aliud principium, videlicet differentiam vltimam esse omnino indiuisibilem, simplicem, & irresolubilem in duos conceptus, scilicet quoad expressum; de hoc principio ago latè *disputationib. de Deo; quæstione, Vtrum Deus vltimo constituatur per intellectionem? Et quæst. de æternitate diuina*; vbi veritates illarum quæstionum huic principio innituntur, videantur ibi dicta. Nihilominus Venerabilis Beda ad explicandum hoc principium hæc addit; [ verum est in formis substantialibus perfectis secundum se consideratis, fallit autem in accidentibus; ita Gloss. & Commentator. 8. *metaphys. in textu, & comment.* 10. vbi inquit, quod forma substantialis non recipit magis, neque minus, homo enim non est maioris humanitatis quam alter homo, & si fuerit, erit secundum quod est, forma in materia, nam quod accidentia recipiant magis, & minus clarum est, vt testatur etiam Porphyrius, & Aristoteles in prædicamentis docet. ] Verum hæc explicatio non videtur ad mentem Aristotelis, quia ipse in hoc loco non agit de susceptione magis, & minus per intensionem, & in sensu Physico sed potius de simplicitate, & indiuisibilitate differentiæ vltimæ metaphysicæ quoad expressum, vt iam dixi.

Deus est ens, quo melius excogitari non potest; hoc pronunciatum adducitur ab Aristotele 4. *Physic.* & admittitur ab omnibus, tam Philosophis, quam Theologis; de quo latè ago *disputationibus de Deo, præcipuè quæstione de infinita perfectione Dei.*

Deus, & natura nihil faciunt frustra; hoc principium explicui *disp. vltima de anima, tract. de principiis*; adducit illud Aristoteles 3. *de cœlo*, & 3. *de anima.*

E

EAdem sunt principia essendi, & cognoscendi, hoc principium adducit Aristoteles, 2. *Met.* explicat his verbis Venerabilis Beda; respondetur quod Philosophus vult, quod principia

cipia sunt eadem in eadem demonstratione, propter quid generis, quia sicut habet esse in demonstratione per suam rationem propter quid, sic etiam habet cognosci, vt patet ex quid nominis demonstrationis propter quid.] Sed explicatio obscura est, alia clarior reddenda, quæ sic se habet, videlicet, quod res per eadem prædicata essentialia, per quæ constituitur, demonstratur; v. g. animal rationale constituit hominem, & est ratio quare homo sit risibilis, hoc ipsum animal rationale & non aliud sumitur pro medio in demonstratione ad demonstrandam ipsam risibilitatem; vnde per eadem prædicata essentialia constituitur homo, per quæ euidenter cognoscitur.

Æterno nihil est prius; traditur ab Aristotele hoc principium 8. *Physic.* hoc est verum secundum tempus & durationem, cum hoc tamen stat, quod aliquid sit prius alio natura; v.g. si sol esset ab æterno, vt potest, esset prior natura luce, & simul duratione cum illa. Item in æternis datur vna persona prior alia origine; vt pater est prior origine filio in diuinis.

Essentia est primum omnium constitutiuorum; hoc principium tradidit Aristoteles 2. *Met.* quod est verissimum, quia essentia, seu quidditas rei est primus conceptus, seu prima formalitas seu radix omnium prædicatorum rei simpliciter conuenientium, sine quo neque esse neque intelligi potest res.

Ex duobus entibus in actu non fit vnum tertium; docet hoc principium Aristoteles 7. *Met.* Et ipse ait, explicans hoc principium vnum per se non posse fieri ex pluribus entibus completis, quia duo entia completa non vniuntur per se, neque componunt vnum tertium, quia id quod componit, pars est: sed pars non est totum, & incompletum non est completum: ergo ex duobus completis non potest resultare alterum completum. Explicat hoc Aristoteles exemplo pulcherrimo sumpto ex figuris perfectissimis Geometricis; v. g. in circulis; ex duobus enim circulis, item ex duabus Sphæris non potest altera Sphæra resultare, vel alter circulus, quia complementum talium figurarum impedit ad componendum vnum tertium, quod non impedit in aliis figuris minus perfectis; nam ex duobus triangulis potest fieri vnum quadratum; quia tales figuræ habent suum incomplementum; sed duo entia in actu sunt duo vltimo completa, & perfectè constituta: ergo ex duobus entibus in actu non potest fieri vnum totum per se; ideo enim ex materia & forma per se fit vnum, quia sunt duo entia in completa per se; hoc axioma intelligitur de compositione per se essentiali, non integrali; quia licet duo corpora fluida sint entia completa, possunt vniri inter se integraliter ad componendum vnum per se integrale, vt patet in duabus aquis, ignibus, aëribus, oleis &c.

Aliter explicat venerabilis Beda hoc axioma, docens, Aristotelem loquutum fuisse, non de entibus completis, sed potius de duobus actibus, siue substantialibus, siue accidentalibus; vnde ex duabus animabus rationalibus v. g. non potest fieri vnum ens per se; sicut ex duobus actibus intellectus, aut ex duabus visionibus non potest fieri vnus actus per se; quapropter ex materia, & forma substantiali fit vnum ens per se, quia ambæ non sunt in actu, cum materia sit in potentia, seu potentia, & forma in actu. Coincidit cum hoc principio illud: [ex ente & ente non fit ens per se, nisi secundum accidens,] quo vtitur Aristoteles 2. *Physicor.*

F

FOrmæ non est forma; tradidit hoc principium Aristoteles 7. *Metaph.* traditur etiam ab auctore sex principiorum; intelligitur vt ait D. Thomas, quod formæ non est forma essentialiter, & compositivè; sic quod vna forma non componat aliam essentialiter, sed bene accidentaliter sicut scientiæ sunt formæ ipsius animæ, & ideo docuit Aristoteles 2. *Physic. text.* 31. & auctor sex principiorum omnem formam esse simplicem & indivisibilem, quia non componitur ex alia forma essentialiter; & hoc totum coincidit cum alio principio supra posito secundum explicationem venerabilis Bedæ; ex duobus entibus in actu non posse fieri vnum ens per se.

Forma est, quæ dat esse; vtitur hoc principio Aristoteles 2. *Physic.* id est quæ vltimo constituit, & complet rem, & in hoc sensu intelligitur aliud axioma Aristotelis, quo vtitur. 7. *Metaph.* dicens, [forma est tota quidditas hominis;] de quo sic ait D. Thomas, [intelligitur, quod forma est perfecta quidditas hominis, & quidditas formalis perfectior est, quam quidditas materialis.] Quibus quadrat illud aliud pronunciatum eiusdem Philosophi 1. *Physic.* [forma est quoddam diuinum optimum, & appetibile; dicitur inquit Angelicus Doctor, quoddam diuinum secundum assimilationem: quia secundum animam dicitur homo factus ad imaginem, & similitudinem Dei.

G

GEnus est materia speciei, hoc vtitur Aristoteles 3. *Metaph.* Porphyrius *lib. de prædicab.* intelligitur, inquit venerabilis Beda, similitudinariè; non autem propriè, quia sicut materia prima est indifferens inferre quancunque formam, sic etiam ipsum genus est indifferens ad quancunque speciem.

H

HOmo est quodammodo finis omnium; sic ait Aristoteles 2. *Met.* & 2. *Physic.* potest hoc axioma intelligi, vt omnium entium sit homo finis quodam modo naturalium; propter hominem enim hæc omnia creata sunt; secundum illud *Genes.* 1. ibi: [faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, vniuersæque terræ, omnique reptili quod mouetur in terra, & *Paulo post*; [benedixitque illis Deus, & ait, crescite & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram; dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & vniuersis, quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum, & factum est ita.] Addit venerabilis Beda, ipsa entia Metaphysica, seu transnaturalia, puta intelligentiæ habent hominem

minem pro fine, secundaria intentione; primaria enim intentione agunt propter se, secundaria propter hominem.

I

IMpossibile est idem, simul esse, & non esse: de hoc principio egi in Logica *disp. vltima de principiis*, videantur ibi dicta; aliud huic simile principuum tradidit Aristoteles; quodlibet vel est, vel non est; P. Franciscus Suarez *disp. 3. Metaph. sect. 3. à numero 5.* existimat hoc principium non esse idem cum nuper dicto, scilicet impossibile est idem, tribuit rationem; quia sicut in contrariis aliud est, quod non possint simul conuenire eidem, aliud vero quod alterum eorum necessario conueniat; ita etiam in contradictorie oppositis, hæc duo formaliter, & in rigore diuersa sunt, quæ duo significantur duobus illis principiis; nam impossibile est idem simul esse, & non esse significat repugnantiam contradictorie oppositorum; at quodlibet est, vel non est, significat immediationem eorundem, & inter ea nullum esse medium, quod possit existere, sed alterutrum necessario fore. & primo principio innititur hæc propositio; impossibile est idem simul affirmari, & negari de eodem; & hoc Logicum principium, impossibile est duas propositiones contradicentes simul esse falsas aut simul veras; secundo vero principio innititur hoc Logicum, necesse est quodlibet affirmari, vel negari de alio.

Alio modo explicat hanc identitatem aut distinctionem P. Hurtado in Metaphys. dicens existimo tamen illa principia esse formaliter vnum, applicata terminis contradictoriis; nam in contrariis non sunt idem; hoc enim principium [homo est albus, vel non est albus] est verum necessario; hæc autem propositio [impossibile est hominem simul esse album & nigrum,] est falsa de potentia absoluta, item & hæc, ex natura rei homo necessario est albus, aut niger; probatur autem hæc sententia, tum ex P. Suarez: nam illud principium, impossibile est &c. vt inquit Suarez significat repugnantiam contradictoriorum, secundum vero quodlibet est, &c. vt ipse docet, significat eorundem immediationem; sed repugnantia contradictoria, & immediata oppositio sunt formaliter idem: ergo & illa principia sunt formaliter vnum; tum etiam, nam repugnantia vt duo conceptus simul sint, & non sint, significat vtrumque conceptum existere non posse: item significat vtrumque non posse simul existentia carere; sed hoc est alterum eorum necessario esse, vel non esse: ergo illa duo principia sunt vnum; nam si Petrus, & non esse Petri neque existere simul possunt, neque simul existentia carere: ergo necessario Petrus existit, vel non existit, ita vt Petro existente non existat priuatio illius, & existente priuatione Petri non existat ipse Petrus: ergo ita se habent, vt alterum necessario existat, & simul cum illo non existat eius oppositum; sed [quodlibet est, vel non est,] formaliter significat hoc; nempe alterum extremum solum necessario esse. Item [impossibile est idem simul esse, & non esse] hoc significat, quia necessario debet esse alterum illorum, nempe aut esse, aut non esse; quia dicit esse impossibile, vtrumque simul esse, & vtrumque simul non esse: ergo affirmat existentiam vnius, & negat existentiam alterius.

Ego vero censeo hæc duo principia, quoad expressum non esse idem, licet quoad obiectum, & quoad confusum idem sint, quod patet manifeste; nam in syllogismo formali eruit Hurtado vtrumque principium esse idem, explicando vtrumque: ergo euidenter sequitur quoad expressum non esse idem; nam si quoad expressum essent idem, non esset necessaria argumentatio formalis; quia argumentatio formalis est inter extrema, seu terminos formaliter distinctos saltem quoad expressum: vnde eodem termino tam quoad expressum quam quoad confusum multiplicato tribus vicibus non potest componi syllogizatio perfecta; neque potest in conclusione formali vnum de alio prædicari; vnde si aliquis diceret in conclusione: ergo homo est homo, non conficeret rectam syllogizationem; sed hæc est formalis: ergo conclusio hoc principium impossibile est, idem simul esse, & non esse, est alterum principium, quodlibet est, vel non est; ergo euidenter sequitur, esse duos terminos, seu extremitates, quæ distinguantur formaliter saltem quoad expressum, & confusum; vnde licet habeant idem obiectum, nihilominus non eodem modo significant illud, licet per illationem, & consequentiam colligamus in idem tendere; nam in primo principio expresse significatur impossibilitas simultatis positiui, & negationis simul eiusdem; in altero autem expresse dicitur, quod vnum ex illis debeat necessario existere; sine eo quod explicetur oppositio vtriusque immediata, & maxima in coexistentia simultanea illorum; v. g. si tempus esset necessarium necessario vna vel altera pars deberet esse, & nihilominus non significaretur oppositio immediata inter partes cum vtraque pars sit quid positiuum: ergo per hæc verba formalia necesse est, vt vnum ex duobus existat, non exprimitur impossibilitas vtriusque existentiæ simul per immediatam, & maximam oppositionem vtriusque; quod etiam confirmant argumenta supra posita Patris Suarez.

Tandem efficaciter hoc probatur, quia magis assimilantur hæc duo principia, impossibile est de eodem simul affirmare, & negare idem, impossibile est idem simul esse & non esse, quam hoc & illud, quodlibet est vel non est; atqui tu asseris, illa esse duo principia & vnum probari per aliud vnum esse Logicum, alterum Metaphysicum: ergo à fortiori saltem quoad expressum, & confusum erunt duo hæc principia, impossibile est idem &c. Et quodlibet est, vel non est; Minor sic probatur ex Hurtado in Logica, *disp. 10. de modo sciendi, sect. 16. num. 118. & 19.* ibi: [cogeretur admittere contradictorias propositiones, & affirmabit, & negabit simul; hoc autem esse absurdum, probatur ex Metaphysico principio, impossibile est idem simul esse, & non esse; quia ergo idem non potest simul esse, & non esse, ideo de eadem re non potest vere affirmari eam esse, & non esse: imo nec potest affirmari mente, quia altera propositio repugnat cum altera; vnde concludo propositiones illas contradictorias versari circa idem obiectum reale, quia earum contradictio est, quia sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem simul, & pro eodem tempore, altera vniuersalis, & altera particularis; quod si versarentur circa diuersa obiecta, non essent contradictoriæ: ergo.]

Hoc principium adeo est certum, vt quævis facultas

facultas eo vtatur deductione ad impossibile; ea ratione dicitur Metaphysica tueri, & defendere principia cæterarum facultatum; vnde licet contra negantes principia non sit arguendum ex principiis eius facultatis; at arguendum est ex principiis Metaphysicæ, tam euidentibus vt negari nequeant mente, tametsi negentur voce; quod accurate, S. Thomas advertit ex Aristotele 4. *Metaph. lect.* 5. quo sensu omnes aliæ scientiæ corroborantur per principia Metaphysicæ, quod clarius apparet in Logica, tota enim syllogistica dispositio innititur huic principio dici de omni, & dici de nullo; impossibile est, vt idem de eodem simul affirmetur & negetur; at si hæc principia negentur, auxiliares vires emendicat Logicus à Metaphysico, & sic Logica doctrina de contradicentibus propositionibus defenditur hoc principio, impossibile est idem simul esse, & non esse, & tota illatio probatur eo principio quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se; si quis autem hæc principia negaverit, vel distinxerit ad confundendum potius, quam declarandum, & ad pertinaciter contendendum, fuste potius quam ratione erit erudiendus, quod si vt inquit Hurtado, conqueratur se percuti, respondebis, non quodlibet esse, vel non esse; atque ita dum ipse percutitur, eum non percuti, quia in eius sententia, idem simul potest esse, & non esse; si potest res simul esse, & non esse: ergo simul sunt res, & eius priuatio: ergo homo simul moritur, & viuit, & simul generatur, & non generatur, & nos dum hic sumus non sumus hic, & dum aliquid scimus non scimus, & dum ignoramus non ignoramus, & cum dormimus, vigilamus, & dum laboramus, otiamur; Aristoteles, *lib.* 4. *Metaph.* ex instituto, & data opera hoc principium probat, quod tamen arbitror à nullo vnquam homine fuisse negatum.

In æternis non differt esse à posse; sic Aristoteles 2. *Metaph.* sensus est, quidquid in eo, quod verè, & proprie æternum est, cuiusmodi quidem solus Deus est, idem est posse ac esse, & ideo possibilitas non distinguitur ab existentia in Deo; est enim Deus purus actus, in quo nulla potentialitas datur.

In Deo sunt omnia, docet hoc Aristoteles 12. *Met.* intelligitur vt inquit D. Thomas, vel exemplariter vel causaliter, eminenter aut formaliter; non autem inhæsiuè, vel subiectiuè, vel compositiuè.

In nullo genere causarum per se subordinatarum processus est in infinitum; docet hoc Aristoteles 2. *Metaph.* de hoc agimus late disputationibus de Deo ad demonstrandam existentiam Dei; videantur ibi dicta.

Idem est agens disponens materiam, & inducens formam; docet hoc Aristoteles 7. *Metaph.* & Auerroes *ibidem comment.* 31. de hoc egimus *libris de anima.*

## L

LOcus Dei sunt omnia; Aristoteles 2. *de cælo*, & 3. *Met.* id est Deus vt inquit D. Thomas, per immensitatem suam est præsens omnibus tam negatiuis, quam positiuis, de hoc late egi *disputationibus de Deo*; *quæstione Vtrum Deus sit in spatijs imaginarijs.*

## M

MAgis, & minus non differunt specie, vel non diuersificant ipsam; intelligitur de specie essentiali sic, quod magis, & minus non diversificant speciem essentialem; sed benè accidentalem.

Materia non est in Deo; docet hoc Aristoteles 12. *Metaph.* Deus enim simplicissimus actus est, & sic caret compositione.

## N

NIhil agit vltra gradum suæ perfectionis; hoc principium docet Aristoteles 7. *Met.* de quo etiam egimus nos *disp. vltima de anima.*

Non ens non intelligitur; ita Aristoteles 1. *Physic.* & 2. *Metaph.* intelligitur per propositiones cathegoricas affirmatiuas, vt docet Diuus Thomas; sed cum hoc tamen bene stat, quod non ens intelligitur per propositiones cathegoricas negatiuè.

Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu; tradidit Aristoteles hoc principium 1. *Physi.* & 2. *de anima*; sicut ibidem & 1. *de cælo* tradidit illud aliud; natura non deficit in necessariis, nec redundat in superfluis, de quibus egi *disput. vltima de anima*, *tract. de principijs.*

Nemo dat quod non habet, tradit hoc principium Aristoteles 2. *Physic.* & 3. *de anima*; cuius sensus est, nullam causam adaquatam posse extra suam virtutem, & sphæram causare; quia in ea non continetur effectus, excedens eiusdem virtutem.

Nihil volitum quin præcognitum; hoc principium tradidit Aristoteles 2. *de anima*, vbi voluntatem in suo exercitio ab intellectu pendere demonstratur; nunquam enim aliquis expetiuit quod nunquam cognouit; nam rationes expendimus illarumque momenta libramus priusquam aliquid aggrediamur: si quis autem præcipitem se agit in obiectis amandis, imprudens, & inconsideratus dicitur; id definitio voluntarij significat: nam teste Aristotele cum omnium Philosophantium, & Theologisantium assensu voluntarium est à principio intrinseco cognoscente singula, adeo vt quando aliqua circumstantia ignoratur, opus per eam ignorantiam effectum non sit voluntarium sub ea ratione ignorata, eoque pluris aut minoris opus habetur, quod à perfectiori, aut imperfectiori cognitione oritur; nec opus est in re tam clara oleum, & operam perdere, vide Sanctum Thomam 1. 2. *q.* 9. *art.* 1. quem sequuntur omnes; nihilominus tamen oppositum docent Bonauentura, & Gerson, non tam scholasticè, quam deuote, censent enim in via vnitiua per amorem ardere voluntatem in Deum sine cognitione; at non ita euenit, etsi tam facile figitur mens, & sine volubilitate, vt nihil videatur cogitare; videantur P. Suarez & Vasquez *in* 1. 2. *disp.* 35. *cap.* 1.

Per potentiam absolutam Dei posse produci qualitatem in amore repertam sine influxu voluntatis creatæ; imo & cum influxu illius, & sine cognitione nostra; item & vniri satis ostendi *libris de anima.*

Nulla potentia est ad præteritum; sic Aristoteles 1. *de cælo*; intelligitur secundum D. Thomam quod nulla potentia est ad præteritum,

quod fuit præteritum, ita vt per eam possit fieri, quod non præterierit, quod præteriit; sic Deus non potest facere, vt Socrates destructus non fuerit destructus, implicat enim istud contradictionem: sed bene illum potest per suam omnipotentiam reparare, & resuscitare destructum.

O

OMnis homo naturaliter scire desiderat; hoc axioma tradidit Aristoteles *lib. 1. met. cap. 1. & 2.* circa quod cum P. Francisco Suarez in primis sensum Aristotelis exponere oportet, deinde propositionis veritatem; tres ergo termini in illa propositione declarandi sunt, prior est appetere, vel desiderare, circa quem supponenda est primo vulgaris distinctio duplicis appetitus innati, & elicitiui; prior impropriè, ac metaphoricè dictus est appetitus, propriè verò nihil aliud est, quam naturalis propensio, quam vnaquæque res habet in aliquod bonum quæ inclinatio in potentiis passiuis nihil aliud est, quam naturalis capacitas, & proportio cum sua perfectione, in actiuis vero est ipsa naturalis facultas agendi; itaque in his omnibus appetitus non addit aliquid vltra ipsam rei naturam, vel proximam facultatem ratione cuius conuenit rei talis appetitus, neque in hoc modo appetitus distingui potest actus primus, & secundus; quia hoc modo appetere non est agere aliquid, sed solum habere innatam talem propensionem, qualem habet grauitas ad centrum, etiam si nihil agat; appetitus elicitivus est propriè appetitus, quia fertur in bonum vt bonum, illudque per proprium actum potest appetere; vnde duo sunt in hoc appetitu, vnum est facultas appetendi, aliud appetitio ipsa; primum retinuit iam nomen appetitus, qui in sensitivum, & rationalem diuiditur, & hic appetitus vt sic etiam est innatus, si generatim de innato loquamur; quia cum ipsa natura datus est, & habet naturalem propensionem ad suum obiectum, & ad suum actum, quia verò ita est innatus vt sit etiam elicitivus, actualis appetitionis, qua tendit in bonum formaliter, & quatenus bonum est; atque ita sit propriissimè appetitus, ideo condistinguitur ab appetitu purè innato & metaphorico; sic enim prior diuisio accipienda est, secundum id est actus appetendi, qui propriè dicitur appetitio, vel appetitus elicitus; nihil aliud est, quam actus emanans ab appetitu eliciente, quo amat vel desiderat bonum, & hic appetitus nunquam est innatus saltem in nobis, de quibus in præsenti agimus; interdum vero est naturalis.

Alter igitur terminus exponendus est [naturaliter] appetitus enim naturalis multipliciter dicitur, interdum enim naturale dicitur quod ab ipsa natura datum est, neque est effectum per propriam ipsius hominis v. g. actionem, seu effectionem, & hoc modo omnis appetitus innatus naturalis est, & ipse etiam appetitus elicitivus; non tamen appetitus, seu actus elicitus, vt ex data terminorum expositione satis constat; aliquando vero dicitur naturale, quod necessario fit ex intrinseca propensione naturæ, etiam si absolutè, & in se non sit à natura datum, sed ab appetente factum, & hoc modo est homini naturalis appetitus, qui est fames, aut sitis quando deficit cibus, aut potus qua ratione appetitus elicitus naturalis esse potest, & in appetitu sensitiuo ex se semper talis est; in voluntate vero, licet interdum talis appetitus sit naturalis non tamen semper est talis, quia libera est.

Omitto interdum naturale vt à supernaturali distinguitur, quo sensu apud naturales Philosophos, seu procedendo ex solo lumine naturæ, vt nunc loquimur, omnis appetitus naturalis est; nam supernaturalis appetendi modus, qui per gratiam fit, non potest naturali ratione inuestigari, aliquando etiam sumitur naturale vt violento opponitur, vt est frequens in Philosophia, atque his etiam duobus appetitus elicitus etiam si liber sit, naturalis tamen esse potest, vt per se constat. Imo interdum dicitur naturalis appetitus elicitus, hoc ipso quod est naturæ consentaneus, & opponitur ei, quod est præternaturale tanquam naturæ dissonum etiam si violentum non sit quomodo appetitus virtutis naturalis est, vitij autem minimè, quo tandem fit vt multo magis naturalis dicatur appetitus ille, ad quem ipsa naturæ propensio necessitatem infert, & ideo appetitus necessarius, tametsi elicitus naturalis merito vocari potest.

Duplex autem necessitas huius appetitus distingui solet, scilicet quoad exercitium, & quoad specificationem; prior est quando appetitus vitalis ex necessitate elicit, seu exercet actum appetendi, quæ necessitas in appetitu sensitiuo facile reperitur; in rationali vero non inuenitur in hac vita: sed solum in beata, & supernaturali, quæ ad nostram considerationem non spectat, posterior in hoc consistit, quod licet voluntas non exerceat actum appetendi ex necessitate, tamen si exercet, necessario appetit, & non refugit tale obiectum, & talis actus vocatur necessarius quoad speciem, non quoad exercitium, & secundum eam necessitatem dicitur naturalis & recedit ab actu omni ex parte libero quoad exercitium scilicet, & specificationem, quomodo voluntas appetit bonum in communi; ex his ergo satis clara manet illius vocis ambiguitas.

Tertia vox est scientia seu scire, quæ ab Aristotele indefinitè sumitur & potest generatim sumi pro quacumque cognitione, seu intelligentia veritatis: sed præsertim pro illa, quæ perfecta est, & propriam rationem scientiæ habet prout scire dicitur esse rem per causam cognoscere cum euidentia, & certitudine, & de scientia etiam hoc modo sumpta loqui possumus, vel indefinitè, vel abstractè, vel distributiuè de omnibus scientiis, vel singulariter de aliqua, qui modi loquendi de scientia non parum inter se discrepant.

Incipiendo ergo ab hoc vltimo termino, certum est Aristotelem in illo generali dogmate non loqui de aliqua singulari scientia, vt patet tum ex verbis eius, tum ex probatione, quæ generalis est, tum denique ex intentione, assumit enim hoc generale principium, vt inde ad hanc scientiam in particulari descendat; atque hæc ratio vlterius concludit, quod licet Aristotelis verba indefinita sint, tamen cum sint doctrinalia, æquiualent vniuersalibus, ita vt sensus sit, omnes homines naturaliter appetere quamcunque scientiam, tum quia non ex peculiari ratione alicuius scientiæ vt talis est, oritur hic appetitus: sed ex ratione scientiæ vt sic; tum etiam quia alias non satis efficaciter procederetur in eo discursu ab indefinito sermone ad singularem; hæc est ergo mens Aristotelis,

eamque

eamque sententiam in eo sensu veram esse patebit facile ex dicendis.

Ex his omnibus clarè patet, Aristotelem de vtroque appetitu loquutum esse; ita vt sensus sit illius propositionis, hominem tam appetitu innato, quam elicito appetere scientiam; de appetitum innato sit patet.

Quia omnis res naturaliter appetit suam perfectionem, operationem, & fœlicitatem: sed omnibus his modis comparatur scientia ad hominem; est enim magna perfectio eius, & operatio ipsius, & in ea eius fœlicitas consistit, in qua ratione duo priora membra communia sunt omnibus scientiis; tertium vero est Theologiæ naturalis proprium, vt patet ex dictis *prima disputatione*, vnde etiam existimo, Aristotelem non excluisse hunc sensum, sed supposuisse potius; quod autem in illo solo loquutus fuerit nec necessarium videtur, nec verum; quod ex proprietate verborum eius colligi potest, nam ex sensuum dilectione & amore colligit scientiæ appetitum; loquitur autem apertè de amore sensuum, per actum elicitum; id enim propriè amor significat, & inferius similiter ait, quod sensum visus cæteris anteponimus nimirum in elicito amore & quamquam dici posset, verum esse Aristotelem in ea ratione loqui de actu elicito & ex illo colligere appetitum naturalem; certè ea collectio bona non esset, nisi supponeret illum elicitum amorem esse etiam aliquomodo naturalem; quia non ex quolibet appetitu elicito colligi potest appetitus naturalis, nam interdum appetimus actum voluntatis, quæ ipsi naturæ repugnant vt mortem v. g., ergo si ex appetitu elicito colligit Aristoteles naturalem, supponit ipsum elicitum esse etiam naturalem, quod si amor elicitus sensuum est naturalis, multo magis amor scientiæ.

Item etiam homo appetitu elicito amat scientiam, hoc probant rationes insinuatæ ex D. Thoma; illæ enim æquè procedunt de appetitu elicito, & de pondere naturæ, quia etiam homo hoc appetitu appetit naturaliter suam perfectionem, operationem & fœlicitatem, & scientia est perfectissima hominis operatio, & vel est fœlicitas ipsa, vel ad fœlicitatem & commodum huius vitæ maximè necessaria; nam si sit contemplativa scientia in perfectissima eius operatione fœlicitas consistit, vt docet Aristoteles, *lib. 10. Ethicorum cap. 6.* aliæ vero scientiæ speculativæ illi superiori deseruiunt, & in omnibus est magna quædam iucunditas, nam contemplari optimum est vt dicitur *12. Met. text. 39.* practicæ vero scientiæ ad commoda etiam huius vitæ necessariæ sunt, & valde vtiles.

Sed quo sensu intelligendum sit hominem appetere naturaliter scientiam appetitu elicito explicandum superest, non enim in eo sensu hoc accipi potest quod homo aut ex necessitate semper exerceat amorem, vel desiderium scientiæ, quoties de illa cogitat, neque quod illam spernere non possit, eamque inquirere, nolle, vtrumque enim contra experientiam est: non ergo potest hic appetitus elicitus esse naturalis tanquam necessarius omnino, vel quoad exercitium, vel quoad specificationem.

Primum ergo certum est hunc appetitum rectè dici naturalem quod sit valde consentaneus naturæ hominis eiusque naturali inclinationi, quatenus homo est; vnde rectè Cicero *2. de finibus.* Natura inquit, ingenuit homini cupiditatem veri inueniendi. Secundo dicitur naturalis, quia est aliquomodo necessarius quoad specificationem. Tum quia licet homo possit negligere scientiam, vel nolle illam quoad appetitum efficacem quærendi illam, id tamen solum accidere potest propter extrinsecas causas, seu impedimenta, quæ ex accidente adiunguntur scientiæ, nimirum propter laborem & difficultatem quam habet scientiæ studium, aut quia impedit aliarum rerum inquisitionem, quibus homo vel indiget, vel affectus est, vel ob alias similes causas, vnde rudiores ingenio minus videntur scientiam appetere, aut difficultatem quam etiam impossibilitatem vocauit Aristoteles *6. Politicorum, cap. vltimo*; at vero per sese scientia non potest displicere, atque ita seclusis impedimentis necessitate quadam amatur saltem quoad specificationem, atque hoc quidem maxime verum habet in scientia in communi, quatenus scientia est, tamen etiam est suo modo verum de qualibet scientia in particulari si in ea veritatis cognitio in tali materia per se spectetur, semper enim est illa perfectio per se expetibilis hominis.

Quod si contingit hominem vnam scientiam non amare vt alteri intendat, hoc etiam reducitur ad extrinseca impedimenta de quibus diximus, nam quia homo non potest vtramque scientiam acquirere, & vnius studio ab alterius perfecta inquisitione impediretur, ideo illam omittit vt hanc obtineat, atque hoc modo quidam homines ex individuali & propria complexione ad vnam scientiam magis afficiuntur, quam ad aliam per se tamen ac seclusis impedimentis, vel quod idem est si vna alteram non impediret omnes scientias naturaliter appeteremus; nec ratione vnius alteram despiceremus.

Atque hinc facilè etiam constat, quid sit hic appetitus in homine, si enim sit sermo de appetitu elicito constat esse actum voluntatis vel efficacem, vel saltem inefficacem, & per simplicem complacentiam, quæ maximè naturalis est, & manet etiam in his, qui efficaciter non intendunt, seu eligunt scientiæ vacare; si vero sit sermo de pondere naturali illud potest considerari vt immediatè terminatum ad ipsam scientiam, & sic non est aliud quam intellectus ipse, & capacitas eius qua scientiam respicit vt propriam perfectionem, sicut enim in materia prima appetitus ad formam non est aliud ab ipsa materia, & naturali eius capacitate, & similiter in omni alia potentia appetitus ad suum actum non est aliquid additum ipsi potentiæ, sed naturalis constitutio, & aptitudo cum proportione quadam ad illum, ita in intellectu se habet appetitus ad scientiam; at si consideretur pondus naturæ vt terminatur ad scientiam medio appetitu elicito non est aliud quam voluntas hominis, quæ hoc modo naturaliter propensa est ad omnes hominis perfectiones, non enim appetit voluntas habere scientiam; appetit tamen naturaliter velle scientiam hominis seu intellectui, & hoc modo dicimus hoc pondus voluntatis terminari ad scientiam medio actu elicito.

Ex his ergo satis explicatum relinquitur axioma illud generale homini innatum esse appetitum naturalem ad scientiam, sub hoc autem principio fundendum est hunc appetitum maximum esse ad scientias speculativas, quæ veritatis cognoscendæ gratia tantum quæruntur, hoc tacitè

videtur

videtur intendisse Aristoteles toto discursu illius capitis primi.

Omne totum est maius sua parte : Hoc principium tradidit Aristoteles 3. *Metaph.* quod maximè pertinet ad Mathematicos, & ideo de ipso tractat Euclydes, & prius illo Archimedes maxime necessarium est ad multas veritates demonstrandas, ratio autem huius principij ex ipsis terminis liquet ; totum enim distinguitur ab vnaquaque parte distinctione includentis ab incluso, quia vnamquamque partem includit à qua cum aliis constituitur, & supra illam alias addit à quibus componitur : ergo si totum non solum dicit vnam partem, sed alias præter illam euidenter sequitur amplius dicere totum quam vnamquamque partem excedereque illam per additionem reliquarum : sed id quod amplius habet quam aliud, & excedit ipsum est maius ipso : ergo totum est maius sua parte, vt videre est in homine, qui maior est capite, quia habet amplius entitatis quam illud cum habeat præter caput brachia, humeros &c. quia aut hoc principium ex ipsis terminis patet, non est amplius immorandum in confirmatione illius.

Omne vnum est indiuisibile, hoc pronunciatum tradidit Arist. 10. *Metaph. tex.* 25. intelligitur vt inquit D. Thom. cum reduplicatione vt sic, omne vnum quatenus vnum est indiuisibile, vnum enim definitur id quod est indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio.

Omne quod est, ideo est quia vnum numero est. Hoc tradidit Arist. 2. *Metaph. tex.* 6. & docet, ac explicat ipsum Boëtius Severinus, his verbis : omne quod est, ideo est quia habet se extra animam, modo vniuersale se habet extra animam : ergo non oportet quod sit vnum numero vel singula, quia vniuersale est terminus intentionis.

Alio modo dicitur quod vniuersale quoad suum esse, est benè singulare : sed quoad significationem, seu repræsentationem est quiddam commune ; sed hæc explicatio obscurissima est : vnde axiomati potius tenebras quam lucem offundit, tribuenda est alia clarior enodatio, quæ huiusmodi est sumpta ex Divo Thoma supra dictum locum Aristotelis *lect.* 3. vbi supponit nullum vniuersale formaliter quatenus tale posse à parte rei existere, rationes multas congerit, de quibus late egimus in Logica *tract. de Vniuersal.* quibus positis concludit omnino necessarium esse ad existendum à parte rei habere singularitatem & indiuiduationem, ac proinde singularitatem esse quasi causam vltimam formalem, aut requisitum omnino necessarium ad existendum talem indiuiduationem, & ideo indicando hanc necessitatem singularitatis ad existendum à parte rei, omne quod est ideo est quia vnum numero est.

Omne quod inest meliori, & nobiliori, quatenus tali est magis eligendum, tradidit hoc axioma Aristoteles 7. *Ethicorum*, quod sic explicat D. Thomas, dicitur quod sic debet intelligi, non de quacunque re inexistente ipsi bono meliori : sed de bono proportionato ipsi ; vnde debet sumi bonum sub ratione illa proportionis hoc est quatenus propriè conuenit meliori, & quatenus superat reliqua sibi inferiora ; vnde risibilitas hominis superior est inhibilitate equi, quia hæc proprietas conuenit ipsi quatenus superat homo equum & reliqua : item intellectus Angelicus & voluntas ipsius superant in perfectione intellectum & voluntatem hominum, quia illæ formalitates conueniunt Angelo, quatenus in perfectione excedit omnem hominem, & hoc manifesta ratio demonstrat, quia omne exercitium potentiæ perfectioris, seu radicis excellentioris excedit in perfectione exercitium inferioris potentiæ vt docuit Aristoteles 9. *Metaph. tex.* 19. ibi, actus eo melior, & honorabilior est, quo à perfectiori potentia oritur ; vnde intellectio ex suo genere perfectior est volitione quia est exercitium immanenter existens in potentia perfectiori proportionando se cum ipsa : sed proprietas quæ oritur ab essentia & inest ipsi tanquam exercitium proportionatum oritur ab eadem, quatenus superat aliam : ergo perfectior & excellentior est ipsa.

Oppositorum eadem est disciplina 4. *Metaph.* Respondetur Philosophum velle quod propositiones oppositæ contrariæ & contradictoriæ pertineant ad eandem scientiam materialiter, & ita qui considerat de sano, considerat etiam de ægro ; & è contra, rursus qui considerat illam propositionem, sanitas est quatuor primarum qualitatum proportio animali conueniens, etiam considerat illam : Ægritudo est primarum qualitatum disproportio animali disconueniens.

Optimi est optimum facere 2. *Cæli* intelligitur quod ad essentialia, & sic omnis res producta à Deo, producitur optimè quoad essentialia, & substantialia, homo enim postea adiutus donis naturalibus multa de nouo acquirit naturalia ; v. g. scientias practicas, & speculatiuas, &c. adiutus vero donis supernaturalibus, gratia videlicet excitante, & cooperante, multa etiam acquirit supernaturalia ; producit enim actus supernaturales in se talibus auxiliis adiutus, & mediis illis operibus augmentum gratiæ, & reliquarum virtutum per se infusarum incrementum, quæ omnia ex sui creatione non habuit.

Omne quod producitur primo, ab alio producitur : hoc axioma recipitur à tota schola, tam Philosophica, quam Theologica ; videtur insinuasse illud Aristoteles, dum dixit, omne quod mouetur, ab alio mouetur, sumpto motu, non pro motu locali, sed pro effectione seu productione rei ; nam si sumatur pro motu locali falsificatur in multis ; si illud aliud sumatur pro principio mouente vt quod, nam omnia viuentia à se, & non ab alio mouentur ; quia viuere est moueri à se ; quapropter grauia, & leuia non mouentur à se, sed à generante, quia non sunt viuentia, quis enim dubitet Angelum & animam rationalem separatam à se ipsis moueri tum localiter, tum intentionaliter per intellectionem, & amorem ; si autem sumatur vt quo, certum videtur quia omnis motus distinguitur à mobili per illum ; motus enim est actus secundus entis in potentia secundum quod in potentia est ; sed omnis huiusmodi actus distinguitur à re cuius est, vt patet inductione, quia nulla substantia creata, quæ mouetur per motum localem, siue sit spiritualis, siue corporea potest identificari cum tali motu, sicut neque potest identificari cum motu vitali intentionali, vt sunt sensationes, & appetitiones, & intellectiones, & volitiones, omnes enim huiusmodi actiones vitales distinguuntur à parte rei ab ipsis substantiis, vt late probo *libris de anima*, & ab omni schola recipitur sine controuersia ; nam licet in dubium reuocetur,

reuocetur, an potentiæ vitales distinguantur ab anima, vel à toto composito; distinctio tamen ab actibus à parte rei sine tergiversatione admittitur ab omnibus; sed in hoc sensu non loquitur Aristoteles, dum ait, omne quod mouetur, mouetur ab alio quia illud aliud non sumpsit pro motu, sed pro mouente vt quod, quo medio voluit demonstrare existentiam primi mouentis immoti, vt ostenderet dari Deum à parte rei.

Sed hoc medium sumptum pro motu locali, inefficax est, vt optime probat P. Suarez 2.*tom. Metaph. disp.* 28. quare ex motu cœli æterno, non potuit efficaciter probare Aristoteles dari Deum; nam de facto pro certo habetur apud omnes, cœlum moueri immediatè ab Angelo, seu intelligentia, quæ nihilominus localiter non mouetur ab alio sed à se, & nihilominus non est Deus, est tamen viuens perfectissimum, & ratione suæ perfectionis, & excellentiæ summè efficax, & actiuum, videatur eximius noster Doctor *tota disputatione* 29. hanc fallaciam, & insufficientiam huius medij referantem, quare certissimum principium non est illud, sed hoc, videlicet omne quod primo fit, & producitur, ab alio fit, & non à se, seu ab alio producitur & non à seipso, quod verum habet tam in creatis, quam in diuinis, siue id, quod producitur, creetur, siue generetur, siue quacumque ratione fiat; quod principium ex eo demonstratur; quod nihil potest sibi ipsi primo dare esse; nam res, quæ primo producitur, acquirit esse; res autem, quæ facit, aut producit, supponitur habere esse & ideo claram repugnantiam inuoluit, quod idem faciat aut producat se ipsum; prius enim quamvis sit, non potest esse in actu formali, vel virtuali ad faciendum, vel producendum se; quia alias antequam haberet esse, iam haberet illud; vnde haberet & non haberet illud, quod est summè impossibile, cum omnino impossibile sit, idem simul esse, & non esse; vt optimè docuit D. Hieronimus in Commentario super epistolam *ad Roman. cap.* 1. explicans illa verba, [ quia quod notum est Dei manifestum est in illis &c.] ibi; [quod vero non se ipsa fecerint, manifestum est, quia si se ipsa fecerunt iam erant, antequam fierent vt se facere possent, quod valde absurdum est dicere, cum vero variant, & ordines suos permutant, & alterutrum cedunt, ostendunt se ab vno auctore facta, & non suam, sed Domini sui facere voluntatem, cuius transgredi non possunt imperium; & hæc est inter alias causa propter quam est longe euidentius hoc principium, omne quod producitur, ab alio producitur, quam illud, omne quod mouetur, ab alio mouetur; nam quod mouetur supponitur esse, in quo esse potest, & intelligi actus virtualis ad se mouendum: quod autem primo efficitur, aut producitur, non supponitur esse, sed potius supponitur non esse, antequam fiat: ( loquor enim de creatis, quæ primo produuntur, & per primam productionem de non esse ad esse transeunt ) in ipso autem non esse, non potest esse virtus ad se efficiendum primo, & ideo est euidens illud principium propriè intellectum, de prima, ac vera effectione vt abstineamus nunc ab illa quæstione Theologica, an eadem res possit bis existere, & vt semel existens possit concurrere ad effectionem sui, vt secundo, seu alibi existentis; hoc enim miraculum etiam si admittatur, non eneruat principium positum, tum quia hic agimus de naturali, & propria rei productione; tum etiam quia secundum probabiliorem opinionem non est omnino idem, quod producit, & producitur: nam id, quod reproducit corpus Christi in Hostia est totum concretum videlicet totus Christus compositus ex humanitate & Verbo: & nihilominus id quod reproducitur est corpus Christi quatenus terminus formalissimus est transubstantiationis: non enim reproducitur Verbum diuinum, quia est irreproducibile, licet verum sit, quod etiam in Hostia contineatur Verbum diuinum: quia vnitum est corpori, quod reproducitur, sed hæc explicatio multis non placet, quare alia probabilior mihi semper visa est.

Videlicet, quod verba Sacerdotis simul cum Christo sint principium productiuum, aut reproductiuum Corporis Christi, vbi non reproducuntur verba Sacerdotis: vnde non est idem omnino principium producens, & id quod producitur, & sic verificatur adhuc in hoc mysterio, vt omne quod producitur ab alio producatur.

Similis huic explicatio est aliorum Doctorum dicentium, humanitatem Christi, & Deum esse vnum principium, illa vt instrumentum, hic vt causa principalis reproducendi corpus Christi, ac proinde dari distinctionem inter reproducens completum, & reproductum, quia pro certissimo habent non posse dari productionem, aut reproductionem subsantialem sine relatione effectus, & causæ; hoc est reproducti respectu reproducentis: ergo non potest dari sine oppositione relatiua inter vtrumque: sed omnis oppositio relatiua arguit distinctionem inter ea, quæ opponuntur: quia omnis res, quæ opponitur relatiuè est ad aliam cui opponatur, quia relatio quæ est oppositio relatiua est vnius respectu alterius, seu alius, : sed hi termini, alter, & alius, indicant distinctionem realem inter ea, in quibus reperiuntur: ergo si reproductum est relatiuè oppositum reproducenti à parte rei, erit distinctum ab illo à parte rei.

Itaque omnis productio petit distinctionem à parte rei inter producens, & productum ratione oppositionis relatiuæ; quod adeo verum est, vt non solum in creatis propter rationem Divi Hyeronimi: sed etiam in diuinis, vbi tanta identitas, & simplicitas datur, statim ac reperitur productio, detur oppositio relatiua, ac proinde detur distinctio producentis respectu producti, vt docet illud axioma in Concilio Niceno maximè celebratum, & à tota Ecclesia Catholica admissum, & à Theologis elucidatum [ in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio, ] quod principium adducit P. Suarez ex Anselmo *de incarnatione Verbi, cap.* 3. *& de processione Spiritus sancti, cap.* 1. adducit inquam illud eximius Doctor *tom.* 1. *in primam partem lib.* 7. *de proprietatibus personarum, cap.* 5. *num.* 7. *in fine*; sed vt iam dixi, & à grauioribus Doctoribus probatur antiquius est axioma illud Anselmo: sed cuiuscunque illud sit, iam recipitur ab omnibus: quod nihil aliud denotat, nisi quod in diuinis detur semper identitas realis exceptis his inter quæ datur relatio producentis, & producti: vnde Pater æternus distinguitur realiter à Filio, & Pater, & Filius distinguuntur realiter ab Spiritu sancto, quia Pater producit, & generat Filium, Pater autem, & Filius producunt, & spirant Spiritum sanctum: hoc axioma est fundamentum totius demonstrationis, quam Meta-



 physica

physica ab omnibus Doctoribus probatur euidenter existentia vnius Dei.

Omne quod recipitur ad modum recipientis recipitur : hoc axioma tradidit Aristot. 2. *Phys.* & 3. *de anima* : ad probandum omnem formalitatem receptam in aliquo subiecto, à quo educitur, & à quo dependet, debere esse in gradu subiecti, in quo est, & ideo omne quod dependet à materia prima tanquam à subiecto, & causa materiali, siue mediate, siue immediate est corporeum, & materiale, quia debet esse in eodem gradu cum materia prima quæ essentialiter est in gradu materiali, & ideo non explicatur propriè per nomen concretum, sed potius per nomen abstractum materia, quæ regula adeo vniuersalis est vt nullo modo patiatur exceptionem : vnde *libris de anima*, demonstratur à Philosopho spiritualitas animæ rationalis, quia neque mediate, neque immediate dependet in esse à materia prima : nam statim, ac poneretur dependens, necessario deberet poni materialis ; ex hoc manifestè colligitur, vnionem hypostaticam humanitatis Christi ad Verbum esse materialem & non spiritualem ; quia licet terminetur ad infinitam substantiam spiritualem, recipitur tamen, & causatur materialiter à re corporea, qualis est Christi ; è contra vero omne quod dependet tanquam à subiecto eductionis, & inhæsionis à re spirituali ; qualis est anima rationalis, vel Angelus, debet esse quid spirituale, etiam si terminetur ad rem materialem ; v. g. motus localis Angeli & vbi Angelicum sunt spirituales formalitates, quia subiectantur in substantia Angeli spirituali, & nihilominus terminatur ad locum corporeum : vnde dimanauit illud adagium ; vnaquæque res habet propria accidentia sui generis, quibus perficiatur ; itaque omnes formalitates quæ connaturali modo recipiuntur, & causantur ab aliquo subiecto, sunt in eodem ordine, ac est subiectum ; loquor de ordine vniuersalissimo corporis, & spiritus, quia si loquamur de gradu substantiali, non est verum ; quia accidentia dependent à substantia, & nihilominus non sunt entia substantialia, erit verum adagium si intelligatur de causa subiectiua, quæ primo, & per se ordinatur ad formam ; vnde quia materia prima primo, & per se essentialiter ordinatur ad formam substantialem, quæ causatur ab illa, forma illa non solum est materialis, sed etiam substantialis ; v. g. forma lapidis, animalis, & arboris. Item quia materia prima primo & per se ordinatur ad vnionem inter materiam & formam substantialem, & vnio illa causatur à tali materia, est materialis, & substantialis simul ; quod non habent accidentia, v. g. quantitas, qualitas, & reliquæ ; quia ad ipsas materia prima primo, & per se non ordinatur.

Data opera dixi, vt forma, & subiectum sint in eodem gradu, debere illam ab hoc connaturali modo causari propter qualitates, & formalitates supernaturales, quæ recipiuntur in anima, cum anima non sit supernaturalis, & ratio est, quia anima non concurrit passiuè naturali modo, sed potius supernaturali, & indebito ; omne autem quod causatur passiuè ab aliquo subiecto naturali connaturali modo, est naturale sicut subiectum.

Operatio sequitur esse, vel modus operandi sequitur modum essendi ; hoc axioma recipitur ab omnibus, & negatiuè debet explicari ; quod non possit operatio superioris ordinis manare à causa principali inferioris ordinis, & ideo actio substantialis non potest oriri vt à causa principali ab accidente, & actio spiritualis non potest oriri à causa materiali ; sicut neque actio supernaturalis à causa principali naturali : vnde actio, quæ est influxus positiuus non potest oriri à negatione primo & per se ; è contra autem benè potest actio accidentalis oriri à substantia : actio naturalis ab agente supernaturali ; sicut actio creata oritur à Deo, & ratio est quia potest dari causa principalis, quæ vocatur æquiuoca, quæ sit perfectior essentialiter effectu, & operatione, quos eminenter continet.

P

PRopter quod est vnumquodque tale semper, & illud magis tale est : hoc modo tradidit Aristoteles hoc principium 1. *Poster. cap.* 1. & 2. *Met. text.* 4. de quo latè egi *disputatione vltima Logicæ de principiis, quæst.* 5. *de quinto, sexto, & septimo communibus Logicæ principiis* ; videantur ibi dicta.

Posito impossibili sequitur quodlibet : hoc principium communiter circumfertur apud omnes, cuius sensus est, quod si supponatur aliquod ab intrinseco impossibile, ex tali suppositione posse concedi sine inconueniente quidquid voluerit arguens ; v. g. supponat aliquis, hominem manendo hominem esse irrationale, seu brutum animal potest concedere respondens ex tali suppositione idem simul posse esse, & non esse ; quod est maius omnibus absurdum, quæ reperiuntur à parte rei ; nam licet concessio simpliciter sit mala, nihilominus tamen supposito illo impossibili ab intrinseco, necessario sequitur id, quod conceditur ; vnde si datur aliquis defectus non in concedentem sed in arguentem, aut petentem vt concedatur tale impossibile, debet reuocari. Dixi impossibile ab intrinseco, quia si supponatur impossibile ab extrinseco, non sequitur quodlibet, sed tantum id quod connectitur cum tali impossibili ; v. g. in casu illo ab omnibus Theologis controuerso in mysterio Trinitatis ; an si Spiritus sanctus per impossibile non procederet à Filio, distingueretur ab illo ; concesso autem tali impossibili ab extrinseco, non debet respondens concedere quodlibet, videlicet quod Spiritus sanctus in eo casu distingueretur, & non distingueretur simul à Filio : sed solum debet concedere, quod distinguatur, vel debet negare distingui, accommodando se vel opinioni sancti Thomæ, vel Scoti ; quia in hoc casu etiam habent vim duo illa principia, quodlibet est, vel non est ; impossibile est idem simul esse, & non esse.

Possibili posito in actu nullum sequitur inconueniens ; hoc insinuauit Aristoteles 3. *metaphys.* vt conuinceret negantes illud principium, impossibile est simul &c. sensus huius axiomatis à Venerabili Beda his verbis ponitur, [ si propositio de possibili mutatur in suam de in esse, tunc sua de in esse non erit impossibilis, & pro vlteriori intellectu huiusce authoritatis est notandum adhuc, vt aliquæ propositiones possibiles ponantur in esse, requiri tres conditiones, prima conditio ; si aliqua propositio vniuersalis de possibili debeat poni in esse, non debet hoc fieri per vniuersalem, sed potius per singularem ; vt ista, omne producibile potest Deus producere ; non

non debet sic poni in esse producibile Deus producit, sed sic; hoc producibile Deus producit, & sic de aliis. Secunda conditio est, quando in propositione de possibili subiectum, & prædicatum repugnant, tunc ponendo illam in esse loco vnius extremi, debet poni pronomen demonstrativum; vt omne album potest esse nigrum, ponitur sic in esse hoc est nigrum demonstrando per ly, *hoc*, illud, quod prius fuit album. Tertia conditio est; quando in propositione de possibili ponuntur aliquæ terminationes, vel termini priuatiui, qui, vel quæ, in illa de in esse possunt facere aliquam repugnantiam, tunc ponendo illam in esse, tales terminationes sunt omittendæ, vt Socrates habens oculos potest esse sine oculis, ponitur sic in esse. Socrates est sine oculis. Sicut illa: Socrates potest cras legere; non potest sic poni in esse; Socrates legit cras, sed sic Socrates legit.] Hoc principio malè vtentes hæretici Vvicleph, & Petrus de Praga (sequentes Ciceronem, de quo ait D. Augustinus, vt faceret homines liberos, fecit sacrilegos; quia vt tueretur libertatis humanæ iura, labefactabat, & negabat scientiam Dei actuum liberorum) qui ex hoc principio colligebant, nullam præscientiam futurorum contingentium dari, neque Deum ab æterno posse efficaciter prædestinare; quia docebant ipsi, Deus prædestinauit ab æterno ad gloriam, & si Deus cognoscit futuros actus liberos vnum de duobus sequitur, aut homines non liberè operaturos aut scientiam, & prædestinationem Dei posse falli, quia si posita prædestinatione, & scientia, habet homo libertatem ad oppositum: ergo potest non facere quod scitur, & prædestinatur, quia libertas est posse facere, & posse non facere: ergo possibile est, quod non faciat id, ad quod prædestinatur &c. sed possibili posito in actu nullum sequitur inconueniens: ergo possumus sine inconueniente concedere, quod actu ponatur id, quod possibile est: sed id, quod possibile est, est oppositum obiecto scientiæ, & prædestinationis: ergo poneretur oppositum his, quæ Deus præscinit ab æterno, & prædestinauit; vnde falleretur præscientia, & frustraretur prædestinatio.

Si autem non potest poni oppositum his, quæ præscit, & prædestinat Deus: ergo supposita tali præscientia, & prædestinatione, non datur in voluntate potentia ad oppositum: ergo non datur libertas: ergo ex hoc principio sequitur, quod aut non detur libertas in homine, aut quod non detur scientia, & prædestinatio infallibilis in Deo; de hoc argumento fallaciæ hæreticorum egi latè *in materia de prædestinatione*, aguntetiam profundè & subtiliter P. Suarez, & Vazquez, ille *tomo de Deo, tractatu de prædestinatione & scientia, & in opusculis*; hic *tomo* 1. *in* 1. *partem, materia de prædestin. & scientia*; videantur ibi dicta, nunc autem breuiter vt sophisma hæreticorum diluatur; explico principium dicendo, nullum sequi inconueniens, quod possibile ponatur in actu; si tale possibile sit simpliciter, & nullo modo, neque ex suppositione sit impossibile; si autem licet sit simpliciter possibile, secundum quid sit impossibile sequitur inconueniens, quod ponatur, quia positio effectus non solum oritur, aut dimanat à potentia secundum se simpliciter præcisè sumpta, & nuda, sed potius à potentia simpliciter, & nullo modo, neque secundum quid impedita; cum autem supposita præscientia, & prædestinatione licet simpliciter sit possibile poni oppositum scientiæ, & prædestinationi, nihilominus ex suppositione consequentis sit impossibile poni oppositum, quod vocamus impossibile secundum quid, non possumus concedere sine inconueniente, quod ponatur de facto oppositum scientiæ, & prædestinationi; quia sequeretur idem simul poni, & non poni; de quo latius vbi supra, quæ non sunt hic repetenda, quia non sunt propria huius loci; quo discursu, & solutione in recta expositione principij optimè conciliantur libertas nostra cum infallibilitate scientiæ, & prædestinationis diuinæ, & perfectio vtriusque.

Passio sequitur actionem; hoc axioma sine Patre, & Matre, hoc est sine auctore circumfertur communiter, cuius sensus est, passionem esse eiusdem gradus, & ordinis cum actione, quia identificantur inter se; vt probatur latè *prædicamento de actione*.

Q

QVæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; hoc principium docet Aristoteles pluribus in locis 1. *lib.* 1. *poster. cap.* 2. *secundo* 3. *met. cap.* 4. *& tandem.* 7. *lib. Thopicor. cap.* 1. inter locos arguendi *loco* 4. vbi docet esse locum communem vt probemus, formam syllogisticam & quæ sint eadem inter se, verba Aristotelis sunt; rursum considerandum, si cui alterum idem, & alterum; nam si non sunt ambo eidem eadem, manifestum est, nec sibi invicem: sensus huius principij est, vt inquit D. Thomas super librum supra citatum *de Posterior. resolut. lect.* 3. quod quando duo extrema habent identitatem cum vno medio, seu tertio, necessario debent habere identitatem inter se v. g. rationale, & risibile identificantur realiter cum homine, & ideo est verum dicere, homo est risibilis, homo est rationalis; & econtra, necessario sequitur, vt rationale, & risibile, quæ identificantur in homine, identificentur inter se, vnde quia est verum dicere, rationale est homo, risibile est homo, est etiam verum dicere, risibile est rationale.

Quia communiter vocatur hoc principium fundamentum totius formæ syllogisticæ, asseritur etiam communiter nullo modo posse falli, neque in creatis, neque in increatis; quia in hac, & in illa parte habet suam vim forma syllogistica: ergo tam hic quam ibi debet consistere cum tota veritate fundamentum illius, alias si in diuinis, vbi persistit forma syllogistica falleretur principium, aut deficeret, sine dubio posset ædificium existere sine fundamento, quod est absurdum. Cum autem in diuinis videatur falli hoc principium, quia nostra fideles docet, Patrem esse Deum, & Filium esse Deum, ac proinde Patrem, & Filium identificari in vna indiuisibili essentia singulari, nihilominus docet Patrem, & Filium nullo modo identificari realiter inter se, sed potius distingui realiter: ecce quomodo duæ personæ identificantur in tertio, & nihilominus non identificantur inter se: ergo hoc principium quod immediatè videtur opponi veritati fidei non debet vniuersaliter intelligi, & explicari in tota latitudine entis, sed potius falli in diuinis, licet habeat suam veritatem in creatis.

Vt autem hæc omnia concilient auctores, & principij veritatem indemnem conseruent, varias explicationes illius in medium proferunt.

§

*Scoti explicatio ponitur, & refellitur.*

SCotus *in* 1. sic ait: quæ ita sunt eadem vni tertio, vt ab illo nec realiter, nec ex natura rei distinguantur, etiam esse idem inter se; quæ vero ita identificantur vni tertio, vt ab eo ex natura rei modaliter, vel formaliter distinguantur, posse distingui realiter inter se; cum autem personæ diuinæ, & relationes, licet identificentur realiter cum essentia, distinguantur ex natura rei formaliter ab illa, distinguuntur realiter inter se, & non identificantur; hæc solutio Scoti, vt ait Pater Vazquez, & confirmat Pater Ruiz, quos sequitur Pater Granado in supposito est hæresis, vel error Gilberti Porretani, & ideo omnino rejicienda tanquam falsa in suppositione, adhuc tamen concessa suppositione perperam explicat illud principium; vnde tam suppositum solutionis, quam ipsa solutio debet impugnari.

Primò enim oppugno falsitatem illam, quam supponit Scotus dicendo, personas, & relationes distingui ex natura rei ab essentia diuina; & primo quia hæc sententia immediatè, & contradictoriè opponitur definitioni Concilij Lateranensis, quæ sic se habet: [Patrem Filium, & Spiritum sanctum esse idem omnino, quoad essẽtiam;] vbi notanda est particula illa, idem omnino, quæ dupliciter potest explicari, aut exponi. Primo vt significet, habere omniidentitatem personas cum essentia; quia particula, omnino, æquipollet nomini, omnis, & omne; vnde quando dicitur in Deo, Deus est omnino potens, Deus est omnino Sanctus, Deus est omnino sapiens, ac tandem Deus est omnino vnus, & simplex; idem est, ac Deus habet omnipotentiam, omnisapientiam, omnisanctitatem, & omnisimplicitatem: ergo si Concilium Lateranense docet personas, & relationes esse omnino idem cum essentia, concedit omniidentitatem cum illa: atqui Scotus tribuit, vel affirmat, inter diuinitatem, & personas dari aliquam non identitatem à parte rei formaliter inter personas easdem, & eandem diuinitatem, quia asserit dari aliquam distinctionem formaliter: sed aliqua distinctio est aliqua non identitas; vnde distinctio realis simpliciter est non identitas realis & distinctio modalis est non identitas modalis. Ita similiter distinctio formalis ex natura rei erit non identitas formalis ex natura rei: sed non identitas formalis ex natura rei est aliqua non identitas: ergo Scotus, qui concedit non identitatem formalem ex natura rei, concedit aliquam non identitatem inter personas, & essentiam diuinam; vnde est verum dicere inter personas diuinas, & essentiam est aliqua non identitas: sed aliqua non identitas est contradictorium omniidentitatis: ergo Scotus concedit contradictorium, vel propositionem contradictoriam definitioni Concilij Lateranensis; v. g. si aliquis concederet aliquam non sapientiam in Deo, concederet contradictorium omnisapientiæ, & qui concederet aliquam non simplicitatem in Deo, concederet contradictorium omnisapientiæ diuinæ, & ratio est manifesta; quia contradictoriæ propositiones sunt illæ quæ sunt eiusdem de eodem, & vna est vniuersalis affirmatiua, & altera est particularis negatiua vt omnis homo est albus, aliquis homo non est albus: sed hæ propositiones, in Deo est omniidentitas inter personas; in Deo est aliqua non identitas inter personas, sunt duæ propositiones eiusdem de eodem, vna vniuersalis affirmatiua, & altera particularis negatiua: ergo sunt contradictoriæ: sed affirmare propositionem contradictoriè oppositam alicuius Concilij definitioni, est hæreticum apertè: ergo.

Vel sensus illius est, quod Deus sit omnimodo idem cum personis; quia omnino, & omnimodo sunt synonyma: sed Scotus concedit, aliquomodo non esse idem Deum cum personis: ergo concedit contradictorium definitionis Concilij Lateranensis, patet consequentia, quia hæ sunt contradictoriæ, Deus est omnimodo idem cum personis, Deus aliquomodo non est idem cum personis: sed Concilium Lateranense definit, Deum esse idem omnimodo cum personis, & Scotus asserit, Deum aliquomodo non esse idem cum personis; quia concedit aliquomodo distingui, id est formaliter ex natura rei, & aliquomodo distingui est aliquomodo non esse idem: ergo contradictorium Concilij Lateranensis concedit Scotus. Sed sine expositione vlla idem inconueniens sequitur; nam Deum esse omnino idem cum personis, & Deum non esse omnino idem cum personis pugnant contradictoriè; sicut hæ propositiones, Deus est omnino sapiens, Deus non est omnino sapiens, & hæ Deus est omnino simplex, Deus non est omnino simplex: sed Concilium Lateranense in illis verbis [non tamen aliud, sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus idem omnino, vt secundum Ortodoxam & Catholicam fidem consubstantiales esse credantur;] definit Deum esse omnino idem cum personis, & Scotus, & Scotistæ docent, Deum non esse omnino idem cum personis: ergo propositio Scotica contradictoriè opponitur definitioni Concilij Lateranensis; quod autem Scotus dicat, Deum non esse omnino idem, patet manifestè; quia illud non est omnino idem, quod habet aliquam distinctionem, vel quod est aliquomodo non idem: sed id, quod distinguitur aliquomodo, aliquomodo non est idem, vt patet ex dictis: ergo Scotus, qui concedit Deum aliquomodo distingui, docet non esse omnino idem cum personis; v. g. si Scotus concederet aliquam compositionem formaliter ex natura rei inter Deum, & personas, sine dubio concederet, Deum non esse omnino simplicem; sicut si Scotus concederet in Deo aliquam ignorantiam formaliter ex natura rei, & aliquod peccatum formaliter ex natura rei, sine dubio deberet dicere, Deum non esse omnino simplicem, omnino sapientem, omnino sanctum, & omnino perfectum; quia id est omnino tale, quod est summè tale, & omnimodo tale; & quod est huiusmodi nihil oppositi in se admittit; cum autem ignorantia sit opposita sapientiæ, malitia sanctitati, compositio simplicitati, inde est, quod id, quod est omnino sapiens, nihil debet habere ignorantiæ, & cum malitia aliqua non compatitur omnis sanctitas, quapropter, qui concedit aliquam ignorantiam, malitiam &c. debet asserere non esse omnino sanctum, summè sapientem omnino, ac summè simplicem Deum; atqui Concilium Lateranense definit Deum esse omnino idem cum personis, & habere summam identitatem cum illis: ergo definit nihil oppositi identitatis reperiri in Deo respectu personarum: sed oppositum identitatis est distinctio; sicut oppositum simplicitatis

citatis compositio, & oppositum sapientiæ ignorantia &c. ergo definit in Deo nullam dari distinctionem à parte rei inter Deum & personam; vnde sicut æquipollent hæ propositiones, Deus omnino est sapiens, Deus nullo modo est ignorans, Deus omnino est sanctus, Deus nullo modo est peccans, Deus omnino est simplex, Deus nullo modo est compositus, ita æquipollent hæ propositiones, Deus est omnino idem cum personis; Deus nullo modo distinguitur ab illis: ergo si Concilium docet Deum esse omnino idem cum personis, & habere summam vnitatem, & identitatem cum illis, euidenter docet, nullam distinctionem habere à personis & respectu illarum; atqui Scotus concedit aliquam distinctionem inter Deum & personas: ergo propositio Scotica contradictoria est propositioni Concilij Lateranensis; patet consequentia, quia hæ sunt propositiones contradictoriæ; inter Deum, & personas nulla est distinctio; inter Deum & personas est aliqua distinctio: sed illa prima propositio est definitio Concilij Lateranensis, & hæc secunda est Scotica: ergo definitio Concilij Lateranensis, & propositio Scotica sunt propositiones contradictoriæ immediatè, & maximè oppositæ.

Quod autem Concilium Lateranense *capite Damnamus*, definiat, non solum diuinitatem habere omnino identitatem, sed etiam summam vnitatem cum personis, patet ex §. *Nos*, ibi: [nos autem sacro approbante Concilio credimus & confitemur cum Petro, quod vna quædam summa res est incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earundem: ] ergo.

Secundò probatur hæc veritas ex Concilio Florentino *sess.* 18. & 19. in quibus communi consensu Latini, & Græci approbante Concilio frequenter docent omnem identitatem in re inter diuinitatem, & personas, his verbis [ diuina substantia, & persona re quidem sunt idem: ] ergo nulla est distinctio inter diuinitatem & personam.

Dices cum Scoto, illam particulam, re, solum denotare identitatem realem, non autem omnem identitatem etiam ex natura rei.

Sed contra manifestè; quia particula, re, & à parte rei, quæ synonima sunt, sunt vniuersaliora particulis realiter, & ex natura rei; vnde non solum significant realiter, sed etiam extenduntur ad omnem identitatem; vnde Deus cum diuinitate re identificatur; quia tam realiter, quam ex natura rei habent identitatem; quod à contrario sensu patet; nam licet modus non distinguatur realiter à re, nihilominus dicitur distingui a parte rei, & re ab eo, cuius modus est; nam particula, re, & à parte rei, excludit solum fictionem intellectus, & comprehendit quamcunque rationem sine fictione existentem: ergo si Concilium Florentinum decernit diuinitatem identificari, re, cum persona, talis definitio, aut decretum non debet coarctari ad solam identitatem realiter, sed etiam debet extendi ad omnem identitatem à parte rei; quia illa particula, re, ponitur in propositione, quæ simul definit, & docet, ac proinde in propositione doctrinali; sed propositio doctrinalis habet sensum vniuersalẽ, vt v.g. homo moritur & quasi aqua dilabitur, quia est propositio doctrinalis nõ debet coarctari ad hunc, vel illum hominem, sed ad omnem: ergo similiter definitio illa concilij, quia doctrinalis est [ diuina substantia, & persona, re quidem sunt idem ] non debet coarctari ad identitatem aliquam, videlicet realem, sed potius debet extendi ad omnem identitatem siue realem, siue ex natura rei, siue à parte rei; præcipuè quia Concilium Florentinum concordat cum Lateranensi, & in Lateranensi ponitur omnino idem, vbi vniuersalis identitas decernitur ratione illius particulæ, omnino, & propter quam si Catholicè loquendum sit, non potest coarctari ad solam vnam identitatem, videlicet realem, quia si hoc posset fieri pro libito vniuscuiusque, nulla regula stata, & certa haberetur ad cognoscenda, & intelligenda decreta Conciliorum; quia alius pro suo libito posset etiam dicere, tam in Concilio Florentino, quam Lateranensi solum concedi identitatem realem, & non damnari distinctionem modalem quam videbatur asserere Durandus; sed certissimum est, non posse quemcunque ad libitum propositiones vniuersales Conciliorum, & definitiones doctrinales ad particulares sensus coarctare; sed potius intelligendas esse vt sonant secundum totam vniuersalitatem, quam exigit tum doctrina Catholica, & œcumænica, cuius sinonymum est, vniuersalis, tum particula omnino, quæ vniuersalis etiam est, ne ansa tribuatur erroribus & aditus patefiat hæresibus.

Secundo efficacius, & euidentius sic insurgo contra Scotum; quia Concilium Florentinum concordans cum Lateranensi, & definiens dari identitatem vniuersalem, seu omnino talem inter diuinitatem, & personas, ac proinde omnem distinctionem excludentem; solum excipit distinctionem rationis, his verbis. [ Diuina substantia, & persona re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectionis nostræ differre videntur; nam persona ex substantia, proprietatibusque consistit, quæ tametsi ratione, ac secundum intelligentiam nostram differant. ] Ecce quomodo Concilium negans distinctionem re, solutum excipit distinctionem rationis: atqui exceptio firmat regulam in contrarium vt est commune Iurisperitorum axioma, & ita firmat regulam in contrarium, vt omne præter illud, quod excipitur, regulæ tribuat: ergo si per Concilium Florentinum ita identificatur Deus cum personis, vt solum ratione, & per intellectum differat ab illis, euidenter sequitur ex Concilio Florentino, & Lateranensi, ita identificari diuinitatem cum personis, vt nullo modo à parte rei, seu ex natura rei distinguatur ab illis: sed solum ratione, cuius argumentum euidens est, quod si Concilium cognosceret, distingui etiam ex natura rei, aut non damnaret omnem distinctionem etiam ex natura rei, sine dubio exciperet illam vt excepit distinctionem rationis; quia non est credibile, quod Concilium doctrinam vniuersalem tradens de identitate, & memoriam habens excipiendi tam minimam distinctionem, ac est rationis; nullo modo meminisse excipere distinctionem maiorem, qualis est distinctio formalis ex natura rei: ergo euidenter sequitur, non ideo non excepisse illam, quia oblitum est, aut quia nihili fecit illam, cum vtrumque non possit dici. Primum quia Concilium illuminatum reuelatione Spiritus sancti infinita sapientia diuina circumfusum, dum data opera agit de iden-

titate diuina, & data opera definit, dari vniuersalem identitatem, non potest tam notabilis rei, dum recordatur de distinctione rationis, obliuisci; neque secundum, quia minor est distinctio rationis, quam distinctio ex natura rei; atqui licet distinctio rationis minor sit alia, recordatur illius, & non relinquit illam innominatam, nihili faciens illam: ergo à fortiori non deberet relinquere maiorem distinctionem, quia nihili faceret ipsam: ergo euidenter sequitur, illam comprehendere sub regula generali, & damnasse tanquam hæreticam sententiam docentem dari distinctionem ex natura rei in diuinis inter diuinam naturam & personas; alias vt excepit solam distinctionem rationis exciperet etiam distinctionem ex natura rei à regula generali.

Dices, licet distinctionem rationis exceperit *sess. illa* 18. *post medium. §. diuina substantia*, non tamen excepisse solam illam, quia huiusmodi termino, solus, sola, solum; non est vsum Concilium.

Sed contra manifestè primò, quia etiam si non vtatur Concilium hoc termino; solus, sola, solum, ibidem nominando eum in actu signato, in actu exercito vti videtur eo manifestè, quia excipiendo distinctionem rationis, & non exceptuando aliud, denotat se solum excipere velle talem distinctionem, siquidem tam facile poterat excipere aliam si voluisset, sicut excepit distinctionem rationis: atqui in exceptione solius meminit huius distinctionis, & non alterius; ergo euidenter sequitur, solam illam excipere in actu exercito, etiamsi in actu signato non vsum fuerit huiusmodi termino, solus, sola, solum.

Secundo & euidentius, quia licet ipsum Concilium *sess. illa* 18. non vsum fuerit tali termino, solus, nihilominus tamen *sess.* 25. *colum.* 5. § *quibus Latini, propè finem*, vtitur expresse illo, excipiendo distinctionem rationis, ibi: [ nec identitatem coniunctionemque diuinæ substantiæ distribuere, ac ipsam eandem substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasibus, & personis differre excedere videamur &c. ] Ecce clarissimè concedendo, nullo modo distingui re diuinitatem à personis, asserit distingui sola ratione ab ipsis: ergo euidenter, & manifestè sequitur, omnem distinctionem à parte rei tam realem, quam modalem, ac tandem quam formalem ex natura rei à diuinitate respectu personarum penitus excluisse sub anathemate Concilium Florentinum decreto fidei, & definitione sua.

Neque vllus Catholicus potest dicere, ignorasse Concilium talem distinctionem etiam si daretur; non enim hoc potest dicere, quia ausu temerario, & diabolico, ac petulanti, & superbo animo talia verba profunderet, quia hic loquimur de Concilio definiente tanquam articulum de fide doctrinam omnem necessariam ad identitatem Dei pertinentem inter diuinitatem & personas; atqui tale Concilium vt sic definiens, decernit articulos fidei diuina reuelatione illuminatum, & non scientia humana, sed diuina assistente, & diuino numinis afflatu concitante, obumbranteque Spiritu sancto; quia tunc Ecclesia Catholica, & Concilium fungitur munere regulæ infallibilis: ergo dicere quod Ecclesia ignorauerit talẽ distinctione in est asserere, Deum ignorare illam, cuius scientia sola, & assistentia infallibili gubernatur Ecclesia; sed hoc dicere est hæreticum, absurdum: ergo nullus Catholicus potest dicere, Concilium Florentinum ignorasse talem distinctionem ex natura rei; ex quo amplius confirmo dicta; aduertendo affirmare distinctionem in diuinis, quam nunquam cognouit Ecclesia Catholica neque fides, esse omnino chimæricum, phantasticum & sine vllo fundamento, & indignum omnino vt à viro Catholico affirmetur, & doceatur.

Sed concedamus casu negato, & dari talem distinctionem, & non cognouisse eam Concilium, saltem non potest dici, quod Deus non cognouerit illam, nisi insaniæ tenebris offundantur aduersarij; tunc enim Deus cognoscens talem distinctionem, ita deberet gubernare Concilium, vt non proferret propositionem vniuersalem, negantem omnem distinctionem à parte rei, confirmatam exceptione solius distinctionis rationis; sed potius deberet facere, vt Ecclesia in particulari, & determinate damnaret distinctionem realem simpliciter, quia non ita faciendo, permitteret Ecclesiam errare; siquidem vtendo tali propositione vniuersali, sub qua non comprehenditur distinctio ex natura rei, falsò loquitur Ecclesia, quia tunc est falsa propositio vniuersalis, quando sub illa non comprehenduntur cum veritate omnia particularia, v. g. si aliquis diceret, nullus homo saluatur, aut omnis homo condemnatur, essent falsæ propositiones; quia aliquis homo saluatur, & aliquis non condemnatur; nam ad veritatem vniuersalis propositionis requiritur veritas omnium particularium, & singularium, & ad falsitatem; & è contra sufficit, quod vna particularis falsificetur; sed Ecclesia in Concilio Lateranensi, & Florentino decernit has propositiones vniuersales; omnis identitas datur inter diuinitatem, & personas, & nulla distinctio reperitur inter ipsas, præter distinctionem rationis: ergo si datur aliqua alia distinctio, præter distinctionem rationis, & aliqua non identitas a parte rei: ergo licet non mentiatur Ecclesia in tali doctrina vniuersali, quia ad mentiendum est necessaria cognitio oppositi, quod profertur; mentiri enim vt inquit Augustinus *libro de mendacio*, est contra mentem ire, aut contra cognitionem mentis aliquid proferre; nihilominus tamen falsam doctrinam decerneret, si quidem docet vniuersaliter nullam dari distinctionem, præter rationis; cum detur aliqua alia præter illam, videlicet formalis ex natura rei, & asserat dari omnem identitatem cum non detur identitas ex natura rei formaliter; sed summum absurdum est dicere & intolerabilis temeritas proferre, Ecclesiam vniuersalem & Catholicam, Summo Pontifice præsente Spiritu sancto assistente, & obumbrante dum accedit ad definiendam veritatem Catholicam, ignorare quod definiat, & falsam doctrinam decernere: ergo sine dubio asserendum est, talem doctrinam vniuersalem esse verissimam, & non falsam, & oppositum illius esse apertè falsum, & hæreticum: atqui oppositum contradictorium illius est asserere, vt asserit Scotus & docent Scotistæ, non dari omnem identitatem inter diuinitatem, & personam, & dari aliquam distinctionem scilicet ex natura rei formalem: ergo.

Tertio, sic probatur hæc veritas aduertendo, nullius momenti esse obiectionem illorum, qui asserunt, Concilium Florentinum non habuisse pro primario intento definire omnem identitatem inter diuinitatem, & personas; sed solum

processio

processionem Spiritus sancti à Patre, & à Filio.

Tum quia in tali Concilio primario non solum agebatur de processione Spiritus sancti à Patre, & à Filio, sed etiam de innumeris mysteriis fidei, vt patet ex literis vnionis, vbi fit epilogus omnium articulorum fidei, qui data opera definiti sunt in illo Concilio, inter quos data opera etiam agitur de identitate diuinitatis cum personis: ergo falsa est solutio, & nullius momenti aduersariorum obiectio; tum etiam & casu negato; quia quamvis primarium institutum illius Concilij non fuisset, identitatem, aut distinctionem supradictam definire, tanquam de fide, nihilominus tamen quia necessario cohærebat cum processione Spiritus sancti à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, quæ primario definienda erat, ideo prædictæ omni identitati à parte rei adscribitur summa, & infallibilis auctoritas.

Tum denique, & euidentius; quia licet in Concilio Florentino aliter eueniat, nihilominus tamen non potest negari vllo modo primarium intentum, & præcipuum finem definitionum Concilij Lateranensis *capite Damnamus*, vbi expressius & clarius decernitur omniidentitas diuina, & excluditur omnis distinctio à parte rei, fuisse supradictam identitatem vniuersalem definire ad condemnandum libellum Ioachimi Abbatis data opera negantis summam identitatem Dei cum personis: ergo saltem in hoc Concilio quidquid sit de aliis, definitum est tanquam de fide primario ac principaliter, inter diuinitatem, & personas dari omnem identitatem sine vlla distinctione, siue reali, siue modali, siue ex natura rei formali excepta distinctione rationis.

Quartò probatur principaliter; ex Concilio Remensi, & decreto Eugenij tertij, in quo definitum est contra Gilbertum Porretanum nullam posse affirmari distinctionem tam realem, quam ex natura rei, & formalem; nam Gilbertus Porretanus relationes diuinas ab essentia non distinguebat vt rem à re, sed quasi modum, aut formalitatem à re, nihilominus oppositum decernit Concilium Remense his verbis; [credimus solum Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum æternum esse; nec aliquas omnino res, siue relationes, siue singularitates vel vnitates dicantur, & huiusmodi alia in Deo esse, quæ sint ab æterno, & non sint ipse Deus.] Et ne aliquis diceret ibi loqui Concilium de solis rebus; Eugenius tertius habito prius Remensi Concilio, & adhibito postea Concilio Cardinalium contra Gilbertum definiens, his verbis solutioni nuper dictæ penitus aditum occludit: [nec aliqua ratio Theologica inter naturam & personam diuideret, neve Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiui tantum, sed etiam ex sensu nominatiui.] Quid clarius? Cuius distinctionis primum membrum accipitur iuxta modum loquendi Aristotelis, & Peripateticorum 1. *Periherm. cap.* 1. & 3. *de anima, text.* 21. & 6. *metaphys. text.* 8. apud quos intellectus, siue rationis compositio, & diuisio idem est, quod affirmatio, & negatio; quapropter idem est, ac si Pontifex definiret, neque ratio Theologica negaret naturam esse personam, aut personam esse naturam propter aliquam distinctionem etiam minimam, quæ à parte rei detur, qualis est formalis ex natura rei, sed potius concederet quod Deus, & Pater est omnino idem cum essentia, ac proinde est diuina essentia in nominatiuo, accipiendo essentiam perinde ac si diceret Pater non solum est Deus deitate, sicut Petrus humanitate est homo, sed etiam Pater est deitas, licet Petrus non sit humanitas; refugiebat enim Gilbertus concedere, quod diuina essentia esset persona, vel esset Pater omnino; quia concedebat aliquam distinctionem inter essentiam & relationem saltem formalem vel formalitatis à re: sed eodem modo procedunt Scotus & Scotistæ: ergo eodem modo damnantur, ac Gilbertus à Concilio. Minor sic demonstratur; quia Scotus ait, rectam rationem Theologicam diuidere inter essentiam, & relationes; è contra vero Concilium Remense definit contra Gilbertum, nullam rationem Theologicam diuidere inter naturam, & personam illis verbis: [nec aliqua ratio Theologica inter naturam, & personam diuideret.]

Deinde Scotus adstruit distinctionem rationum formalium ex natura rei inter essentiam, & personas; quod etiam faciebat Gilbertus Porretanus; Concilium vero Florentinum prorsus excludit omnem distinctionem ante intellectum: ergo Scotus, & Scotistæ incidunt in incommoda, in quæ incidit Gilbertus, ac tam immediatè opponuntur definitioni Concilij, sicut opponitur doctrina Gilberti, & ideo grauissimi Doctores, præter supradictos, Valentia, Zumel, Arrubal, & alij omnino explodendam esse doctrinam Scotistarum asserunt, tanquam parum tutam in fide; accedat his Conciliis Augustinus 7. *de Trinit. cap.* 4. & *cap.* 6. ibi: [non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem.] Ecce quomodo Augustinus eisdem terminis loquitur ad declarandam omnem identitatem diuinam sine vlla distinctione etiam ex natura rei; quibus vtitur Concilium Lateranense, *cap. Damnamus*, & post pauca sic ait: [neque in hac Trinitate cum dicimus, personam Patris, aliud dicimus, quam substantiam Patris; quia tres personas vnam essentiam dicimus, tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit, quod essentia est, aliud quod persona.] Similia multa dicit *lib.* 15. *cap.* 6. & Bernardus oppugnans Gilbertum *lib.* 5. *de consideratione ad Eugenium*, sic ait: [si diuidere quis conetur, vel personas à substantia, vel proprietates à personis, nescio quomodo Trinitatis se profiteri cultorem possit, qui in tantam rerum numerositatem excesserit.] Diuidere autem Bernardus intelligit pro aliquomodo distinguere à parte rei; quia tali distinctione, quæcumque sit, sacrosanctum, & inscrutabile profundum mysterium Trinitatis ferè totum coæquatur rebus creatis, earumque regulis, & principiis, si personalitates à deitate distinguuntur ex natura rei, & ante opus intellectus, & hoc sonant illa verba Bernardi, [si diuidere quis conetur, &c.] vsque ad illa, cultorem possit.

Sequela sic probatur, quia eandem quantitatem modificant vbi, extensio, figura, quia non vt res à re, sed vt modi à re, seu formaliter ex natura rei distinguuntur à quantitate, formalitas enim illius est actualis inhærentia, vbicatio, raritas, densitas, & figura; propterea tamen non violatur principium illud, & lex creaturis omnibus inuiolabilis; [quæcumque sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se.] Ergo præcise ex vi huius principij, nec non ex vi formæ syllogisticæ, nihil

aut

aut certè parum erit in Trinitate mirabile, superexcedensque limitationem creaturarum, si tres proprietates personales distinguuntur ex natura rei ante opus intellectus: ergo hæc distinctio destruit mysterium Trinitatis: patet consequentia, quia mysterium Trinitatis in eo consistit, quod tres res sint vna res omnino, seu quod tres personæ sint omnino idem quod vna essentia diuina & tria suppositа realiter distincta; eo autem ipso, quod diuinæ relationes sint actu ante intellectum, aliqua distinctione distinctæ ab essentia, non vere dicuntur tres res esse vna res, nec tres personæ diuinæ idem omnino, quod Deitas; quia quæcunque distinctio destruit omni modam identitatem, vt patet ex dictis, qua excluſa parum sublime est mysterium, nec dignum his præconiis, quibus sancti Patres illud commendant ipsumque à nostra, imo & Cherubinorum sapientia longe remotissimum profitentur.

Tandem sic demonstratur hæc veritas, quia vt certum est in Logica, & in bona Metaphysica non sunt veræ propositiones illæ, in quibus abstracta prædicantur de concretis, vel de aliis abstractis, vel concreta prædicantur de abstractis; quando nominum significata distinguuntur ante operationem intellectus etiamsi distinguantur ex natura rei; sed secundum fidem Catholicam abstracta essentiæ diuinæ prædicantur de personis in concreto: & relatio, seu personalitas in abstracto prædicatur non solum de diuinitate, siue essentia in abstracto; sed etiam de Deo in concreto: ergo in vnoquoque prædictorum extremorum nihil includitur, quod realiter distinguatur ab altero extremo neque realiter, neque ex natura rei formaliter. Maior à priori sic demonstratur; quia pars non prædicatur de toto, neque id, quod se habet ad modum partis videlicet entitatis coniunctæ cum alia ante intellectum seu à parte rei, & ex natura rei distincta; imo ad veritatem huiusmodi prædicationum non sufficit realis identitas, sed potius requiritur formalissima identitas; quia abstracta, quæ prædicantur, non continent sensum solum identicum, sed formalem; quia formalissimæ rationes sunt, & ideo licet in diuinis sit verum dicere, qui misericors est, punit, & qui iustus est, misereatur, nihilominus tamen in abstracto non dicuntur iustitia misereatur, & misericordia punit, imo in concretis si reduplicatiuè sumantur non est verum dicere, misericors vt misericors punit, iustus vt iustus misereatur, & ratio est, quia continent sensum formalissimum propositiones de abstractis, & reduplicatiuæ; vnde quando sunt de Verbis adiectiuis, quia non solum formalissime sunt à parte rei, sed etiam per intellectum, quales sunt nuper dictæ, non solum petunt ad sui veritatem, & vt prædicentur ad inuicem identitatem formalem à parte rei, sine vlla distinctione à parte rei, sed etiam identitatem formalem per intellectum, & ideo in nullius sententia sunt veræ hæ propositiones, Pater est diuinitas, sed diuinitas non generat: ergo Pater non generat, quia licet dicant identitatem omnimodam à parte rei, nihilominus tamen virtualiter distinguuntur & formaliter per intellectum; vnde vt essent veræ illæ argumentationes, necesse erat, vt tam re, quam ratione concreta, & abstracta identificarentur; è contra vero ad verificationem prædicationum de verbo substantiuo inter abstracta, & concreta, licet non requiratur idẽtitas adhuc per rationem, nihilominus tamen requiritur formalissima identitas à parte rei propter formalissimum sensum quem continent abstracta, in quo distinguuntur à concretis, & ideo licet concreta prædicentur propter solam identitatem materialem, v.g. cum dicimus, quantitas figurata, est quantitas vbicata; nihilominus tamen in abstracto non possunt prædicari; v. g. figura quantitatis est vbi quantitatis, aut quantum est figura; quia tales prædicationes petunt sensum formalissimum; ac proinde identitatem formalissimam provt significatur per copulam verbi substantiui, & propter hanc causam, licet sit verum dicere; homo est rationale, & rationale est animal, nihilominus tamen non est verum dicere, homo est rationalitas, rationale est animalitas, quia in illis non datur identitas formalissimè à parte rei seu ex natura rei; quia si illa daretur, sine dubio locum haberet prædicatio abstracti de concreto, & concreti de abstracto quod euidenter patet in hac prædicatione, entitas est ens, ens est entitas, quæ in omnium sententia verificantur; quia inter illa datur omnis identitas sine vlla distinctione à parte rei; sed in diuinis cõcreta de abstractis, & abstracta de concretis cum veritate prædicantur: ergo euidenter sequitur contra Scotum dari inter concreta & abstracta in diuinis omnem identitatem à parte rei sine vlla distinctione formali ante intellectum

Minor illa, in qua difficultas consistit, sic probatur ex Scriptura, & Conciliis; in Concilio enim Lateranensi, *cap. Damnamus*, dicitur [ quælibet trium personarum est illa res videlicet substantia, essentia, seu natura diuina. ] Ecce persona, quæ est concretum, prædicatur de natura diuina, aut diuinitate, quæ est abstractum. Item Nissenum Concilium *lib. 2. colum. 8. §. sancta, & magna*, sic loquitur; [ diuinitas non est sola vna persona, sed tres personæ verè subsistentes ] *& Ioannis 14.* dicitur; ego sum veritas, & vita, quæ abstracta diuinitatis, & essentiæ sunt, & tamen prædicantur de persona Verbi, quam designat pronomen, ego, vbi licet plerique Patres explicent, Christum Dominum esse auctorem cognitionis, & gratiæ, quæ nobis est æterna vita; propterea tamen non excluditur primarius sensus; vnde prouenit ille secundarius, etenim ex eo quod Verbum, seu persona Christi Domini sit realiter, & substantialiter veritas, & vita, prouenit esse auctorem veritatis, & vitæ communicandæ Angelis, & hominibus.

Item Sanctus Iacobus Apostolus apud Clementem *libro 8. Apostolicarum constitutionum, cap. 12. prope initium*, Deum Patrem ingenitum sic alloquitur, [tu es cognitio sine principi, adspectus æternus, auditus non generatus, sapientia non tradita à Doctore, & lex eo ipso quod es. ]

Deinde Filium vnigenitum appellat sapientiam Dionysius *de diuinis nominibus, cap. 2. à principio*, de Patre, Filio, & Spiritu sancto collectiuè sumptis prædicat essentiam, sapientiam, bonitatem, & potentiam in abstracto; similiterque loquitur *cap. 4. 5. & 6.* notatque rationem esse; quia Deus à seipso prædictas perfectiones habet; non ab alio participatas, nec ab habente distinctas, quam rationem sequutus est D. Thomas ad probandum relationes esse omnino idem sine distinctione cum essentia; quia diuina essentia est in omni genere entis perfectissima, continetque proinde omnem perfectionem, aut eminenter,

nenter, si sit admixta imperfectione, vt sunt perfectio creaturarum, aut formaliter, si imperfectionem non habeat, vt re vera non habent relationes diuinæ. Deinde hæc continentia non potest esse solum, quia habet huiusmodi perfectiones sibi vnitas, licet ab illa distinctas, sic enim entitas ipsius essentiæ non esset formaliter omnino perfecta: sed quasi indigeret aliis entitatibus à se formaliter ex natura rei distinctis, quibus perficeretur, & saltem dubitari non potest, quin multo perfectior sit illa res, quæ in sua entitate independenter ab alia distincta habet omnem perfectionem possibilem: atqui essentia diuina est summè & infinitè perfecta non solum realiter, sed etiam ex natura rei, id est ex natura propriæ excellentiæ, & eminentiæ: ergo relationes illæ, quæ sunt perfectiones non solum debent identificari cum diuina essentia realiter, sed etiam ex natura rei sed ea, quæ identificantur, eo modo, quo identificantur, non distinguuntur inter se: ergo si relationes identificantur non solum realiter, sed etiam ex natura rei cum essentia; neque realiter, neque ex natura rei distinguentur ab illa; illa consequentia patet; quia ideo diuina essentia est idem realiter cum relationibus, & cum omnibus perfectionibus formaliter existentibus in Deo, quia diuina essentia realiter est summè, & infinite perfecta à se, & per se, quia est talis simplicissimè per suam ipsam entitatem realem: atqui diuina natura non solum realiter, sed etiam ex natura sua formalissimè, ac proinde ex natura rei est infinitè perfecta: ergo non solum realiter sed etiam formaliter ex natura rei, & ex natura sua est idem cum omni perfectione formaliter existente in ipsa, quales sunt relationes, & attributa: maior adeo est euidens vt nullo modo possit negari ab Scoto, nam ipse tribuens rationem, quem omnes Scotistæ in hoc sequuntur, cur Deus non distinguatur realiter tanquam res à re à relationibus, & attributis, asserit quia Deus est infinitè perfectus, ita vt si non identificaretur realiter cum omni perfectione sine imperfectione esset imperfectus, vnde creaturæ propter suam imperfectionem distinguuntur realiter à suis perfectionibus, & sic indigent alio à se distincto ad sui perfectionem: ergo ideo Deus secundum veritatem, & secundum opinionem aduersariorum identificatur realiter cum relationibus & attributis, quia realitas, & entitas diuinæ essentiæ est infinitè perfecta, hoc est realiter talis.

Minor illa, vt discursus sit demonstratio solum indiget probatione, quæ *in §. sequenti*, ponitur.

§.

*Vltima ratio principalis ponitur.*

NAm diuina essentia non ex natura alia, & per aliam entitatem, sed ex natura sua, & quatenus formalissimè distinguitur à quacunque alia non est imperfecta, sed potius infinitè perfectissima; atqui si ex natura rei & ex natura sua formalissimè non esset omnis perfectio sine imperfectione, & non identificaretur omnino à parte rei cum illa, sed potius distingueretur ex natura rei formaliter ab illa, ex natura rei formaliter esset imperfecta, & non esset infinitè perfecta; quia quod imperfectum est, infinitè perfectum esse non potest: ergo Deus non solum realiter, sed etiam ex natura rei formaliter est idem cum omni perfectione sine imperfectione, qualis est relatio, & attributum.

Minor in qua est difficultas, sic demonstratur; quia ideo Deus esset imperfectus realiter per vos, & secundum veritatem ipsam etiamsi haberet quamcunque perfectionem, si distingueretur realiter à perfectione sine imperfectione; v.g. ab attributis, & relationibus eo modo, quo dicebat Gilbertus Porretanus, quia non identificaretur cum illis realiter, quas haberet; & ratio à priori est, quia etiam si haberet omnes alias, dum tamen distingueretur realiter ab illis, deficeret à Deo maxima alia perfectio, scilicet identitas realis cum eisdem perfectionibus, quas haberet formaliter; cum autem imperfectum sit id, cui deficit aliqua perfectio sine imperfectione; inde est quod Deus licet haberet omnes alias perfectiones, si non haberet identitatem realem cum illis, esset imperfectus realiter; atqui per vos licet realiter habeat identitatem cum omnibus perfectionibus, nihilominus deficit illi alia perfectio sine imperfectione, videlicet identitas ex natura rei formaliter cum illis: ergo licet habeat identitatem realem, & reliquas perfectiones, quas conceditis, nihilominus erit imperfectus ex natura rei, quia ex natura rei non habet identitatem cum illis etiam si habeat identitatem realem cum eisdem; patet euidenter consequentia; quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus vel quasi effectus formalis; atqui in nostro casu contra vos datur eadem ratio formalis ex natura rei, quæ dabatur contra hæreticos in vestro argumento ad probandum dari imperfectionem in Deo; tota enim ratio erat, quod deficeret identitas realis cum omni perfectione, cuius defectus imperfectio, est quia identitas, cuius defectus est perfectio est, atqui licet detur identitas realis, deficit identitas formalis ex natura rei, quæ est perfectio sine imperfectione, & sic defectus illius erit imperfectio: ergo datur eadem ratio formalis, videlicet defectus perfectionis: ergo datur idem effectus, vel quasi effectus formalis, scilicet Deum esse defectuosum, & imperfectum; hic discursus demonstratio est.

Vrgetur; quia si vos concederetis omnipotentiam, & reliquas perfectiones diuinas in Deo, & solum negaretis sapientiam, sine dubio Deum imperfectum faceretis, quia concederetis defectum alicuius perfectionis, scilicet carentiam sapientiæ; atqui in nostro casu licet concedatis omnes relationes, & attributa, & identitatem realem cum illis, negatis tamen aliam perfectionem maximam, scilicet identitatem ex natura rei cum eisdem, ac proinde conceditis defectum, & carentiam huius perfectionis in Deo: ergo conceditis, Deum esse, & constitui à tali defectu defectuosum, & imperfectum.

Confirmatur amplius, quia etiam si concederetis sapientiam cum reliquis attributis, si illam non concederetis in gradu summo quæ vocaretur omni sapientia, & ratione talis summitatis, & omneitatis, vt ita loquar, excluderet omne sibi oppositum, non solum realiter sed etiam ex natura rei, videlicet quamcunque ignorantiam, etiam minimam, siue realiter, siue ex natura rei, sine dubio poneretis Deum imperfectum, quia poneretis eum cum defectu alicuius perfe-

ctionis, scilicet summitatis sapientiæ & omneitatis illius, cui debetur exclusio omnis oppositi: sed in nostro casu, licet concedatis tot perfectiones quales sunt relationes, & attributa & identitatem realem cum illis, nihilominus non conceditis summam identitatem, quæ omniidentitas dicatur, cui debeatur exclusio omnis, & cuiuscumque distinctionis, siue realis, siue ex natura rei formaliter inter diuinitatem, & illas perfectiones: ergo ponitis defectum alicuius magnæ perfectionis in Deo; consequentia patet à paritate rationis inter omnisapientiam excludentem quamcunque ignorantiam, siue realiter, siue ex natura rei, & inter summam, & omniidentitatem &c.

Dices, non esse perfectionem sine imperfectione talem omniidentitatem, quia Deus incapax est illius: sed licet hanc solutionem euidenter labefactauerim suprà *disp. 2. de ente, quæst. vltima, Vtrum ens ex natura rei distinguatur à suis inferioribus*, nihilominus tamen breuiter sic illam oppugno; quia id quod actu datur in Deo formaliter est perfectio sine imperfectione, ac proinde falsum est dicere, Deum esse incapacem illius; quia ab actu ad potentiam euidens est consequentia: sed inter diuinitatem & Deum, hoc est inter concretum & abstractum diuinitatis datur non solum identitas realis, sed etiam formalis ex natura rei; item euidentius ipsi Scotistæ contra Caietanum firmiter docent, & efficaciter probant, actum liberum diuinum seu decretum efficax habere identitatem, non solum realem, sed etiam ex natura rei formaliter cum actu necessario, & cum ipsa diuina essentia: ergo omniidentitas diuinæ essentiæ cum perfectione absoluta excludens distinctionem ex natura rei inter illas est perfectio sine imperfectione existens actu in Deo, ac proinde falsum erit dicere, Deum esse incapacem illius &c. Præterea quia ipsi Scotistæ in essentia diuina concedunt gradus, & in vnoquoque attributo, ratione cuius incomprehensibilitatem diuinam defendunt, & nihilominus tales gradus magis, & magis cognoscibilitatis in essentia, participabilitatis in omnipotentia, amabilitatis in bonitate iustitiæ &c. nullo modo distinguunt ex natura rei à perfectionibus quarum sunt, & sic possunt proferri sexcenta exempla inter quæ euidentissimum est illud, videlicet quod ratio entis in Deo formaliter existit, quæ ratio adeo est indiuisibilis & simplex, vt nullam in seipsa distinctionem, neque realem neque ex natura rei admittat: ergo non solum Deus est capax omniidentitatis inter perfectiones, & non solum illa est possibilis respectu Dei, sed necesrio habet illam, quia in diuinis idem est esse, ac posse.

Tertiò efficacius sic argumentor; quia friuolum esset, & omnino falsum, & chimæricum dicere, licet Deus sit capax sapientiæ esse tamen incapacem summæ sapientiæ excludentis omnem & quamcunque rationem sibi oppositam; & idem est in iustitia, misericordia, & sanctitate & ratio est, quia Deus ex eo quod sit à se, debet ita habere omnem perfectionem, vt in vnaquaque perfectione habeat summum gradum illius excludentem omnem, & quamcunque rationem, etiam minimam oppositam illi, siue realiter siue ex natura rei formaliter vt videre est in omnipotentia, seu summè virtute efficaci ad producendum, quæ excludit omnem, & quamcunque minimam impotentiam siue realem, siue ex natura rei, & in omni, seu summa simplicitate excludente quamcunque minimam compositionem ex natura rei formaliter &c. sed Deus quia Deus est, petit identitatem, & est capax illius respectu attributorum &c. ergo chimæricum, & fictitium est dicere Deum capacem identitatis, & habentem illam inter suam essentiam comparatam cum relationibus, & attributis esse incapacem si mmæ], & omniidentitatis excludentis omnem, & quamcunque etiam minimam distinctionem, siue realem, sine ex natura rei formaliter inter essentiam, & perfectiones; vnde perinde est dicere, Deum esse incapacem identitatis in illo gradu summo excludente quamcunque distinctionem, ac dicere, Deum esse incapacem summæ perfectionis in aliqua perfectione sibi conueniente, ac proinde esse defectuosum, & imperfectum quod euidenter patet; nam si in quacunque alia perfectione præter hanc, de qua disputamus, dicerent id, quod dicunt de hac, ipsi maximè errarent & Deum imperfectum ponerent, imo vtpotè catholici si ab alio id audirent, maximè irascerentur, & scandescerent, acriterque inuehrentur in talia proferentem: ergo idem dicendum est in nostro casu, siquidem nulla disparitatis ratio poterit rationabiliter reperiri, vt manifestè patet ex dictis: maneat igitur firma nostra veritas, & immobilis propugnata efficaci ratione originem ducente à P. Dionysio locis supra citatis, & præcipuè *cap. 7. & 8.* ibi: [age vero si videtur, veram æternamque vitam, & vt sapientem & vt sapientiam ipsam laudemus, atque adeo vt omnis sapientiæ procreatricem, & omni sapientia intelligentiaque superiorem propter perfectionem omni perfectione, & excellentia laudabiliorem; dicamus ergo, Deum esse vim, ac potentiam, quod vim omnem in se ante habeat, & quæ infinita perfectione polleat omnia superante.

Ecce quomodo Dionysius prædicationem abstracti de concreto, & econtra reuocat ad infinitam perfectionem Dei excludentem omnem imperfectionem distinctionis, & includentem omnem perfectionem summæ identitatis ex natura rei formaliter.

Propter eandem rationem idem docent S. Augustinus illis verbis, [Deum esse magnum ea magnitudine, quæ est id, quod ipse.] S. Fulgentius indiuiduus comes, & assecla Augustini istis verbis [Deum & tres personas esse vnam veritatem, non solum quia illam habent: sed quia illa ipsa sunt & à sua veritate non distinguuntur,] quæ duo loca adducit D. Bernardus *sermone 180. in Cantica*; appellatque validissimum malleum hæreticorum, & ipse S. Bernardus *lib. 5. ad Eugenium columna 7.* inquit [personarum proprietates sunt ipsæ personæ, & non aliud, quam illæ, ipsaque non aliud, quam vnam diuinam substantiam dicimus, & vnam diuinam naturam fi des catholica confitetur, non est in Deo, nisi Deus; quid negas habere diuinitatem? Non, sed quod habet, hoc est.] Sanctus Damascenus *lib. 1. fidei cap. 11.* ait: [Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse ipsam diuinitatem.] S. Anselmus *in Monologio, cap. 43. in fine* dicit, [Patri, & Filio non aliud esse habere essentiam, quam esse essentiam:] & S. Nazianzenus *oratione in sancta lumina*, inquit [tria sunt ea, quæ ipsa diuinitas est.] Et S. Hilarius 8. *de Trinit. paulo post medium*, loquens

quens de Patre, sic docet [non humano modo, ex compositis Deus est, vt in eo aliud sit; quod ab eo habetur, & aliud sit ipse, qui habeat sed totum quod est, vita est.

§.

*Secunda pars explicationis Scoti refutatur.*

QVia solutio illa Scoti volens explicare principium, quæ sunt eadem vni tertio, fundata in supposito falso, §. *superiori* latè impugnato, non soluit difficultatem; quia principium illud, si ex creaturis sumatur, vt optimè aduertit P. Suarez, etiam in his, quæ sunt idem realiter cum vno tertio, & solum distinguuntur formaliter, vel modaliter concludit inter se esse eidem realiter, & ad summum formaliter, vel modaliter distingui; vnde vt melius percipiatur difficultas, sumatur illud principium, vt affirmatiuum quidem (quia hoc maximè necessarium est, nec aliter potest fieri; quia principium hoc essentialiter petit) non vt purè affirmatiuum, sed adiuncta negatione hoc modo; quæ ita sunt eadem vni tertio, vt ab eo realiter non distinguantur, ita etiam sunt inter se idem, vt inter se realiter non distinguantur, licet distinguantur formaliter, quia formaliter non identificantur in tertio, & ratio est manifesta, quia conclusio non debet effici nisi in virtute medij, & secundum id, quod medium solum in se continet; quia cum medium sit causa concludendi, & causa non det, nisi id quod continet, neque effectus habeat aliquid, quod non accipiat à causa, cum sit totus participatio causæ, inde est, quod in conclusione solum debet elici identitas realis inter extrema, quia medium ad talem identitatem est identitas eorundem extremorum realis cum medio, & non formalis, quod inductione constabit in omnibus, & incipiendo à diuinis ad hominem euidenter argumentor contra Scotum, & Scotistas; quia hoc est verum; iustitia diuina identificatur realiter cum Deo; misericordia diuina identificatur realiter cum ipso Deo: ergo realiter misericordia, & iustitia identificantur inter se: ecce quomodo ex identitate reali duorum extremorum cum tertio concluditur euidenter identitas realis inter extrema, & nihilominus in sententia Scoti eodem modo distinguuntur iustitia, & misericordia à Deo formaliter ex natura rei, sicut relationes Paternitatis, & filiationis à diuinitate: ergo explicatio Scotica est falsa, quod principium non habeat verum in tribus personis respectu diuinitatis vt identificentur inter se realiter, ex eo quod Deus distinguatur formaliter ex natura rei à tribus diuinis personis; quia inter iustitiam, & misericordiam respectu Dei militat eadem ratio, & nihilominus colligitur ex identitate reali cum Deo identitas realis iustitiæ cum misericordia, non obstante distinctione formali ex natura rei inter iustitiam, & diuinitatem, & inter misericordiam, & eandem naturam diuinam: ergo alia ratio disparitatis tribuenda est, & alio modo explicandum axioma.

Deinde in creatis quia actio est idem ac motus realiter, & passio est idem realiter cum motu, actio & passio sunt idem realiter inter se, & nihilominus actio, & passio in sententia Scoti distinguuntur formaliter ex natura rei à motu; & ideo licet colligamus identitatem realem inter actionem, & passionem, non colligimus identitatem formalem ex natura rei, inter ipsas, cuius ratio euidens est; quia in medio non datur talis identitas formalis ex natura rei, videlicet actionis, & passionis respectu motus; cum autem conclusio non debeat elici, nisi ad mensuram medij; inde est quod sola identitas, quæ datur in medio actionis, & passionis cum motu debeat elici in conclusione inter actionem, & passionem, & non alia. Tandem vt relinquamus alia sexcenta exempla admissa ab Scotica Schola; existentia, & indiuiduatio Petri identificantur realiter inter se, quia identificantur realiter vni tertio, scilicet Petro etiam si distinguantur formaliter ex natura rei ab ipso. Præterea rationale, & animal identificantur realiter inter se, quia realiter identificantur in vno tertio, scilicet in homine, & etiamsi formaliter ex natura rei distinguantur inter se; quia distinguuntur similiter ab illo tertio formaliter ex natura rei: ergo eo modo, quo identificantur cum tertio, debent identificari inter se non obstante quacumque distinctione ab illo.

Neotericus quidam in manuscriptis in metaphysica explicans hoc principium, quæ sunt eadem vni tertio &c. *quæst. 6. §. secunda sententia*, sic eneruare contendit hanc oppugnationem contra Scotum: [sed hæc impugnatio vniversaliter dicta mihi videtur insufficiens; quia materia, & forma sunt idem realiter vni tertio, & nihilominus distinguuntur realiter inter se.] Sed contra manifestè, quia hæc instantia est falsissima; nam vnio nullo modo identificatur cum materia & forma, neque materia, & forma identificantur cum illa, sed potius sine vlla identificatione cum vnione distinguuntur ex natura rei ab vnione; quod latè probo in physicis *disp. de vnione*, & & quod caput est ipse neotericus sui immemor, latè probat ibi contra Thomistas, vnionem non identificari cum materia & forma, & ratio est euidens; quia etiam si vnio distingueretur ex natura rei à materia, & forma si ex alio capite identificaretur realiter cum illis, nunquam posset destrui vnio inter materiam, & animam rationalem existentibus illis, & non destructis: sed perseuerantibus in esse, vt patet euidenter in sententia Scoti, qui concedit animal hominis, & rationale illius distingui ex natura rei ab homine, & nihilominus asserit, vt iure optimo debet asserere, nullo modo posse destrui hominem existentibus animali, & rationali ipsius; quia licet ex parte distinctionis poterat hoc contingere, nihilominus tamen identificatio realis impedit talem destructionem, & idem est de actione, & passione respectu motus, imo in sententia omnium, etiam si per impossibile personæ diuinæ possent corrumpi, non posset corrumpi vna, non corrupta alia; quia licet inter se distinguantur realiter, identificantur tamen in vno tertio, scilicet in diuinitate, & econtra non posset corrumpi diuinitas, existentibus personis, quia diuinitas identificatur realiter cum illis, sed vnio identificatur realiter per vos cum materia, & forma: ergo non potest corrumpi vnio existentibus materia, & forma; sed quando mortuus est D. Petrus desiuit esse, & corruptus est, non quia desiuit materia, & forma, cum adhuc perseuerent, sed quia solum corrupta est vnio inter materiam & formam rationalem D. Petri: ergo vnio non identificatur realiter cum partibus, quas vnit; cuius argumentum etiam est in sententia huius neoterici, quod vnio educatur

catur ex potentia materiæ, & ex potentia formæ, ac proinde recipiatur vere in illis, & illæ sint causæ materiales illius: atqui id, quod recipitur in aliud, & educitur ex illo, non potest identificari realiter cum eodem subiecto, & causa materiali: ergo vnio secundum tua principia non potest identificari realiter cum materia, & forma; fallacia autem huius in hoc consistit, quod communiter dicatur, vnionem, sicut quemcunque modum non distingui realiter à re, cuius est modus; cuiusmodi loquendi sensus est, rem non distingui à modo, vt ab alia re; quia modus non est res; nam si esset res distingueretur realiter ab illo; quia autem licet non sit res, nihilominus est alia formalitas ab ipsa re, quæ permanente re, possit destrui, ideo distinguitur ex natura rei à re sine vlla identitate reali cum ipsa. Itaque à non distinctione in vno genere, si in alio detur vera distinctio, ratione cuius possint illa duo extrema separari realiter secundum principia Societatis, D. Thomæ & Aristotelis, non potest argui identitas realis; v. g. substantia Petri non distinguitur realiter tanquam res à re ab actione, qua producitur Michaël Angelus, vel ab actione, qua ipse Petrus producit suum filium, quæ actio intrinsecè est in filio, & non in Petro.

Item vnus homo non distinguitur realiter ab vbi alterius, sed solum modaliter, & nihilominus non potest argui identitas realis inter illa. Item lux distinguitur à tenebris, & cœcitas a visu non positivè, sed privativè, & nihilominus non potest dici, quod actu identificentur positivè, & accidens non distinguitur substantialiter à substantia, & nihilominus non identificantur substantialiter. Item Ioannes actu existens non distinguitur actu, & formaliter ab Antichristo; quia vt duo extrema actu, & formaliter distinguantur, debent actu, & formaliter existere; quia actualis distinctio aut est formaliter relatio vt latè probo supra *disputatione de distinctione*, aut saltem secundario necessario inducit relationem prædicamentalem, quæ quatenus talis petit vtrumque extremum actu existens, & nihilominus mentis inops vocaretur qui ita argueret; Antichristus, & Petrus actu, & formaliter non distinguuntur: ergo Antichristus, & Petrus actu, & formaliter identificantur: ergo similiter est ineptissima argumentatio vnio, quæ distinguitur ex natura rei à materia, & forma & quia non est res dicitur non distingui realiter à materia, & forma: ergo vnio identificatur realiter cum illis; & ratio est, quia ad identificationem, quia est indivisibilis, & perfectus conceptus non requiritur quæcumque non distinctio quomodocumque significata, sed potius requiritur, vt sint eiusdem rationis, & sine vlla distinctione sint vna, & indivisibilis entitas, quia petit identitas pro conditione necessaria, & essentiali, vt extrema, quæ identificantur, ita existant vt non possit destrui vnum manente alio, & separari à parte rei: sed vnio, & materia, & forma non sunt eiusdem rationis quoad realitatem, neque sunt vna, & indivisibilis entitas, & ex alio capite ita se habent, vt manentibus materia, & forma possit corrumpi vnio: ergo licet latissimo modo dicantur non distingui realiter, nihilominus non poterunt dici identificari realiter; ratio à priori videtur esse quia distingui, & identificari non opponuntur contradictoriè, sed vel privativè, aut ad modum illius, aut contrariè metaphysicè: ergo ex negatione vnius non colligitur immediatè alterum extremum nisi ponantur simul cum tali negatione conditiones necessariæ ad existentiam illius extremi; sicut v. g. quia possibilitas, & impossibilitas non opponuntur contradictoriè formalissimè, non valet bene existentia Petri, quia distinguitur à sua possibilitate non est possibilitas: ergo est impossibilitas, & propter eandem rationem non valet benè hæc argumentatio: lapis non est cæcus: ergo est videns; esset autem bona, si per impossibile posset dici lapis est non cæcus, & est subiectum aptum ad videndum: ergo est videns; tunc enim illæ conditiones aptitudinis ad videndum cum negatione cæcitatis arguunt euidenter esse videns tale subiectum: ergo similiter in nostro casu ex non distinctione in vno genere cum distinctione in alio non arguitur identitas, nisi concurrant conditiones supradictæ, quod patet euidenter; nam Petrus non distinguitur modaliter à Deo, seu ex natura rei, sed potius distinguitur realiter, & nihilominus non potest argui: ergo identificatur Petrus realiter ex natura rei cum Deo.

Deinde, quia nullus ex Thomistis docuit etiam si asserat, vnionem materiæ non distingui à materia, & vnionem formæ non distingui à forma; vnionem esse quoddam simplex tertium, in quo identificentur materia, & forma, eo modo quo dicunt actionem, & passionem identificari in motu: sed potius sicut dicunt vnionem ex parte materiæ identificari cum ipsa materia, & vnionem formæ cum forma; ita distingui vnionem materiæ ab vnione formæ; sicut materia distinguitur à forma; quia ipsi solum dicunt, ad compositionem totius non requiri aliam formalitatem distinctam ab entitatibus materiæ, & formæ, sed potius duas entitates materiæ, & formæ per seipsas, quatenus sunt actus, & potentia propter vltimam dispositionem posse sine vllo alio medio distincto ab ipsis componere compositum, quia alias si oppositum dicerent Thomistæ, concederent in rebus creatis mysterium Trinitatis, aut dualitatis simile mysterio increato, vt videtur chimæricè hic neotericus ponere; nam sicut in Trinitate vna res, & vna entitas Dei identificatur cum duabus personis realiter distinctis, ita similiter vnica entitas vnionis identificaretur cum duabus entitatibus realiter distinctis inter se, materia videlicet, & forma: ergo fictitia & sine fundamento est hæc sententia neoterici.

Tandem, quia hoc quod in hoc §. *docet hic author*, immediatè contradicit verbis, quæ posuit *in eadem quæstione*, §. *colliges* 2. ibi: [ quod illud principium ita constituatur, quod si eadem vni tertio finito, & limitato sunt, sint etiam eadem inter se, hoc enim euidens est; quia cum increatis non detur illa infinitudo cum infinita fœcunditate, est impossibile quod eadem entitas identificetur cum rebus realiter distinctis, vt contingit in diuinis. ] Atqui exemplum, quod adducis tu, vbi supra est rerum creatarum distinctarum realiter inter se, quæ per te identificantur cum vno tertio finito, & limitato, scilicet vnione, & nihilominus non identificantur inter se, ratione identitatis cum illo tertio: ergo adhuc in creatis per te falsificatur illud principium, & non solum in diuinis, quæ sunt contradictoriè opposita iis, quæ tu dicis §. *colliges* 1. *& colliges* 2. vnde tibi expresse contradicis; quod in

Dei

Dei prouidentiam est reuocandum, eo quod veritati manifestæ contradicere volueris: igitur nostra veritas suis euidentissimis principiis, & fundamentis innixa in suo robore, ac flore perseuerat; vnde distinctio illa, qua Scotistæ vtuntur, nullum fundamentum habet in ratione naturali, nec in creaturis: ergo nec conuenienter declarat illud principium, quatenus ratione naturali notum est.

Nec satisfacit fundamento, quod illi principio nititur vt naturale est.

Secunda sententia asserit; quod principium habet verum in hoc sensu, videlicet quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, non simpliciter, sed cum illo tertio, atque adeo in diuinis colligitur in formali consequentia, & conclusione, quod Pater, & Filius sunt idem in essentia, non vero simpliciter, & omnimodo; ita D. Thomas *in 1. dist. 33. art. 1. ad 1.* Capreolus *in 1. dist. 2. quæst. 3. art. 1. in fine*, Caietanus *quæst. 28. 1. p. art. 1.* Ferrara *2. contra Gentes, cap. 13.* atque etiam Scotus, qui omnes vias tentans in omnibus non collimat scopum *in 1. dist. 2. q. 4. art. 1.*

Sed contra manifestè, quia hæc solutio in primis petit principium, & omnino euertit illud axioma, quia quando dicimus, quæcumque sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, virtualem quandam illationem facimus ex identitate cum tertio inferendo identitatem extremorum inter se: ergo non debemus addere in consequenti illo id, quod sumimus in antecedenti; alias nihil inferimus, sed idem repetimus; hoc autem fit, si addamus, illa extrema esse idem in tertio; quia infertur in consequenti id ipsum, quod ponimus pro medio in antecedenti; quia est contra omnes regulas syllogismorum, nam prima regula syllogizandi est, quod medium non ingrediatur conclusionem: sed secundum principia huius solutionis medium ad conclusionem ponitur in conclusione: ergo perperam procedit solutio. Minor, in qua est difficultas, sic demonstratur; quia medium in illa argumentatione est hoc, quæ sunt eadem vni tertio, sed in conclusione illa ponitur: ergo sunt eadem vni tertio: ergo medium ponitur in conclusione illata: ergo non est rectus syllogismus.

Quod autem illud sit medium in syllogismo, sic patet manifestè; quia in syllogismo primæ figuræ medium est, quod subiicitur in maiori, & prædicatur in minori: sed in hoc syllogismo primæ figuræ v. g. quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: sed Pater, & Filius sunt eadem vni tertio: ergo Pater, & filius sunt eadem inter se; illa particula, eadem vni tertio, subiicitur in maiori, & prædicatur in minori: ergo quæ sunt eadem vni tertio est medium in illo syllogismo: sed illud ipsum medium ponitur per vos in conclusione, & prædicatur de maiori extremitate: ergo est vitiosa conclusio, imo non est conclusio, sed loco conclusionis formalis bis repetita maior, quæ erat, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, scilicet cum tertio. Deinde, quia in bono syllogismo maior extremitas in conclusione debet prædicari de minori extremitate: sed in syllogismo posito non prædicatur maior extremitas de minori: ergo non rectè componitur syllogismus. Probatur minor, maior extremitas in syllogismo primæ figuræ est prædicatum in maiori, & minor extremitas est subiectum in minori: sed prædicatum maioris non prædicatur de subiecto minoris in prædicto syllogismo, quia prædicatum maioris est, sunt eadem inter se, & subiectum minoris est Pater, & Filius: ergo maior extremitas non prædicatur de minori extremitate in conclusione; sicut si aliquis inferret, omne ens est bonum: sed Pater & Filius sunt ens: ergo Pater, & Filius sunt ens; hic syllogismus est vitiosus propter vtramque rationem dictam videlicet, quia medium ingreditur conclusionem, videlicet ens; & quia maior extremitas non prædicatur de minori extremitate in conclusione: sed similiter se habet syllogismus supradictus: ergo restat videndum, quid in argumentatione disposita secundum regulas logicales recte excludatur; quia si non rectè excluditur vna ex præmissis debet esse falsa: sed non potest excludi minor in prædicto syllogismo, quia videlicet Pater, & Filius secundum fidem catholicam sunt eadem vni tertio, nempè essentiæ diuinæ iuxta illud Christi *Ioannis* 1. ego & Pater vnum sumus: ergo restat quod maior sit falsa, videlicet quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se.

Quod amplius vrget si addatur illa negatio, videlicet: [ hæc duo sunt idem vni tertio, & ab illo non distinguuntur realiter, formando hoc modo syllogismum; quæ sunt eadem vni tertio, ita sunt idem inter se, vt non distinguantur; quo posito colligitur conclusio hæretica: ergo Pater, & Filius ita sunt idem inter se, vt non distinguantur realiter: ergo quærenda est alia expositio.

Aliter Argentina, Ægidius & alij, & sequuntur D. Thomam *1. p. quæst. 28. art. 3. ad primum*, dicentem; principium illud esse verum in his, quæ sunt eadem re, & ratione, non vero in his, quæ re tantum, si ratione distinguantur; quomodo se habent essentia, & relationes; quia licet essentia non distinguatur à relationibus realiter, distinguitur tamen ratione ab illis, & ideo non tenet principium in diuinis, & quod mirabilius est ad hoc affert Aristotelem *3. Phys.* sed hæc explicatio non est minus falsa, quam præcedens, vt videre est in hoc exemplo manifestissimo, quia actio, & passio identificantur realiter inter se; quia identificantur realiter cum motu, & nihilominus distinguuntur ratione à motu, vt ex principiis ipsius D. Thomæ patet: ergo falsa est explicatio; imo eo modo quo identificantur, & distinguuntur à tertio, identificantur, & distinguuntur inter se, & sic quia identificantur à parte rei cum motu, & distinguuntur per rationem ab eo, identificantur similiter inter se realiter, & distinguuntur ratione. Adde, quod euidens est ad hominem; nam ipse D. Thomas *2. contra Gentes, cap. 9.* ex identitate reali attributorum infert identitatem realem eorum inter se, & sic arguit iustitia diuina identificatur cum diuina essentia, & misericordia diuina identificatur realiter cum eadem: ergo iustitia diuina, & misericordia diuina identificantur inter se realiter; atqui in sententia eiusdem D. Thomæ, tum *in eisdem libris contra Gentes*, tum *1. p.* attributa diuina distinguuntur à diuina essentia ratione: ergo benè potest colligi identitas realis duorum extremorum inter se ex identitate eorumdem cum tertio; licet distinguantur ratione ab ipso.

Id autem, quod *ibi* Ferrara ait, videlicet Diuum Thomam intelligendum esse de distinctione rationis, non quacumque, sed quæ habeat

fundamentum in re nullius momenti est, tum quia etiam distinctio rationis attributi ab essentia habet suum fundamentum in re, tum maximè propter rationem factam contra priorem responsionem, quæ hic magis vrget: Aristoteles autem, vt benè aduertit P. Vazquez tantum vult ex identitate reali extremorum cum medio non inferri identitatem rationis eorumdem inter se, quia iam mutaretur appellatio, nam distinctio rationis est extrinseca, vt ita dicam respectu obiecti, & minimum est ficta per intellectum, & idem est de identitate per rationem; identitas autem realis est intrinseca à parte rei conueniens rebus ante rationem; vnde distinctæ identitates sunt, & quæ separantur in multis; nam multa identificantur realiter, & non identificantur per rationem: ergo non debet ex vna inferri alia.

Pater Hurtado in Logica *disput.* 10. *de modo sciendi, sect.* 16. §. 123. *in fine*, vt defendat D. Thomam sic ait: [ S. Thomas est in profundiori sensu, nomine enim distinctionis rationis intelligit distinctionem virtualem in diuinis, ex qua infertur realis distinctio personarum, ] quæ doctrina conuenit cum his, quæ ipse Hurtado docet §. 126. ibi: [ vt autem vis syllogistica etiam in Trinitate seruetur, opus est aduertere quod dixi *disput.* 19. *in* 3. *part.* §. 15. in diuinis esse distinctionem virtualem, nobiliorem distinctione virtuali creaturarum per quam Deus præstat vna sola entitate eminentissimo modo, quæ creaturæ præstant pluribus, qua distinctione fundantur in Deo prædicata, quasi contradictoria intrinseca entitati Dei; hinc oritur vt relatio explicata conceptu formali, & reduplicatiuo habeat prædicata realiter repugnantia naturæ, vt est natura; vnde non benè concluditur ex vno aliud; exempli gratia in hoc syllogismo, vitium est in vtraque præmissa; natura diuina est paternitas, filiatio est natura diuina: ergo filiatio est Paternitas; quia in maiori ponitur sola identitas realis formalis inter paternitatem, & naturam, in minori ponitur sola eadem identitas inter filiationem, & naturam; in conclusione autem infertur identitas realis inter Paternitatem, & filiationem, quæ est mala collectio.

Sed hæc solutio Patris Hurtado æquè friuola est, ac Scotica; nam multa sunt in sententia huius auctoris, in quibus ex identitate reali illorum cum vno tertio colligitur identitas realis eorumdem inter se, etiam si virtualiter distinguantur ab illo tertio; nam intellectus, & voluntas diuina distinguuntur virtualiter à diuina essentia, & ratio est manifesta quia diuina essentia conuenit realiter cum essentia creaturæ v. g. cum essentia lapidis, & non conuenit cum essentia illius in ratione intelligendi, & volendi; atqui prædicata quorum vnum est affirmatio, & alterum negatio respectu eiusdem indicant virtualem distinctionem, ne sint verè contradictoria prædicata de quo latè supra: ergo essentia diuina intellectus, & voluntas distinguuntur virtualiter. Item quia essentia diuina est primum constitutivum diuinitatis, & intellectus, & voluntas non primo constituunt eam. Item per intellectum producitur Verbum vt per rationem quo formalem & proximam, & per voluntatem non producitur Verbum: ergo intellectus, & voluntas distinguuntur virtualiter: ex alio capite essentia non potest dici principium quo proximum, & formale, per quod producatur Verbum, aut per quod producatur proximè Spiritus sanctus, sed solum remotum: ergo iam distinguitur virtualiter diuina essentia ab intellectu, & voluntate, & nihilominus quia intellectus, & voluntas identificantur realiter cum ipsa diuina essentia, tanquam cum tertio, colligimus euidenter identificari inter se realiter, & quia non identificantur virtualiter cum tertio non debent identificari virtualiter inter se. Item in creatis rationale, & animal in homine identificantur realiter cum ipso homine, & nihilominus distinguuntur virtualiter ab ipso homine, & ratione identitatis realis cum tertio colligimus identitatem realem inter animal & rationale, non obstante distinctione virtuali cum homine.

Pater Hurtado §. 127. vt soluat hoc argumentum creaturarum, ( cum non possit soluere, quia eius non meminit, argumentum nuper factum de intellectu, & voluntate diuina respectu diuinitatis) sic ait: [ quod si dicas in creatis ex sola identitate reali formali extremorum cum medio inferri eorum identitatem realem inter se; respondeo id esse falsum; quia etiam colligitur ex identitate virtuali, quia creata carent eo genere distinctionis virtualis, vt patet ex lumine naturæ; diuina non carent, vt patet Dei testimonio; discrimen est, quia Deus est Deus, & creaturæ creaturæ. ] Pulchra disparitatis ratio, nos enim dicimus, inter creata dari distinctionem virtualem, sicut inter diuina, adducimus argumentum efficax, quod adduxit Scotus ad probandam distinctionem formalem inter gradus, videlicet, quod homo conueniat per animal à parte rei cum equo, & non conueniat à parte rei cum equo per rationale, quia ad conueniendum sufficit, quod in vtroque extremo detur similis ratio, non quod eadem formaliter, alias vnus homo non conueniret cum alio homine in ratione hominis, quia in vtroque non est eadem indiuisibilis ratio hominis; ratio autem à priori est, quia relatio conuenientiæ non petit identitatem, sed similitudinem: atqui in equo datur ratio animalis similis rationi animalis, quæ reperitur in homine; item in equo nullo modo datur rationalitas: ergo homo conuenit cum equo per animal, & non conuenit per rationale à parte rei, sine vlla fictione intellectus: ergo animal, & rationale à parte rei habent aliquam distinctionem, non formalem, quam ponit Scotus, quia illam data opera tu oppugnas in metaphysica *disput.* 5. *tota sect.* 3. *a num.* 28. *vsque ad* 37. ergo debet esse distinctio virtualis: ergo similiter distinguuntur virtualiter illi gradus ab ipso homine, quem constituunt; nam verum est dicere, homo conuenit cum lapide in ratione entis completi, & rationale non conuenit cum lapide in ratione entis completi.

Clarius, homo conuenit cum equo, & non conuenit rationale hominis cum equo in ratione intellectiui. Item homo conuenit cum Angelo in ratione intellectiui vt sic, & non conuenit cum illo animal hominis in ratione animalis. Tandem, quia quando in aliquo genere distinctionis distinguuntur constitutiua alicuius completi excludendo se, aut distinctione excludentis ab excluso distinguuntur diuisim à toto distinctione includentis ab incluso eodem ordine distinctionis, quoad formalitatem, vel virtualitatem v. g. quia

quia materia, & forma distinguuntur formaliter realiter à parte rei distinctione excludentis ab excluso, distinguuntur etiam à toto realiter formaliter distinctione includentis ab incluso, & quia gradus superiores, & inferiores in Deo distinguuntur inter se distinctione virtuali, distinguuntur à Deo eadem virtuali distinctione: ergo si animal & rationale distinguuntur virtualiter inter se, distinguentur etiam virtualiter ab homine distinctione includentis ab incluso.

Dices, ad distinctionem virtualem requiri oppositionem relationum, quæ non datur inter gradus superiores, & inferiores hominis, & datur in diuinis.

Sed contra manifestè, quia intellectus diuinus & voluntas diuina distinguuntur virtualiter, & nihilominus relatiuè non opponuntur, alias non solum virtualiter, sed etiam formaliter realiter distinguerentur, vt videre est in Patre & Filio, qui distinguuntur formaliter realiter, quia relatiuè opponuntur: sed intellectus, & voluntas non distinguuntur formaliter realiter, sed solum virtualiter, quia cum non detur oppositio relatiua datur affirmatio, & negatio eiusdem de eodem; id est, quod producatur Verbum per intellectum, & non producatur idem Verbum per voluntatem, atqui etiam si gradus superiores, & inferiores hominis non habeant oppositionem relatiuam (quia si illam haberent, non solum per rationem, vt tu vis, neque solum virtualem, vt ego contendo, sed etiam formalem realem distinctionem continerent, quod est falsum, vt ex dictis patet;) habent tamen hoc, quod de eisdem respectu eiusdem verificentur prædicata simul, quorum vnum est affirmatio, & alterum negatio: ergo habent distinctionem virtualem, tum inter se, tum respectu totius, & non obstante tali distinctione virtuali identificantur inter se realiter, quia identificantur cum tertio hominis realiter, quia distinctio in vno genere non tollit identitatem in alio deductam in conclusione ex identitate simili extremorum cum medio, vt patet ex dictis contra Scotum supra; quapropter cum nos his omnibus concludamus in creatis etiam vt creata sunt, dari distinctionem virtualem, sicut in diuinis, vt diuina sunt, quia in creatis militat eadem ratio affirmationis, & negationis, sicut in diuinis, & tu respondes, non dari talem distinctionem in creatis & tribuis rationem, dicendo; quia creata sunt creata, & diuina, diuina, sine dubio manifestissimam petitionem principij committis, quia tribuis pro ratione conclusionis ipsam conclusionem, quam negamus, tu enim in tua conclusione asseris sola diuina, quia diuina habere distinctionem virtualem, non tamen creata, quia creata: nos autem propter argumenta supra posita probamus creata licet creata, & diuina licet diuina habere conuenientiam in ratione formali distinctionis virtualis, scilicet in affirmatione, & negatione eiusdem de eodem; ex quibus euidenter concludimus, conuenire diuina, & creata in effectu talis rationis formalis, scilicet in habendo distinctionem virtualem propter illud euidentissimum axioma, vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis; tu admissa maiori, & minori, negas consequentiam euidentem: [ergo diuina licet diuina, & creata licet creata habent distinctionem virtualem;] petimus rationem negandi consequentiam syllogismi positi in forma, & figura; tu tribuis pro ratione tuam ipsam conclusionem: ergo petis principium; vnde alia explicatio quærenda est.

Capreolus iudicat, hoc dialecticum principium non valere in diuinis, quia natura diuina est inadæquatè idem cum vna persona, ac propterea non benè infertur identitas vnius personæ cum alia, ex identitate ipsarum cum natura.

Sed contra; quia etiam hæc responsio petit principium, quia naturam esse inadæquate idem cum vna persona, est eam esse idem cum illa, & cum alia distincta realiter ab illa prima; hoc autem quo pacto fieri potest, cum omnia, quæ sunt eadem vni tertio, sint idem inter se, id est sunt adæquatè idem. Præterea quia in creaturis nulla talis inadæquata identitas inuenitur, & ipsummet principium videtur concludere inueniri non posse.

Nec limitatio, quæ ab aliquibus ponitur tollit difficultatem; limitatio est, quæ sunt eadem vni tertio esse idem inter se, nisi obstet oppositio, id est, nisi illa duo extrema maiorem oppositionem habeant inter se, quam cum tertio; quia semper manet difficultas, vt benè aduertit Pater Suarez, quomodo videlicet possint inter se habere oppositionem, quæ distinctionem realem asserat, si alias sunt omnino idem cum vno tertio, & ideo in hac difficultate præmittenda censeo verba Anselmi *libro de Incarnat. cap.6.* vbi hanc difficultatem attingens inquit, [si negat tria dici de vno posse, sicut nos in his tribus personis, & vno Deo fatemur, quoniam hoc in aliis rebus non videt, neque in Deo intelligere valet; subsistendi aliquid, quod eius intellectus penetrare non possit in Deo esse; nec comparet naturam, quæ super omnia est libera ab omni lege, & loci, & temporis, & compositionis rebus aliis, & credat aliquid in ea esse, quod in aliis esse nequeat] idem ferè habet Hilarius *lib.1. de Trinit. in principio*, & omnes Patres in hac materia & D.Thomas *in* 1. post multas solutiones ibi traditas fatetur nullum exemplum posse ad hoc afferri ex creaturis, quod non magis dissimile sit, quam simile.

Tandem Pater Franciscus Suarez *tom. 1. de Deo lib.6. tract. de Trinit. cap. 3.* vbi explicat hoc principium, *num.*7. sic ait: respondeo principium illud quæcumque &c. si in tota abstractione, & analogia entis sumatur abstrahendo ab ente creato, & increato, seu finito, & infinito esse falsum neque directè demonstrari, aut probari posse, sed ad summum inductione posse à nobis ostendi in creaturis, negamus autem indirectè concludi in tota illa vniuersitate, quia in creaturis potest illud oriri ex limitatione earum, & ideo non rectè fit illatio ad rem illimitatam. Sic ille, quibus verbis manifestè docet, hoc principium falsificari semper in diuinis, verificari autem semper in creatis.

Sed contra manifestè, quia non semper falsificatur in increatis; nam sumpto eodem principio pro medio dum de attributis absolutis agitur, verificatur principium, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: sed iustitia, & misericordia diuina sunt eadem vni tertio, scilicet diuinitati realiter: ergo sunt iustitia, & misericordia eadem realiter inter se: ecce verificatur principium sine vlla falsitate in diuinis. Si autem applicatur relationibus diuinis, falsificatur, vt in hoc syllogismo; quæ sunt eadem vni tertio, sunt

eadem inter se: sed paternitas, & filiatio sunt eadem realiter vni tertio, videlicet diuinæ naturæ: ergo paternitas, & filiatio sunt eadem realiter inter se; conclusio enim hæretica est: ergo nec semper falsificatur in diuinis, nec semper verificatur: ergo ad verificationem, vel falsificationem cognoscendam, non est recurrendum ad infinitatem, quia in diuinis semper datur infinitudo, & nihilominus in diuinis non semper verificatur, aut falsificatur.

§.

*Nostra sententia variis conclusionibus affirmatiuis declaratur.*

PRima conclusio; hoc principium, quæ sunt eadem vni tertio non est fundamentum syllogismi, cuius medium est terminus communis. Primò, quia quotiescumque aliquod est verum principium formæ syllogisticæ, forma syllogistica semper rectè concludit ex vi illius principij, & ratio est à priori; quia forma syllogistica abstrahit à materia, & consequenter abstrahit à Deo, & à creaturis, quapropter ex vi formæ, aut in nulla materia valebit ars syllogistica, aut si valet ex vi formæ in aliqua materia, necessarium est in omni materia valere; quoniam forma semper in omni materia est eadem: atqui forma syllogistica regulata illo principio, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, quando syllogismus habet pro medio terminum communem, non verificatur, sed falsificatur, vt videre est in exemplo posito de Trinitate, vbi relationes identificantur cum diuinitate, & non identificantur realiter inter se; & ratio est, quia Deus, vel diuinitas, cum qua identificantur relationes, & quæ sumitur pro medio, licet sit quædam res singularis, & indiuidua, nihilominus tamen secundum fidem catholicam est realiter communicabilis; nam propter realem communicabilitatem, & fœcunditatem æquiualet naturæ communi & vniuersali: ergo talis syllogismus si reguletur illo principio, quæ sunt eadem vni tertio &c. vt regulatur de facto falsificabitur; quia syllogismus, qui regulatur illo principio, debet habere pro medio terminum non communem, & vniuersalem: sed omnino singularem; vnde cum in hoc syllogismo sumatur pro medio quædam realitas, quæ verè communicabilis est, consequentia in illa ex vi talis principij non est bona, non quia forma syllogistica ibi deficiat & non concludat: sed potius quia non seruatur, neque applicatur forma syllogistica quoad rem ipsam, sed quoad vocem tantum, & quia syllogismus non regulatur proprio principio, sed alieno; qui si regularetur proprio, rectus esset. Nec potest dici, formam syllogisticam deficere in diuinis, quia infinitudo datur; quia hoc modo loquendi ignorantia Logicæ, ac Theologiæ indicatur; quia qui ita loquuntur, sine dubio viam obstruunt vniuersis ratiocinationibus Theologicis, quibus aliquid demonstratur, siue circa diuina attributa ex principiis naturalibus, siue ex principiis supernaturalibus circa diuinas personas earumque substantiam, aut circa prædestinationem, aut reprobationem; ideoque Catholicis volentibus aliquid probare hæretici pro libito responderent discursum, & omnem illationem non valere, quantumcunque seruauerit omnes regulas syllogismorum, propterea que nullum errorem catholici poterunt ex principiis fidei conuincere.

Tandem efficaciter, quia Deus ipse est principium, & auctor cuiuscumque scientiæ naturalis, etiam syllogisticæ, sicut est auctor cuiuslibet veritatis secundum illud Iacobi [ omne datum optimum, & omne donum perfectum descendens est à Patre luminum. ] Cum autem quæcumque scientia sit lumen creatum, & participatum, debet participari à lumine increato Dei, & non debet opponi cum illo: ergo non potest ipse Deus tunus, & vnus alicui scientiæ, nec alicui naturali veritati repugnare; quod expressè docent Ambrosius 1. *Corinthior.* 12. ad illud; nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Augustinus *lib.* 2. *de sermone Domini in monte, cap.* 15. *& soliloquior. lib.* 1. *cap.* 6. Iustinus *in Dialogo cum Triphone, paulo post medium*, Clemens Alexand. *lib.* 6. *stromat. folio penultimo, & vltimo*: ergo forma syllogistica integre, & formaliter seruata bene suis principiis regulata non falsificatur in diuinis: ergo quando falsificatur, non est quia Deo repugnat talis forma, sed potius, quia non applicantur principia vniuscuiusque syllogismi propria.

Secundò, Probatur principaliter conclusio; quia in creatis hic syllogismus non est rectus, Petrus est homo, Ioannes est homo: ergo Petrus est Ioannes, quia syllogismus regulatur principio, quæ sunt eadem vni tertio, vbi medium est terminus communis, & syllogismus, vbi talis terminus est medium non regulatur principio illo, quæ sunt eadem vni terrio: sed potius principiis, dici de omni, & dici de nullo; cum his tamen conditionibus, vt medium rectè distribuatur, & cætera, de quibus iam in Summulis diximus, quæ conditiones si non seruentur, non fit rectus syllogismus, ratione cuius malè conficitur, hic nuper dictus, quia in illo distributio non est plena, atque perfecta, quod modus arguendi requirit, quare si rectè faciendus sit in illo medium homo, quia per rationem est communis Petro, & Paulo Ioannis &c. debet ita distribui, vt supponatur pro Petro, Paulo, & cæteris. Aliter autem facta, quia violantur leges, & conditiones.

Præterea, quia syllogismis in prima figura factis, in quibus medium est terminus communis non conueniunt ea, quæ petit principium ad sui veritatem, quia in his medium non est realiter vnum & idem, & multo minus est vnum secundum rationem cum suis extremis; exemplum sit hic syllogismus; omne animal est corpus, omnis homo est animal: ergo omnis homo est corpus; vbi animal quod est medium non est realiter vna entitas, siquidem complectitur realitates omnium animalium: Ergo tales syllogismi non regulantur principio illo, quæcumque sunt eadem vni tertio.

Confirmatur; quoniam Aristoteles 1. *Priorum cap.* 4. *& sequentibus, & toto lib.* 8. *Priorum*, vbi ex professo tradit syllogisticam artem, nunquam vtitur hoc principio, quæcumque sunt eadem vni tertio &c. sed nititur semper illi fundamento, dici de omni, & dici de nullo, & quamvis ad hanc vniuersalitatem affirmationis, aut negationis conentur aliqui reducere principium illud, quæcumque sunt eadem vni tertio &c. violenter tamen reducitur, & tamen vis illationis sumitur ex distributa, & vniuersali affirmatione, seu

seu negatione, quæ significatur per Dici de omni.

P. Ruiz, P. Molina, & alij ad probandum hoc ipsum sic arguunt, imo quandoque extrema realiter distinguuntur à medio vt in hoc syllogismo, omne calidum calefacit, hoc ferrum est calidum: ergo hoc ferrum calefacit, vbi calefacere, cum sit actio transiens realiter distinguitur à calido, & similiter calor realiter distinguitur à ferro.

Sed hæc impugnatio falsa est, quia calefactio vt verè prædicetur de calido in tali medio, debet sumi concretiuè, & non abstractiuè, & ideo verba adiectiua quando prædicantur, vt prædicatio sit vera, & non falsa, exponitur per nomen concretum participale; v. g. Petrus currit; ergo Petrus est currens: ergo quando dicitur omne calidum calefacit, non prædicatur ibi calefactio in abstracto, sed in concreto; v. g. omne calidum est calefaciens, sed ferrum est calefaciens: ergo ferrum est calidum; in concreto autem calefaciens, non distinguitur realiter à prædicato, alias non prædicaretur per verbum substantivum, est, quod significat identitatem inter vtrumque; vt videre est in his prædicationibus; v. g. calidum est calefacere, aut calefactio, vbi quia copula est verbum substantivum, quod significat identitatem inter prædicatum & subiectum; & calefactio, seu calefacere distinguitur realiter à subiecto est falsa talis prædicatio: sed hæc prædicatio, calidum calefacit, seu est calefaciens habet pro copula verbum substantivum & est vera: ergo prædicatum est idem cum subiecto: ergo falsa est oppugnatio horum auctorum; efficaces autem sunt, quas nuper posuimus, quibus efficaciter probatur, syllogismum habentem pro medio terminum communem non regulari principio illo, quæ sunt eadem vni tertio &c.

Secunda conclusio; syllogismus, cuius medium est terminus communis fundatur in principio illo dici de omni, & dici de nullo; quia fundatur in perfecta medij distributione, quam significauit Aristoteles per talia principia; & hæc etiam forma verè applicata in mysterio Trinitatis locum habet, obseruando eandem rem singularem propter realem communicabilitatem æquiualere naturæ communi, & ideo ex hac parte addendam esse distributionem, vt forma seruetur rectè regulata cum principiis illis. Si autem aliter fiat hoc, vitiosa erit syllogizatio, quia non exerceretur secundum id, quod petunt principia, quibus regulari deberet, ad hoc vt rectè procederet forma, & figura talis syllogismi, & propterea hæc consequutio [essentia non generat, Pater est essentia: ergo Pater non generat] non valet quia medium commune est, & non est distributum; esset autem bona illatio, si diceretur; [nulla res, quæ est essentia generat, Pater est res, quæ est essentia: ergo Pater non generat.] Tamen sicut consequens est falsum, ita & maior pars antecedentis, & per hæc facile est iudicare de aliis.

Tertia conclusio; principium illud, quæcumque sunt eadem vni tertio, est fundamentum syllogismi expositorij, videlicet cuius medium est terminus non communicabilis; Itaque principium illud intelligendum est de identitate cum aliquo tertio, incommunicabili; seu quod non est commune, & vniuersale, aut formaliter, aut æquiualenter, quo pacto intellectum est vniuersim verum; tam de identitate reali, quam formali, & tam in rebus creatis, quam in increatis, vnde (vt optimè notat P. Molina, cum quo explico hanc conclusionem) intellectum generaliter de quocumque indiuiduo, siue illud communicabile sit multis, siue non, est principium, seu dographum, non secus atque hoc mathematicum. [Omnes lineæ deductæ ab eodem puncto ad idem punctum sunt æquales,] si intelligatur tam de rectis, quam de obliquis, vt patet, quia corda, & arcus sunt lineæ ductæ ab eodem puncto in idem punctum, & sunt inæquales. Probatur conclusio in hoc syllogismo; Filius est secunda persona Trinitatis: sed Verbum est Filius: ergo Verbum est secunda persona Trinitatis: ecce syllogismus expositorius, in quo medium est filius, & filius non est communis, nec formaliter nec æquiualenter respectu secundæ personæ, & Verbi, sed tam in re, quam in munere est omnino singulare, & ideo non æquialet vniuersali, neque superiori, aut latius patenti; & quia regulatur principio, quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; in creatis autem etiam valet, quia hoc indiuiduum est substantia, sed Petrus est hoc indiuiduum: ergo Petrus est substantia, vbi syllogismus rectè concludit, & fundatur in supradicto principio; quia autem regulatur ab illo secundum conditiones, quas petit principium, ideo rectè procedit: ergo tam in creatis, quam in increatis verificatur principium rectè applicatum.

Hinc poteris obseruare discrimen, quod reperitur inter hos duos syllogismos quorum vnus fallitur in consequentia, alter autem verificatur, & nihilominus in vtroque sumitur eadem diuinitas pro medio; syllogismi sunt, Paternitas est essentia diuina, filiatio est essentia diuina: ergo filiatio est paternitas; secundus syllogismus est, iustitia est essentia diuina, misericordia est essentia diuina: ergo misericordia est iustitia. Ratio manifesta discriminis est, quia licet eadem essentia diuina sumatur pro medio in vtroque syllogismo, nihilominus in syllogismo Trinitatis est terminus communis realiter, & realiter communicabilis, quapropter etiam si singularis entitas sit, æquialet vniuersali formali, quia communicatur ratione fœcunditatis diuinæ pluribus non conuertibilibus cum diuinitate; vnde diuinitas respectu Patris, Filij, & Spiritus sancti, & respectu relationum ita se habet in munere, sicut terminus vniuersalis formalis ratione æquiualentiæ ad illum; vnde sicut homo ita prædicatur de Petro, vt non conuertatur cum illo in prædicatione, & ideo est verum est Petrus & est homo; non autem valet; est homo: ergo est Petrus, quia homo latius patet formaliter, quam Petrus, sic similiter est verum dicere in diuinis; est Pater: ergo est Deus; non autem benè valet; est Deus: ergo Pater; quia Spiritus sanctus non est Pater, & est Deus; sicut filius est verè Deus, & non est Pater, ecce quomodo Deus respectu trium personarum, & relationum non est terminus incommunicabilis, sed potius communicabilis; quapropter syllogismus, vbi ponitur pro medio Deus, diuina essentia, seu natura diuina respectu trium diuinarum personarum non est expositorius, ac proinde cum regulatur, aut intenditur regulari cum tali principio, quæ sunt eadem vni tertio, falsificatur; alter autem syllogismus de Deo respectu attributorum est verè

expositorius;

expositorius; quia Deus respectu attributorum est res singularis omnino cum æqualitate respectu attributorum; vnde neque latius patet Deus quam iustitia, neque iustitia minus patet quam Deus, & idem est de misericordia, & reliquis attributis absolutis; vnde benè valet ad conuertentiam, est Deus: ergo iustitia diuina; est iustitia diuina: ergo Deus. Item est misericordia: ergo Deus &c.

Ratio est manifesta, tum quia nulla essentia est vniuersalis, aut communis respectu suorum attributorum, sed potius est æqualis cum illis; quod videre licet in vniuersalissimo omnium conceptu, ente nimirum, quod licet sit superius, & commune respectu huius, & illius entis, cum quibus non conuertitur in consequentia, nihilominus tamen respectu suorum attributorum non dicitur commune, superius, & vniuersale: sed potius æquale, & ratio euidens est, quia conuertuntur in consequentia, est ens: ergo bonum; est bonum: ergo ens &c. & ideo non potest aliquis cum veritate affirmare, ens latius patere, quam aliquod attributum illius; atqui iustitia, & misericordia, & reliqua absoluta sunt attributa adæquata Dei æqualia illi, conuertibilia in consequentia cum ipso, respectu quorum non patet latius Deus: ergo Deus respectu illorum non est terminus communis, nec se potest habere per modum superioris, & vniuersalis, & per consequens nec vt communicabilis realiter, quia omnis communicabilitas realis diuinæ naturæ est in ordine ad productionem realem vnius respectu alterius; cum autem talis productio non exerceatur respectu attributorum, sed potius respectu personarum, inde est quod Deus non sit terminus communicabilis respectu attributorum, sed potius respectu personarum: ergo Deus respectu attributorum, & quatenus est medium, quod identificatur cum illis est omnino incommunicabilis, & singularis, & nullo modo communis, quapropter syllogismus, in quo sumitur pro medio identitas attributorum cum Deo ad eliciendum in conclusione identitatem attributorum inter se erit expositorius in toto rigore, & sic benè regulatus cum principio, quæcumque sunt &c. & sic consequentia est recta, & vera, ratione cuius in alio syllogismo Trinitatis consequentia est falsa; quia cum non sit expositorius, non regulatur cum proprio principio, sed cum alieno, non applicando conditiones talis principij. Explicatur hoc.

Nam quemadmodum ex identitate reali creata duorum, cum aliquo tertio communi, vt Socratis, & Platonis cum homine non sequitur identitas illorum inter se, eo quod tertium illud non est æquale, nec omnino singulare respectu illorum extremorum, sed potius est commune, & latius patens illis, non sequitur identitas in conclusione; ita ex identitate reali, aut formali increata & diuina aliquorum duorum cum aliquo singulari communi multis communitate reali non conuertibili in consequentia cum extremis, non sequitur identitas realis, aut formalis illorum inter se, quia illud tertium non est incommunicabile, sed potius communicabile; vt enim non sequatur identitas realis, aut formalis duorum incommunicabilium inter se ex eorumdem identitate cum aliquo tertio, perinde est tertium illud commune esse communitate reali, ac communitate solum rationis, cum eadem ratio formalis concurrat in vno, ac in altero respectu syllogismi; quare sicut hæc consequentia nulla est, Socrates est idem re cum homine, Plato est idem re cum homine: ergo Plato est idem re cum Socrate; ita hæc consequentia est nulla, Pater, seu Paternitas est idem cum essentia diuina, Filius, seu filiatio est idem cum eadem essentia diuina: ergo sunt idem inter se.

Ex hoc principio sic intellecto, sumptaque identitate latius, quam satis est, vt prædicatum verè tribuatur subiecto (forma namque re, & ratione formali distincta à subiecto verè illi tribuitur significata in concreto, eo quod habeat proportionatam identitatem cum illo ratione subiecti, quod præcipuè significatur in concreto accidentali) vim habent syllogismi expositorij, solum enim valent, quando idem numero non est communicatum multis, vel suppositis, vel subiectis, quæ de se inuicem non prædicantur, vt regulariter non solet esse communicatum, quod si idem numero sit multis, vel suppositis, vel subiectis communicatum, non valet consequentia; vnde si Deus de potentia absoluta collocaret simul eandem numero albedinem in Petro, & Paulo (quod naturæ lumen indicat non inuoluere contradictionem) hæc consequentia nulla esset, Socrates est hoc album, Plato est hoc album: ergo Plato est Socrates, quia iam medium non est idem numero singulare, cum ibi album non supponat pro albedine, sed pro subiecto, & subiecta sunt distincta realiter etiam si albedo sit eadem, quia vt dixi, concretum accidentale præcipuè significat subiectum, secundario formam.

Quibus clarè manet explicatum principium, quod si applicetur eo modo quo diximus, semper suam veritatem retinebit, siue in diuinis, siue in humanis, quapropter falsissima est illorum sententia, qui dicunt eo ipso, quod applicetur in diuinis falsificari; quod tum ratione, tum exemplis manifestis demonstratum est esse falsum.

Quodlibet, vel est vel non est; de hoc principio latè egi in Logica, *tractatu de principiis, disput. vltima*, nihilominus breuiter sic est declarandum nunc, vbi aduerte, ly *quodlibet* non significare in particulari aliquid reale, sed quodcumque obiectum, quod voce profertur, aut apprehenditur mente, vt si quis hæc verba proferat; Deus, mons aureus, de Deo verum est asserere; Deus est, vel non est de monte aureo, mons aureus est, vel non est, & sic de significato cuiusque vocis ly *est*, dicit aptitudinem ad existendum, aptarique potest, tam existentiæ actuali, quam in potentia; quod primum principium adeo est per se notum, vt præclaritate sit obscurum; explicatur, continet enim terminos clarissimos, quos aliis clarioribus explanare non possumus; nam dum res est, sine dubio est, & habet esse, tunc autem non caret esse, nec definit esse; dum vero res non est, neque habet esse, tunc autem non potest dici esse, neque habere esse, quia componi non possunt esse simul, & non esse eiusdem rei eisdem circunstantiis &c. quia esse, & non esse conuertibiliter destruuntur; vnde euidentia metaphysica, quæ in hoc principio fundatur, dicitur quando obiectum tam clarè conspicitur, vt omnino repugnet aliter fieri, vt per manifestam consequentiam sequitur ratione huius principij, quodlibet est, vel non est; euidentia hæc superat aliam quamcunque euidentiam; quia obiectum necessarium, si sic proponitur,

ponitur, est aptius ad maiorem euidentiam actus; quis enim neget hoc principium, quodlibet est, vel non est, esse multo clarius, & infallibilius cognosci, quam hoc, Angelus est substantia completa; ratio est, quia sicut res materiales diuersis luminibus offunduntur, quorum vnum est maius alio; sic intellectus luces habet diuersas, quarum vna maior est aliis.

Quando sunt duo agentia, quorum vnum est fortius, & alterum debilius, fortius citiùs producit suum effectum quam debilius. Ita Aristoteles 2. *de generat. text.* 22. explicat hoc Venerabilis Beda his verbis: [ verum est de agentibus per abiectionem contrarij, quia vbi est contrarietas ibi est resistentia, & vbi est resistentia, ibi est successio, vt dicit Commentator in 4. *Physic. comment.* 71. fallit autem in agentibus sine contrarij abiectione, sicut patet in duobus corporibus luminosis, quorum vnum sit intentius altero; vtrumque enim in instanti illuminat, licet lumen productum à potentiori sit intentius lumine producto à debiliori.

Quæcumque differunt plusquam numero, differunt specie, ita Aristoteles 5. *metaphys.* Respondetur, quod Philosophus vult, quod quæcumque differunt plusquam numero essentialiter, illa differunt specie, & sic non oportet quod vir, & mulier differant specie; sicut nec Petrus albus & Ioannes niger differunt specie, quia solum differunt accidentaliter.

Quæcumque sunt eiusdem speciei, quidquid vni conuenit, conuenit & reliquis; sic Aristoteles 2. *met. text.* 2. intelligitur essentialiter, vel de prædicatis essentialibus, similiter de propriis accidentibus, de aliis enim multum falli.

R

RElatiua sunt simul natura in prædicamentis. Ita Aristoteles ibidem, vbi aduertendum duo esse necessaria, vt aliqua sint simul natura; vnum quod mutua sit ab vno ad alterum consequentia quantum ad eorum existentiam, alterum vt neutrum sit causa alterius; defectu prioris superius, & inferius non sunt simul natura; quia & si valeat, homo est: ergo animal est, non tamen valet: animal est: ergo homo est, defectu posterioris sol, & lux non sunt simul natura; quia sol est causa lucis; vtrumque autem habent correlatiua, quorum vnum non refertur ad aliud formaliter: valet enim consequentia mutua ab vno ad alterum, & vnum alterius non est causa, quæ tamen duæ conditiones in eis verificantur quatenus relatiua sunt siue secundum ipsam formam relationis, non autem secundum fundamentum, & subiectum relationis; homo enim ille, qui est Pater, vtique prior est homine, qui est ipsius filius, & est causa eius, attamen quatenus Pater non est prior filio, nec magis dependet secundum hanc relationem ab eo filius, quam ipse à filio; vnde vel neutrum est causa alterius vt communiter dicunt Doctores, vel sunt sibi inuicem causa vt dicit Simplicius cum Archita.

Res naturales, & artificiales sunt distinctæ, quia res naturales secundum substantiam dicuntur tales, artificiales autem secundum formam accidentalem; ita Aristoteles 2. *Physicor.* Ratio est; quia ars formam accidentalem introducit in subiectum completum; natura autem formam substantialem producit.

S

SEmper in vno genere est contrarietas. Ita Philosophus 1. *Physicor. text.* 56. verum est de contrarietate secundum esse, & non esse, id est secundum priuationem, & habitum; nam in omni genere est vna contrarietas, scilicet priuatio, & forma, vel secundum contrarias differentias condiuidentes illud genus.

Sola species habet proprium, per Porphyrium intelligitur, quod proprium magis attribuitur speciei, quam alteri; quia proprium strictè sumptum dimanat ab essentia rei, id est specie, vel dicitur quod ipse capit speciem communiter pro quolibet subiecto communi.

Solius est metaphysicæ de quidditatibus omnium rerum considerare; ita Aristoteles 6. *met.* Respondetur verum esse in communi, aut in particulari sub ratione formali metaphysicæ; quia Philosophia contemplatur hominem, terram, & alia id genus, quidditatiuè quidem sub propriis principiis, & ratione formali.

Sola metaphysica est scientia communis. Ita Aristoteles 1 *metaph.* explicat hoc D. Thomas his verbis. Respondetur, quod Philosophus ibi considerat scientiam esse communem ratione principiorum, vel obiectorum, & sic respectu aliarum scientiarum; metaphysica vtique est communis; quia considerat communiora, ac proinde superiori quodammodo declarat, confirmat, & corroborat principia aliarum scientiarum, vt supra diximus.

Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis ad magis, ita Aristoteles 2. *metaph.* intelligitur ita vt quando aliquid non pertinet simpliciter ad aliquod genus, nec maior perfectio illius pertineat ad maiorem perfectionem illius generis; vt v.g. tempus, si non est pars durationis simpliciter, nec maius tempus erit pars maioris durationis, si autem è contra tempus fuerit pars durationis simpliciter, etiam maius tempus erit pars maioris durationis, & quia quantitas, nullas partes substantiæ tribuit; maior quantitas non potest maiores partes tribuere substantiæ; vnde quia vnio non constituit qualitatem, nec maior vnio potest constituere maiorem qualitatem, id est magis intensam, vt latè probauimus *libris de generat.*

T

TRiplex est substantia tantum; scilicet forma, materia, & totum compositum; ita Aristoteles 2. *de anima*, & 8. *metaphys.* hic loquitur Aristoteles, vt inquit D. Thomas, de ente essentialiter composito, substantiali, vbi tantum tres realitates simpliciter reperiuntur, & vnus modus, realitates sunt materia & forma, quæ componunt totum, & in illo includuntur, & ipsum totum, quod includit ipsas; quia ab ipsis essentialiter componitur; modus autem est vnio, media qua forma, & materia componunt compositum.

Totum non cognoscitur ignoratis partibus quibus constat; ita Aristoteles 1. *Physic. text.* 35. Ratio est; quia sicut se res habet ad esse, ita ad cognosci, ex partibus autem resultat esse totius; si igitur fuerit totum essentiale, & secundum qualitates, vt ait Auerroes debent fieri partes eius essentiales, vt materia, & forma; sin autem fuerit totum secundum qualitatem, debent fieri partes

eius

eius non communicantes, id est, quæ situ distinctæ, ac sæparatæ sunt, & vna est extra aliam; vnde Aristoteles 2. *Physic.* sic ait; totum sapit naturam suarum partium.

Totum, & perfectum sunt penitus idem; ita Aristoteles 2. *Phys.* & 4. *Metaphys.* intelligitur, inquit D. Thomas, quando totum capitur cathegorematicè, & non quando capitur syncathegorematicè, hoc est quando sumitur pro re numeris omnibus absoluta, & cum omni perfectione sibi debita secundum illud axioma D. Dionysij, bonum, id est, perfectum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu.

V

VNiuersale, aut nihil est, aut posterius est; ita Aristoteles 2. *de anima*: optimè explicat D. Thomas ibidem, *lect.* 2. intelligitur, vniuersale in essendo secundum imaginationem Platonis; nihil est; quia omne quod à parte rei est, singulare est, vt autem importat conceptum, communem vnius rei ad alias sic posterius est rebus singularibus, à quibus abstrahitur; cum enim multa indiuidua considerantur ab intellectu, quatenus similia in natura humana, non diuisibili, & variabili per aliquas differentias essentiales, & accidentales, mox istam considerationem consequitur ratio vniuersalis respectu naturæ humanæ, nempè ratio speciei: Nempè sicut si quis vertat faciem ad speculum, naturaliter ibi eius species apparet, ita rem obiectiuè dicto modo existentem in intellectu naturaliter consequitur aliqua talis proprietas intentionalis, vel aliquod eusmodi ens rationis, genus, species, &c.

Vni vnum dicitur esse contrarium; sic Aristot. 10. *Metaphys. text.* 24. Respondet Alexander dicendo; quod quando hoc sumitur simpliciter; sic vni vnum est contrarium; sed quando non intelligitur simpliciter, non in conuenit vni, plura esse contraria; nam aliquid secundum aliud & aliud, licet numero sit idem, potest plura habere contraria; nam eadem nix numero alba, & frigida est, & habet calorem, & nigredinem opposita sibi. D. Thomas intelligit de oppositione immediata & maxima, scilicet de oppositione contradictoria, tunc autem vni vnum solum est oppositum immediatum, scilicet contradictorium; vnde homo solum habet vnum oppositum scilicet non hominem, sicut Deus non Deum; quod ex ipsis terminis patet.

Vnus est tantum Princeps rerum; ita Aristoteles 12. *Metaphys.* vbi demonstrauit, dari solum vnum Deum, & concludit Philosophus post demonstrationem non valet pluralitas principum; sit ergo vnus princeps, vnus primus motor, vna causa prima: sed secundum fidem sic intelligitur; vnus est tantum Princeps, id est vnus Deus singularis in essentia, & trinus in personis; Rex Regum, & Dominus dominantium, à quo omnia bona fluxerunt, qui sit benedictus in sæcula sæculorum Amen.



INDEX

# INDEX
## RERVM ET VERBORVM,
## quæ in hoc secundo Tomo continentur.


A

*ACCIDENS.*

ACcidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est, *disputat. vlt. per totam, p.* 78.
Accidens definitur per subiectum, *ibid.*
Accidens non migrat de subiecto in subiectum, *p.* 79.

*ACTIO ET ACTVS.*

An actiones versentur circa singularia vel circa vniversalia, *disp.* 14. *q.* 2. *n.* 69. *vsque ad* 81. *p.* 14. *vsque ad* 17.
Actiones sunt suppositorum, *disputat. vltim. p.* 80.
Actus separat & distinguit, *ibid. p.* 82.
Actui repugnat accidere actum, *ibid.*

*ANGELVS.*

Demonstratur evidenter possibilitas Angelorum, *disp.* 16. *q.* 1. *num.* 10. *vsque ad* 14. *p.* 114.
Actualis existentia Angelorum nec physice potest demonstrari sive à priori, sive à posteriori rigorosa demonstratione, *ibid. n.* 15. *vsque ad* 34. *p.* 114.
Quid fide Catholica tenendum in hoc negotio, *n.* 36. & 37. *p.* 117.
Bene potest Deus producere plures Angelos solo numero distinctos, *disp.* 16. *q.* 2. *n.* 3. *vsque ad* 27. *p.* 118.
De lege ordinaria possunt esse solo numero differentes, *ibidem numer.* 28. *vsque ad* 38. *p.* 122.
Angeli sunt adæquate & totaliter spirituales, *disputat.* 16. *quæst.* 3. *numer.* 1. *vsque ad* 5. *p.* 124.
Angeli sunt in loco non per operationem sed per præsentiam *numer.* 6. *vsque ad* 24. *p.* 125.
Perfectior est intellectus Angelicus essentialiter intellectu humano, *ibid. q.* 4. *num.* 2. *vsque ad* 4. *p.* 127.
Quod sit obiectum intellectus Angelici, *disp.* 16. *q.* 4. *n.* 4. *vsque ad* 10. *p.* 127.
Species impressæ non manarunt ab intellectu Angeli, sed à Deo sunt infusæ, *num.* 11. *p.* 128.
De fide est non cognoscere Angelos libera futura, *numer.* 12. *vsque ad* 15. *pagina* 128. & 129.
Quid de discursu Angelorum sentiendum sit, *n.* 16. *vsque ad* 18. *p.* 129.
Quomodo vnus Angelus loquatur alteri, *ibidem.*
De potentia productiva Angelorum agitur tota quæstione vltima, *p.* 130.
Æterno nihil est prius, *disp. de Princip. p.* 83.

B

*BONVM.*

BOnum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu, *disput. de Princip. p.* 82.
Bonum & malum sunt contrariè opposita, *disp. de Princip. p.* 82.

C

*CAVSA.*

CAusa prima concurrit cum omni secunda, nihil imprimendo ipsi causæ secundæ prævium ad actionem illius, *disp.* 19. *q. vlt. per totam, p.* 423.

*CONVENIENS.*

Conveniens fit à convenienti, *disp. de Principi p.* 82.

*CONTRARIA.*

Contraria maxime distant, *disputat. de Princip. p.* 82.
Contraria debent esse in eodem genere; *disp. de Princip. p.* 82.

*CONTRARIETAS.*

Contrarietas in omnibus prædicamentis est quæsita in sola qualitate reperta;*disp.de Princip.p.82.*

Contra negantem principia non est amplius, disputandum,*disp.de Princip.p.82.*

D

*DANS.*

DAns formam dat omnia consequentia ad formam,*disp.de Princip.ibid.*

*DESCENDENS.*

Descendentem à generalissimis ad specialissima necesse est ire per multitudinem,*disp. de Princip.p.82.*

*DEVS.*

Deus est ens,quo melius excogitari non potest; *disp.de Princip.ibid.p.82.*

Deus & natura nihil faciunt frustra,*disp.de Princip.ibid.*

An Deus per asseitatem constituatur formalissime, *disp.18.q. vlt. per totam , p.264. vsque ad 274.*

Verum Deus formaliter per intellectionem constituatur, *disp.18. q.2. per totam , p.231. vsque ad 264.*

*SCIENTIA Dei.*

In Deo datur intellectus , scientia , & intellectio , *disput.18.quæst.1.per totam , p.224. vsque ad 230.*

Deus cognoscit ens rationis , *disput. vlt. quæst.8. p.37.*

Quia omne id quod continetur sub obiecto cognitionis creatæ continetur sub obiecto cognitionis increatæ, demonstratur contra Patrem Vasquez cognoscere ens rationis,*n.9.vsque ad 21.p.38.*

Solutiones adversariorum refutantur, *n.22.vsque ad 38.p.40.*

Eo quod Deus vere comprehendat intellectum creatum probatur ac demonstratur eadem veritas,*ibid.n.38.vsque ad 61,p.43.*

Si Deus non cognosceret ens rationis sequeretur illud efficere , *ibidem numer. 63. & 64. p. 48. & 49.*

Deus cognoscit pure speculative ens rationis, *ibid.n.64.vsque ad 66.p.49.*

Deus non facit ens rationis , *ibidem quæst. 9. p.53.*

Probatur hæc veritas Auctoritate Sacræ Scripturæ,*n.14.vsque ad 20.p.56.*

Ex eo quod cognitio divina sit infinita tam intensivè quàm extensivè comprehensio probatur non posse facere ens rationis , *n.21, vsque ad 35,p.60.vsque ad 66.*

Quia Deus non cognoscit res aliter ac sunt probatur nostra veritas,*ibid.num.36.vsque ad 43. p.66,& 67.*

Si Deus faceret ens rationis, vna entitas haberet duplicem existentiam, *ibid. n.46. vsque ad 51, p.68.& 69.*

Vocare entia existentia à parte rei , quia diminuta sunt entia rationis,falsissimum est, *ibid. n.54.vsque ad 74.p.70.*

Quoddam difficile ex prædestinationis Christi petitum argumentum , quo probant adversarij Deum facere ens rationis , solvitur , & solutiones Aliorum refutantur,*ibid. n.74. vsque ad 90.p.74.vsque ad 77.*

*DEVS Cognoscibilis.*

Evidenti demonstratione probatur Dei existentia,*disp.17.q.1.sect.2.p.135.*

Est de fide hæc veritas *n.1. vsque ad 114.p.135. vsque ad 159.*

Auctoritate omnium hominum probatur , *ibid. n.115.vsque ad 124.p.160.& 161.*

Demonstrationibus probatur hæc veritas,*n.125, vsque ad 240.p.162.vsque ad 181.*

*DIVINA Perfectio.*

Deus est summe , & infinite perfectus , *disp.17. q.2.num.1.vsque ad 34.p.183.*

Deus est infinitus , *ibid. q.3. num.9. vsque ad 20. p.190.*

Deus est spiritualis, vivens,omnipotens,immensus,*disp.17.quæst.4.per totam p.204.*

Deus est pure spiritualis,*ibid.num.1. vsque ad 14. p.204.*

Deus est omnipotens, *ibid. num.25. vsque ad 30. p.209.*

Deus est immensus, *ibid. n.3.p.204.*

Verum Deus sit in spatijs imaginarijs *disp. 17. q.4.per totam p.204.*

*DEI Concursus.*

An Deus quando concurrit ad operandum cum creaturis imprimat aliquid prævium ante actionem,*disp. 19. quæst. vlt. per totam p.423.*

*DEI identitas, & distinctio.*

Accutissima ratione reijcitur distinctio formalis à Deo à parte rei inter prædicata, *disp. vlt. de Princip.p.97.*

Item auctoritate Concilij Lateranensis probatur hæc veritas,*ibid.p.92.*

Ex Concilio Florentino idem probatur,*ibid.*

*DIVINA Voluntas.*

In Deo datur voluntas , *disp. 19. q.1. per totam p.284.*

Ratio Divi Thomæ explicatur , & defenditur, *ibid. numer. 16. vsque ad 25. p.287.& 288.*

Aliquæ obiectiones dilvuntur,*n.26.p.289.*

In Deo datur libertas , *ibid. quæst. 2. per totam pag. 289. Et sect. 6. num.37.vsque ad 72. p. 296.*

Actus liber Dei non constituitur formaliter, & vltimo per creatam formalitatem , *ibid.p. 301.*

Henize & alij Neoterici efficaciter oppugnantur,*n.75.ibid.*

Deus potest remittere peccatum per condonationem extrinsecam, & ex tali condonatione probatur nostra veritas, *ibid. num.* 185. *vsque ad* 239. *p.* 326.
Mirabili comparatione inter misericordiam, & omnipotentiam producentem ex nihilo probatur idem, *ibid. n.* 241. *p.* 335.
Actus liber Dei non completur per ens rationis circa quod mens Patris Vasquez enucleatur, *num.* 326. *vsque ad* 368. *p.* 350.
Sententia Patris Suarez oppugnatur refellendo terminationem actus liberi Dei quam ponit ipse, *num.* 369. *vsque ad* 382. *p.* 358.
Caietani sententia circa actus liberos Dei data opera refutatur, *ibid. num.* 382. *vsque ad* 384. *p.* 378.
An contingentia virtualis, & peræquivalentiam sufficiat ad actum liberum Dei, *disp.* 19. *q.* 3. *per totam, p.* 397.
Propria sententia circa constitutionem actus liberi late explicatur tribus conclusionibus, *ibid. n.* 13. *vsque ad* 30. *p.* 401.
Argumenta adversaria solvuntur, *n.* 31. 32. & 33. *p.* 414. *vsque ad* 423.

*DEI Vita.*

Ostendo vitam Dei non consistere in motu formali à se, *disp.* 19. *q.* 3. *in fine.*
In quo consistat explicatur, *ibid.*

*DIFFERENTIA.*

Differentia sumitur à forma; *disp. de Princip. ibid. p.* 82.
Differentiæ vltimæ rerum non recipiunt magis, & minus; *disp. de Princip. ibid.*

E

*ENS Rationis.*

AN sit ens rationis, & quid sit late explicatur, *disp. vlt. q.* 1. *per totam p.* 1.
Ens rationis non est denominatio extrinseca, *ibid. q.* 1. *n.* 21. *vsque ad* 27. *p.* 3.
Essentia & definitio entis rationis ponitur, & probatur, *ibid. num.* 28. *vsque ad* 37. *p.* 4.
Ens rationis non est privatio aut negatio entis realis, *ibid. quæst.* 2. *numer.* 38. *vsque ad* 53. *p.* 12.
Ens rationis non est purum nihil, *ibid. q.* 3. *n.* 6. *vsque ad* 11. *p.* 16.
Vtrum ens rationis sit prima vel secunda intentio, *ibid. q.* 4. *p.* 17.
Ens rationis non dividitur adæquate in negationem, privationem, & relationem, *disp. vlt. q.* 5. *n.* 12. *vsque ad* 29. *p.* 20.
Ens rationis aliud est positivum aliud negativum; *ibid. n.* 30. *vsque ad* 34. *p.* 23.

*ENTIS Rationis causa.*

Ens rationis non fit à voluntate neque ab apetitu sensitivo, *disp. vlt. q.* 6. *n.* 11. *vsque ad* 20. *p.* 24. & 25.
Omnes potentiæ cognoscentes, sive materiales sint, sive spirituales, faciunt ens fictum, *ibid. num.* 21. *vsque ad* 32. *p.* 21.
Potentiæ cognoscitivæ materiales non faciunt relationem rationis, *ibid. n.* 58. *p.* 31.
Non est necesse vt cognitio per quam fit ens rationis sit reflexa, *ibid. quæst.* 7. *numer.* 7. *p.* 33.
Per simplicem apprehensionem fit ens rationis, *q.* 7. *n.* 21. *vsque ad* 36. *p.* 34.
Omnis actus per quam fit ens rationis, est falsus, *ibid. n.* 35. *vsque ad* 40. *p.* 36.
Ens rationis cognoscitur à Deo, & non fit ab ipso, *ibid. q.* 8. & 9. *p.* 37.
Ex duobus entibus in actu non fit vnum tertium, *disp. de Princip. p.* 83.

*ESSENTIA.*

Quare essentia dicatur æternæ veritatis, *disp.* 14. *q.* 2. *p.* 3.
Essentia est primum omnium constitutivorum *disp. de Princip. p.* 83.
Eadem sunt principia essendi, & cognoscendi, *ibid. p.* 82.

*EXISTENTIA.*

Existentia vt sic provt abstrahit à creata, & increata non est ratio formalis per quam res ponitur extra causas, *disp.* 14. *q.* 1. *n.* 3. *vsque ad* 4. *p.* 1.
Existentia vt sic est ratio formalis per quam res constituitur in esse entis simpliciter, *ibid. n.* 6. *vsque ad* 11. *p.* 1. & 2.
Existentia vt sic nec est accidens, nec substantia, nec res, nec modus; sed abstrahit ab his omnibus, *ibid. n.* 12. *p.* 2.
Existentia non distinguitur à parte rei ab essentia actuali, *disp.* 14. *q.* 2. *p.* 3.
Evidenti auctoritate Aristotelis probatur hæc veritas, *n.* 18. 19. & 20. *p.* 4. *vsque ad* 6.
Probatur idem Auctoritate Divi Thomæ, *n.* 21. *vsque ad* 25. *p.* 6. & 7.
Quia prædicata quidditativa realia non distinguntur ab existentia, quæ illis immediate, correspondet, probatur eadem veritas, *ibid. n.* 26. *vsque ad* 46. *p.* 7.
Quia gradus superior non distinguitur ab inferiori probatur non distingui essentiam ab existentia, *ibid. numer.* 48. *vsque ad* 55. *p.* 10.
Eo quod essentia actualis distinguatur à possibilitate per se ipsam probo existentiam non distingui ab essentia actuali à parte rei, *ibid. n.* 56. *vsque ad* 69. *p.* 12.
Ex Christo Domino probatur manifeste essentiam actualem non distingui ab existentia, *ibid. n.* 77. *vsque ad* 98. *p.* 16.
Ex eo quod actualitas essentiæ non distinguatur ab existentia, neque ab ipsa essentia, demonstratur existentiam non distingui ab essentia, *ibid. n.* 98. *p.* 19.
Ex eo quod B. Virgo sit vera mater Christi demonstratur nostra veritas, *ibid. num.* 102. *vsque ad* 111. *p.* 20.
Ex eo quod humanitas Christi Domini sit vere producta, & participata à Deo constat nostra veritas, *ibid. n.* 99. *vsque ad* 124. *p.* 19.
Efficacissimo argumento probatur quod essen-

tia actualis non distinguatur,*ibid. n.*161. *vsque ad* 200.*p.*30.
Existentia non distinguitur per rationem distinctione excludentis ab excluso ab essentia actuali,*disp.*14.*q.*3.*per totam*,*p.*39.
Si existentia vt sic comparetur cum essentijs particularibus ratione distinguitur ab illis distinctione includentis ab incluso,*ibid.num.*15. *p.* 40
Existentia est ita necessaria ad operandum vt sine illa nec divinitus possit dari operatio, *disp.*14.*q.vlt.n.*11.*vsque ad* 36.*p.*41.
Eo quod actio sit relatio transcendentalis ex illis quæ petunt terminum actu existentem probatur idem, *ibid. numer.* 27. *vsque ad* 47. *p.*44.
Quia agere est prædicatum contingens & accidentale probatur existentiam esse necessariam ad operandum,*ibid. num.*47.*vsque ad* 50.*p.*47. *&* 48.
Existentia non est virtus nec ratio formalis operandi, *ibidem numer.* 52. *vsque ad* 55. *p.* 49.
Quia existentia est prædicatum commune operativis & non operativis non potest esse ratio formalis operandi, *ibid.num.*56.*vsque ad* 65. *p.* 50.

*EVIDENTIA.*

Late agitur de evidentia in attestante, *disp.* 17. *q.*1.*n.*42. *vsque ad* 109.*p.*147.

F

*FORMA.*

FOrmæ non est forma, *disputat. de Princip. p.* 83.
Forma est quæ dat esse,*disp.de Princip.p.*83.

G

*GENVS.*

GEnus est materia speciei, *disp. de Princip. p.* 83.

H

*HOMO.*

HOmo est quodammodo finis omnium, *disput. de Princip. p.*83.

I

*IMPOSSIBILE.*

IMpossibile est idem simul esse & non esse,*disp. de Princip.p* 84.
In æternis non differt esse à posse, *disp. de Princip.p.*85.
In Deo sunt omnia,*ibid.*
In nullo genere causarum per se subordinatarum processus est in infinitum,,*ibid.*
Idem est agens disponens materiam & inducens formam,*ibid.*

L

*LIBERTAS.*

PRobatur manifeste quod libertas petat potentiam activam,*disp.*19.*q.vlt.p.*423.
Late impugnatur Pater Arriaga,*ibid.*

*LOCVS.*

Locus Dei sunt omnia,*disp.de Princip.p.*85.

M

*MAGIS, & MINVS.*

MAgis & minus non differunt specie, vel non diversificant ipsam,*disp.de Princip. p.* 85.

*MATERIA.*

Materia non est in Deo,*disp.de Princip.p.*85.

N

*NEMO.*

NEmo dat quod nó habet,*disp.de Princ.p.*85.
Non ens non intelligitur,*ibid.*
Nulla potentia est ad præteritum,*ibid.p.*85.

*NIHIL.*

Nihil agit vltra gradum suæ perfectionis,*disp.de Princip.p.*85.
Nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu, *disput.de Princip.p.*85.
Nihil volitum quin præcognitum,*ibid.*

O

*OMNIS & OMNE.*

OMnis homo naturaliter scire desiderat,*disp. de Princip.p.*86.
Omne totum est maius sua parte,*ibid.p.*88.
Omne vnum est indivisibile,*ibid.*
Omne quod est,ideo est, quia vnum numero est, *ibid.*
Omne quod inest meliori & nobiliori quatenus tali magis est eligendum,*ibid.*
Omne quod producitur primo, ab alio producitur,*ibid.*
Omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur,*disp.de Princip.p.*90.

*OPERATIO.*

Operatio sequitur esse,vel modus operandi sequitur modum essendi,*disp.de Princip.p.*90.

*OPPOSITVM.*

Oppositorum eadem est disciplina,*disp. de Princip.p.*88.

*OPTIMVS.*

Optimi est optimum facere,*disp.de Princip.p.*88.

# Index Rerum, & Verborum.

P

## PASSIO.


PAssio sequitur actionem, *disp. de Princip. p.* 91.


## PECCATVM.


Peccatum tolli potest per extrinsecam condonationem, *disp.* 19. *p.* 284.
Vide *Actus liber Dei.*
Posito impossibili sequitur quodlibet, *disp. de Princip. p.* 90.
Posito possibili in actu nullum sequitur inconveniens, *ibid.*
Propter quod vnumquodque tale, semper & illud magis tale est, *ibid.*


Q

## QVÆCVMQVE.


QVæcumque sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, *disp. de Princip. p.* 91. *vsque ad* 106.
Quæcumque differunt pluſquam numero, differunt specie, *disp. de Princip. p.* 107.
Quæcunque sunt eiusdem speciei quidquid vni convenit, convenit & reliquis, *ibid.*
Quodlibet vel est, vel non est, *disp. de Princip. p.* 106.
Quando sunt duo agentia quorum vnum est fortius, & alterum debilius, fortius citiùs producit suum effectum quam debilius, *disp. de Princip. p.* 107.


R

## RELATIVA.


RElativa sunt simul natura in prædicamentis, *disp. de Princip. p.* 107.


## RES.


Res naturales & artificiales sunt distinctæ, quia res naturales secundum substantiam dicuntur tales, artificiales autem secundum formam accidentalem, *disp. de Princip. p.* 107.


S

## SEMPER.


SEmper in vno genere est contrarietas, *disp. de Princip. p.* 107.


## SOLA.


Sola species habet proprium, *disp. de Princip. p.* 107.
Solius est metaphysicæ de quidditatibus omnium rerum considerare, *ibid.*
Sola metaphysica est scientia communis, *disp. de Princip. ib.*


## SIMPLICITER.


Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis ad magis, *disp. de princip. p.* 107.


## SVPPOSITALITAS.


Quid addat suppositalitas supra naturam, *disp.* 15. *q.* 2. *per totam*, *p.* 57.
Suppositalitas non est negatio sed positiva entitas, *ibid. n.* 6.
Authoritate probatur eadem veritas, *ibid. n.* 6. & 7. *p.* 57. & 58.
Ratione prima demonstratur hæc veritas, videlicet quia suppositalitas est proprietas substantiæ completæ, *numer.* 7. *vsque ad* 11. *p.* 58. & 59.
Ex eo quod suppositalitas sit ratio formalis existendi per se probatur eadem veritas, *ibid. n.* 12. *vsque ad* 32. *p.* 59. *vsque ad* 63.
Theologica demonstratione probatur hæc veritas, *n.* 32. *vsque ad* 38. *ibid.*
Suppositalitas est modus & non res, *ibid. q.* 3. *n.* 9. *vsque ad* 36. *p.* 66. *vsque ad* 73.
Natura terminata propria suppositalitate potest divinitus tribus terminari divinis, *disp.* 14. *q.* 4. *n.* 8. *vsque ad* 45. *p.* 41. *vsque ad* 47.
Primum argumentum ad hoc probandum est pulchrum & efficax, *ibid.*
Non potest vna natura creata terminata vna suppositalitate propria terminari suppositalitate aliena creata, *ibid. numer.* 37. *vsque ad* 39. *p.* 46.
Bene potest divinitus terminari multis proprijs, *ibid. n.* 41. *vsque ad* 54. *p.* 46. *vsque ad* 50.
Natura non solum subsistit subsistentia incompleta, sed etiam subsistentia totali & completa, *disp.* 15. *q.* 5. *numer.* 7. *vsque ad* 41. *p.* 85. *vsque ad* 90.
Omnis substantia realis, sive completa, sive incompleta habet propriam subsistentiam sibi accommodatam, *ibid. n.* 42. *vsque ad* 67. *p.* 90. *vsque ad* 95.


## SVPPOSITALITATIS effectus.


Effectus formalis suppositalitatis non est reddere naturam in qua est independentem à priori à subiecto, *disp.* 15. *q. vlt. n.* 9. *vsque ad* 20. *p.* 103. & 104.
Neque independentia à subiecto à posteriori est effectus suppositalitatis & subsistentiæ, *ibid. n.* 21. *vsque ad* 27. *p.* 104. & 105.
Effectus suppositalitatis & subsistentiæ, non est tollere indifferentiam naturæ quam habet, vt possit de potentia Dei absoluta terminari per aliena suppositа, *ibid. numer.* 28. *vsque ad* 37. *p.* 105.
Effectus formalis suppositalitatis ponitur, *ibid. n.* 38. *vsque ad* 64. *p.* 108.
Substantia creata bene potest conservari divinitus sine vlla suppositalitate, & subsistentia, *disput.* 15. *quæst.* 6. *numer.* 5. *vsque ad* 16. *p.* 96. 97. & 98.
Causa effectiva suppositalitatis, & subsistentiæ est ipsa substantia, *ibid. numer.* 17. *vsque ad* 30. *p.* 98.
Quis sit effectus formalis substantiæ, & suppositalitatis, *disput.* 15. *q. vltim. numer.* 9. *vsque ad* 53. *p.* 103.

# Index Rerum, & Verborum.


T

*TOTVM.*

TOtum non cognoscitur ignoratis partibus quibus constat, *disp. de Princip. p.* 107.
Totum, & perfectum sunt penitus idem, *ibid.*
Triplex est substantia tantum, scilicet forma, materia, & totum compositum, *disp. de Princip. p.* 107.

V

*VNIVERSALE.*

VNiversale aut nihil est aut posterius est, *disp. de Princip. p.* 108.

*VNVS.*

Vni vnum dicitur esse contrarium, *disp. de Princip. p.* 108.
Vnus est tantum Princeps rerum, *ibid.*


FINIS.


ILDEPH
PENNAFIEL
Collegii
Naturalis
DVI
7

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IDEPH:
PENNARIEL.
Theologiae
naturalis
DIT
7

PENNAFIEL
TRACTAT.

Th
949a

